R. P.

JO. ERARDI FULLONII

E SOCIETATE JESU

COMMENTARII

ET EXCVRSVS

AD

SECUNDUM LIBRUM

MACHABÆORVM.

COMMENTARII HISTORICI ET MORALES PERPETUI AD SECUNDUM MACHABÆORVM LIBRVM

ADDITIS LIBERIORIBUS EXCURSIBUS,
In quibus plurima, publicè privatimque ad fidem & mores utilia, explicatè traduntur.

A R. P. JO. ERARDO FULLONIO Leodiensi
Societatis JESU Theologo & Ecclesiaste.

Præmittuntur Indices Quæstionum Theologicarum, Historicarum, Christianopoliticarum, & Excursuum. Subjiciuntur Indices luculenti concionum de moribus, ac de fide, & Index materiarum.

Accipe sanctum gladium, munus à Deo. 2. *Mach.* 15.



LEODII,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA JO. MATHIÆ HOVII,
Ad insigne Paradisi Terrestris. M. DC. LXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

SERENISSIMO PRINCIPI

MAXIMILIANO HENRICO

ARCHIEPISCOPO COLONIENSI

SACRI ROMANI IMPERII

ELECTORI,

PER ITALIAM

ARCHICANCELLARIO,

SEDIS APOSTOLICÆ

LEGATO NATO,

EPISCOPO AC PRINCIPI

LEODIENSI ET HILDESIENSI,

ADMINISTRATORI STABVLETENSI

ET BERGTESGADENSI,

DUCI BAVARIÆ UTRIUSQUE,

SUPERIORIS PALATINATUS, WESTPHALIÆ,

ANGARIÆ, BULLIONII,

COMITI PALATINO RHENI,

LANTGRAVIO LEUCHTEMBERGENSI,

MARCHIONI FRANCHIMONTANO,

COMITI LOSSENSI, HORN. LONG. &c.

COMMENTARIOS ad priorem Machabæorum librum, Divinæ Gloriæ, cui sacra omnia nostra sunt, scriptos, nomini Tuo nuper inscripsi, SERENISSIME PRINCEPS, ut patrium, sociale, familiare, propriumque

 debitum

debitum profiterer. Illud enim à me gratitudinis testimonium exigebat. Patria sospitatori suo, Societas hæreditario patrono, familia liberali Domino, Ecclesiastæ munus benevolo Pontifici. Accedebat argumenti varietas, non Theologis modò & Ecclesiastis, sed Principibus etiam ac Pastoribus populorum, non inutilem subcisivi temporis impensam præbitura. Iisdem omnino de caussis, hosce in posteriorem librum Commentarios SERENITATI TUÆ repræsentare audeo, quia debeo. Crevit enim ex eo tempore, perpetuâ velut proventuum annuorum accessione, gratitudinis meæ Tibi obligatæ census, necdum exsolutus est: ut non de sorte tantùm integra, sed de multiplicato sortis fructu conveniri possim. Paternas erga patriam curas numquam intermisisti: avitum erga Societatem nostram affectum quotidianis testimoniis demonstrare non desiisti: consanguineos meos novis in dies beneficiis cumulâsti: lucubratiunculâ illâ nostrâ non benignè modò, verùm etiam beneficè acceptâ, animos ad prosequendum excitâsti; auxistique humanitatis Tuæ experimento debitum simul meum, ac solvendi fiduciam. Addidit stimulos nova Commentariorum Excursuumque materies: quam Tibi placituram non temerè sperem, si

altera

altera non displicuit. Etsi enim inter utriusque libri partes quasdam non affinitas solùm est, sed germanitas: sunt tamen plurimæ lineamentis tam disparibus, & tam diversâ specie, ut res omnino alias scribenti suggesserint, legenti præbituræ sint. Offerunt sese inprimis argumenta religionem spectantia: ubi, stabiliendæ Catholicæ veritati, configendisque adversæ falsitatis erroribus, liberè exspatiari licuit. Neque inter hæc cum Catholicis dissimulatum est, qui divini cultûs dignitatem, vel turpibus vitiis infamant, vel socordi oscitantiâ negligunt, vel ignavo timore destituunt. Occurret avaritiæ, & rapinarum, emissarius Heliodorus, ærarii proditor Simon Benjaminita, nundinator sacrorum Jason, fraudum artifex Menelaüs, invidiæ minister Lysimachus; ingensque illis famulantium turba, pars officiis præeuntium, pars comitantium adulatione, pars exemplo sectantium. Inter istas pestes venerabile caput attollet Onias, sacrorum Præses, sacrilegiorum ultor, depositorum assertor, scelerum & sceleratorum odium, &, ad supremum gloriæ cumulum, religionis victima. Mox sequetur, Templi ac patriæ vindex, Judas Machabæus; prostratis facinorosorum agminibus eminens, & sæculis omnibus memorabile

 trophæum

trophæum de vitiorum armatura molitus. Ibi Tu, SERENISSIME PRINCEPS, imaginem simul Tuam, & exemplum invenies. Es apud nos, quod Onias; fecisti, quod Judas: Pontifex idem, & Princeps. Pietatis Tuæ gemmei flores, in magnifico divini cultûs apparatu, spectantur: magnanimitatis Tuæ aurei fructus, in publicæ pacis suavitate, gustantur. Adhuc tamen superest, in quo Machabæum, & Oniam imitere. Neque enim universa cum Heliodoro, & Simone, avaritia concidit: neque Jasonis, & Alcimi, fortunam omnis ubique ambitio experta est: neque idem Lysimachorum ac Menelaorum finis, & invidiæ atque injustitiæ fuit. Repullulavêre identidem noxiæ stirpes, atque inter celsa conspicuarum virtutum plantaria, & salubria florentis sanctimoniæ exêmpla, venenatos ramos in altum extulêre. Immortalibus Libani cedris funereæ sese taxi miscuerunt: Jerichuntinis rosetis horrida senticeta adnata sunt: in palmas Idumæas, & Palæstinas balsamos, infælices rhamni, & arsuri cardui, dominatum affectavêre. Nec Leodiensis nostra ditio talium plantarum perniciosis excrementis caruit; per isthæc etiam laudatissima tempora, quando *paradisus cælestium gratiarum* appellari poterat,

terat, quomodò à Jacobo Ptolemaïdensi Præsule, Vitriacensi Cardinale, dicta est. Falculâ interdum opus fuit, implexarum sepium nodis impactâ: & securi, non ad ramos solùm, sed ad radices noxiarum arborum positâ. Sic Servatii, Amandi, Lamberti, Huberti, Notgeri, Volbodones, aliaque heroïca Præsulum nostrorum nomina, asserendæ religioni, firmandæ justitiæ, egêre. Patres illos plebs sua vel hinc experta est, quòd intaminatam & integram voluêre. Servandis hominibus, perdidêre hominum noxas: &, ne peccantes perirent, peccata persecuti sunt. Pravis artibus, ubicumque vel insidiabantur, vel grassabantur, internecinum bellum indixêre; ut subditis, ipsisque adeo malorum artificibus, pacem ac salutem assererent. Hæc TIBI, Pontifex incorrupte, magnanime Princeps, nomina & decora, post Oniam & Machabæum, proposita sunt. Istis exemplis, si quid apud nos vitiorum id genus vel in angulis serpit, vel propalàm audet, hostem TE sentiet, populus patrem. Animi enim patrii est, amare liberos, culpas odisse in liberis; & quisquis cordatè diligit, quàm studiosè bona providet, tam vigilanter mala submovet. Vitiis autem, justitiæ ac religioni

religioni adversis, majora privatim mala vix ulla sunt, exitiosiora publicè nulla: neque usquam dignum magis opus *PIETATE ET SAPIENTIA* Tua, neque excelsæ mentis Tuæ studiis convenientior labor est. Per TE pacem Leodiensi civitati, gentique universæ, postliminio redditam grati commemoramus. Cum pace scientias apud nos divinas, humanasque efflorescere; politiores artes, scientiarum asseclas, vigere; architectonicam, pictoriam, sculptoriam, chalcographicam, ad summum eniti, & nationibus quibusvis de palma contendere: TIBI, nobisque gratulamur. Ingeniis apud TE præmia, summum virtutibus pretium esse, gaudemus. Profert equidem Leodiensis natio homines, rei cuilibet excelsæ idoneos, acri judicio, ingenio vivido, mente firmâ, corpore ad animi jussum obsequente. Tales ævo ipso nostro ubique fermè Europa vidit; spectavêre semoti ad Meridiem & Septemtrionem populi, pacis bellique artibus eminentes, neque impares summis. Nec talibus modò aulæ, exercitus, curiæ abundavêre; sed omnes religiosorum Ordinum familiæ, ascetarumque secreta. Societas certè nostra, tantillo intervallo, plurimos accepit de Leodiensi solo,
prudentiæ

prudentiæ ſapientiæque laude illuſtres: Duraſſium, Præpoſito Generali pro Germanicis provinciis Aſſiſtentem; Balduinum ab Angelo, Rheni Viſitatorem; Flerontinum, utriuſque provinciæ Belgicæ moderatorem; Colibrandum, ſanctimoniæ famâ celebratum; Sommalium, vitæ innocentiâ ſpectabilem; Horrionium, virtute & eruditione commendatum; Leonium, Marianæ in Sodalitiis noſtris pietatis auctorem; Mantelium, longo per venena martyrio poſt Indicos Japonicosque labores conſummatum; Fallium, fortibus & fælicibus pro avita religione tuenda concionibus conſpicuum; Cornelium, Scripturæ ſacræ copioſum in paucis ac nominatum interpretem; aliosque hiſtoriarum ac bibliothecarum ſcriptoribus olim memorandos. Nec Mercurianus, Societatis noſtræ Præpoſitus Generalis quartus, in Luxemburgio licèt agro, ad Leodienſem limitem, natus, ſed à puero Leodii educatus, aliter umquam nuper, quàm Eburo, ſcribebatur. Sed iſta nationis præconia ſunt. Tua verò laus eſt, quòd, quidquid hodie apud nos laudabile ſuccreſcit, vel ſtudio Tuo excitetur, vel patrocinio foveatur, vel informetur exemplo: Cujus laudis cumulus augebitur in immenſum, ſi,

quod

quod TE seriò velle scimus, fæliciter perfecisse videamus: ut lætam fatorum segetem tristis internascentium seminum mistura non vitiet. Ut dum *sancta Civitas, & Terra*; sic Leodiensem urbem, ditionem, & diœcesin, innumerorum Sanctorum parentem ac filiam, in veræ religionis cultu constantissimam, ab avita fide numquam degenerem, Hagiographi nostri de Hierosolyma verbis appellare liceat; *habitatur in omni pace, propter Pontificis pietatem, & animos odio habentes mala:* nusquam *Jasonis Alcimíve ambitio* pretium ostentare audeat; nec *Benjaminitæ Simonis aut Heliodori avaritia*, conetur invadere; nec *Lysimachi aut Menelai injustitia, vel invidia*, auferre possit. Scio non exiguæ moræ tantum esse cum callidis juxtà & pertinacibus vitiis, & honestam plerumque speciem mentientibus, negotium; atque adeò, illi consummando, oportere ut multùm vivas, & diu præsis. In eum TIBI finem Mathathiæ nuper annos apprecabar: nunc seram Oniæ canitiem voverem, si, inter domesticæ invidiæ tela, & sacrilegæ ambitionis atque injustæ avaritiæ bella, tam fælix egisset, quàm sanctus vixit. Sed neque intra illius ætatem, & communis ævi spatium, limes desideriorum nostrorum

arctandus

arctandus est. Quem plurium sæculorum mensuram, exstirpandis vitiis, explere cupimus, ei saltem plus sæculo vitæ optemus: quantum Oniæ decessoribus; Aaroni Pontifici, Mosi Principi, vitarum omnium auctor admensus est. Hoc TIBI votum, ætatis quidem hodiernæ metâ prolixius; at non longius affectûs mei modo; nec bonorum omnium desideriis majus, communi nomine verbis meis offero

SERENITATIS TUÆ

Humillimus & obsequentissimus subditus, ac cliens,

JO. ERARDUS FULLONIUS è Societate JESU.

Leodii 22. Aprilis anni 1664.

SERENISSIMI PRINCIPIS

MAXIMILIANI HENRICI BAVARI

PIETATI, ET SAPIENTIÆ,

AVCTORIS PROSEVCHTICON,

AD PACEM PERPETVANDAM

RELIGIONE, AC JUSTITIA.

Hristiadûm quæcumque diu stetit integra plebes,
Relligione *simul,* Iustitiaque *stetit:*
Nec sine præsidiis ætatem talibus egit
Vrbs longam felix ulla, nec ulla domus.
Quanta Tibi, Pacis, *PRINCEPS, est cura tuendæ,*
Regiacæ gentis quàm Tibi cara salus:
Tam Tua Iustitiam *incolumem* Sapientia *servet;*
Tutaq; Relligio *sit* Pietatis *ope.*
Exemplis firmata Tuis, studioq;, perennet
Vtraque, primævis æmula temporibus:
Quando indeflexam donis tulit illa bilancem,
Intactam pretio prætulit ista crucem.
Cùm neutram immensâ numerosum lite tribunal
Detinuit, variis implicuitque foris.
Partam à Te quidquid posset vexare quietem,
*Occidat, ut Sólymæ victima * Patroclides.*
Invehat empyreo sic Te Sapientia *cælo,*
Et rutilâ Pietas *ducat ad astra viâ:*
Postquam longævos Tibi, votis prona Tuorum,
Iustitia *addiderit* Relligioque, *dies.*

* Nicanor Patrocli filius 2. Mach. cap. 8. Hierosolymitano templo & urbi minabundus perit, cap. 15.

REVEREN-

REVERENDO IN CHRISTO PATRI,

P. JOANNI ERARDO FULLONIO,

ALTERUM IN MACHABÆOS TOMUM

EDENTI,

ANAGRAMMA OFFEREBAT

H. R. C. S.

Joannes Erardus Fullonius:
Fons ille undans rore suavi.

De cathedra ille *tuus varias* fons *profluus urbes,*
Facundis suavi rore, *rigavit aquis.*
De prælo exundans *toti modò diditur orbi,*
Et gemino, undarum prodigus, amne ruit.

Perge aures istis, oculosq́, lavare fluentis:
Effundant latices vox, calamusq́ suos.
Sic tibi, quale Titus *duxit* Fullonius * *ævum,*
Ætas tricenas duret olympiadas.
Sic tuus æterni fons alveum gurgitis intret,
Déque mari exortas in mare volvat aquas.

* Apud Plinium lib. 7. cap. 48. *Titus Fullonius* Bononiensis eques vixit annos 150. seu lustra triginta, quæ Olympiadum nomine interdum veniunt, ut hoc ipso lib. Mach. 2. cap. 4. vers. 18.

REVERENDO PATRI,

P. JOANNI ERARDO FULLONIO,

TOMVM IN MACHABÆORVM HISTORIAM
ALTERUM EDENTI,
PARENTISQVE AC FRATRVM NOMINI,

MATHATHIÆ ET LIBERORVM

IMAGINEM APPINGEBAT

JOANNES RAHERIUS, Leodio-Tongr. presbyter, servus æternùm addictus & obstrictus.

PRISCIS Mathathias *sæclis celeberrimus heros,*
Ultima cum senio maturus fata subiret,
Quinos *dimisit* natos, *infracta virorum*
Pectora magnanimûm, patriæ devota saluti.
Primas hos inter Iudas tenuêre Simonq;,
Consilio egregii, præstantes viribus ambo:
Sed pace hic melior, belli prior artibus ille.
Mathathiæ vestrum liceat conferre parentem,
Fulloni fratres; totidem *qui pignora post se*
Natorum, *exactâ moriens ætate, reliquit,*
Omnes post exempla suæ virtutis euntes.
Militiæ quintum *dederat generosa juventus:*
Iamq; sui variis specimen signârat in armis
Roboris eximium, atque animis decora alta petebat,
Cùm mors æternam indixit properata quietem.
Sors potior quartum, *Benedicti castra secutum,*
Auspiciis Divi cernit Trudonis honestos,
Musarum & teneræ virtutis sede regenda,
Assiduè versare bonum in commune labores.
Tertius, *in magni delectus Principis aulam,*
Secretis pridem probat ingeniumq;, fidemq;,
Et vires patriæ obsequiis accommodat omnes.
Pollens consilio primus, *similisq; Simoni,*
Sese incorruptis in publica commoda totum
Impendit curis; longè queis sera fruetur

Posteritas;

Posteritas, patriaq́ diu ornamenta nitebunt,
Et grates olim persolvet fama superstes.
Te primo *conjunctum animis, annisq́,* propinquum,
Pugnaci quidni possim componere Iuda:
Facunda * *gladio lingua, doctiq́ mucrone*
Ancipiti calami, vitiorum inimica prementem
Castra; & , bis tanto quàm Iudas præfuit avo,
Pulcra tuos monitis animantem ad prælia cives?

* Luc. 22. *Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis est.* Fidei & moribus Ecclesiæ defendendis, satis sunt *gladii duo verbi divini*, dicti ad auditores, scripti ad lectores.

APPROBATIO ORDINARII.

PRODEUNT publicâ exſpectatione & utilitate, R.di admodum Patris JOANNIS ERARDI FULLONII Societatis JESU Theologi; ſexennio nuper Cathedralis apud nos Templi, nunc in D. Paulli, Eccleſiaſtæ; *Commentarii & Excurſus ad librum ſecundum Machabæorum.* Leodii primâ Aprilis 1664.

JO. ERNESTUS DE SURLET,
Canon. & Vicarius generalis Leod.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo infra-ſcriptus Societatis IESV in Gallo-Belgica Provincialis juxta privilegium eidem Societati conceſſũ, quo Typographis omnibus prohibetur, ne libros ab ejuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant, facultatem do IOANNI MATHIÆ HOVIO, ut ad ſex annos proximos imprimere poſſit librum cui titulus: *Commentarii & Excurſus ad librum ſecundum Machabæorum*, auctore R. P. IOAN. ERARDO FULLONIO Societatis IESV Theologo. Datum Tornaci 3. Martii 1664.

JOANNES BLAUWART.

QUÆSTIO.

QUÆSTIONES THEOLOGICÆ, HISTORICÆ, CHRISTIANO-POLITICÆ SELECTIORES:

Omissis minutioribus plurimis, præsertim ad Scripturæ explicationem spectantibus; quas Lector passim reperiet.

QUÆSTIONES THEOLOGICÆ.

I. *SITNE hic secundus Machabæorum liber auctoritatis divinæ ex sensu Patrum, traditione, Ecclesiæ definitione, ipsis heterodoxorum ad discernendam sacram Scripturam judiciis?* Proleg. sect. 1. num. 5. usque ad 11. Accedat pro auctario: quod ad cap. 1. v. 24. notamus, videri Christum allusisse ad verba orantis illic Nehemiæ: quod ad cap. 6. v. 19. dicimus, Paullum eò respexisse, cùm scripsit, tympani supplicio quosdam Hebræorum distentos: quod ad cap. 1. v. 1. de Antonio Magno advertimus, ipsum inde videri desumpsisse fratrum Ægyptiorum, & Hierosolymitarum, distinctionē: quod c. 1. 2. 3. 4. & alibi sæpiùs, ex Ambrosio adducimus, de arca abscondita, de igne Nehemiano, de Heliodoro, de theoris, aliisque hujus libri historiis, ut sacris, & divinæ atque indubitatæ fidei: quod cap. 7. ex variis Patribus recitamus, septem fratrum historiam, velut sacram omninò ac divinam; atque adeo à sacro & divinæ auctoritatis scriptore narratam, referentibus.

II. *Quibus, & quomodò permissa, vel sublenda sacræ Scripturæ lectio: & an heterodoxi veram habeant Scripturam, adeoq; illam legere possint?* Ibid. num. 11. & deinceps.

III. *Cur oporteat, & expediat, hæreses esse?* Proleg. sect. 2. universâ.

IV. *An hæretici propriè, qui Catholicam fidem vel audire non potuerunt, vel neglexerunt, citra obstinationem voluntatis?* Proleg. sect. 3. num. 2. usque ad 6.

V. *Cur, post tot credibilitatis ad Catholicam religionem motiva, adhuc tam multi infideles & hæretici supersunt?* Proleg. sect. 3. universâ.

VI. *Cur Iudæi Hierosolymitani ad Ægyptiacos Iudæos, schismaticos licèt, scripserint; & cum eis fraternitatem omnem non abruperint, sicut cum Samaritanis?* Ad cap. 1. v. 1. & ad cap. 2. v. 16.

VII. *An ea Hierosolymitarum epistola habeat auctoritatem Divinam, sive an sit Scriptura sacra?* Ibid. ad v. 16.

VIII. *An narratio isti epistolæ inserta, de igne cælitus dato Nehemiæ, sit itidem Canonica?* Ibid. ad v. 18.

IX. *Quæ sit vera Dei Ecclesia?* Excursu 1. ad cap. 1. toto.

b 4 X. *Sitne*

XXXVII. *Cur*

LXVI. Quo

QVÆSTIO-

QUÆSTIONES HISTORICÆ.

XXX. *An*

QUÆSTIONES CHRISTIANO-POLITICÆ,

Et documenta morum civilium, ex legibus rationis ac fidei.

INDEX

INDEX
PROLEGOMENON
ET
EXCURSUUM
AD LIBRUM SECUNDUM
MACHABÆORVM.

PROLEGOMENON.

SYNOPSIS HISTORICA HUJUS LIBRI.

EXCURSUS
AD CAPUT PRIMUM.

c 2 SECT. V. Cur

AD CAPVT II.

AD CAPVT III.

AD CAPVT IV.

AD CAPVT V.

AD CAPVT X.

AD CAPVT XI.

AD CAPVT XII.

AD CAPVT XIII.

AD CAPVT XIV.

AD

Index Excursuum.

ERRATA.

ERRATA.

E*pist. ad Lect.* pag. 2. lin. 8. *fideliter*, repone *fidenter*.
Prolegom. pag. 9. lin. 35. *Asthareem*, rep. *Astarthen*.
Ibid. l. 20. *voluntatur*, rep. *volutantur*.
p. 22. l. 9. à fine, *ostenta*, rep. *ostensa*.
Comment. p. 1. l. 13. *rationibus*, rep. *orationibus*.
Ibid. l. 15. *nominatur*, rep. *numeratur*.
Ibid. l. 21. *purganda*, rep. *peragenda*.
p. 4. colomn. 1. l. 2. *de*, rep. *ab*.
p. 6. c. 1. l. 21. *sententiam*, rep. *sentientium*.
Ibid. c. 2. l. 10. à fine, *haberent*, rep. *haberet*.
p. 7. c. 1. l. 18. à fine, *documenta*, rep. *monumenta*.
Ibid. c. 2. extremâ, & initio pag. 8. sic lege, *sub annum ante scriptas literas sextum, aut septimum*.
p. 12. c. 1. l. 24. *Tabernaculorum*, rep. *Encaeniorum*.
p. 13. c. 2. l. 17. à fine. lege, *per sacerdotes*.
p. 16. c. 2. l. 44. *illum*, rep. *illam*.
p. 50. c. 1. l. 18. à fine, *nimis*, rep. *minis*.
p. 51. c. 1. l. 41. *reddit*, rep *redit*.
p. 63. c. 2. l. 4. à fine, *cursum*; rep. *rursum*.
p. 71. c. 2. l. 11. à fine, *minima*, rep. *inanima*.
p. 94. c. 11. l. 41. *geminus*, rep. *genuinus*.
p. 110. c. 2. l. 10. *videntur*, rep. *videtur*.
p. 112. c. 2. l. 33. *&*, rep. *ut*.
p. 116. c. 1. l. 9. *ita*, rep. *ista*.
p. 133. l. 14. à fine, *numerat et*, rep. *numeraret*.
p. 137. c. 1. l. 42. *capturum*, rep. *capturum*.
p. 142. c. 2. l. 37. *fuerant*, rep. *fuerunt*.
p. 145. c. 2 l. 38. lege, *& juvenibus*.
p. 152. c. 1. l. 37. *atqui*, rep. *atque*.
Ibid. c. 2. l. 23. à fine, *intra*, rep. *infra*.
p. 157. c. 1. l. 18 *par*, rep. *per*.
p 158. c. 1. in nota 1. marg. *Angelorum*, rep. *Apostolorum*.
Ibid. c. 2. l. 1. *Quam*, rep. *Quem*.
Ibid. l. 10. à fine, *sent*, rep. *sani*.
p. 159. c. 1. l. 14. deest vox, *Basilius*.
p. 161. l. 9. *artem*. rep. *arcem*.
p. 181. c. 1. l. 19. *fit*, rep. *sit*.
p. 187 c. 2. l. 23. à fine, deest vox, *Christum*.
p. 202. c. 2. l. 8. *contracti*, rep. *contacti*.
p. 215. c. 1. l. 37. *praeparantis*, rep. *comparantis*.
p. 235. c. 2. l. 28. *deportato*, rep. *deportatus*.
p. 237. malè notatâ 235. c. 2. l. 12. *illum*, rep. *istum*.
p. 243. c. 1. l. 12. à fine, *uti*, rep. *sicut*.
p. 268. c. 1. l. 17. *à*, rep. *ac*.
p. 269. c. 2. l. 12. *exit*, rep. *erit*.
p. 274. c. 2. l. 11. deest, *consultò*.
p. 293. c. 2. l. 3. *didicére*, rep. *didiceris*.
p. 294. c. 2. l. 32. *oblatus*, rep. *ablatus*.
p. 296. c. 2. l. 11. à fine, deest, *animorum*.
p. 310. c. 1. l. 17. lege; *aetatis in Christo perfectae*.
p. 314. c. 2. l. 26. *utrumque*, rep. *nexumq́*.
p. 322. c. 2. l. 23. *arrogantia*, rep. *arrogantiae*.
p. 328. c. 2. l. 12. *naturalium*, rep. *natalium*.
p. 336. c. 1. l. 27. *Archiatro*, rep. *Archtheatro*.
p. 340. c. 2. l. 9. à fine, *multorum*, rep. *nullorum*.
p. 348. c. 2. l. 26. à fine, *debeamus*, rep. *habeamus*.
p 413. c. 1. l. 5. à fine, *caveat*, rep. *caveas*.
p. 428. c. 1. l penult. & ult *specie*, rep *serie*.
p. 453. c. 2. l. 23. à fine, pro numero 15. rep. *is*.
p 458. c. 2 l. 26. *propriùs*, rep. *propiùs*.
Ind. Conc. p. 9. c. 2. l. 58 *absque*, rep. *usque*.
p. 21. c. 2. l. 35. & 36. *eamq́ filius*, rep. *eamq́ filium*.
Ibid. l. 37. *voluntariam*, rep. *voluntarium*.
p. 44. c. 1. l. 38. pro *1370*. rep. *1570*.
p. 55. c. 1. l. 36. *obauctas*. rep. *obductas*.
p. 73. c. 1. l. 35. *studio*, rep. *stadio*.
p. 98. c. 2. l. 1. *sevos*, rep. *servos*.
p. 99 c. 2. l. 20. pro *458*. rep. *438*.
Ibid. l. 7. à fine, *fabulosa*, rep. *obscura*.

Sunt & alia, quae per se facillimè Lector eruditus corriget: ut pag. 5. proleg. *dissentiones*, pro *dissensiones*. p. 13. *truclantur*, pro *revelantur*. Comm. pag. 10. *Gryplum* pro *Gryphum*. p. 12. *illem entio*, *illa mentio*. p. 24. *Dandulus*, *Dandulus*. p. 27. *inferendo*, *inferendo*. p. 34. *damnaturum*, *damnatarum*. pag. 98. *adultera*, *adulterina*. p. 101. *edifferetur*, *edissereretur*. p. 112. *Infidelis*, *Infideles*. p 130. *Leoni*, *leoni*. pap. 133. *Regera*, *Regem*: *Apud*, *apud*. pag. 135. *portantes*, *portantem*. pag. 163. *varcuum*, *vacuum*: *cameterium*, *coemeterium*. p. 192. *consummantissima*, *consummatissima*. p. 213. *prodigorum*, *prodigiorum*. p. 215. *vehementiâ*, *vehementia*. p. 221. *celebrarentur*, *celebraretur*. p. 223. *opulentum*, *opulentus*. p. 244. *Pach.*, *Pasch.* pag. 273. *Ioannem*, *Ioannatu*. p. 291. *Graca*, *Graco*. p. 300. *nostram*, *nostrum*. p. 304. *postulat*, *postulant*. p. 325. *gemnasius*, *gymnasiis*. p. 327. *aus*, *aut*. p. 345. *diabolus*, *diabolum*. p. 386. *ausit*, *ausis*. p. 388. *virorum*, *virorum* pag. 410. *optima*, *optimè*. pag. 428. *oleagenus*, *oleaginus*. In Graecis. p. 242 θεωρίμαις, θεωρῶμαι. p. 194. λάϊον, λάϊον. p. 339. οἱ, ἰα. pag. 387. προκεκριμμένοι, προκεκριμμένοι.

Et consimilia quaedam paucula, quae corrigentium diligentiam fugisse potuerunt, sive in interpunctionibus, sive in transmutationibus affinium literarum.

Indicis Concionatorii p. 104. c. 2. l. 30. à fine, adscribe auctorem faelicis de Ven. Sacramento anagrammatis, P. Guiliel. Brugium è Societate nostra, mihi ante isthaec excusa ignoratum, alioqui non praeteriturus.

LECTO-

LECTORI.

CVM ex iis quæ tibi, mi Lector, ad Commentarios in librum primum præfatus sum, satis intellexeris, cur in Machabæos scripserim, quâ occasione, quo potissimùm modo, quo usu: diu hìc in limine te detinere supervacuum est. Idem enim mihi in Commentariis ad librum alterum consilii fuit, quod ad primum: eadem scribendi occasio: idem in tractanda Scriptura modus, & in Excursibus ratio: idem tibi usus & fructus, forsan & major, quàm ex primo. Est enim in secundo libro materia quidem minus, quod ad bella Iudæorum attinet: cùm pars tantùm gestorum à Iuda narretur, nihil prorsus actorum Ionathæ, Simonisq́; Principatu attingatur. Sed ea materia tempore restricta, ita rebus diffusa est; ut prior, in illarum plerisque, videri possit præisse tamquam posterioris compendium.

Hujus libri utilitas.

Iam quæ inferuntur de mira Dei supra naturæ ordinem cura pro salute suorum: quæ attexuntur, de nonagenarii senis, septemq́; juvenum & matris, generoso martyrio: quæ præmittuntur, de Onia Pontifice, & Heliodori sacrilego conatu, justóque supplicio, aliáque in eamdem formam; adeò non utilia tantùm lectu, sed & jucunda sunt, ut vix usquam in Scripturis aliquid putem reperiri jucundius. Nihil enim magis honestos animos in historia delectat, quàm fortis virtus, præsertim in ætate fracta vel tenera, sexúque & affectu imbecilli. Nihil magis excitat, quàm divinæ præsentiæ experientia, in frangendis ex improviso vitiosorum ausis, adjuvandis piorum conatibus ex insperato. Quæ omnia cùm huc conveniant, habemus in unum fermè acervata, quæcumque legenti voluptatem parere possunt; miranda supra naturam prodigia, inexspectatos eventus, virtutum vitiorúmque exempla, & præmia ac pœnas, rerum magnarum narrationibus interserta.

Jucunditas.

Sed frustra libri sacri commendatio erudito Lectori, qui illum sæpè vel viderit, vel audierit, avidéque hauserit. Commendandæ potiùs fuerint lucubrationes ad illam nostræ: sed jam diximus, istam etiam prælocutionem frustra fore. Vidisti enim, opinor, quæ scripsimus in librum primum, eaque tibi aut placuêre, aut displicuêre. Si placuêre, & hæc placitura sunt; quia eamdem placendi

Usus.

caussam

caussam habent, imò, ut opinor, ampliorem: si displicuêre, & hæc displicebunt; quia eadem fermè est displicendi materies. Sive tamen placebunt, sive displicebunt, Deum oro, ut nec tu, Lector, operæ tuæ pretium apud ipsum perdideris in legendo, neque ego in scribendo. Illius enim honori & oculi tui, & manus mea, & mentes nostræ laboravêre: sin minùs, laborem & tempus perdidêre.

Vnum tamen etiam te rogo: ut quidquid sive in hoc tomo, sive in priore, emendandum judicâris, amicè ac fideliter mihi significes, vel significandum cures lubentissimè correcturo, sicubi rursum hosce libros, me superstite, edi contigerit. Vbi & hoc accurabitur, ne menda typographica, quæ, per meam & typographi absentiam, correctorum præsertim incuriâ, in priorem tomum irrepsêre, recudantur.

PROLE-

PROLEGOMENON HISTORICUM ET MORALE AD LIBRUM SECUNDUM MACHABÆORUM.

SECTIO PRIMA.

Quis hujus libri auctor, quæ auctoritas? Quæ infidelium contra ejus fidem molimina?

I. *Unde titulus libri Machabæorum*

IN Prologomenis ad librum primum, sectione prima, disseruimus de titulo MACHABÆORUM, Græcè μακκαβαίων, qui utrique æquè communis est, diximusque, id proculdubio à Juda Machabæo manâsse, quia ejus præsertim res gestas hæc historia complectitur. Machabæorum tamen plurali numero dici, non Machabæi singulari; quia id nomen, ad illustrissimi Ducis memoriam, fratribus ipsius communicatum est, imò & septem Martyribus, quorum hic gloriosa certamina recitantur. Eos enim ita constanter Machabæos Martyres Christiana vocavit antiquitas, ut inde libris inditam appellationem D. Thomas aliquando censuerit; sed ipsi à libro appellationem accepêre, non ab ipsis liber

II. *Unde nomen Machabæi?*

Istius autem cognominis Machabæi, quod Judæ Machabæo datum est, originem reperiimus, quà licuit, ex fontibus Hebræis: putavimusque, significari extinctorem, vel subjugatorem, vel raptorem violentum. Quamquam nec nobis tunc displicuit, nec modò displicet, opinio censentium inscriptas ab ipso vexillis suis literas initiales versûs 11. cap. 15. Exod. *Quis similis tui in fortibus, Domine.* Quæ literæ Hebrææ מכבי cùm respondeant Latinis M. C. B. I. nomen inde Macabi seu Maccabi profluxerit. Cui opinioni conjecturam meam addidi: Judæ, pio generosoque adolescenti, & à teneris fiduciam in Deum edocto, familiaria forsan isthæc verba fuisse, tum ore, tum calamo, ad testandos suos in Deum animos & excitandos.

III. *Quis scriptor libri secundi?*

Ista de libri titulo per compendium repetiisse sufficiat: uti & quæ de auctore disputavimus, ejusdem Prolegomeni sectione secunda. Ac primùm explosimus sententiam conjicientium, à Josepho Mathathiæ filio conscriptum: rejecimus deinde aliam, tribuentium Philoni Judæo. Denique ad eos accessimus, qui Judæ Esseno adscribunt, viro apud Josephum historicum, sanctimoniæ & vaticiniorum laude commendato: cujus etiam literæ sunt, primo hujus libri capiti præmissæ; ut ab eodem sit liber, & libri velut procemium.

IV. *Quâ linguâ scripserit? Cur Græcè potius, quàm Hebraicè?*

Græcâ etiam linguâ scriptum fuisse affirmavimus, ex perpetuo charactere dictionis, Græcanicam omninò sapientis, nihilque usquam habentis Hebraicarum loquendi formularum, quales in libro priore, passim observavimus. Nec mirum ulli videri debet, à Judæo, eoque Esseno, peregrinâ linguâ patriam historiam editam: cùm tunc passim Judæis Græca lingua nota esset, ex quo in Macedonum potestatem transierant, ac plurimi per Asiæ Ægyptique provincias Judæi habitabant, Græcè, pro regionum moribus, quàm Hebraicè doctiores. Quam etiam ob causam ab Jasone Cyrenæo libros suos Græcè scriptos, in Judæorum, inter Græcanicæ linguæ populos habitantium, gratiam existimamus. Eos autem Jasonis libros Hagiographus ait à se in compendium redactos, non autem in patriam linguam traductos. Et verò cùm istud compendium Ægyptiis fratribus scriberet, & Græcâ linguâ passim sub Ptolemæis Ægyptus uteretur, longè convenientius fuit, ut ad Judæos Ægypti incolas Græcè Hagiographus scriberet.

V. *An sit auctoritatis divinæ ex sensu Patrum?*

De auctoritate libri hujus an divina sit, parque aliis omnibus sacræ Scripturæ libris, abundè disseruimus Proleg. sect. 3. ubi etiam istud adverimus, longè frequentiùs à Patribus ex hoc posteriore libro, quàm ex priore sententias & historias adduci, iisque divinæ Scripturæ auctoritatem tribui. Nam quem Hegesippus *propheticum sermonem*, quam Damascenus *sacram Scripturam*, quam S. Leo *sacræ Scripturæ lectionem* nominat, de libro secundo excerpta sunt. Quod Bachiarius *librorum divinorum loculos*, quod D. Augustinus *Scripturas veteres, scripturam Dei* appellat, libri posterioris encomium est. Quæ Chrysostomus, Basilius, Gregorius Nanz. Ambrosius, Isidorus de septem fratrum certamine dicunt, ex eodem libro hausêre. Quod Alcimus Avitus, in prænotatiuncula nostra adductus, instrumento veteri adscribit *Machabæorum fortissima pectora fratrum*, ad hunc itidem librum potiùs, quàm ad priorem, refertur.

VI. *An ex traditione?*

Prorsus ut, si Ecclesiæ Christianæ sæcula omnia remetiamur, illustrissimi quique doctrinâ & sanctitate Patres, à Rabano ad Clementem usque Alexandrinum Apostolico sæculo vicinum, de posterioris hujus libri divina auctoritate non dubitanter pronuntiârint. Atque adeò, vel hinc, confici possit, istam auctoritatem Apostolicæ esse traditionis; cui, citra impietatis crimen, non magis fides abrogari possit, quàm Apostolorum scriptis. Tenendæ enim sunt traditiones, ut disertè præscribit Apostolus; neque epistolis modò ipsius, & collegarum, standum est à Fideli, sed etiam sermonibus, qui ad nos usque per memoriam, ac manus, sanctorum doctorumque hominum manaverint. Tales autem fuerunt, quos adduximus, aurei præsertim sæculi Patres Græci, ac Latini, Augustinus, Ambrosius, Basilius, Nanzianzenus, Chrysostomus. Verùm de traditionis ratione, ac regula plura, nos infrà Exc. 1. ad cap. 1. sect. 8.

VII. *An ex Ecclesiæ definitione?*

Demus tamen, manifestam hîc satis traditionem non esse, eò forsan quia Patrum quidam addubitavêre: at Ecclesiæ saltem definitio ita modò manifesta est, ut Catholicorum nemo dubitare possit, Acatholicorum nemo debeat, nisi pertinaci contendendi studio postponere velit amorem evidentis veritatis. Constat enimverò, in Ecclesia potestatem esse de Scripturæ canone statuendi, accipiendique libros in illius censum: etsi de libris istis, Canonici essent, nécne, olim ambigere & disceptare nefas non fuerit. Nam Ecclesiæ, contra quam inferorum portæ non prævalebunt, negari nequit, quod antè Synagogæ licuisse hæretici ipsi affirmant. Nec Spiritus Veritatis à Christo in Apostolos, eorumque discipulos effusus, Dei vivi domum ita deseruit: ut alumnis suis, pro indubitata Fidei divinæ regula, proponi sinat volumen, quod fidem non faciat. Celebretur itaque & hîc istud Augustini lib. con. ep. fundam. se neque Evangelio ipsi crediturum, nisi Ecclesiæ Catholicæ auctoritate moveretur.

VIII. *Materia libri divinitatem indicat.*

Quid autem si iis ipsis indiciis, quæ ad discernendam sacram Scripturam afferunt adversarii nostri, hujus libri auctoritatem stabiliamus? Sepono spiritum privatum, ad quem ipsi appellant, nos ridemus; tam enim nobis spiritus noster, quàm ipsis, privatus est: æquè ac ipsi gustum habemus, nostrum ac proprium, sapori divinarum literarum percipiendo. Frustra itaque ipsi spiritum istum suum vertiginis admoveant, ad intelligendum spiritum Veritatis. Ad alias notas transeundum est, de quibus utrimque conveniat. Ac primùm, certum est argumentum duci à libri materia: si vaticinia contineat, si præcepta cælestia, si exempla sanctitatis, si excelsam doctrinam & Deo dignam. Atqui in hoc libro, tum alibi passim, tum in historia Martyrum, adeò congesta isthæc omnia reperire est, ut alibi nusquam, in Testamento veteri universo, tanta in tantillo volumine inveniri queant.

IX. *Item forma seu character dicendi.*

Accedit alterum argumentum à forma, seu à charactere dicendi: qui alius quidem est in aliis Scripturæ libris, pro Hagiographorum, quorum calamis Deus usus est, ingenio ac facundia. In ista tamen elocutionis varietate, apparet ubique minimè affectatus dicendi modus, qualis solet esse vox veritatis; & sicubi humilis sermo est, non abest tamen sententiarum majestas, & sensuum fæcunditas, Dei sermoni conveniens. Talem Hagiographi nostri elocutionem etsi Græcâ linguâ non inelegantem, neque ineruditam, offert textus universus, ab omni prorsus affectatione alienus, fætus gravibus sententiis, æternorum amorem spirans, divinæ ubique majestatis imaginem exhibens, etiam sicubi humilis est ac concisior.

X. *Denique fructus inde proveniens.*

Denique fructus, quos auditio lectióve sacri libri producit, non modicum, ad sanctitatem ac divinitatem ipsius demonstrandam, argumentum afferunt. Atqui ex hoc volumine tanta in legentium, audientiumve animis existit utilitas, ut alius nullus ad religionem commendandam, animos adversùs vitia obfirmandos, spem in Deum erigendam, vitam contemnendam, æternitatem desiderandam, magis sit idoneus. Ipsique adeò hæretici alium non invenêre aptiorem, suorum animis in summa rerum desperatione erigendis, ut Proleg. ad l. 1. sect. 6. num. 1. advertimus.

XI. Scripturæ panis nutrit auditu, necat interdum lectione.

Ipsos inter & nos celebris controversia est, de usu Scripturæ. Queruntur, à nobis passim non dari legendam, quavis linguâ, in omnium manus: panem esse & verbum Dei: animam sine alimento suo vivere non posse: Verbum Dei esse nobis pro testamento Patris, cujus lectio filiis non sit subtrahenda. Respondemus; Scripturam panem omnino esse; cumque panem non oculis tantùm & lectione hauriri, sed auribus & auditu: huncque alimenti istius vitalis præbendi modum maximè Timotheo per Paullum commendari, 2. Tim. 2. nec mirum cùm *Fides sit ex auditu*. Atque adeò pane liberos suos Ecclesia non abstinet, sed certum panis usum quibusdam prohibet, non ritè usuris. Basilius Chiloni scribebat, & nos Prol. ad lib. 1. sect. 4. scripsimus, arborem vitæ in Scriptura esse: est ibidem arbor scientiæ boni & mali. Non audis serpentem & hæresim invitantem, ut incongruo usu peteat intemperans? Legit Hebion mendicus, Manes mancipium, Theodotus coriarius, David Georgius vitrio, Islebius agricola, Quintinus sartor, legunt centum novæ errorum sectæ, post Lutherum exortæ. Quid inde? Alimentum, malè utendo, transit in venenum. Idem istis accidit, quod plurimis Tertulliani ævo l. de Præsc. *Omnes*, inquit, *tument, omnes scire pollicentur; ipsæ mulieres hæreticæ audent docere, contendere.* Idem quod Hieronymus plangebat ep. 103. ad Paullinum. *Hanc* Scripturam *garrula anus, hanc delirus senex, hanc verbosus sophista; hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Tu*, inquit Augustinus lib. de util. cred. *Terentianum Maurum sine magistro attingere non anderes. Asper, Donatus, Cornutus, & alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet Poëtarum possis intelligi. Tu in eos libros, qui quoquomodo se habeant, sancti tamen divinarúmque rerum pleni sunt, sine duce irruis*, & de his sine præceptore audes ferre sententiam? Vide alia Proleg. ad l. 1. sect. 5. num. 3.

XII. Scripturæ testamentum cur non omnibus Dei filiis resignetur legendum.

Quidni verò, inquiunt, quilibet legat, sine duce, sine præceptore? Nonne filiorum est paternum testamentum legere? Maneátne obsignatum & clausum liberis quibusdam, aliis solis pateat? Sed heus tu, qui testamento inhias, nescis Matrem tuam adhuc vivere, nescis Patrem mortuum non esse? Ipsis non placet, ut in manus quorumdam liberorum detur testamentum; ne male sani quidam inde rixarum, & discordiæ, occasionem quærant. Quid autem si te, qui pro Matre Ecclesiam non habes, Patrem Deum non habere dixero, adeoque exhæredem te esse, neque ad te testamentum pertinere? Quid si neque ejus testamenti exemplar ullum verum penès te, aut tui similes, esse: atque adeò tibi, tuisque, non modò non licere illius lectionem, sed nec possibilem esse?

XIII. Scripturam hæreticus legere non potest, quia non habet.

Legitimum enim Dei testamentum non habet, qui legitimam Scripturam non tenet. Hanc non tenet, qui nec statam habet regulam canonemúe Scripturarum; nec veram, germanamque, ac certam earum sententiam. Tibi, mi heterodoxe, mi frater exhæredate nisi resipiscis, canon alius sensusque Scripturarum non est, quàm quem vel ipse tibi fingis, vel alii finxêre, non quem ab Ecclesia accepêre. Itaque scripturam Dei non habes, non habes testamentum Patris: & qui nobis calumniam impingis, quod illo legendo fratres nostros arceamus, tu neque ipse legis, nec legendum præbes, neque omnino potes.

XIV. Legitimâ caret versione.

Manifestissimè ista te impotentia stringet, si Hebraicè & Græcè non nôsti, adeóque versione aliquâ Bibliorum uti ad legendum debes. Quam enim, quæso te, versionem sumes? Non vulgatam nostram, neque enim ullo apud te in pretio est. Aliam ergo quampiam de innumeris, quas sub schismatis sui exordia protrusas in publicum, Lutherus ipse conquerebatur: aut posteriorem aliquam Castalionis, Tigurinorum, vernaculámve obviam. Sed ex te quæro, versionémne illam auctoritatis divinæ, & supremæ, esse existimes? Negant Doctores tui, & verbum Dei non aliter esse infallibile affirmant, quàm sicut prolatum est, non sicut versum est. Deus enim errâsse non potuit, sed errare potuit interpres. Itaque quisquis Scripturæ versionem legit, Scripturam non legit, non legit verbum Dei, & testamentum Patris. Sic de Societate nostra nonnemo nuper adversùs Samuelem Maresium disputabat, argumento, ut ajunt, ad hominem. Nam in libro, ad annum hujus sæculi tricesimum quintum Gallicè edito Trajecti ad Mosam, cum titulo candelæ sub modio, hanc fixerat hypothesin: Nulli omnino Scripturarum versioni supremam ac divinam auctoritatem tribuimus, soli eam servantes textui originali. Ex qua hypothesi convenientissimè illatum est: plebem hæreticam, quæ originales textus ignorat, solas versiones legit, Scripturâ & Verbo Dei non uti; quia versiones non sunt auctoritatis Divinæ, quam Scriptura possidet.

XV. Lectio Scripturæ apud Catholicos quibus commendata, quibus permissa.

En quo se miseri induunt, quando nec præscriptam ab Ecclesia regulam Scripturarum, nec sententiam, nec versionem accipiunt, suis singuli opinionibus in diversa distracti. Apud nos autem, ubi legitima sunt, & canon, & sensus, & interpretatio, *sic loquitur*

Scriptura,

Scriptura, quomodò Augustinus dicebat l. 5. de Gen. ad lit. c. 3. *ut superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat.* Ecclesiasticis non permittitur modò, sed suadetur, commendatur, imò imperatur lectio Scripturæ. ut Prol. ad l. 1. sect. 6. num. 2. monuimus. Alphonsus Aragonum Rex sæpiùs percurrit à capite ad calcem, cum annotationibus, quas glossas nominamus. Augustinus Volusianum hortatur ad legendas linguas Apostolorum; futurum ut ex his ad cognoscendos Prophetas excitetur. Magni Theodosius & Carolus eam diligentissimè pervolvêre, ac didicêre. Latinæ aut Græcæ linguæ sciens nemo ab lectione Latinę, Græcæve, versionis arcetur: etsi Basilius Chiloni veteris Testamenti studium parcè suaserit, ut panem infirmo.

XVI. Vernaculæ versiones quomodò legi possint?

Quid verò de versionibus in linguam vulgarem sentiendum? Prolegomeno lib. 1. sect. 3. num. 12. attulimus Gregorii 7. de non vulganda passim Scriptura sententiam. Guido Legatus Pontificius Leodii ad annum 1202. sic decrevit: *Omnes libri Romanè*, id est vernaculè, *vel Teutonicè scripti de divinis Scripturis, in manus tradantur Episcopi, & ipse, quos reddendos viderit, reddat.* Cui decreto affinis est regula quarta Indicis librorum prohibitorum, ubi passim permitti usum Bibliorum linguâ vulgari non probatur, ob hominum temeritatem: Episcopis tamen non prohibetur, ne iis permittant, qui inde capere possint, non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum.

XVII. Utillimè à quovis legetur hic liber.

Verùm de hoc nostro Machabæorum libro existimârim, utillimè cuivis Christiano ejus lectionem concedi quavis linguâ posse; proventurum enim inde non damnum, sed fidei & pietatis augmentum. Fidem fulcient, mortuorum precationes pro vivis, vivorum pro mortuis. Pietatem excitabunt piorum exempla, impiorum supplicia. Martyrum facta fidem roborabunt, voces nutrient fiduciam, & caritatem. At, inquis, nonne damnum aliquod ex Raziæ autophoniâ, & occupatâ tam deliberatò morte, metuendum est? Nonne inde furiosi Circumcelliones olim insaniæ suæ defensionem petiêre? Fateor rudiores, ac crassiores aliquos, ab isto exemplo forsan detrimenti nonnihil accepturos, si temerè, sine ducis & præceptoris consilio, pronuntient. Sed id etiam de sanctissimis Evangeliis contingere potest: & verò accidit Sergio Manichæorum novo capiti, ad annum Christi 810. qui pestem suam hausit, lectis Manichææ mulieris suasu Evangeliis: quorum lectionem dicebat illa laicis per Sacerdotes prohiberi, ad occultandam veritatem. Vide Baronium.

XVIII. Objectiones hæreticorum adversus hunc librum.

Opponit interim nobis heterodoxus; quod diximus hunc librum ex materia, forma, fructu Canonicum agnosci, ex iisdem capitibus confici omninò contrarium. In materia enim contineri apocrypha, alogismos, absurda: uti quod cap. 1. habetur de abductis in Persidem captivis, & de morte Antiochi aliter alibi narratâ; quod c. 2. dicitur Jeremias arcam extulisse, & abscondisse, cùm templum à Chaldæis incendio absumebatur. In forma item, & charactere dicendi, erratum esse, quandoquidem scriptor ipse errorum veniam capite ultimo postulet. Fructum denique nullum, imò detrimentum ex istius libri partibus quibusdam existere; quale est, quod jam de Razia notavimus: præterea quod de Machabæo narratur, sacrificia pro defunctorum expiatione curâsse, quam erga mortuos pietatem superstitioso ac præpostero zelo Calvinus adscribit l. 1. Inst. c. 5. & vel inde librum hunc inter apocryphos exulare debere arbitratur.

XIX. Augustini & Calvini contraria de hoc libro ratiocinatio.

Ista, quæ ab adversariis nostris, adversùs canonicam posterioris hujus libri auctoritatem, magnis clamoribus afferuntur, & alia Prol. ad l. 1. sect. 3. num. 13. à nobis addita; sic Deo dante, locis suis enodabimus, ut cuivis cordato satisfiat, neque ex istiusmodi difficultatibus ulla supersit. Nullam enim omnino difficultatem transibimus, aut dissimulabimus; quomodò neque in libro priore dissimulatum est. Adverte interim cum Bellarmino, quantum intersit inter spiritum D. Augustini & Calvini. Ex oratione pro mortuis, per Machabæum indicta, conficit Calvinus hunc librum non esse canonicum. August. contrà l. de cura pro mortuis c. 1. conficit, piè ac religiosè orari pro mortuis, ex eo quòd liber iste sit canonicus. Tam diversa est utriusque ratiocinatio, quàm diversa studia, Calvini pro nova falsitate, Augustini pro prisca veritate. Ex abundantia cordis uterque locutus est; hic spiritu rectitudinis impulsus; ille circumactus spiritu vertiginis.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Cur Deus hæreſes permittat?

I. Diſcordia in Eccleſia periculoſa.

CERTIOR nulla eſt domibus, urbibusque, & regnis pernicies, quàm ab inteſtina diſcordia. Inſtent extrinſecus inimici, artesque, & machinas omnes admoveant; aut nihil, aut parùm admodum, tardéve efficient, quamdiu malum intus non erit. Eamobrem Bernardus ſerm. 29. in Cant. monebat ſuos: *Pax vobis ſit à vobis, & omne quod extrinſecùs minari videtur, non terret, quia non nocet.* Eccleſiam Chriſtus appellat Regnum cœlorum, & comparat civitati ſupra montem poſitæ. Paullus eam nominat domum Dei vivi, duraturam utique, non trecentis ſexaginta quinque annis, ut ſtolidè Pagani jactabant apud Auguſt. l. 18 de Civit. c. 53. Sed usque ad conſummationem ſæculi, ex certiſſima conditoris promiſſione. Patitur ille tamen; ut regnum iſtud ſuum, civitasque, ac familia tamdiu manſura, non externis modò impugnationibus fatigetur, ſed inteſtinis quoque diſſenſionibus laceretur. Hæretici, quorum frangendis inſultibus hunc librum opponimus, filii fuerunt Matris noſtræ, & exierunt ex nobis: tantaque & tam horribili multitudine, ut fidem vix inventura eſſet, niſi hæreſum, primis Eccleſiæ ſæculis ortarum, ſeriem Epiphanius, Auguſtinusq; ſcripſiſſent, aliarum deinceps alii teſtes aut oculati, aut coævi.

II. Cur Deus hæreſes permittat?

Operæ pretium fecerimus, ſi dato jam aliquo diſſertandi cum hæreticis initio, ac velut ſigno indicti in reliquam commentationem certaminis, quæramus eccurnam Deus hæreſes patiatur, ac permittat. Scio iſti quæſtioni eaſdem generatim aptari reſponſiones poſſe, quas non abſimili, de cauſſis permittendorum quorumlibet peccatorum, reddidimus, Exc. 3. ad l. 1. cap. 1. ſect. ult. Proprias tamen binas habemus, ex 1. Cor. 11. ubi D. Paullus, audito, ſciſſuras eſſe inter Corinthios, dicit ſeſe partim id credere, quia *oportet*, inquit, *& hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Petitur, cur hæreſes Deus enaſci patiatur? Primùm, quia oportet, inquit Paullus: deinde, quia expedit.

III. Quomodò oporteat hæreſes eſſe?

Quare autem id, ô Paulle, neceſſe ſit? Non poterat citra iſtas ſectarum diſſenſiones ſua Deo gloria conſtare, ſua Eccleſiæ integritas, ſua Chriſtianis ſalus? Poterat omninò; oportebat nihilominus hæreſes exoriri neceſſitate conſecutionis. Noverat Paullus Corinthiorum ingenia: videbat ſemina factionum, audiebat identidem concertantes, & altercantes. Ego ſum Cephæ, Ego Apollo, Ego Paulli. Ex iſtis ad lites & diſſentiones apertis propenſionibus, prævidit Paullus conſequens fore, ut ſectæ atque hæreſes naſcerentur; adeoque pronuntiavit oportere, ſpectatis nempè hominum iſtorum moribus, & inquietorum ingeniorum ſtudiis. Eâdem itaque ſententiâ Apoſtolus de hæreſibus locutus eſt, quâ Chriſtus de ſcandalis, Matth. 18. *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala*, & conſequantur ad inſtabilitatem voluntatis humanæ, pronæque ad malum, urgente pravâ conſuetudine, trahentibus exemplis, dæmonibus impellentibus, faſcinante ſenſu, caligante intellectu. De tot malis fieri non poteſt, ex communi rerum ordine, quin proveniant ſcandala.

IV. Cur primis Eccleſiæ ſæculis multæ hæreſes erupère?

Poſito, quod experientiâ quotidianâ compertum eſt, homines eſſe novitatum amatores; curioſos, factioſos, arrogantes, obſtinatos, impuros, laſcivos, legum impatientes, oportet hæreſes eſſe: ex talibus cauſſis neceſſe eſt, ex naturæ ordine, neceſſitate ut loquimur morali, tales effectus exiſtere. Pete modò, cur primo ipſo promulgati Evangelii ſæculo, calente adhuc Chriſti ſanguine, incurrentibus in oculos recentibus Apoſtolorum miraculis, & exemplis, hæreſes tamen decem, prorſus diverſæ, de puteo abyſſi emerſerint? Hoc ante omnia præſcribam cum Paullo, *Oportet hæreſes eſſe.* Cur altero ſæculo numeratæ octo ſupra triginta; tertio, viginti duæ; quarto, ſeptem & quadraginta; quinto, viginti octo: ſæculis innumerorum Martyrum conſtantiâ, plurimorum Doctorum ſcientiâ, ac ſanctimoniâ illuſtratis? *Oportet hæreſes eſſe.*

V. Cur tot noſtro ſæculo & proximè enata?

Tranſilio medium ævum Eccleſiæ, & propiùs ad ætatem noſtram quæro, cur ſæculum decimum quintum infame fuerit novis hæreſibus quindecim ſupra antiqnas? Cur decimo ſexto pullulârint facile centum, præter Lutheranam in Germania, Calvinianam in Gallia, Zuinglianam in Helvetiis, Anabaptiſticam in Britannia & Batavia, Adamiticam in Veſtfalia, Trinitariam in Tranſſilvania? Cur hoc noſtro ſæculo tot ſubortæ ſectarum diſſectiones, ut nec Lutherani, nec Calviniſtæ ſeſe ipſi ſatis internoſcant, colo-

tibus, sermone, moribus in dies variis? Nec verò constare sibi potest falsitas, emerguntque alia ex aliis nomina, Luthero-Calvinistarum, Independentium, Presbyterianorum, Puritanorum, Antipuritanorum, Semipuritanorum, Arminiorum, Gomaristarum, Conciliantium, Tremulorum, Quærentium. *Oportet* nimirum *hæreses esse*, uti & scandala, & peccata. Sic sunt hominum mores, sic naturæ cursus est, ut monstra nascantur: quorum originem extraordinariâ providentiâ Deus non suffocat, *ne pulcherrimum turbet ordinem sæculorum*, ut ex Augustino dicebamus l. 1. Exc. 5. ad c. 1. sect. 3. n. 3.

VI. Unde hæresiarchæ?

Judam hæreticorum omnium antesignanum commodè fecit Gualterius noster: Christi realem in Eucharistia præsentiam non agnovit, ex sententia Chrysostomi: de mulieris effusa in Christum liberalitate murmuravit. Cur hæreses istas, hodiernis germanas, ab Apostolo suo admitti Deus permisit? Cur tot ab eodem alia peccata cumulari? Mox secutus Simon Magus, ejusque discipulus ac corrector Menander, quomodò Calvinus Lutheri: hostes pariter omnes humanæ libertatis, & sacerdotalis cælibatûs. Secundo sæculo Marcion è cætu Fidelium ob virginem violatam ejectus, facit cædem Scripturarum, truncat libros sacros, & reconcinnat pro arbitrio, Baptismi necessitatem abolet: paullò pòst impurus Manes Martyrum honorem proculcat, festa proscribit, sacras reliquias execratur. Arius deinde, spernit Concilia, Patres contemnit, solum se in Scripturis sapere arbitratur. Istóſne hæreticos fuisse mirabere, & Pelagium fœdæ ambitionis monachum, & cacabarium Alexandrum, & Theodorum argentarium, & Theodorum pellionem, & Valdonem, & Eonem, & alia infausta nomina?

VII. Unde peccatores?

Ego certè non magis istos aberrâsse, & hodiernis nostris hæreticis, qui suos ex istis errores consarcinaverunt, præisse miror: quam impudicos, superbos, cerebrosos, vitiisque aliis contaminatos vixisse. Caussa hæreseon in ipsis fuit, ut mox sectione sequenti videbimus. Qui caussas permisit, & permisit effectum; eamdemque ob rationem, istum & illas permisit, quia oportebat. Oportebat, inquam, non antecedenti, sed consequenti necessitate. Sic erant homines illi, tales ipsi sese fecerant, ut in hæresim laberentur. Lapsum impedire noluit Deus, quia sic postulabat ordo sæculorum, ut tam malè de gratia divina meriti sibi relinquerentur.

VIII. Hæreses excitant studium, & doctrinam Christianam.

Sapientia itaque & justitia divina partes in ea permissione suas exercet, habet etiam bonitas. *Hæreses* enim existunt, non solùm *quia oportet*, inquit Paullus; sedptætereà, *ut & qui probati sunt, manifesti fiant*. Breviter respondet Tertull. l. de præscr. *Ad hoc sunt hæreses, ut fides, habendo tentationem, habeat & probationem.* Vincentius Lirinensis eodem applicat ista Deut. c. 13. *Ut tentet vos Dominus Deus vester.* At quomodò tentet, quomodò probet fidem? Primò excitando doctrinam, inquit August. l. 16. de Civ. c. 1. *Multa ad fidem Catholicam spectantia, dum hæreticorum callidâ inquietudine exagitantur, ut adversùs eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur, & ab adversario mota quæstio discendi existit occasio.* Idem dicit de vera Relig. c. 8. *Ex his hominibus hæretici fiunt, qui, etiamsi essent in Ecclesia, nihilominus errarent: Cùm enim foris sunt, plurimùm prosunt; non verum docendo, quod nesciunt; sed ad verum quærendum carnales, ad verum aperiendum spirituales Catholicos excitando.* Ejusdem libri c. 6. *Ecclesia*, inquit, *Catholica per totum orbem validè, latèque diffusa, omnibus errantibus utitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem cùm evigilare voluerint. Utitur enim Gentibus ad materiam operationis suæ, Hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, Schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Judæis ad comparationem pulcritudinis suæ. Alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit. Omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatē, sive illi informandi sint adhuc, sive reformandi, sive recolligendi, sive admittendi.*

IX. Ecclesia viris doctis per tempora hæretica abundat.

Arianâ falsitate Christianum orbem pervagante, excitata sunt Catholicorum studia ad doctas de augustissima Trinitate disputationes: Novatianorum hæresi exortâ, diligenter à Catholicis de pœnitentia quæri, & disceptari cœptum est, ut idem Augustinus notat in Psal. 54. Ex historiis sacris animadverti, numquam magis Ecclesiam doctrinâ floruisse, quàm per hæreseon tempora, & dominatum: contrà numquam aliàs magis jacuisse, quàm suffocatis hæresibus, & sub cinere latentibus. Athanasios, Cyrillos, Basilios, Gregorios, Chrysostomos tulit Oriens; Hilarios, Hieronymos, Ambrosios, Augustinos, Optatos, Pacianos effudit Occidens, per Arianorum & Pelagianorum ætatem. Sæculo nono, ac deinceps decimo, quietissima fuit ab hæreticorum incursibus Ecclesia; simul ubique densa ignorantiæ nox ingeniis incubuit, tenuitque, donec Berengariana insania Durandos nostros, Adelmannos, Lanfrancos, Anselmos excitavit. Experimur hodie nosipsi, ego certè scribendo experior ac testor, hæreticorum viciniâ & congressibus evigilare scientias sacras, excoli linguarum studia, Scripturas divinas attentiùs legi, ut rursum Augustinus ait epist. 105. in fine.

Nec

Nec doctrina tantùm apud Catholicos, hæreseon occasione effloreſcit; ſed, quod longè potius eſt, mores ac virtutes. Id etiam ex Auguſtino didici epiſt. 50. ad Bonifacium: poſt narratas Donatiſtarum Africanorum furias adverſus Catholicos, *Ubicumque*, inquit, *à perditis iſta commiſſa ſunt, ibi ferventiùs atque perfectiùs unitas Chriſtiana profecit.* Magis generatim de omnibus Eccleſiæ hoſtibus loquitur, lib. 18. de Civ. cap. 51. convenientiſſimè tamen omnium hæreticis: *Inimici omnes Eccleſiæ, quolibet errore cæcentur, vel malitiâ depraventur; ſi accipiunt poteſtatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam; ſi tantummodò malè ſcribendo adverſantur, exercent eius ſapientiam: ut autem etiam inimici diligantur, exercent eius benevolentiam, aut etiam beneficentiam*, &c.

X. Virtute creſcit.

Experti fuêre parentes & avi noſtri, ex quanta morum corruptela plebs Chriſtiana reſipuerit, poſtquam adverſarios pati cæpit Lutheri & Calvini aſſeclas. Experimur ipſi zelum noſtrum, velut per antiperiſtaſin, oppoſitu contrariorum inardeſcere. Prædicata in omni loco, quemadmodùm de Romanis dicebat Paullus, fides Leodienſium, ex circumſtantium hæreticorum infidelitate vires ſumpſit, labis omnis & erroris impatiens, nec minimam quidem novitatis ſuſpicionem paſſuta. Narrat Spondanus ad annum 1549. Epiſcopo Oleronenſi, Malleone in Bearnia in ſummo templo hæreticè concionante, civem quemdam ſecuri pedes cathedræ abſcidiſſe; unde Epiſcopus lapſus, & poſt paucos dies mortuus. Re à ſenatu Burdegalenſi examinatâ, civem innoxium pronuntiatum: filium ejus poſteà Epiſcopum Oleronenſem fuiſſe, ejusque deinceps nepotem ex ſorore. Quod civis unus Malleonenſis fecit, hoc mille Leodienſes cathedris peſtilentiæ fecerint; ſi ulla umquam eas impudens temeritas, aut novandi inſania, in civitate Leodienſi, hæreſibus ab ortu intactâ, erigeret.

XI. Zelo inardeſcit.

SECTIO TERTIA.

Cauſſæ hæreſeon.

ALIUD longè eſt, quærere cauſſas permittendi peccati; aliud cauſſas peccati. Quæſiimus modò, cur Deus hæreſes permittat? Nunc quærimus, cur hæreſes hominibus placeant? Permittit illas Deus benignè, juſtè, ſapienter; eaſdem indignè, iniquè, inſanè homines fingunt, ac ſequuntur. At quo impulſu, quâ gratiâ? Mirum enim quibuſdam videtur, & mihi aliquando viſum eſt: quî fiat, ut, cùm teſtimonia Dei credibilia nimis facta ſint, & Eccleſiæ ſigna evidentia, tanti tamen & tam diffuſi circùm vagentur greges hæreticorum? Admirationi iſti aliâ admiratione occurrero: qui fiat, ut, cùm rationi tam apertè pateat, Deum unum eſſe rerum omnium conditorem, tot adhuc Idololatræ ſuperſint, non apud gentes modò barbaras, ſed apud cultos Sinarum & Japonum populos? Quî item fiat, pôſt tam manifeſta de Chriſti Meſſiæ nativitate teſtimonia, ut Mahumetani per ternas orbis partes diffuſi, Judæi toto orbe ſparſi, ſuperſtitiones ſuas obſtinatiſſimè tueantur? Quod de iſtis mihi dixeris, idem tibi de hæreticis reſpondero. Par enim omnium cauſſa eſt: ut hæreticorum, ac Mahumetanorum, Infideliumque aliorum parallela componere facillimè poſſimus; quemadmodùm Gualterius noſter Mahumeti Lutherum, & Calvinum, doctè juxtà & verè, compoſuit.

I. Cur tot infideles poſt tot fidei monimenta?

Sed ut quæſtioni directò reſpondeamus, iſtud diligenter prænotandum nobis eſt, longè abeſſe, ut hæretici tanto ſint numero, quantus vulgò cenſetur. Hæreſis enim conſtat ex vitiis duobus, intellectûs uno, altero voluntatis, ex errore & pertinacia: error in Fide, hæreſeos velut materia eſt: pertinacia in errando, formam hæreſi adjicit. Qui in imo Norvegiæ ſinu natus, baptizatus, educatus, nihil umquam audivit, audireque potuit, quàm Papam Antichriſtum eſſe; Papiſtas imaginum adoratores, idololatras; Purgatorium ignem ardere calefaciendis ventriculis ſacerdotum; aliaque ejuſmodi nugamenta, & blateramenta Miniſtellorum; eum tu hæreticum appellâris, inculpatâ & invincibili ignorantiâ laborantem? In eodem genere fuerit, qui librum noſtrum Machabæorum pro Canonico nolet agnoſcere, quia numquam aliter didicit, aut potuit didiciſſe.

II. Hæretici non ſunt, qui fidem errorem inculpatè ignorant.

Proximi iis ſunt, qui cùm inter nos verſentur, è Batavia, Angliáve, aut Germania oriundi, facileque in vera religione inſtrui poſſint, ſi velint, inſtructionem tamen negligunt:

III. Neque quidem qui ſt... Cathol-

sa instructionem negligunt: sed qui pertinaciter respuunt.

negligunt: non quia sectæ suæ pertinaciter adhærescant, sed quòd instructione à teneris acceptâ contenti, novæ disciplinæ laborem vel supervacuum arbitrantur, vel nimis onerosum. Tertium genus est eorum, qui ex mera pertinacia doceri aliter nolunt, quàm didicerint: aut qui agnitam veritatem, obstinatâ voluntate, respuunt. Nam qui audivit quidem veritatis argumenta, sed illa capere nequierit, vel ex intellectûs imbecillitate, vel ex præjudiciorum multitudine, absque ulla obfirmatæ ad falsum voluntatis pertinacia; ille ad primam pertinet, inculpatè & invincibiliter ignorantium, classem.

IV. *Qui de primo genere sunt, non damnabuntur ob infidelitatem.*

Primum genus hæretici non sunt, neque ideo ad cœnam Regis Patrísve familias, de qua Christus Matth. 22. & Luc. 14. non venient, quia venire vocari renuerunt. Imò, si verum dicere apertè velimus, ad cœnam per baptismum vocati venêre, neque inde per infidelitatem hæresimve exiêre. Itaque istorum nemo projicietur in tenebras exteriores, quia de Ecclesia non fuerit, aut fidem non tenuerit: materiam enim hæreseos quidem habuit, non formam, aut crimen. Sed idcirco, quod absit, damnabitur, si letale aliud peccatum admisit, & sincero Dei amore summoque illo dolore, quem contritionem dicimus, illud non expiarit. Talibus enim Christianis extra Ecclesiæ septa corpore potiùs, quàm animo, degentibus, aliud commissorum remedium non est: iisque carent medicaminibus ac præsidiis sacramentorum, quæ Christiani, Intra Ecclesiam corpore pariter & animo degentes, præstò habent, quando contigit ipsos peccavisse. Itaque ab istis tam longè illi absunt felicitate, quantum bonum est divinorum sacramentorum participatio, ad remedium simul ac præsidium vitæ præsentis & futuræ.

V. *Nec qui de secundo, sed qui de tertio.*

Alterum genus, hæreticis quidem affines sunt, non tamen exactè ac propriè hæretici, quia obstinatione non peccant. Itaque etsi apud homines aliter audiant, apud Deum tamen rei agentur negligentiæ solius, quod ad fidem attinet. Neque idcirco ad Regiam mensam non assidebunt, quia invitantis voces exceptas & intellectas sprevêre, sed quia voces excipere neglexerunt. Tertium genus solum hæresis formam integram habet, & consummatum crimen, eorumque servorum insaniâ exprimitur, qui Regios servos tenuerunt, & contumeliis affectos occiderunt: ita illi nuntios agnitæ veritatis non ejecêre modò velut importunos monitores, sed obduratæ voluntatis obstinatione, quidquid intellectus suggerebat, suffocavêre. De hoc potissimùm genere quærimus, cur infidelitatem, ac falsitatem, fidei & veritati pertinaciter præoptent. Eâdem operâ intellecturi, cur alii veritatis inquisitionem prætermittant.

VI. *Tres peccatorum fontes iidem hæreseon.*

Audivimus sæpè Joannem 1. 2. dicentem. *Omne quod in mundo est, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Tria illa peccatorum omnium capita, sunt etiam fontes hæreseon, & in parabola Matth. 22. adumbrantur; illis, qui in villam abierunt voluptatis causâ, cõcupiscentia carnis; aliis, qui ad negotiationem suam lucri gratiâ profecti sunt, concupiscentia oculorum; tertiis, à quibus contumeliosè habiti invitatores, superbia vitæ, nihil enim contumeliosius superbiâ. In eamdem sententiam Augustinus serm. 33. interpretatur parabolam Luc. 14. recitatam, quæ aliquibus eadem videtur ac Matth. 22. In illa, qui ob uxorem ductam à cœna se excusat, libidinosos significat; qui juga boum quinque comparavit, avaros; qui villam emit, ambitiosos, ac superbos. Vitiorum istorum uno, alteróve, laborat quisquis vel fidei pertinaciter resistit, vel à fide turpiter deficit. Apud Tertullianum lib. de præscr. *Solent quidem isti miriones, etiam de quibusdam personis ab hæresi captis ædificari in ruinam. Quare illa vel ille, fidelissimi, prudentissimi, usitatissimi in Ecclesia, in illam partem transierunt? Quis hoc dicens, non sibi respondet; neque prudentes, neque fideles, neque usitatos æstimandos, quos hæreses potuerunt demutare?* Amplius nos dicimus, non modò prudentes ac fideles non esse, qui infidelitati se mancipant; sed etiam antè peccatis aliis mancipatos esse, vel libidine dementatos, vel avaritiâ cæcatos, vel superbiâ captos, aut vitiorum istorum pluribus obnoxios.

VII. *A mulieribus & luxuria initia hæreseon.*

Excursu 3. ad c. 1. l. 1. sect. 3. num. 4. exempla protulimus, non sanctificatorum modò virorum per mulierem fidelem, sed integrarum nationum ad fidem adductarum. At contrà quot populi, nedum viri, per mulieres dementati, ac per illecebras voluptatum præcipitati in hæresin, & barathrum infidelitatis? Baronius ad annum Christi 146. ex Hieronymo ad Ctesiph. advertit, Simonem Magum Helenâ pellice ac meretrice sociâ, errores suos sparsisse. Nicolaum inter choros fœmineos insaniæ suæ telam exorsum: à Marcione præmissam, Christianorum animis Romæ prætentandis, mulierem. Apellem cum Philumene errasse: circumductas à Montano Priscam & Maximillam. Arium sorore Constantii, & puellarum Alexandrinarum gregibus, fultum; adfuisse Donato Lucillam, Priscilliano Gallam.

VIII. *Inobedientia & infid...*

• Augustinus lib. 11. de Genesi ad lit. c. 42. & ultimo quærit, quomodò Adam præstantissimo

tiſſimo licèt ingenio prǽditus, decipi ſeſe ab uxore paſſus ſit? Adeóne cæcum fuiſſe, ut crederet, pomi guſtu ſibi obventuram boni malique ſcientiam; quaſi res tam craſſa, & corporea, intellectui illuſtrando valeret? Huic quæſtioni aliâ non abſimili quæſtione, percommodè, & eleganter, ſatisfacit: qui factum, ut Salomon, eximiæ & divinitus infuſæ ſapientiæ plenus, idola pronus & palàm adorârit; verè virorū ſtultiſſimus, ea ætate quâ ſapere ſolent, qui antè deſipuerūt? Aſpice formas illas Moabitidas, & Ammonitidas, ad Salomonis latus: proptereà quòd eas malè diligit, idcircò idola peſſimè colit. Deos eſſe non credit; ſed ne adamatas formas offendat, videri vult credere. Eumdem in modum Adam non credidit, arboris fructui vim ad intelligentiæ augmentum ineſſe: ſed quia mulierem amabat, & nolebat offendere, credentis inſtar ſe habuit, vetitum attigit, periit. Concupiſcentia carnis inobedientem facit Adamum, Salomonem infidelem.

Iraht et ā; more ſemel: neó.

IX. *Libido mater hæreſeon.*

Hodie apud Sinas etſi religio Chriſtiana in pretio eſt, Chriſtique imagines paſſim in palatiis Magnatum, Regumque ipſorum, propoſitæ coluntur: ab iiſdem tamen idola ſuffitu vaporantur, genuaque ligneis & lapideis imaginibus flectuntur. Apud Mahometanos Chriſti vita & doctrina laudatur; hæretur tamen in ſuperſtitione ipſiſmet ſectatorum cultioribus ridendâ, aut pudendâ. Ecquidnam utroſque detinet in errore defixos? Non vides fæminarum greges, polygamiæ licentiam, libidinis ſecuram impunitatem? Nihil iſtos magis à religionis Catholicæ ſanctitate abſterret, quàm legum noſtrarum in prohibenda luxuria ſeveritas. Idem de hodiernarum hæreſeon ortu, ac profectu, diximus. Laxavit intemperantiæ habenas Lutherus: virginitatem ſugillavit Calvinus. Ab iſta licentia infruniti multi Nazaræi ac Nazaræ, abruptis frænis, votis proculcatis, auxêre turbam errantium. Nolo fœtidiſſimam camarinam movere. Qui inſpicere illam voluerit, legat, ſed naribus benè obturatis, quæ à Ræmundo & Sandero ſcripta ſunt; ab iſto, de ſchiſmate Anglicano; ab illo, de ortu, profectuque, & decremento hæreſeon.

X. *Luxuriæ progenies cæcitas mentis.*

Scimus ipſi, novimus, vidimus religionis Catholicæ transfugas, non aliâ de cauſsâ, quàm effrænis incontinentiæ: qualem Auguſtinus epiſt. 169. notat in ſubdiacono ad Donatiſtas profugo, poſt ſanctimonialem vitiatam. Caro & ſanguis perſuaſit mancipiis ſuis falſitatem; & diſſuaſit, quam cœleſtis Pater aperuerat, veritatem. Angelicus & caſtitatis amantiſſimus Doctor D. Thomas 2. 2. quæſt. 153. a. 5. recenſet luxuriæ filias octo. Primogenita eſt cæcitas mentis; ſecundogenita præcipitatio; tertiogenita, inconſideratio. Miſeri iſti transfugæ, luxuriâ cæcati, præcipitavêre in voraginem infidelitatis, eoque prolapſi, & in profundo jacentes, infælicitatis ſuæ noviſſima non conſideravêre, ut reſurgere & emergere conarentur. Aſtharcem, & Dagonem, & Baalem, idola fæminea cum Salomone coluerunt, & hæc ſimul amplexi ſunt.

XI. *Concupiſcentia oculorum & avaritia hæreticos cauſſa.*

Concupiſcentiâ oculorum pereunt quidem pauciores, quàm concupiſcentiâ carnis; pereunt tamen. Hanc certè cauſſam aſſignat Paulus 1. Tim. 6. *Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide.* Poterat in exemplum produxiſſe Simonem Magum, quem pecunia ſimul & Helena in perditionem præcipitavêre. Alios nominat 2. Tim. 5. Phigellum & Hermogenem, cum Aſiaticis à doctore ſuo, & à fide, averſos: metu vel perdendarum, vel imminuendarum facultatum, ſi Paullo adeſſe Romæ, & miniſtrare pergerent, quemadmodùm Oneſiphorus fecit. Secuti per Eccleſiæ prima ſæcula, quos amittendarum divitiarum metus, inſtantibus Cæſareis miniſtris, ad religionem deſerendam, aut deſertionem ſimulandam, impulit; Multos ait B. Franciſcus Saleſius à ſe repertos, in habitationis ſuæ vicinia, quos vel publicæ ſpoliationis metus, vel exhæredationis privatæ periculum, in hæreſi detinuit, conſcios licèt erroris: eamque ob cauſam agere ſecum, niſi clam & ſine arbitris, non auſos. Vide lib. 2. c. ep. 9.

XII. *Timor amittendi ſuum bonorum fidem tollit.*

Quod in florentiſſimæ Eccleſiæ Japonenſis acerbis perſecutionibus accidiſſe audivimus: hoc in Septemtrionalibus regnis ac rebus publicis, à legitima Romanæ Eccleſiæ obedientia divulſis, ſæpè videmus contingere. Atrocia edicta formidant, exui bonis verentur, domo patriâ pelli, & peregrè egentes errare, non ferunt: inde ex Chriſtianis pagani evaſêre, ex Catholicis hæretici. Scio novitias opiniones malè fultas eſſe, veteris & avitæ fidei ſoliditatem non ignoro: ſed quid agam? Patiar me fortunis omnibus, aut bonâ eorum parte ſpoliari? Videam mihi ſpem omnem quæſtuoſarum dignitatum præcidi? Tremens & inops errare cogar, aut deſteſcere? Ex iſtis tergiverſationibus, & inanibus tetriculamentis, naſcitur cogitatio: Quidni hîc maneam? Quidni idem, quod iſti, ſentiam? Quidni eamdem ſortem exſpectem? Quantillum diſtat à Calviniſta Lutheranus, à Luterano Catholicus? Nonne ubique Chriſti nomen ſonat, & ſalus præſtò eſt? Sic ratiocinatur avaritia, & perſuadet.

Scio

XIII. *Immoderatus ad divitias affectus occludit regnum cælorum.*

Scio quempiam religiosum ac sacerdotem, ex castris Catholicis ad acatholica transfugam, ibique pulcræ mulierculæ amoribus & lautorum proventuum commodis illigatum; cùm ab amicis, vices perditi, vel perituri dolentibus, conventus esset, ac de resipiscendo appellatus, concubinam & liberos ostendisse, & confessæ veritati id solùm opposuisse: quis ergo istos ex dignitate alet? Matth. cap. 19. dives quidam auditâ Christi lege de perfectione virtutis, abiit tristis, erat enim habens multas possessiones. Sic hæreticorum non pauci, auditâ Christianæ legis antiquâ formulâ, & agnitâ Catholicæ fidei veritate, abeunt tamen tristes ad devia, quia habent multas possessiones, quas perdere, vel minuere non sustinent.

XIV. *Oculi concupiscentiæ eruendi ad fidem.*

Pusillanimibus istis ingeminandum illud Christi: *Quàm difficile dives*, malè ad divitias affectus, earumque amore nimis irretitus, *intrabit in regnum cælorum*, quod est Ecclesia? Apud Prophetam dicitur oculus deprædatus animam: eum oculum eruat & projiciat, ex præcepto Christi, quisquis salvari vult; melius est enim tali oculo carentem intrare in lucem regni cælorum, quàm cum oculorum scandalizante concupiscentia mitti in tenebras exteriores hæreseos. In parabola invitatorum ad cœnam apud D. Lucam, postquam varii renuêre, famulus jubetur introducere debiles, & claudos, & cæcos. Benè cæci sunt, qui oculo carent deprædante animam, qui non habent concupiscentiam oculorum, quibus longè fides pecuniâ potior, & innumeris possessionibus carior veræ religionis certa possessio.

XV. *Superbia mater hæreseon.*

D. Augustinus concupiscentiam oculorum interpretatur curiositatem nimiam, sciendique appetitum effrænem: sed nos eam sciendi, atque intelligendi, pruriginem commodiùs conferemus ad superbiam vitæ. Duplex enim est superbia, intellectus una, altera voluntatis: illa, sciendi supra modum cupida, & scientiæ specie tumens, rationi posthabet fidem: hæc, gloriæ & honoris plùs debito appetens, sapientem religionis humilitatem dedignatur. Et hæc, & illa, plurimos ad infidelitatem ducit, & hæresi mancipat. Itaque Augustinus generatim pronuntiare ausus est, con. epist. fund. c. 6. *Superbia mater omnium hæreticorum*: & epistola 56. Dioscoro juveni curioso, summopere, imò unicè, humilitatem commendat, ut benè de religione sapiat. Quemadmodùm enim Rhetorum quispiam, interroganti, quid in oratione potissimum esset, quid secundum, quid tertium, ac deinceps, constanter respondit, pronuntiationem: ita se, si interrogetur, quid ad fidem, ac religionem Christianam, potissimum sit, quid secundum, tertium, quartum, ac deinceps, ad omnia interrogata responsurum, humilitatem.

XVI. *Scientia inflans fidei adversatur.*

Superbia intellectûs olim Philosophorum multos à fide Christiana prohibuit, vanâ scientiæ suæ opinione deceptos, & dedignantes rationem, syllogismis inflatam, & sophismatibus distentam, fidei ac verbo divino, quantumvis miraculorum evidentiâ firmato, submittere. Audiebant de altissimo Trinitatis mysterio, Verbum Deum & apud Deum; amorem Patris & Filii ab utroque spiratum, utrique æqualem: quia nusquam in naturæ legibus quidpiam simile deprehenderant, neque in Philosophiæ scitis ac principiis viderant, inane commentum Christianæ gentis arbitrabantur. Occalluerant ipsis aures ad istud Philosophiæ decretum, *Ex nihilo nihil fit*; & ad illud, *A privatione ad habitum non datur regressus*; ejusmodique alia, ex consueto naturæ ordine collecta: inde auditam de resurrectione disputationem Atheniensium quidam irrisêre, alii comperendinavêre; inde creatum ex nihilo universum, Deum æternitate & immensitate suâ ante sæcula contentum, non credidêre.

XVII. *Inanem Philosophiam hæretici sectantur.*

Philosophos imitati hæretici, à quibus Colossenses cavere volebat Paullus c. 2. ne deciperentur per Philosophiam, & inanem fallaciam; quæ nimirum imbecillitate rationis humanæ divinam potestatem includit, ut ibi loquitur Ambr. aut ut Epiph. ait l. 2. cont. hæreses, Deum omnipotentem vult syllogismis claudere. Præsidentem istam Philosophiam, & fatuam sapientiam, hæreseon ævi sui magistram facit Tert. l. cont. Hermog. *Ipsi*, inquit, *sapientiæ professores, de quorum ingeniis omnis hæresis animatur*. Hæreticorum hodiernorum non pauci in eadem havi errant, & *multum errant*, ut Augustinus de aliis dicebat c. 5. de Agone Christ. quoniam *superbi sunt, & non possunt discere, quia nolunt credere*. In Eucharistiæ particulis omnibus Christum arctari, quo pacto credam? Natura non capit, ratio non intelligit, oculus quo regor non videt: tu à me fidem cæcam exigis? Non cæcutio, non credo, non obedio, sic Independentes loquuntur, sic Quærentes, sic Dubitantes, novitia sectarum nomina: eò ducit omnis privati spiritûs superba præsumptio.

XVIII. *Ingenii humani imbecillitas à fallacia rationis.*

Narrat Spondanus ad annum 1422. Sacerdotem quemdam Hongarum, ingenio suo confisum, illuc denique venisse insaniæ, ut nihil supra rationem, & extra naturæ limites, crederet, fidemque omnem suam intelligentiæ captu metiretur. Sæpiùs disputando convictus, numquam perdomitus, semper contumax; donec argumentis civilibus, ac

moralibus,

moralibus, ex imbecillitate intelligentiæ humanæ, & ingenii fallacia, ductis, seriò resipuit. *Quædam acutissima & excellentissima ingenia*, inquit Aug. ep. 52. ad Macedonium, *tantò in maiores errores ierunt, quantò præfidentiùs tamquam suis viribus cucurrerunt, nec suppliciter & veraciter Deum, ut sibi viam ostenderet, petiverunt.* In Pythagora metempsychosim videmus; in Heraclito, vertiginem universi; in Parmenide fortuitam rerum commistionem; in Epicuro concursum atomorum; in Platone ideas volaticas & materiæ expertes; in Aristotele ipso, mundi æternitatem, humani generis si extingui contingeret reparationem ex verme, adorationem meretriculæ; in omnibus sententiarum confusionem, & compugnantiam ridiculam, velut cæcorum in trivio.

XIX. *Submittendum judicium Deo & fidei.* Certamini sese paullò pòst Romani miscuêre, hi cum Stoicis errantes, isti cum Academicis, alii cum Stagiritis: insigne omnes ostentum infirmitatis humanæ. Clarissimum Latinæ porticûs & philosophiæ lumen Seneca, quantum in passionum nostrarum descriptione somniârit, non crederem, nisi ipse legissem; risissemque, tot in nobis animalia vivere suspicantem, quot habemus passiones. In hac judicii vanitate, mentis angustiis, intelligentiæ cæcitate, tu tibi ita credesipse, ut explodas, quidquid non capis? *Si teipsum, ô homo*, inquit D. Max. hom. 1. in Nativ. Domini, *& quæ propter te facta sunt, qualiter aut unde facta sunt, comprehendere non vales, quâ præsumptione, quâve stultitiâ, tuum ipsius & omnium discutis creatorem?* Demus hoc Deo, ut humiliemur sub potenti manu ipsius, & pro certo habeamus, posse ipsum facere, quod non possumus intelligere, sed debemus credere. Marci 4. discipuli *dimittentes turbam, assumunt eum*, Christum, *prout erat in navi.* Qui Christianè vivere volunt, Christum assumant, Christi doctrinam accipiant prout est in navi Petri, in Ecclesia Apostolica, in congregatione Justorum & Sanctorum. *Dediscant benè, quod didicerant non benè, & ex toto Ecclesiæ dogmate, quod intellectu potest capi, capiant, quod non potest, credant*, inquit Vinc. Lirin.

XX. *Superba voluntas fidei resistit.* Satis non fuerit, ad infidelitatis caussas amputandas, contudisse superbiam intellectûs: nisi etiam dometur superbia voluntatis. Hac enim non pauci, quemadmodùm illâ, periêre, spretâ Christianæ religionis humilitate. De Pharisæis certè Christus Ioann. 5. *Quomodò*, inquit, *vos potestis credere, qui gloriam abinvicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* Eumdem philosophis Platonicis obicem fidei demonstrabat Aug. l. 10. de Civ. c. 29. *Quid caussa est, cur propter opiniones vestras, quas vos ipsi oppugnatis, Christiani esse nolitis, nisi quia Christus humilis venit, & vos superbi estis... Iterum dico, Christus est humilis, vos superbi.*

XXI. *Hæreticorum arrogantia triplex.* Dedignabantur Christianam religionem philosophorum quidam, ob auctoris crucifixi humilitatem: & medicum respuebant, quia in veste obsoleta venerat. Alii societatem rudium, ignobilium, pœnitentium, quorum nullos Ecclesia rejicit, aspernabantur: malebantque errare cum paucis, quàm cum multitudine iter tenere. Nonnullos elocutionis, quâ Christianæ literæ utuntur, tædebat, nec placebat, præsens licèt, medicamentum, quia in ligneo scypho propinabatur. Eodem modo hæreticorum aliqui, vel Summo Pontifici, quia, itidem ut ipsi, homo erat, subesse recusârunt, præsidemque sibi spiritum privatum affingere maluerunt: vel Catholicorum multorum imperitiam, præ suorum ingeniis, ac studiis, contempserunt: vel Doctorum nostrorum rudem, ac scabram plerumque impolitioribus istis sæculis, elocutionem irriserunt.

XXII. *Pudoris & sermonum metusque fecit dam in hæresi retinet.* Denique quosdam in errore tenuit metus amittendæ dignitatis, si resipiscerent; aut incurrendi dedecoris, apud suos, præbendæque sermonum materiæ, si mutarent in melius. Tales ævo suo vidit Vincentius Lirin. & lib. con. prof. hær. nov. sub medium, cum paleis contulit, jam quidem excussis, at nondum avolantibus. *Alii tantummodò excussi & perire metuunt, & redire erubescunt, saucii, seminecei, semivivi: quippe, qui tantam veneni hauserint quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur, nec mori cogat, nec vivere sinat*: vivente adhuc intelligentiâ & affectu veritatis, sed mortem afferente metu pudoris, quia redire erubescunt; perituri denique, nisi male sanam erubescentiam excutiant. Sic hodie apud hæreticos manent eorum non pauci, qui à nobis defecêre; redire erubescunt, sermones timent, inconstantiæ labem verentur, quasi inconstantiæ sit mutare in melius. B. Franciscum Salesium Episcopum Genevensem narrant, mentito nobilis habitu Genevæ Theodorum Bezam convenisse, ac primùm, dubitantis & quærentis modo, petiisse: Ecquid ipsi suaderet, perseverare in religione Catholica, an ad Genevenses transire? Bezam respondisse, maneret potiùs in Catholica, ibi securiùs victurum, ac moriturum. Tunc Episcopum, positâ personâ, quis esset professum, ursisse, ut, quod alteri consilium dedisset, ipse amplecteretur. Bezam rationibus omnibus nihil opposuisse, quàm frigidum istud; Quid enim de me sermonum apud meos erit, si mutem?

SECTIO QUARTA.

Infidelitatis remedia.

I. Medela hæreseon ex Deo, & ex hominibus.

A Deo remedia infidelitatis erunt, gratiæ potentes, illustrationes intellectûs, impulsus voluntatis. Ab hæreticis ipsis malorum suorum medicamen erit, amotio caussarum: ut luxuriam restringant, avaritiam comprimant, superbiam edoment, prout istis quisque vitiis ad hæresin trahitur, aut in illa defixus manet. Ex nobis curatio illorum juvari poterit, post assiduas ad Deum preces, sermonibus publicis, aut privatis; scriptionibus item privatis, aut publicis. Earum quia ratio apud alios alia est, quid mihi utilius ac compendiosius videatur, exponam; tum ex iis, quæ ipse expertus sum; tum ex iis, quæ alii experientiâ didicêre, & docuête.

II. Sermones de controversiis fidei ubique utiles.

Sermonum publicorum ad hæreticos duo sunt genera, conciones, & disputationes. Illas in regionibus hæresi afflatis, aut vicinis, utillimè frequentant Ecclesiastæ. Quin etiam Proleg. ad l. 1. sect. 5. num. 1. optabile nobis videbatur, ut apud populos, novis erroribus intactos, de controversiis Fidei sermones fierent: utiliores longè fore, quàm distentas, & follicantes, inani verborum, aut conceptiuncularum vento, conciones. Ut enim errores illic non serpant; at ignorantiam, ipsorummet confessione, latè regnare, quam utique docendis mysteriis Fidei depellere oporteat. Quamquam apud istos, sic fidei mysteria contra Infideles stabilienda sunt, ut Infidelium argumenta omnia exponere necesse non sit. Quorsum enim exponere, quæ numquam audierint, nec forsan audituri sint?

III. Apud nos accuratè & ex integro tractandæ.

Apud nos autem quia Infideles Fidelibus sæpè incurrunt, & hæretici, Catholicis permisti, plerumque conciones nostras excipiunt: Controversiæ sic videntur tractandæ, ut difficultatis nihil, quod objici possit, dissimuletur. Alioqui, ex eo silentio, hæretici occasionem consuetæ calumniæ acciperent: quod apud nos res fidei, sicut malæ merces à subdolis mercatoribus, plebi non proponantur ex toto & clarâ luce; nihilque concionatores nostros habere nisi verba & rostrum, uti non pridem Sedanensis Minister, audito celebri concionatore Leodii, dixisse fertur, magis convenienter ipsius nomini, & ingenio suo, quàm veritati. Imò periculum esset, ne tali dissimulatione Catholicis daretur ansa suspicandi, vim tantam esse adversariorum telis, ut declinare illa, quàm excipere ac retundere mallemus; cùm tamen concionator debeat paratus esse, *ad reddendam rationem omni poscenti*, ut Paullus monebat; & *efficax*, ex Stephani tertii monito, *in omni responso & assertione adversariorum Ecclesiæ Dei.*

IV. Prudenter proponenda adversariorum argumenta.

Quamquam, in ejusmodi expositionibus, tanta prudentia & moderatio adhibenda est, quantam postulat à Concionatoribus Societatis nostræ regula 19. cæteris Ecclesiastis meritò prælegenda, & commendanda: *Cùm quæstio aliqua earum, quæ ad fidem aut mores pertinent, modo aliquo tractanda erit, non ita exactè proponantur argumenta, nisi auditorium id postulet, ut simpliciores ipso proponendi modo offendi possint.* Audivi olim Parisiis Ecclesiasten quempiam, de controversiis contra Politicos, Epicuræos, Dubitantes, Libertinos dicentem: sed argumentis illorum propositis respondentem adeò languidè, & inefficaciter, ut non temerè quidam suspicarentur caussæ divinæ prævaricatorem. Auditorum enim nullus ab ejus sermocinatione redibat in fide stabilior, debiliores exibant nonnulli.

V. Quo potissimum modo.

Commodissimum putaverim, argumenta primùm adversariorum exponere, si quæ sunt: deinde, illis efficaciter solutis, disputationem claudere validâ quapiam ad fulciendam fidem auctoritate, vel ratiocinatione Theologicâ. Sic facere solitus memoriâ nostrâ Parisiis in D. Mederici templo, Rhemensis Archiepiscopus, homo exquisitæ doctrinæ, elocutionis protritæ, & peregrinum Anglum sonantis. Audiebatur tamen concione densissimâ, partemque primam ponebat in edisserendis Calvini argumentis, dein objecta omnia dilucidè ad populi captum, & solidissimè ad doctiorum admirationem, confutabat: post solennem istam transitionem, En te M. Joannes alto admodùm loco, sed mox saxo descendas. Quam transitionem cùm aliquando audisset artifex tegularum, cui nomen erat M. Joannes, in scalas ad templi parietem surrectas enisus, ad commodiùs videndum & audiendum concionatorem celeberrimum, ratus se verbis istis peti, illicò de scalis desiliit, & fugâ de templo sese proripuit, cùm leni

leni adſtantium riſu, ex quorum uno, Leodienſi cive, id accepi. Cæterùm tum Leodienſis iſte, tum alii, ſeu indigenæ, ſeu externi, plurimùm ſeſe fructûs, ex tali controverſiarum tractatione, percepiſſe teſtantur.

VI. Controverſiæ ſemper claudendæ ad mores.

Ut duplex fructus in auditorum animis exiſtat, fidei ſimul confirmatio, & morum emendatio: curet concionator, ne ſine aliqua utili, pro fugiendis vitiis exercendíſve virtutibus, monitione auditor dimittatur. Facilè eam fuerit è re nata, pro materiæ tractatæ argumento, invenire. Exemplum ſit in eo, quod ſectione proximè præcedente attulimus, de cauſſis hæreſeos & infidelitatis. Cùm, prout habentur, ediſſerueris, & in ſummam collegeris: dic, eaſdem cauſſas eſſe, cur infideles non credant, & cur Fideles fidem non excitent ac ſequantur, vitamque Infidelium vivant. Omne quod in mundo vitioſo eſt, provenit ab altero trium, à concupiſcentia carnis, vel oculorum, aut ex ſuperbia. Jacobus de Paradiſo Carthuſianus lib. de pecc. mentalibus, narrat, oranti cuipiam, viſum ſocium paullò ante vitâ functum, & tertiò repetiiſſe: *Nemo credit; Nemo credit, Nemo credit.* Rogatum ab illo, ecquid non crederetur, reſpondiſſe *Nemo credit, quàm diſtrictè Deus nos iudicet, quàm ſeverè puniat.* Concupiſcentia claudit oculos, & avertit ſenſum, ne Catholici recordentur judiciorum juſtorum. Credit'ne luxurioſus decoctor? Credit'ne avarus raptor? Superbia, intellectum & voluntatem inflans, facit, ut Pater, Dominus cæli & terræ, abſcondat à ſapientibus, & prudentibus, quæ revelantur parvulis. Itaque ſurgunt indocti atque ignobiles, & cœlum rapiunt: docti autem & alti ſpiritus, ecce ubi voluntatur in carne & ſanguine.

VII. Publicæ diſputationes cum hæreticis an ſuadendæ?

Alterum ſermonum publicorum cum hæreticis genus, ſunt diſputationes ex condicto, vel coram multitudine, vel coram delectis. Talem cum Paſcentio Ariano habuit Auguſtinus, & ſæpiùs cum Donatiſtis. Talem Cajetanus cum Luthero, Lainius noſter cum Beza, alii cum aliis, fructu plerumque perexiguo, aut nullo. Nec verò iſtiuſmodi concertationes conſultum eſt admittere, niſi ubi periculum eſſet, ne Catholici, detrectationem malè interpretati, à fide deficerent. Extra id periculum, vix video quid honoris, aut utilitatis, ex certamine ſperari poſſit. Neque enim honorificum eſt veritati, ac religioni, cum falſitate, & ſuperſtitione committi, idque coram arbitris, quaſi de ea dubitetur. Neque utile eſt, cum pertinacibus contendere, qui non modò victos ſeſe non fatebuntur, ſed victoriam vel mendaciis fingent, vel cavillis eludent: falſitatem comitante plerumque ſcurrilitate, & impudentiâ, ut in Luthero ſpectatum eſt.

VIII Cur D. Auguſtinus diſputârit: jam id paſſim non expediat?

Ergo D. Auguſtini exemplum damnemus? Neutiquam: aliis enim id fecit rebus, ac temporibus. Vir omni literaturâ excultus, ſummæ auctoritatis, Cæſarum aut Comitum poteſtate armatus, in conſeſſu favente, cum longè imparibus doctrinâ & ingenio, favoreque, potentiâ & auctoritate deſtitutis, congrediebatur. Ut mirum ſit, adverſarios Paſcentium, Emeritum, alióſve, quorum interrogata & reſponſa vix ſine riſu legere poſſumus, coram illo vel hiſcere auſos, vel ſtare. At modò cum adverſariis plerumque diſceptandum eſt, inani philoſophiâ inſtructis, literarum apparatu munitis, linguarum peritiâ fretis: qui paribus armis, in impare licet cauſſa, cum doctioribus noſtrorum certare audeant: qui fucum apud indoctiores loquendo faciant, &, niſi judices benè oculati ſint, palmam in ambiguo reliquiſſe videantur: qui Theologos quoſdam noſtros, ſacris interdum linguis non uſquequaque eruditos, verbis Hebraicis aut Græcis irretiant, & ludificentur, ut Cajetanum Lutherus.

IX. Caritas in congreſſu cum hæreticis ſervanda.

Auguſtinum ipſum credo, ſi cum talibus concurrendum fuiſſet, non de facili ad publicas diſceptationes fuiſſe venturum: ne veritas apud multitudinem, verborum ac jocorum magis, quàm rerum avidam & attentam, malè acciperetur. Itaque cum Juliano Pelagiano, aliiſque iſtiuſmodi, ſcripto diſputare maluit: ubi fucis & ludis effugere non licet; oculique, non aures, ſunt judices; & conſideratè leguntur argumenta, non tumultuariè auſcultantur. Si tamen aliquando palàm concertandum erit, caveat Catholicus quantum poteſt, etiam provocatus, ab acerbitate verborum, memineritque eumdem eſſe ſpiritum veritatis, & caritatis. Quod item in concionibus ejus generis ſervandum eſt, in privatis itidem colloquiis, & ſcriptionibus. Publicæ ſcriptiones interdum plus aliquid ſalis & acrimoniæ admittunt, quia errores magis petere ſolent, quàm homines: eâ tamen moderatione, ut veritati fraus non fiat, nec dicatur armis ſeſe falſitatis defendere, cujus manifeſtum indicium ſunt contumeliæ & convitia, ut cuidam olim Zelando Miniſtello, ſcriptis privatis probroſè in religionem Catholicam invecto, reſpondi.

X. Quo temperamento adhiberi aliquando poſſit acerbitas verborum?

Si quando tamen adverſariorum quorumdam petulans arrogantia frangenda videbitur, & reſpondendum ſtulto ſecundùm ſtultitiam ſuam; ita temperanda verba erunt,

ut gravitatis plùs habeant, quàm mordacitatis, & ex solo defendendi studio, non ex offendendi affectu, proficiscantur. Sic aliquando cum impudentia Pharisæorum egit mansuetudo & modestia Christi; à cujus exemplo non discedere conatus sum, quotiescumque cum adversariis concertare contigit. Æstate anni quinquagesimi tertii Spadam evocatus ad conciones aliquas de controversiis habendas, attentâ Calvinianorum, æquè ut Catholicorum, coronâ audiebar, citra ullius offensam. Placuit tamen illorum quibusdam, audiendo non contentis, mecum disceptare coram arbitris; quod in eo articulo recusare non debui. Argumentum sumpsère de reali Christi præsentia in Sacramento altaris: uti postmodum Excursu ad c. 2. sect. 1. num. 15. narrabimus.

XI. Sermones privati sæpenumerò fructuosi.

Post paucos dies venit Spadâ visum ad me juvenis quidam, de gradu nescio quo Ministrorum, doctus sanè pro sectæ ratione, & civilis. Stuarto nomen erat, ascititium, ut reor, gentilitium ipsi aiebant. Induxi in bibliothecam nostram, mox ipse manus ad Scripturam sacram: quâ apertâ, incidimus in illud Ecclesiastæ. *Nescit homo, an odio, an amore dignus sit*, indeque occasionem habuimus disputatiunculæ de certitudine salutis. Cùm ipse effugere conaretur ex textu Græco, idemque de Paulli incertitudine vellet: ostendi me pauxillum Græcè divinare. Illico digressus ipse ad alia: ego hominem urgere nolui, & dimisi cum voto, ut Salmasio fælicior foret: mihi enim narrârat hujus miserandam mortem ex rabida febri, linguâ commanducatâ. Vix abierat annus, quando significatum est, etiam istum mortuum: nihil de mortis genere. Dolui non id mihi cum illo, quod alibi cum aliis, Deo dante, evenerat, ut privato & amico colloquio veritatem dispicere, & diligere inciperet. Plus enim multò disputationibus ejusmodi plerumque proficitur, quando ad utrumque sermo est, quàm concionibus ad plebem, ubi multorum judiciis satisfieri oportet: aut disputationibus publicis, ubi non rarò, quod Publius dicebat, *Nimium altercando veritas amittitur.* Sed vel ipse tunc ad sermones meos, & Dei voces, obsurduerat: vel ego non satis aptè sonum Dei tangentis, expressi, adeoque nihil effeci.

XII. Amicæ itidem literæ.

Privatæ scriptiones, quia colloquiorum vicem implent, fructum itidem aliquando non imparem sortiuntur. Certè pluris eas multò, quàm disputationes publicas fecerim. In his enim ex agitatione certaminis, motuque ingeniorum, & affectuum, *nubilo quodam veritas obumbratur*, ut Tertullianus lib. adversùs Judæos dicebat, de disputatione Christianum inter & Judæum. In illis clariùs & consideratiùs res exponuntur & perpenduntur, & quieta mens sepositis inter legendum faciliùs, quàm inter disputandum, studiis partium, *verum non vincendi, sed inveniendi gratiâ, quærit*: uti Augustinus Manichæis commendabat lib. de ipsorum moribus cap. 3. De urbe Abela dicitur per prosopopeiam lib. 2. Reg. cap. 2. *Nonnè ego respondeo veritatem in Israël?* Septua. & Cald. habent, *Nonne ego sum pacifica & firma in Israël?* Nempe veritas in pace est, & pax in veritate: quietumque, ac firmum studium, postulat rerum divinarum cognitio, neque oracula cælestia respondent nisi tranquille quærentibus.

XIII. Substitutæ disputationibus.

Eas ob caussas importunè evocatus aliquando Trajectum ab iis, quibuscum mihi antè concertatio fuerat; aliàs Spadam excitus ad disputationem, aut colloquium, cum Megalopolitani Ducis domestico: cùm neque illuc navigare ullo modo negotia finerent, neque huc valetudo, obtuli utrisque disputationis aut colloquii vice scriptiones privatas, offeroque etiamnum. Superstites enim illorum, in tantillo intervallo, aliquos esse vix dubitem. Recognoscet Serenissimi Ducis Megalopolitani Eleëmosynarius literarum mearum ad se particulam, datarum 20. Julii 1658. ubi post indicatam vexationem itineris æstivi, quæ me afflixerat, & progredi non patiebatur, hæc dico.

XIV. Provocatio ad literarû amicum & & utile certamen.

Substituamus itaque, si videbitur, sermoni literas, quas mihi grave numquam fuerit scribere ad virum doctum & civilem, domesticúmque Principis; cujus humanitas valdè apud nos deprædicatur. Utinam tales eò redeant aliquando, unde à proavis ipsorum secessio facta est. Patent brachia caritatis, ut redintegretur vinculum unitatis. Serenissimus Princeps vester, cui optima omnia voveo à summo largitore bonorum, dignetur peramantem à me salutem cum obsequiorum meorum demississima oblatione accipere: & Dominatio Vestra, etsi in religionis discordia, me inter suos amicos numeret. Arendius vocabatur is, ad quem scribebam, eruditus admodùm inter suos, id est inter Lutheranos. Perlectis meis, vigilanter advertit, capitalem à me controversiam peti de secessione per Lutherum factâ, & vinculo unitatis disrupto. Itaque post paucos dies non paucis respondit. Lutherum à Romana Ecclesia non secessisse, quæ utique particularis simul & universalis esse nequeat: deinde, ut ab illa secesserit, utique id fecisse ob doctrinam illius multipliciter corruptam.

XV. Proponitur materia literariæ concertationis.

Rescripsi: eamdem Romanam Ecclesiam respectu diverso particularem esse, & universalem

versalem; particularem, respectu civitatis & diœceseos Romanæ; universalem, respectu orbis universi, cujus caput sit. Consimile aliquid esse in Alexandrina & Antiochena Ecclesiis, hinc Episcopalibus, inde Patriarchalibus. Sic olim Pontifex Judæorum præsidebat Hierosolymitanæ synagogæ, & cæteris simul præerat. Ita Dux Megalopolitanus toti regioni suæ universim dominatur; nihilque interim prohibet, quin singularem in aliquos vicos dominatum exerceat; horum utilis simul ac directus dominus; illius directus tantummodò. Ad aliud responsi caput, de corrupta Ecclesiæ Romanæ doctrina, negavi quidquam apud nos de fide censeri, quod verissimum non sit, & Verbo Dei, traditionibusque Apostolicis non innixum. Sperare me futurum, ut in Commentariis ad libros Machabæorum ostenderem, quàm immeritò Purgatorium, cultum Sanctorum, aliaque id genus, quidam ipsorum sugillent. *Nos interim, omissis singularibus controversiis, capitalem illam prosequamur de unitate, ac veritate Ecclesiæ Romanæ; à qua si Lutherus divortium fecit, & schismaticus fuit, Lutheranos item schismaticos esse necesse est: uti Donatistas oportuit esse schismaticos, si Donatus schisma & secessionem fecit.*

XVI. Libri contra hæreticos quando & à quibus scribendi.

Age mi Arendi, age vir docte & amice; doctior future, si cum abavis sapias; amicior future, si religione vetustâ jungaris: age, inquam, modò, scribe, rescribe, nec privatim solùm, sed publicè, si lubet. Prodeunt nostra, videamus tua. Lubebit fortassis tuis conspectis aliquid addere ad nostra. Neque enim centies recantata, centies explosa offeres; sed nova quædam, aut saltem ita novitet, ut operæ aliquod pretium fuerit respondere. Prodeunt equidem in dies ab acatholicis libri: sed tales, ut responso dignandi non sint. Excucullati nuper transfugæ, ut veras defectionis suæ caussas obscurarent, prelis facessivêre negotium; & chartas, ineptis & millies confutatis objectiunculis fœdatas, protrusêre in publicum. Illis viri quipiam docti responsum paravêre, meliùs contempturi, ut leo allatrantes caniculas, irâ & congressu nobilis animalis indignas. Advertat prætereà controversiarum Scriptor, hoc ævo valdè literato, id sibi munus sumere neminem debere, qui à doctis linguis benè instructus non sit, ne sese ludificandum præbeat, & meliorem caussam dehonestet. Quemadmodùm nuper accidisse scimus viro inter suos docto, sed rupici & elocutionis saxeæ, magnâ altercandi & scribendi prurigine laboranti: prorsùs ut inter catholicos rixandi caussas inveniret, aut faceret, quando cum acatholicis deerant.

XVII. Professio veræ & unicæ Fidei.

Ad extremum de me hîc profitebor, si quid professio mea, & contestatio momenti habere potest: Lectos à me libros Infidelium generis cujuslibet, Atheorum seu Libertinorum, Mahumetanorum, Judæorum, Lutheranorum, Calvinianorum: inspectos fontes ipsos Lutheri & Calvini: disputatum privatim, ac publicè, verbis & scriptis. Inter hæc, si quam uspiam Catholicâ religione meliorem viam invenissem, proculdubio amplecterer. Sed nihil apud ullos istorum vidi præter turpitudines, & errores; ut de omnibus generatim pronunciari possit, quod de Concordia Lutheranica Smidelini cantatum:

R. habet Ausonium Liber hic, R. habetq́, Pelasgum.
R. habet Hebræum, prætereaq́, nihil.

Adeoque quamvis alibi natus, aliterque educatus & edoctus forem, mutare tamen me, & ad Catholicam religionem transire oporteret; ne lumini rebellarem, obluctarerque agnitæ veritati. *Conserva oro*, ô Deus, verbis S. Hilarii l. 2. de Trin. in fine. *hanc fidei meæ incontaminatam religionem, ut quod in regenerationis meæ symbolo baptizatus, in Patre & Filio & Spiritu Sancto professus sum, semper obtineam.* Conserva mihi Pater misericordiarum, donum Fidei electum, quod natus & renascens accepi, quod educatione, conversatione, studio excolui. Conserva Catholicis auditoribus & lectoribus meis, & omnibus universim Fidelibus: da Infidelibus, quos omnes opto, similes mei esse; exceptis vinculis his Societatis tuæ, quæ amplector & deosculor.

SYNOPSIS HISTORICA LIBRI HVIVS,

Indicatis, quæ ex priore libro supplenda sunt, ac repetenda ex totius historiæ serie illi præfixâ.

I. PROPONIT Hagiographus summatim, quæ libro toto de rebus per Iudam Machabæum & fratres gestis, Antiocho Epiphane & filio ejus Eupatore regnantibus; dicturus est; contracta in compendium, ex historia Iasonis Cyrenæi. Procemium hoc continetur alterâ parte capitis secundi à versu 20. usque ad finem.

II. Totum itaque caput primum,& pars prior capitis secundi, ubi recitatur epistola Hierosolymitarum Iudæorum ad Ægyptios, ad narrationis seriem non pertinet, eamque tempore consequitur. Quam ob rem, in serie historica libri prioris, epistolam istam contulimus ad Ioannis Hircani principatum numero 122. Possit tamen etiam haberi procemii instar ad librum secundum, ob similem scriptionis caussam: cùm aliò non spectet, quàm ad commendationem Hierosolymitani templi, & legitimorum sacrificiorum.

Turbarum Iudaicarum initia ab ambitione & avaritia.

III. PACATUM, Oniæ Pontificis sanctimoniâ, & Seleuci Philopatoris Asiæ Regis benevolentiâ, vel dissimulatione, Iudaicæ rei, tum sacræ, tum civilis, statum turbavêre ambitio, & avaritia. Simon Templi Præpositus, Oniæ non moribus magis quàm consiliis adversus; ad Apollonium Cœlesyriæ Præfectum proficiscitur, eique persuadet, locupletissimum esse Hierosolymitani templi ærarium; indeque magnam de facili accessionem fieri posse rationibus Regis. cap. 3. v. 1. usque ad 7.

IV. Seleucus, Heliodorum quæstorem suum Hierosolymam, cum mandatis de expilando ærario, mittit. Hic exceptus humaniter ab Onia, mandatum denuntiat, & ad illud vi urgendum, cum expedita militum turba, accingitur: spretis illius intercessionibus, & consternatione ac vociferatione civitatis universæ. cap. 3. v. 7. ad 23.

V. Heliodorus in ipso sacrilego molimine, per Angelum unum equitis specie assilientem perculsus, & per alios duos formâ juvenili ad latera adstantes ita multatus est, ut velut exanimis conciderit, efferrique per suos, debuerit. cap. 3. v. 23. ad 31.

VI. Onias sacrificium ad impetrandam sacrilego prædoni incolumitatem offert. Restitutus illicò menti & sanitati Heliodorus, Angelorum à quibus

quibus vapulârat monitu Oniæ gratias egit, & ad Regem reversus, Templi, quod spoliare tentaverat, sanctitatem deprædicavit. c. 3. à v. 31. usque ad finẽ.

VII. Simon, spe ineundæ apud Seleucum gratiæ frustratus, omne sacrilegæ istius molitionis odium apud Iudaicam plebem in Oniam devolvere conatur, cruentamque factionem Hierosolymis excitat. Simul ipsum apud Regem, Apollonio conspirante, criminatur. Istis conatibus obviàm iturus Onias, & sese apud Regem expurgaturus, opemque ipsius imploraturus ad reddendam Hierosolymis pacem, Antiochiam proficiscitur. cap. 4. v. 1. ad 7.

Has profectionis caussas, re totâ iterum atque iterum accuratè expensâ, malumus, quàm quæ allata est in serie totius historiæ numero 4.

Earumdem turbarum incrementa indidem.

VIII. SELEUCO Rege sublato, Iason, Oniæ frater, summum Pontificatum, ab Antiocho Nobili nundinatur, & obtinet. Mox gymnasium; & propudiosa lupanaria, Hierosolymis aperit, moresque ac ritus peregrinos, & sacrilegos, paganicæ superstitionis invehit. cap. 4. v. 7 ad 18.

IX. Eò tamdem impietatis prolapsus est, ut Antiocho, Tyri quinquennales ludos celebranti, pecuniam submiserit, in Herculis sacrificia impendendam. Sed, qui eam deportaverant, impetravêre, ut in alios usus verteretur. c. 4 v. 18. 19. 20.

X. Antiochus, Apollonio Mnesthei filio in Ægyptum misso, prætentandis animis, & rebus novandis: Ioppen venit, inde Hierosolymam, ubi ab Iasone summis honoribus affectus, in Phœnicen copias reducit. c. 4. v. 21. 22.

Inferenda hic est expeditio Antiochi in Ægyptum ex lib. 1. c. 1. v. 17. seriei numero 8.

XI. Post triennium, Iason Menelaum cum pecunia & mandatis ad illum ablegat. At hic summam ampliorem pro coëmendo Pontificatu pollicitus, Iasonem exauctorat, apud Ammonitas salutem quærere coactum. cap. 4. v 23. 24. 25.

XII. Menelaüs, pollicitis quàm re ditior, promissam pecuniam in Sostrati Hierosolymitanæ arcis Præfecti manus deponere cunctatus, ab Rege accitur, & Pontificatu deturbatur; suffecto fratre Lysimacho. c. 4. v. 27. 28. 29.

XIII. Antiocho componendis Tharsensium & Mallotarum motibus absente, Menelaüs Andronicum, Antiochenum Præfectum, donis de templo Hierosolymitano surreptis, sibi demeretur, impellitque, ut Oniam interimat. c. 4. v. 30. ad 35.

XIV. Andronicus tanti facinoris odio cunctis execrandus, apud Antiochum reducem accusatur; damnatusque, eodem, quo Oniam interficiendum curârat, loco mactatur. c. 4. v. 35. ad 39.

XV. Lysimachum interim sacrilegiis infamem, rettorique circumferendo armatos circumducentem, Hierosolymitæ opprimunt, & occidunt. c. 4. v. 39. 40. 41. 42.

XVI. Menelaüs, malorum incentor, Tyri apud Regem per tres Iudæorum delegatos accusatur. Sed corrupto promissis Ptolemæo Regio ministro, & per hunc Rege, absolvitur, & pristino gradui restituitur, morti addictis accusatoribus, velut calumniæ reis. c. 4 à v. 43. ad finem.

XVII. Antiocho Epiphane in alterius adversus Ægyptios expeditionis apparatum intento, spectantur dies quadraginta totos Hierosolymis in aëre equitum armatorum turmæ, & galeatorum cohortes, ac cunei, inter se, velut justo prælio, commissi ac collisi. c. 5. v. 1 2. 3 4.

XVIII. Iason, falsis de Antiochi morte rumoribus in spem recuperandæ dignitatis erectus, Hierosolymam occupat: sed Menelao in arcem refugiente, de obtinendo Pontificatu desperans, ad Ammonitas revertitur: inde, persequente Arabum Principe, in Ægyptum profugere coactus, tum Lacedæmona; ubi impiæ vitæ finem invênit. c. 5. v. 5. ad 11.

Iudaicæ rei ab Antiocho pernicies.

XIX. REGRESSUS ab irrita in Ægyptum expeditione Antiochus, Iudæosque novandis rebus studere suspicatus, Hierosolymam ducit, & vi occupatam implet promiscuâ strage. Templum etiam, suasore & duce Menelao, profanat ac deprædatur. cap. 5. v. 11. usque ad 21.

XX. Civitatis ac Templi spoliis onustus, fastuque inflatus, Antiochiam regreditur: relicto Hierosolymis, ad miseras civium reliquias atterendas, Philippo, in Samaria Andronico ac Menelao. c. 5. v. 21. 22. 23.

XXI. Istis strenuè sæva mandata urgentibus, nondum tamen cædium satur, Apollonium, cum numerosis copiis, postmodùm Hierosolymam misit: qui, pacato agmine Hierosolymam ingressus, civibus improvisus irruit, ingentemque multitudinem cecîdit. cap 5. v. 24. 25. 26.

XXII. Inter hæc Iudas Machabæus, paucis comitibus, in aviam sese solitudinem receperat, herbisque vitam tolerabat, ne tot calamitatum ac facinorum spectaculo, aut consortio, vel mentem contaminaret, vel oculos funestaret. cap. 5. v. ultimo.

Quædam gestorum ab Apollonio supplenda sunt ex lib. 1. c. 1. seriei. num. 18. Interserenda etiam hîc, quæ eodem libri prioris capite habentur de arce extructa, seu munitâ, vexatisque inde Judæis, seriei num. 20.

XXIII, Senex quidam Antiochenus ab Epiphane in Iudæam mittitur, qui Iudæos ad avitam religionem ejurandam adigat, templaque Hierosolymitanum & Garizitanum Iovis nomini impiè dedicet. Polluitur illud omni sacrilegiorum genere. c. 6. v. 1. ad 8.

XXIV. Ferale, de cogendis ubique ad impia deorum sacra Iudæis, edictum per finitimas alienigenarum civitates circumfertur. Binæ fœminæ, ob circumcisam prolem, infantibus ad ubera suspensis circumductæ, præcipitio luunt. Cremantur quidam, intra speluncarum abditos recessus, ubi sabbathum clam religiosè agebant. cap. 6. v. 8. usque ad 18.

XXV. Eleazarus nonagenarius senex, de Scribarum primoribus, urgetur ad carnium suillarum esum, aut saltem esûs simulationem: sed sacrilegum obsequium ac ludibrium pariter execratus, distenditur, ac fustuario contusus generosum spiritum exhalat. cap. 6. à v. 18. ad finem.

XXVI. Iudæa matrona, & septeni ejus filii, Antiocho sistuntur, flagrisq; ad vescendum porcinâ compelluntur. Fortiter omnes renuêre, sævissimamque necem ordine, à maximo ad minimum, subière Capite 7. toto.

Repetenda hîc sunt non pauca ex lib. 1. c. 1. de emissariis Antiochi, & ex c. 2. de Mathathiæ gestis. Vide seriem à num. 21. usque ad 31.

Iudaicæ rei per Machabæum restitutio.

XXVII. IUDAS Machabæus, collecto senûm millium exercitu, imploratoque Dei subsidio, subitis frequentibusque incursionibus, nocturnis præsertim, latè terrorem circumfert. c. 8. v. 1. usque ad 8.

Inserenda

Inserenda hoc loco Judæ cum Apollonio, & Serone prælia, Antiochi exacerbatio & profectio Babylonica ad conficiendam pecuniam, Lysiæ ministri Regii ad Judaicum bellum consilia & apparatus. lib. prioris cap. 3. seriei num. 32. usque ad alteram partem tricesimi quinti.

XXVIII. Philippus, arcis Hierosolymitanæ Præfectus, Ptolemæum, Cœlesyriæ Præfectum, urget ad occurrendum continuatis Machabæi, famâ in dies animoque ac sociorum numero crescentis, progressibus. Ab hoc mittitur Nicanor, Gorgia comite, cum armatorum millibus viginti; tam stolidâ victoriæ fiduciâ, ut prædam, sibi ad tributum Romanis pendendum sufficcturam, ex mancipiorum Iudaicorum venditione sponderet; &, ad illorum mangoniam constituto pretio, negotiatores maritimarum urbium evocaret. c. 8. v. 8. 9. 10. 11.

XXIX. Iudas, prætentandis suorum animis, adventum & apparatum Nicanoris indicat. Territis ac diffugientibus nonnullis, aliis ad Deum precandum versis, intrepidus Iudas septem millium manum, in hostem ducit. Cæsa eo prælio Syro-græcorum millia novem, cæteri maximam partem vulnerati: impedimenta, & pecunia victoribus cessêre. c. 8. à v. 10. ad 26.

XXX. Fugientibus instare diutiùs visum non est, ob imminentis Sabbathi reverentiam: quo, post collecta arma hostilia, per sacram quietem ac Dei laudes exacto, pars spoliorum in egenos divisa est. c. 8. v. 26. 27. 28. 29.

Consecuta Nicanoris & Gorgiæ clades altera narratur lib. prioris cap. 3. v. 40. usque ad finem, & priore parte capitis 4. seriei numero 37. & 38.

XXXI. Mox adversùs Timotheum & Bacchidem itum, interemptâque vicena facilè hominum millia, & captæ de hostibus munitiones non paucæ, prædæque pars pauperibus erogata. Arma iis præliis capta, idoneis locis reposita sunt, spolia reliqua Hierosolymam comportata; ibique Philarches juratus Iudæorum hostis occisus, & Callisthenes in pœnam incensarum Templi januarum exustus. c. 8. v. 30. 31. 32. 33.

XXXII. Nicanor inglorius, & incomitatus, mediterraneo itinere, maritimarum urbium ludibria veritus, Antiochiam revertitur: passim deprædicans, Iudæos divinâ religione ac tutela invictos esse. c. 8. v. penul. & postremo.

Interponenda hoc loco victoria Machabæi de Lysia ex lib. 1. c. 4. v. 28. & seriei num. 40.

XXXIII. Machabæus, continuato victoriarum cursu consternatis adversariis, Hierosolymam cum suis venit, Templum emundat, ipsoque anniversario die, quò à Gentilibus impiatum fuerat, sacrificia offert, & dies octo Encænia, ad ritum festi Tabernaculorum, celebrat: tum unanimi omnium sententiâ decernit, agenda quotannis à Iudæis ubivis terrarum. c. 10. v. 1. ad 9.

Mors Antiochi Epiphanis, per anticipationem narrata cap. nono, postponenda est emundationi Templi: ut ipse hujus libri scriptor satis indicat v. 9. cap 16. Quæ autem ad templum mundatum, munimentaque à Machabeo excitata, pertinent, habes lib 1. c. 4. à v. 36. ad finem, seriei num. 41.

XXXIV. Antiochus Epiphanes Persepolitanum templum deprædari, civitatemq; opprimere conatus, in turpem fugam avertitur, & in itinere audit de Nicanore ac Timotheo à Iudæis cæso. Acerbitate inexspectati nuntii exulceratus & ad vindictam ardens, dum properari jubet, in ipsis adversùs Iudæos minacibus verbis, divinitus diro viscerum cruciatu percussus, tum de curru effusus, cùm succussionem ampliùs pati nequiret, in sella gestatoria defertur. Deinde per continua dolorum incrementa, computrescente, & vermibus scaturiente corpore, sibi suisque intolerandus, altos tamdem spiritus submittit. c. 9. v. 1. usque ad 18.

XXXV. Ad extremum, crescente in momenta cruciatu, sanitate ac vitâ desperatâ, & Iudæis fide erga filium suum per amicas ac supplices literas commendatâ, conveniente facinoribus exitu peregrè in montibus infamem spiritum evomuit. Cadaver revehebat in Syriam Philippus ejus collactaneus:

sed

ſed Eupatorem Antiochi filium veritus, ad Ægypti Regem divertit. c. 9. v. 18. ad finem, & c. 10. v. 9. 10. 11. 12. 13.

Quæ de nuntiis cladium Antiocho perlatis, de ejus morbo, ac morte, ſupplenda ſunt ex libro priore cap 6. vide ſeriei num. 43. 44. 45.

XXXVI. Gorgias Iudæos incurſionibus fatigat: hi, duce Machabæo, Idumæos invadunt, munitiones eorum occupant, occurrentes ac repugnantes variis locis trucidant, ad vicena facilè capitum millia: alios, qui ad benè magnas ac munitas turres confugerant, obſident. Urgendæ obſidionis curâ Simoni fratri, aliiſq; ducibus relictâ, Machabæus ad alias ſeſe expeditiones convertit. Sed audito evaſiſſe obſeſſorum nonnullos, corruptis obſidentium quibuſdam, properè reverſus, plexis proditoribus, munitiones expugnat, & plus viginti hominum millibus illic interimit. c. 10. v. 14. ad 24.

XXXVII. Timotheo in exitium Iudææ numeroſas copias trahenti, Iudas, invocato ſuppliciter Deo, Hieroſolymis obviàm progreditur. Prælio commiſſo, ancipitique victoria, apparuêre cælitus equites quinque, ipſis etiam hoſtibus conſpicui. Animis itaque & ordinibus turbatis, cæſi fugatique, ſupra millia viginti & unum interiêre. c. 10. v. 24. ad 32.

XXXVIII. Gazaram, præſidium munitum, elapſus Timotheus obſidetur. Quinto die, Iudæi, enitentibus in muros viginti promptioribus juvenum, præſidium irrumpunt, biduoque vaſtant: & Timotheum, fratremq; ejus Chæream, & Apollophanem trucidant. c. 10 à verſu 32. uſque ad finem

XXXIX. Lyſias, cùm peditum millibus octoginta, & Aſiatico exercitu univerſo, in viſcera Iudææ pervadit; Bethſuramque oppugnat. Machabæo, & ſuis, poſt ſolitas ad Deum orationes, Hieroſolymâ progreſſis, ac præeuntis cælitus equitis albati & haſtati ſpectaculo animatis, fuſus fugatus, ultro de pace Iudæos compellat. Scriptum eam in rem ad Iudæos à Lyſia, ab Eupatore ad Lyſiam ac Iudæos, à Iudæis ad Romanos. cap. 11. toto.

XL. Pactis firmatis, Lyſiáque ad Regem reverſo, Iudæi tantiſper agriculturam repetiêre: ſed quietis diu eſſe non licuit, turbantibus, qui in Iudæa manſerant, Syrorum ducibus. cap. 12. v. 1. 2.

Turbæ in Galaaditi & Galilæa concitatæ adversùs Judæos: deſignatæque pro illis tuendis expeditiones, relictis ad rempublicam curandam Joſepho & Azaria, habentur lib. 1. c. 5. ſeriei num. 53. 54. 55.

XLI. Ioppitæ Iudæos, cives ſuos, ad feſtivam navigationem, invitant, provectiſque in altum ſcaphis ducentos eorum demergunt. Machabæus de perfidis hominibus pœnas exigit, incenſo per noctem Ioppes portu, obtruncatiſque qui incendium evaſerant, & reliquis imminentis excidii terrore perculſis. Idem factum Iamnienſi portu. cap. 12. v. 3. ad 10.

XLII. Iamniâ in Timotheum citatis itineribus progredienti Arabes obſiſtunt, profligatique pacem poſtulant, & impetrant, amici utiles futuri. Auſi etiam reſiſtere urbis Caſphin miſcellanei incolæ, & probra jaculari, vi captâ urbe, tantâ ſtrage mactantur, ut vicini ſtagni aquæ ſanguis viderentur. cap. 12. à v. 10. ad 17.

Interſerenda hoc loco quæ lib. 1. c. 5. referuntur de geſtis à Simone in Galilæa, à Juda apud Nabuthæos & Galaaditas: de clade Joſephi & Azariæ: de reductis in interiora Judæis Galilæis. Vide ſeriem num. 59. 60. 61. 62. 63.

XLIII. Machabæus ad Tubianæos Iudæos, ut Timotheum aſſequeretur, profectus, copias diviſit. Pars Doſitheo & Soſipatri commiſſa, præſidium millium decem à Timotheo relictum delevit. Machabæus cum ſex millibus Timotheum aſſecutus, primo ſtatim conſpectu avertit in fugam. Cecidêre in lymphatico terrore, partim ſuis partim Iudæorum armis, facilè triginta millia. Timotheus profugus incurrit in Doſitheum ac Soſipatrem,

captusque

captúsque, promissâ liberatione captivorum multorum Iudæorum liber dimissus est. c. 12. à v. 17. ad 26.

XLIV. Post tam pronam victoriam, Iudas Carnion vi occupat; obtruncátque ad capitum millia viginti quinque: totidem Ephrone vi captâ periêre. Cum Scythopolitis benignè actum, quod apud ipsos Iudæi humaniter habiti. Inde sub Pentecostes festum Hierosolymam reditum est. c. 12. à v. 26. ad 32.

Supplenda quædam in expeditione adversùs Timotheum, expugnatione Carnii & Ephronis, reditu Hierosolymitano. Habentur lib. 1. c. 5. & seriei num. 64. usque ad 69.

XLV. Post Pentecosten motæ in Gorgiam copiæ, initóque certamine, captus per Dositheum Gorgias, auxilio Thracis equitis liberatus est, subduxítque se in Maresa. Ancipite interim victoriâ, Iudas ad orandum Deum conversus, sublatóque ingenti clamore, terrorem & fugam hostibus incussit. c. 12. v. 32. ad 38.

Pauca ex lib. 1. c. 5. v. 69. adduntur seriei numero 69.

XLVI. Sabbatho in Odolla spelunca, quò se Iudas cum suis post prælium receperat, exacto: reditur ad certaminis locum, & condenda sociorum corpora. Sub eorum vestibus deprehensa profana delubrorum Iamniensium donaria, caussam cædis aperuêre. Ab hoc itaque justitiæ divinæ documento, Iudas, monitis de legum accurata observatione cæteris collatitiam pecuniam ad Sacerdotes misit, ut sacrificia propitiando Manibus cæsorum Deo offerrentur c. 12. à v. 38. usque ad finem.

Inferenda hîc Judæ in Samaritas & Philistæos expeditio, arcisque Hierosolymitanæ obsidio ex l. 1. c. 5. v. 66. & 68. & c. 6. à v. 18. ad 32. seriei num. 71. 72.

XLVII. Eupator in Iudæam movet: Menelaúmque, qui sese illi spe recuperandi Pontificatûs adjunxerat, de Berœana turri præcipitandum curat in cineres. c. 13. à v. 1. ad 9.

XLVIII. Apparatu & adventu hostili cognito Iudas, Hierosolymâ cum copiis ad oppidum usque Modin procedit, & nocturnâ irruptione Syrorum castra perturbat. c. 13. à v. 9. ad 18.

XLIX. Rex clade cautior, promoto Hierosolymam versùs exercitu, Bethsuram obsidione vallat. Obsessis necessaria submittit Iudas, & Rhodocum quemdam, arcanorum suorum proditorem, comprehendit. Potitus tamen denique Bethsurâ Antiochus, paullò pòst aliquâ rursus clade afficitur: mox Philippi rebellione nuntiatâ, ultro Iudæ pacem honoréſque & præfecturas offert, Templo donaria; & stabilitâ amicitiâ Syriam repetit. Ægrum id fuit Ptolemaidensibus civibus, Iudæos exosis, & tumultuari parantibus; nisi Lysias pro concione caussas initæ pacis edissetuisset, animósque mitigasset. c. 13. à v. 18. usque ad finem.

Exercitûs Regii adversùs Judam dispositio, Eleazari facinus in elephante occidendo, obsidio munimentorum Templi, & alia nonnulla ex lib. priore c. 6. repetenda sunt, & ex seriei num. 74. ad 82.

L. Demetrius, Seleuci filius, Tripolin cum classe & copiis appulsus, Regium nomen sumit, & brevì multa Eupatori ac Lysiæ eripit. Eum Alcimus, in spem Pontificatûs erectus, sibi conciliat. c. 14. v. 1. ad 12.

Cùm hîc narretur altera Alcimi ad Demetrium profectio, inferenda est prior post Eupatoris mortem instituta: lib. 1. c. 7. parte priore: seriei numeris 82. usque ad 87.

LI. Missus à Demetrio Nicanor, Simonem Iudæ fratrem repentino adventu conterritum fugat: sed Iudam ipsum aggredi veritus, securamque pacem incerto bello præoptans, de ea ad ipsum mittit. c. 14 à v. 12. ad 21.

LII. Constituitur de die & loco colloquii: convenitur: pax aliquamdiu sincera servatur: Iudas Nicanoris consilio uxorem ducit. Alcimum inexpectata, & ambitioni suæ inimica concordia, ad tertiam profectionem impulit. c. 14. à v. 21. ad 27.

LIII. Ni-

LIII. Nicanor à Demetrio jubetur Iudam vinctum Antiochiæ sistere: sed Iuda, quod res erat, sagaciter subodorato, & clam cum paucis elapso, Templum ingressus, multa tum Templo ipsi, tum Sacerdotibus insanè comminatus est, ni Iudam traderent. c. 14. v. 27. ad 37.

Reditus Nicanoris cum copiis, iteratum cum Juda colloquium per speciem renovandæ pacis, clades ad Capharsalama, jactatæ rursus in Templum minæ, & repetitæ Sacerdotum orationes, habentur lib. priore c. 7. à v. 27. ad 39. seriei num. 91. 92.

LIV. Irrita spe Iudæ comprehendendi, vênit in mentem Nicanori, de Razia è primoribus Iudæorum capiendo. At hic, voluntariâ morte ludibria prævênit: adacto primùm in viscera mucrone, tum de muro in vicum desiliens, denique effluentia viscera in adstantes jaculatus, Deumque precatus, ut ea sibi in resurrectione redderet. c. 14. v. 37. ad finem.

Hæc precatio, & viri nobilitas ac virtus, ipseque narrationis textus, persuadens, singulari Dei impulsu facinus istud patratum.

LV. Nicanor Iudam sabbatho aggredi statuerat, Iudæis, qui sequebantur inviti, nequidquam de sacræ diei reverentia sacrorũ contemptorẽ monentibus. Sed irritus tunc quidem fuit pugnandi conatus. Iudas interim, divinæ opis fiduciâ erectus, suos animat, tum præteritorum memoriâ, tum narratione visi sibi per somnium Oniæ, pro Iudaico populo Deum orantis; & Ieremiæ, gladium aureum ad sternendos hostes porrigentis. c. 15. à v. 1. ad 17.

LVI. Excitatis omnium animis, venitur in hostium conspectum. Concurritur, tantâ Syrorum strage, ut minimùm triginta quinque millia perierint. Cæsus Nicanor ipse, cujus caput & brachium præcidenda curavit Iudas, & Hierosolymam deportanda; quò, gratias Deo acturi, victores revertebantur. Post ostenta Sacerdotibus, arcisque præsidiariis, trunca Nicanoris membra: lingua primùm concisa, & avibus carnivoris objecta est: dein caput, manusque suspensa, illud exadversùm arci, hæc Templo; contra quod cum sacrilegis minis protensa fuerat. Communi consilio anniversarius tantæ victoriæ dies festus decernitur. Ex eo die, Hierosolymitana civitas fuit in Iudæorum potestate: Sacerque hujus libri scriptor læto illo fine historiam claudit.

Exiguæ Judæ copiæ in hoc certamine, locus, & alia quædam repetenda sunt ex lib. prioris cap. 7. & ex seriei num. 94. Vnde etiam supplenda historiæ cætera.

COM-

COMMENTARII HISTORICI ET MORALES PERPETUI AD II. MACHABÆORUM LIBRUM

ADDITIS LIBERIORIBUS EXCURSIBUS

A R. P. Jo. Erardo Fullonio Leodiensi, Societatis Jesu Theologo.

LIBRI II. MACHABÆORUM.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTUM.

Continet literas Iudaeorum, Hierosolymis & in Palestina habitantium, ad Iudaeos in Ægypto commorantes; quibus, post suum erga illos affectum votis & orationibus testatum, monent, ut festum mensis Casleu celebrent, ad memoriam beneficiorum à Deo acceptorum. In his primo loco nominatur liberatio populi Iudaïci ab ingentibus calamitatibus, quæ illum Machabaeorum ævo oppresserant. Secundo, cædes Antiochi, qui post vexatam Iudæam in Persidem profectus, ibi in Naneæ templo, quod per speciem nuptiarum deprædatum venerat, lapidibus obrutus, membratimq́ dissectus est. Tertio, memoratur dies, quo Nehemias ignem de cælo accepit, ad purganda sacrificia. Cùm enim ignem sacrum Sacerdotes ante transmigrationem Babylonicam in puteo alto abscondissent: restitutis deinde in patriam Iudæis, Nehemias, sacrificia Deo oblaturus, jussit eum locum inspici, ut igne sacro victimæ cremarentur. Sed invento tantùm luto, non igne, lutum ipsum afferri jussit, eoq́ victimas & rogum aspergi. Mox ad Solis radios ignis inde repentè exarsit, hostiasq́ absumpsit, orante Nehemia, psallentibus sacerdotibus, mirantibus cunctis. Ipse Persarum Rex, de re tam prodigiosa certior factus, multa sacerdotibus & Templo dona largitus est.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

1. FRATRIBUS, qui sunt per Ægyptum, Iudæis, salutem dicunt fratres, qui sunt in Ierosolymis; Iudæi, & qui in regione Iudææ, & pacem bonam. 2. Benefaci et vobis Deus, & meminerit testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, & Isaac, & Iacob, servorum suorum, fidelium: 3. & det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem, corde magno, & animo volenti. 4. Adaperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem. 5. Exaudiat orationes

orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. 6. Et nunc hîc sumus orantes pro vobis. 7. Regnante Demetrio, anno centesimo sexagesimo nono, nos Iudæi scripsimus vobis in tribulatione, & impetu, qui supervênit nobis in istis annis, ex quo recessit Iason à sancta terra, & à regno. 8. Portam succenderunt, & effuderunt sanguinem innocentem: & oravimus ad Dominum, & exauditi sumus, & obtulimus sacrificium, & similaginem, & accendimus lucernas, & proposuimus panes. 9. Et nunc frequentate dies scenopegiæ mensis Casleu. 10. Anno centesimo octogesimo octavo, populus, qui est Ierosolymis, & in Iudæa, Senatusque & Iudas, Aristobulo magistro Ptolemæi regis, qui est de genere christorum sacerdotum, & his qui in Ægypto sunt, Iudæis, salutem, & sanitatem. 11. De magnis periculis à Deo liberati, magnificè gratias agimus ipsi, utpote qui adversùs talem Regem dimicavimus. 12. Ipse enim ebullire fecit de Perside eos, qui pugnaverunt contra nos, & sanctam civitatem. 13. Nam cùm in Perside esset dux ipse, & cum ipso immensus exercitus, cecidit in templo Naneæ, consilio deceptus sacerdotum Naneæ. 14. Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus & amici ejus, & ut acciperet pecunias multas dotis nomine. 15. Cumque proposuissent eas sacerdotes Naneæ, & ipse cum paucis ingressus esset intra ambitum fani, clauserunt templum, 16. cum intrasset Antiochus: apertoque occulto aditu templi, mittentes lapides percusserunt ducem, & eos qui cum eo erant, & diviserunt membratim, & capitibus amputatis foras projecerunt. 17. Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios. 18. Facturi igitur quinta & vigesima die mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significare vobis: ut & vos quoque agatis diem scenopegiæ, & diem ignis, qui datus est, quando Nehemias ædificato templo & altari obtulit sacrificia. 19. Nam cùm in Persidem ducerentur patres nostri; sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè absconderunt in valle, ubi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus. 20. Cùm autem præteriissent anni multi, & placuit Deo ut mitteretur Nehemias à rege Persidis: nepotes sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem: & sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem, sed aquam crassam. 21. Et jussit eos haurire, & afferri sibi: & sacrificia, quæ imposita erant, jussit sacerdos Nehemias aspergi ipsâ aquâ, & ligna, quæ erant superposita. 22. Utque hoc factum est, & tempus affuit, quo Sol refulsit, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. 23. Orationem autem faciebant omnes sacerdotes, dum consummaretur sacrificium, Ionatha inchoante, cæteris autem respondentibus. 24. Et Nehemiæ erat oratio hunc habens modum: DOMINE Deus omnium creator, terribilis & fortis, justus & misericors, qui solus es bonus rex: 25. solus præstans, solus justus, & omnipotens, & æternus, qui liberas Israël de omni malo, qui fecisti patres electos, & sanctificâsti eos: 26. accipe sacrificium pro universo populo tuo Israël, & custodi partem tuam, & sanctifica. 27. Congrega dispersionem nostram; libera eos qui serviunt Gentibus, & contemptos & abominatos respice: ut sciant Gentes quia tu es Deus noster. 28. Afflige opprimentes nos, & contumeliam facientes in superbia. 29. Constitue populum tuum in loco sancto tuo, sicut dixit Moyses. 30. Sacerdotes autem psallebant hymnos, usquequò consumptum esset sacrificium. 31. Cùm autem consumptum esset sacrificium, ex residua aqua Nehemias jussit lapides majores perfundi. 32. Quod ut factum est, ex eis flamma accensa est: sed ex lumine, quod refulsit ab altari, consumpta est. 33 Ut

verò

verò manifestata est res, renuntiatum est regi Persarum, quòd in loco, in quo ignem absconderant hi qui translati fuerant sacerdotes, aqua apparuit, de qua Nehemias, & qui cum eo erant, purificaverunt sacrificia. 34. Considerans autem Rex, & rem diligenter examinans, fecit ei templum, ut probaret, quod factum erat. 35. & cùm probâsset sacerdotibus donavit multa bona, & alia atque alia munera, & accipiens manu sua, tribuebat eis. 36. Appellavit autem Nehemias hunc locum Nephthar, quod interpretatur purificatio. Vocatur autem apud plures Nephi.

COMMENTARIUS AD CAPUT PRIMUM.

Cur literæ istæ huic libro præfixæ?

ỳ. 1. FRATRIBUS, QUI SUNT PER ÆGYPTUM, JUDÆIS, SALUTEM DICUNT FRATRES, &c. Dubitari non potest, quin hic referantur literæ Judæorum ad fratres: Nec dubium, quin isto loco positæ sint, ob aliquam argumenti cum historia Machabæorum convenientiam, & quia potissimùm scriptæ sunt ad commendandam celebrationem festi, dedicato per Judam Machabæum Templo indicti. Adde temporum vicinitatem: prætereà quòd ejusdem forsan scriptoris sint eæ literæ, & liber Machabæorum secundus, ut meritò jungantur scripta ejusdem auctoris. Sed de libri hujus scriptore, infrà quæretur commodiùs; uti & de literarum numero, sintne binæ, an unæ tantùm. Nunc quærendum, à quibus, & ad quos mittantur.

A quibus missæ, & quorum nomine?

Constat, mitti à JUDÆIS, qui HIEROSOLYMIS erant, & IN REGIONE JUDÆÆ; id est à Synagogæ primoribus, cæterorum Judæorum nomine, tum Hierosolymis, tum in reliqua Judæa, habitantium. Cùm autem Judææ appellatio interdum restrictiùs sumatur, ut alibi diximus, pro sorte tribuum duarum; aliàs diffusiùs pro terra sancta universa: hic posteriore isto sensu sumenda videtur, ut literæ scriptæ sint nomine Judæorum omnium, intra terminos terræ promissæ degentium; & à Templo Hierosolymitano sacra petentium, non autem à Garizitano, quod Samaritarum erat.

Ad quos?

Scribunt illi Judæi, non ad Samaritas, quibuscum nec cognatio generis, neque animorum ulla erat conjunctio, sed ad fratres, QUI SUNT PER ÆGYPTUM: id est, ad Judæos sparsos per Ægypti regnum, regionesque conterminas, Ægyptiis Regibus subditas, ut Cyrenen & Lybiam. Plurimos enim è Judæa in Ægyptum captivos Ptolemæus Lagides, post occupatam Hierosolymam, abduxerat: eosque postmodùm Ptolemæus Philadelphus, versis per septuaginta interpretes in græcam linguam ejus gratiâ sacris literis, libertate donârat, teste Josepho l. 12. c. 1. & 2. Adde, ob terrarum viciniam, & commerciorum commoda, frequentes fuisse ea ætate Judæorum in Ægyptum commigrationes, frequentes item per bella civilia, & externa Regum Asiaticorum, quibus Judæi nusquam tutò consistere sinebantur, sedesque alibi quærere cogebantur, ubi extra Syrorum potestatem positi quiescere liceret.

In his fuit, Oniæ tertii Pontificis summi, de quo infrà c. 3. filius, ex patris aliorumque majorum nomine Onias etiam appellatus. Amisso enim per summum scelus patre, grassantibus impiis, in Ægyptum tum temporum tædio, tum

securitatis causâ, concessit; &, cum Ptolemæo Philometori gratus esset, ab illo potestatem obtinuit templi Hierosolymitano similis ædificandi, ubi Pontificatum ipse gereret, & Judæi per Ægyptum sparsi ad statos religionis ritus convenirent. Eamque in rem vaticinio usus est Isaiæ Prophetæ c. 19. v. 19. *In illa die erit altare Domini in terra Ægypti*, &c. Id templum aliquando Onion, ab Onia structore; aliquando Heliopolitanum dicitur, à loco ubi positum fuit, in Nomo seu provincia Heliopolitana, propè Leontopolin. Vide Josep. l. 13. c. 6.

Schismatici in Ægypto Judæi.

At, inquis, schismatici erant cum Onia isto Judæi Ægyptiaci, quandoquidem templum & altare statuissent alio loco, quàm quem elegerat Dominus. Quomodò ergo ad illos, tanquam ad fratres, scribunt Judæi, qui legitimum Templum sub Pontifice legitimo frequentabant? Nonne parem habebant caussam abrumpendæ omnino cum illis communicationis, & renunciandæ amicitiæ, atque cum Samaritanis? Neque enim his non utebantur, quia erant alienigenæ, sed quia templum Hierosolymitano æmulum excitârant, ubi ritibus iisdem, quibus Judæi, sub Levitici generis sacerdotibus, verum Deum, hoc ævo saltem, colebant: neque aliâ re peccabant, quàm quod Pontifici legitimo non subessent, & Templum legitimum non frequentarent. Atqui idem erat Ægyptiacorum Judæorum, sub Onia quarto Pseudo-Pontifice, peccatum. Cur ergo cum istis pariter, atque cum aliis, fraternitatem omnem, & communicationem non abrumpunt?

Cur ergo ad illos scribatur? An ut reducerentur ad veri templi cultum?

Respondet Rupertus l. 10. de Vict. verbi, idcirco scribere, ut benevolis literis eos ab errore abstrahant, & ad Hierosolymitani templi venerationem excitent, idque ab ipsis innui istis verbis: ADAPERIAT COR VESTRUM IN LEGE SUA, & mox, RECONCILIETUR VOBIS: Neque enim qui Oniam sectabantur cor habebant apertum in lege Domini, vetante altaria & sacrificia extra locum à Deo electum; adeoque Deum propitium habere non poterant, nisi reconciliarentur. Huic sententiæ Ruperti favet totum fermè literarum argumentum, quod in Hierosolymitani templi, prodigiorumque in ejus exstructionibus & instaurationibus factorum, commemoratione consumitur: quasi id solum agant religiosi Judæi, ut superstitiosos fratres ad veri templi venerationem reducant ab Onii cultu.

An ideò etiam ad eos missus liber totus?

Imò Rupertus existimat, id ipsum agi toto passim libro secundo, ut sanctitas Templi commendetur: narratis sacrilegorum suppliciis, Heliodori, Callisthenis, Nicanoris, insertisque aliis, quæ ad ejus gloriam faciant, ubicumque fert occasio. Eam Ruperti opinionem sic amplectitur, ut

non probabilem solùm arbitrer, sed omnino veram: cùm videam, de Hagiographo non tantùm non prætermitti ullam de Templo commendando occasionem, sed etiam studiosè ac de industria quæri. Ut ad istos Ægyptios fratres ab Oniano schismate abducendos scriptus videatur hic totus liber, nedum hæc epistola.

An quòd in illis multi non forent schismatici?

Addo: in Ægyptiacis Judæis multos procul dubio fuisse, quibus Oniæ consilium non probabatur, potiorque erat avita consuetudo legi innixa, & per manus ab antiquo tradita, quàm novitium commentum, malè fultum Scripturæ verbis perperàm explicatis, ut hæretici solent. Ab his non erat cur abhorrerent Religiosi Judæi, curque cum ipsis gaudia sua, & festorum dierum indictiones non communicarent. Imò eorum caussâ cæteros minùs sanos, quia ipsis permisti erant, aversari non debebant, nec religiosam cum illis societatem fugere, qui civilem cum idololatris Romanis & Spartiatis non exhorruissent. Cæterùm ex hac fratrum Ægyptiacorum & Hierosolymitanorum distinctione, puto id manâsse, quod in vitis Patrum narratur; ut D. Antonius Anachoretas probos vocari vellet Hierosolymitanos fratres, alios autem Ægyptiacos.

Quæ formula salutandi?

In salutationis formula Græcè habetur χαίρειν *gaudere*: quod verbum epistolis suis præmittere soliti erant Græci, & quicumque eorum linguâ utebantur, quemadmodùm in Ægypto passim & indigenæ, & advenæ, sub Lagidarum Macedonico imperio. Latinus interpres salutationem Græcam formulâ Latinis consuetâ expressit, SALUTAM: addiditque explicationis causâ, DICUNT, quod Græcè non habetur. Idem ergo utrâque formulâ innuitur, etsi plus una significare videatur, quàm altera; cum salus sit caussa & fundamentum gaudii, & gaudium sine salute parvi sit, salus autem magni etiam sine gaudio.

Cur pacem apprecentur?

Altera salutandi formula ex Hebræorum consuetudine ducitur, ut voveant PACEM BONAM. Notissimum enim est, sic Judæos inter se salutare solitos & dicere, PAX TIBI, PAX VOBIS. Hi ergo Judæi postquam usui Græcanico dederunt apprecationem gaudii; dant etiam patriis moribus apprecationem pacis. Quod autem subjiciunt epitheton BONAM, ornamenti tantùm loco est: non quòd metuant, ne pacem malam fratribus forsan optare videantur. Itaque opus non est, ad hujus appositi explicationem ista Lirani appendice, seu glossâ, *bona guerra eligibilior est mala pace.*

Vota Judæorum Hierosolymitanorum pro Ægyptiacis.

℣. 3. 4. 5. BENE FACIAT VOBIS DEUS &c. Cumulantur prospera vota, ad demonstrandum sincerum affectum, conciliandamque benevolentiam mutuam. Ac primùm vovent beneficentiam divinam, ex testamento, seu promisso facto tribus Protopatriarchis universi sui generis. Gen. 12. & 26. & 28. Appositum istud, *servorum suorum fidelium*, quod neque in Latino, neque in Græco, aptè quadrat cum casu præcedentium nominum, non incommodè referetur ad *meminerit*, vel *testamenti*.

Quid particulatim voveant?

Ab hoc generali voto ad particularia descendunt, quæ in senarium numerum aptè distinxit Salianus. Primùm enim optant illis COR, ut colant Deum, id est intellectûs illustrationem per veram fidem: nam corde creditur ad justitiam. Deinde obedientiam, ut faciant ejus voluntatem, CORDE MAGNO, ET ANIMO VOLENTI, alacriter ac generosè. Tertiò apertum COR IN LEGE Dei ET ejus PRÆCEPTIS, ut Scripturas intelligant, ac benè interpretentur, nec trahant ad nova & prava dogmata stabilienda: quale erat de templo in regione Ægypti extruendo. Quartò, ut Deus, auctor pacis & dilectionis, FACIAT PACEM, sine qua justitiæ & pietatis cultus multum laborat: quomodò per multos annos utrimque experti erant, Syriacis & Ægyptiacis bellis. Quintò, ut Deus EXAUDIAT ORATIONES ipsorum paterna benignitate. Sextò, ut misericorditer RECONCILIETUR ipsis, NEQUE EOS DESERAT IN TEMPORE MALO, calamitatibusque obrui sinat, id est, ut tum culpas illis condonet, tum pœnas culpis debitas remittat. Prioribus tribus votis optant, ut boni sint: posterioribus, ut benè illis sit.

Orationes mutuæ.

℣. 6. ET NUNC HIC SUMUS ORANTES PRO VOBIS. Pertinet & hoc ad demerendos animos: ut ostendant in se non extinctam memoriam, & caritatem absentium, etsi sacris ipsis & orationis loco disjuncti sint. Fratrum enim est, inter se quod possunt opis impendere, eamque ab illo postulare, sine quo vana sunt auxilia & solatia omnia. Vide literas Jonathæ ad Spartiatas l. 1. c. 12. v. 11. De oratione pro aliis dicemus Excursu ad c. 3.

Quando primùm scripserint Judæi ad Ægyptios?

℣. 7. REGNANTE DEMETRIO, ANNO CENTESIMO SEXAGESIMO NONO, NOS JUDÆI SCRIPSIMUS. Commemoratur epistola, à Judæis Hierosolymitanis scripta ad eosdem Ægyptiacos, & compendio refertur. Exaratam autem illam, & missam fuisse existimamus, paullò ante Jonathæ mortem, quando, Hierosolymam regressus ab expeditionibus, animum advertit ad instaurandam civitatem, & opera pacis. Si enim post captum Jonatham scripta fuisset, de re tanta sine dubio Judæi mentionem fecissent, ut benè advertit Salianus: qui etiam mortem Jonathæ idcirco adscribit anno Græcorum 170. Eam chronologiam amplector: etsi in historiæ sertè tomo primo præfixa annum 170 annotârim tantum ad n. 115. Eas enim annorum notas non apposui, nisi quando illarum Hagiographus meminit. Vide dicta ad c. 13. lib. 1. v. 22. ubi agimus de ratione temporum post nivem delapsam, & Jonatham occisum.

Cujus tribulationis hic meminerint?

IN TRIBULATIONE, ET IMPETU, QUI SUPERVENIT. Græcè pro *impetu* habetur ἀκμῇ, quæ vox à Budæo apud Salianum sumitur pro summo cujusque rei incremento, sive ætatis, sive certaminis, seu periculi. Unde hîc pro *impetu*, potest verti *discrimine*. An ergo Judæi cùm epistolam istam scripsêre, incolumi & prosperâ fortunâ sæpiùs uso Jonatha, erant *in tribulatione*, *& impetu*, seu discrimine? Respondendum, particulam *in*, sumendam hic pro particula *de*, more Hebræorum, ut Liranus advertit. NOS JUDÆI SCRIPSIMUS VOBIS DE TRIBULATIONE, &c. Et sic intelligi debere, patet ex iis quæ subduntur: IN ANNIS ISTIS, EX QUO RECESSIT JASON, ET SOCII EIUS, ἐκ μετ' αὐτοῦ, ut Græcè additur. Recessus autem seu apostasia Jasonis, de qua cap. 4. dicetur, acciderat abhinc annos triginta duos. Scripserunt ergo Judæi anno 169. de calamitatibus & periculis, quæ ipsis incubuerant per annos istos, Jasonis sociorumque perfidiam secutos.

Cur Judæa hic terra sancta nominetur?

A TERRA SANCTA ET REGNO. Infrà cap. 5. narrabitur quomodò denique Jason, post ultimum Hierosolymæ occupandæ conatum, non Palæstinâ solùm omni ac Syriâ, sed etiam Asiâ excesserit, & Lacedæmone obierit. Adverte, hoc loco Judæam appellari ab incolis ipsis terram sanctam.

sanctam. Quâ nos appellatione convenientissimè utimur, postquam Christus Domini, fons omnis sanctimoniæ, sanctitatem illi aliquam præsentiâ, & annorum circiter trigiota incolatu, communicavit. At cur Judæi, ante Christi adventum, id encomii singularis usurpant? Rationem reddit Rupertus l. 10. de Vict. verb. c. 13. *Memoriter tenendum illud, quod jam suprà diximus, totam libri hujus, vel Scripturæ seriem spectare, atque intendere, ad Hierosolymæ civitatis venerationem, Templíq;, quod erat in ea, dignitatem & honorem singularem; simulq; caussa scienda, quam itidem suprà diximus, quia movebant eos templa contra legem facta, ubi esse non debebant, ad ejus Templi similitudinem. Templum illud sanctum, sacrificia illo in templi celebrata sancta esse & legitima, civitatem Ierusalem sanctam esse, ubique Scriptura libri hujus tota intentione declamat, ut dictum est. Videlicet ad destruendam templorum adulterorum fiduciam, quorum alterum in monte Garizim, alterum in Ægypto fuerat ædificatum. Hac re animadversâ, non miraberis, cùm sanctam terram dicunt hoc modo: Ex qua recessit Iason a terra sancta.*

Liber 2. Machabæorum spectat totus ad sanctitatem Templi commendandam.

Quæ porta incensa?

℣. 8. Portam succenderunt. Quam portam? Templíne, an civitatis? Portas Templi exustas fuisse, constat ex l. 1. c. 4. v. 38. De portis civitatis, etsi credibile est etiam incensas fuisse earum aliquas, quandoquidem mœnia ipsa diruta sint, nusquam tamen disertè id scribitur. Existimem itaque hic agi de portis Templi, ob quas exustas Callisthenes igne incendium luit, ut narrabitur infrà c. 8. v. 33. Cùm autem, licèt plures portæ arserint, singulariter tamen una dicatur succensa; arbitror innui præcipuam portarum Templi extimarum, quæ Occidentem spectabat, & aliquantum ex obliquo respiciebat arcem Syrorum, monti Sion inædificatam. De sanguine innocente effuso, quod subditur, vide dicta l. 1. c. 1. &c. & dicenda variis hujus libri capitibus.

Oratio in loco sancto.

Et oravimus ad Dominum, et exauditi sumus, et obtulimus sacrificium, et similaginem, &c. quæ facta narrantur l. 1. c. 4. Similaginem interpretatur Liranus farinam frumenti delicatissimam, de qua fiebant panes propositionum. Verum id quidem, similam & similaginem purissimam esse farinam; illo tamen nomine non significantur hîc panes propositionis, neque ejus materia, nam de illis mox subjicitur; sed innuitur complementum sacrificii, cui addi certis cæremoniis solebat simila. Vide Lev. c. 23. &c. Rupertus loco citato, sententiæ suæ insistens, ista omnia valdè aptè accommodat: *Deinde cum subjungunt Iudæi, & oravimus ad Dominum, & exauditi sumus, & obtulimus sacrificium, & similaginem, & accendimus lucernas, & proposuimus panes. Cuncta hæc dicta sic rectè accipimus, sicut firmissimas defensiones privilegii legitimi pro Templo jam dicto, quod erat Hierosolymis. Quòd ipsorum, qui Templi illi deserviebant fuerit, vel esse debuerit, sacrificia offerre, panes proponere, & hæc faciendo exaudiri illic, non in templo montis Garizim, non in templo Heliopoleos, quæ templa erant æmulationis.*

Sæpius commendata celebratio Encæniorum.

℣. 9. Et nunc frequentate dies scenopegiæ mensis Casleu. Constat commendari, ut celebretur festum renovati & dedicati per Judam Templi, vicesimâ quintâ mensis Casleu. Nec dubitandum, quin ante annum centesimum sexagesimum nonum commendârint, missis quaquaversum ad Judæos encyclicis literis. Detrectavêre tamen, ut benè advertit Rupertus, Ægyptiaci Judæi Hierosolymitanorum imperium, quia templo Heliopolitano utentes, reverentiam illi omnem, ac religionem impendebant, & aliud præ isto aspernabantur. Itaque iterum atque iterum ad illos eadem de re scribendum fuit.

Cur Scenopegia dicantur?

At cur festum Encæniorum aut Purificationis, ut postmodùm v. 8. & c. 2. v. 16. appellatur. Judæi vocant scenopegiam, id est depactionem, seu fixionem, Tabernaculorum? An ergo in idem tempus incurrebant ea Tabernaculorum & Encæniorum festa? Neutiquam: illud enim Lunâ Septembris, hoc Novembris agebatur, distabantque mensibus totis duobus & eo plus. Datur ergo Scenopegiæ appellatio Encæniis, per Judam Machabæum indictis, non à temporis ratione, sed ex similitudine gaudii. Quemadmodùm enim lætissimum erat festum Tabernaculorum, & octo diebus agebatur: ita diebus totidem, & jucundè, celebrabantur Encænia instaurati Templi; præsertim cùm cæremoniæ multæ, festo Tabernaculorum adhiberi solitæ, servarentur etiam festo Encæniorum, ut ex libri hujus c. 10. v. 6. & ex Rituali Hebræorum observat Mariana. Loquebantur ergo tunc Judæi, cum Encæniis tribuebant Scenopegiæ appellationem, quemadmodùm hodie Hispani, quando Natalem Christi vocant Pascha Natalis: traducto ad alium diem nomine festi, apud Christianos ob resurgentem Christum celeberrimi.

Agitur hîc de anno regni Græcorum.

℣. 10. Anno centesimo ogtogesimo octavo. Quasdam hoc loco quæstiunculas nobis movent variæ Scriptorum sententiæ, quas ex aliis alias brevissimè expedire conabimur. Primùm, quis iste annus est, & à quo principio arcessendus? Arbitratur Liranus, duci debere ab anno Assueri duodecimo, quo ab Amanis persecutione Judæi mirabiliter liberati sunt, quemadmodùm nunc à Syrorum infestatione. Sed non dispicio, quomodò ea Lirani sententia, non dico probari, sed vel tolerari possit. Nam ut demus, ab Assuero tantum temporis exactè ad Judam usque Machabæum fluxisse, quod tamen meritò negat Bellarminus l. 1. de verbo Dei c. 15. ostenditque gravissimos hoc pacto errores à Lirano in chronologia admitti. Sed ut demus, ipsum in temporis intervallo non errâsse, cui tamen persuaderi poterit, Hagiographum, ante paucissimos versus usum chronologica notatione regni Græcorum, deincepsque toto libro secundo, sicuti & primo utentem, hic consuetudinem istam abrumpere non admonito Lectore, & relictâ solitâ numerandi ratione inserere derepentè insolitam? Statuamus igitur pro certo, hîc uti & reliquo libro, agi de annis regni Græcorum, quâ ratione diximus ad l. 1. c. 1. v. 11.

An hæc anni nota ad antecedentia spectet?

Quæritur deinde; an ista temporis notatio ad præcedentia pertineat, an potiùs ad subsequentia? Bellarminus, Melchiorem Canum secutus, statuit, ad præcedentia pertinere, putatque esse epistolæ clausulam: quia, inquit, numerus annorum in fine potiùs, quàm in principio poni solet. Sed ea Bellarmini sententia, cùm geminam hic faciat epistolam: eam nos sequi non debemus, quia verius longè, imò & propè certum existimamus, unicam esse epistolam, cui compendium alterius insertum sit: adeoque censemus, notam isthanc *anni centesimi octogesimi octavi* potiùs ad sequentia spectare, quæ epistolam faciunt; quàm ad præcedentia, quæ præmittuntur procemii instar.

An gemina hic epistola sit an potius una?

Tertiò itaque quæritur, sintne hic binæ literæ, an una dumtaxat? Binas esse censuerunt Rupertus, Liranus, Medina, Canus, Bellarminus, &c.

discordes tamen inter se in fine priorum, ac principio posteriorum, ut rectè advertit Serarius; Bellarminus enim & Canus, ut modò vidimus, literas inchoant ab his verbis, *Populus* &c. alii ab hisce, *Anno centesimo octogesimo octavo.* Planè statuendum videtur, quod censuêre Serarius, Salianus, & alii, unicas esse literas anno centesimo octogesimo octavo datas, in quibus tamen commemorentur, & breviter recitentur aliæ, de eodem argumento datæ *anno centesimo sexagesimo nono.* Nam primùm versu 7. Judæi dicunt se scripsisse, non autem se scribere, adeoque manifestè indicant, veteres à se literas commemorari in novis. Deinde in Græco textu constanter versus nonus, quem priori epistolæ auctores isti omnes contrarium nobis sentientes annectunt, jungitur cum decimo, hunc in modum: *Et nunc*, supple scribimus, sicut aliàs scripsimus, *ut agatis dies Scenopegiæ mensis Casleu anno centesimo octogesimo octavo, qui in Hierosolymis & qui in Iudæa,* &c. Denique ipsa contrà sententiam compugnantia, de alterius epistolæ initio, persuadet unicam esse. Si enim à voce *Populus* &c. cum Bellarmino incipias, objicient alii; sic incipi contra fidem codicum omnium correctorum utrâque linguâ, in quibus junguntur ista, *Anno centesimo octogesimo octavo populus* &c. Si autem cum Lirano & aliis incipias ab his, *Anno centesimo octogesimo octavo*, Bellarminus jure meritissimo dicet, chronologiam istam cum proximè sequentibus non hærere, prout à Lirano exponuntur, & à Bellarmino ipso, de Juda Machabæo: etsi nos aliter explicabimus.

Qui particulatim sint epistolæ scriptores?

Populus, qui est Jerosolymis, et in Judæa, Senatusque et Judas. Jam advertimus, Græcè non haberi vocem *Populus*, sed solùm, *Qui in Hierosolymis, & qui in Iudæa*, Græcè item pro Senatus habetur, γερουσία, concilium seu congregatio seniorum, seu presbyterorum populi: quamquam & *A senibus tamen nuis Senatus habet.* Erat enim apud Hebræos magna senis auctoritas, ut vel ex l. 1. c. 14. v. 9. colligi potest.

Quis verò iste est Judas, cujus hic solius nomen exprimitur? Magnum aliquem ac celebrem virum fuisse necesse est; adeoque Judam Machabæum intelligunt Liranus, Bellarminus, Canus. Sed constat longè ante annum 188. imò & ante 169. quæ duæ hic annorum notæ consignantur, mortuum esse, anno videlicet 152. regni Græcorum. Itaque eas literas scripsisse, misissève, vivus non potuit.

An ejus jam demortui nomine scriptæ sint?

Medina censet, adscribi omninò Judam Machabæum, licèt multò ante fatis functum, quia epistolæ isti scribendæ, etsi non reipsa, voluntate tamen adfuerit. Hanc Medinæ sententiam valdè elevat, & exagitat Serarius: aitque, quamvis aliquando mortuorum ad vivos, ut Eliæ ad Joramum; & vivorum ad mortuos, ut Theodosii Cæsaris ad D. Joannem Chrysostomum, literæ legantur, inauditum tamen esse, ut in literis ullis mortui inter vivos aliis scribentes inducantur. At mihi certè istud non adeò absonum videtur, ac Serario: neque inauditum aut insolitum est, in gravibus seriisque de re magna epistolis, prosopopœias, personarumque fictiones, inseri: neque ineptè Judæi de Templi emundatione, festoque per Judam Machabæum indicto, scribentes, ejus nomine potiùs quàm alterius ullius uti potuerint; ad commendandum auctoritate mortui, quod vivus jusserat, præcipuus ille Judaicæ libertatis, ac religionis assertor, meritoque à posteris ante fratrum cæteros numerandus.

An agatur de Juda filio Simonis?

D. Thomas, allatâ primùm Rabani sententiâ, in istis annorum computationibus hærendum non esse, quia libri uniusque diversi sint auctores, quomodò videmus Septuaginta Interpretes in annis Patriarcharum cum vulgatâ non convenire: indicatâ deinde sententiâ, quam postmodùm Molina amplexus est, de scriptis literis nomine Judæ Machabæi jam pridem mortui: ad extremum statuit, Judam Simònis filium istius epistolæ scriptorem esse. Atqui Judas iste cum patre & fratrum uno, ut l. 1. c. 16. narratur, per Ptolomæum sororium suum perfidè ad annum 177. obtruncatus, vivere & literas exarare non poterat anno 188.

An Judas quidam Ada seu Auda, vel Judas Tabæi?

Serarius noster, multæ eruditionis vir, ex D. Epiphanio adducit quemdam Rabbinum Ada, qui etiam Judas & Audas vocetur, virum inter Hebræos celebrem, traditionum auctorem à captivitate Babylonica cœptarum. Alium item, ex historica Cabala Rabbi Abraham Levitæ, producit Judam Tabæi, cujus uti & Nathei Arbelitæ discipulus fuerit Josue Perajæ filius, quem nugivenduli Rabbini fabulantur magistrum fuisse Jesu Christi Domini ac Salvatoris nostri, numquam tamen literas edocti. Sed Judæ isti duo, cùm valdè obscuri & incerti nominis atque ævi ex talibus auctoribus sint, epistolæ nostræ subservire nequeunt.

An Judas Hircani filius?

Alium istis temporibus Judam idem Serarius vigilanter deprehendit, primogenitum Joannis Hircani, Simonis nepotem, dictum alio nomine Aristobulum, de quo Josephus l. 10. cap. pen. *Hircanus cùm Pontificiâ dignitate annos unum & triginta potitus fuisset, moritur senex: Iuda, qui & Aristobulus vocatus fuit, successionem relinquens.* Eum Judam Serarius existimat valdè aptè hoc loco accipi posse: tumquia Pontificis ac Principis primogenitus in Senatu primas tenebat: tum quia magni erat nominis, & auctoritatis, præsertim ex quo Antiochum Cyzicenum in obsidione Samariæ vicerat, & fugaverat, ut apud Josephum est l. 13. c. 18. Judam autem hîc potiùs vocari, quàm Aristobulum: ne minùs concinnè Aristobulus Aristobulo dicatur scribere; & ne incommodè, atque indecorè, Hierosolymitani Judæi Hebraicum nomen Græco minoris facere videantur.

Istam Serarii conjecturam meritò Salianus non probat. Credibile enim non est, in publicis literis, omisso parente, qui reipublicæ summâ civili, ac sacrâ potestate præerat, filium juvenem quantævis gratiæ & auctoritatis adscriptum. Deinde victoria ista de Antiocho Cyziceno reportata, unde famam Judæ Aristobulo & decus accrevisse censet Serarius; nondum hoc tempore contigerat, nec multis pòst annis. Ita ferè Salianus.

Cur neque Hircanus, nec filius scripserint?

Addo non decuisse, neque expedisse, ut Hircani primogenitus hisce literis adscriberetur, quemadmodùm neque Hircanus ipse. Id enim agebatur, ut Ægyptiaci Judæi adducerentur ad reddendam Hierosolymitano templo venerationem: quod si per ipsummet Pontificem summum, aut per Pontificis filium fieret, tantum ponderis, quàm per alios, non haberent. Nam continuò incidisset suspicio, id ab ipsis quæri, non tam religionis ac legis tuendæ, quàm lucri & dignitatis amplificandæ gratiâ.

Judas Essenus est scriptor hujus epistolæ.

Superest Judas Essenus, magni istâ ætate nominis, sanctimoniæque ac vaticiniorum famâ celebratus; quem in prædicendis futuris numquam aberrâsse perhibet Josephus; & anno post 188. Græcorum vicesimo ait, nominatim prænuntiâsse mortem Antigoni, alterius ex Hircani filiis. Eum

Judam

Judam Serarius denique mavult hoc loco memorari, quàm alium ullum: tum quia multum momenti apud Ægyptiacos Judæos habitura erat ejus auctoritas, velut Prophetæ: tum quia idem ipse videtur breviator Jasonis, de quo c. 2. v. 14. adeoque & libri & epistolæ scriptor: tum quia non insolitum fuit, etiam exteris nationibus, virorum præcipuorum, virtuteque aut dignitate sacrá insignium, nomina publicis tabulis inscribere. Serarium secutus est Salianus, prævit Mariana, & longè antè Rupertus, l. 10. de Vict. ver. c. 15. etsi dubitanter loquitur. *Porrò, quis fuerit ille Judas, non facilè ex historiis potest agnosci: nisi fortè ille sit Judas genere*, id est sectâ, *qui sub illis temporibus extitit; qui, ut ait Josephus, numquam in his, quæ prædixit, mentitus est.* Sententiam nos istam, ut maximè tempori & decoro congruam, ambabus ulnis amplectimur.

Duplex Aristobuli titulus.

Aristobulo magistro Ptolemæi Regis, qui est de genere Christorum Sacerdotum. Ad conciliandum animum, eximii duo tituli Aristobulo adscribuntur, primus, quòd magister sit Regis; alter quòd sit de Sacerdotali prosapia, ex nobilissimo Aaronico genere, à Christorum, id est unctorum Sacerdotum alto sanguine originem trahens.

Quis fuerit?

Quis autem fuit iste Aristobulus? Ita enim ex Græco legi debet, & habent Latina correcta: sive Aristobulus, ut Serario videtur dici posse, & Gregorius, Augustinus, Hieronymus nomen istud efferunt. Inter omnes convenit, gente Judæum fuisse. Sectâ Peripateticum fuisse scribit Eusebius in Chron. sub init. regni Philomet. *Aristobulus autem ille, cujus secundus liber Machabæorum initio meminit, quemque Aristotelicâ peritum fuisse philosophiâ constat, similiter manus & cætera membra, quando de Deo dicuntur, intelligenda esse, in libro quem ad Philometorem* scripsit, declarat. Meminit ejusdem Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, post medium: *Ab Aristobulo, qui fuit tempore Ptolemæi Philadelphi;* repone *Philometoris*, neque enim floruit sub Philadelpho, qui vixit & floruit anno 188 Græcorum, *cujus meminit is, qui composuit epitomen rerum gestarum à Machabæis, multi fuêre libri, per quos probat, philosophiam Peripateticam ex lege Mosaica, & aliis Prophetis pependisse.* Rabanus ait, *ad Philometorem Commentarios explanationum in Mosen scripsisse, ut Chronographi produnt.* Anatolius Alexandrinus apud Eusebium ait, oriundum fuisse Paneade, quæ aliàs Cæsarea Philippi dicta, propè fontes Jordanis.

Quomodò & cujus Regis magister fuerit?

At cur *magister Ptolemæi Regis dicitur*, & cujus? Salianus dicit, vel ob librum Regi inscriptum, vel quòd eum res Mosaicas docuisset, documentaque sua postmodùm publicata ipsi dicâsset, magistrum Regis appellatum: idque nomen honoris causâ retinuisse etiam mortuo Philometore, adeoque non quærendum viventem Ptolemæum, cujus magister fuerit, dum epistola nostra scriberetur. Serarius Ptolemæi Evergetæ, seu Phisconis, hoc tempore adhuc regnantis, magistrum dici existimat, ut quomodò Josephus Pharaonem, & domesticos ejus, prudentiam docuit, ita Aristobulus Phisconi erudiendo, moderandoque præfuerit. *Nec verò mirum*, inquit Rupertus, *hominem Judæum dici magistrum Regis Ægyptiorum: quia videlicet à diebus Philadelphi, qui legem per Septuaginta sibi fecit interpretari, magistros Judæos consueverunt habere Reges Ægypti.* Astutus ergo fuerit erudiendo, consiliisque & documentis juvando Phisconi, vir Judaicâ, & Græcâ literaturâ insignis, & ex Commentariis Philometori inscriptis celebratus.

Cur ad illum, non ad Oniam & filios, scribitur?

Quare autem ad ipsum potiùs epistola mittitur, quàm ad Oniam, si adhuc superstes erat, aut ad Ananiam & Chelcidam Oniæ liberos, gratiâ florentes apud Reges Ægyptios, teste Josepho? Mihi videtur istis non scriptum, ob caussam fermè eamdem, ob quam Hircanum, filiúmve ejus scribere non admodùm decuit, neque expedivit. An enim hortandis ad Hierosolymitani templi venerationem Ægyptiacis Judæis, literæ mittantur ipsi ædis Heliopolitanæ conditori, ejusque filiis? Nonne hortatorias tales pro reprehensione accepturi erant? Nonne exusturi, aut dilaceraturi potiùs, quàm communicaturi: ne inde quæstus suus & dignitas minueretur? Multò igitur sapientiùs scribitur ad primarium alium virum, intra ipsos Judææ fines ortum, ministeriis Sacerdotii Heliopolitani non implicitum, quandoquidem in Regis aula versabatur; hortatoriam, & commendatitiam de Templo, non indignanter accepturum: si ingrata ipsi non esset, cum auctoritate Judæis Ægyptiacis communicaturum, ob scientiæ dignitatisque suæ claritatem.

Cur salutatio iteretur?

Et his, qui in Ægypto sunt, Judæis, salutem, et sanitatem, seu ut Græcè habetur: *& his qui in Ægypto Judæis gaudere, & valere*, χαίρειν καὶ ὑγιαίνειν, quæ formula salutandi prorsus Græca est. Sed quorsum salutatio hic repetitur, salutantesque & salutati iterum exprimuntur, si altera epistola non est? Soléntne in unis literis salutationes, & inter se salutantium nomina, isto modo iterari? Respondeo, in longis literis non incongruè, neque incommodè id fieri; præsertim si procemium longiusculum præmittitur, quasi per parenthesin. Quâ exactâ, redeatur ad caput, principiumque epistolæ: tum claritatis caussa, tum ad affectum iteratione istâ de novo testandum. Quamquam etiam dici possit, salutem primo versu expressam esse verbis epistolæ, anno centesimo sexagesimo nono missæ, cujus compendium refertur, ideoque versu septimo dici, *scripsimus*, id est, sic aliàs vos salutavimus: & versu nono subditur, *& nunc*, supple scribimus, vovemusque salutem & sanitatem, &c. Vide dicta suprà.

Scribendarum literarum occasio.

℣. 11. De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi. Posteaquam compendio usque ad versum 9. exposuerunt occasionem scribendarum aliàs literarum ad Ægyptios: jam aggrediuntur ad narrationem occasionis scribendarum harumce, novum scilicet à Deo acceptum beneficium, liberationemque à magnis periculis; de quibus tum ipsi gratias agant beneficentissimo Numini, tum à fratribus gratias agi postulent. Et hoc enim fraternum est, de fratrum bono lubenter audire, gaudere, gratias Deo agere, gratulari.

Rex, de quo hìc agitur, est Antiochus Sidetes.

Utpote qui adversus talem Regem dimicavimus: Græcè ad verbum, *Ut quidem in Regem bellantes*, παρατασσόμενοι, quod præsentis temporis est, poniturque interdum pro paullò antè præterito. Quis verò iste Rex? Serarius & Salianus post Rupertum, Sigonium, Medinam, censent esse Antiochum Sidetem, cujus quædam attigimus lib. 1. cap. 5. rationemque agnominis istius quæsivimus, asseruimusque Demetrii Soteris filium fuisse, Demetrii Nicanoris apud Parthos captivi fratrem. De eo itaque Sidete hìc agi, persuadet primò temporis ratio, illi omnino conveniens: nam sub annum sextum, aut ante scriptas

literas septimum mortuus est; cùm literæ scriptæ sint anno 188. Græcorum, ille mortuus sit ad annum 181. Deinde constat à Sidete vexatos Judæos, tùm exeunte Principatu Simonis, ut refertur l. 1. c. 15. & 16. ubi Cendebæus ejus jussu Judæam infestavit: tum post Simonis mortem, ineunte Hircani Principatu, obsessâ biennium totum Hierosolymâ. Meritò igitur, hoste tali mortuo, sese de magnis periculis liberatos Judæi gratulantur; præsertim cùm exinde certam habuerint, securamque libertatem, aliis Syriæ Regibus ad eam tentandam non satis potentibus.

Quando & quatenus fuerit amicus Judæorum?

Nec refert, quòd hic Sidetes pius fuisse dicatur, ipsoque adeò obsidionis tempore victimas ad sacrificia Hircano narretur submisisse, ut l. 1. c. 16. ad v. 23. diximus. Non ideò enim desiit hostiliter agere cum Judæis, eorumque libertatem nuper assertam, rempublicam sub Simone stabilitam, concutere, & in summum discrimen adducere. Neque etiam refert, quòd post istam obsidionem, reconciliatâ cum Hircano gratiâ, eum decretoriæ adversùs Parthos expeditionis suæ socium habuerit. Nam eâ ipsâ societate Judæi obnoxii tenebantur, patiebanturque magnam labem imminutæ libertatis: & amicitia ac gratia Regum Asiaticorum fluxa, & instabilis erat, nec finem periculis faciebat; ut tum in aliis, tum in Sidete ipso experti erant Judæi l. 1. Mach. c. 15.

Rejicitur sententia explicantium de Antiocho Magno, vel Epiphane.

Huic sententiæ subscribimus, aliasque duas spernimus, censentium agi isto loco de Antiocho Magno, vel de Epiphane. De Magno enim, etsi Justinus & Strabo eum in conatu expilandi cujusdam fani interfectum scribant, pridem tamen mortuo, & erga Judæos constantissimè, ut Josephus ait, benevolo, intelligi non potest, quod hîc refertur; de Rege utique hostilis in Judæos animi, recentemque morte suâ lætitiæ materiam præbente. De Epiphane, etsi acerbissimè, longèque iniquiùs Sidete, Judæos vexârit, ratio tamen temporis intelligi non patitur eam mortem, quæ pro novo gaudii argumento narratur, annis ab Epiphanis infelici exitu circiter quadraginta: Bonâ ergo Bellarmini veniâ, opinionem, quam ipse fermè communem omnium existimat, ac sequitur, non admittimus: eoque pacto efficacissimè retundimus cassa adversariorum nostrorum adversùs hosce libros spicula; quando objiciunt, aliter hîc Antiochi Epiphanis mortem narrari, aliter lib. 1. c. 6. & infra c. 9.

An in Perside conductus miles à Sidete?

℣. 12. Ipse enim ebullire fecit de Perside eos, qui pugnaverunt contra nos. Obvia versus hujus ad vulgatæ lectionem explicatio erit, ab Antiocho Sidete ex Mesopotamia, Media, aliisque conterminis regionibus, quas scriptor libri 1. cap. 3. *superiores* vocat, communique Persidis nomine venire solebant, ex quo Persis paruerant: ex iis ergo regionibus vocatum partim conductúmve militem, quo usus est Sidetes ad infestandam Judæam, Hierosolymamque obsidendam. Nec video quid in ea explicatione durum sit, aut difficile creditu. Nam licèt superiores istæ regiones, jam inde ab Antiocho Epiphane ut l. 1. dictum est, Asiaticorum Regum imperium vel omnino detrectarent, vel precariò ferè subirent, maximè posteaquam sese Parthi adversùs dominos erexerant; non ideo tamen ex fæcundissimis gentibus ebullire, & scaturire milites desinebant, derivarique in Asiam & Syriam, cum spes lucri prædæve invitabat.

An in Persidem immissus?

Sed quia Serarius, Salianus, aliique, voces illas, *de Perside*, putant in Vulgata redundare, additasque à Latino interprete claritatis causâ; cùm in Græcis quibusvis correctissimis non habeantur: & quia iidem Auctores censent non debuisse dici *de Perside*, sed *in Persidem* εἰς περσίδα, quomodò Græca habent versu sequenti: nos eorum vestigiis & explicationi insistamus. Ista ergo fuerit sententia. *Ipse ebullire fecit in Persidem eos, qui pugnaverunt contra nos.* Nam post obsidionem Hierosolymitanam Antiochus Sidetes movit adversùs Parthos, cum eo milite, qui Judæos infestarat.

Quis eum immiserit?

Græcè pro *ebullire fecit*, est ἐξέβρασεν, quod est compositum à βράζειν bullire, fervere. Advertit tamen Serarius verti posse transvexit, immisit, fugavit, eoque sensu capi aliis Scripturæ locis. Sap. 10. v. 8. & Nehemiæ ult. v. 28. Idem Serarius relativum, *ipse*, quod initio versûs ponitur, non ad Regem, sed ad Deum refert. Mihi tamen aptius videbatur ad illum referri, de quo proximè mentio facta est. Sed si Serarii opinionem mavis, sic explicabis: *Ipse* Deus, cui gratias agimus, & à nobis agi petimus, *ebullire fecit in Persidem* hostes nostros; effecit, ut Rex Antiochus cum suis in Parthos irrueret, & perniciem sibi accerseret. At quomodo id Deus effecit? Ergóne mali consilii auctor est? Eodem modo fecit, quo dicitur ab Isaia, miscuisse in medio Ægypti spiritum vertiginis, & errare eam fecisse, sicut errat ebrius & vomens: lumen scilicet consilii sui subtrahendo, & homines sibi, fallacibusque suorum consiliis, relinquendo; imò interdum sinendo ut mali genii tenebras offunderent, quomodò alibi diximus.

Cur Hierosolyma dicatur Civitas sancta nunc & postmodum?

Et sanctam Civitatem, Græcè, παρατασσομένους ἐν τῇ ἁγίᾳ πόλει *belligerantes*, seu castrametatos, *in sancta Civitate*, id est adversùs sanctam Civitatem. Latinus interpres explicationis causâ, sic extulit, *qui pugnaverunt contra nos, & sanctam Civitatem*: etsi istud, *nos*, Græcè non habeatur. *Vide*, inquit Rupertus, *quomodò secundum intentionem procedant dicta venerabilia, sanctam terram, sanctam Civitatem pronuntiantia: qui videlicet pulcri sermonis ornatus ab hujusmodi principio, usque ad finem ferè per omne libri corpus servatur, sine dubio contra æmulationes eorum, qui alibi contra legem volebant habere Templum vel sancta Sanctorum.* Similem ob caussam existimo, Hierosolymam à Nehemia appellatam Sanctam Civitatem. Omnia ista, inquit idem Doctor, subserviebant venturo Messiæ: quia de Sion debebat prodire lex & verbum Domini de Jerusalem, non autem Heliopoli, vel Sichimis.

Adde quàm maximè subservire Catholicis & veræ Ecclesiæ, quæ unica est, quemadmodùm unicum erat Templum, & altare. De hoc argumento, & veræ Ecclesiæ notis, unitate, sanctitate, miraculis, &c. dicemus Excursu priore ad hoc caput.

Dux idem & Rex Antiochus Sidetes.

℣. 13. Nam cùm in Perside, Græcè, ut jam diximus, *In Persidem esset Dux ipse*, Græcè, ὁ ἡγεμών. Quis autem ille? Existimavêre scriptores aliquot celebres, in his Canus, Bellarminus, Pererius, ducem exercitûs sub Antiocho intelligendum, tum hîc, tum infrà, v. 16. ubi cæsus narratur. Eam autem diversitatem Regis & Ducis inducunt, quia putant agi hîc de expeditione Antiochi Epiphanis in Persidem. Atqui ex utriusque libri narrationibus constat, longè aliter, & alibi, mortuum Epiphanem, quàm hîc de Duce narretur. Est ergo alius omnino. Ita ipsi argumentantur, & rectè, positâ sententiâ suâ.

At

At nos, cùm ſtatuerimus hîc agi de expeditione Antiochi Sideris, neque iſta difficultate ſtringamur: planè cum Serario, & Saliano affirmamus, eumdem hîc & Regem eſſe & Ducem, neque aliter ſine maximo incommodo, & violentâ, ac detortâ interpretatione, Scripturam explicari poſſe. Patebit, verſus omnes ab undecimo ad decimum octavum inter ſe comparanti: verſum præſertim undecimum, ac decimum tertium, ubi manifeſtum eſt eumdem, à cujus impugnatione liberati ſunt Judæi, Regem vocari primùm, deinde Ducem.

Quantus & qualis Sideris in Parthos apparatus?

Et cum ipso, Rege eodem ac Duce, immansus exercitus, ἀνυπόστατος, cui reſiſti, & contra quem ſtari non poſſet, ſive *intolerabilis*, ut Nobilius & Salianus vocem illam Græci textûs expreſsêre. De iſtarum copiarum numero, & apparatu, ſic habet Juſtinus lib. 38. *Antiochus, occupandum bellum Parthicum ratus, exercitum, quem multis finitimorum*, nominatim Judæorum, *bellis induraverat*, adversùs *Parthos ducit: ſed luxuriæ non minor apparatus, quàm militiæ fuit. Quippe octoginta millia armatorum, ſecuta ſunt triginta millia lixarum. Ex quibus coquorum, piſtorum, ſcenicorumq́ major numerus fuit. Argenti certè, auriq́ tantum, ut etiam gregarii milites caligas auro figerent, proculcarentq́ materiam, cujus amore populi ferro dimicant. Culinarum quoque argentea inſtrumenta fuêre: prorſus quaſi ad epulas, non ad bella pergerent.* O quoties iſte luxus ævo noſtro ſpectatus! *Advenienti Antiocho multi Orientales Reges occurrêre, tradentes ſe, regnaq́ ſua, cum execratione ſuperbiæ Parthicæ. Nec mora congreſſioni fuit. Antiochus tribus prælus victor Babyloniam cùm occupaſſet, magnus haberi cœpit. Itaque omnibus ad eum deficientibus populis, nihil Parthis relictum, præter patrios fines ſuos.* Adferent iſta Juſtini magnum Hagiographo noſtro lumen.

Joannes Hircanus Antiocho it comes, & Hircani nomen accipit.

Joſephus l. 13. cap. 16. affirmat, Joannem Hircanum Antiocho comitem hujus expeditionis fuiſſe; refertque ex Nicolao Damaſceno, Antiochum ad Lycum flumen, ubi Indatem Parthorum ducem profligaverat, erecto trophæo, ibi ſubſtitiſſe biduum, ad Hircani Judæi preces: quod in id tempus fortè Judæorum feſtum aliquod incurreret. Et verò, inquit Joſephus, Pentecoſte tunc inſtabat poſt Sabbathum, quo tempore iter facere noſtris nefas habetur. In iſta expeditione Hircani nomen Joanni datum, communiſſima, poſt Euſebium ac Sulpicium Severum, ſententia eſt, à nobis etiam indicata l. 1. cap. ult. v. 23. Eam quaſi commentitiam exagitavit Scaliger, ſolo, ut apparet, contradicendi ſtudio, quod in ſcriptore valdè fœdum eſt; adeoque meritò illum Salianus inſectatur, ad an. Græcorum 181. numeris 11. 12. 13. quò te remitto: iſthæc enim ad ſcopum noſtrum ſufficiunt.

Quomodò mortuus Antiochus?

Cecidit in Templo Nanææ, consilio deceptus Sacerdotum Nanææ, ſeu ut ad verbum ex Græco reddi poteſt. *Conciſi ſunt in Naneæ fano, fraude uſis ſacerdotibus Naneæ.* Cùm ſtatuerimus, agi hic omninò de cæde Antiochi ipſius, non autem anonymi cujuſpiam ex ejus ducibus: tria nobis ad difficultatem omnem enodandam quærenda ſunt. Primùm, quomodò Hagiographi narratio conveniat cum profana hiſtoria, in Antiochi morte? Deinde, quæ ſit Nanea? Tertiò, quod ejus Templum, & ubi ſitum? Antiochi mortem è profanis hiſtoricis alii aliter narrant. Joſephus cum Arſace Partho, qui aliis Phraates appellatur, congreſſum, victum, occiſumque fuiſſe: Juſtinus, cùm diviſis in hiberna victricibus copiis, rebellantibusque paſſim ex condicto propter militum hyemantium injurias civitatibus, ipſe cum prompta manu ſuppetias ſuis ferre feſtinaret, in Phraatem incidiſſe, & ab eo victum, atque occiſum poſt forte certamen: Appianus, clade à Parthis acceptâ, ſibi manus intuliſſe, ſeu dolore ignominiæ, ſeu metu: Ælianus, re malè geſtâ in Syriam non rediſſe, ſed de quodam loco ſeipſum dediſſe præcipitem. Vides, quanta ſit inter iſtos Auctores diſſonantia in modo cædis, quam vel inde colligere eſt occultam fuiſſe; ut mirum non ſit, etiam ab Hagiographo diſcrepare. Etſi omnes in hoc conveniunt, quòd in expeditione Parthica, ſeu Perſica, ut Hagiographus noſter loquitur, perierit.

Cui ſacerdotes Naneæ oppreſſerint Antiochum?

Quod autem dicitur *conſilio deceptus ſacerdotum Naneæ*, ex Juſtini, qui copioſiſſimè omnium mortem illius deſcripſit, narratione lucem aliquam accipiet. Victor Sidetes copias in hiberna diſtribuit: *Gravatæ copiarum præbitione, & injuriis militum civitates, ad Parthos deficiunt, & die ſtatutâ omnes apud ſe diviſum exercitum per inſidias, ne invicem ferre auxilia poſſent, aggrediuntur.* En communem, & occultiſſimam, civitatum Perſicarum in copias Antiochi conſpirationem. An veroſimile fuerit, conjurantibus paſſim inſidiosè in militem civibus, de Duce ipſo per inſidias opprimendo non fuiſſe cogitatum? Cogitavêre omninò, & in communem conjurationem iêre ſacerdotes, quorum conſilio deceptus eſt, ceciditque cadentibus ſuis; ut nullum prorſus fuerit prælium, quale Juſtinus prodidit; ſed ſtaus tantùm ac cædes, qualem Hagiographus deſcribit. Imò ſi textum Græcum rectè expendamus, ſacerdotes Naneæ non tantùm conſpirationis ſocii, ſed etiam auctores fuerint, artificeſque fraudis totius: ſic enim habet ad verbum. *Cum enim in Perſidem iſſet,* εἰς περσίδα γενόμενος, *ipſe, & qui cum ipſo exercitus, qui intolerabilis videbatur eſſe:* forſan non tantùm intolerabilis, quia validiſſimus, ſed quia ob injurias per hiberna ferri à ſubditis non poterat: *conciſi ſunt fraude* παραλογισμῷ, quæ vox fallacia verba ſignificat, *uſis ſacerdotibus Naneæ*: quaſi cœperint ipſi à capite, ſimul alii reliquos oppreſſerint?

Nanea an Diana?

Quæ vero Nanea, ſeu Nanæa, ut Græcè ſcribitur ναναία? Dianam Liranus, D. Thomas, Peterius exiſtimant, idque nomen in verſione exprimit Lutherus, ſeu Melanchthon, ut advertit Serarius; apud quem etiam multi ſcriptores Dianæ cultum in Perſide admodùm viguiſſe aiunt. Ad eos, quos citat, adjungo Tacitum l. 3. ubi de aſylis Senatus cognoſcit: *Hierocæſareenſes expoſuêre Perſicam apud ſe Dianam, delubrum Cyro Rege dicatum, & memorabantur Perperna, Iſaurici, multaq́ alia Imperatorum nomina, qui non modo templo, ſed duobus millibus paſſuum eamdem ſanctitatem tribuerant.*

Venus potiùs fuerit.

Nanæam tamen non Dianam, ſed Venerem eſſe, nuper indicavimus l. 1. c. 6. ad v. 2. vel ex eo, quòd apud Athenæum Nanno, & Nannium, ſint nomina meretricum; addit Serarius apud Plautum etiam ea vocabula legi, & Nanarium apud Menandrum. Multa deinde ad eamdem conjecturam fulciendam ſuggerit: quòd apud Armenos, & Perſas, Dea fuerit Anaitis, ſeu Nais, ut Strabo appellat, Tanaidem vocat Clemens Alexandrinus à nobis adductus l. 1. c. 6. & Venerem interpretatur: quòd in Naitico fano magna fuerit

ſacerdotum

ſacerdotum dignitas, magnaque multitudo miniſtrorum: quòd Natidis ſacra, quibus Sacæis nomen, à viris & fæminis ſimul pergræcantibus fœdè celebrarentur, convenienter ſcilicet Veneri, non Dianæ: quòd Agathias, Beroſus, aliique ſcriptores priſci, de Venere explicent, non de Diana: quòd illi dedicari ſolitæ dicantur præſtanti formâ puellæ, ut ibi proſtarent, ac deinde nuberent, earum nuptias velut ſacras ambientibus procis.

Fanum ejus Perſepoline fuerit, an Babylone?

At qua in urbe ſtetit ejus delubrum? Ad locum citatum lib. 1. ſubindicavi, de eodem ſpoliando Epiphanem antè cogitâſſe, & poſtmodùm Sidetem. Si ea conjectura placuerit: dicendum eſt, id fanum fuiſſe Perſepoli, quemadmodùm ibidem monuimus. An autem, inquis, credibile fuerit, Reges duos, eo annorum ſpatio, ad eumdem lapidem impegiſſe? Omnino credibile facit cupiditas, cui nihil ſacrum, nihil intentatum, nihil inſperatum: præſertim cùm Sidetes victore exercitu ſubditis incumberet, nec vi ad prædam aſpiraret, ſed dolo invitaretur, neſcius conſpirationis ac periculi. Si tamen Babylonem, luxu & luxuriâ Venerisque cultu diffluentem, malueris, ſuprà ex Juſtino didiciſti captam à victore Sidete: quamquam idem etiam perhibet, Parthos ab eo finibus ſuis coërcitos, adeoque Perſidem ipſi, ac Perſepolin ipſam patuiſſe, & paruiſſe.

Quomodò habitare cum Nanea Antiochus voluerit?

℣. 14. Etenim cum ea habitaturus venit Antiochus, et amici eius, et ut acciperet pecunias dotis nomine. Liranus ait, veniſſe eum, ut debitam deæ reverentiam exhiberet, quâ exhibitâ ſacerdotes promiſerant ſeſe tradituros pecuniam, quæ erat in templo. Sed iſtud *habitandi* verbum, & Græcum *συνοικεῖν* quod *cohabitationem conjugalem* innuit, & pecuniæ accipiendæ in dotem, manifeſtè indicant de Regis cum Nanea nuptiis actum. Noti ſatis ſunt ex hiſtoriis incubi, & ſuccubi dæmones; quibus longè plurimùm in idololatras licebat, vel reipſa, vel imaginibus rerum. Celebratum poëtis connubium Pelei cum Thetide; cui affine aliquid, & ex priſcis fabulis derivatum, habere ait Tirinus ſolennem anniverſariam Venetorum cum mari deſponſationem. Notum item matrimonium Anchiſæ cum Venere. Celebratum hiſtoriis Heliogabali, qui Solis ſacerdos in Oriente fuerat, connubium cum Urania. Notiſſimum, quid Athenienſes M. Antonio fecerint, cùm ſe pro Baccho habere volenti Minervam obtulêre in ſponſam, coactique ſunt dare in dotem myriades centum, id eſt, ex rationibus Saliani, Francorum ſeu florenorum millia ducenta, mille talenta ait Seneca ſuaſoriarum lib. 1. Antiochum Gryplum Demetrii Nicanoris, & Antiochum Cyzicenum Sidetis filium, ſeſe Lunæ maritos jactâſſe, ait Salianus. Neque infrequens fuit fæminis deos maritos ambire, vel Seneca teſte l. de ſuperſtitione, apud Auguſt. 6. de Civ. *Sedent quadam in Capitolio, qua à Iove ſe amari putant: nec Iunonis quidem, ſi poetis credere velis, iracundiſſima aſpectu terrentur.* Vide etiam Joſep. l. 18. c. 4. de Paullina.

Quâ occaſione uſi ad fraudem ſacerdotes?

Ita cæci illi Infideles, vel libidine, vel ſuperbiâ tenebantur, ut, conjugiis humanis non contenti, ad divina contenderent, vel contendere ſeſe fingerent. Per eam ergo ſpeciem, victoriis tumidus Sidetes, à Nanææ ſacerdotibus ſeſe decipi paſſus eſt. Seu ipſe eas nuptias ambierit, vel libidine, vel ſuperbiâ, vel dotis cupiditate, eaque occaſione uſi ſint ad eum fallendum ſacerdotes: ſeu à ſacerdotibus ad eas ultro pellectus fuerit, ut in fraudem induceretur; quod magis videtur Hagiographus indicare, cùm ait deceptum conſilio ſacerdotum, & propoſitas pecunias ab illis, ut jam viſuri ſumus.

Illicium pecuniarum, honorarii & amatorum.

℣. 15. Cumque proposuissent eas pecunias, ſeu *χρήματα*, quo nomine non modò nummi, ſed etiam ſupellex, venire poteſt, & poſſeſſiones quælibet. Propoſita ergo fuit dos ad illiciendum cupiditate animum, quem ambitioſa, ac ſtulta vanitas forſan ſimul trahebat: forſan etiam accedebat luxuria, ſi tamen amator inſanus ſibi feriò perſuadere potuit, ſeſe Vulcani & Martis, ne Anchiſen addamus, rivalem fore, & Venerem totidem maritis nupturam, quot Cleopatra uxor ſua habuerat. Cùm ergo, pro illicio avaritiæ numquam ſaturæ, propoſuiſſent pecunias ſacerdotes Naneæ, maximâ ſuorum parte foris relictâ, Antiochus ipſe ingreſſus eſt intra ambitum fani cum paucis: neque enim multis præſentibus tantum cæleſtium nuptiarum myſterium celebrari decebat, aut fas erat; & ita prorſus putandum eſt, perſuaſiſſe ſacerdotes, quò certiùs, ac ſecuriùs meditatum facinus patrarent. Succeſſitque ipſis conſilium ſuum. Nam *clauſerunt portas* omnes templi.

Explicatur ratio cadis, & ſtratagema ſacerdotum.

℣. 16. Cùm intrasset Antiochus: apertoque aditu templi, Græcè occultâ portâ laquearis, *φατνώματος*, patefactâ, *mittentes lapides*, *πέτρους*, *percuſſerunt ducem, & eos qui cum eo erant, & diviſerunt membratim, & capitibus amputatis foras projecerunt.* Ex Græco ſtratagema totum clarius intelligetur. Sic planâ ſententiâ, & fermè ad verbum habet: *Cum intraſſet Antiochus, patefactâ laquearis occultâ portâ jactu lapidum fulminaverunt ducem, & membra diſſecta, capitaq; amputata, ad eos, qui foris erant, projecerunt.* Statim ergo ac concluſus fuit in delubro Antiochus cum amicorum intimis, quos nuptiarum arcanarum teſtes, atque opulentæ dotis participes, acciverat; excluſâ turbâ cuſtodum ac militum, quâ ſeptum aggreſſuri tutò non erant: repentè apertâ laquearis occultâ portâ, de ſuperiore loco nimbum lapidum effudêre in ſubjectum, eumque tam improviſis ictibus velut fulguritum, occidêre. Occiſi etiam ſine dubio aſſeclæ, devolutis ingentibus in ipſos lapidibus ſimul cum grandine ſaxorum: ſi qui lapidationem evaſêre, mox trucidati à ſacerdotibus, eorumque miniſtris in eum eventum armatis, & per varias vaſti delubri latebras diſpoſitis, ut omnino credibile eſt, fierique debuit. Mutilati cæſorum artus, & præciſa capita de fani feneſtris in circumjectos vicos projecta; tum ad Syrorum, qui illic Regis juſſu ſubſtiterant, terrorem; tum etiam ad dandum civibus ſignum patrandæ reliquorum cædis, prout inter civitates ad dictam diem conventum fuiſſe Juſtinus ſcribit.

Vim Scripturæ faciunt, qui hæc trahunt ad Epiphanem.

Eum prorsùs in modum accidiſſe infauſtum Antiochi exitum mihi perſuadeo, tum ex manifeſta Hagiographi narratione, tum ex re nata. Qui de Antiocho Epiphane, ob aliquam hiſtoriæ ſimilitudinem, tentatamque fani Perſici ſpoliationem, hic agi exiſtumant: ut eum, qui peregrè in montibus non in delubro obiit, à tam deſtinata carnificina ſervent, elapſum fingunt aperto templi oſtio. Sed iſtud dici citra narrationis totius perturbationem non poteſt, & ſine Scripturæ injuria.

An narratio caſi ducis ad Scripturam ſacram pertineat?

Eſtne ergo hæc narratio pars Scripturæ ſacræ? Emmanuel Sa, in notis ad hunc locum, ſic loquitur. *Ego epiſtolam iſtam non puto habere auctoritatem Scriptura ſacra magis, quam alias, qua in hu*

libro

libris inseruntur, ut Romanorum, Spartanorum, aut Iudæorum: solùm enim Scriptura refert tales scripsisse. Vide Iudicum c. 11. simile quidpiam, in dictis Jephthe scilicet, veritati ut apparet non usquequaque consonis, quæ à Scriptura referuntur tantùm prout dicta sunt. Hanc doctissimi viri annotationem, quâ plurimæ hujus primi capitis, & dimidiati secundi difficultates ictu uno, velut Gordius nodus, præscinderentur; etsi damnare, ob ejus aliorumque sapientium virorum auctoritatem, non audeo, donec Ecclesia definierit: probare tamen nullo modo possum, quod saltem ad hanc de Antiocho cæso narrationem attinet, nam de aliis postmodùm videbimus.

Pertinere probatur ex Concilio Trid. & usu Ecclesiæ.

Rationum autem, cur sententiam istam probare non possim, prima hæc est: quòd Concilium Trid. sess. 4. sub anathemate hunc librum, æquè ut alios veteris Testamenti, susceperit, suscipique jusserit, *integrum cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consuevit, & in veteri Latina editione habetur.* Atqui constat, epistolam, libro isti præfixam, jam ab antiquo partem libri esse: nisi dicamus, caput unum totum, alteriusque dimidium, partem libri vocari non debere. Constat item jam inde ab antiquo, in Missis & officiis divinis, hujus epistolæ partes legi consuevisse. Missalia enim tum nova, tum vetera, epistulam Missæ de pace habent ex initio hujus excerptam: & Breviaria tum prisca, tum recentia, per autumni tempus sub Octobris finem, habent lectiones ex libro secundo Machabæorum, ab ipso primi capitis initio cœptas.

Item à scribentium qualitate, ac fine scriptionis.

Alteram rationem duco ex ipsis Emmanuelis verbis. Fatetur à Scriptura referri, tales scripsisse. Est ergo de fide, scriptam hanc epistolam à populo Senatuque Judæorum: ut Judam omittam, de quo ambigunt aliqui quis fuerit, Judásne ille Essenus vaticiniis celeber. Adeóne autem Deus synagogam omnem eâ tempestate destituerat, ut ei non adesset, in literis scribendis de re gravissima, & ad fidei caritatisque unitatem spectante? Agitur enim de schismate sopiendo, reddendâ Templo veneratione, Onio deserendo, Judæis omnibus sub caput unum & ad unum corpus reducendis. In re tam sacra, ac necessaria legi divinæ servandæ, Spiritus sanctus non magis synagogæ suæ, id est veræ tunc, atque unicæ, Fidelium Ecclesiæ, adstiterit, quàm Senatui populoque Romanorum, aut Spartiatarum ad Judæos de re civili, ac prorsus profana scribentibus? Optimè ad ista dixerimus, quod Capharnaitæ pessimè olim ad Christi verba: *Durus est hic sermo, quis poterit eum audire?*

Item à materia.

Tertiò, in tota hac epistola nihil falsum, nihil absonum, nihil inutile, nihil veritati, sanctitatique divinæ indecorum est. Et, ut difficilia sint quædam, an, ob difficultates, de Scripturæ veritate continuò movenda controversia fuerit. Quàm multa spinosa, implexa, profunda, in antiqui Testamenti libris inserta à Spiritu sancto, qui sicut mundum tradidit disputationi hominum, ita Scripturam suam tradidit disputationi Fidelium? Quanta in ipsis Evangeliis in speciem contraria videntur, cùm tamen revera contraria esse nequeant: quia falsitas sæpè falsitati, sed veritas numquam veritati contraria est? Quanta ubique, ut ad Volusianum scribebat Augustinus, profunditas Christianarum literarum, quæ homines, quantumvis acri ingenio pollentes, ab ineunte ætate ad decrepitam continenter exerceat?

Ad eandem narrandi modo.

Denique de Antiochi morte privatim, de qua nunc quærimus, affirmatè singula perscribuntur Synagogæ totius nomine: nihil dubii interseritur, nihil fidei alterius relinquitur, scriptor nullus aut explorator adducitur, cujus auctoritate nitatur narratio: omnem illam narrationem sibi sumunt capita populi Senatusque Judaïci, totam Synagogam referentia. Hactenus dictum non est, quod infrà v. 20. de Nehemiæ igne dicitur, *ut narraverant nobis*, vel quod c. 2. v. 1. de occultata arca, *invenitur in descriptionibus*, vel quod c. 2. v. 24. de cætera hujus libri historia, *Ab Iasone Cyrenæo quinque libris comprehensa, tentavimus nos uno volumine breviare.* In istis forsan quispiam suspicetur, auctoritatem humanam adduci, ne divina periclitetur: & ab Hagiographo veritatem exscriptorum ex aliena vel scriptione, vel relatione, auctoris fidei relinqui. At hîc quis suspicari velit, ubi auctor nullus intervenit, nisi populus Senatusque Judæorum, de re tanta, tamquam sibi & illis ad quos scribitur compertissima, ac recentis memoriæ, scribens? Itaque pro indubitato statuero, quidquid adhuc explicavimus, ipsissimam esse Scripturam sacram: idemque de subsequentibus figendum, usque ad narrationem de Nehemiæ igne, quam infrà examinabimus.

Diversa Dei & hominum judicia.

℣. 17. PER OMNIA BENEDICTUS DEUS, QUI TRADIDIT IMPIOS hostium potestati. Græcè habetur, *Deus noster*, id est Judæorum singulariter Deus ac Dominus: pertinetque rursum ea particula ad conciliandam Ægyptiacorum Judæorum benevolentiam, qui eidem Deo atque Hierosolymitani serviebant. Quod dicitur Deus tradidisse impios, hoc est Antiochum & asseclas, de Antiocho tamen intelligi potissimùm debet. Impium Hagiographus vocat, ex Dei judicio, quem homines ex suo Pium, *εὐσεβῆ*, *Assidetem* vocavere: adeò scilicet diversa sunt Dei, hominumque, judicia. Isti, quæ parent, intuentur, & pietatem ex cæremoniis & larva æstimant, si quis templo donet, sacerdotem veneretur, sacris adsit: at ille sub larvæ integumento cor, ac mentem intuetur, &, quorsum ista evadant, considerat. Quomodò pius Antiochus, etsi Hierosolymitano templo reverentiam exhibuerit, qui tamen deorum cultor esse perseveravit, & Deæ amator tam impius, ut ipsam spoliare voluerit per speciem nuptiarum?

Cur jam de Encæniorum celebratione moniti Judæi Ægyptiaci?

℣. 18. FACTURI IGITUR QUINTA ET VIGESIMA DIE MENSIS CASLEU PURIFICATIONEM TEMPLI, NECESSARIUM DUXIMUS SIGNIFICARE VOBIS. Ex hoc loco argumentum ducunt, qui opinantur Judam v. 10. memoratum non Essenum esse, sed Machabæum. An enim, inquiunt, in his Tornielus, credibile sit, purificationem, seu emundationem, Templi significatam demum Ægyptiacis fratribus post quadragesimum annum, quàm facta erat? Nonne potiùs anno quo facta est, vel etiam antequam fieret, eos pro mutua benevolentia, & ad eamdem religionem unanimi conspiratione, Judas ipse Machabæus monuerit? Sic disputant illi: sed facillima est responsio. Fatebor enim, omnino verosimile esse, à Juda Machabæo Ægyptiacos fratres de Encæniorum suorum celebratione monitos: dicam præterea, constare v. 7. monitos pace per Jonatham partâ, sub exeuntem ejus Principatum: addam videri etiam à Simone, vel ejus tempore, sollicitatos ad illud officii. Sed cùm monita ista respuissent, & festi indicti celebrationem nondum admisissent, vel ob pravam Oniæ Pseudopontificis Heliopolitani, filiorúmve ejus, æmulationem,

tionem, vel alias etiam ob cauſſas: jam rurſus per Judam Eſſenum, celebrem ſanctitate & vaticiniis hominem, & per Synagogam univerſam, excitantur, ut agant diem Scenopegiæ, id eſt Encænia celebrent ad exemplum feſti tabernaculorum, ob novum cælitus acceptum beneficium ex morte Antiochi.

An dies ignis incurrat in eumdem ac Scenopegia?

ET DIEM IGNIS, QUI DATUS EST, QUANDO NEHEMIAS ÆDIFICATO TEMPLO ET ALTARI OBTULIT SACRIFICIA. Quia variæ hîc ſunt difficultates, & interpretum de illis ſententiæ, quæſtionibus paucis omnes abſolvemus. Primùm, an *dies* iſte *ignis dati*, cujus celebratio commendatur, ſit idem ac feſtum *Purificationis* Templi; ſive an miraculum ignis Nehemiani, & Dedicatio Machabæi, in eamdem diem incurrant? Putant Salianus, Tirinus, &c. non eſſe eamdem: Encæniorum enim diem incurrere in menſem Caſleu ſeu Novembrem: Ignis diem incidere in menſem Tiſri ſeu Septembrem; jungi enim cum feſto Scenopegiæ, id eſt tabernaculorum. Sed iſta ratio valida non eſt; cùm ibi non agatur de feſto Scenopegiæ propriè dicto, verùm de feſto Tabernaculorum celebrando ad illius imaginem, ut jam diximus, & ſuprà explicavimus.

An in eumdem ac dedicatio templi Zorobabelici?

Serarius putat, diem ignis fuiſſe Encæniorum templi Zorobabelici, qui incidebat in tertium menſis Adar, Februario reſpondentis l. 1. Eſdræ c. 6. v. 15 Fundamentum autem Serarii eſt, quòd ibi dicantur *completâ domo* Dei, hîc *ædificato Templo*, oblata ſacrificia. Sed fundamento iſto ſubruto, neceſſe eſt, ut ruat ſententia: ſtare autem non poteſt hoc fundamentum, ſi Nehemias ſtatim ab ædificato Templo, ſeu completâ domo, non potuit obtuliſſe ſacrificia, ut mox quæſtione ſequenti dicemus.

An in Machabæi Encænia?

Alii denique, quos Tirinus non nominat, exiſtimant eodem die miraculum ignis accidiſſe ſub Nehemia, & emundationem Templi per Machabæum, id eſt viceſima quinta menſis Caſleu. Rationes hujus ſententiæ, quæ, ſi rectè memini, Bonfrerio maximè probabatur, hæ ſunt: quòd hîc disertè exprimatur, & commendetur, celebratio diei viceſimæ quintæ menſis Caſleu: quòd dies Scenopegiæ, ſive Encæniorum Machabæi, & dies ignis eodem textu ita jungantur, ut non obſcurè indicetur eſſe idem, maximè in textu Græco, ubi continenter junguntur iſta, *Et vos agatis Scenopegia, & ignis*, nempe diem: quòd Encæniorum Machabæi feſtum olim appellaretur feſtum Luminum, ex Calendario veteri Hebræo apud Sigonium, in memoriam beneficiorum variorum eo die perceptorum. Ob eas rationes, præſertim ob textûs ſacri conſiderationem, hanc ſententiam amplector.

De quo Nehemia hic agatur?

Quæritur ſecundò: Quis Nehemias iſte de quo hîc? Salianus anno Artaxerxis Longimani 19. num. 6. ſtatuit eumdem eſſe, qui Dux populi fuit, & cujus eſt liber Eſdræ 2. ſeu Nehemiæ: eamque Saliani ſententiam exiſtimo certiſſimam. Nam utrobique narratur miſſus à Rege Perſarum: utrobique indicatur gratiâ valuiſſe: utrobique gerit ſe pro populi Duce: utrobique ſacerdos vocatur; hîc v. 21. ſaltem in textu noſtro, & in utroque textu implet officium ſacerdotis; Eſdræ autem l. 2. v. 1. nominatur primus è ſacerdotibus, qui fœdus ſignârunt, *Nehemias Atherſatha filius Hachelai*, ſeu Helciæ. Alius fuit Nehemias cum Zorobabele reverſus in Judæam, cui etiam nomen Atherſatha, quia idem Chaldaicè ſignificat Atherſatha, quod Nehemias Hebraicè: ſed hic illum nonaginta duobus annis anteceſſit, inquit Salianus. Tertius item fuit 2. Eſdræ 3. Nehemias filius Azboc, princeps dimidiæ partis vici Bethſur, qui partem muri Jeruſalem ædificavit.

Quando Nehemias ſacrificia obtulerit?

Quæritur tertiò: an ſtatim ab ædificato Templo & altari Nehemias obtulerit ſacrificia, an diu pòſt? Serarius, poſtquam poſuit, non agi hîc de die, quo poſt altare ſolum ædificatum, oblata ſunt ſacrificia 1. Eſd. 3. omnino ſtatuit agi de die, quo poſt ædificatum Templum filii Iſraël fecerunt dedicationem ejus in gaudio l. 1. Eſd. 6. Salianus Serarii opinionem meritò rejicit: *Quia*, inquit, *Nehemias Dux & ſacerdos, non fuit miſſus à Rege Hieroſolymam, niſi poſt duos & ſeptuaginta annos ab illa dedicatione Templi, quæ ſub Dario facta eſt: totidem enim anni numerantur à ſexto Darii ad viceſimum Artaxerxis: unde nunc eſſet pluſquam centenarius, & tamen multos ſupervixit annos.* Quare rectè Salianus ponit, miraculum iſtud accidiſſe in ſolenni urbis per Nehemiam inſtauratæ dedicatione 2. Eſd. 12. Quod verò hanc urbis dedicationem factam exiſtimat Salianus, ſtatim poſt abſolutam mœnium inſtaurationem: iſtud Tirinus, ad eum Eſdræ locum, non approbat, cenſetque biennio pòſt factam, inſtauratis non mœnibus ſolùm, ſed & plateis urbis, ut magis conſentaneum erat decoro, & magis convenit hebdomadibus Danielis, quæ, ab eo tempore ductæ, deſinunt exactè in tempus Paſſionis Christi. Sed ea diſputatio hujus loci non eſt.

Quomodo Nehemias dicatur ædificaſſe Templum & altare?

Quæritur quartò: cùm conſtet à Zorobabele ædificatum longè antè Templum, quomodò hîc dicitur Nehemias & illud, & altare ſtruxiſſe: habetur enim pro, *ædificato*, Græcè οἰκοδομήσας, *poſtquam extruxiſſet?* Reſpondeo, Nehemiam aliquid ſartis tectis Templi addidiſſe quando urbem inſtaurabat; & verò quis ambigat, quin aliquid in templo addendum jam tunc, vel reparandum fuerit, uti & in altari, poſt ſeptuageſimum annum, quàm à Zorobabele ſtructum fuerat? Aut reſpondendum, per catachreſin hîc dici ædificatum à Nehemia Templum & altare, quia mœnia urbis & vicos ædificavit, utilia defenſioni Templi.

An Canonica ſit illa de igne Nehemiæ narratio?

Quæritur quintò: an tota hæc de igne narratio ad ſacram Scripturam pertineat? Dubitare videtur Rabanus, imò negare: *Hæc*, inquit, *de igne reperto in puteo, in ſimilitudinem aquæ craſſæ converſo, neque in Eſdra, neque in Nehemia ſcriptis aut dictis, alicubi reperire potuimus. Sicut nec illud, quod in poſterioribus de arca abſconſione per Ieremiam aſſerunt, ullo modo in ipſius Ieremiæ libro ſcriptum inveniri poteſt. Unde conſtat, hæc illos aut majorum ſuorum traditione didiciſſe, aut in apocryphis eorum ſcriptis exarata reperiſſe. Nos ergo, quod incertum eſt derelinquentes, ad ea, quæ certa, Canonicorum librorum atteſtatione, eſſe manifeſtum eſt, calamum convertamus.* Emmanuel Sa in notatione ad v. 19. *Nec hæc*, inquit, *puto habere auctoritatem Scripturæ: tantùm enim refert, quod illi ſcripſerunt.* Nos ſuprà ad v. 16. rejectâ Emmanuelis cenſurâ ad epiſtolam univerſam, indicavimus, paullò fore tolerabilius, ſi huic narrationi tolleretur auctoritas Scripturæ: quia v. 20. interſeritur iſta particula, *ſicut narraverunt nobis*: quaſi dicat Hagiographus, ſit penès auctorem fides, ſponſor eſſe nolo de narrationis veritate; præſertim cùm in Nehemiæ ipſius libro, tam multa & minuta accuratiſſimè proſequentis, & rem tantam ad divinæ gloriæ publicationem, ac Templi venerationem, non prætermiſſuri, ne per umbram quidem fiat de illa mentio.

Fateor

Habet Scripturæ auctoritatem.

Fateor hoc argumento me aliquantum stringi, quia tamen non omnino insolitum est, res valdè magnas in uno Canonicorum librorum prætermissas, in alio suppleri, ut in ipsis Evangeliis passim videre est: & quia, ut suprà de priore parte epistolæ disserebamus, non videtur Spiritus sanctus passurus fuisse, ut Synagoga de re magna ad fratres, eosque benè doctos, scribens, falsum quid, aut dubiæ veritatis, epistolæ insereret: ob eas rationes planè mihi persuadeo, & aliis persuasum velim, historiam totam de aqua & igne ad Scripturam sacram pertinere, pariter atque omnia epistolæ præcedentia. Et verò interpretes passim nullam de hujus narrationis auctoritate quæstionem movent: & Patres nonnulli, quos postmodùm adducemus, inde, sicut ex Scriptura indubitatæ veritatis, argumenta sua ad morum informationem ducunt. Denique, quo quæso consilio Judas, vir doctus, ad Aristobulum, omnis literaturæ scientem, relationes auctorum fidei relinquendas perscripsisset? Non meritò hic illi reposuisset illud Jeremiæ: *Quid paleis ad triticum?* Homines alicujus judicii apocryphorum somnia sibi pro concione recitari non patiuntur: pateretur iste sibi obtrudi in epistola, & oculos suos falsis, aut falsorum similibus perstringi, non tantùm aures verberari?

Quomodò in Persidem ducti Judæi?

℣. 19. NAM CÙM IN PERSIDEM DUCERENTUR PATRES NOSTRI. Nonne ergo in Babyloniam abducti per Nabuchodonosorem Judæi 4. Reg. 24. & 25.? Respondet Serarius, Persidis nomen latiùs interdum sumi, ut Orientales omnes illas partes complectatur: sic v. 12. & 13. suprà: sic à Chrysost. hom. 6. in Matth. A Mamertino item, Panegyrico ad Julianum, gemina Persidis flumina memorari Tigrin & Euphraten. Sic hodie Franciæ & Hispaniæ nomen tribui regionibus, quæ Regi utrivis parent. Eumdem in modum, quo saltem tempore ista scribebantur, Persidis nomen pro superioribus omnibus regionibus accipiebatur. Vide l. 1. c. 6. Responderi item potest, aliquos revera abductos in Persidem à Persis, quos in copiis suis habebat Nabuchodonosor, ut non malè Liranus. Denique, captâ per Persas Babylone, traducti fuêre captivi in Persidem Jodæorum maxima pars, & ibi sedem fixêre plurimi non improsperè, ut patet ex libro Esther, & Esdræ utroque.

Ignis sacer absconditur.

SACERDOTES, QUI TUNC CULTORES DEI ERANT, ACCEPTUM IGNEM &c. Clarus est textus: noto tantùm quædam ex Græco. Quod Vulgata habet *cultores Dei*, Græcè est, εὐσεβεῖς, *pii*. Quod nos legimus *valle*, Græcè est, κοιλώματι, *cavo*, seu *cavitate* scilicet putei. In ea caverna putei sacerdotes, hortante, ut c. 2. v. 1. indicatur Jeremia, absconditus est ignis sacer, vel ne profanaretur à Chaldæis, vel ut postmodùm redintegratis sacrificiis, quæ igne profano nefas erat absumi, subserviret.

A quibus sacerdotibus?

Quosnam autem potissimùm sacerdotes ad id muneris à Deo electos existimemus? Cùm plerique jam scribant, ipso occupati per Nabuchodonosorem Templi tempore, vices fuisse Joaribæ familiæ; vero simile erit per sacerdotes, qui tunc erant cultores Dei, eos intelligi, qui erant de classe Joarib. De qua cùm Assamonæi prodiissent, uti de Mathathia disertè dicitur l. 1. c. 2. pertinebit hæc particula ad laudem familiæ, in Judæa & Hierosolyma præpotentis, dum epistola ista scriberetur.

Latebras

℣. 20. CÙM AUTEM PRÆTERISSENT ANNI MULTI, ET PLACUIT DEO, UT MITTERETUR NEHEMIAS A REGE &c. Annos sexaginta supra centum colligit Salianus; unde mirum non est, à Nehemia non filios SACERDOTUM, sed NEPOTES consuli, qui ab avis ac parentibus didicisse potuerant, quid olim factum fuisset igne sacro. Sic primâ fronte videatur intelligendus hic locus.

ignis sacri unde Nehemias noverit?

Putem tamen potiùs à Nehemia non consultos illos; sed cùm ipse ex sacerdotali genere esset, audissetque ex majoribus, vel divinitus didicisset locum, qui cæteris erat ignotus, misisse posteros sacerdotum, à quibus ignis erat absconditus, id est ex Joaribæa familia. Si enim locus iste fuit Esdræ cognitus, aut Josue, Joachimo, Eliasibo summis Pontificibus, aut aliis ullis ex Aaronica stirpe, quidni ignem sacrum requisiêre, quando super altari primùm nudo oblata sunt sacrificia, deinde Templo exstructo? Eccur ad dedicandam usque urbem manetur?

An miraculo ignis in aquam versus?

Adverte, eodem versu primum hujus narrationis miraculum, de invento, intra lacebras scrobis profundæ ac siccæ, non igne sed luto. *Converti*, inquit Serarius, *debuerat ignis in aerem potiùs, aut cineres, quàm in aquam.* In eadem tranformatione miraculum agnoscit Salianus. Quamquàm dici potest, tanto tempore ignem primùm evanuisse in aerem, eum deinde aerem densatum in aquam crassam, quam profunditas latebrarum à siccitate defenderit, adeoque necesse non esse hîc miraculum astrui. Quid si, ut fit, aqua in latebras quamvis obstructas perstillantibus imbribus penetravit, & mixta cineribus lutum fecit?

Nehemias sacerdos, & sacerdotis officio functus.

℣. 21. ET JUSSIT EOS HAURIRE &c. Nihil hoc versu difficile. Adverte tantùm, sic Græcè legi ad verbum: *Jussit eos haustam aquam ferre. Ut autem oblata fuêre, quæ sunt sacrificiorum, jussit sacerdotes Nehemias aspergere aquâ ligna, & incumbentia.* In textu nostro dicitur *sacerdos Nehemias*, non in Græco: implet tamen ita omnia sacerdotum munia, & ita illis imperat, ut dubitari non debeat, quin sacerdos fuerit: ne alioqui lepram mereretur, quomodò Ozias, si illius exemplo sacerdotale officium sibi sumeret non sacerdos: maximè cum non deesset summus Pontifex Eliasib, aliique ex genere Aaronis magno numero.

Miraculum ignis è cœno.

℣. 22. UTQUE HOC FACTUM EST, ET TEMPUS AFFUIT, QUO SOL REFULSIT, QUI PRIÙS &c. Narratur manifestum miraculum, de strue lignorum & victimis cœnosâ aquâ perfusis, ardentibus tamen ad solis radios, quibus utique ea vis non foret, nisi collectis & vibratis speculo Archimedico. Meritò igitur omnes mirati sunt prodigium, alteri consimile, quod ad Eliæ preces contigit 3. Reg. 10. v. 38.

Prosperitas ex calamitate.

De cœno ignem sol justitiæ & misericordiæ excitat confidentibus in se, quando ex miseriis prosperitatem donat. Idem significatum est Abrahamo Gen. c. 15. per horrorem, caliginem, occasum solis &c. posteà lampadex visæ, & fulgura discurrentia. Tristitiæ symbolum est aqua crassa, & fæculenta, de putei cavo eruta: ignis vegetus & alacer, cum solaribus radiis emicans, figura lætitiæ est. Quid desperas, cùm in mala incidisti? Nescis mores providentiæ divinæ, fortunam alternare solitæ? Vide tra. de bona vol, p. 2. sect. 2.

Virtus ex vitio.

Ignis item ex cœno est virtus ex vitio. Quàm fædum & graveolens lutum, mulier in civitate peccatrix, Petrus pernegans & pejerans, Augustinus hæreticus & impudicus, Thaides, Pelagiæ, Cypriani magi, Bonifacii cum Aglaide? At ubi conversus Dominus, Sol misericordiæ,

evibravit gratiæ suæ lumen, *accensus est ignis magnus, ut omnes mirarentur* tam subitam mutationem dexteræ Excelsi.

D. Ambrosius post historiam hanc intextam lib. 3. Off. c. 14. sub medium: *Nec ignem istum*, inquit, *possumus ignorare, cùm legerimus, quia baptizat Dominum IESVS in Spiritu sancto & igni.* & paullò pòst: *Ille ignis typus Spiritus sancti fuit, qui descensurus erat post Domini Ascensionem... Sed & in Actibus Apostolorum, cùm decidisset super Apostolos Spiritus sanctus, & plerosque, qui exspectabant præcepta Domini, tamquam ignem dispersas esse linguas legimus... Quid ergo sibi vult, quod ignis aqua factus est, & aqua ignem excitavit: nisi quòd spiritalis gratia per ignem exurit, per aquam mundat peccata nostra? Eluitur enim peccatum, & exuritur.* Alia etiam non pauca egregia apud illum, si lubet, reperies. Ad istam etiam Hagiographi nostri narrationem respexit fortasse D. Chrysost. hom. 11. in epist. ad Hebr. cùm dicit: Si miramur olim solita sacrificia igne cælesti penitùs absumi; & nos eodem posse igne ardere, si paupertatis amore flagremus, si caritate erga proximum & Spiritus sancti igne inflammemur. Ambrosium secutus Liranus, descensui Spiritus sancti totum istud ignis Nehemiani miraculum non incongruè applicat: nos etiam in Excursu applicabimus, sed paullò aliter.

Pœnitentiæ Sacramentum figuratur.

Mysticam tum ex allegoria, tum ad mores accommodationem, habet insignis Scripturæ interpres Ribera noster: quam ipsius verbis attexere non pigebit, si fortè Lector tractatum ejus de Templo non haberet, ubi sic loquitur l. 5. c. 17. post explicatam breviter historiam. *Quid autem ignis inventus post tempus captivitatis, nisi caritatem post peccatum per sacerdotes Ecclesiæ, & per Sacramentum Pœnitentiæ, recuperatam, significat? Quis putaret umquam ex aqua crassa, super hostias infusa, ignem esse exiturum? Sed jussit infundi Nehemias, & operâ sacerdotum infusa est; cælestique virtute subitò ex ea ignis eluxit. Mirabile est, verbis sacerdotis peccata remitti, quæ si, ut hominum sunt, considerentur, quam vim habere possunt, ut animi sordes abstergant, & offensiones in Deum amoveant, magis quàm aqua crassa, ut ex ea fiat ignis? At jubet Nehemias, id est Christus, victimas jugulari, id est peccatorem seipsum per contritionem, & confessionem, Deo mactare; & ejusdem Christi jussu verba & sententiam super eum profert sacerdos, efficitque, ut ignis amissa caritatis calitùs decidat, & domicilium Dei, id est cor contritum & humiliatum, novo lumine, novo calore, novo gaudio repleatur. De hoc igne ait Dominus: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur. Volo ut accendatur, sed sacrificium comparetur, victima jugulentur. Multis displicet vita peccatis implicata, & lassantur in viis iniquitatis, ignem amissum invenire cupiunt, sed cessant, & torpent: agi volunt ut mortui, juvare Deum moventem nolunt, non parant victimas, non quærunt dolorem peccatorum, nihil ex se Deo offerunt; non invenient. Iubet Nehemias victimas immolari, immolent, & aquam infundant sacerdotes, subitò ignis cælestis emicabit. Qui invenerint, exultent, diec festos inventi ignis agant, semper illum nutriant, numquam extingui sinant, omnes victimas suas hoc sacro igne adoleant: ut omnia Dei amore faciant, illi soli placere studeant. Hunc dum servaverint, & auxerint, non metuant ignem illum, de quo scriptum est: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.*

Rerum sacrarum cura.

Rupertus l. 10. de vict. verbi c. 18. valdè laudat fidem sacerdotum inter patriæ suæ excidia, ignis sacri, tamquam rei sibi carissimæ, curam habentium: Multò certè laudabiliores, quàm poeticus Heros Æneas, qui de patriæ incendio, nihil antè extulit, quàm Penates, patrem, uxorem, filium. Eamdem sacerdotum pietatem luculentè deprædicat Ambrosius suprà. *Inter vincula, inter arma, inter flamas, inter servitutem, quæ liberis omni supplicio gravior est, inter pœnas morientium, excidia patriæ, vivorum formidinem, sanguinem peremptorum, non excidit cura honestatis; sed inter eversa patriæ cineres, & favillas, in affectibus piis resplenduit, & refulsit. Non illis studium fuit, aurum defodere, argentum abscondere, quod servarent posteris suis, sed inter extrema sua honestatis curam habentes, sacrum ignem servandum putârunt; ne eum vel impii contaminarent, vel defunctorum sanguis extingueret, vel deformium ruinarum acervus aboleret. Abierunt in Persidem solâ religione liberi, quia sola illis per captivitatem extorqueri nequivit.*

Caritatis custodia.

Discant Christiani, quantâ ipsis curâ servandus sit ignis caritatis. Pereant cætera, ille custodiatur. Nam *si dederit homo omnem substantiam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Quid enim habet, qui Deum non habet? Quomodò autem Deum habet, qui caritatis inops est? Nam *Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* O Christiani, quoties ignis iste nobis commendatus à Christo! Sed heu, *Quis custodiet ipsos custodes?*

Imago resurrectionis in igne suscitato.

Redeamus ad Rupertum. Post laudatam sacerdotum fidem, indicat in igne suscitato imaginem pulcram latêre resurrectionis nostræ; verba ejus sunt: *Ignem morientem, qui nutriri non poterat, qui ubi nutriretur non habebat, illi resuscitandum commiserunt, in quo est spes resurrectionis mortuorum.* Post annum centesimum & sexagesimum revixit ignis; putei cavo conditus, velut cavernâ sepulchri; in lutum versus, sicut corpora nostra in pulverem, & formas deinde alias transeunt. Exsurgemus tamen post quantumvis tempus, post mutationes quaslibet, de terrena, ac fæculenta materia, lucidiores, vividiores, agiliores igne. De cœnoso cadavere tam facilè exsuscitabit omnipotens conditor vivum corpus, quàm ex luto flamam. Vide & applicationem nostram ad animas Patrum in limbo Exc. ad l. 1. cap. 3. sect. 1. num. 9.

Quis Jonathas præerat orationi?

℣. 23. ORATIONEM AUTEM FACIEBANT OMNES SACERDOTES, DUM CONSUMMARETUR SACRIFICIUM, JONATHA INCHOANTE, CÆTERIS AUTEM RESPONDENTIBUS. Ecquis iste Jonathas? Si enim sacerdotem decuit præire inchoandæ orationi: quidni præit summus ipse Pontifex *Eliasib?* Si cantorum aliquis; quidni *Iezraia*, eorum *Præpositus*, ut Esdræ lib. 2. cap. 12. habetur in ea ipsa, ut suprà posuimus, Nehemianâ dedicatione urbis? Tres Jonathas eo Esdræ capite invenio nominatos: primum v. 11. nepotem Eliasib summi Pontificis, filium Joachimi, Patrem Jeddoæ: alterum v. 14. principem familiæ sacerdotalis, filium Melicho: tertium v. 18. sacerdotalis item familiæ principem, filium Semeiæ, patrem Zachariæ, qui v. 34. primus è sacris tubicinibus nominatur, recensenturque fratres ejus *in vasis cantici David viri Dei.* Quis è tribus istis dicatur orationi præesse? Primum aliqui volunt, qui ut juvenis, clara voce, loco avi Pontificis jam grandævi, precationem prælegerit à Nehemia compositam. Quid autem, si, id

officii

officii potiùs tribuamus Jonathæ, cujus filii tunc chorum cantorum faciebant.

A quo composita oratio?

℣.24. ET NEHEMIÆ ERAT ORATIO HUNC HABENS MODUM. Ex textu noſtro manifeſtum eſt, à Nehemia dictatam orationem: ex Græco non item, ubi Nehemiæ nomen ad verſum præcedentem refertur, non autem ad hunc. Sic enim habet v. 23. *Orationem autem faciebant ſacerdotes, dum conſummaretur ſacrificium, & ſacerdotes, & omnes, Ionatha inchoante, cæteris autem reſpondentibus*, ET *Nehemia*: id eſt, ſicut etiam Nehemias reſpondebat præeunti Jonathæ. Deinde verſus 24. ſic incipit abſolutè: *Erat autem oratio hunc habens modum.* In Græco itaque orationis compoſitio non tribuitur Nehemiæ: tenendum tamen ab eo compoſitam, tum quia id textus noſter apertè dicit, tum quia vir plenus Spiritû Dei dedicationem ſuam, & ſacrificia, ſine particulari aliqua ſua oratione abire non ſiverit.

Cur illā non prælerit Nehemias ſi dictavit?

Cur ergo non præit ipſe, ſed ſequitur prælegentem, ſi ab ipſo compoſita erat? Debuitne, quod David pſalmis faciebat, aliis hymnum ſuum & precationem recitandam dare? Nonne ſacerdotem fuiſſe diximus, quod David non erat? Reſpondeo, Nehemiam præire potuiſſe, non decuiſſe tamen ut præiret. Convenientius multo erat iſtud officii, vel Pontificis ſummi nepoti; vel alteri Jonathæ familiæ ſacerdotalis principi, cujus tunc forſan vices erant, & cujus familia muſicis inſtrumentis ſuccinebat præeunti.

Orationis excellentia, & ſententia.

Ad verſum uſque 30. refertur oratio, digna prophetico Nehemiæ ſpiritu, primâ parte laudes Dei magnificentiſſimè complexa, alterâ poſtulationes exponens populi Iſraelitici. In prima parte Deus prædicatur à magnitudine ſua, & à beneficiis populo ſuo collatis. In altera petitur ut populum cuſtodiat, diſperſos congreget, hoſtes confundat. Initio Vulgata habet tantùm ſemel, *Domine*, ſed Græcus textus iterat eam vocem emphaticè, *Domine, Domine.* Quod Latinè legimus, *qui ſolus es bonus Rex*, Græcè eſt, *qui ſolus es Rex, & bonus*; & huc videtur Chriſtus reſpexiſſe, cùm dicit, *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Quod dicitur in utroque textu, *Qui feciſti patres electos*, id eſt, qui patres noſtros elegiſti. Quod verſu 28. petitur, ut Deus affligat hoſtes Iſraëlitici generis: diximus abundè l. 1. quatenus, & quomodò, vindicta de hoſtibus liceat. Quod verſu 29. dicitur, *Conſtitue populum tuum in loco ſancto tuo*, Græcè eſt καταφύτευσον, *implanta, inſere*, ut radices profundas agat. Quod additur, *ſicut dixit Moyſes*, referendum eſt ad Deut. cap. 30. v. 3. 5. & eodem reſpicit verſus 18. cap. 2. infrà. Et hoc ipſum, uti & quod v. 27. ponitur, *Congrega diſperſionem noſtram*, ad Ægyptiacos Judæos cultui Templi Hieroſolymitani afficiendos ſpectare, Rupertus vigilanter advertit.

Gaudium ex ignibus miraculoſis ſacrificiorum.

℣.30. SACERDOTES AUTEM PSALLEBANT, qui, niſi quos cap. 12. recenſet Nehemias; ut vel hinc probabilius mihi ſit, Jonatham, Zachariæ patrem, fuiſſe prælectorem orationis. Eâ oratione peractâ, hymni alii additi, donec conſumptum eſſet ſacrificium. Animos addebat canentibus novum ex conſpectu prodigioſi ignis gaudium. Videbant grata eſſe Deo obſequia ſua, cum inflammâſſet Deus ſuper munera ducis, ſicut ſuper munera Abel ex interpretatione Patrum Gen. 4. & ſicut munera Môſis, & Aaronis Lev. 9. v. ultimo; & ſicut munera Davidis Paral. 21. v. 26. &. ſicut munera Salomonis 2. Par. 7. verſu primo; & ſicut munera Eliæ 3. Reg. 18. v. 38. Sicut hiſce variorum ſacrificiorum oblationibus, igne cæleſti conſumptis, acceptas illas ſibi eſſe Deus demonſtravit: ita & modò Nehemiæ labores pro religione, ac patria, ſibi placere pari prodigio oſtendit. Quid autem Dei cultoribus jucundius poteſt accidere, quàm ut grata ipſi eſſe obſequia ſua intelligant?

Qui lapides perfuſi aquâ reſiduâ?

℣.31. CÙM AUTEM CONSUMPTUM ESSET SACRIFICIUM, EX RESIDUA AQUA IUSSIT NEHEMIAS LAPIDES MAIORES PERFUNDI. Quinam iſti lapides? Serarius putat, qui vel ex ædificatione reſidui erant, vel ad ædificia & atria ſpectabant. Salianus conjicit, veriſimiliùs intelligi lapides inferiores altaris, ad quos ſæpè hoſtiarum ſanguis, ut nunc aqua, fundebatur ad imam crepidinem ejus. Quod autem idem Salianus addit ex Græco καταχεῖν ſignificare poſſe *infundi, capi, contineri*: adeoque hunc verſum explicari etiam poſſe, de aquæ reliquo infuſo intra lapideas urnas: ea explicatio parùm mihi videtur habere veriſimilitudinis. Quorſum enim aqua iſta in urnas, quibus utique hauſta fuerat, refunderetur? An ut ad alia ſacrificia irriganda, Deumque tentandum, & periclitandum iteratò miraculum ſervaretur? Non id paſſa fuiſſet virtus & ſapientia Nehemiæ: qui etiam idcireò, ne miraculum novum videretur poſtulare, eam aquam non juſſit igni altaria ſuperfundi; ſed aſpergi lapidibus ſacris, ne in profanos uſus verteretur.

Iteratur miraculum.

℣.32. QUOD UT FACTUM EST, EX EIS FLAMA ACCENSA EST, SED EX LUMINE, QUOD REFULSIT AB ALTARI, CONSUMPTA EST. Non poſtulabat Nehemias alterum miraculum, ideoque igni ſacro aquam non affuderat: Deus tamen novum ipſi unum facit, imò duo ex uno. Nam continuò ut lapides aquâ perfuſi fuêre, emicuit ex illis nova *flama*, quæ *lumine*, id eſt igne refulgente, ſeu ſeſe diffundente *ab altari*, *conſumpta eſt*, & abſorpta; ut duplex fuerit prodigium, à Serario notatum, primum ignis ex lapidibus aquâ perfuſis promicantis; alterum hujus ignis à priori igne, latiùs ſeſe ex ara in latera diffundente, conſumpti, & abſorpti. Ita ſatis clarè habet verſio noſtra, Græcè non ita disertè utrumque exprimitur, ſic enim eſt ad verbum: *Quod ut factum eſt, flama exarſit: verùm eo, quòd ab altari contrafulſit, lumine conſumpta eſt.* Salianus unicum agnoſcit in hac iteratâ inflamatione miraculum, aitque ſignificari ſolummodò ignem, qui erat perpetuus in altari, ita exarſiſſe, ut aqua, quæ in lapidibus erat, inflamaretur, ac conſumeretur.

Fuitne ante Nehemiam ignis perpetuus in altari?

Petat quis: an ex quo Joſue Pontifex ſummus, & Zorobabel Dux populi, ſtructo altari ſacrificia obtulerant, ignis perpetuò in iſto altari ſervatus non ſit? Reſpondeo, planè ſervatum, diligentiâ ſacerdotum, ex lege divina Lev. c. 6. *Ignis in altari ſemper ardebit.* Cujus legis æmulus dæmon, perpetuum Veſtæ ignem à virginibus cuſtoditum, & nutritum, apud Romanos habebat ſuperſtitione ſacrilegâ: apud Perſas ignem, quem æternum vocabant: alios alibi, de quibus paſſim interpretes ad iſtud caput legis divinæ.

Idémne ſacer fuerit?

Petat deinde; an pro ſacro ignis ille Zorobabelicus habendus fuerit? Reſpondeo, habendum fuiſſe. Etſi enim cælitus datus non fuiſſet, ut aliī, de quibus ad v. 30. non tamen deſumptus erat ex igne ullo, profanis artibus anteà deſtinato; quod ſeverè Judæis prohitum, ſancitumque ſupplicio Core & aſſeclarum Num. c. 16. Sed excuſſus de

silicibus, aridaque materiâ exceptus, & lignis sacrificii subditus, per septuaginta deinceps annos continuis alimentis nutritus, ipso plurimorum sacrificiorum usu, sacer evaserat: quod de igne ad Templi instaurati dedicationem per Judam Machabæum excitato, postmodùm dicturi sumus c. 10. etsi non desint, qui illic etiam prodigii aliquid agnoscant.

Extinctus à Nehemia.

Quid ergo isto igne factum à Nehemis? Extinctúsne superfusis aquis? Extinctum omnino esse non dubito: primùm, quia si ardere perrexisset, miraculo neque opus, nec locus fuerat, neque omnes accenso igne magno mirarentur. Quid enim miri, si ex lignis, post aliquam aquæ aspergin em subjectarum prunarum calore dispositis, ignis magnus existeret? Multum ergo lutosæ aquæ, de puteo haustæ, infusum fuit lignis, & victimis: unde stillans in arulam, obruit prunas ignis sacri, & extinxit. Multum autem affusum fuisse, vel inde conficio, quod multum etiam superfuit, quod lapidibus majoribus affunderetur.

Cur extinctus?

At quorsum Nehemias ignem, tot jam annorum usu conservatum, extinait? Non dubito, quin Dei vel aperto monitu, vel occulto impulsu: ne alioqui tentâsse Deum, & miraculum postulâsse videatur, quam ab eo maculam supra sumus amoliti, in altera aquæ affusione.

Ignis non attritionis tantùm, sed sinceræ caritatis, ad Eucharistiam afferendus.

Voluit autem Deus id patrare prodigii, tum ad cultûs divini propagationem; tum ad conciliandam Nehemiæ reverentiam; tum ut nos doceret, non profanos modò vindictæ, luxuriæ, avaritiæ ignes ad altare Christi non afferendos; sed ne ipsos quidem sacros inferioris ordinis, qui de cordibus lapideis attritu sive Attritione exsculpuntur, collisioneque timoris & spei.

Etsi enim isti attritionis ignes sacri fiant usu Sacramentorum, non ita tamen decent Sacramentum amoris. Sicut Christus sincerissima caritate instituit, & ut testaretur à se diligi Christianos in finem: ita Christianus ad illud, quantum fieri potest, accedat sincerissima caritate, & puro honoris, amorisque divini respectu. Sol in nubilo, Christus in Eucharistiâ; ubi refulsit in cordibus nostris per fidei lumen, accendatur ignis magnus & perpetuus.

An miraculum Nehemiani ignis perpetuatum?

Quæres: Servatúsne sit iste Nehemianus ignis ad profanatum usque Templum ab Antiocho Epiphane; &, an miraculo servatus, an solâ diligentiâ sacerdotum? Servatum fuisse dubitari non potest, citra suspicionem sacrilegæ in Levitis negligentiæ. Miraculum præterea nonnulli, idque perpetuum, addent, quale igni Mosis & Salomonis; quorum hunc, sub dio, inter imbres semper arsisse; illum in deserto pluviis, alisque aëris inclementiis, obnoxium, imò & pannis involutum, numquam tamen extinctum aiunt: ita ignem Nehemianum, ex aquis natum, imbrium injuriam vel non sensisse, vel superâsse, quandoquidem altare holocaustorum esset sub dio. Sed non video, quid istis miraculis opus sit: sat cur tum Mosaico, tum Salomonico, tum Nehemiano igni, sacrificiis peractis, tectum aliquod exiguum ex ferro, aut ære, parvi instar fumarii, superponi non potuerit, quo aëris injuriæ arcerentur.

Ignis de cælo anniversarius apud Christianos.

Ad exemplum cælestium istorum ignium olim, apud Hierosolymitanos Christianos, miraculum accidere solebat, sæculis pluribus perpetuatum. Die Sabbathi sancto vesperè, quotannis palàm, spectantibus omnibus, ignis de cælo delapsus lampades omnes ad sanctum Sepulcrum appensas inflammabat, quamdiu Catholici loca sancta tenuêre, imò & aliquamdiu antè, & pòst. Certè Urbanus II. apertè istius ignis meminit, in Concilio Claromontano, apud Baronium anno ejus Pontificis octavo: meminêre & alii oculati testes: duratque etiamnum prodigii constans fama, apud Arabes, solitos inter se quærere, *Quid sibi vult, quod non descendit amplius Nour?* Ita vocant illi cælestem ignem. Vide Quaresmium l. 5. Elucidationis Terræ sanctæ cap. 3. Peregrinationis secundæ.

Hypocrisis ignem sacrum mentitur.

Apud eumdem Quaresmium, Æthiopes schismatici ignem sanctum de cælo sese accipere mentiuntur, eodem die sancto Sabbathi Hierosolymis. Constat tamen elici illum è silice, adeoque reperta fuit sulphurata, adhuc à scintillis fomite exceptis fumantia. Neque ipsimet erubescunt fidenter fateri amicorum præcipuis, fucum à se plebi fieri, ad evocandos peregrinos, & corrogandam pecuniam. Ita nihil tam sacrum est, quod non imitetur simulatio, & avaritia corrumpat.

Miraculum ignis narratur Regi Persarum.

℣. 33. Ut autem manifestata est res, & publicari cœpta, ut decet opera Dei, quæ revelare honorificum est: RENUNTIATUM EST REGI PERSARUM Artaxerxi longimano, non Dario, ut Liranus contra temporum rationem cum quibusdam videtur censuisse: QUÒD IN LOCO, IN QUO IGNEM ABSCONDERANT, HI QUI TRANSLATI FUERANT SACERDOTES, AQUA APPARUIT: DE QUA NEHEMIAS imperio, ET QUI CUM EO ERANT obsequio PURIFICAVERUNT, seu asperserunt & mundaverunt SACRIFICIA, victimasque ad sacrificium apparatas. Dico Nehemiam imperio, ac jussis, solùm id fecisse, quia Græce habetur: *de quâ aquâ, hi, qui circum Nehemiam erant, purificaverunt quæ ad sacrificium*; Nehemia scilicet, qui totius sacrificii administrationi præerat, imperante.

Quid ad ejus memoriam fecerit?

℣. 34. CONSIDERANS AUTEM REX, ET REM DILIGENTER EXAMINANS, FECIT EI TEMPLUM, UT REM PROBARET. Quid ista sibi volunt, rem diligenter examinâsse, ei tamen facere templum, ut illum probet? Quod templum extruxit Hierosolymis, ubi unicum erat, jam inde à Darii ævo perfectum? Cui rei struxit, & dedicavit templum, ignine sacro, quem adorabant Persæ, & quem hoc prodigio celebratum gauderet? Quomodò rem probare voluit, tentaréne an vera esset, an approbare? In textu nostro obscura ista sunt: Græcus affundet lucem. Sic habet: περιφράξας δὲ ὁ βασιλεὺς, addunt exemplaria quædam τόπον, ἱερὸν ἐποίησε, δοκιμάσας τὸ πρᾶγμα: id est, *cum circumsepsisset autem Rex (locum) sacrum fecit*, vel *templum fecit*, *re probatâ*.

Septum fit in loco putei.

Ante omnia ergo Rex circumsepiri jussit locum putei, seu scrobis, unde hausta fuerat aqua, miraculi materia. Id enim disertè exprimitur verbo περιφράξας: pro quo Latinè habemus, *considerans*. Serarius autem putat olim fuisse *circumsepians*, essetque sic restituenda lectio Vulgatæ, ne alioqui omittatur in textu nostro aliquid tam notabile, & quod aliud longè est, quam rem considerare, & diligenter examinare. Septum autem istud non ligneis, ferreisve tantùm cancellis, factum esse credibile est, sed muris firmis circumstructum. Imò ædificium aliquod additum fuisse existimat Genebrardus: estque omnino consentaneum dignitati Regis Persarum, & benevolentiæ erga Nehemiam.

Sancitur ut sacrum sit.

Eum locum sic septum pro sacro habuêre Judæi, sicut

ſicut probaticam piſcinam, inquit Genebrardus: Rexque ipſe Perſarum ſanxit, ut ſacer eſſet, juſque aſyli obtineret. Indicantur iſthæc voce ἱερὸν, ſi adjectivè ſumatur pro ſacrum: maximè ſi jungatur cum τόπον locum, quam vocem diximus in nonnullis exemplaribus reperiri, videturque convenientiſſima ad ſententiæ claritatem. Neque abſonum erat, aut inſolitum Judæis, locum aliquem à Templo diverſum pro ſacroſancto haberi, ob prodigia ibi patrata, aut res geſtas ad Dei cultum: quomodò 1. Mach. 3. vidimus, poſt tot ſæcula ſervatam à Judæis venerationem erga *Maſpha*, quia *locus orationis fuerat ante in Iſrael.*

Quomodò Templum factum?

Quid verò ad Vulgatam, ubi disertè dicitur, Rex Perſarum feciſſe Templum? Reſpondet Liranus, & meritò, intelligi non poſſe de templo novo in Judæa, vel Hieroſolymis ſtructo; id enim lege divinâ vetitum Nehemias paſſurus non erat. Intelligendum itaque de Hieroſolymitano, quod ante multos annos exſtructum refecit, & exornandum curavit: addere poterat, muris novis, ad prodigii tam illuſtris memoriam, ſecurioremque tam ſacri loci cuſtodiam, circumſepſit. Sed iſto Lirani effugio, licèt non improbabili, opus non eſt: cùm Latinè novum non ſit, locis quibuſlibet ſacris templi nomen tribuere, etſi propriè templa non ſint, ut luci, aſyla, & ſimilia. Sic, inquit Serarius, Æneidos 8 *ſcrupea ſaxa* vocantur *Bacchi templa*. Adde, Regem Perſarum dici poſſe, in iſtius loci ædificatione templum cogitâſſe: etſi Judæi illum non pro templo acceperint, ſed pro loco ad Templum adjecto & addicto, ac per iſtam mancipationem conſecrato.

An ex Dei cultu fecit Rex Perſarum?

Sed ſi Rex Perſarum de templo cogitavit, illúdne vero Deo ponere voluit, an igni qui Perſicâ ſuperſtitione colebatur? Suſpicionem movet Serarius, atque, ex Cedreno in Coſrhoe, apud Perſas fuiſſe πυρὸς ναοὺς, templa igni ſacrata: quòd, ut nonnulli alii Gentiles, ignem ſibi de cælo allapſum crederent, vel Ammiano Marcellino teſte ſex poſthæc ſæculis. Cum ergò Rex ille patrio ritu ignem coleret, ubi cælitùs Hieroſolymam delapſum intellexit, lætus ſuperſtitionis ſuæ, ut rebatur, incremento, templum in prodigii loco erigere conſtituit. Sic ſuſpicari videtur Serarius. Salianus in meliorem partem propendet: quia Artaxerxem veri Dei non fuiſſe neſcium, conſtat ex ejus edicto in gratiam Judæorum publicato c. ult. Eſther. Deinde, quia credibiliſſimum eſt, ab Eſthere & Mardochæo ad pietatem religionemque erga Deum verum, tam opportunâ occaſione, excitatum. Si tamen iſte fuit Aſſuerus: de quo magnopere dubito, cùm legatur in epitomis Juſtini, Eſtherem quamdam uxorem fuiſſe Artaxerxis Ochi.

Liberalitas Artaxerxis in ſacerdotes.

℣. 35. ET CÙM PROBASSET, SACERDOTIBUS DONAVIT MULTA BONA, ET ALIA ATQUE ALIA MUNERA, ET ACCIPIENS MANU SUA, TRIBUEBAT EIS. Rei veritate compertâ, non contentus ſepto ædificato ad rei tantæ memoriam Artaxerxes, ſacerdotibus præterea largitus eſt multa bona, id eſt poſſeſſiones ac fundos: alia etiam munera pecuniaria, aut ſupellectilia, quæ à poſſeſſionibus utique diſtinguenda ſunt, liberaliter ſubmiſit. Imò & accipiens manu ſuâ tribuebat eis: unde Liranus ſuſpicabatur Hieroſolymam veniſſe, pietatis causâ, & in ſacerdotes munera diſtribuiſſe coram. Sed ad hujus dicti veritatem ſufficit, quod idem Liranus ſuggerit; ſepoſuiſſe ipſummet Regem per ſe, quæ ſacerdotibus Hieroſolymitanis mitti volebat: aut Nehemiæ ſacerdoti, comitibus aliis ſacerdotibus reverſo in Perſidem, multa coram largitum. Græcè brevius legitur hic verſus, eâdem tamen ſententiâ. *Et quibus gratificabatur Rex, multa διάφορα*. quod quidam vertunt *diverſa*, Nobilius magis ad verbum reddit, *eximia, accipiebat & tribuebat.*

Quis primus loco nomen dederit?

℣. 36. APPELLAVIT AUTEM HUNC LOCUM NEHEMIAS, Græcè, *appellavere autem illud, qui erant circùm Nehemiam.* A quo, in iſtâ textuum varietate, dicemus appellationem primùm inditam? A Nehemia ipſo, an à comitibus, & aſſeclis? Utrumvis dicatur, conſtat tamen ſua Vulgatæ veritas: quod enim à comitatu & familiâ communiter proſertur, capiti tribui ſolet, præſertim ſi rectè prolatum ſit, ſicut vulgò, quæ à copiis militaribus fiunt, referuntur ad ducem. Exiſtimârim tamen, à Nehemia ipſo, qui ſacrificii totius adminiſtrator fuit, cæptam appellationem; ab adſtantibus, domeſticiſque exceptam; inde in communem uſum traductam, aliterque ab aliis deflexam, ut fit, & mox videbimus.

Nephthar an vox Perſica?

NEPTHAR, QUOD INTERPRETATUR PURIFICATIO. De ejus vocis ſignificatione ambigi non poteſt, cùm in utroque textu eadem exprimatur. De origine non conſtat. Quidam difficultatem omnem præcidunt, dicendo, vocem eſſe originis Perſicæ: quod licèt Serarius explodat, non video tamen cur probabile non ſit, quandoquidem è Perſide recèns venerit Nehemias, nomenque imponat loco, per Regem Perſarum exſtructo. Sed, ſi Hebraicam originem mavis, Bonfrerius noſter exiſtimabat oriri ex *Neph*, quod ſignificat aſpergere, & *Tir* æde, ut ſignificet *ædem aſperſionis*. Serarius tres affert conjecturas, quarum prima ipſi maximè placet, ut oriatur à radice *Patar*, id eſt liberare, *Niphtar*, id eſt liberatus; quod vocabulum ad tumulos Judæorum Moguntinorum frequens eſt, poniturque pro *obiit*, aut *mortuus eſt*: Locus autem ille purificatus, ac ſacratus, eo ipſo liberatur ab uſu communi, fitque immunis. Præterquam quòd *patar* ſignificet *purum*; nec refert, quòd in utroque texto *Nephthar* ſcribatur per th, voces iſtæ Hebrææ per t ſimplex; nam Hebræis frequens eſt, literis non adſpiratis addere aſpirationem.

Aliæ duæ etymologiæ.

Altera Serarii originatio eſt ex voce *Niphet*, ſeu *Naphta*, quod genus eſt bituminis, multum piceì ſulphureique habentis admiſtum, & facillimi ad concipiendam flammam. Solebant autem apud priſcos loca ſulphure purificari. ignesque de cælo, uti fulmina, multum habent ſulphuris, & naphtæ ſunt affines, inde forſan vox *Nephtar*. Tertia ejus conjectura ducitur ex Arabico dictionario, ubi *Nicfar* ſignificat *purificare peccatum*, ex Hebræo *Cophar*, id eſt *expiare, purificare*, unde *Caphrita*, id eſt *ſulphur.*

Non legendum Ephtar, ſed Nephthar.

D. Ambroſius l. 3. Off. c. 4. ubi hanc ab eo hiſtoriam recitari, & illuſtrari diximus, non *Nephthar* legit, ſed *Epathar*, niſi vitium eſt librariorum. Serarius ſuſpicatur, non longè à D. Ambroſio, pro *Nephthar* legendum *Ephtar* à radice *Patar*: N, literam ex præcedenti voce Græcâ, quam claudebat, ad initium iſtius traductam; adeoque jam legi, προσηγόρευσαν τοῦτο νέφθαρ *vocaverunt illud Nepthar*; cùm legi deberet προσηγόρευσαν τοῦτον ἔφθαρ, *vocaverunt illum*, ſcilicet locum, *Ephtar*. Sed quid dicet ad vocabulum *Nephi*? An etiam litera N illi ex præcedentis vocis fine præfixa eſt? Atqui præcedens vox eſt dativus pluralis πολλοῖς, unde traduci N ad Nephi non potuit. Sicut ergo non legendum eſt *Ephi*,

sed Nephi, ita non legendum Ephrar sed Nephthar, cujus origo si Hebræa est, Bonfrerianam præ omnibus etymologiam elegero.

Nephi quid significet?

VOCATUR AUTEM APUD PLURES NEPHI. Græcè νεφθαί, *Nephthai*, apud D. Ambrosium Nephte, nisi etiam mendum est exscriptorum. Deflexa autem est ista vox ex Nephthar, & à populo ut solet corrupta, adeoque *idem penitùs significat*, ut loquitur D. Thomas ad hunc locum; neque enim apud illum legendum, *Nephi idem est quod penitùs*, sed, *idem est penitus*, quomodò Serarius advertit. Liranus item: *Nephthar*, inquit, *interpretatur purificatio. Idem enim idioma variatur secundùm diversas partes terræ: sicut idem idioma Gallicum Parisiis, & in Picardia aliter pronuntiatur.* Quotidianæ sunt earumdem vocum, pro regionum temporumque varietate, variæ in eâdem linguâ deflexiones; ut opus non sit, aliam pro *Nephi*, quàm pro *Nephthar*, originem vestigare. Serarii tamen copiosum ingenium suggerit, apud Ægyptios, qui mensibus Lunaribus utebantur, ad Solarem annum implendum dies fuisse adjectitios quinque, seu ἐπαγομένας ἡμέρας: quorum quintus νεφθι dicebatur, quod prorsus est Ambrosianum *Nephthe*: eoque forsan die ab Ægyptiacis Judæis celebratum festum ignis Nehemiani, vulgoque apud illos datam loco prodigioso appellationem à nomine diei, recolendo prodigio dicati.

Ubi locus Nephthar fuerit?

Ubi autem is locus fuit? Salianus anno Artaxerxis 21. existimat, fuisse in solitudine, eamque solitudinem non designat: forsan eamdem esse censuerit, quò arca per Jeremiam ablata, ut vulgò existimatur, & cap. sequenti dicturi sumus. Sunt qui indicent, in Templo ipso fuisse, ubi excitatus ignis divinitus; sed cùm circumclusus fuerit iste locus, ac pro sacro haberi jussus per Regem Persarum, satis apparet non fuisse in Templo, quod jam ante sacrum habebatur; multò minùs fuisse ad altare holocaustorum, quod sanctissimum erat, & septri circùm nequibat. Putârim ergo, locum aliquem fuisse in ipsa urbe Hierosolymitana, Templo contiguum, quo loco ignis sacer abditus fuerat: neque enim longiùs efferri ignem per sacerdotes commodum erat: & latebræ, ac scrobes, in tanta civitate recondendo illi non deerant.

EXCURSUS I. MORALIS

Ad c. 1. *v.* 1. Fratribus, qui sunt per Ægyptum, Iudæis, salutem dicunt fratres, qui sunt in Hierosolymis, Iudæi, & qui in regione Iudææ, & pacem bonam.

Quæ sit vera Ecclesia Dei?

SECTIO PRIMA.

Unitas Ecclesiæ.

I. Pax offertur Acatholicis amico bello.

DIXIMUS in Commentariis, hanc epistolam totam, imò & librum universum, eò potissimùm spectare, ex mente Hierosolymitanorum Judæorum: ut Ægyptiaci, quibus ex Scriptura divina perperàm intellecta, templum ab Hierosolymitano structum aliud erat, alius à legitimo Pontifice sacerdos præpositus; à suppositicio capite, & superstitioso cultu, ad avitam religionem revocarentur. Idem nobis lucubratiunculâ isthac universâ, imò non exiguâ Commentariorum nostrorum ad Machabæanæ historiæ librum alterum parte, potissimùm spectabitur: ut per schismatωn & hæreseωn Ægyptum sparsos fratres nostros, templaque sibi illegitima & capita adscititia molitos, ad domum Dei revocemus, hortemurque ad reverentiam vero Templo ac Pontifici redhibendam. Eo fine *Salutem* ipsis, &, *pacem bonam*, voveo atque offero, in amico fraternoque bello, quod veteri caussâ, recentibus animis inoturus sum, imò propulsaturus: bellum enim ipsi cœpêre, cùm sese à nobis avulsêre, & schisma fecêre, segrege synagogâ, exlege Onio.

II. Capitalis cum ipsis controversia de veritate Ecclesiæ.

Caussa summa est, & à cujus decisione pendent cæteræ: Nostrâne, an ipsorum, Ecclesia vera sit; sive, an de legitima simus congregatione Fidelium Christi, an ipsi extra illam? Nam si istud confecerimus, Ecclesiam nostram Christi esse; & hoc consequetur, fidem nostram veram esse doctrinam indubitatam, præcepta certa ac divina, rectam & unicam salutis semitam: contrà, ipsos verâ fide, doctrinâ, præceptis vitæ, & fundamento salutis, destitutos. Una enim est, Calvino fatente, lib. 4. Inst. c. 1. sect. 2. vera Ecclesia Dei; extra quam quidquid agatur, ad salutem non proficit. *Huic hæreditati*, inquit Aug. epist. 162. quam Deus Christo suo dedit, *qui non communicat, quoslibet libros teneat, exhæredatum se esse cognoscat. Nec habebit*, inquit idem de Symb. ad Catech. l. 4. sub finem, ea verba mutuans à Cypriano lib. de unitate Ecclesiæ, *Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.* Itaque eximius ille doctrinâ, & sanctitate, Pater, quas cum hæreticis disputationes habebat, ad illud caput consuêrat reducere, Ecquænam esset vera Dei Ecclesia? Epistolâ 163. ad tres Donatistas, narrans se cum Fortunio, Donatistarum Episcopo, collocutum; post salutationes mutuas, & laudabilis vitæ commemorationem, *Quærere*, inquit, *cœpimus, quænam esset illa Ecclesia, ubi sic vivere oportebat?* Item epist. 164. ad Emeritum Donatistam sub finem: *Quæritur autem, utrùm vestra, an nostra, sit Ecclesia Dei? Quapropter illud quærendum est à capite, Cur schisma feceritis?* Quam ego quæstionem aliàs, tum privatâ ad Ægyptios quondam scriptione,

scriptione, tum publica dictione cæptam, nunc absolvam, Deo propitio, & afflante Spiritu caritatis ac veritatis.

III. *Visibilis est Ecclesia Dei.*

Transeamus quæstiunculam prorsùs supervacuam; utrum Ecclesia Dei sit visibilis: quam adversariorum nostrorum aliqui, tergiversandi & cavillandi gratiâ, proponunt, non inquirendæ veritatis, obviæ, ac manifestæ. Nam, ut Augustinus Vincentio Donatistæ scribebat epist. 45. *Quomodò confidimus, ex divinis literis nos accepisse Christum manifestum, si non inde accepimus & Ecclesiam manifestam?* Ecclesia, quam Paullus vocat domum Dei vivi, quanam viâ quæratur, ubinam inveniatur, si nusquam apparet, & sine insigni est? Quo pacto est *columna, & firmamentum veritatis*, si non habet unde internoscatur, & veritatem cognoscendam offerat? Quo jure Deus Infidelem damnet, qui Ecclesiam pro matre habere noluerit, si eam nec vidit usquam, nec vidisse potuit?

IV. *Ex certis indiciis.*

At verò, inquiunt inepti quidam cavillatores, creditur Ecclesia Dei, ergo non videtur: dicimus, *Credo Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem*, non dicimus, Video. Planè, credimus Ecclesiam; & videmus. Videmus enim eam congregationem, eum cætum, de quo credendum sit, esse Ecclesiam Dei: sicut visus est homo Christus de quo credendum erat esse Filium Dei. Intuemur notas, unde Ecclesia dignosci tam facilè possit, quàm res ex qualitatum propriarum indicio. Quemadmodùm gemmarius habet, unde adamantem à crystallo discernat, vitrum à margarito; & herbario signa sua sunt, ut cicutam & apium internoscat: ita nobis nostra sunt, quibus adulterinos Christianorum cætus, eadem licèt Christi & Trinitatis nomina clamantium, à legitimo distinguamus.

V. *Notæ adversariorum rejectæ.*

Quænam autem illa? Solent adversarii pro veræ Ecclesiæ indicio proferre veram doctrinam; aut, quod eòdem fermè recidit, verum Scripturæ ac Sacramentorum usum. Sed, ô fratres Ægypti, miserè ambulatis in circuitu, &, per speciem inquirendæ veritatis, fugitis veritatem. Doctrinæ veritas ab Ecclesiæ veritate noscenda est: vos contrà, Ecclesiam vultis ex doctrina cognoscere? De Scriptura, de Sacramentis, immortale nobis bellum indixistis, convenire non vultis: istud tamen, quo de quæstio est, quæstioni alteri decidendæ pro indubitato iudicio adhibetis? Mira prorsùs, ac nova, & in spiras sese torquentium novitiarum sectarum ingenio accommoda, ratiocinandi formula; ex ignoto notius discere, ex difficiliori quærere facilius, ex consequente antecedens conficere. *Columna, & firmamentum*, substructioni fulciendæ subjectum est, uti Ecclesia veritati: Vos, peritissimi sanè architecti, substructione columnam & firmamentum fulcitis, doctrinâ & veritate Ecclesiam. De unicâ re disputamus, quæ vera sit Ecclesia: Vos, uni disputationi terminandæ, innumeras de veritate doctrinæ disputationes proponitis, ut disputandi finis non sit. Prorsùs, ut vitilitigatores, & rabulæ solent, qui, caussæ suæ diffisi, alias ex aliis controversias movent, & effugia quærunt, litis ac sententiæ protrahendæ, & fatigandis multiplici quæstionum nexu adversariis.

VI. *Notæ quatuor ex Symbolo Nicæno.*

Ut finis fiat; statuendum aliquid ante omnia, de quo inter nos non ambigatur: ex eo, quod utrimque certum est, conficiendum aliud, quod utrimque certum esse debeat. Nicæni Concilii Symbolum auditis, legitis, admittitis, velut indubitatam post Apostolicum Symbolum Fidei regulam, quam violare, vel apice detracto, nefas sit. Eam regulam Calvinistæ accipiunt articulo quinto Confessionis: Beza editioni suæ novi Testamenti, tamquam Evangeliorum appendicem, utraque linguâ, Græcâ, & Latinâ, intexit. Atqui in isto Symbolo hæc de Ecclesia recitantur: *Credo in Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Id nos credere dicimus, idem vos credere dicitis. Tenemus ergo, quod utrimque pro certo ac confesso habeatur; & quo veram Ecclesiam, cui credendum, cujusque decretis, velut columnæ & firmamento veritatis, standum sit, internoscamus. Ea enim vera Ecclesia est, quæ Una est, Sancta, Catholica, & Apostolica. Age modò experiamur, utri Ecclesiæ signa ista quaterna conveniant, vestræne, an nostræ: inde certò confecturi; utra sit Ecclesia Sanctorum, aut Ecclesia malignantium.

VII. *Examen illarum hæretici declinare conantur.*

Tergiversantem video Plessium Mornæum, cap. 3. Tractatûs de Ecclesia; & notarum illarum examen fugientem. Declinare, & eludere, conabatur Zelandus Minister, anno hujus sæculi quinquagesimo primo: caussatus litteris ad Tornacensem civem, mercatoris nomine, scriptis, Symbolum Nicænum sibi pro fidei regula non esse. Cui mox respondi: articulos fidei regulam fidei esse: id enim esse credendum, quod articulis istis credendum statueretur: eam autem fidei regulam esse, quæ quid credendum sit, proponat, ac sanciat. Atqui ab ipsis Symbolum Nicænum pro fidei articulis accipi, atque adeò pro indubitata regula credendorum. Itaque nolint, velint, prærogativas illas notasque Ecclesiæ admitti ab illis debere; aut, si non admittunt, eâdem operâ Concilium ac Symbolum Nicænum in totum abdicari oportere.

VIII. *Unitas apud nos est, neque esse non potest: apud adversarios non est, & esse nequit.*

Sed quia nondum eò venerunt, ut Nicæno Symbolo renuntiare audeant: eamobrem Nicænarum Ecclesiæ notarum examen, quamvis inviti ac tergiversantes, coguntur admittere. Illarum uti prima, ita & præcipua est, Unitas; uno paradiso, unâ Noemi arcâ, uno Mosis tabernaculo, uno Hierosolymitano templo, unius synagogæ primariæ conventu, unius tunicæ inconsutilis simplici per totum contextu, designata. Hanc unitatem Ecclesia Romana possidet, nec potest amittere: adversariorum nostrorum synagogæ non habent, & habere nequeunt. Conveniunt quidem inter se, ut Ecclesiam Romanam lacessant, & unius religionis decreta impugnent: non ideò tamen in credendo concordes sunt, sed ad non credendum dumtaxat fœderantur; dissonæ alioqui, & inimicæ, quando inter se, de credendis, inquirunt. Quare Vannius, nuper edito de caussis conversionis suæ libello, percommodè Ecclesiam Catholicam calori, hæresin frigori comparavit. Calore enim homogenea, résve naturæ ejusdem, congregari, & uniri; heterogenea disgregari, & discedere: frigore contrà colligi heterogenea, & in idem glaciei corpus aquam, paleam, ligna, saxa compingi, mox ubi regelabit solvenda. Ita in Ecclesiam Catholicam convenire idem sentientes Christianos, idemque sensuros: cum hæresi adversùs Ecclesiam conspirare dissentientes, &, extra conspirationis istius hostilem concordiam, semper dissensuros. Ut vel hinc appareat, veritatem apud nos esse, apud illos falsitatem: una est enim, ac sibi constans veritas; falsitas varia, & multiformis.

IX. Triplex Unitas designatur.

Quænam verò ista est Ecclesiæ unitas? Nam generis omnia homines, conditionisque, & ingenii in illa video: legoque apud Apostolum, similem in modum esse ac corpus, cujus diversa membra sunt. Itaque sicut membrorum varietas compaginata ossibus, nervisque colligata, corpus unum efficit: ita graduum ac conditionum diversitas, vinculo quodam morali ac spiritali connexa, Ecclesiæ corpus componit, Spiritu sancto animatum, sub capite Christo. Triplici autem nexu inter se membra Ecclesiæ conjungi possunt, fidei primùm, deinde spei, denique caritatis. Hoc suavissimum mutui amoris vinculum suis à Patre postulabat Christus, Joan. 17. *Ut ipsi unum sint, sicut & nos unum sumus.* Istam spei unitatem Ephesiis commendabat Paullus c. 4. *Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestra.* Fidei concordiam, priorum fundamentum, iisdem Ephesiis c. 2. imperabat Apostolus, ut perfecti essent in eodem sensu, & in eadem sententia, quia *unus* est *Deus, una fides, unum baptisma.*

X. Caritatis unitas non semper est inter Ecclesiæ membra.

Caritatis unitas, quamvis commendatissima, non semper omnia Ecclesiæ membra connexuit. In ipso nativitatis exordio Corinthiis exprobravit Paullus c. 11. & 14. sese audisse, inter ipsos esse *scissuras*, & Deum non esse *dissensionis, sed pacis.* Galatas c. 5. monuit, ut caverent, ne invicem mordendo, & comedendo, ab invicem consumerentur. Ephesiis eadem metuens, hortatur cap. 4. ut sint *solliciti servare unitatem spiritûs, in vinculo pacis:* Christus, qui, ut Augustinus loquitur l. 1. c. 16. de Doct. Christ. *Corpus suum multis membris, diversa officia gerentibus, nodo unitatis, & caritatis, tanquam sanitatis adstringit*: futurum tamen prædixit Matth. c. 24. ut novissimis temporibus, abundante iniquitate, refrigescat caritas multorum. Habet nempe Ecclesia, quemadmodùm Paradisus, in plantis arborem scientiæ, inter animalia serpentem: arca Noemi est, ubi corvus & columba pascuntur: Tabernaculum, & Templum est, quo hædi simul & agni inferuntur: area est, ubi palea frumento miscetur. sagena est, quæ pisces claudit bonos, & malos; ager est, ubi zizania succrescunt ad messem usque cum tritico: uti etiam diximus Excurs. ad c. 8. l. 1. sect. 3.

XI. Neque unitas spei.

Ad spei unitatem licèt Christianos omnes identidem Paullus exciter, ut quæ sursum sunt quærant, quæ sursum sunt sapiant: non omnes tamen ad eumdem supremum bonorum finem desideria sua referunt. Fidem habent, sed spem non parit: sterilis radix surculum non progerminat: fibræ, in terra serpentes, truncum ad cælos non mittunt. De ipsis ævi sui Fidelibus istud conquerebatur Paullus Philip. 2. *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ IESU CHRISTI.* Ut mirum non sit, Timotheo scripsisse 2. 3. futurum, ut, *in novissimis temporibus*, sint *homines cupidi, seipsos amantes*, &c. quibus spes jacet in ferculis, aut in arcis clausa est, vel repit in aulis ac subselliis, vel in voluptatibus mergitur.

XII. Absolutissima fidei unitas in Ecclesia Romana.

Superest itaque sola fidei unitas, & concordia credendorum, omnino necessaria, ut vera Ecclesia sit. Una enim esse non potest, nisi, quicumque in ejus cætu sunt, eosdem credendi articulos recenseant, iisdem Sacramentis utantur, eadem legitimorum Conciliorum ac Pontificum scita, ac decreta, complectantur. Quod esse apud nos, adeò constat; ut etiam cæci videant, & hæretici maximè indignentur: nihil enim pejus habet adversarios fidei, quàm fidei concordia. Leodii quid Catholicus credit? Idem, quod alius Romæ. Quid Parisiis? Idem, quod Madriti. Quid Macai? Idem, quod Mracl. Quid Mexici? Idem, quod Ulisippone. Quid Cracoviæ? Idem, quod Viennæ. Quid Londini? Idem quod Bruxellæ. Quid Friburgi? Idem, quod Dublini. Accidisse videmus Ecclesiæ, quod profanus scriptor præsensisse, aut divinâsse dicitur: fore, cùm non esset alia lex Athenis, alia Corinthi, alia Susis, sed una universorum. Ita modò in Ecclesia Romana, quaquaversum diffusâ, sentiendi ac credendi lex unica est: ora dissentiunt, ipsæ interdum discordant voluntates, sed una sonat fidei lingua: *Qui unicam linguam vult*, inquit Augustinus, ad illud, *proteges eos in abscondito faciei tua à contradictione linguarum*, Ps. 30. *veniat in Ecclesiam Catholicam: ibi varia lingua corporis, una in fide cordis.* Contrà planè, quàm apud hæreticos, ubi una sæpè lingua corporis, plurimæ in sensu cordis, velut ædificantium turrim Babel, in confusione linguarum.

XIII. Disputationes de articulis non decisis unitatem fidei non solvunt.

At, inquies, nonne etiam apud Catholicos sunt opinionum diversitates, & pugnæ sententiarum? Sunt omnino, in ipsa credendorum materia: sed antequam de credendi necessitate potestas legitima decideril. Posteaquam autem illa pronuntiârit, à Catholicis omnibus protinus acquiescitur: qui acquiescere detractârint, Catholici esse desinunt. Ecclesiâ nascente, disceptatum de Mosaicæ legis observatione: Paullus negabat, aiebant alii. At postquam Petrus & Concilium dixêre Act. 16. *Visum est Spiritui sancto, & nobis*, sopita mox controversia, & in unam omnes sententiam concessêre. Censere potuit Cyprianus, rebaptizandos hæreticos, idemque licuit octoginta Episcopis in synodum convocatis: sed post Ecclesiæ pronuntiata ampliùs non licuit, & hæretici esse cœperunt, qui proscriptam Cypriani, sancti Doctoris ac Martyris, sententiam secuti sunt; accidítque, quod Vincentius Lirinensis dicebat; ut *auctores opinionum Catholici, consectatores heretici judicarentur, magistrisq́; absolutis condemnarentur discipuli.* Discipulis enim nefas fuit, post Ecclesiæ pronuntiatum disceptare, quod antè magistris fas fuit.

XIV. Ecclesia in decisionibus fidei errare nequit.

Eumdem in modum hodie in scholis, aliter D. Thomæ sectatores, aliter Scoti, sentiunt: habet opiniones suas Vasques, Suares suas. At si de sententiarum altera supremo judicio Ecclesia statuerit, opinionum varietas unâ fide mutatur. Hæc enim nobis fixa lex credendi est, quidquid Ecclesia pronuntiârit; quam fallere, vel falli, in credendorum propositione scimus non posse. Id Christus ipse nos docuit, Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*: utique prævalituræ, si falli fallerêve in credendo posset. Accessit Paullus, identidem commemorando ad Timotheum monito, 2. 3. conversandum *in domo Dei, quæ est Ecclesia*, non Ephesina cui præerat Timotheus, sed Catholica, *columna & firmamentum veritatis:* columna autem, & firmamentum veritatis non foret, nisi à veritate aberrare nequiret.

XV. Vis una Catholicorum de Ecclesiæ infallibilitate, & una Fides.

Scimus Concilium Nicænum, apud Baronium anno 325. ex Athanasio, ad singula fidei capita, pro irrefragabili, & decretoria ratione, scripsisse, *Ad istum modum credit Ecclesia Catholica*: eamque nos hodie rationem, tanquam ultimam, certissimamque, credendi reddimus. Audivimus centies istud Augustini, l. con. epist. fun. c. 5. *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ*

commoveret

commoveret auctoritas: Legimus apud Vincentium Lirinensem, cùm frequenter à sanctissimis & doctissimis viris quæsivisset *certam, & quasi generalem, ac regularem viam Catholicæ fidei*, hoc semper retulisse responsum: duplici modo fidem, adjuvante Domino, muniendam, *primò scilicet divinæ legis auctoritate, tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione*: Ecclesiæ enim auctoritatem Scripturis accedere debere, quibus hæretici passim quilibet abuterentur. Didicimus ex Gregorio Magno, l. 4. dial. c. 1. puerum in tenebris carceris natum, & educatum, matri de luce dicenti credere debere. Dicimus cum Bernardo epist. 174. *Ego verò quod ab illa* Ecclesia *accepi, securus & teneo, & trado.* Catholicorum omnium una hæc vox est, adeoque una fides non esse non potest.

XVI. *Apud adversarios nostros unitas fidei non est.*

Contrà omnino, in adversariorum nostrorum castris, nec vox nec fides una est, nec potest esse. Ex quo erupêre secta Lutherana, & Calvinistica, mox innumeræ ab illis dissectiones emersêre: ut aliqui ducentas abhinc sæculum numerârint: multò certè pauciores non fuêre; quarum asseclæ alios alii pro hæreticis habebant, diabolos, archidiabolos, Antichristos, Mahometidas, consuetâ sectariis modestiâ, vocitabant. Unde cuipiam scriptori Catholico occasio fuit, ex mutuis ipsorum objectionibus conficiendi, totam illos suam à diabolo doctrinam hausisse. Alia verò scaturigo triginta sex novorum, pugnantiumque de Eucharistia errorum, esse non potuit, quàm de puteo abyssi: neque aliunde prodierunt diversiformes Testamenti utriusque versiones, ac perversiones; in quarum una Puritanica Braugtonus, vir inter Anglos sectarios eruditus, conqueritur, mutatam, & corruptam, numerato, veteris Testamenti sententiam locis octingentis quadraginta octo. Luthero & Calvino contigit, quod Donato apud Augustinum, lib. de Agone Christ. cap. 29. *Sicut Christum dividere conatus est, sic ipse à suis quotidianâ concisione dividitur. Ad eum pertinet, Qui gladio percusserit, gladio peribit. Percussit Ecclesiam linguâ.* Lutheri & Calvini asseclis fit, quod Donatistis, Augustino teste, epistolâ 143. *Mariti, & uxores, de suo sibi lecto consentiunt, & de Christi altari dissentiunt. Filii cum parentibus unam domum habent suam, & domum Dei non habent unam..... Servi, & domini, communem Dominum dividunt, qui formam servi accepit.*

XVII. *Neque esse potest.*

Discordiæ istius perpetuæ radix est à spiritu privato: quem quia singuli hæreticorum habere se putant, sibi ipsi regulas fidei fingunt, & in Scripturas etiam sacras imperium arbitrariæ interpretationis arrogant; ut in proleg. ad lib. 1. sect. 5. advertimus. Quanquam minister quispiam Zelandus, mihi, id ipsum de spiritûs privati compugnantia objicienti, respondit: privato sese spiritu non regi, sed judicio discretionis: quasi diceret, sibi non ensem esse, palliúmve, aut galerum; sed gladium, chlamydemque, & pileum. Nam quæ alia inter spiritum privatum, & judicium discretionis, distinctio, quàm literarum, ac vocis? Nobilem illam, ac splendidam hæreditatem, à priscis hæreticis accepêre; quibus eadem quidvis sentiendi, fingendique, licentia solennis fuit. Ita de ævi sui erroribus advertit Hilarius, cujus festo hæc scribebam: *Accidit tibi*, inquit lib. con. Const. Aug. *quod imperitis ædificatoribus, quibus sua semper displicent, accidere solet, ut semper destruas, quod semper ædifices*: quia non quod oportet sentis, sed quod libet. Et l. 8. de Trin. *Non subditi sunt fidei, sibique fidem potius ipsi constituunt. Quæ autem est pejor mors animæ*, inquit Aug. ep. 166. *quàm libertas erroris?* Sic spiritus suggerit: sic judicio discretionis sentio: sic instinctu proprio intelligo. Quid talibus superest, nisi ut, Sedeciæ pseudo-prophetæ exemplo 3. Reg. 22. faciant sibi cornua ferrea, & inter se pugnent, utrum ab ipsis spiritus recesserit; quando nova quotidie & pugnantia docent, aut docentur?

XVIII. *Catholicorum intra Ecclesiam fœlicitas, infœlicitas hæreticorum extra illam.*

Nobis autem alius non est spiritus, & judicium discretionis, quàm ut captivemus intellectum in obsequium fidei, & obedientiam Ecclesiæ: quæ vetustior licèt in dies, & cognitione ac decisione credendorum auctior, ampliorque, eadem tamen semper, & una est; quemadmodùm *parva lactentium membra, magna juvenum, eadem ipsa sunt tamen*, inquit Vincentius Lirinensis. De illius Ecclesiæ sinu, maternoque amplexu, quantum nobis gratulamur, tantum de Ægyptiacorum fratrum infælicitate dolemus: quòd, relicto matris gremio, in Dalilarum sinum sese, cum manifesto æternæ mortis discrimine, conjecerunt. Una est enim Ecclesia, extra quam salutis spes non est: Paradisus unus, extra quem maledicta terra in opere quolibet: Arca unica, extra quam nihil nisi naufragia, & mortes: Tabernaculum, Templumque unicum, extra quod in Garizitano, Oniæve, delubro polluta & execranda sacrificia: unum est Ovile, extra quod mercenarii deglubunt, & lupi dilaniant. *Avelle*, inquit Cyprianus lib. de unitate, *radium Solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare non potest: à fonte præcide rivum, præcisus arescit.* Quam sententiam recitat, & laudat Aug. lib. 2. con. Cresc. c. 33. Epistolâ verò 152. ad populum factionis Donatistarum disertissimè pronuntiat: *Quisquis ab hac Ecclesia Catholica fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quòd à Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Similia pro concione dixit ad Cæsaræensem plebem, coram Emerito Episcopo Donatista: *Extra Ecclesiam Catholicam totum potest præter salutem. Potest habere honorem, potest habere Sacramentum, potest cantare alleluia, potest respondere amen, potest Evangelium tenere, potest in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti fidem & habere, & prædicare: sed nusquam, nisi in Ecclesia, potest salutem invenire.* Itaque fælicior multò est Catholicus, quamvis moribus claudicans; quàm hæreticus, quamvis moribus rectus: *meliùs it*, ut idem August. ait serm. 15. de verb. Apost. *claudus in viâ, quàm cursor præter viam.*

XIX. *Catholici unitatem caritatis, ac spei, adjungant ad fidei unitatem.*

Catholicus tamen de Ecclesiæ, & fidei unitate sibi blandiri non debet, si verus etiam Ecclesiæ filius non est caritatis unitate: ut ad illud unum ovile aliquando ingredi mereatur, unde discordes exulant. Bernardus serm. 4. de modo benè vivendi, *Diabolus*, inquit, *non timet jejunia nostra, quia ipse numquam comedit; neque nostras vigilias, quia numquam dormit: neque nostram paupertatem, quia ipse nihil habet: timet tamen vehementer nostram concordiam, quia hoc tenemus in terra, quod ipse in cælo tenere noluit.* Ut eam concordiam teneamus, jungamus spei unitatem cum fidei unitate. Quomodò spei, & desideriorum terrenorum varietas, voluntates dividit; ita cælestis spei unitas conjungit affectus. Si, quod Ecclesia quotidie nobis commendat, & accinit; aspiraremus sursum omnes ad Dominum, mox rediviva exsurgeret ætas aurea, quando *Credentium erat cor unum, & anima una*, Act. 4. Et verò, *Quomodo non una mens,*

meni, quibus una fides? Quomodò non unus animus, quibus unus Deus? Quomodò una mentis fraternitate colligati non vivent, quibus pater unus, una mater, una domus, unus cibus, potus idem, eadem converſatio, eadem ſacramenta, eadem hæreditas, *Unum ovile, & unus paſtor.*

SECTIO SECUNDA.

Eccleſiæ unitas in capitis unitate.

I. Papiſtarum nomen Catholicis glorioſum.

ECCLESIA *unum ovile* eſt, non tantùm quia una eademque ubique ſepimenta credendorum habet, ſperandorumque, & agendorum: ſed etiam, quia unus ſub ſummo paſtore Chriſto totius gregis, quaquaverſum ſparſi, *paſtor* eſt. Contumeliam nobis inſignem facere ſe putant adverſarii, quando nos Papiſtas appellant: perinde atque, ſi quis cerebroſus Iſaaco Abrahamum ad montem Moriam comitanti, aut Joſepho per avia ſolitudinis Jacobi juſſu fratres requirenti, pro convitio exprobrâſſet paternum amorem, & obſequium. Papiſtam me vocas? Sum enimverò, & eſſe me gaudeo, ac glorior. Quid honorificentius filio, quàm obſequium patris? Quid lætius pecudi, quàm affectus paſtoris? Papiſta ſum: ergo de Eccleſiæ ovili, cujus Papa paſtor eſt.

II. Hæreticorum adversùs Papam odia.

Veritatem hanc argumentis tribus certiſſimis ſtabilitum eo, poſtquam paucis, quæ magno molimine adverſarii contrà objiciunt, diſſolvero. Idem enim facere conantur, quod 1. Mach. 9. v. 32. Bacchides Jonathæ, in ejus capite Judaicæ totius plebis, ac libertatis, fortunam verti arbitratus. Sic Lutherus libro adversùs Papatum unico debellatum fore exiſtimavit, eamque ob fiduciam auſus eſt, ſpurciſſimâ imagine Pontificem in fronte libri proponere: quam ſi in ipſo videre non potes, leges apud Spondanum an. 1545. Sic Calvinus Inſtitutiones ſuas, libro præſertim quarto cap. 7. probris adverſus Papam inferſit, eoque ſuis commendabiliores fore exiſtimavit, quò vehementiùs & atrociùs in illum inveheretur. Sed probra iſta, & calumnias, non moramur, & miſericordiâ potiùs aut riſu, quàm irâ reſponſóve, dignamur.

III. Papa non eſt Antichriſtus.

Quid autem ad id, quod undique occlamant, Papam Antichriſtum eſſe? Qui enim Antichriſtus eſt, Chriſtiani ovilis utique paſtor non erit. Sed, ô miſeri, quibus, quæſo, indiciis Antichriſtum declamatores veſtri deprehendunt? Illis ego evidenter oſtendero, ſpiritum veſtrum privatum, & diſcretionis judicium, meriſſimi & potiſſimi inſtar habere Antichriſti. In duplicem ſenſum ſumitur Antichriſti nomen ab Auguſtino, lib. 2. con. adv. legis: primùm, ut eum ſignificet, qui præcipuus Chriſti adverſarius futurus ſit, deſcribiturque à Paullo 2. Theſ. cap. 2. Deinde, ut quemlibet ſignificet adverſarium Chriſti, quomodò Joannes loquitur ep. 1. c. 2. Primo ſenſu hæreticorum plerique de Pontifice ſumpsêre: Genevenſes imprimis, eâ inſcriptione, quam æreæ tabulæ inſculptam domui civicæ præfixerunt, ad annum ſæculi proximè præteriti triceſimum quintum, *profligatâ Romani Antichriſti tyrannide.* Sed cùm Antichriſtus homo unicus futurus ſit; plures autem ſint continuâ ſerie Pontifices: & cùm Antichriſtus ſeſe oſtenſurus ſit, tamquam Deum, Pontifices autem ſint ſervi ſervorum Dei, ſervitute maximâ in maxima dignitate: cumque aliæ Antichriſti notæ, à Paullo & Daniele adductæ, in Pontificem cadere nequeant; quis figmenti ludibrium, toties eluſi, rurſus in medium afferri patiatur?

IV. Hæretici ſunt Antichriſti.

Altero ſenſu, *qui Antichriſti interim, & ſemper;* inquit Tertul. lib. de præſcrip. *niſi Chriſti rebelles? Hoc erant hæreſes, non minùs doctrinarum perverſitate laceſſentes Eccleſiam, quàm tunc Antichriſtus perſecutionum atrocitate perſequetur.* Eamdem in ſententiam Hilarius, lib. cont. Auxentium Arianum: *Quiſquis Chriſtum, qualis ab Apoſtolis eſt prædicatus, negavit, Antichriſtus eſt.* Tertulliano Marcionitæ, Ariani Hilario Antichriſti ſunt, quia *ſibi ipſis erant arbitri religionis,* quia, *ſenſu humanæ inanitatis inflati,* Chriſtum humilem non ſequebantur: quia ſpiritum privatum communi Eccleſiæ ſpiritui præferebant. Calviniſtas, & Lutheranos, pari omnino jure Antichriſtos dixerimus: Chriſtianæ humilitati, & caritati, privato diſſenſionis & arrogantiæ ſpiritu, qui ipſiſſimus beſtiæ character eſt, prorſus contrarios. At, inquit, nonne etiam inter Catholicos eâ ratione Antichriſti multi ſunt? Multos agnoſcit Rabanus, tractatu de Antichriſto, inter opera Auguſtini: *Antichriſtus multos habet malignitatis ſuæ miniſtros, ex quibus multi in mundo præceſſerunt, quales fuit Antiochus, Nero, Domitianus. Nos quoque noſtro tempore Antichriſtos multos novimus eſſe. Quicumque enim, ſive Laicus, ſive Canonicus, ſive Monachus, contra juſtitiam vivit, & ordinis ſui gloriam impugnat, & quod bonum eſt blaſphemat, Antichriſtus eſt, miniſter ſatanæ.*

V. Etiam malis Pontificibus debetur obedientia.

Atqui, inquiunt Anticatholici, hoc ſaltem modo non pauci Pontificum Antichriſti fuerint. Neque enim pauci obſcænam, & vitiis omnibus contaminatam vitam egêre: leguntúrque ea de re longæ apud nos hiſtoriæ. Hoc ipſum ſatis ſcio, libroſque illos & hiſtorias vidi: miratuſque ſum aranearum ſtudium, venena ſola ſugentium, ubi apes mel inveniunt. Imprudens & infelix Chame, adeóne oblitus es Noëmicarum imprecationum? Contexiſſe opprobrium Papæ, & patris, debueras: ludos feciſti? O frater Ægyptie, nate & educate *in terra Cham,* nonne illud ſaltem Chriſti audieras: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundum verò opera eorum nolite facere?* Super cathedram Petri ſederunt ſancti, ſederunt impii: utriſque obedientia debita fuit, illis etiam imitatio.

VI. Inania alia adversus primatum Romanum argumenta.

Inſtant: obedientiam fæminæ non deberi, quam in Eccleſia ſilere juſſerit Paullus: fæminam autem Papam fuiſſe, Papiſſámve. Pudeat viliſſimæ fabulæ, & turpiſſimi commenti, quod Baronius ad annum 853. & 879. aliíque exploſêre. Aliquid tamdem plauſibilius contra Pontificis auctoritatem proferte, ſi poteſtis. Patrum, inquiunt, priſcorum quidam, ſanctimoniâ ac ſcientiâ clarorum, Papæ reverentiam & obſequium deferre noluerunt: in his Carthaginenſis Cyprianus, ut ex ipſius de Stephano Papa literis manifeſtum eſt. Reſpondeat de Cypriano Auguſtinus, contectum ab ipſo vulnus veritatis, in candidiſſimo pectore, *ubere caritatis.* Reſpondeat de Cypriano Cyprianus ipſe, extra recti ſemitam diſputandi calore non abreptus, epiſt. quadrageſimâ quintâ. ubi disertè nominat Eccleſiam Romanam, *Catholicæ Eccleſiæ radicem, & matricem.*

VII. D. Petrus Apoſtolorū primus, & ſummus ſub Chriſto paſtor.

Eſto, Cyprianus aliquando Eccleſiam Romanam pro Eccleſiæ Catholicæ matrice agnoverit, Pontificem Romanum pro paſtorum principe: at nuſquam iſtud in Scripturis reperimus. Ita quidam

quidam adversariorum. Quibus contrà præscribimus: reperiri in traditionibus, quas tenendas Paullus affirmat: reperiri in Ecclesiæ decretis, quam Paullus columnam & firmamentum veritatis appellat: denique etiam in ipsa Scriptura, si benè inspiciatur, repertum iri. Habetur enim in Scriptura primatus Petri à Christo institutus Joan. 21. ubi tertiò cura ipsi pascendarum ovium commendatur. Secuta mox officii exercitia: cùm de substituendo in proditoris locum proponit: cùm, accepto Spiritu sancto, primus concionatur: cum ad Templum miraculum patrat, loquitur, silente Joanne: cùm Ananiam, & Sapphyram, sacris submovet, aut sententiâ percutit, adesset quamvis Jacobus proprius Hierosolymorum Episcopus: cùm visitatoris ubique officio fungitur, etiam intra limites alienos: cùm primus ad Gentiles convertendos mittitur: cùm primus in Concilio Hierosolymitano loquitur. Præcessêre institutionem multa, designationis instar: cùm primus inter Apostolos à Christo electos nominatur: cùm nomen illi mutatur: cùm pro omnibus respondet, Christum esse filium Dei, & ipse dicitur futurus petra Ecclesiæ: cùm staterem pro Christo, & pro se, jubetur numerare: cùm Christus ascendit in ejus navim, dicitque illi: *Duc in altum*, &, *Ex hoc eris homines capiens.*

VIII. Petri successor eodem pastor supremus.

Indico tantùm, quæ benè longum & fructuosum sermonem impleant; quia obvia sunt, & quia indicasse satis est: ut inde conficiamus, Papam, Petri successorem, eodem atque ipse gradu esse in Ecclesiâ Dei. Eadem est enim Ecclesia, & idem regendi modus: idem est ovile, & idem pastor, non numero, sed successione dignitatis, ac potestatis. Monarchicam equidem cōstat fuisse gubernandi formam, quam in Ecclesia Christus instituit, absolutissimam omnium, ad exemplar cælestis ac divinæ. Qualem in Synagoga delineandam Deus curârat per Moysen; Aarone in Pontificatum adlecto, cujus dignitatem Eleazarus exciperet, aliique continuâ deinceps serie ad urbis usque excidium. Ita ex Christi forma, quam hominum nulli mutare fas fuit; in Petri locum pariter ac potestatem, perpetuâ successione, venêre Romani Pontifices, venientque deinceps ad orbis usque interitum. Nam Romæ Sedem primatûs à Petro positam, non magis dubitari potest, quàm Petrum Romæ mortuum: qua de re ne Calvinus quidem lib. 4. Inst. c. 6. pugnare audet, ob Scriptorum consensum.

IX. Ecclesiæ totius eadem sensus.

Utinam & ob totius Ecclesiæ consensum non pugnâsset, quin Pontifex Romanus, Petri successor, eodem jure pastor foret universorum Christi Fidelium. Si Concilio Florentino, ex Græcis pariter Latinisque Patribus coalito, acquiescere nolebat, definienti sess. 6. *Pontificem Romanum... totius Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem & doctorem existere, & ipsi, in B. Petro, pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro IESU CHRISTO plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus, continetur.* Si Lateranensis Concilii, omnium forsan numerosissimi, auctoritas non placuit: ubi, *Ecclesia Romana* dicitur *super omnes alias, disponente Domino, obtinere principatum, utpote mater universorum Christi Fidelium, & magistra.* At saltem vetustiori longè, & fœlicibus atque aureis sæculis proximo, Chalcedonensi fidem habuisset; cujus Patres omnes communi nomine ad D. Leonem, velut ad communem Patrem, scripsêre: ad cujus epistolæ calcem jubentur in literis formatis charactêres quatuor Græcè pingi, π, υ, α, π; tres priores tribus Trinitatis Personis significandis, quartus Petro & Ecclesiæ Petri: in cujus act. 6. ex Nicæno Concilio recitatur *trecentorum & octo Patrum canon sextus, quòd Romana Ecclesia semper habuit primatum.* Si semper habuit primatum: ergo ab Apostolicis temporibus, serie non interrupta: ergo jure jussuque divino: ergo immutabili, atque indispensabili. Antiqua Concilia venerationi vobis esse dicitis, Confessionis vestræ art. 6. Hæreses ab illis damnatas proscribitis. Antiqua certè ista Concilia sunt: ex illis vestram ipsi, de abnegando Ecclesiæ Romanæ primatu, hæresin proscribite, vel anathema ab omni Concilio Nicæno, repudiatâ illius regulâ, accipite.

X. Pontifex Romanus, non dignitate modò, sed potestate, summus.

Ne autem cavillemini, Romanam Ecclesiam dignitate primam tunc fuisse, non potestate: Patrum, quos eodem Confessionis vestræ articulo laudatis, scripta revolvite; & Pontificem Romanum ita invenietis inter omnes Ecclesias tenuisse primatum, ut regendo, damnando, absolvendo illum exercuerit; quæ non dignitatis tantùm summæ officia sunt, sed summæ potestatis. Athanasius inprimis audiatur, in epistola ad Marcum Papam, suo & Ægyptiorum omnium Episcoporum nomine loquens, tomi 2. Initio: *Apostolici culminis venerande Marce, sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis atque universalis Ecclesiæ Papa ... Vestra Sedes, quæ est caput, & mater omnium Ecclesiarum. ... Vestri sumus, vobisq; obedientes, cum omnibus nostris, sumus, & esse volumus.* Auditis? Patriarcha Alexandrinus, cum Ægyptiis Episcopis, in extremo Romani orbis limite, Papam Ecclesiæ totius, ac caput, Romanum Pontificem agnoscit, ejus se filium profitetur, illi obedientiam spondet. Quod Marco fecit, idem & Julio. Pulsus ab Arianis, confugit ad parentem communem, fidem apud illum professus, eo symbolo Latinè recitato, quod in archiis Ecclesiæ Romanæ repositum, deinde editum fuit, narrante ad an. 340. Baronio: actâ coram Julio causâ, pro filio, insonte, & Catholico agnitus, ejusdemque jussu in sedem Alexandrinam restitutus; quomodò Asclepas Gazensi redditus, Marcellus Ancyranæ, Constantinopolitanæ Paullus. Isthæc existimo non dignitatis modò esse, sed potestatis supremæ officia.

XI. Catholicus est & totius Ecclesiæ rector.

Ambrosius, quem simul cum Athanasio laudatis, oratione de obitu Satyri fratris: *Advocavit*, inquit, *ad se Episcopum, nec ullam veram putavit nisi veræ fidei gratiam, percunctatusq; ex eo est, utrumnam Episcopis Catholicis, hoc est cum Ecclesia Romana, conveniret?* Advertitis? Sanctissimo Episcopo ejusque fratri moribundo, cum Ecclesia Romana convenire, unica certaque est nota fidei Catholicæ. Quod iterat in cap. 3. epistolæ ad Timoth. *Scribo tibi, quomodò Ecclesiam ordines, quæ est domus Dei: ut cum totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicatur, cujus hodie rector est Damasus.* Intelligitis? Ecclesia domus Dei est: domûs illius, non utique Ephesinæ, sed Catholicæ, *rector est*, non dignitate modò, verùm etiam potestate, *Damasus* Romanus Pontifex. Rector Ecclesiæ Romanæ, quà particularis Episcopatus est, & Urbis territorium gubernat: rector illius, quà Patriarchatus est, & Occidentales omnes Episcopatus sub se continet: rector ejusdem, quà Primatus est, & orbem omnem Christianum complectitur.

Sic

XII. Ubique præsidet.

Sic Damasum Ambrosius, ex officii, veritatisque debito, appellavit: sic Hieronymus epist. 57. & 58. ad ipsummet, Antiochiæ degens, inter Patriarcharum schismata: *Ego*, inquit, *nullum, nisi Christum, sequens beatitudini tuæ, id est cathedra Petri, communione socior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est....... Ego enim tum siamita, si quis cathedra Petri jungitur, meus est.* Tuus itaque, Hieronyme, Calvinista non est. Lutheranus tibi, Hieronyme, profanus est. Tibi itidem, Augustine, qui epistolâ 90. Carthaginensis Concilii, ubi Pelagius & Cælestinus damnati sunt, nomine ad Pontificem Romanum scriptâ, postulas, *ut statutis illius Concilii Catholica sedis adhibeatur auctoritas*: qui epist. 162. ad Donatistas, Cæcilianum Carthaginensem Episcopum narras, à Melchiade absolutum, præside Romanæ Ecclesiæ, *in quâ semper Apostolica cathedra viguit principatus*, ligandique & absolvendi potestas, quaquaversum, ex summi pastoratûs auctoritate, protensa.

XIII. Ubique ligat, & absolvit.

Quid jam Prosperum adducamus, carmine de ingratis, & de hæresi Pelagiana: *Pestem venientem prima recidit Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris Facta caput mundo, quidquid non possidet armis, Religione tenet.* Quid Gregorium Magnum l. 7. ep. 56. Joanni Episcopo Syracusano scribentem, dubitari non posse, *Constantinopolitanam Ecclesiam Apostolica Sedi esse subjectam?* Quid Gregorium Nazianzenum, in carmine de vita sua canentem laudes Ecclesiæ Romanæ, quæ fidem intaminatam servârit, ut decet urbem, quæ Universo præsidet? Quid Joannem Chrysostomum, supremi pastoris, quando ejus auctoritate Constantinopolim restitutus est, paternas curas expertum, & epist. 1. ac 2. Innocentio Pontifici gratias agentem, rogantemque, ut omne pergat studium adhibere retundendæ iniquitati? Quid Basilium epist. 52. suadentem, ut à Romano Episcopo postuletur inspector, ac visitator, tamquam ab universi orbis rectore? Frustra istos, aliosque congessero, cùm Athanasii fermè solius historia, & auctoritas, sufficiat, ad obruendam obgannientium, & inanias contra congerentium, temeritatem.

XIV. Reverentia illi debita.

Satis cum hæreticis actum est, Catholicos alloquamur. Apud Spondanum an. 1241. Tartari Mahumetani tantam summo suo sacerdoti, quem Seyd appellant, reverentiam exhibere dicuntur, ut Reges advenienti obviàm prodeant, & pedites equiti manum osculentur: ducibus genua illius, nobilibus pedes, plebeiis vestes tantùm, aut equum, fas est attingere. Hoc isti sacrilego sacerdoti: quid nos Christi vicario? Visus anno 1310. Daudulus Procurator, postmodùm Dux Venetiarum, ad pedes Pontificis cœnantis prostratus. Multò antè Carolus Magnus Adriano Pontifici ad pedes advolutus. Justiniani junioris filius Tiberius Constantino Pontifici obviàm ad octo milliaria progressus; Justinianus ipsi, Constantinopolin ingredienti, pedes osculatus: quod etiam Joanni Papæ fecit Justinus senior; populo obviàm progresso, cum cereis, lampadibus, & crucibus ad milliaria quindecim. Apud Baronium an. 294. Præpedigna Claudii uxor, ad Caii Pontificis pedes accidens, eos ex more, ut acta loquuntur, exosculata est. Quod summi illi viri, & matronæ, fecêre ab omni retro memoria, quis hodie à Christianis Romæ fieri miretur? Quis à nobis, reverentiæ gratiâ, caput inclinari, & aperiri, quando Pontificis nomen audimus? Papa est, quæ appellatio quondam sacerdotibus omnibus data, soli nunc summo Pontifici adhæsit, communi omnium patri: Dei præcepto honorandus pater. Vicarius Christi est, Pastor unus ovilis unius, &, ut Episcopi Orientales an. 1553. scribebant Syriacè ad Julium Pontificem: *Est Pater Patrum, Sacerdos Sacerdotum, Petrus temporis nostri, tenens locum Christi.* Christo facimus, quod illi facimus.

XV. Obedientia item.

Reverentiam comitetur humilis obedientia, submissioque judicii, seu in iis quæ ad mores formandos constituit, seu quæ ad fidem stabiliendam pro summa potestate decidit. *Serranda est*, inquiebat Carolus Magnus in Capitulis, & apud Baronium an. 801. *cum mansuetudine humilitas: ut licèt vix ferendum à sancta & Apostolica Sede imponatur jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus.* Sic in præceptis morum agi voluit prudens & pius Imperator, non nescius etiam in illis falli non posse columnam veritatis, & petram Ecclesiæ: quando filios suos edocet, *quomodò in domo Dei oporteat conversari.* In fidei decretis qui Papæ non acquiescit, & cathedræ Petri non jungitur, Christi non est. Faciendum cuilibet, etiam obmurmurante judicio, etiam obluctante voluntate, quod Theologo illi, de quo Episcopus Genevensis narrat in Colloquiis. Damnata per Pontificem sententiâ ipsius, cathedram concionatoriam conscendit: suam ipse, ad id impellente nemine, errorem publicè retractavit: sibi de summi Pastoris vigilantiâ, & curâ, gratulatus est: omnes, ad obedientiam illi semper præstandam, verbo, & exemplo, hortatus est, vir doctrinâ & facundiâ spectabilis, sed obtemperandi studio longè commendabilior.

XVI. Et amor.

Obedientiæ jungendus erga patrem communem amor: quem hic nos aliter fermè testari non possumus, quàm frequentibus pro illo precibus ad Deum. Id jam olim Ecclesia faciendum instituit, non in Litaniis modò, & clara voce recitatis orationibus; sed etiam in secretioribus & sanctioribus, quæ paullò ante adorandi sacrificii consecrationem à Sacerdote proferuntur. Prævêre nobis exemplo primævi Christiani, quando Petro captivo Act. 12. *Oratio fiebat, sine intermissione, ab Ecclesia ad Deum pro eo.* Ad quem locum Chrysostomus, *Magni*, inquit, *amoris indicium est oratio: patrem omnes quærebant.* Flagitabant illi pro captivo patre libertatem: nos pro libertatis Christianæ patre melius nihil postulabimus, quàm ut *Deus Fidelium pastor*, quem pastorem Ecclesiæ præesse voluit, respiciat propitius, *detq;* illi, *verbo & exemplo quibus præest proficere, ut ad vitam, unà cum grege sibi credito, perveniat sempiternam.*

SECTIO TERTIA.

Ecclesiæ sanctitas.

I. Adulterina sanctitas rejicitur.

QUANDO de sanctitate agitur, alterâ Ecclesiæ notâ, quam à Christo accepit, Sancto Dei, Sancto Israël, passo & mortuo, *ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, neque aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata*, quemadmodùm ad Ephesios cap. 5. loquitur Apostolus. Cùm ergo de sanctitate Ecclesiæ differitur, seponenda longè, & amandanda est, fucata atque adulterina sanctitas: cui non virtus cordi est, sed fama opinióve virtutis:

virtutis; quæ non judicem Deum quærit, sed homines testes: cui non honestas in voto, sed honor pro præmio est. Larvæ enim illi non magis convenit appellatio sanctitatis, quàm auri nomen vitro, plumboque inaurato, aut carbunculi pretium tinctæ crystallo. Et quomodò humanis legibus monetarii adulteratores igni damnantur; ita flamis æternis addicuntur, jure divino, adulteratores sanctitatis. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ*, inquit Christus Matth. 23. *quia clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.*

II. Varia genera & species sanctitatis.

Omissa ergo ista umbratili & cadaverosa sanctitate; veræ sanctitatis genera duo reperio, utraque totidem sub se species complexa. Primi generis, exterior est, quam non incommodè etiam generalem, ac legalem dixerimus. Alterius generis, interior est, quæ Particularis itidem & Personalis appellari possit. Exterior in duas species dividitur, Cæremonialem, & Doctrinalem. Interior item in binas, Moralem, & Supernaturalem. Quamquam in his omnibus sola supernaturalis sanctitas vera, ac genuina est: aliæ tantùm ita dicuntur, quia istam respiciunt, aliquamque habent vel similitudinem, vel affinitatem. Cæremonialis enim sanctitas supernaturalem ritibus suis significat, & commendat: Doctrinalis eamdem docet, & hortando, ac monendo excitat: Moralis imitatur, actusque omnino materiâ ac formâ similes producit, principio tantùm ac fine diversos.

III. Cæremonialis, & Doctrinalis sanctitatis exemplum in synagoga.

Cæremonialis sanctitatis exemplum Deus nobis in synagoga proposuit: ubi, quomodò loquitur Paullus Heb. 9. erat *Sanctum sæculare, justificationes, baptismata, quæ sunt parabola temporis instantis.* Ritus illos sacrificiorum, & sacramentorum antiquæ legis, auctor sanctus instituerat, sancto & solenni modo celebrandos, fine denique sancto adhibendos; tum ut gratias, quæ tunc Judæis instanti tempore conferebantur, indicarent; tum ut illas, quæ in futurum Christianis destinabantur, præsignificarent. In eadem synagoga doctrinæ sanctimoniam habuêre tum præcepta, tum consilia: quibus vitia omnia prohibebantur, imperabanturque virtutum aliquæ, aliarum perfectio commendabatur. Itaque meritò à Psalmista *Lex Domini* dicta est *immaculata, convertens animas, & judicia Domini vera, justificata in semetipsa.*

IV. Item Moralis, & supernaturalis.

Sanctimoniam Moralem, quæ mores, etiam infidelium, ex ratione componit, quia sic decet honestumque est, aut vitæ huic expedit; pars populi Hebraici potissima in virtutum quarumvis, ipsius etiam religionis ac cultûs divini actibus, exercuit. Finem enim plerique supernaturalem non spectabant, præsentibus tantùm commodis intenti; nec Dei metu, nedum amore ducebantur, sed timore pœnarum lege indictarum; fidemque æternorum, vel non cogitabant, vel omnino non habebant, quod de Sadducæis constat; ut Hebræos, tum Israelitici seu decem tribuum regni, tum Judaici, idololatras prætermittam, quorum aliqui virtutum moralium, fortitudinis inprimis, laude floruêre. Sanctitas supernaturalis ex fide, & gratiâ, proficisci debet; finemque Deo placendi intueri. Cùm autem gratia, & fides, atque iste in supernaturalem finem intuitus, Angelis ipsis, nedum hominibus, citra divinam revelationem, ignota sint: idcircò Deus interdum gratam sibi esse servorum suorum virtutem miraculis testatur, seu dum adhuc vivunt, seu postquam obiêre: uti Elisæo Prophetæ contigit, qui Eliam mirandorum operum patratione secutus est, *& mortuum prophetavit corpus ejus.*

V. Cæremonialis sanctitas in Ecclesia Catholica.

Istas sanctimoniæ species, quartam præsertim, videamus ubi sint, apud nos, an apud hæreticos? De Cæremoniali non multùm pugnabunt, imò nobis ultrò cedent universam, non sine insultationibus ac ludibriis. Sed nos irrisorum cathedram argumento unico evertemus, ducto ex Christi imitatione. Quid de Catholicæ religionis cæremoniis obloquimini? Superfluas esse, fini suo aliquando contrarias, indecoras interdum, sæpè à modestia alienas? Eadem omnia dixero de gestibus, quos Christus, in sanando apud Marcum cap. 7. surdo, & muto, adhibuit. Quomodò autem hasce nec supervacuas fuisse; nec fini suo, decoróve, aut modestiæ adversas; sed ad fidem excitandam, ad conciliandam attentionem, ad potentiam divinam evidentiùs demonstrandam, ad significationem mysteriorum aliquorum, constat adhibitas. Ita certum est, quascumque cæremonias sacras Ecclesia Catholica usurpat, fidei ac pietati roborandæ, religionis dignitati sustinendæ, docendæ mysterium aliquod plebi, subservire: adeoque à fine suo ac significatione sanctas esse. De auctoribus illarum disserendi locus erit, ubi particulatim de quibusdam agemus, uti ad c. 3. de Litaniis, ac supplicationibus. Generatim hîc dixisse sufficiat, nullas in Ecclesiâ Catholicâ cæremonias observari, quas ab antiquo Sancti non instituerint, & usurpârint.

VI. Et sanctimonia doctrinæ.

Sed qualiscumque cæremoniarum sanctitas, sive ab auctore, sive à modo, sive à fine, non tanti est, ut inde Ecclesia Sanctæ appellationem accipiat. Longè pluris facienda doctrinæ sanctimonia, in prohibendis vitiis, præcipiendisque aut suadendis virtutibus, quâ, citra dubitationem ullam, vincimus. Fides apud nos docetur submissa, obediens, captivans intellectum: apud illos arrogans, tumultuosa, obsequii impatiens, judicio privato effrænis, & in abrupta præceps. Apud nos spes juncta timori est, metuimusque cum Paullo, ne, postquam aliis prædicaverimus, reprobi efficiamur: apud illos certa salus promittitur, & lata ad interitum via, sine ullo metûs sepimento aperitur. Apud nos caritas erga Deum, in peccatorum, quæ sola odit, execramento commendatur, nec mortalium solummodò horror, sed etiam levium ac veniabilium incutitur: apud illos, sublatâ gravium leviumque peccatorum distinctione, fit desperatio sanctè vivendi, & ad imputativam Christi justitiam fide, non caritate, recurritur. Apud nos non peccata solùm quæcumque, sed umbra ipsa, suspicioque peccatorum, fugiuntur; ideoque Romana Ecclesia ab illis schola dubitantium, & conscientiæ tormentum appellata est: apud illos dubitare, & conscientiam torquere, nefas est, ubi fidei larva omnem officii defectum supplet. Apud nos virginitas in pretio est, paupertas voluntaria frequentatur, consilia omnia Evangelica proponuntur, ut postmodùm etiam dicturi sumus: apud illos vitæ religiosæ, ad Evangelicam regulam ac perfectionem compositæ, insectationes innumerabiles, & assiduæ, audiuntur.

VII. Laxiores Casuistæ illam non corrumpunt.

At, inquiunt, nonne apud vos Doctorum quidam opinionibus suis laxum iter ad usuram, simoniam, peculatum, aliaque vitia patefecêre? Nunne quotidie de nimia Casuistarum licentia querimoniæ

querimoniæ audiuntur; novis sententiis & disputationibus subtilibus efficientium, ut jam omnia pænè liceant? Nonne proscripti sæpè Romanâ censurâ libri, severéque damnati, quòd laxis nimiùm sententiis oculos legentium, animosque discentium, offendant? Benè est, quòd retundendo telo vestro scutum nobis ipsi præbeatis. Damnantur in Ecclesiâ, qui laxas nimis sententias docnêre: ergo non approbantur: ergo vitium istud doctrinæ, non publicum, sed privatum est. Imò adeò publicum istud vitium non est, ut etiam interdum, studio novas laxasque sententias proscribendi, censura longiùs provehatur, neque eas ipsas toleret, quæ corruptæ non sunt: quomodò à chirurgo sinceræ carnis quidpiam cum putrida resecatur. Tanti apud nos est doctrinæ sanctimonia.

VIII. Sanctitas morum an sit in Ecclesia Catholica?

Quæ autem, inquiunt, sanctitas morum? In ipso primo Catholicorum ordine, quos Ecclesiasticos, velut Ecclesiæ primogenitos ac primipilos nominamus, quanta temperantiæ labes, quanta modestiæ, quanta castitatis, quanta integritatis & abstinentiæ? Ingemunt Catholici, quibus decor domûs Dei cordi est. Insultant hæretici, quibus vix umquam aliàs lingua solutior, & acutior calamus, quàm ubi in Ecclesiasticos invehendum est. Dederat Deus Luthero ingenium vehemens, & uberem facundiam: malè utroque usus est, ex quo ab Ecclesia desciivit; pessime & acerrimè, quando in Pontificem, Clerumque, & Monachos declamavit, ac scripsit. Habebat à natura Calvinus ingenii vivacitatem, studii constantiam, scriptionis nitorem; deerat ad dicendum pronontiationis decor, & motus: eum tamen languorem, exardescente atrâ bile, excitabat, quando de vitiis Ecclesiasticorum locus aliquis tractabatur, uti auditores ipsius apud Florimondum Ræmondum testati sunt. Utriusque sectatores non pauci, magistros imitati, bibliothecas declamationibus, invectivis, calumniis in summos Ecclesiastici ordinis, infimosque, implevêre.

IX. An sit apud hæreticos?

Quid istis respondeamus? An reconventione utamur? An pudenda ad ipsos sacrilegorum transfugia de latebris in lucem protrahamus? An eorum cunabula, non in aquis Nili stagnantibus, neque in papyrione fluitantia, sed altissimo obscœnitatis luto demersa, perscrutemur? Quàm multos Spaniensi Subdiacono similes inveniemus, qui sanctimoniales duas secum ad partes Donatistarum traxit, Augustino teste? Quot Lutherus effrænis licentiæ suæ asseclas vel fecit, vel invênit? Quot Calvinus Bezæ suo, infamem vitam Phaleuciis versibus palàm profiteri auso, similes habuit? Attigimus isthæc Exc. 4. ad cap. 5. libri 1. num. 10. breviter: nec plura, vel pluribus, dici suaserit Augustinus Epist. 137. Postquam enim narravit, Donatistis objectum per Catholicorum quosdam, quòd Diaconi duo de Proculiani disciplina turpiter cecidissent: *Nec objiciatis*, inquit, *hæreticis, nisi quia non sunt Catholici, ne similes sitis objicientibus crimina, & fingentibus, cùm Catholicam Ecclesiam ex aliis signis coguntur agnoscere.*

X. Non mirandum in Ecclesia malos inveniri.

Urgeo, insto, inculco, veram apud nos Ecclesiam esse, quia una est, quia sancta est: tu effugium tibi patêre putas, cùm Catholicorum peccata patefecisti? Quorsum tanto molimine probare contendis, quod non inficior, imò ultro fateor? Peccatur apud nos: etiam in paradiso peccatum est: etiam in Noëmi domo Cham fuit, Ismael in Abrahæ liberis, in Isaaci familia Esaü, inter Josephi fratres crimina pessima, incæstus Ammon in Davidis oculis, Judas proditor in Christi consortio. Sic sunt hominum mores: sic Ecclesiam suam Christus fore prævidit, ac prædixit, quando virgines sapientes fatuis intermistas, pisces malos cum bonis in sagena clausos, convivam sine nuptiali veste cum cæteris accumbentem, descripsit. Præmoniti sumus, eventura scandala, & væ illis per quos scandalum venit. Audivimus futurum, ut aliquando abundet iniquitas, & refrigescat caritas multorum, emergantque in novissimis temporibus homines cupidi, seipsos amantes, voluptatum sectatores, ad vitia projecti, salutis ac virtutis obliti. Nec mirabimur tales multos fore temporibus novissimis, quando primis tales etiam fuêre non pauci: neque illis modò temporibus, quæ Bernardus, Salvianus, Paullinus, Cyprianus, Excursu nostro suprà notato, deploravêre; sed illis ipsis, ad quorum memoriam suspirabat Bern. ep. 237. ad Eugenium Papam: *Quis mihi det, antequam moriar, videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam; non in capturam auri, & argenti, sed in capturam animarum?*

XI. Boni malis permisti.

Ostendis mihi, frater Ægyptie, Hierosolymitanos fratres avaros, impudicos, ambitiosos: numquid omnes sunt ejusmodi? Nonne in Lysimachorum, & Alcimorum, & Meneliorum turba, sunt Mathathiæ, ac Machabæi? Nonne inter multos, qui legem proculcant, & sancta contemnunt, assurrexêre Assidæi quidam, intendentes in præceptum legis, & sese periculis objicientes, asserendæ religioni? Facis quod olim apud Aug. in ps. 80. Pagani, Christianam religionem sugillare soliti, ob Christianorum quorumdam sordes, & rapinas. Idem itaque, quod ipsi, audies: *Ita sane in amurcam attenditis, quia rapiuntur res alienæ: in oleum non attenditis, quia pauperibus donantur & propriæ. Non habebat antiquitas tales raptores rerum alienarum: sed habebat antiquitas tales donatores rerum suarum?* Impudici sunt aliqui: castissimi sunt alii. Ambitiosi sunt quidam: modestissimi sunt alii. Avari sunt quidam: profusi ad beneficentiam sunt alii. Vindictæ appetentes nonnulli sunt: mansuetudinis eximiæ sunt alii.

XII. Sanctitas supernaturalis inter hæreticos nusquam est.

Et ne mihi in grege tuo quospiam castos, modestos, liberales, mansuetos ostentes: hoc tibi denique præscribo, moralem tantùm apud vos sanctimoniam esse, qualem philosophis, qualem Hebræorum plerisque, quibus mens ad cælum & ad Dei obsequia non assurgebat. At nos, inquis, non solam honesti naturalis rationem in agendo intuemur, sed supernaturalia spectamus, ex Christi præceptis, ex Evangeliorum consiliis, ex Dei cultu, ex æternæ vitæ promissis. Multum ergo inter nostram & philosophicam sanctitatem interest. Multum omnino inter vestrûm aliquos, & philosophorum quosdam interest, ex finibus actionum: sed prorsus nihil, ex principiis. Debet autem supernaturalis sanctimonia non ad finem modò supernaturalem referri, sed etiam emanare ex supernaturali principio, quod vobis deesse oportet, cùm cætera non deesse dicatis. Amici Deo non estis, Deo non placetis: itaque dona vestra non probat Altissimus: *sine fide enim impossibile est placere Deo.* Aut si vos Deo placere, actionesque illi vestras acceptas esse arbitramini; date de vestris vel unicum, super cujus sacrificia respexerit, & inflammârit Dominus, cujus sibi sanctimoniam gratam esse signo aliquo manifesto testatus sit. Quos mortuos suscitavit Calvinus?

Calvinus? Quos energumenos liberavit Lutherus? Quid divinum, & supra naturam mirandum, ullus umquam de istorum asseclis, hæreticorúmve aliorum, patravit? Deus enim, ut antè monuimus, identidem, supernaturalem servorum suorum sanctimoniam miraculis supernaturalibus approbare consuevit.

XIII. In sola Catholica ac Romana Ecclesia spectatur.

Istud apud hæreticos numquam spectatum; apud nos continuâ sæculorum, neque interruptâ serie visum, & palpatum est. Ecclesia infans adhuc, & fermè in cunis vagiens, fæcunda Sanctorum fuit: non sterilescet decrepita, & sub ipsum consummandi orbis finem, ut Apoc. c. 12. à Joanne prædicitur, pariet *masculum*. Poëtarum justitia Astræa, terras indignata, se recepit in cælum: at non Catholicorum justitia, quia domibus licèt multis exclusa, hospitio tamen non caret. Stellas novas per intervalla cælum produxit: Sanctos novos, virtutibus collucentes, miraculis fulgidos, Ecclesia protulit per statas temporum vices. Synagoga Mosis tales identidem habuit, ad fidem populi Israelitici excitandam, & commendandam virtutem: non haberet tales Ecclesia Christi?

XIV. Testimonium omnium Ecclesiæ sæculorum.

Habuit enimverò, & habet. Age, si collubitum est, sæcula omnia Christiana remetiamur, & inspiciamus, quid in illis Sanctorum vixerit. Prima ista, de quibus quæstio nulla est, non moremur; ad ea ipsa veniamus, quæ corrupta hæretici appellant, quæ à recto deflexa, quæ nostris simillima. De plurimis paucissimos Sanctorum nominabo. Vixit sæculo sexto D. Benedictus Abbas: idem quod nos credidit, in eadem Ecclesia vixit, in eadem obiit, iisdem Sacramentis usus est, eosdem ritus coluit, colendosque à posteris suis instituit. Istius hominis tamen sanctitas tum vivi, tum mortui, divinitùs prodigiis plurimis manifestata est: ut viri, itidem Sancti ac sapientes, fructu adulationis, aut falsitatis nullo, solo veri ac recti respectu, prodidêre. In D. Columbano tantumdem spectavit sæculum septimum. In D. Huberto nostro octavum: in Edmundo nonum: in Odone decimum: in Romualdo undecimum: in Bernardo, ac Norberto, duodecimum: in Dominico, & Francisco Assisinate, decimum tertium: in Andrea Fesulano, & Catharina Senensi, decimum quartum: in Bernardino Senensi, & Francisco Paullano, ad cujus invocationem, dum hæc scriberem, Caleti insignia miracula patrabantur, decimum quintum: in Thoma Villanovano, Ignatio Lojola, Francisco Xaverio, Philippo Nerio, Teresia, Carolo Borromæo, decimum sextum.

XV. Dei testimonium.

Istorum Divorum gesta coævi scripsêre, jurati testes affirmavêre, gravissimi judices probavêre. Narrantur miracula palàm ab illis, id est à Deo, mirabilium solo factore, ad illorum preces, aut invocationem patrata, supra vim naturæ universam, seu dum adhuc agebant in vivis, seu postquam vivere desierunt. Quibus miraculis hoc Deus spectavit, & effecit, ut amici sui honorarentur, & glorificarentur glorificatores sui: indeque intelligeretur, sibi placuisse ac placere, jamque ipsos esse in salutis portu ac sorte Sanctorum. Atqui Deo, sine fide, placere nemo potest: salutis janua, extra veram Dei Ecclesiam, nemini patet. Erant ergo isti de vera, & unica Dei Ecclesia: veram isti, & unicam, Christi fidem tenebant. Et nos igitur in vera Dei Ecclesia, & fide sumus: cùm eamdem omnino, atque ipsi, teneamus, ut per singula nostra credendi capita euntibus manifestum est.

Constricti hac ratiocinatione adversarii, & in ergastulum rebellium Ecclesiæ cum Oniæis Judæis compacti, luctantur tamen cum vinculis; & miracula, quæ ratiocinationis firmissimum annulum, catenæque caput faciunt, admordere conantur. Sed de miraculis nequid addubitare queant, aut debeant, propria mox nobis disputatio erit. Interim Catholicos quædam, super Ecclesiæ sanctitate, moneamus. Sancta est illius doctrina: audiamus, intelligamus, sequamur, & in agendis omnibus appellemus *ad legem, & testimonium*. Audi, inquiebat Sapiens Proverb. 1. *fili mi, disciplinam patris tui, & ne obliviscaris legem matris tuæ.* Audi, Christiane, matrem tuam: neque enim Deum patrem habebis, si eam non audieris, non tantùm in documentis fidei, sed etiam in præceptis morum, ac consiliis. Matris tuæ insigne est sanctitas: eadem sit nota filiorum. Eamdem exegit Paullus ab Ephesiis suis, cap. 5. ubi, post enumerata peccatorum genera diversa, fugiendorum generalem hanc rationem affert, *Sicut decet Sanctos.*

XVI. Sanctam Ecclesiæ doctrinam sudiamus.

Sancti certè Christiani omnes esse debuerant: non omnes tamen ex debito vixêre. Philo, libro de gigantibus, *tria* esse ait *hominum genera, terræ, cæli, Dei*: Homines terræ in voluptates, & infima quæque, effundi: Homines cæli scientiarum, & artium, studiis incumbere: Homines Dei in divino cultu, & obsequio, versari, quemadmodùm sacerdotes & prophetæ consueverant. In Ecclesia homines Dei omnes esse oportebat: postquam, ut loquitur Paullus cum Tito, cap. 2. apparuit benignitas Salvatoris, *ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Versantur tamen homines terræ, nedum homines cæli, sub eodem Christiano & Catholico nomine, inter homines Dei. Tu autem, ô homo Dei, familiam maternam cave deserueris, cave despexeris, cave minoris quàm olim feceris, quia indisciplinati aliqui sunt, & infruniti liberi. Reprehendit Augustinus in psal. 99. quosdam, qui sanctioria vitæ desiderio ad clericorum cœtus ingressi, deprehensis illic malis inter bonos permistis, egrediuntur, & dicunt: *Putabam, quia caritas esset hic.* Reprehendit idem meritò Fæliciam, quòd, pravis Catholicorum quorumdam moribus offensa, Donatistarum partibus vellet accedere, uti Excurs. 4. ad c. 5. l. 1. n. 12. retulimus.

XVII. Non imitemur quorumdam degenerum mores.

Tu, sapientior Christiane, ad mala exempla ne attende; nisi ut ea detesteris, tamquam probrosa nomini Christiano, iisque magis ac magis ac rectè vivendum accendaris. Sint degeneres quidam tam sanctæ matris filii: at nos venerabile ipsius senium revereamur, ac consolemur. Dicebat juniori Tobiæ senior parens, *Filii sanctorum sumus.* Et nos sumus sanctorum filii, qui retrolapsis sæculis, ad ætatem usque nostram, Ecclesiam illustravêre benè agendo, enitendo ad perfecta virtutum, cælestem vitam terris inferendo. Nec filii modò sanctorum sumus, sed fratres: vixêre nobiscum, & vivunt, quibus nullum magis, quàm Deo ante omnia placendi, studium colitur; quibus vitium omne horrori, virtus omnis in pretio, & in amoribus est. Demus operam ut non filii modò, & fratres Sanctorum simus, sed parentes. Pro patribus nostris nascantur nobis non degeneres filii: hæreditas sancta nepotea nostri sint: acceptum à majoribus sanctimoniæ patrimonium, quà possumus, ad posteros integrum illibatumque, imò auctius ac locupletius, nedum ulla parte deminutum, transmittamus.

SECTIO QUARTA.

Miracula testes sanctitatis.

I. Quid hæretici contra miracula objicere possint?

DE quatuor sanctimoniæ generibus duo potissimum veræ Ecclesiæ signa esse, & apud nos inveniri, diximus, sanctitatem doctrinæ, & sanctitatem virtutis divino judicio approbatæ, ac supernaturalis. Id autem divinum, de virtutis integritate, judicium, ex miraculorum divinitus patratorum testimonio dignovimus. Contra quæ miracula quid Ægyptii fratres excipiant, opponantque, non dispicio; nisi prorsus idem, quod Christianis olim Pagani objecêre, vel falsò illa fieri, vel falsò narrari. Nam si verè narrari, vereque à Deo patrari fateantur, necesse erit, ut veram apud nos sanctimoniam, veramque adeo Ecclesiam esse concedant: quandoquidem Deus non magis falsum testari, ac mentiri possit, quàm interire.

II. Infideles illa revicti.

Hac ratiocinatione adducti Gentilium plerique, Apostolis, eorumque discipulis; novam omnino religionem, morum istius ævi, opinionumque, corruptelæ prorsus adversam, prædicantibus, victas manus, quamvis obmurmurante judicio, obluctante quamvis naturâ, dedêre. *Legebantur*, inquit Aug. lib. 22. de Civit. cap. 7. *praconia pracedentium prophetarum, concurrebant ostenta virtutum, ut persuaderetur veritas nova consuetudinis, non contraria rationi; donec orbis terra, qui persequebatur furore, prosequeretur fide.* Conversio Paganorum, & Christianæ legis propagatio, propheriis, ac miraculis ab Augustino tribuitur, ab Arnobio, lib. 2. cont. Gentes, solis fermè miraculis: *Virtutes sub oculis posita, & inaudita illa vis rerum, qua vel ab ipso Christo fiebat palam, vel ab ejus praconibus celebrabatur in orbe toto, eas subdidit appetitionum flamas, & ad unius credulitatis assensum, mente unâ, concurrere gentes & populos fecit, & moribus dissimillimas nationes.*

III. Quid contra illa excipiant.

Prudenter egêre nationes, ex debito egêre, quando testatam divinitus manifestis prodigiis religionem accepêre: meritò damnandæ si renuissent, jureque istud Christi de Judæis Joan. c. 15. audituræ: *Excusationem non habent de peccato suo.* Et tu, frater Ægyptie, prudenter ages, ex debito ages, si abjuratâ Calvinianâ, Lutheranâve, aut aliâ nescio quâ hæresi, ad Romanam Catholicamque Ecclesiam, tot quotidie divinitus ostentis demonstratam, transeas. Meritò damnande, si recuses, idemque à Christo, quod Judæi obstinati, quod Pagani contumaces, auditure. At quâ, inquis, necessitate ostentis istis fidem obligatam habeam, inter quotidianas narrationum fabulas, & figmenta rerum? Quàm multa fieri videntur, quæ non fiunt? Nonne ipsi vos concinitis, *Sunt multa fucis illita, Qua luce purgentur tua*, ô Christe, *Tu, vera lux calestium, Vultu sereno illumina?*

IV. Impostorum in miraculis mendacia.

Religiosus es admodùm, Oniane frater, & peccare metuis imprudentiâ, vel temeritate credendi. Sed istum tibi scrupulum, propitio Numine, mox exemero. Caussari potes duplicem in miraculis falsitatem, narrationis, aut rei. Ab illa incipiamus. Constat equidem, aliquando evenisse, ut vel impostor quispiam falsa pro veris miracula venditet, vel simplicior aliquis, ac nimis credulus, malè à se credita apud alios divulget. Quod de Martyrum reliquiis Augustinus conqueritur, lib. de opere Monach. cap. 28. à vagis quibusdam Monachis venditari *membra Martyrum, si tamen Martyrum ..... ad sumptus lucrosa egestatis, aut simulata pretium sanctitatis*: idem de miraculorum venditatione dici aliquando possit. Execrabilis in eo genere Bernatium quorumdam Helvetorum impostura memoratur, sub sæculi proximè præcedentis initium igni punita: qui, ut templo suo frequentiam plebis conciliarent, & stipem corrogarent, lacrymas imagini D. Virginis affinxêre, immissis in ejus oculos viteis palmitibus per transfossum à tergo imaginis murum. Ævo nostro, ædituus quidam Insulensis oleum de D. Michaëlis Archangeli statua delapsum, quod à recenti picturâ erat, pro miraculoso à caussæ insciis publicari passus, ob eam dissimulationem carceribus, Episcopi Tornacensis jussu, punitus est.

V. Simpliciorum nimia credulitas.

Digna verò fuit tum flamis impostura falsitatis, tum carceribus dissimulatio veritatis. Sed simpliciorum quorumdam, qui sibi nimis facilè ab aliis imponi patiuntur, deincepsque aliis æquè simplicibus imponunt, vana credulitas miseratione potiùs, quàm supplicio, digna est. Sic fuêre, qui nuper, sub annum hujus sæculi quadragesimum quintum, sparsâ de infantuli Panurmitani vaticiniis fabellulâ, indictoque per illum severo jejunio in sabbatum proximè ab audita fabellula secuturum, egêre diem illum pane & aqua contenti. Quod quia nonnulli non faciendum ducebant, minùs religiosi nimiùm superstitiosis quibusdam videbantur. Longè funestiorem exitum habuit Ulisipponensium civium credulitas, apud Osorium lib. 4. in Emmanuelis regis vitâ. Cùm enim in celebri quodam sacello, ante Christi cruci affixi effigiem orarent, solares radii trans cariosum fortè crucis, ac statuæ lignum, per vulnus lateris vitro contectum, promicuisse visi sunt. Protinus ab adstantibus inclamatum miraculum. Clamores compescere, & suspicionem erroris aperire, conatus Hebræus, recèns ad fidem Christianam conversus, repentino tumultu, quasi religionis proditor, confoditur. Inde in Hebræos passim urbe totâ, & suburbanis, sævitum, insanâ crudelitate ob malesanam credulitatem grassante.

VI. Ecclesiæ prudentia in miraculorum approbatione.

Damna talia ex inanibus prodigiorum commentis rarò eveniunt; sed hoc ingens, & exitiosum, semper consequitur; quòd falsa quædam miracula verorum fidem convellunt, & levis credulitas occasionem præbet obstinatæ incredulitati. Itaque eamobrem ab Ecclesia prudentissimè, gravi ac severo præcepto, cautum est, ne miracula ulla, nisi post irrefragabilium testium affirmationem ritè examinata, & à Præsulibus approbata, publicentur. Quo etiam spectant decreta Urbani VIII. data annis 1625. Martio, 1631. Junio, 1634. Julio, de non venditandis prodigiis, nec majori illis auctoritate conciliandâ, quàm res mereatur, restringendisque ad fidem simplicis historiæ narrationibus rerum, per viros fœminasque illustres, supra communem naturæ ordinem, patratarum. Ad quorum decretorum mentem intelligi volo, quidquid ejusmodi tum hic narraturus sum, tum alibi usquam me narrâsse contigerit.

VII. Spectatur in D. Brunonis vita.

Nota est historia fundationis Carthusiensium, & vocati divinitus ad altioris vitæ professionem Divi Brunonis. Ejus occasio fuit celebris illa, & publica, primo, altero, ac tertio die, inter canendum pro mortuis officium Ecclesiasticum, Canonici Doctorisque Parisiensis apparitio, cùm

proferrentur

proferrentur ista Scripturæ verba, *Responde mihi, quantas habeo iniquitates.* Ter enim sustulit caput, & justo se judicio Dei judicatum, accusatum, condemnatum mortuus exclamavit. Istius historiæ veritatem testatissimam esse, plurimi gravissimique auctores affirmant, à Commentatoribus vitæ D. Brunonis adducti. Inprimis scriptor fragmenti historiæ Anglicanæ ad annum 1180. scriptor vitæ D. Stephani Obasiniæ Abbatis sub annum 1140. Thomas Morimundus in chronico, quod ad annum dumtaxat 1150. produxit: & ante hos scriptor codicis Grandimontensis sub annum 1115. exarati, id est sub annum à morte D. Brunonis decimum quartum.

VIII. *Cur de Breviario sublata narratio de mortuo loquente?*

Eam tamen narrationem, ita contestatam; adeo celebrem, non libris modò, sed imaginibus ac picturis abhinc aliquot sæcula, in ipsis Canonicorum Parisiensium oculis, publicatam, Ecclesia de Breviario Romano eradendam, & subticendam judicavit: quia dubitantii quidam de illius veritate scrupulum moverant, ex Petri Venerabilis silentio, & ex eo quòd multis sæculis ab officio defunctorum Parisiensi verba isthæc abfuerint, *Responde mihi*, &c. Quamquam ratiunculis istis facillimè reponi poterat: Petrum Venerabilem alia etiam multa miracula istius ætatis siluisse: Canonicos Parisienses, ad delendam collegæ sui ignominiam, ea verba de officio suo postmodùm erasisse, cùm antiquitus in illo legerentur, & novissimè restituta sint, ut Carolus Breulius, Benedictinus Monachus, in Parisiensium Antiquitatum theatro affirmat. Poterat ergo objectionibus satisfieri, & dubitantis scrupulus eximi. Sed tanti fuit, nihil, de cujus falsitate suspicio aliqua, vel dubium oriri posset, Ecclesiæ usu, ac judicio approbari. Præsertim quando ejusmodi responsa, ac voces mortuorum, sine miraculo arte dæmonum, præstigiisque, formari possunt: uti in Belgio non pridem constat accidisse. Et P. Riquartius noster oculatus testis in relatione, quam de Santirene propè Cretam, aliisque insulis, scripsit, ànno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, perhibet, frequens ibi admodùm esse, ut schismaticorum Græcorum cadavera per dæmones assumantur; atque in illis vexentur, ac percutiantur, imò interficiantur superstites: infestatione, nisi per cadaverum exustionem, non cessante: eos falsò suscitatos Græcanico-barbarâ linguâ vocari *βρυκολάκας*, eorumque corporibus ferè dæmones ad istas præstigias abuti, qui non schismatici modò, sed nequissimi, fuerint.

IX. *Severa miraculorum examina.*

Ad annum hujus sæculi 1617. Patavii ex illapsu fortuito flamæ in pulveris tormentarii acervum, latè facta ædium circumjectarum strages, mortaliumque multi ruinâ oppressi. In illis puellula triennis, quæ prorsus commolita, horas aliquot absque ullo vitæ indicio jacuerat, puerulus item contusis membris omnibus; ad D. Antonii exuvias delati, orantibus suis repentè convaluêre, clarâ luce, in frequentia spectatorum. Agebatur de miraculorum tam evidentium publicatione, quia sacramentum Regis abscondere bonum est, sed opera Dei revelare honorificum. Convenêre Theologi, Medici, Philosophi, de illis disceptaturi. Post multa colloquia, statutum denique, ut res exactè, pro ut acciderat, descripta publicaretur, sine ullo titulo elogióve miraculi. Tanta erat doctis sapientibusque viris formido, quidquam perperàm, in Ecclesiæ ac miraculorum fraudem, quod à cavillatoribus ullis carpi posset, decidendi: ut etiam prudentiæ modum, in re manifesta, & certa, videantur excessisse. Novissimè, Februario anni millesimi sexcentesimi sexagesimi primi, de miraculis ad Francisci Salesii invocationem patratis Romæ quæsitum est juridicè, auctoritate Pontificiâ. De mille septingentis, & quod excurrit, non rejectis, approbata tamen solenniter pro certis ac manifestis novem omnino: in his mortui suscitatio, cæci nati, & duorum ab ortu itidem paralyticorum curatio.

X. *Cur hic ista referantur?*

Audio hic fratrem Hierosolymitanum amicè commonentem: ne tantâ miraculorum vel falsorum, vel dubiorum, vel approbationis publicæ testimonio carentium, congerie, Ægyptiis arma præbeam; quibus verorum, certorum, approbatorum, miraculorum fidem impugnent. Prudenter & commodè mones, benevole & erudite Hierosolymita, si Ægyptiorum multis isthæc, aut istorum consimilia, nota non sunt. Nam, si nota sunt, silentio nihil efficiam, quàm ut illorum adversùm nos argumenta extimuisse videar. Sincerè itaque, & citra dissimulationem agendum est, ut Ecclesia & veritas consuêvit: & Augustinus in polemicis, & optimi quique disputatores ac scriptores fecêre. *Abscondat se serpens*, inquit Tertullianus adv. Valent. *totamq; prudentiam suam in latebrarum ambagibus torqueat.... Nostra columba etiam domus simplex, in editu semper, & apertis, & ad lucem. Amat figura Spiritûs sancti orientem, Christi figuram. Nihil veritas erubescit, nisi solummodò abscondi.*

XI. *A falsis miraculis malè contra vera fit exceptio.*

Age igitur modò, Ægyptie frater, vim omnem argumentationis tuæ adversùs miraculorum veritatem explica. Probatu, inquis, difficilia nonnulla sunt, dubia quædam. Ultro id fateor: imò & hoc do lubens, miracula nonnumquam falsa narrari, quæ vel non evenêre, vel non eo quo narrantur modo. Quid inde? An omnia idcirco falsa sunt? An ideò impostores sumus universi, quia visi sunt aliqui? An omnes continuò simplices, cito-creduli, & levicordes dicemur, propterea quòd nonnulli sic fuêre? Fefellêre quidam, aut falsi sunt: ergo mentiuntur omnes, aut falluntur? Apage illationem absurdissimam. Si ejusdem omnes ingenii, aut mentis essent, non absonè, ut poëticus miles argumentabatur, crimine ab uno omnes discerentur. Sed scribentium, narrantiúmve miracula, alii sunt aliis sanctiores, aliis alii sapientiores. Attende, quis scribat, quis narret: virne integer, ac prudens, qui nec fallere velit in re tanta, nec falli sese facilè patiatur? Testisne ipse oculatus, an ab oculatis ac cordatis acceperit?

XII. *Attendendum quis narret, simplexne, an nequam.*

Si Simplicianus, aut Levitanus quispiam, narratiunculas mihi à puellulis acceptas, vel de ore aut chartis rhapsodi alicujus haustas, occinat, dicam istud Areopagitarum: *Audiemus te de hoc iterum.* Fieri isthæc potuisse crediderimus: sed sanctáne sint, viderimus postmodùm. Interim fides cuique sua libera sit, pro modo opinionis, aut judicii. Sin vir aliquis subdolus malè fulta mihi prodigia ausit obtrudere, uti nuper Janseniani quidam Parisienses; dicam, aut recogitabo istud Augustini, tract. 14. in Joan. *Nemo vobis fabulas vendat: & Pontius fecit miraculum, & Donatus oravit, & respondit ei Deus de cælo. Primò, aut falluntur, aut fallunt. Postremò, fac illum montes transferre: caritatem autem, inquit, non habeam, nihil sum. Nam & contra istos, ut sic dicam, mirabiliarios cautum me fecit Deus meus, dicens: in novissimis temporibus exurgent pseudo-prophetæ*, &c.

XIII. *An prudens ac pius?*

At si vir sapiens ac probus, ab omni fraudis vel faciendæ, vel patiendæ, suspicione alienus, rem sibi compertam affirmatè narraverit; fidem abrogabit nemo, nisi vel imprudens, vel impudens. Legimus Athanasii de D. Antonio narrationes, Hieronymi de D. Hilarione, Ambrosii de Divis Gervasio ac Protasio, Augustini de D. Stephano. Iis tu viris auctoribus non tutò credas, quod vel ipsi vidêre, vel ab oculatis testibus accepêre? Sic de D. Suviberto Ludgerus, de D. Huberto nostro domesticus, de D. Malachia Bernardus, de D. Francisco Bonaventura scripsêre. *Numquid dicemus*, inquit Arnobius lib. 1. cont. Gentes, *illius temporis homines usque adeo fuisse vanos, mendaces, stolidos, brutos, ut quæ numquam viderant, vidisse se fingerent*; aut incomperta pro compertis venditarent? Tantisne viris, tam gravibus, tam sanctis, vel stultitiæ elogium, vel mendacii calumniam, impingemus?

XIV. *Mira patrari possunt arte hominum, aut dæmonum.*

Non equidem, inquiunt, istos falsa narrâsse contendimus. Damus accidisse, quæ referunt: sed an divinitus accidêre? Quàm multa humanitus fiunt, quæ miraculi speciem habent? Quantò plura dæmonum arte, supra humanas vires, longè tamèn infra divinas, patrantur? Qui Guilielmum Cæsarem Coloniæ ab Alberto Magno exceptum, ipso Epiphaniæ festo, scripserunt, in florifero & frugifero hortulo, alii magicæ arti, miraculo alii tribuêre, quidam apud Spondanum anno 1247. scientiæ naturali. Apud Ethnicos multa, quæ prodigii speciem haberent, patrata Baronius refert ad annum 139. & ad annum 71. ubi de Vespasiani miraculis agit, arte magorum perpetratis. Spondanus ad an. 1233. de quodam narrat Guidone de Lacha, in Brixiensi Episcopatu prodigiis per vitam celebri, cum fama sanctimoniæ mortuo, post mortem ob detecta crimina exhumato, ossibusque ex judicis sententia in rogum conjectis: quæ tamen sublimis in aëre aliquamdiu volitârunt, donec, post fusas ab Episcopo ad Deum preces, audiri dæmones clamare, Guido quamdiu licuit te defendimus, jam à potentiore pellimur. Nonne ævo etiam nostro quædam ex iis, quas alicubi gentium Beatas vocant, magicis artibus admirationem apud viros gravissimos, & opinionem sanctimoniæ apud oculatissimos inspectores, aliquamdiu collegêre? Tu tamen argumento miraculorum, ubi tot fraudes, vel hominum, vel dæmonum artibus, latere possunt, docere nos voles, verorum Christianorum ac veræ Ecclesiæ sanctitatem.

XV. *Vetus Infidelitatis adversùs miracula objectio.*

Altera hæc est, & frequentissima, hæreticorum adversùs miracula exceptio. Dicunt nos, vel ab hominibus ista specie decipi, vel à dæmonibus. Id nobis accidere, quod Apoc. 12. Antichristum facturum Joannes prædixit; quod conaturos Pseudo-Prophetas, *ut in errorem mittantur si fieri potest etiam electi*, Christus præmonuit. Deo gratiæ, fratres Ægyptii, quod etiam Christus præmonuit: *Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus?* Dæmonum artibus prodigia nostra tribuitis: iisdem Christi miracula Pharisæi invidi adscripsêre: iisdem Apostolorum ostenta, & Apostolicorum Martyrum, Pagani tribuere soliti, ut prisci Patres, nominatim Origenes, Arnobiusque, & Augustinus tradidêre.

XVI. *Quomodò vera miracula discernantur à magicis.*

Idem igitur vobis respondero, quod Augustinus quæst. 79. inter octoginta tres: primùm, *Magi per privatos contractus; Sancti per publicam institutionem operantur*: deinde, *Magi faciunt, quæ videntur miracula, quærentes gloriam suam; Sancti faciunt miracula, quærentes gloriam Dei.* Respondero idem, quod Origenes lib. 2. cont. Celsum, objicientem, falsa esse ac magica Christianorum miracula: primùm, vera discerni à falsis, *probitate & integris moribus illa patrantium*: deinde, *effectu, qui ex illis consequitur, uti conversione aut profectu in melius.* Idem respondero, quod Arnobius lib. 1. cont. Gent. de Christi miraculis: primùm, *sine ullo adminiculo rerum, sine ullius ritûs observatione, vel lege, omnia illa quæ fecit nominis sui possibilitate fecisse*: contrà magos ritibus ridiculis, superstitiosis gestibus, vanis vocibus aut cantibus abuti. Deinde, *quod proprium, consentaneum, dignum Deo fuerat vero, nihil nocens, aut noxium, sed opiferum, sed salutare, sed auxiliaribus plenum, nobis potestatis munifica liberalitate donâsse*: magos autem libidinem excitare, clades inferre hostibus quà possunt, imò & amicis nocere. Denique, *quòd istas virtutes non tantum ipse perfecit, vi suâ; verùm, quod erat sublimius, multos alios experiri, & facere, sui nominis cum affectione permisit..... Alicuine mortalium Iupiter ille Capitolinus hujusmodi potestatem dedit? Age nunc veniat Zoroastres, Apollonius, &c.*

XVII. *Expeditissimus ea discernendi modus.*

Paucis, & clarè, distinctionem falsorum ac magicorum miraculorum à veris, ad quatuor caussarum capita reduxero. Primùm, si materia sit ejusmodi, ut experientiâ & ratiocinatione constet, supra vires esse caussarum omnium naturalium: cujusmodi fuit subita illa, ac fermè momentanea, seu suscitatio seu curatio Patavinorum infantium; quæ ne à dæmonum quidem sagacissimis esse potuit, cùm nec vitæ reddere mortuos possint, nec contritos ac commolitos momento sanare: neque enim dæmones morbis medentur, nisi applicando activa passivis, effectum utique suum momento non productura. Deinde, si forma miraculi talis est, ut Deum operantem non dedeceat: si sanctis ac religiosis precibus adhibitis, si rebus non absonis neque inanibus, si absque rituum ludicrorum superstitiosis cæremoniis. Prætereà, si homo miraculi patrator, seu potiùs instrumentum efficientis Dei, Deo dignus est, aut dignam Deo saltem personam sustinet, in Christi atque Ecclesiæ ministerio. Ad extremum, si finis miraculi sanctus est, ut à vitiis homines absterreantur, excitentur ad virtutes, fiduciâ in Deum & divinæ gloriæ studio animentur.

XVIII. *Examinandæ caussæ quatuor ad miracula convenientes.*

Ubi finis effectúsve miraculi bonus non est, ab omnium largitore bonorum esse non potest: nisi fortè hominum pravitas ad malum detorqueat, quod bono fine Deus impertivit. Ubi miraculi effector, sive administer, sanctus non est, sanctíve personam non sustinet, suspecta meritò fuerit miraculi ratio: quamquam aliquibus miraculorum patratoribus dicturus est in extremo judicio Christus, *Discedite à me operarii iniquitatis.* Ubi superstitiosi ritus ad rem miram efficiendam adhibebuntur, à Deo illam non esse constabit, superstitiones omnes exosò: superstitiosi autem ritus censendi sunt, quos nec Christi Sanctorúmve exempla approbârunt, neque Ecclesiæ auctoritas. Ubi materia miraculi supra naturæ vires non est, de vero miraculo indubitanter pronuntiari non poterit: etsi sæpe accidat, ut divinitus fiant, quæ humanitus etiam fieri potuerant. At ubi in idem prodigium & finis bonus, & sanctus administer, & forma religiosa, & materia naturæ viribus superior, convenêre: de miraculi veritate ne ipsa quidem infidelitas possit ambigere.

Talia

Talia Chriſtus patravit, talia ejus diſcipuli, talia hæredes diſciplinæ cæleſtis per ſingula Eccleſiæ ſæcula, ad ætatem uſque noſtram; quam ſine iſtiuſmodi teſtimoniis Deus eſſe noluit, ad obturandum os loquentium iniqua.

XIX. Illuſtre miraculum hujus ævi Cæſar-auguſtanum.

Attexo hic omnino quaterna de plurimis, omiſſis noſtratibus, quorum tamen multa, eaque hodierna, illuſtriſſima ſunt. Spectavi ego, vidit viditque adhuc Dionantenſis urbs univerſa, hominem, qui longos annos crurum tibiarumque uſu deſtitutus, poſt pias in Fojenſi ſacello preces firmus in pedes ſtetit, & modò diebus ſingulis nudo capite, per quodvis cælum, ad id ſacellum pietatis cauſsâ peregrinatur. Sed, iis prætcritis, primum, quod ab externis mutuabor, ævi noſtri miraculum Cæſar-auguſtæ contigit, anno hujus ſæculi quadrageſimo, Martii die viceſimâ nonâ. Michaëli Joanni Pellicero, ruſticano & pauperculo adoleſcenti, de vico Aragoniæ Calands, ex curru delapſo, dexteram tibiam rota confregit. Eam, poſt inutiles ab aliis in noſocomio Valentino curationes adhibitâs, in Cæſar-auguſtano Joannes Eſtanga, medicinæ chirurgicæ ea in urbe profeſſor, jam computreſcentem deſecuit quatuor digitis infra genu, & deſectam terræ mandari juſſit. Obductâ cicatrice biennium Cæſar-auguſtæ manſit adoleſcens, nunc in celebri D. Virginis ſacello opem illius implorans, nunc pro ſacelli foribus ſtipem flagitans. Anno quadrageſimo ad parentes reverſus, ſeſe per vicina loca mendicabundus traxit, ad viceſimam uſque nonam Martii. Quo die, cùm fatigatus ſeſe in lectulo compoſuiſſet, viſus eſt ſibi per ſomnium tibiam dexteram oleo, de Cæſar-auguſtani ſacelli lampade, inungere. Sub undecimam nocturnam mater forte cubiculum, in quo jacebat, ingreſſa, & pedes duos conſpicata, maritum advocat. Excitatus adoleſcens ſomnium enarrat, & miraculum deprehendit, quod mox ipsâ nocte vico toto vulgatum. Poſtridie in templum deducitur, & pes, quem mirabilium effector Deus ad majorem miraculi evidentiam diſtortum repoſuerat, inſpectante multitudine ſitui priſtino redditur. Rem vici ſcriba publicis literis teſtatus eſt. Cæſar-auguſtanus Archiepiſcopus, adoleſcente evocato & recognito, poſt cauſſam juridicè examinatam & diſceptatam, ex doctiſſimorum illius urbis virorum ſententia, miraculum pronuntiavit. Thomas Tamajus Vargas, hiſtoricus Regius, Annalibus ſuis illud intexuit. Petrus Neurathius Doctor medicus, latinè vulgavit, adſcripto Hieronymi Brizii de Societate noſtra Sacerdotis teſtimonio, qui adoleſcentem mutilum Cæſar-auguſtæ viderat, deinde Madriti ſanum, relictamque ad ſectionis monumentum infra genu cicatricem, notámve inſpexerat, cum omnibus Collegii Madritenſis Patribus. Variis deinceps linguis publicatum prodigium: Gallicè Duaci anno quadrageſimo ſecundo, Julii viceſimâ ſeptimâ.

XX. Aliud Batavicum.

Quid adhuc tergiverſaris, frater Ægyptie, quid contrà excipis, quid cauſſaris? Clarâ luce iſtud accidit, vidêre plurimi, examinavêre doctiſſimi, Hiſpania tota in præcipuis urbibus mirata eſt, & in Dei laudes, qui facit magna mirabilia ſolus, ſeſe effudit. Accipe etiam quod ſpectavit Batavia, ſcripſit Nicolaus Junius, è Societate noſtra Sacerdos, de cujus fidelitate, & ſinceritate, mihi familiariſſimè olim perſpectâ, ſponſor ſum. Ipſa literarum, Gaudâ, urbe eſt Hollandiæ, ad Patrem Florentium Montmorantium 25. Oct. 1647. datarum, verba produco. *Pro imagine B. Virginis Fojenſis ex prima quercu, quam ad me miſit R. V. immortales ego & Batavi mei gratias habemus. Miracula claret in hiſce hæreſeos tenebris. Ex multis unum inſigne mitto R. V. Virgo Deo ſacra Gaudæ, è patritia familia, Gertrudis Buena nomine, triceſimum quartum annum ætatis agens, à tertio vitæ anno ægra fuit, affectum ita etiam habens latus dextrum à decima-quarta Februarii anni hujus, ut paralyſi tacta videretur. De aliis ejus morbis nihil dicam: nam, in hiſce partibus, hæreticis nihil niſi evidentia proferre ſolemus. Illa, inquam, decimâ-octavâ hujus, ipſo feſto S. Lucæ, tacta in latere malè affecto imagine R. V. ipſo inſtanti ſana ſurrexit, & hactenus ſana manet. Poſt Deum, & B. Virginem, Reverentiæ Veſtræ ſummas gratias agit.*

XXI. Hodierna D Franciſci Xaverii miracula.

Celebre eſt Batavis, in Oriente navigantibus, D Franciſci Xaverii nomen, celebria quotidiana prodigia. Placuit Deo, illum in Occidente quoque illuſtriſſimis Sanctorum ſuorum exæquare, miraculorum frequentiâ. Anno hujus ſæculi quinquageſimo ſecundo, ad Potamenſem ipſius imaginem ac memoriam, patrata recenſentur ſupra ducenta, ritè examinata, conteſtata, typis mandata. Neapoli, per peſtem horribilem anni quinquageſimi ſexti, tam multa ad ejus invocationem contigêre, ut exinde in civitatis patronum, publico decreto ac ſolennibus cæremoniis, adſcitus ſit. Unum recito, quod Bartholomæus Anſora juratus ſcripſit, Octobri ejus anni, die viceſimâ tertiâ. Quatuor, inquit, filios meos, Januarium, Baſilium, Thomam, Salvatorem peſtilens febris invaſerat, Junii decimâ-ſeptimâ: jamque anthraces eruperant, & capitis gravitas, ac vomitus mortis prænuntii. In extremo periculo ad D. Xaverium converſus, anathema voveo ipſius nomini appendendum, & à janitore domus Profeſſæ oleum de lampade, ante Divi imaginem ardente, accipio. Illo ut liberos inunxi, mox febris ceſſit, & momento anthraces evanuêre. Sexto die, confirmatis omnino viribus, ad Societatis templum ſoſpitatori ſuo gratias acturi adiêre. Deinceps, octavâ Julii, ipſe ego peſte afflatus, erumpentibus in inguine anthracibus, & ulceribus, eodem olei remedio uſus mox convalui. Ita ipſe manu ſua ſcripſit: ſubſcripſit Antonius Tonellus, Neapolitanus tabellio auctoritate publicâ.

XXII. Item Joannis Franciſci Regis.

Franciſcus alius, itidem ex Societate noſtra Sacerdos, cui Regi cognomen, de Narbonenſi provincia oriundus, obiit anno hujus ſæculi quadrageſimo, Decembris triceſimâ primâ. Ejus vitam, ſanctimoniâ conſpicuam, prodigiis claram, Gallicè ſcripſit Claudius Broxus, Latinè Franciſcus Creuxius, uterque Sacerdos itidem Societatis noſtræ, uterque voti reus, poſt recuperatam ipſius ope ſanitatem. Unicum de magno miraculorum numero, quia recentiſſimæ & certiſſimæ fidei eſt, adduco, ſcriptoris Latini verbis: *Ego infra-ſcriptus, religioſus & Sacerdos Societatis IESU, teſtor coram Deo, me, cùm triennium totum gravi hemorrhagia laboráſſem, ex rupta ſeu vena, ſeu ut periti quidam exiſtimavêre arteriâ quadam ex minoribus, eò redactum ex proſtratis penè viribus fuiſſe, ut poſt tentata remedia plurima, diverſiſſimaq; præſcripta à medicis Pariſienſibus, Lugdunenſibus, Gratianopolitanis, Maſſilienſibus, Avenionenſibus, poſtq; imploratum nequidquam patrocinium duorum triumve Sanctorum è celebribus, prædicaverint iidem artis medicæ conſulti non ſemel, me nequaquam ex eo morbo revaliturum. Sed cùm ſub ea tempora*

auditione accepissem, aliquem alium ex morbo haud absimili, R. P. Francisci Regis ope & patrocinio, emersisse, ingentem illico fiduciam quamdam animo concepi, fore ut, eo apud Deum sequestro, consanarer. Quare vovi, si sanitatem Dominus Deus restitueret, Lalovescum iturum me, ad famuli Dei tumulum, ibi loci sacrificaturum agendis gratiis, & aliquid præterea religiosè peracturum. Et sanctè testor; eâ ipsâ die inhibitum sanguinem fuisse, sic ut nihil deinceps incommodi inde persenserim, totis videlicet annis novem. Huic rei testificandæ chirographum meum interposui, Lugduni 13. Aug. 1659. Benedictus Berthod.

XXIII.
Veræ apud nos fidei & Ecclesiæ sanctitas.

Redeat nunc ratiocinatio nostra. Franciscus Regis, Franciscus Xaverius, idem penitùs, quod nos, de religione sensêre, eadem fidei capita tenuêre, de eadem Ecclesia fuêre. Deo tamen placuêre, cui sine fide & vera sanctitate nihil placet. Recta ergo ipsorum fides fuit, & nostra: vera ipsorum Ecclesia, & nostra. Vestrum ergo, Ægyptii fratres, Omnino profanum est, falsa fides vestra, Ecclesia vestra synagoga satanicum. Aut date nobis, unde appareat, vos Deo placitos esse, miracula proferte, testimonia divina ostendite. Audire videor submurmurantes illud Augustini tract. 16. in Joannem: *Iudæi fuerunt, vel sunt, similes Galilæis*, signa petentibus: *nos similes illis Samaritanis. Evangelium audivimus, Evangelio credimus, Evangelio consensimus, per Evangelium in Christum credimus, nulla signa vidimus, nulla exigimus.*

XXIV.
Hæreticorum fides & sanctitas nulla.

Hoc Catholici dicant, quibus Ecclesiæ suæ unius, ac sanctæ, indubitata possessio est. Firmatis fornicibus, substructio opus non est. Arbores adultæ, ac vegetæ, irrigatione non indigent. Legatus Regius, mandatis domini jam pridem expositis, literas ejus signo impressas necesse non est ut ampliùs exhibeat. Sic est Ecclesia nostra, firmata super petram, adulta incrementis sæculorum septemdecim, jam olim agnita Christi signis, atque prodigiis. Miraculis ampliùs non eget: ostendit tamen nova in dies, & oculis subjicit, excitandæ Fidelium pietati, & convincendæ Infidelium obstinationi. Ita olim in Synagoga, post stabilitam licèt à Mose religionem, ostensisque suffultam, alia tamen identidem atque alia apparuêre miracula: ut in actis Judicum, Salomonis, Eliæ, Elisæi, Isaiæ, Danielis, Nehemiæ, legimus. At vos, Ægyptii fratres, in recenti vestra substructione, in novella plantatione, in ignota legatione, quæ miracula profertis? Qui estis? Unde venitis? Qua auctoritate docetis? Quis huc vos misit? Quæ signa exhibetis? Quale, opinor, exorcizans Lutherus, & à dæmone vapulans, Staphylo teste oculato perhibente apud Spond. an. 1545. Quale Calvinianus Ministellus, qui energumenum ut sanaret, culeo insutum, sacco ad collum pendente, in Isaram amnem præcipitavit, teste Genebrardo apud eumdem an. 1566.

XXV.
Miraculis respondeat vita Catholicorum.

Omittamus tantisper cæcos, & duces cæcorum, dicamusque omnes animitus, sanctæ Ecclesiæ filii: Deus, fidei nostræ auctor, mentium nostrarum lumen, *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Dicamus fidenter, cum Richardo à S. Victore lib. 1. de Trin. c. 2. *Domine, si error est, à te ipso decepti sumus: nam ista in nobis tantis signis, & prodigiis, & talibus, confirmata sunt, quæ nonnisi per teipsum fieri possent.* Ratio ipsa nobis fidem persuasit, lumen ipsum prudentiæ naturalis veram nobis Ecclesiam demonstravit. Non Infideles modò essemus, si post tot testimonia de fide ambigeremus: sed prudentiæ omnis expertes, & à ratione alieni. Quid autem si de fide certi, fidei tamen convenienter non vivimus? *Ideò*, inquit Augustinus lib. 83. quæstionum quæst. 79. *non omnibus Sanctis ista miracula tribuuntur, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis majora dona esse, quàm in operibus justitiæ, quibus æterna vita comparatur.* Non omnes Sancti patrant miracula, sed omnes sanctè vivunt, & plus longè sibi prosunt sanctè vivendo, quàm miracula patrando: plus etiam sæpè virtutibus, quàm signis, ad aliorum conversionem proficiunt. Certè Acosta perhibet, opus alio miraculo non esse, adducendis ad fidem Peruvianis barbaris, quàm castâ & temperante vitâ. Si apud Catholicos, primi præsertim ordinis, ea esset morum castigatio, & caritatis affectio, quam Ecclesiæ sanctitas exigit, hæretici essent aut pauci, aut nulli: quod de se Anglus hæreticus, inspectâ propiùs Bellarmini vitâ, profitebatur.

SECTIO QUINTA.

Ecclesiæ universitas seu titulus Catholicæ.

I.
Augustinus mortuus catechista vivi hæretici.

BEATUS Franciscus Salesius Episcopus Genevensis lib. 7. epist. 59. narrat, venisse ad se aliquando summo mane virum quemdam benè doctum, multos annos Ministri officio apud hæreticos functum; & conversionis suæ caussas referentem dixisse, usum se catechista Episcopo totius orbis doctissimo. Expectabam, inquit Salesius, celebre aliquod inter hodiernos Præsules nomen, quando mihi Augustinum nominavit. Est verò D. Augustinus insignis hæreticorum catechista, cùm locis passim omnibus, ubi ætatis suæ errores exagitat; tum iis præsertim, ubi de Ecclesia disputat, germanisque illius notis, quod ipsi frequentissimum est.

II.
Quatuor Ecclesiæ notis Augustinus in fide firmatus.

Libro contra epist. fundamenti cap. 4 rationem reddens, cur Manichæos, in qua hæresi educatus fuerat, deseruerit, & ad Ecclesiam Catholicam reversus, constantissimè in illa manere statuerit: quaternas nostras Ecclesiæ notas affert, pro fidei suæ fundamento, *Multa sunt*, inquit, *quæ in ejus gremio me justissimè tenent. Tenet consensio populorum, atque gentium.* En unitatem. *Tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata.* En sanctitatem. *Tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* En Apostolicam Ecclesiam. *Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine caussa, inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit: ut cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* En Catholicam Ecclesiam.

III.
Catholicæ titulus quid significet, & quotupliciter?

Atque istud potissimum Catholicæ Ecclesiæ elogium sanctissimus Doctor commendare solitus fuit auditoribus suis, adversùs sectarum in Africa gliscentium pestes: nobisque exemplo suo præscripsit, quid antidoti auditoribus nostris, adversùs sectarum hodiernarum labem, præbere debeamus. Expendatur itaque primùm, quid titulus Catholicæ significet: deinde, quemadmodùm Ecclesiæ nostræ, non synagogis Ægyptiacis, conveniat. Græcæ originis vox est *Catholica*, à καθ' ὅλον, id est per totum: adeoque, cùm de

Ecclesia

Ecclesia dicitur, tripliciter sumi potest, quòd per totum tempus, semperve, fuerit; quòd per totum, & partibus omnibus, perfecta sit; quòd per totum, orbe universo, sese diffuderit.

IV. Ecclesia quomodò fuerit semper, ac futura sit?

Primo sensu sic quidam intellexerunt, ut quando Ecclesia Catholica dicitur, tantumdem sit, ac si dicatur, semper fuisse ab ipso mundi exordio congregatio Fidelium salvandorum per fidem in Christum, saltem implicitam & generalem. Adamus & Eva Ecclesiæ Dei initium dedêre; ibi enim Deus est, ubi duo sunt congregati in ipsius nomine. Peccavêre quidem primi parentes, at fidem non amisêre, adeoque extra Ecclesiam non fuêre: sed & gratiam ipsam, & amicitiam divinam, pœnitentiâ reformavêre. Secuti filii Dei perpetuâ serie ad Abrahamum usque, qui exultavit ut videret diem Christi, vidit & gavisus est. Eatenus Fideles inter se non cohærebant, & coaptabuntur, Sacramentis ullis, aut cæremoniis sacris: solâ inter se fide conjuncti, bonisque ex lege naturæ operibus, ac sacrificiis quibusdam, pro cujusque pietate, summo Numini adorando exhibitis. Cæremoniæ, ac sacramenta legitima ab Abrahamo initium duxêre Dei jussu: eodemque jussu à Mose aucta, ac perfecta sunt, inductâ religionis formâ, colligatis fidelibus omnibus earumdem legum, sacrificiorum, sacramentorum, rituum observatione. *Cùm autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*, qui Mosaïcæ legis umbras clarâ doctrinæ suæ luce illustravit; & figuras, æternâ consummatæ sanctimoniæ lege, mutavit. Itaque, inquiunt, eadem semper fuit, eritque semper quoad essentiam, Ecclesia fundata supra petram immobilem fidei in Christum: etsi temporibus diversa, cæremoniis ac ritibus varia, & perfectione, velut ætate, sibi dissimilis: atque adeò percommodè Catholica nominatur, quæ temporis omnis atque ætatis est. Explicationem istam hujus nominis demus bonam esse: demus, inquam, nam alii forsan negaverint, Ecclesiam eamdem dici posse, tantâ rituum & legum mutatione. Sed bonam esse faciamus: non tamen huic loco, & instituto nostro apta est, neque internoscendæ veræ Ecclesiæ, & ab hæreticorum synagoga distinguendæ. Nemo enim hæreticorum non affirmabit, sibi fidem esse in Christum: quæ generalis istius, & per universa sæcula diffusæ Ecclesiæ, essentia est.

V. Ecclesia quomodò perfecta in totum?

Alter sensus ab Augustino est lib. de Gen. ad lit. imperfecto cap. 1. in fine: *Ecclesia Catholica dicitur, ex eo quia universaliter perfecta est, & in nullo claudicat*: Eòdem spectat, quod dicit in psal. 65. *Ecclesia totum tenet*, scilicet veritatis: *hæretici in parte sunt*, id est, ut ait epist. 48. *veritatis nonnulla particula in diversis hæresibus inveniuntur*. Sic autem intelligendum est, Ecclesiam perfectam esse, in nullo claudicare, totum veritatis tenere; quòd falsi nihil ad doctrinam proponere possit mali nihil ad mores præcipere. Alioqui non sic totum veritatis tenet Ecclesia; ut non paullatim perficiatur cognitione doctrinæ; &, moribus suorum dirigendis aut corrigendis, novas identidem leges sanciat. Catholica ergo, ex hac Augustini sententia, dicetur, non quia docet omnem omninò veritatem: sed quia omnem docet, quæ ad salutem necessaria est, nihilque prorsùs falsi, aut mali proponit, uti etiam Christus Joan. cap. 16. de Spiritu Paracleto loquitur. Hæc Augustiniana & ingeniosa explicatio, quia magis ad unitatem & sanctitatem Ecclesiæ, quàm ad universalitatem pertinet, huic loco non magis idonea est, quàm amerior aliorum.

VI. Dicitur Catholica, quia toto orbe sparsa.

Tertium sensum, quem mox ab Augustino sæpiùs audiemus, indicat Pacianus Episcopus Barcinonensis epist. 3. *Calculare*, id est enumera, *si potes, Catholicos greges, & duc in digitos plebis nostra examina. Nec illa modò, quæ toto orbe diffusa sunt, cunctis plena regionibus: sed hæc, frater Semproniane*, Novatianus hæreticus erat, *quæ in proximis tecum finibus, & in vicina urbe consistunt. Contemplare quot numeros unus aspicias, quot meorum populis solus occurras. Nonne ut stillicidia fontibus magnis, nonne ut ab Oceano quædam gutta sorberis?* Id argumentum efficacissimè urget tot locis Augustinus, ut recensere difficile sit. Inprimis epist. 162. ad Episcopos Donatistas: *Nemo*, inquit, *delet de cælo constitutionem Dei, nemo delet de terra Ecclesiam Dei: ille totum orbem promisit, ista totum orbem implevit.*

VII. Deus Ecclesiæ suæ totum orbem promisit.

Ubinam verò Ecclesiæ Deus totum orbem promisit? Multa in eam rem Scripturæ loca congerit D. Augustinus epist. 166. Quale istud est, ad Galatas c. 3. *Abrahæ dictæ sunt promissiones*, benedicendi in ipso omnes gentes, *& semini ejus, qui est Christus.* Istud item psal. 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu.... Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Item istud Danielis c. 2. *lapis qui percusserat statuam*, id est Christus, *factus est mons magnus*, in Ecclesiæ suæ incrementis, *& implevit universam terram.* Illud prætereà psal. 104. *Exaltare super cælos Deus, & in omni terrâ gloria tua.* Illa etiam Evangelica Lucæ 13. *Venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei.* In extremo item judicio congregabuntur electi *à quatuor ventis, à summis cælorum usque ad terminos eorum.*

VIII. Ecclesiæ visibilis patrimonium, & dos, orbis universus.

Sed rursus Augustinum audiamus tractat. 1. in epist. Joannis, ubi Lunæ Ecclesiam confert: *Verbi gratiâ, quando homines volunt videre Lunam novam, dicunt, Ecce Luna, ecce, ubi est. Et si ibi sunt, qui non valent intendere aciem, & dicant, ubi? Intenditur illis digitus, ut videant. Aliquando, dum erubescunt, ne cæci putentur; dicunt se vidisse, quod non viderunt: Numquid sic ostendimus Ecclesiam, fratres mei? Nonne aperta est? Nonne obtinuit omnes gentes? Nonne impleta promissio Abrahæ?* Ea scilicet, quam numero proximè præcedente indicavimus. Libro 4. de symb. ad catechumenos comparat Ecclesiam sponsæ, Evangelium tabulis matrimonialibus: *Ecclesia mater est spiritualis, Ecclesia sponsa Christi est: totum possidet, quod à viro accepit in dote. Lege tabulas ejus matrimoniales. Recitabo. Audite hæretici, quid scriptum sit: Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes. Omnes gentes totus mundus est: Ecclesia totum possidet, quod à viro accepit in dote. Quæcumque congregatio cujuslibet hæresis in angulis sedet, concubina est, non matrona.* Eidem comparationi institit homiliâ de 5. hæresibus, post allatum versum psal. 104. quem superiore numero protulimus: *Sponsus in cælo est, sponsa in terra est: ille super omnes cælos, illa super omnem terram. O hæretice, credis, quod in cælo non vides: non credis, quod in terra vides?* Enarratione in psal. 21. comparat Ecclesiam hæreditati paternæ, de qua inter fratres quæritur, & litigatur, quando de patris voluntate non constat, ex testamento: at ubi recitata sunt patris mortui verba, continuò acquiescitur: *Fratres sumus*, nos licèt Hierosolymorum incolæ, vos Ægypti: *quare litigamus?*

Non

Non intestatus mortuus est pater. Ille sine sensu jacet in monumento, & valent verba ipsius: sedet Christus in cælo, & contradicitur testamento ejus? aperi, lege. Subdit verba suprà excerpta de psal. 2. alia item de psal. 21. qui de Christo & Ecclesia apertè est, & tertiò idem de Ecclesiæ per universum orbem propagatione prædicit: *Convertentur ad Dominum universi fines terræ; & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium: Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.*

IX. Romana Ecclesia Catholica est, & sparsa per quatuor orbis partes.

Invenimus, non jam in Augustino, sed in Spiritûs sancti oraculis, quid Ecclesiæ Catholicæ titulus significet. Cuinam verò congregationi ea significatio congrua est? Nostræne, sub Pontifice Romano: an Lutheranæ, vel Calvinisticæ, vel Anabaptistidi, vel Puritanæ, vel Presbyterianæ, vel cuivis alteri vocabulo? Iterabo hîc, quod Aug. epist. 164. eodem Catholicæ Ecclesiæ argumento usus, ad Emeritum Donatistam: *Miror, si in corpore habet sanguinem, qui de hac re non erubescit.* Romanæ Ecclesiæ fines designare nemo potest, nisi in orbis universi tabula designet limites terræ. Olim à Psalmista dicebatur *nomen Domini laudabile, à Solis ortu usque ad occasum*: jam non laudabile modò ubique est, sed laudatum, ac prædicatum. Advertit ingeniosè Augustinus tract. 9. & 10. in Joan. nomine Adam contineri Græcas literas initiales quatuor mundi partium, ἀνατολὴ, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία. Longè aliter Christus nomine suo partes orbis omnes comprehendit: ubique filii ejus sunt, ubique Christiani, iique veri, ac genuini, id est Catholici. Europa, scientiarum & artium magistra, videt religionis Christianæ summum magistratum, apud *Romanos rerum dominos, gentemq; togatam*, imò *sacratam*, latiusque religione, quàm umquam imperio, præsidentem. Asia apud Seres, Indos, Persas, Syros, in ipsis Mahumetanæ superstitionis adytis, audit Christi nomen à Christianis celebrari. Africa, quæ olim semper aliquid novi monstri parere dicebatur, jam germanos Christo liberos peperit, Congumque illis, & insulas, implevit. America, quæ nuper velut Chami infausta progenies habebatur, modò non solùm in urbibus, sed in nemoribus, ac speluncis, Christi nomine insonat.

X. Linguis omnibus loquitur.

O Jesu, ô Fili Dei & hominis, amator hominum, *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Cresce Joseph noster, adorent te tribus, esto dominus fratrum tuorum omnium. Clama sanguis Abel, donec ubique audiaris. O care Japheth, fili consolatoris Noë, dilatare, & habita in tabernaculis Sem, & in papilionibus ac speluncis Cham. August. tract. 32. in Joan. valdè eleganter dicit, à temporibus Apostolicis linguarum donum cessare, id est promiscuum & vulgare non esse, quemadmodùm fuit sub Ecclesiæ nascentis initia. Jam enim necessarium non esse, *quia ipsa Ecclesia omnibus linguis loquitur.* Subjicit, quando de aliquo quæritur, sitne verus ac germanus Christianus, sciscitandum ex illo, an linguis omnibus loquatur, id est an sit de ista Ecclesia, quæ linguis omnibus loquitur.

XI. Quàm paucis linguis utantur hæreses?

Eà vos lege convenio, fratres Ægyptii, edissерite palàm, quibus nuper linguis locuti estis, & modò loquimini? A cunis suis Lutheranismus Teutonicè locutus est; paullò pòst, commotis novitate rerum animis, aliquot conterminarum nationum linguas didicit, nullas tamen nisi Europæas; modò vix aliâ utitur, quàm Germanicâ, & forsan Slavonicæ dialecto. Calvinismus à Gallica cæpit, Anglicam, Teutonicam, Slavonicam postmodùm tenuit: externas extra Europam non callet, etsi ad litora interdum Oceani peregrinatur, non religionis causâ, sed negotiationis. Puritanismus, & Independentismus, & si qua alia sunt nomina, solam Anglicam nôrunt. Anabaptismus Lutheranismi filius, Calvinismi frater, easdem linguas edoctus est. Et vos de vera Ecclesia estis, quæ omnibus linguis loquitur? Per vos Christus orbem universum tenet? Vos Catholici, vos genuini Christiani estis?

XII. Cassa eorum defensio contra multitudinem Fidelium.

At enim, inquiunt, Christus suos monuit; ut non timerent *pusillus grex*. Octo dumtaxat arca Noëmica diluvio eripuit. Loth cum exigua familia solus incendium urbium damnaturum evasit. Davidicæ stirpi duæ tribus tantummodò fidem servavêre, cæteris in æmulum regnum conjunctis. Apostoli cum Christo soli fermè mansêre, obmurmurantibus & abeuntibus Capharnaitis. Sic isti nostra de Catholicæ Ecclesiæ propagatione, & multitudine, argumenta conantur eludere. Conati itidem fuêre olim Donatistæ, quos validissimè confutavit Augustinus libro de unitate Ecclesiæ cap. 12. & docuit, intelligi partim ista debere de bonorum numero in comparatione malorum, de Apostolis & cunis Ecclesiæ, de Antichristi temporibus & mundi consummatione. Conabatur itidem Manichæus, adversarius Legis & Prophetarum, de paucitate secum sentientium gloriabundus, *quia paucorum est sapientia.* Sed os loquentis iniqua clausit Augustinus, lib. 2. contra illum, ostenditque, eam esse hæreticorum omnium cavillationem: *Omnes de paucitate gloriantur, & seducere, si possint, multitudinem quærunt.* Quærunt omnino seducere, non quærunt convertere. Catholicos, quà licet, pervertunt. Paganos, Mahumetanos, aliosque Infidelium ad religionem veram non adducunt, quia eam non tenent. Morbus sunt, corporibus infestus: non medicamentum, ægris salubre.

XIII. Catholicus semper in virtute proficiat.

Recenseamus modò Ecclesiæ Catholicæ appellationes, & filios ejus Catholicos alloquamur. Catholica illa, quorumdam opinione, dicitur, quia semper fuit, paullatim tamen variis incrementis perfecta, à lege naturæ in Mosaicam, donec ab auctore gratiæ Christo perfectionis ultimæ consummationem acciperet. Sic tu, Catholice, semper esto Ecclesiæ filius, semper cresce, semper perficere, donec in te Christi legem & imaginem consummaveris. *Novus enim homo*, ut ait Augustinus lib. de vera religione, cap. 26. *& interior, & cælestis, habet & ipse pro portione, non annis, sed profectibus, distinctas quasdam spirituales ætates suas*, quibus gradatim in virtutibus adolescat, ac firmetur: *sicut fit in germinibus herbarum, atque lignorum*, quomodò loquitur Prosper lib. 2. de voc. gent. c. 11. *Illi, quos quasi vagientes Ecclesia Catholica ubera sustentant*, inquit iterum Aug. lib. de mor. Eccl. Cath. c. 10. *si ab hæreticis non fuerint deprædati, pro sua quisque captu viribusq; nutriuntur, perducunturq; alius sic, alius autem sic, primùm in virum perfectum; deinde ad maturitatem canitiemq; sapientiæ perveniunt, ut eis quantum volunt vivere, ac beatissimè vivere, liceat.*

XIV. Omnia peccata fugiat.

Esto itaque Catholicus, semper in virtutibus proficiendo: esto item Catholicus, peccata quælibet, tam sancto nomine indigna, fugiendo. Quemadmodùm enim aliqui Ecclesiæ datam Catholicæ appellationem arbitrantur, quòd partibus omnibus absoluta sit, & in nullo claudicet: ita Catholicus nominabitur, qui peccata omnia vitabit,

vitabit, nec claudicabit in utramque partem, nunc virtutis, nunc vitii. Nam, qui peccavit in uno, factus est omnium reus, D. Jacobi Apostoli sententiâ: nec Catholici titulum meretur, qui omnibus Dei mandatis non obtemperat. Ita sentiebat Pacianus epist. 1. ex istius tituli etymologia, quamquam non omnino exactâ: *Si reddenda Catholici vocabuli ratio est, & exprimenda de Græco, interpretatione Romanâ; Catholicus ubique unum, vel, ut doctiores putant, obedientia omnium nuncupatur, mandatorum scilicet Dei: unde Apostolus ad Rom. 5. Si in omnibus obedientes estis.*

XV. Caritatem, virtutum maximè Catholicam amet.

Denique, esto Catholicus; nationes omnes quamvis semotas, linguas omnes quamvis peregrinas, homines omnes quamvis alienos, Catholicæ Ecclesiæ exemplo complectere. Dilata sinum cordis, extende brachia caritatis: hominum nullum, qui Dei domesticus, & amicus, vel sit, vel esse possit, habe pro extraneo, vel inimico. Caritas maximè omnium universalis, & Catholica virtus est: primùm ex obligatione, quia legibus omnibus imperatur, Naturæ, Mosaica, Christianâ: deinde ex objecto, quia omnes diligit, in quibus imago Dei est, præsertim ubi accessit imago Christi: prætereà ex effectu, & actibus quos imperat, tum menti, tum linguæ, tum manibus, ut illa benignè cogitet, ista suaviter loquatur, hæ promptè obsequantur: denique ex præmio, quia mercedem omnem à Deo, & amplissimam in cælo remunerationem per omnia æternitatis spatia promeretur. Itaque Catholicis omnibus prædicet S. Leo, quod Romanis suis dixit, serm. 2. in anniv. assumptionis suæ: *Corona mea, sicut Apostolus ait, & gaudium vos estis; si fides vestra, quæ ab initio Evangelii in universo mundo prædicata est, in dilectione & sanctitate permanserit.*

SECTIO SEXTA.

Universalia Concilia oracula Ecclesiæ Catholicæ.

I. Lutheri impudens adversus Concilia impietas.

ANTESIGNANUS Ægyptiorum fratrum Lutherus, quando primùm discessionem, sparsis in vulgus seditiosis sermonibus, & factiosis libris, meditari cæpit; à Catholicis Doctoribus exagitatus, Sanctorum Patrum exemplo ad Pontificem maximum appellavit, tamquam supremum controversiarum judicem, & Ecclesiæ totius caput. At mox à Leone X. damnatus, relicto Patrum exemplo, ad Concilium œcumenicum, hæreticorum more, provocavit. Cùm autem Constantiense ipsi Concilium, ubi ejus sententiæ præjudicio damnatæ erant, objiceretur, adversùs Concilia impudentem linguam solvit, & calamum acuit: usque adeò, ut ne Nicæno quidem primo parceret, de cujus canonibus, homo impius juxtà & effrons, pronuntiare ausus est lib. de Conciliis: *Hi omnes articuli sunt fenum, & stipula: Spiritum sanctum prorsus non intelligo in hoc Concilio.*

II. Calvini de iis sensus.

Paullò hac in re modestior Calvinus lib. 4. Inst. cap. 9. Concilia quatuor antiqua laudat: sed eò tantùm, quia Scripturæ sacræ regulam secuta sint, non quià ullam de se habeant controversias definiendi, aut de fidei articulis statuendi, auctoritatem. Atque adeo quidquid deinceps Conciliorum habitum est, nihil apud ipsum, ac suos, momenti obtinet: ubi præsertim ex sacrarum & Apostolicarum traditionum normâ quidpiam decernitur, quemadmodùm in Nicæno secundo de imaginum cultu factum est. Adversùs istorum arrogantem temeritatem, stabilienda nobis erit Conciliorum auctoritas, iisdem argumentis, quibus *generalem ac regularem viam Catholicæ fidei* demonstrari, ex Vincentio Lirin. sect. 1. didicimus: *primò scilicet divinæ legis auctoritate, tum deinde Catholicæ Ecclesiæ traditione,* id est Scripturâ primùm, deinde temporum & populorum Christianorum consensu.

III. Ecclesia in articulis fidei definiendis errare non potest.

Revocemus tantisper in memoriam, ac retractemus, loca illa Scripturæ, unde Ecclesiam constat in doctrina, fide, veritate, errare non posse: istud inprimis Paulli, quòd *Ecclesia* sit domus Dei, *columna & firmamentum veritatis*: & ista Christi, numquam fore, ut portæ inferi prævaleant adversùs Ecclesiam; &, qui eam non audierit, habendum pro Ethnico & Publicano. Quibus illud adjungendum Symboli Nicæni, ubi non modò dicitur, *credo Ecclesiam*, sed *credo in Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*, addita ista particula, *in*, quemadmodùm dicitur, *Credo in unum Deum*, & *in Filium ejus*, & *in Spiritum sanctum dominum*: ut non materia solùm credendi exprimatur, sed caussa stabilis, sincerusque affectus.

IV. Ecclesia quotupliciter spectari possit?

Ex hoc immobili fundamento consequitur, œcumenicis & universalibus Conciliis, legitimè congregatis, infallibilem esse de credendis dicendi, definiendique auctoritatem. Ecclesia enim tripliciter spectari potest, primùm in corpore universo, deinde in capite, denique in partibus præcipuis. Corpus universum sunt Catholici omnes, ubivis terrarum sparsi: caput esse Pontificem maximum, Romanumque Papam, probavimus: partes præcipuas faciunt Episcopi cæteri, & provinciarum Catholicarum diœcescónve capita. Faciamus modò novam enasci de fide inter Catholicos quæstionem, cui finiendæ, opus sit Ecclesiæ suprema auctoritas. Singulósne Catholicorum, summos atque infimos, nullo discrimine in unum cogemus, aut oppidatim ac vicatim sententias rogatum ibimus? Fieri non potest. &, si possit, absonum tamen & ab omni sacræ vetustatis usu alienum fuerit. Fecerint olim Athenienses; ut viritim suffragia ferrent, calculosque adjicerent, quando de damnandis absolvendisve sontibus, aut insontibus, indiscriminatim agebatur. At in reipublicæ Christianæ negotiis, fideique decretis, inauditum, & numquam audiendum est. Restat igitur, ut vel Ecclesiæ caput interrogemus, vel præcipua cum capite membra Ecclesiæ. Illud nolunt Oniani fratres: si isthæc etiam recusant, jam nobis erunt pro Ethnicis & publicanis, quia Ecclesiam non audient.

V. Conciliorum auctoritas in Apostolis expressa.

Formulam Conciliorum Apostoli præscripsêre Act. 15. ubi disceptatio de Judaicæ legis observatione, Christianos inter ex Judæis & Gentilibus conversos, finienda fuit. *Ad Apostolos & presbyteros in Ierusalem* itum: *conveneruntque Apostoli, & seniores, videre de verbo hoc. Cùm autem magna conquisitio fieret*; vult enim Deus diligentiam omnem ab Ecclesiæ primotibus adhiberi: *surgens Petrus dixit* primus, quia omnium caput, ac præses, Christianos ex Gentilibus obstringi Judaicis ritibus non debere. Dein, post auditos de religionis profectu Barnabam & Paullum, Petri sententiam *Iacobus* Hierosolymorum Episcopus, repetiit, & amplexus est. Mox *placuit Apostolis, & senioribus, cum omni Ecclesia*, mittere, qui Antiochiam sopiendæ controversiæ literas Concilii

nomine

nomine ferrent, sententiamque his ipsis verbia expressam. *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris*, &c. Auditis fratres Ægyptii? idem est videri Apostolis, & senioribus, & videri Spiritui sancto: eadem est Concilii, & Dei, sententia: eadem illius, & istius, veritas, quia Concilium Ecclesia Dei est, & Ecclesia à Deo deseri, atque errare, non potest.

VI. Eadem Conciliorum omnium, atque Apostolici, in fidei decreus auctoritas.

Quod autem de Apostolico Concilio, idem de Nicæno, idem de alio quovis ritè coacto, statuendum est, eamdem ob caussam. Neque enim aliam modò, quàm Apostolicis temporibus Ecclesiam habemus: nec qui promisit, se ad consummationem usque seculi cum discipulis mansurum, infidelis est: nec veritas credendorum Catholica Concilia destituit, si Deus veritatis auctor illa non deserit. Itaque in decidendis fidei capitibus, finiendisque controversiis, Apostolicâ formulâ Patres Conciliorum œcumenicorum uti potuêre: quia pari auctoritate congregati, præside Petri successore, regente ac dictante Spiritu sancto, pronuntiârunt. Maluêre tamen Nicæni Patres eo loquendi modo abstinere, solique decreto de Paschæ celebrandi tempore præfigere istud summæ auctoritatis, *Visum est*; aliis autem decretis hanc formulam apponere, *Ad istum modum credit Ecclesia Catholica*. Sed quacumque demum decernendi formulâ tum Nicænum, tum Ephesinum, tum Chalcedonense, tum Constantinopolitanum, tum cætera deinceps legitima Concilia usa sint, idem prorsus fuit illis videri, & videri Spiritui sancto; eadem illorum atque Ecclesiæ, quam exhibebant, universæ, atque adeò Dei sententia.

VII. Synagoga quomodò & quatenus infallibilis fuerit?

An verò Ecclesia errare possit, Synagoga non potuit? Si de Propheta dignoscendo divinaque illius legatione, & doctrinæ veritate, quærebatur; si de festis instituendis novisque ritibus inducendis agebatur, Pontificis erat, Principisve sacerdotum pronuntiare; qui ante pronuntiandum, in rebus difficilioribus seniorum aliquando sententias exquirebat, cogebatque Concilium, seu Synedrion, unde in Hebraicum voce inflexâ Sanedrim manavit. Idque ex divino instituto fluxisse constat, tum ex perpetuo Synagogæ usu, tum ex Christi verbis Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate, & facite; secundum verò opera eorum nolite facere.* Scribarum ac Pharisæorum, in Mosaicæ doctrinæ cathedra, sub Pontificis summi auctoritate, sedentium, decretis stabatur, definitionibus acquiescebatur; starique, & acquiesci volebat Messias ipse: donec, Messia rejecto, id est capite sibimet defecto, omnem sibi auctoritatem abstulêre, translataque fuit gloria de Israël, quia capta erat arca Domini.

VIII. Decreta Conciliorum pro divinis oraculis suscipienda.

Tunc denique portæ inferi prævaluêre adversùs Synagogam: at numquam prævalebunt adversùs Ecclesiam. Frendeat licèt Calvinus, ringatur Lutherus, rumpantur inferi, sua semper Conciliis immota stabit auctoritas. Sentiet de illis sacer omnis Catholicorum ordo, quod olim Patres omnes censuêre. Venerabitur illa Catholicorum ordo civilis, quemadmodùm olim Principes omnes, ac Cæsares suspexêre. Ita Constantinus magnus œcumenici Concilii acta suscepit, tamquam si cælitus missa, & divinitus exarata essent. *Defertur*, inquit Ruffinus lib. 1. hist. c. 5. *ad Constantinum sacerdotalis Concilii sententia: ille tamquam à Deo prolatam veneratur, cui si quis tentâsset obniti, velut contra statuta divina venientem in exilium se protestatur acturum.* En tibi Christianissimorum Cæsarum maximo excepta Concilii decreta, velut sententiam à Deo prolatam, velut statuta divina: neque enim nesciebat, Dei esse quod Ecclesiæ est, quam Deus columnam fecit, & firmamentum veritatis suæ.

IX. Nefas est post illorum sententiam ambigere, aut quærere.

Pluris forsan fuerit, apud Ægyptios fratres, sanctissimi & doctissimi Ægyptiorum Episcopi, Constantino ætate æqualis, illustrissimum nomen. Scribit D. Athanasius ad Epictetum Corinthiorum Episcopum, de Nicæni Concilii canonibus, ac regula fidei: Nefas, inquit, est deinceps de rebus illic definitis *vel ambigere, vel quærere ἀμφιβάλλειν, ἢ ζητεῖν*. Cur dubitare ampliùs post Concilii sententiam fas non erat, imò disputare ultrà non licebat? Utique, quòd Ecclesiæ pronuntiata de fidei capitibus divina censebantur, parque illis, ac Scripturarum oraculis, tribuebatur auctoritas. Itaque de Nicæni Concilii auctoritate tantumdem Athanasius existimavit; quantum de Christo & Evangelio Tertull. lib. de præsc. adv. hæreticos: *Nobis curiositate opus non est post Christum, neque inquisitione post Evangelium.*

X. Tanti sunt quatuor Concilia, quanti Evangelia quatuor.

Eumdem in modum, non de Nicæno tantùm, sed de Conciliis aliis censuit Gregorius Magnus l. 1. epist. 24. ad quatuor Orientalis Ecclesiæ Patriarchas. Postquam enim sortem suam Pontificii oneris invito impositi questus est, eorumque sese orationibus ad explendum munus commendavit, fidem ad extremum suam de Conciliorum auctoritate profitetur, his verbis: *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor. Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur: Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error convincitur: Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur: Chalcedonense verò, in quo Eutychis, Dioscorique, pravitas reprobatur totâ devotione complector, integerrima approbatione custodio: quia in his, velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit, & cujuslibet vitæ atque actionis norma consistit. Quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra ædificium jacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur.*

XI. Conciliorum omnium œcumenicorum par est caussa.

Quid autem mirum sic loqui Pontificem summum, os linguamque Ecclesiæ, & Spiritûs sancti interpretem: cùm eâdem ratione sentire, & scribere Cæsares non dubitârint? Justinianus certè Auth. Coll. 9. de Ecclesiasticis titulis cap. 9. hunc in modum de istis Conciliis ante D. Gregorium locutus est: *Prædictarum quatuor Synodorum dogmata, sicut sanctas Scripturas, accipimus.* Redeat modò magnus ille Pontifex, nam Cæsarem nil moramur, sententiamque suam rogetur de Lateranensi, Lugdunensi, Florentino, Tridentino, aliisque Conciliis: tantumdem hisce tribuet, quantum de prioribus affirmavit, addetque illud suum ejusdem epistolæ: *Quisquis aliud sapit, anathema sit.* Hæc enim pariter, atque ista, universalia fuere, Ecclesiamque universam exhibuêre, ac repræsentavêre. Ecclesia autem Catholica falli, aut fallere, in doctrina non potest: quia Deus, cujus promissis & fide nixa est, falli nequit, aut fallere.

XII. Hæreses ab illis jugulatæ.

Sic Gregorius ratiocinaretur. Sic Augustinus disputavit, libro de unitate Ecclesiæ. Sic Ambrosius scripsit Theophilo Alexandrino Episcopo, libro 10. epist. 78, ubi pacem nullam vult

inter

inter dissidentes Episcopos, nisi *salvis non Nicæna solùm, sed Capuensis Synodi statutis*: & ante omnia Romanam Ecclesiam consulendam monet. Sic primâ ad eumdem Theophilum epistol. Hieronymus professus est: *Scito, nobis nihil esse antiquius, quàm Christi jura servare, nec Patrum transferre terminos, semperque meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam, cujus se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur.* Tertiis deinde literis eum obsecrat, ut *si qua synodica* habet, ad se dirigat, quò possit *liberiùs ac confidentiùs pro Christo ora reserare*, adversùs *hæreticorum strophas*. Neque aliis magis armis in ætatis suæ hæreticos Basilius, Gregorius, Cyrillus, cæterique Orientis Doctores usi sunt, quàm Conciliorum, id est Ecclesiæ universæ, Deique oraculis.

XIII. Fides nostra Conciliorum eminuit est, atque adeo infallibilis.

Ipsi ergo nobis Catholici gratulemur. Deoque immensas gratias habeamus, quòd in eam nos Ecclesiam adsciyit, quæ Catholicam fidem suam repetitis per intervalla Conciliis, ne subnascentium errorum pestis serperet, palàm & manifestè testata est. Idem modò credimus, quod olim trecenti decem & octo Patres cum Silvestri Papæ legatis tenuêre. Idem dicimus, quod sub Damaso Constantinopolitanum, cui subscripsêre centum & quinquaginta Episcopi. Idem sentimus, quod Ephesinum ducentorum Episcoporum sub Cælestino. Idem profitemur, quod Chalcedonense à sexcentis & triginta Patribus signatum sub Leone. Idem constantissimè tenemus, ut varia transiliam, quod Nicænum secundum sub Adriano, cui adfuêre minimùm ducenti quinquaginta novem Episcopi: idem, quod Lateranense sub Innocentio tertio, ubi convenêre Episcopi tum Latini, tum Græci, quadringenti & duodecim, Archimandritæ supra octingentos: idē quod Lugdunense, sub Gregorio X. cui Patres interfuêre plures mille quingentis, in his Episcopi quingenti, vel, ut quidam numerant, septingenti: idem, quod Florentinum sub Eugenio, ubi sedête quidquid fermè doctorum ac sanctorum virorum, scriptis ac miraculis celebrium, Occidens & Oriens habuit. Te volente, ô Christe, Concilia ista convenêre: te inspirante, Patres in fidem unam, ac sententiam, conspiravêre: te præside, fidei suæ formulas edidêre: te regente, ac dictante, falli non potuêre. Securi itaque sequimur Christum ducem, Ecclesiam præeuntem: *id tenemus*, quomodò loquitur Vincentius Lirinensis, *quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est*, in Ecclesia Dei: & infælices Ægyptios fratres, per devia impetu spiritûs sui fugientes, per abrupta præcipitantes, miseramur.

XIV. Tridentinum Concilium, quanti faciendum!

Novissimum tempore, doctrinæ Christianæ expositione copiosissimum, morum reformatione absolutissimum, Tridentinum fuit, sub Pontificibus quinque continuatum, præsentibus per intervalla Patribus quadringentis sexaginta & uno, Episcopis in eo numero circiter trecentis. Subscripsêre ad extremum Legati Pontificii quatuor Cardinales, duo item Cardinales alii, Patriarchæ tres, Archiepiscopi viginti quinque, Episcopi centum sexaginta octo, Procuratores absentium triginta novem, Abbates septem, Ordinum religiosorum Generales Præpositi septem: *numerus talis, ut, si præsentem statum Ecclesiæ consideres, fuerit frequentissima omnium Synodus*, quomodò loquitur Spondanus, anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, num. 66. & 67. Id Concilium tanti fecit celeberrimus sanctimoniâ, & prodigiis præsul, D. Carolus Borromæus, ut decreta illius omnia, statim atque approbata fuere, & nancisci potuit, antè etiam quàm typis vulgarentur, memoriæ mandârit: atque ad illius subsidium, quæ decreta sacramentorum ac fidei doctrinam spectant, in conclavis sui parte una reposuerit, eique nomen fecerit *Sancta sanctorum*: in altera, quam *Sancta* nominavit, repositis decretis, ad Ecclesiastici status reformationem attinentibus: tertia *Atrium* appellabatur, côtinebatque statuta cætera ad Catholicorum mores reformandos. Sanctissimo Heroi, Hierosolymitano templo simile visum est sacrosanctum Concilium: nobis, Catholicis omnibus, Ecclesiæ Christi universæ, idem videtur. Eò vos invitamus, Ægyptii fratres, ut Onio tandem relicto, ad visionem pacis nobiscum conveniatis: Conciliorum sententiæ stando, Christi voluntati acquiescendo, veritatem tenendo, divina sapiendo.

SECTIO SEPTIMA.

Ecclesiæ Apostolica successio seu titulus Apostolicæ.

I. Spiritus sanctus per Ecclesiam loquitur, eique perpetuò assistit.

PATRES Concilii Nicæni, qui Symbolo, quod ab iis Nicæni appellationem accepit, materiam præparârunt: Constantinopolitani deinde sub Damaso Concilii Patres, qui Symbolum istud in capita digessêre: deinceps Toletana Synodus, quæ sub annum 447. ex D. Leonis Papæ literis, addidit particulam, *Filioq.* ut Spiritûs sancti ex Filio pariter atque ex Patre processio significaretur: Ecclesia denique Romana, quæ, sub annum 883. eam particulam Symbolo à Catholicis omnibus inserendam decrevit. Isti ergo Patres, postquam fidem suam professi sunt, de *Spiritu sancto domino, & vivificante, qui ex Patre Filioq. procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas*: non de nihilo mox subjiciunt, *Et in Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Idem nempe intelligi voluerunt, quod ex symbolo suo Apostoli: Spiritum sanctum semper Ecclesiæ Dei adesse, eam vivificare, per eam loqui, uti olim per Prophetas, adeòque illam errare in credendis non posse; veramque ibi fidem ac religionem inveniri, & adoratores in spiritu & veritate.

II. Ecclesia quotupliciter sit Apostolica?

Apostolicam enim Ecclesiam idem Spiritus, qui Apostolos, regit. Apostolica autem illa est, quæ ab Apostolis perpetua Præsulum successione manavit: quæ Apostolicam doctrinam illibatam, integramque, conservat: quæ virtutes Apostolicas colit, & amplectitur: Hæc tria elogia uno Apostolicæ Ecclesiæ titulo contineri, & in Ecclesiam Romanam convenire, synagogæ Onianæ Ægyptiorum fratrum nullo modo congruere, videbimus. Sufficiebat quidem sola ex Apostolis continuata, & ad nos usque, non interruptâ serie, derivata successio, ut Apostolicam Ecclesiam designaremus. Sed quia Ægyptii opponunt, istius successionis notam depravatis etiam Ecclesiis convenire. In Oriente multas esse ab Apostolis fundatas, jam ab alienigenis aut schismaticis infestas: primarios Doctores Christianos maluisse, in Ecclesiis attendi successionem fidei, ac pietatis, quàm successionem throni, imprimis Gregorium Nazianz. orat. in laudem D. Athanasii, cujus hæc verba recitantur τῆς εὐσεβείας διάδοχος, ὁμόθρονος· τὸ δὲ ἀντίδοξον, καὶ ἀντίθρονον, *qui in pietate succedit, de eodem throno censendus est;*

quod doctrina adversatur, etiam throno adversum est: id est, in sede & Episcopato convenit, qui decessorum pietatem imitatur: quidquid autem fidei & sententiæ de religione alienum est, à sede simul & Episcopatu dissidet. Quia ergo hæretici solam nolunt Sedis Apostolicæ successionem, examinabimus prætereà successionem doctrinæ, ac sanctimoniæ, & dispicere conabimur, ipsisne an nobis, tum istæ, tum illa conveniat.

III. Successionem ab Apostolis ursit Augustinus contra Donatistas.

Augustinus in suis de Ecclesia adversùs Donatistas, ac Manichæos, disputationibus, hoc ipsum, de accepta per Apostolos eorumque deinceps traduces fide, argumentum sæpiùs intorquet. Duo dumtaxat loca adnoto. Primum est è psalmo rythmóve de Donatistis composito, qui habetur initio tomi 7. *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede: Et in ordine illo Patrum quis, cui, succedat, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superba inferorum porta.* Vultis, ô Donatistæ, agnoscere ubi sit hæreditas Christi, & Ecclesia? Considerate, quis à Christo illam acceperit, cui transmiserit. Petrus à Christo accepit, Lino transmisit, hic Cleto, deinceps Clementi, ad hodiernum usque Pontificem. Ad vos autem unde, & per quos, hæreditas Christi pervênit? An per exhæredatos? Dare isti, aut transmittere potuerunt, quod non possedêre, sed legitimis extorquere possessoribus conati sunt?

IV. Et adversùs Manichæos.

Libro de utilitate credendi ad Honoratum Manichæum, primùm cap. 15. vetustatem Ecclesiæ commendat: deinde cap. 17. appellat ad Episcoporum ab Sede Apostolica successiones: *Miraculis Christus Ecclesiæ suæ, conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roboravit religionem. Dubitabimus nos ejus Ecclesia condere gremio, qua, usque ad confessionem generis humani, ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit?*

V. Manifesta est apud nos ipsorum hæreticorum confessione.

Sileamus jam de auctoritate, de multitudine, de confessione generis humani, de Conciliorum gravitate, de miraculorum majestate: satis ista nuper expendimus. Solam modò vetustatem, & Apostolicæ Sedis successionem, intueamur. Ubi, quæso, ista sunt apud Lutheranos, apud Calvinistas, apud Anabaptistas? Quæ illorum antiquitas? Quæ ipsis ab Apostolorum ævo numquam intermissa continuatio? Apud nos autem hærent alii aliis Episcopi, velut connexi inter se ejusdem catenæ annuli, à Christo pendentes, in hodiernum Pontificem desinentes, & exinde ituri in alios, atque alios, usque ad consummationem sæculi. Idque adeò manifestum est, ut ne ipsi quidem Ægyptii fratres negare audeant. Fassus aliquando pro concione Beza, apud Papistas successionem esse ab Apostolicis usque temporibus perpetuam: audiente sectario suo viro docto, quem tam publica veritatis confessio perculit, & ad Catholicam religionem revocavit, simulque alios ex eadem secta sexagenos. Ita Florimundus Ræmondus, ex ipsiusmet conversi ore acceptum, posteris tradidit. Utinam exemplum multi sequantur, nec dubitent *se ejus Ecclesia condere gremio, qua, usque ad confessionem generis humani, ab Apostolica Sede, per successiones Episcoporum, culmen auctoritatis obtinuit.*

VI. Argumenta

Placétne Pacianum Barcinonensem Episcopum audire, contra Donatistas disputantem epistolâ tertiâ? Novatiani nomen muta in Lutherum, Calvinúmve, aut Memnonem, vel Zuinglium, sive alterum quemvis farinæ istius: de hominibus Ægyptiis ætatis nostræ vaticinatus fuisse Doctor ille videatur, non de ævo suo locutus. *Quis ergo? Novatianus hoc præcepit. Immaculatus aliquis, aut purus:* quales certè Lutherus, Calvinusque, & isti alii non fuêre? *Quid ad te? inquies. Novatianus hoc docuit. At quando* frater?... *Statim post Domini Passionem*, ut Apostolicam Ecclesiam agnoscas? *Post Decii principatum, id est post trecentos propè annos Dominica Passionis*, post annos mille quingentos quàm Christus mortuus est. *Quid ergo tunc? Prophetas secutus est, ut Cataphryges? An Philumenem aliquam, ut Apelles? An ipse tantum auctoritatis accepit?*

contra hæreticos antiquos & hodiernos eadem.

VII. Utrisque deest successio & missio Apostolica.

Unde tanta ipsi derepentè auctoritas? An ab Apostolis per manus transmissa, ac legitimè derivata? An alicunde extra ordinem accepta, & cælitus de novo collata? Alterutrum enim necesse est, ut vel ordinaria fuerit missio ad prædicandum, vel extraordinaria, ut mox dicemus. Ordinaria non fuit, quia legitimæ successionis jure non devoluta. Extraordinaria non fuit, quia cælitus non probata signis illis atque prodigiis, quibus Deus novas extra ordinem missiones manifestare, ac testari assolet. *Linguis locutus est? Prophetavit? Suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, ut Evangelium novi juris,* isti, quam nascens invenerat, Ecclesiarum consuetudini contrarium, *induceret.* Poterátne Pacianus aliter loqui, ac scribere, si adversùs Lutherum, aut Calvinum, redivivus dissereret?

VIII. Apud nos Romæ & Leodii manifesta est.

Post ista egregiè & luculentè disputata, mox subjicit, quod Catholicorum omnium est: *Ego huc usque securus ipsâ Ecclesia serie, congregationis pace contentus, nulla discordia studia didici.* Vivit Pacianus *securus ipsâ Ecclesia serie:* vivit Romanus *Ecclesia serie securus:* vivit Leodiensis *Ecclesia serie securus.* Ab Alexandro VII. quem Deus diu nobis conservet, ad Petrum usque, & Christum, per continuos Pontificum gradus, sursum redit Ecclesia Romana. A Maximiliano Henrico, quem Deus nobis incolumem tueatur, ad Maternum usque, & ab illo ad Petrum ac Christum, ordine non interrupto, revolvitur Ecclesia Leodiensis Romanæ filia. Quemadmodùm enim à D. Petro, ad Alexandrum, Romanorum Pontificum perpetuata successio est: sic à Materno ad Maximilianum Episcoporum Tongrensium, Leodiensiúmve, continuata deductio ac fides. Missas celebramus, Sacerdotium honoramus, calices sacramus: fecêre Nithardus, Reginardus, Lambertus, inventaque defunctorum corporibus consepulta celebrandarum Missarum instrumenta, post longos lapsus sæculorum, annis sæculi præteriti sexagesimo octavo, ac nono. Extremam unctionem accipimus, sacramentum ac mysterium Christianæ religionis agnoscimus: agnovêre & moribundi accepêre, Divi Volbodo & Hubertus, ut eorum discipuli perhibent, oculati testes. Crucis signum colimus: coluit D. Remaclus, & illo manu formato plurima prodigia patravit. Sanctos, eorumque reliquias, veneramur: veneratus est D. Amandus, & Româ petiit. Summo Pontifici obtemperamus, ejusque fide stamus: stetit Divus Servatius, & cum ipso D. Athanasium amplexus est. Divam Virginem Deiparam invocamus, ejus titulo sacella, templa, altaria Deo ponimus: idem fecit Divus Maternus.

Itaque

IX. Apostolica doctrina scripta.

Itaque non successionem modò Sedis, quod ultro fateri hæreticos aperta veritas cogit, ab Apostolis, Apostolorumque discipulis accepimus: sed etiam hæreditatem doctrinæ. Duplex enim est Apostolica doctrina, primùm scripto transmissa, deinde per manus tradita nec scripta. In primo genere Evangelia numerantur, quæ vel Apostoli scripsêre, vel scribenda curavêre. Quamquam Evangelia potiùs Christi doctrina dici debent. Deinde Actorum Apostolicorum historia, & Prophetia Apocalypseos: hæc ab Apostolo, illa ab Apostoli discipulo probantibus Apostolis. Denique epistolæ canonicæ, eæque paucæ, neque ab omnibus scriptæ, sed ab illorum quinque omnino. Nam in assiduis occupationibus, ac peregrinationibus, multum illis ad scribendum otii non erat: nec verò Spiritus sanctus in calamorum illis, librorúmve figurâ, apparuerat, sed linguarum: nec Christus, in cælos ascensurus, jusserat ipsos libris dictandis immorari, sed ire in universum mundum, & docere omnes gentes; dixeratque ipsis, *prædicate*, non, *scribite*.

X. Quænam non scripta?

Necesse est igitur ab Apostolis dicta fuisse plurima, quæ non scripserint: eaque ejusdem, ac scripta, momenti & auctoritatis. Neque enim scribentibus Spiritus sanctus aderat, à dicentibus aberat: neque à regendis eorum linguis absistebat, qui calamos dirigebat. Aberrâsse in iis Apostolos, quæ scripto tradidêre, sola suspicabitur impietas: errare potuisse in iis, quæ voce transmisêre, citra sacrilegium & infidelitatis crimen nemo cogitabit. Illa scribæ excepêre, librarii vulgavêre, Ecclesia suscepit: ista studiosi auditores memoriæ mandavêre, consuetudine Catholici servavêre, Ecclesia probavit. Hoc ipsum est, quod traditiones Apostolicas appellamus, de quibus modò nobis cum Ægyptiaca synagoga concertatio erit.

XI. Apud nos utraque integra & illibata, non item apud adversarios.

Utrumque illud doctrinæ Apostolicæ genus utra Ecclesia illibatum, integrumque asservat, nostra, vel ipsorum? Quamquam error est, cùm ipsorum cœtibus Ecclesiæ appellationem damus: neque enim magis Ecclesia dici ex vero possunt, quàm cadavera homines nominari. Nam Ecclesia Christi non sunt, qui Apostolicam doctrinam integram non tenent: integra autem apud eos non est, qui alteram ejus dumtaxat partem scripto transmissam admittunt, voce & per manus traditam rejiciunt. Sed nec partem illam doctrinæ Apostolicæ, scripto exceptæ, illibatam habent: verùm interpretationibus & expositionibus frivolis, absonis, & suo cujusque judicio excogitatis, depravant, mutilant, & dilacerant, ut Prolegomeni sect. 1. monuimus. Præterquam, quòd ipsorum quidam non omnes Novi Testamenti partes, quas Ecclesia Catholica recipit, admittunt: ne eas quidem omnes, quas alii sectarii pro germana Scriptura agnoscunt. Nobis verò par est doctrinæ Apostolicæ, seu scriptæ, seu non scriptæ, veneratio: utramque pro sacra, & divina, accipimus; utramque non ex ingenii nostri vanitate, sed ex Ecclesiæ veritate, interpretamur: utriusque apud nos manet illibata, & intacta, integritas.

XII. Quæ virtutes potissimum Apostolicæ?

Nec doctrinam modò Apostolicam assequi conamur, sed & virtutes consequi. Universarum quidem virtutum studium Apostoli coluêre, quos Spiritus sanctus induerat virtute ex alto, & Christus exemplis suis informârat: præcipuæ tamen ipsis fuerunt, ac propriæ, quas Evangelica consilia nominamus. Paupertatem suasit Christus, Apostoli servavêre, & Christianorum primis, quibus nihil proprium erat, sed omnia communia, prætiêre. Ad castitatem, & matrimonii abstinentiam, verbum quod non omnes capiunt, Christus hortatus est: hortatus est etiam exemplo suo Paulus, præcessêre Apostolorum quidam, cæteri continentiam post nuptias amplexi sunt. Obedientiam commendavit Christus, & voluntatis ac judicii submissionem: Apostoli tenuêre, ubique secuti in agendo, ac loquendo, motum ac ductum Spiritus divini, non sui, & discipulis commendare soliti, ut subjecti essent omni humanæ creaturæ, propter Deum. Caritatem erga proximum, & juvandarum animarum zelum, impensissimè Christus amavit: amavêre Apostoli, illius caritatis pedibus quaquaversum profecti, illius manibus cuilibet obsecuti, illius ore ad omnes gentes locuti, illius denique gremio & amplexibus immortui.

XIII. Apud hæreticos non inveniuntur.

Prodite ex Lutherano, aut Calviniano, vel Anabaptistico Onio vestro, Ægyptii fratres, & paupertatem in vobis, castitatemque, & obedientiam perpetuam professos ostendite. Ostendam ego apud vos passim, qui obedientiam aliam, quàm spiritûs privati impetum, non nôrint: dabo, qui virginitatem Deo promissam violari debere sanxerint, virginitatem ipsam, imò & vota in universum, damnârint: deprehendam, qui, cùm nihil proprium habituros sese polliciti essent, in communia quælibet indiscriminatim involârint, per sediciola Lutheranismi, & Calvinismi, initia. Jam, quos habetis, qui euntes doceant omnes gentes, & prædicent Evangelium omni creaturæ? Video multos, Catholicis pervertendis instantes, convertendis Infidelibus vel nullos omnino, vel rarissimos, eosque ipsos defectui suo propinquiores, quàm profectui alieno. Adeò verum est, quod suprà diximus, hæreticos morborum instar esse, non medicamentorum: & corpora sana tentare, ægra non curare. *Volo*, inquit Tertullianus, *& virtutes eorum proferre, nisi quòd agnosco, maximam virtutem eorum, quòd Apostolos in perversum æmulantur. Illi ex mortuis vivos faciebant: isti de vivis mortuos faciunt.*

XIV. Apud nos passim spectantur.

Apud nos paupertas voluntaria in pretio est: exuunt se patrimoniis locupletes, dignitatibus magnates, ut nihil nisi in commune, & ex alieno arbitrio pendens, possideant. Apud nos summus in castitate gradus virginitati conceditur: matrimonia laudantur, honorabile connubium est in omnibus, præterquam ubi promissa Deo continentiæ fides est, quam solvere nemini, præterquam Deo, licet, & cui Deus solvendi potestatem concessit. Apud nos intellectus captivatur non tantùm in obsequium Fidei, sed etiam in rationis alienæ servitutem: voluntas alieno arbitrio addicitur, & colligatur Christi compedibus, quam ne aurea quidem antè, nedum ferrea catena, constrinxisset. Apud nos, desertâ patriâ, parentibus relictis, abdicatâ spe commodorum, honoris aut voluptatis mercede nullâ, unicâ hominum Deo conciliandorum caritate, maria transnavigantur, pericula invaduntur, venena bibuntur, mortes sorbentur, cruces, pali, flammæ, tormenta omnia tolerantur: incitantibus etiam adversùs nostros barbarica ingenia Ægyptiis fratribus, & impedientibus ne convertantur, quos convertere nolunt, & nequeunt; uti apud Japones nuper contigit, recèns apud Canadenses Americanos.

XV. *Et amantur, amarique debent.*

Non omnes, inquis, apud vos tales sunt? Enimvero non sunt, & esse non possunt: neque enim omnes capiunt verbum hoc, tam nudæ paupertatis, tam arctæ castitatis, tam submissæ obedientiæ, tam incensæ caritatis. Sed magnifaciunt omnes, sed, quod in se bonum non habent, in aliis amant, ac laudant: non ignari, quæ ab Apostolis ad Ecclesiam hæreditas transierit. Satis non est hodie Leodiensibus dici, quod olim Ephesiis: *Fratres, non estis hospites, & advenæ, sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Successioni sedis accedat doctrinæ successio; idem semper, quod Apostoli, sentiamus; idem, quod Apostolici Pontifices; idem, quod *Roma, felix Ecclesia*, ut Tertull. lib. de Præscript. loquitur, *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt.* Doctrinæ sanctimoniam comitetur sanctitas vitæ; imò præcedat, meritò præferenda, cùm illius finis sit. Qui elogium istud, aut symbolum Ecclesiæ Leodiensi dedêre, *Sancta Legia Romanæ Ecclesiæ filia*, magnopere à Baronio commendatum ad Martyrol. 3. Novembris. Ii non de nihilo vocem, *Sancta*, primo loco posuêre: quia prima in votis, præcipua in amoribus, apud Romanæ Ecclesiæ genuinos liberos debet esse sanctitas, & sancta caritas, omnis à Deo separationis, & cum proximo simultatis, impatiens.

SECTIO OCTAVA.

Apostolicæ Traditiones.

I. *Fides fermento similis.*

QUOD de sinapeos grano, & fermento, Christus parabolicè dixit Matth. 13. alii aliter interpretantur, utiliter omnes. De præcipuis est explicatio Augustini, fidem intelligentis, quia Christus alibi Apostolis dixit: *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis.* In eamdem sententiam tum ipse, tum alii permulti, fermentum accipiunt, & sata tria, quibus fermentandis immiscetur, quidam tres hominum prosapias aiunt esse, ex tribus Noëmi liberis disseminatas in orbem terrarum universum: nonnulli leges tres, Naturæ primam, Mosis alteram, Gratiæ tertiam: aliqui tres orbis partes, tot enim quondam cognitæ fuêre, nondum lustratâ navigationibus Americâ. Sunt, qui tres hominis partes intelligant, rationalem, animalem, vegetativam, quæ fide regi, aut ad fidem dirigi debent; aut potius tres animæ potentias, fidei calore & acrimoniâ imbuendas.

II. *Tres fidei regulæ.*

Mihi sata farinæ tria tribus fidei nostræ regulis aptè admodùm congruere videbantur. Quemadmodùm enim in rebus publicis tres sunt agendorum, & judicandorum, normæ: ita & in republica Christiana. In illis primum locum tenent scriptæ leges: alterum non scriptæ, quas consuetudines appellamus. *Hoc jus nostrum*, inquit Ulpianus lib. 6. §. de justitia & jure, *constat aut scripto, aut sine scripto, ut apud Græcos, τῶν μὲν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι οἱ δὲ ἄγραφοι.* Tertio loco veniunt Principes, magistratus, ac judices, quibus explicandarum legum & consuetudinum, si quæ controversiæ nascantur, summa potestas est. In republica Christiana judex à Deo constitutus, sibi ipsa Ecclesia est: controversiasque omnes decidit, capitis sui, id est summi Pontificis, auctoritate, aut præcipuarum partium Conciliorumve sententiâ. Leges scriptæ sacris omnibus Literis, utriusque Testamenti, continentur: legum non scriptarum, ac consuetudinum instar sunt, illæ quas traditiones appellamus.

III. *Traditionum impugnantes hæretici.*

Earum Traditionum hostes sunt plerique Ægyptiaci fratres. Cæteri perpaucas omnino, & vix ullas, easque ægerrimè, patiuntur: neque isti ipsi sibi satis constant, cùm [illegible] turam statuunt unicam indubitatam fidei regulam. Ita Lutherus libro adversus regem Angliæ, quidquid argumentorum extra verbum Dei scriptum profertur, nihili ducit. Ita Vicleffus, & Vicleffistæ, nihil fidei certum ac verum existimabant, quod in sacris Literis non contineretur. Longè antè Pelagiani ad Scripturas appellare ab omnibus judicibus soliti, teste August. lib. de natura & gratia. Arianorum eadem fuit consuetudo, qui Ecclesiæ sententiâ, & traditionum auctoritate constricti, appellationem *ὁμοούσιος*, & *consubstantialis* nolebant admittere, quia nusquam in Scripturis legebatur, eodem Augustino teste ep. 174. ad Pascentium, & lib. 2. cont. Maxim. Non impari fatuitate Macedoniani, & Eunomiani, versum, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, respuebant, hoc solùm argumento, quòd in neutrius Testamenti libris habebatur, ut perhibet Basilius libro de Spiritu sancto.

IV. *Traditiones non sunt additamenta legi divinæ adversa.*

Cùm autem Traditionum auctoritate urgebantur, illis eludendis argumenta alia atque alia congerebant: quorum eos pudet, qui paullò in ipsis doctiores sunt. Præcipua pauca producemus, non tam disputationis, operæ enim pretium non est, quàm exempli causâ. Deuteronomii inquiunt c. 4. dicitur: *Non addetis ad verbum, quod loquor.* Quid tum? Ergo, inquiunt, Traditiones non licet ad Scripturam adjicere. Quid autem, si traditiones sint verbum, quod loquitur Deus, non poterit Deus ipse addere verbo suo scripto non scriptum? Nonne Deuteronomii præceptis nova adjecêre Saul. 1. Reg. 14. Synagoga Judæorum Persica Estheris cap. 9. & novissimè Hierosolymitana ævo Machabæorum, post mundatum templum, devictumque Nicanorem. Nonne accessit Evangelium Mosaicæ legi perficiendæ, & divinis præceptis implendæ? Itaque illud Deuteronomii intelligendum, non de additamento quolibet, sed de eo, quod divinæ legi contrarium foret, vel ab ea prorsus alienum.

V. *Scriptura utilis, Traditio necessaria.*

Sagitta parvulorum ista est, uti & altera deprompta ex epistolæ 2. Paulli ad Timot. cap. 3. *Omnis Scriptura utilis est*, &c. Audio; capio: quid tu inde? Ergo inutilis est Traditio, inquit. Quâ autem formulâ ratiocinandi hoc infers? Eâdem ego ratione tibi confecero, utilem non esse caritatem, quia Paullus dicit, *Utilis est pietas*: eodem modo collegero, Timotheum esse inutilem, quia Paullus scripsit, Marcum sibi utilem esse. Imò adverte: à Paullo id de Scriptura pronuntiatum, quando nondum divinæ Joannis de caritate epistolæ prodierant, quando nihildum Apocalypseos legebatur: an ergo ista Scripturæ pars inutilis? Adverte prætereà: à Paullo disertè Scripturam utilem dumtaxat dici, non dici necessariam: quia revera necessaria non est, & Christianorum multi, totæque ipsæ provinciæ, rectum salutis iter sine ulla Scripturæ lectione tenuerunt: atque adeò Apostoli, multis ante Matthæi scriptionem annis, Evangelium prædicavêre, & verbum Dei non scriptum docuêre. Igitur magis necessaria est Traditio, quàm Scriptura: quandoquidem sine hac ad fidem, ac salutem, aditus patet, sine illa, patere non possit, ut mox etiam dicetur.

At

VI. Quotuplices traditiones.

At nonne Christus Isaiæ verbis Matth. c. 15. Pharisæos damnavit, *docentes doctrinas, & mandata hominum?* Nonne Paullus Colossenses cap. 2. monet, ut sedulò caveant, ne decipiantur *per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum?* Agnosco sententiam Christi, & monitum Paulli: divina oracula veneror, ac deosculor, eò amantiùs, quòd in illis disco, cujusmodi traditiones cavere debeam; non divinas utique, non Apostolicas, sed humanas, neque humanas omnes, sed quæ legi divinæ adversantur, & inanitis aut fallaciis decipiunt. Traditionum enim divinæ aliæ sunt, aliæ humanæ. Humanarum duo sunt genera, legi Dei non adversæ, & à legitima potestate approbatæ; & quæ nec legitimæ potestatis auctoritatem habent, nec cum Dei lege congruunt.

VII. Humanæ traditiones quænam malæ sint?

Hujus generis erant, quas Christus proscripsit; uti illæ, de honore parentibus exhibendo catenus, ut ipsorum cura, in quantavis necessitate, postponi posset studio ornandi Templi, & sacrificiorum curandorum: de cogitationibus pravis, quòd peccata non essent: de ægris sabbatho non sanandis, ne miraculo quidem, qua de re sæpissimè Pharisæi Christum insectati: aliaque innumera tum Christi ævo, tum deinceps. Somnia Rabbinorum, in vulgus superstitiosum sparsa, *δευτερώσεις*, & aniles fabulæ, ut Hieronymus loquitur epist. ad Algasiam. Nec dubium, quin aliqua istiusmodi in Catholicorum nonnullas domos, imò & urbes, & cœtus irrepserint, superstitioni quàm religioni similiora, & *anomala pietatis, atque beteroclita devotionis*; uti Theophilus Rainaudus noster, acris ingenii, judicii, ac calami vir, dicere solebat, & scripsisse dicitur. Sed talia superstitiosi admittunt, simpliciores sequuntur, fallaces commendant, & malè fultis historiis, quas etiam traditionum appellatione vestiunt, fulcire conantur: Ecclesia verò non tantùm non approbat, sed inquirit, exagitat, proscribit. Nos, etsi tolerare interdum cogimur, & ferre præjudicium non audemus: optare tamen possumus, ac debemus, ut Ecclesia quæstionem, ac sententiam diu non differat, & paleas superstitionis à tritico pietatis secernat.

VIII. Quænam ex humanis bonæ & amplectendæ?

Humanæ autem traditiones, quæ absonum nihil habent, nihil non institutis legibusque divinis conveniens, nihil à legitima potestate non approbatum, meritò Catholici piè suscipiunt, & religiosâ veneratione propugnant. Ejusmodi fuêre varia synagogæ instituta, & ritus, de quibus monebat Christus: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis*, utique legi divinæ non aliena, nec rationi adversa, *servate, & facite*. Ejusdem sunt generis, quas Ecclesia usurpat, in ritibus plerisque, & in iis omnibus, quæ Sacramentalia nominamus: cujusmodi sunt aqua lustralis, agni cerei, trina in baptismo mersio, inunctio ibidem addita, exorcismi, aliaque aliàs in eamdem formam. Illhæc humana quamvis inventa, si Deo accepta non essent, miraculis cælitus non approbarentur: qualia sæpissimè aquâ lustrali, agno cereo, exorcismo sacro, religiosè utentibus contigêre.

IX. Apostolicas ac divinas traditiones Ecclesia veneratur.

Quantò autem majori pietate, ac promptiori fide, traditionibus illis obsequendum est, quas divinas vocamus, & ab Apostolis acceptas discipuli posteris transmisêre, illibatasque Ecclesia custodivit, perpetuâ veneratione Fidelium? Illis æquè, ac Scripturæ sacræ, standum esse, non Ecclesia modò censuit, sed Scriptura ipsa sanxit, & Traditio præcepit: atque adeò tres credendi regulæ, ad eam credendi regulam stabiliendam, unanimiter convenêre. Nec mirum, quando Fideli nemini dubium esse potest, quin Deus æquè in loquendo, atque in scribendo, verax sit; & æquè nobis, iisdemque indiciis, de verbo Dei non scripto, ac de scripto, constare possit. Itaque sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus sess. 4. *Perspiciens veritatem & disciplinam Christianam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius ore Christi ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quàm novi Testamenti, cùm utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continuâ successione in Ecclesiâ Catholicâ conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentiâ, suscipit.*

X. Observantiam illarum imperat Scriptura.

Edixit scilicet Paullus Ecclesiæ universæ idem, quod Thessalonicensibus Christianis 2. epist. 2. c. *State, & tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Multa enim dixit Paullus, quæ non scripsit: multa accepit à Domino, ut loquitur 1. Corint. 11. quæ & tradidit auditoribus voce, non calamo. Nec verò vel ipse, vel Apostoli cæteri, omnia, quæ divinitus didicêre, ac docuêre, scripto mandâsse per tam varias occupationes potuerunt, ut sectione sup. num. 9. dicebamus. Neque ipsius Christi verba omnia Evangeliis inscripta sunt: cùm ex Joannis ultimo constet plurima rerum illius prætermitti ob multitudinem debuisse, & ex Act. 1. discamus, Christum, medio Resurrectionem inter & Ascensionem tempore, cum discipulis colloqui solitum, ac disputare *de regno Dei*, illa utique edissetentem, quæ ante Passionem infirmitas ipsorum portare non poterat. *Adhuc multa*, inquit Joan. 15. *habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.*

XI. Patrum erga traditiones observantia.

Edictum Paulli observavêre, observandumque omnibus proposuêre, orthodoxi Patres, quorum sibi exempla sequenda Tridentinum Concilium proposuit. Cyrillus Alexandrinus Traditiones Ecclesiæ custodiri vult thesauri instar. Cyrillus Hierosolymitanus Traditiones, *παραδόσεις*, vult in corde describi. Athanasius Epicteto scribit, adversariis fidei refellendis sufficere responsum unicum, Ecclesiam cum ipsis non sentire, nec Patres ita tradidisse. Ambrosius lib. 3. cap. 7. de fide ait, à Fidelibus non violari *hæreditaria signacula*. Tertullianus, quando maximè Catholicus fuit, Traditiones constantissimè complexus est. *Expedite*, inquit in Apolog. *præscribimus adulteris nostris*, id est hæreticis, *illam esse regulam veritatis, quæ veniat à Christo, transmissa per comites ejus.* Et lib. de corona militis, postquam *Eucharistiæ, de manu præsidentium antelucanis cœtibus* sumendæ, ritum retulit, *oblationes pro defunctis, pro natalitiis annuâ die, ad omnem progressum atque promotum crucis signacula, &c. harum disciplinarum*, inquit, *traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.*

XII. Traditionum necessitas per omnium legum tempora ostenditur.

Patres aliquos adducimus, ut Traditionum auctoritatem eorum auctoritate, velut Traditione, fulciamus. Omnes potiùs, quotquot ab orbe condito benè vixerunt, & sapienter senserunt, adducamus: ut non Traditionum modò auctoritatem

ritatem tueamur, ſed intueamur neceſſitatem. Satorum trium, fermento miſtorum, initio Sectionis meminimus: percommodè tres illis ſegea ſignificentur, fide Traditionum fermenetæ. Fideles ſuos habuit lex Naturæ: utique ante Scripturæ ſacræ, cujus à Moſe initia ſunt, editionem: Traditionibus igitur, & verbo Dei non ſcripto, fidem tunc niti oportebat, cùm ſcripto non poſſet. Habuit ſuos Deus Fideles, atque electos, in Moſaïca lege: credebatur Scripturam univerſam à Deo eſſe: fœmineam prolem ſigno aliquo ſacro ab originali culpa mundari: ſacrificiorum pretium omne à Chriſti ſanguine eſſe: quid iſtorum Scriptura ſine Traditionis voce docuit? In lege Chriſtiana credimus, pueros ſanctè baptizari: Scriptura id docuit, an Traditio? Credimus Apoſtolicum Symbolum divinum eſſe: Scriptura id docuit, an Traditio? Credimus formam baptiſmi neceſſariam eſſe, non neceſſariam obſervationem ſabbathi, etſi Chriſtus dixerit, ſe non veniſſe ſolvendæ legi. Credimus epiſtolam Jacobi Canonicam eſſe, quam Calvino admittere, Luthero rejicere placuit. Credimus Evangelia Nazaræorum, Andreæ, Thomæ, falſa eſſe, periodos Paulli, & Theclæ apocryphas. Scriptura nos iſthæc docuit, an Traditio? Imò totam ipſam Scripturam unde magis Dei verbum eſſe credimus, & indubitanter tenemus, quàm Eccleſiæ ac Traditionis teſtimonio certiſſimo?

XIII. Hæreſes Traditione corruunt, fides ſtabilitur.

Adeo manifeſtum eſt, Traditionem eſſe fidei fulciendæ prorſus neceſſariam, ut illâ divinæ ipſæ Literæ fulciantur. Accipiamus igitur, obſervemus, veneremur, tranſmiſſa nobis Apoſtolorum prædicatione, & Eccleſiæ judicio, morum ac fidei documenta. *Sacrata vetuſtatis auctoritate*, ut Vincentius Lirin. loquitur, *profanæ novitatis conteratur audacia*. Ad ſucceſſionem Apoſtolicam, ad doctrinam Apoſtolorum ſcriptam, & non ſcriptam, examinemus, & configamus *nefarias novellæ impietatis, non literas, ſed lituras*, ejuſdem Vincentii verbis. *Hoc modo*, inquit Tertullianus lib. de præſcript. *Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt ... & exhibent, quos, ab Apoſtolis in Epiſcopatu conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habeant*: afferunt præterea traduces doctrinæ Apoſtolicæ, à Patribus non intermiſsâ ſæculorum ſerie conſervatos. *Confingant tale aliquid hæretici*. Tu verò, Catholice, *interroga generationem priſtinam*, ut moneris Jobi cap. 8. *& inveſtiga patrum memoriam, & ipſi docebunt te*. Fac quod Caſulano ep. 86. ſcribebat Auguſtinus: *In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit divina Scriptura, mos populi Dei, vel inſtituta majorum, pro lege tenenda ſunt.* Liceat in re tam ſancta, & divina, poeticum iſtud uſurpare: *Moribus antiquis res ſtat Romana, viriſq.*

SECTIO NONA.

Apoſtolicorum hominum miſſiones.

I. Examinatæ olim in ſynagoga miſſiones prophetarum.

MISERUNT olim *Iudæi ab Ieroſolymis ſacerdotes & Levitas, ad Ioannem, ut interrogarent eum, Tu quis es?* Delegavêre principes primariæ ſynagogæ de ſuis quoſdam, qui de homine illo, cujus nativitas miraculum, vita prodigium erat, inquirerent: unde miſſus, quo munere fungeretur, quâ auctoritate niteretur, cur ad plebem diceret, cur ritus novos baptiſmi induceret? Quæſiêre iſta de tanto viro, nec peccavêre quærendo. Ipſorum enim erat, ſuper cathedram Moſis ſedentium, de fidei doctrina, & religioſis ritibus cognoſcere, & cavere, ne qua ſuſpecta novitas in populum gliſceret. Atque adeò nec peccavêre Chriſto ipſo interrogando: *In qua poteſtate hæc facis?* Nec de interrogatione iſta Chriſtus unquam conqueſtus eſt: ſed, quòd manifeſtia de ſe miraculorum teſtimoniia fidem nòn haberent.

II. Miniſtrorum Evangelicorum miſſiones in Eccleſia examinandæ.

Potuit Synagoga, potuêre ejus nomine ſacerdotes ac Levitæ, de Prophetarum miſſionibus inquirere: ne fortè de iis eſſent, quos Deus injuſtè auctoritatem vaticinandi invadere querebatur: *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant.* Potuêre, imò debuêre, Joannem pluſquam Prophetam examinare: imò jus fuit, ut de Meſſia ipſo, prophetiæ omnis capite, indagarent, & exploratum irent. Non poterit Eccleſia de novellis Doctoribus inquirere? Non licebit ab Hieroſolymis ſacerdotes & Levitas delegare, qui Onion inſpiciant, qui Ægyptios fratres ſcrutentur, qui ab eorum magiſtria petant, *In qua poteſtate hæc facitis?* Licebit omnino, & oportebit, quotieſcumque vel Sedecias aliquis capiti ſuo cornua ferrea, ventilandæ Syriæ, affinget, vel Manaſſes Cuthæos, & Samaritas ſeducet; vel degener Oniæ filius Iſaïam ineptè interpretabitur, de altari ſtatuendo in medio terræ Ægypti. Ex ea ergo lege Lutherum, Calvinum, alioſque novitiæ prædicationis magiſtros, ac miniſtros, interrogemus: expenſâ tamen antè generatim qualitate, ac neceſſitate miſſionis.

III. Quid ſit Miſſio, ſeu Vocatio?

Quod nos Miſſionem nominamus; alii Vocationem appellant, D. Paullum ſecuti, qui ad Hebr. cap. 5. ait: *Nemo ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Sed ſive Vocationem, ſive Miſſionem indigetare placuerit, ea eſt, quâ Deus cuipiam poteſtatem delegat, & committit, prædicandæ fidei, ſtabiliendæ aut confirmandæ religionis, miniſtrandorum ſacramentorum, regendarum animarum. Quomodò enim in ampla domo pater-familias, aut ſupremus in regione aliqua Princeps, ita Deus in Eccleſia facit. Illi munia pro judicio, arbitrióve diſtribuunt, œconomos nominant, procuratores conſtituunt, legatos mittunt, judices creant, iiſque poteſtatis limites præſcribunt, & prodelegandi, ac ſubſtituendi, facultatem vel concedunt, vel denegant. Sic Deus, pro voluntatis ſuæ ſententia, diſpenſatores myſteriorum ſuorum ordinat, rerum divinarum miniſtros conſtituit, voluntatis ſuæ nuntios ad homines mittit, arbitros dicit naſcentium in fide aut moribus controverſiarum: iiſque omnibus mandata præſcribit, terminoſque figit officiorum ac temporum.

IV. Alia eſt Ordinaria, alia Extraordinaria.

Quemadmodùm autem à patre-familias, ac principe, vel ordinaria poteſtas delegari poteſt, vel extraordinaria: ut vel ex more conſueto officium aliquod ſuſcipiatur, vel præter morem. Nam in arbitrio domini, vel Principis, poſitum eſt, ut poteſtatis ſuæ participes quoſlibet, & quomodolibet, faciat. Sic Deus in Eccleſiæ ſuæ familia, ac republica, etſi ordinaria habet officia, interdum tamen aliquos extra ordinem adminiſtros deligit voluntatis ſuæ, & electionis ſuæ teſtimoniis inſtructos mittit; ne quis illos meritò, velut alienæ poteſtatis invaſores, rejiciat. In ſynagoga Moſaïca eorum erat ordinaria miſſio, ſeu delegatio, qui, ab Aarone ac Moſe tranſmiſsâ legitimâ ſucceſſione, poteſtatem acceperant, quoſque ſuper cathedram Moſis ſedere, aiebat Chriſtus. Extra ordinem Moſes ipſe ad populum Iſraeliticum miſſus eſt. Joſue populo

præire

præire extra ordinem jussus. Samueli extra ordinem data judicandi, & sacrificandi potestas. Eliæ, & Prophetarum plerisque, demandatum vaticinandi, & arguendi extra ordinem munus. Neque istos Deus extra ordinem misit, sine manifesto prodigiosorum operum testimonio. Sunt enim miracula Extraordinariæ missionis indicium: Ordinariæ autem indiciis aliis opus non est, quàm successione legitima.

V.
Alterutrius missionis necessitas.

Jam quanta sit alterutrius missionis necessitas, quamque, citra illas, ad fidei religionisve ministeria ingerere sese non liceat; vel ex familiæ, regnique, comparatione facile intellectu est. Nam si quis, quamvis domesticus & familiaris, rerum administrationem, aut procurationem negotiorum, citra patris-familias mandatum, sibi arroget, acta omnia rescindentur: sin extraneus eadem munia invadat, & non intret per ostium, fur erit & latro. Qui verò, sine principis jussu, pro judice sese aut legato, principalive alio ministro, ferre audebit, officii finem in patibulo invenire merebitur: uti Anglo isti nebuloni contigit, qui legatum sese Regis sui ad Germaniæ Principes mentitus, & à quibusdam nimis credulis honorificè exceptus, in his ab Ernesto Principe nostro, quamvis perspicace; novissimè apud Saxones fraude detecta, ad annum hujus sæculi quintum ab excelsa trabe pependit.

VI.
Supplicia missionem sibi arrogantium in antiquo Testamento.

Si ergo tam profanus aliquis, & impiè temerarius fuerit, ut delegationem aliquam divinam, injussu Dei, sibi ausit assumere? Lata jam olim sententia est, illataque divinitus supplicia. *Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur*, Num. c. 3. *Propheta*, qui, à Deo non missus, vaticinandi & populo prædicandi munus invaserit, *interficietur*, Deut. c. 18. Ipsis Aaronis filiis, Nadab & Abiu, imponè non cessit, quod alienum ignem ad aras attulerint, aliterque Deo, quàm vellet, ministrârint. Neque Oziæ Regis, quamvis pii, temeritas in adolendo thymiamate inulta mansit. Et meritò Propheta senex, qui alterius prophetæ mendaci figmento credulas nimis aures præbuerat, paratam in itinere mortem invênit, 3. Regum cap. 13.

VII.
Quales fuerint missiones novi Testamenti.

Christus ipse *non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret*; neque opus sibi, quod lubuit, faciendum desumpsit: sed opus consummavit, quod Pater dederat illi, ut faceret. Itaque Apostolis, qui nomen inde suum accepêre, dixit Joan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: & Matt. 28. *Data est mihi omnis potestas*, delegatus sum Patris, cum prodelegandi auctoritate; *euntes docete omnes gentes*. Quia verò mitto vos, sicut Pater me misit: ideò delegati mei eritis, cum prodelegandi auctoritate, Ecclesiasque Apostolicas condetis, ubi pro Missionis ac delegationis meæ notâ certissimâ erit, legitima successio. Extra ordinem vocatus ad Apostolatum Paullus, continuò tamen ad Ananiam missus, ad ordinarium extraordinariæ vocationis experimentum, ac testimonium miraculo sanciendum. Idem post decimum quartum annum, quàm Apostolatûs officio functus fuerat, ivit *ad antecessores suos Apostolos, ne in vacuum cucurrisset*, extra lineam, aut metam Ecclesiæ præscriptam: non nescius, quomodò nemo audit sine prædicante, sic legitimè prædicare neminem, nisi mittatur.

VIII.
Missionis divinæ & signorum alius neces-

Hoc argumento ipsi Ægyptiorum fratrum principes, adversùs Samaritanos, usi sunt, id est Lutherus & Calvinus, adversùs Anabaptistarum, aliorumque hæreticorum capita. Maximè, inquit Lutherus in cap. 1. ep. ad Gal. populo necessaria est vocationis nostræ certa cognitio. Mox Vocationis genus duplex distinguit, quomodò nos Missionis: aliam immediatè à Deo esse, aliam Mediatè: illo modo vocatos Apostolos, isto Titum, Timotheum, aliosque Apostolorum successores, in diem usque hodiernum. Mediatam autem Vocationem æquè divinam esse, atque immediatam: etsi huic plures prærogativæ concedi cælitus soleant. Idem in epistola ad Eberardum Thannen, nobilem Boëmum, seriò monet; præcludendos aditus omnes ingredi auctoritate sua volentibus, qui utique *Apostoli dæmonum* sint, non Christi: instruendam plebem, ut autophetas istos prædicatores interrogent, quis miserit, quas habeant literas mandatorum, quibus se miraculis divinitus missos esse testentur? In alia ad quamdam Germaniæ urbem epistola hortatur, ut ex Muncero quærant: Ecquis eum vocârit, quod vocationis divinæ afferat indicium: cùm vocationem extraordinariam manifesta semper, cælitus signa comitentur?

sitatem agnovit Lutherus.

IX.
Calvinus itidem.

Calvinus itidem lib. 4. Instit. c. 3. sect. 4. docet, à Christo nominatim statutum, ne quis publicum in Ecclesia munus usurpet, sine vocatione legitima. Futurum alioqui, ut levia multa, factiosaque, ingenia temerè officium docendæ, regendæve Ecclesiæ, invaderent. Quantæ autem *impudentiæ* fuerit, hominem, *vocatione destitutum*, id sibi tamen ultro alieni honoris arrogare? Ipsa Calvini sententia est, quam ex Gallicis illius institutionibus expressi. Verba ejus Latina redderem, si, quem nuper habui Latinum institutionum librum, Hui, ubi ista scribebam, mihi fuisset ad manum. Sed satis nobis est tum Calvini, tum Lutheri sententia, ut ex illa ipsa eorum asseclas conveniamus. Agite Ministri, Pastores, Seniores, Presbyteri, Prædicantes, Episcopi, Superintendentes, quocumque tandem titulo appellemini: unde vobis regendæ plebis auctoritas? Quæ vobis prædicandi verbi divini, & de fide, ad concionem potestas? Quo mittente curritis? Quo vocante venitis? Deo, inquiunt, vocante, & mittente.

X.
Hæretici Mediatâ seu Ordinariâ missione carent.

Sed cujusmodi illa vocatio vestra, & missio est? Mediatáne, & Ordinaria: an potiùs Immediata, & extra ordinem? Si Mediata, & Ordinaria, ergo electione, aut successione legitimæ potestatis, missi estis. A plebe, inquiunt, Christiana missi sumus. At plebs illa qualiscumque, quo denique tempore collecta est? Invenio conventum denique anno sæculi præteriti sexagesimo sexto à Geusiis, seu hæreticis Belgii, in confessionem, seu credendi capita quædam, Philippo II. Hispaniæ regi oblata. Invenio reformationem Anglicanam anno demum Elizabethæ primo conceptam, atque editam, sæculi præteriti quinquagesimo nono. Eumdem partûs annum enumerat prima Hugonotorum, seu Calvinistarum Gallorum, Confessio, annis omnino viginti novem Augustanâ Lutheranorum posterior. Lutheranismus ipse lucem cæpit funestare, anno sæculi præteriti decimo septimo, Octobris tricesimâ primâ, nefastâ die. En vestrarum plebium cunabula, quàm longè ab Apostolicis temporibus? Quanto sæculorum hiatu ab Ecclesiæ Christianæ origine?

XI.
Lutherus & Calvinus, eâdem prorsus destituti.

Altiùs itaque missionem vestram arcessere, quàm à Luthero, vel Calvino, non potestis. Plebes enim vestræ ante ipsos non fuerunt, cùm ab ipsis fuerint. Verùm illos ipsos Lutherum, & Calvinum,

Calvinum, ecquisnam misit? In Ecclesia Romana baptizati fuêre, educati, edocti: tenemus eorum originem, adolescentiam, conversationem. Nolo in mores eorum inquirere: nolo acta inspicere: id nunc non agitur. Hoc peto, hoc flagito: date, quis eos ad instituendam plebem, ad gubernandam, ad sevocandam, miserit? Ordi in Ecclesiæ Romanæ sinu, ab aliâ mitti, Mediatâ illâ & ordinariâ Missione, non potuerunt. In illa certè Lutherus Presbyter ordinatus: in illa Calvinus Beneficio sacro donatus est. Si ab Ecclesia Romana initium Missionis accepêre: habebat ergo illa legitimam potestatem. Peccavêre igitur, qui sese potestati legitimæ subduxêre: tantumdemque fecêre, atque Absalon & Sebni, legitimo regi rebelles; atque œconomus, aut procurator, qui contra patris-familias mandatum, scripto verbóve traditum, negotia curarent, atque adeò nihil prorsus agerent, imò prævaricando pejùs, quàm nihil, agerent.

XII. Extraordinariam multò minus possunt obtendere.

Calvinistæ ut vim hujus argumenti evitent, ad Immediatæ, aut Extraordinariæ Vocationis asylum confugere conantur: sed frustra, interclusis undique aditibus. Quod enim dicunt articulo tertio Confessionis Gallicanæ: *statum Ecclesiæ fuisse interruptum, excitandosq; aliquos divinitus fuisse extra ordinem, qui de novo instaurarent dirutam, ac desolatam Ecclesiam.* Quod, inquam, ista dicunt, quid aliud est, quàm Christo & Apostolo, mendacii calumniam impingere? Status Ecclesiæ fuit interruptus: ergo mentitus est Christus, cùm prædixit numquam fore, ut portæ inferi prævalerent adversùs eam. Ecclesia diruta fuit, ac desolata: ergo desiit esse columna & firmamentum veritatis, Paullo nequidquam reclamante. Sed ista mittamus. Excitatos dicitis extra ordinem homines, instaurandæ Ecclesiæ. Quinam illi fuêre? Ecquodnam signum extraordinariæ missionis attulêre? Cur illos immediatè à Deo vocatos credi oportuit? Quibus id cælitus miraculis, atque portentis, significatum est? Iisdémne saltem, quibus Joannes Baptista, qui etsi de se miracula patrâsse non legatur; miraculo tamen conceptus, prodigio natus, virtuti vixit, sanctimoniæ immortuus est? Argumentare, Luthere, interroga, insta: &, quia responderi argumento non potest, pronuntia illud tuum: *Apostolos istos, non Christi esse, sed dæmonum.* Nimia enim molle est, quod Calvinus de istis, de se, de te pronuntiat: *Levia esse, temeraria, factiosa, impudentia ingenia, quæ citra vocationem legitimam docendi regendive munus invadunt.*

XIII. Tertulliani pronunciatum de disputando cum hæreticis, ex successione Ecclesiæ.

Satius tamen est, ut Patrum sententiâ configantur: suam enim ipsi vel retractarent, vel involverent, vel abnegarent. Duos tantùm ex omnibus, quorum jam antè multi in eam rem locuti sunt, audiemus, Latinorum antiquissimos. Tertullianus, lib. de præscriptionibus contra hæreticos, quando optimè & religiosissimè sentiebat, sic pronuntiavit: *Non ad Scripturas provocandum, nec in his constituendum certamen cum hæreticis, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est. Nam, etsi non ita caderet collatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret; ordo rerum desiderabat, illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est. Quibus competat fides ipsa? Cujus sint Scripturæ? A quo, & Per quos, & Quando, & Quibus, sit tradita disciplina Christiana?* Deinde post pauca ostendit, quomodò per Apostolos transmissa ad illud usque tempus fides devenerit: *Apostoli, quos hæc appellatio missos interpretatur, assumpto Matthia, primò per Judæam . . . dehinc in orbem profecti . . . & proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant. Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum:* Ordinariâ utique missione constitutæ, quia successione legitimâ.

XIV. De eadem successione Cypriani sensus adversùs hæreticos.

Cyprianus ep. 76. ad Magnum, de Novatiano, & ejus asseclis, idem omnino, & eâdem de caussâ, loquitur, ac nos de Luthero & Calvino. *Novatianus*, eodem jure dixeris Lutherus, Calvinus, assectator illorum, aut imitator, *in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Evangelicâ & Apostolicâ Traditione contemptâ, nemini succedens, à seipso ortus est . . . . Pastor haberi non potest, qui, manente vero Pastore, & in Ecclesia Dei ordinatione succedaneâ præsidente, nemini succedens, & à seipso incipiens, alienus fit & profanus, Dominicæ pacis ac divinæ unitatis inimicus: non habitans in domo Dei, id est in Ecclesiâ Christi, in qua nonnisi concordes & unanimes habitant, loquente in psalmis Spiritu sancto, & dicente; Qui inhabitare facit unius moris in domo.*

XV. Hæreses hodiernæ diu, antequam nascerentur, à Patribus prædamnatæ.

Post demonstratam in Ecclesia Catholica Romana fidei unitatem, doctrinæ sanctitatem, credentium universitatem, Apostolorum successionem, *si nulla adhuc te ratio*, Ægyptie frater, *à pertinaci intentione revocârit, ostendes, quantum in malis humanis valeat, eò quemquam fuisse progressum, ubi manere non libeat, unde jam redire pudeat. Sic enim credo te affici, cùm ista legeris.* Verbis Augustini te compello, lib. 2. contra Julianum: &, post attextam Ecclesiæ notis Conciliorum majestatem, Traditionum fidem, Missionum evidentiam, novissimè de Patrum, quos hoc opusculo passim adduximus, auctoritate, ejusdem Augustini exemplo te alloquor: *Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt. Quod didicerunt, docuerunt. Quod à Patribus acceperant, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos judices agebamus, & apud eos acta est caussa nostra. Nec vos, nec nos, eis noti fueramus, & eorum pro nobis contra vos latas sententias recitamus. Nondum vobiscum certabamus, & eis pronuntiantibus vicimus . . . Talibus, post Apostolos, plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus Ecclesia crevit; ideò profanas voces vestræ novitatis expavit*, Ægyptiaci, fratres: post tot veritatis nostræ testimonia, prudentissimè ad Hierosolymitanum nostrum templum redituri; post tanta falsitatis vestræ indicia, imprudentissimè in Onio vestro mansuri.

Augustinus in Psalm. 83.

Ad istud, *Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.*

Dicimus, fratres, quod nôstis, quanti videntur præter Ecclesiam bona operari? Quam multi etiam pagani pascunt esurientem, vestiunt nudum, suscipiunt hospitem, visitant ægrotum, consolantur inclusum? Quam multi hæc faciunt? Quasi videtur parere turtur, sed non sibi invenit nidum. Quàm multa multi hæretici? Non ea in Ecclesia operantur, non in nido pullos ponunt: conculcabuntur, conterentur, non servabuntur, non custodientur,

EXCURSUS II. MORALIS

Ad cap. 1. v. 22. Vt Sol refulsit, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis magnus.

Spiritus sancti in Apostolos descensus adumbratus.

SECTIO PRIMA.

Cur Spiritus sanctus figurâ linguarum ignearum apparuerit: cur vocetur Spiritus veritatis?

I. Ignes cælitus, paribus temporum intervallis, accensi.

1. ADVERTERE quidam, in his Tirinus Chronologiæ cap. 38. non sine Numinis providentia singulari contigisse; ut inter ignem cælitus Nehemiæ datum in dedicatione Hierosolymorum, & descensum Spiritûs sancti in Apostolos specie linguarum ignearum, intercesserint anni quadringenti octoginta sex & dimidius. Totidem omnino, quot à Lege, inter fulgurum & tonitruum terrores Mosi in monte Sinai datâ, ad ignem cælitus in dedicando Templo Salomoni missum effluxerant. Illarum flamarum miraculo significabatur utique divinus sancti Spiritûs ignis; quem Christus venit missum in terram, & voluit vehementer accendi. Lex à Mose data, à Salomone & Nehemia renovata, Legem à Spiritu sancto cordibus Christianorum inscribendam præcurrebat, sicut ignis iste illis ignibus designatus est.

II. Lex timoris, & lex amoris, quinquagesimo die promulgantur.

2. Augustini pia & ingeniosa annotatio est, ep. 119. ad Januarium, & libro de spiritu & litera cap. 16. & 17. quinquagesimo post rubri maris transitum die, unde Pentecostes nomen, traditam in monte Sina Mosi, famulo Dei, legem Dei digito scriptam: *In libris autem Evangelii apertissime declarari, digitum Dei significare Spiritum sanctum. Cùm enim unus Evangelista dixisset, in digito Dei ejicio dæmonia: alius hoc idem ita dixit, in Spiritu Dei ejicio dæmonia.* Quomodò autem lex Timoris quinquagesimo die à transitu maris data sit; ita legem Caritatis digito Dei, hoc est Spiritu sancto, in pectoribus Apostolorum insculptam, die, post cruentum Christi transitum, quinquagesimo, eamque esse Christianam Pentecosten. Congruit itaque tempus, congruit & modus: hoc solum interest, quòd illa lex, inter fragores terrificos lata, nomen timoris acceperit: hæc autem, in linguis igneis delata, amoris appellationem mereatur.

III. Ignis holocaustorum.

3. *Ignis descendit de cælo*, 2. Paral. 7. *& devoravit holocausta & victimas*, quemadmodùm antè victimas Mosis & Aaronis, postmodùm Eliæ sacrificium: *& majestas Domini implevit domum. Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini: sed & omnes filii Israel videbant descendentem ignem, & gloriam Domini super domum.* Apostoli perseverantes unanimiter in oratione, donec induerentur virtute ex alto, præparârant corda sua, ut holocausta suavissimi odoris Domino. Descendit ignis Spiritûs sancti, illaque devoravit, atque in se omnino convertit, excoctâ crassâ terreaque materiâ, & in spiritualis ac cælestis fulgidam speciem immutatâ. Itaut Judæi, & alienigenæ, audientes magnalia Dei, ejusque gloriam & majestatem ex ore infantium & lactentium discentes, obstupescerent: *Neque alius cæterorum audebat se conjungere illis, sed magnificabat eos populus.*

IV. Sol Nehemiæ & Apostolorum victimas accendit.

4. Hoc Machabæorum loco, aquâ crassâ de puteo, ubi ignis sacer repositus fuerat, haustâ victimæ, & lignorum congeries perfundebantur. *Ut, hoc factum est, & tempus affuit, quo Sol refulsit, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* Apostoli orando hauriunt aquas salutares de fontibus Salvatoris, ex illo præsertim puteo sacri pectoris, alto vulnere transfossi: eaque aquâ animos suos irrigant, mentesque apparant sacrificio Pentecostes. Ut autem hoc factum est, & tempus affuit quo Sol refulsit, qui priùs erat in nubilo; cujus lucem obscurârat primùm densa tenebrosæ Passionis caligo, deinde in ascensione nubes susceperat eum ab oculis eorum. Postquam ergo *Sol elevatus est*, & sedens ad dexteram Dei in excelsis, latè radios suos spargere voluit, donaque sua dare hominibus: accensus est ignis magnus, *apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum*; qui mox cæperunt loqui variis linguis, *prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, ita ut omnes mirarentur.*

V. Quæstiones de linguis.

5. Verùm omissis comparationibus, quas indicâsse satis est, id nunc exquiramus: Cur ignis ille divinus formâ linguarum in Apostolos descenderit; faciè deinde conjecturi, cur eæ linguæ igneæ visæ sint? Non quæro, linguarúmne figura exacta fuerit ad humanæ modum; an potiùs ad modum flammæ, in pyramidem supernè desinentis? An linguæ omnes uni trunco infernè inhæserint, supernè tantùm dispertitæ; isque truncus capiti primùm Virginis insederit, transieritque deinceps ad capita singulorum; an potiùs dissectæ fuerint ac separatæ universæ? Singulæne tantùm singulorum capitibus inhæserint; an plures potiùs, quod Ecclesia innuere videatur, cùm ait, apparuisse *linguis innumeris* Spiritum sanctum? An ita sederint supra singulos, ut mox evanuerint; an potiùs diu manserint, quomodò vox

sedendi

ſedendi indicat; & verò Spiritûs ſancti gratia & pietas, in Chriſtianis evanida, & tranſiens eſſe non debet, ſed conſtans ac firma? Iſta hic non diſquiro, ab aliis ubertim diſceptata: ad duas omnino quæſtiunculas diſputationem noſtram reſtringo, cur linguæ apparuerint, cur igneæ? Potuerant enim enſes militibus Chriſtianis, peda paſtoribus, ſceptra principibus, miſſa fuiſſe, non linguæ. Potuerant linguæ non flameæ videri, ſed purpureæ, cæruleæ, colorisve alterius. Quam igitur ob rem, Spiritui ſancto adumbrando, iſta præcipuè de tam multis, figura delecta eſt?

VI. Spiritus S. eſt lingua Dei ad nos, noſtra ad Deum.

6. Gregorius Magnus hom. 30. in Evangelia, linguæ cum verbo mentis, ſeu conceptionibus noſtris affinitatem magnam dicit, & conjunctionem eſſe: ex illo enim verbo voces, quæ linguâ efformantur, procedere; ita Spiritum ſanctum à Verbo divino produci, per communem cum Patre ſpirationem. Ideo Apoſtolis à Chriſto dictum, *Paraclitus, quem mittet Pater in nomine meo: quem mittam vobis à Patre.* Ad iſtam Gregorii Magni rationem, explicationis ergo adjici poſſit Gregorii Theologi ſententia: qui linguæ & Spiritûs ſancti ſimilitudinem in hoc ſtatuit, quòd utrique pandendorum arcanorum officium eſt: linguâ aperiuntur ſecreta mentis, gratiâ Spiritûs ſancti ſecreta divinitatis. Ipſe ad nos lingua Dei eſt; per ipſum Deus in Concilio Apoſtolorum dicit Act. c. 16. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis:* per ipſum Chriſtus multa, quæ habebat Apoſtolis dicere, ſed non poterant tunc portare, ſignificanda in tempore curavit: per ipſum omnibus Eccleſiæ ſæculis, uſque ad conſummationem, elucidabit doctrinæ ſuæ difficultates, definiet quæſtiones, diriget mores, Eccleſiæ decretis ac ſanctionibus. Lingua etiam ipſe ad Deum noſtra eſt: *Nemo* enim *poteſt dicere Dominus IESVS, niſi in Spiritu ſancto*, 1. Cor. 12. & ipſe *Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, quia nos quid oremus, quomodò oportet, neſcimus.

VII. Rerum ſapores diſcernit.

7. D. Bernardinus Senenſis ſerm. 2. de Pent. advertit linguæ alterum munus verſari in ſaporum guſtu: per illam amarum à dulci, inſulſum à condito diſcerni. Ita Spiritum ſanctum efficere, ut ſaporem cæleſtium terrenarumque rerum internoſcamus; quàm hæ ſint vel inſulſæ, vel amaræ; quàm ſuaves illæ, & ſapidæ. Sapientia, cui forſan à ſapore nomen, ædificatâ ſibi domo, inſtruit menſam, mactat victimas, vinum miſcet: ſive ea menſa ſit Euchariſtia, ſeu doctrina Evangelica & fides Chriſtiana, ſeu Scriptura univerſim, ſeu cultus divinus ac religio, ſeu Interpretibus magis probatum aliud quidpiam. O quàm iſthæc ſapiunt, habentibus Spiritum Dei! Quàm avidè & appetenter guſtatur ac videtur, *quàm ſuavis eſt Dominus!* Contrà, *animalis homo non percipit, quæ ſunt Spiritûs Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur.* Deſipientes ac miſeri, Angelorum pane guſtato, obmurmurant: *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leviſſimo*, & nihil videt anima noſtra niſi man, & manhu, quid eſt hoc? Quemadmodùm febrientibus omnia deſipiunt; non quia mala ſunt, ſed quia lingua bile flavâ atrâve, aut pituitoſis putridiſque humoribus, infecta eſt. Sic Auguſtino Manichæo factum, cui præ Cicerone ſacræ Literæ inſulſæ videbantur, & pietas caſtitaſque faſtidium pariebat. At Chriſtiano Auguſtino, Spiritum Dei nacto, viſæ ſunt Literæ ſacræ de melle cæli melleæ: pietaſque ac continentia ita ſapuit, ut ejus exemplo, ab Ordinibus ſupra triginta, regulam ejus amplexis, appetatur. Sic fuit D. Petrus, cùm Chriſto de Paſſione loquenti oblocutus audiit: *Vade poſt me, ſatana, non enim ſapis quæ ſunt Dei.* At ubi linguam cæleſtem accepit, ſimul guſtu cæleſtium donatus eſt: amavit, quæ ante exhorruerat; didicitque, nihil abominari, & immundum dicere, quod Deus purificavit Act. c. 10. ne colubros quidem ipſos, viperas, bufones, cælitus in linteo per viſum demiſſos. Morbi, jacturæ, injuriæ, non habenti linguam Spiritûs ſancti, & voluntatem Dei guſtare neſcienti, ſerpentes & abominanda alimenta ſunt. At qui Spiritum illum, ex Patris & Filii voluntate procedentem accepit; ſimul Dei voluntatem, & in illa morbos, damna, dedecora, amare didicit; nihilque, *quod Deus purificàrit*, immundum & commune exiſtimat.

VIII. Donum linguarum ſignificatum.

8. Tertia potiſſimaque ratio, cur Spiritus ſanctus linguarum figurâ Apoſtolis inſederit, à præcipuo inter ſpectabilia effectu petenda eſt. Euntes in mundum univerſum, prædicare debebant Evangelium omni creaturæ, & docere omnes gentes, linguis plurimis diſtinctas. In eum itaque finem dono linguarum opus fuit; quo mox Apoſtoli uſi; neque Apoſtoli modò, ſed Chriſtiani fermè omnes ſub exordia naſcentis Eccleſiæ, ut ex Act. 10. & 19. 1. Cor. 12. &c. conſtat. Perpetuâſſe idem miraculum ævo ſuo in multis, Irenæus affirmat: ſingulis fermè deinceps Eccleſiæ ſæculis renovatum. Proximè præterito, linguâ unâ loquentem D. Franciſcum Xaverium, ab auditoribus qui eam non nôrant intellectum fuiſſe, ambigi non poteſt, teſtibus plurimis, certiſque. Idem D. Bernardino Senenſi ad Patres Concilii Florentini, D. Antonio Patavino coram Pontifice, D. Vincentio Ferrerio ad coronam dicenti contigiſſe narratur, haud dubiâ fide, quia teſtes plurimi adfuêre. Apoſtolos Chriſtus ordinârat Catechiſtas, cùm *miſit illos binos*. Exorciſtas, cùm dicere potuerunt, *Etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis*: Sacerdotes, cum dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*: Epiſcopos & Patriarchas, cùm juſſit illos ire *in mundum univerſum*, datâ in omnes juriſdictione, Petri tamen auctoritati obnoxiâ. Nunc, quod præcipuum eſt Epiſcoporum officium, Concionatores illos creat, Spiritu ipſis ſuo linguarum figurâ communicato: ut in omnem terram exeat ſonus eorum, & non ſint loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.

IX. Linguæ prædicatorum ſint igneæ.

9. An autem linguarum omnium Apoſtoli ſinguli ſcientiâ donati ſint, præcipuarum ſaltem, ſeu duæ ſupra ſeptuaginta fuerint, ſeu pauciores, aut plures; an earum tantummodo notitiam acceperint, quæ apud gentes, ubi concionaturi erant, uſurpabantur? An ea ſcientia perpetua, ac conſtans fuerit: an tempori tantum ſerviens, actualique quàm habituali propinquior? An non privatis modò colloquiis, ſed etiam publicis ſermonibus habendis ſufficerit? An in publico ſermone, Apoſtolis unicâ lingua loquentibus, variæ linguæ in aëre formarentur, aut in auribus audientium: an in ſolo auditorum intellectu vocum ſignificatio imprimeretur? Difficulter quæſtiunculas iſtas ad omnium mentem, valdè variam, finiemus. In hujus unius deciſionem concorditer, omnes, conveniunt, cur igneæ linguæ fuerint? Prædicatores quippe Chriſtus Apoſtolos eſſe cupiebat: qui non ad pompam, non ad pruritum aurium, non ad verborum

circulationem,

circulationem, & cauponationem; sed ad illuminationem intellectûs & exinde inflamationem voluntatis dicerent. Prorsus, ut exardescentes Apostolicis sermonibus auditores de se profiterentur, quod Sulamitis ex sponsi alloquio Cant. 5. *Anima mea liquefacta est*: quod ex divinis verbis Psalmista, *Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud*: quod ex Christi sermone discipuli duo, *Nonne cor nostrum erat ardens in nobis, cùm loqueretur nobis in via, & explicaret Scripturas?* Siracidæ de Elia encomium est c. 48. *Surrexit quasi ignis, & verbum ejus quasi facula ardebat*, flamis Justitiæ divinæ, impios ad ejus arbitrium punientis. Surrexêre Apostoli, Spiritu sancto accepto, & verbum eorum quasi facula succendit audientium animos, flamis Misericordiæ divinæ impiorum duritiem molliens. Itaque mox hominum millia tria conversi: aliâ deinde concione quinque millia. Quid de aliis deinceps concionibus dicam, quarum exigua fragmenta in novo Testamento descripta, Spiritûs sancti in pectoribus legentium ignes accendunt? Quid de orbis universi incendio, non justitiæ præcursore, sed misericordiæ nuntio, per duodecim viros ad ætatem usque nostram propagato? O si, quisquis Apostolico munere fungitur, flameæ linguæ ardore legatum sese illius esse demonstret, qui dixit, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur? Otiosus enim est*, inquit Greg. hom. 30. in Evang: *sermo Doctoris, si non præbere valet incendium amoris*.

X.
Imò Christianorum omnium.

10. Quid autem isthæc ad nos, inquis? Apta sint Doctoribus & Pastoribus: at quid ad populum? Maximè, ad omnes. Solisne tu Apostolis dispertitas linguas igneas arbitraris? Non erat ibi turba hominum ferè centum viginti? Non erant mulieres, præter MARIAM matrem JESU? Non vides ignem sedere supra singulos eorum, qui fuerant perseverantes in oratione? Ad prædicandum tamen non destinabantur universi: cui ergo bono linguas; easque igneas, accipiant? Ut, si minùs publicis sermonibus, at privatis saltem colloquiis, aliorum pectora inflament. Concionator non fuit D. Monica, quando, de vita æterna Ostiæ cum filio ad fenestras diversorii collocuta, animum ipsius desiderio futurorum, contemptu præsentium, accendit. Concionator non fuit Guido Carthusianorum Prior, qui tamen inscriptis chartæ verbulis, missisque ad D. Bernardum, non literas illi misisse visus est, sed flamas: ita enim ipse ep. 11. *Legi eas, & quas volvebam in ore literas, sentiebam scintillas in pectore, quibus & concaluit cor meum intra me, tanquam ex illo igne, quem Dominus misit in terram*. Concionatores non fuêre D. Ludovicus, & Elzearius, & ævo parentum nostrorum B. Alexander Luzzagius; qui paucis sæpè voculis, privatisque monitiunculis, frigidissima pectora igne Spiritûs sancti incendêre.

XI.
Quanam malè ardeant.

11. Quantò iste linguarum Christianarum ignis fælicior est, quàm de quo Jacobus loquitur c. 3. *Ecce quantus ignis, quam magnam silvam incendit? Et lingua ignis est, universitas iniquitatis..... Inflamat rotam nativitatis nostræ, inflamata à gehenna*. Anno 1543. apud Spondanum, ipso Pentecostes die, horâ secundâ pomeridianâ, cælo sereno, lancea ignea, in oppidum Bearnense ex aëre lapsa, illud fermè momento absumpsit. Linguæ carbonibus desolatoriis ardentes, oppida interdum tota, & provincias consumunt. Homines Dathani & Abironi suppares jurgia, & rebelliones, susurris proseminant, incendiaque ruinis & mortibus vix extinguenda suscitant. Achitopheles & Jezabeles, Absaloni & Achabo pessimis consiliis faces ambitionis & avaritiæ, vel subdunt; vel fovent. Jonadabi & Vagiones ardentia ad libidinem Holofernis, & Ammonis, pectora adulationibus suis eventilant, & ventum faciendo fumos augent, & flamas. Quis funestas eas linguas spiritus accendit? Cælestisne, an sublunaris, aut subterraneus? A gratia, à ratione, an à peccato? A Deo, an à dæmone? Absit ab ore Christianorum lingua inflamata à gehenna. Ore omnes hodie, plerique saltem nostrûm, illum excepimus, qui fornacis instar Catharinæ Senensi videbatur; quem in Eucharistiæ Sacramento Chrysostomus ignem appellat; cujus animam divinitate perfusam fuisse, ut igne ferrum candens, indeque ad cæteros hominum ignem divinum permanâsse, ait Orig. lib. 2. περὶ ἀρχῶν. Postquam Christum ore, & pectore hausimus, ecquid ardentiùs optare debemus; quàm ut, facibus omnibus invidiæ, vindictæ, avaritiæ, libidinum, restinctis, solus in nobis deinceps ignis ardeat, quem ipse misit in terram, & voluit vehementer accendi?

XII.
Igni cur Spiritus S. confertur?

12. Evolvimus breviter linguarum ignearum mysteria. Superest, ut generatim quæramus, cur ignis figuram sibi Spiritus sanctus aptaverit? Neque hîc disputo, fueritne ignis verus, ac materialis; an apparens tantùm, & coloratus: quod magis Augustino placuit ep. 102. ad Evodium: *Velut ignis sensibilis, usitatis similis notæq; naturæ, non ipsa usitata notaq; natura*. Sed cur ea potissimùm figura sumpta est? Occurrent continuò quidam, dicentque proptereà factum, quia jam olim *Deus noster ignis consumens est*, Deut. 4. Quo de igne loquens Paullinus ep. 9. ad Severum exclamat: *Ardeat hoc igne cor meum, in lumen æternum mihi; at eodem ardeat anima mea in ignem perennem*. Ignis autem, qui Deo tribuitur, tertiæ nominatim Personæ convenit, quia amor est: amor autem ignis instar vegetus est, mobilis, levis, ad alta tendens, eliquans dura, miscens diversa imò contraria, mundans & perpurgans inquinata, in se vertens alimenta sua, insatiatus. Effecta illius præcipua duo sunt, calefacere & illuminare; seu calor & lumen idem sint, seu diversa. Utrumque Spiritui sancto aptissimè congruit, qui replens corda Fidelium, sui amoris in eis ignem accendit, quia est *Spiritus caritatis*: & luce beatissimâ simul replet cordis intima, quia est *Spiritus veritatis*. Hunc autem Veritatis titulum sæpiùs illi à Christo datum invenio, Caritatis numquam: quod sanè mirum videri possit.

XIII.
Appellari apte poterat Spiritus Caritatis.

13. Nam primùm, Spiritus sanctus est Dei spiritus, ergo Spiritus Caritatis: quia *Deus caritas est*, ex D. Joannis sententiâ, quâ, ut ait Augustinus, efferri nihil potuit, ad caritatis commendationem, sublimius. Deinde, ut Theologi loquuntur, Spiritus sanctus Caritas est Notionalis ac Personalis, æternusque nexus amoris mutui Patrem inter ac Filium. Commodissimè ergo vocetur Spiritus Caritatis: commodiùs saltem, quàm Veritatis, quandoquidem veritas magis secundæ Personæ congruere videatur. Adde, majorem esse Caritatis laudem, quàm Veritatis: sapientiusque responsurum fuisse Zorobabelem, in apocryphi Esdræ l. 3. c. 3. *Super omnia caritas*, quàm *super omnia veritas*. Veritas enim ad caritatem

refertur,

refertur, potiùs quàm caritas ad veritatem, intelligimusque magis, ut amemus, quàm amamus, ut intelligamus: imò, qui habuerit scientiam, & noverit mysteria, caritatem autem non habuerit, nihil est. Neque in hac vita solùm sterilis esset Dei, sine amore, cognitio: sed, etiam in altera, fructu suo careret beatitudo, si sic Deum videremus, ut visum indesinenter non diligeremus, & de ejus dilectione gauderemus. Et verò, inter Angelos, Seraphini ardentes præferuntur intelligentibus Cherubinis: anteponiturque, in illis sub Deo elevatissimis spiritibus, caritas veritati. Quidni ergo tertiæ Personæ honorificentior titulus Caritatis tribuitur, præ inferiore multo Veritatis? Denique, primum inter Spiritûs sancti dona, seu fructus, caritas est: ut enim Deum amemus, *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est*. ut proximum in Deo, & propter Deum, diligamus, ipse inhabitare facit unius moris in domo, auget concordiam eorum, qui erant unanimiter perseverantes in oratione; facit ut credentium sit cor unum, & anima una. Cur itaque Spiritus Veritatis à Christo appellatus, non autem Spiritus Caritatis?

XIV. Christus quotuplici-ter sit veritas.

14. Rationem primam, ingeniosam pariter ac solidam, à Cyrillo, Basilio, Justino mutuor, apud Toletum. Etsi enim non iisdem omnes verbis Patres utuntur, in eamdem tamen mihi videntur conspirare sententiam. Mittitur Spiritus sanctus à Christo, ut ipse aliquoties Apostolis iteravit: Christus autem est Veritas: itaque Spiritus sanctus est Spiritus Veritatis, cùm sit spiritus illius, à quo mittitur. Ut autem istud meliùs intelligatur, quemadmodùm Christus sit veritas; tria in illo considerari possunt, Natura divina, Persona divina, Natura humana. In horum quolibet, Christum invenimus esse perfectissimam veritatem, tum Objectivam, tum Formalem. Deus enim summa est formalis veritas: quia cognitio ejus rebus omnibus cognitis conformatur, id est, videt eas, & intelligit, prout sunt, nec falli usquam potest. Est etiam suprema veritas objectiva: quia altissimum intelligentiæ objectum est; & res omnes, sicut ab illo habent, ut sint, ita ab illo accepêre, ut cognosci queant. Secunda Persona est veritas formalis, quia ex rerum omnium cognitione procedit: ideòque appellatur Verbum Patris, Ratio, λόγος. Est item veritas Objectiva, quia est Imago Patris, Figura substantiæ ejus, rerum idea & exemplar. Christus quà homo est veritas formalis: quia plenus *sapientia*, plenus *gratia & veritatis*; quia requievit super eum *Spiritus scientia, sapientia, consilii, intellectûs*; quia cognoscit, & loquitur veritatem, venit enim in mundum, ut testimonium perhiberet veritati, primusque incarnationis finis est redemptio, alter divinorum arcanorum manifestatio. Est etiam veritas objectiva: quia tum exempla ipsius, tum doctrina, Christianis utillimum intelligendi objectum sunt, eamque ipse ob rem de se pronuntiavit: *Ego sum via, veritas, & vita*. Cum itaque Christus quà Deus, quà Verbum, quà homo, tot modis sit *veritas*; meritò missus ab illo Spiritus, *Veritatis* appellationem à nomine mittentis accepit.

XV. Spiritus S. docet veritatem.

15. Ratio altera familiarior, & facilior, Origenis est lib. 2. cont. Celsum, & Chrysostomi hom. 74. ideò à Christo indigetatum Spiritum veritatis, quia in Novo Testamento; id est in Ecclesia, longè clariùs & uberiùs quàm olim, secreta cælestia Fidelibus annuntiatum veniebat: *Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*, inquit Christus: &, *cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Docuit enimverò Apostolos, quos ex idiotis derepentè fecit Doctores Gentium: prorsus ut Petrus, qui forsan ne legere quidem umquam didicerat, scholis saltem frequentandis vacare non potuerat, de altissimis fidei mysteriis, & Scripturæ sententiis, ipso Pentecostes die, sapientissimè disputet. Caput Ecclesiæ produco, cùm omnia fermè oporteret Ecclesiæ membra producere, universos doctos à Domino arcana Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, aliaque, via de tenuibus umbris ac lineamentis, antè, ipsis Prophetarum primoribus cognita.

XVI. Quomodò per gratias actuales doceat.

16. Quid jam de interiore per gratias actuales doctrina dicam? Duplices à quibusdam assignantur, Illustrationes in intellectu, Inspirationes in voluntate: eoque forsan referendum lumen, & calor, ignearum linguarum: forsan & illuc respexit Divus Ambrosius, modulatus in hymno de Spiritu sancto: *Accende lumen sensibus, Infunde amorem cordibus*. Alii gratias actuales in intellectu solo collocant; cùm homini Cogitatio aliqua congrua movendæ voluntati occurrit; vel lumen aliquod novum, subitaque manifestatio jucundæ veritatis, mentem suaviter ad cælestia rapientis, aperitur. Ita in Nicæno Concilio adductus ad fidem philosophus, nudâ Christianæ veritatis propositione per D. Spiridionem, apud Bar. an. 325. Ita Antonii, Augustini, Pelagiæ, Thaidis, cogitatione unicâ subitò ad meliora, aut perfectiora, conversi. Contingitque idem quotidie Christianis, ut quæ antè sæpiùs sine motu voluntatis vidêre, aliter repentè videant, & inardescant. *Quid enim*, inquit Augustinus tract. 26. in Joan. *desiderat anima fortiùs, quàm veritatem?* Et l. 10. Conf. c. 22. *Gaudium de veritate omnes volunt. Multos expertus sum, qui vellent fallere; qui autem falli, neminem*. Si autem cujuslibet cognitio veritatis tantas habet illecebras: quanta supernaturalium, & æternorum cognitioni vis erit, & suavitas? Ut proinde meritò Spiritus veritatis appelletur, cujus illustratione Deus docet corda Fidelium, & dat nobis in illo recta sapere.

XVII. Spiritus S. est verax.

17. Euthymius existimat, dici Spiritum veritatis à Christo, sicut à Psalmista dicitur *Deus veritatis*, id est Deus verus: ut; quomodò à falsis diis distinguitur, ita & à falsis erroris ac vertiginis spiritibus. Addo, spiritum malum esse spiritum mendacii, tum per se mentiendo, tum alios impellendo ad falsa proferenda, aut vera subticenda, ubi tamen loqui oportuerat. Hinc 3. Reg. 22. dicit, *Egrediar, & ero spiritus mendax*: & à Christo ejicitur *dæmonium mutum*, Lucæ 11. diciturque Joan. 8. *Mendax & pater ejus*, id est pater mendacii. Quem locum explicans Aug. tract. 42. in Joannem, diabolum ait esse patrem mendacii, quia illud non ab alio accepit, sed à se. Eum, qui ab alio mendacium accepit, mendacem quidem esse si disseminet, non tamen patrem mendacii. Contrà autem *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*, odit dolos & simulationes, amat liberam sinceritatem, & ad loquendam veritatem impellit quos moderatur. Illud forsan indicatum voluit, tum linguis quæ ad mentem aperiendam datæ sunt; tum igne lucido; tum, quòd clara die, non per tenebras, in Apostolos descenderit.

deſcenderit. Idem columbæ figurâ ſignificatum exiſtimat Tertullianus lib. adv. Valent. elegante illâ ſententiâ, qoam Excurſu priore ad hoc caput, ſect. 4. num. 10. adduximus.

XVIII.
Amat veraces.

18. Quæras à me, quis Chriſtianorum Spiritu ſancto copioſiùs affluat? Reſpondebo, qui loquitur veritatem in corde, eamque eloquitur, quando neceſſitas & caritas poſtulat: qui non agit dolum in lingua ſua, & falſum ſciens nomquam pronuntiat. Bellarmino ſimilis, qui aliquando ingenuè P. Mutio Vitelleſco Societatis JESU Præpoſito Generali faſſus eſt, numquam ſe, ne in ultima quidem infantia, quod meminiſſet, mentitum. Dignus omnino, qui ſacerdos eſſet in templo Spiritûs Veritatis; quemadmodùm ferunt, ab Auguſto creatum Veritatis ſacerdotem, qui ſolus omnium, in orbe Romano, numquam mentitus fuiſſet. Talis D. Thomas Cantuarienſis, in ſacris profaniſque negotiis verſatiſſimus, qui in epiſtola ad Cardinales, apud Baronium, dicit, Eccleſiam, noo artibus profanaque prudentiâ, ſed ſincerâ veritate regendam. Talis D. Auguſtinus qui lib. cont. Mend. c. 6. monet, *veritate cavenda, veritate capienda, veritate occidenda mendacia*: qui ep. 48. Vinc. dicit: *Accepi epiſtolam tuam, quam tuam eſſe mihi non incredibile viſum eſt. Attulit enim eam, quem Chriſtianum Catholicum eſſe conſtaret, qui, ut opinor, mihi mentiri non auderet.* Talis apud Aug. l. de Mend. c. 13. Firmus Tagaſtenſis Epiſcopus, qui tortus, ut hominem qui ad ſe confugerat proderet, nihil dixit, quàm, *nec prodam, nec mentiar.* Impleat nos Spiritus Veritatis, ut loquamur veritatem, operemur veritatem, in veritate ambulemus.

SECTIO SECUNDA.

Cur Spiritus ſanctus dicatur Paracletus, ſeu Paraclitus?

I.
Cur id nomen in veteri Teſtamento nuſquam legatur?

1. SCITE adnotavit D. Athanaſius *oratione cont. Arian.* Spiritum ſanctum nuſpiam, in antiquo Teſtamento, Parácleti, aut Paracliti, nomine indicatum. Neque enim uſquam id nomen ſæpiùs in ſacris Literis, quàm quater, reperitur: neque alibi quàm in Evangelio Joannis: neque in eo Evangelio ullibi, præterquam in ultima Chriſti concione poſt cœnam. A Chriſto itaque iſthæc data eſt Spiritui ſancto appellatio. Quæri hic poſſet, eccurnam in veteri Teſtamento univerſo ejus appellationis mentio nulla facta fuerit? Rationem oon reddit Athanaſius: duas affert doctiſſimus D. Joannis interpres Toletus in cap. 14. Annot. 17. Primam, quòd lex Moſi ſine ſanguine, ſine perſecutione, ſine contradictione, promulgata & excepta eſt: neque enim Moſes ob publicationem, neque ulli Judæorum, tunc quidem, ob acceptationem occiſi. Conſolatore ergo, ubi adverſa, & triſtia non ingruebant, opus non fuit. At aliter longè in Evangelio promulgando res habuêre. Abſque ſynagogis facti ejus præcones, & interfecti velut ad Dei obſequium: ut, inter tot dura & aſpera, Apoſtoli eorumque ſucceſſores conſolatore indigerent. Altera ratio eſt: quòd lex Moſaïca de ſe non juſtificaret, ſervorum ſtatus tunc eſſet, cælum morientibus eo tempore non pateret, Dei gratia reſtrictè & paucis communicaretur, amoris divini effectus rariores apparerent. At in lege Gratiæ facta eſt remiſſio peccatorum, Fideles ad filiorum conditionem provehuntur, cælum patet, credit orbis, dona Dei abundè plurimis communicata ſunt. Cujus conſolationis præſcius Iſaias c. 40. exclamavit: *Conſolamini, conſolamini, popule meus, dicit Dominus, loquimini ad cor Jeruſalem, & advocate eam, completa eſt malitia ejus, dimiſſa eſt iniquitas illius, ſuſcepit de manu Domini duplicia.* Sed earum nobis rationum intelligentia fuerit apertior, poſteaquam tria de hoc nomine quæſierimus: Quid ſignificet? Cur Spiritui ſancto tribuatur? Quomodò Spiritus ſanctus officium Parácleti impleat?

II.
Paraclitus id eſt acclinis.

2. Ac primùm in Bibliis Latinis adverto, non haberi Paracletus, ſed Paraclitus. In hymnis item per Urbanum VIII. correctis, ubi anteà legebatur, *Qui Paracletus diceris*, nunc habetur, *Qui diceris Paraclitus*. Ex ea lectione videatur deducendum id nomen à græca voce, παρακλίνω, id eſt *inclino*, ſeu *acclino*. Quo ſenſu aptiſſimè dici poſſit Deus Pater Paraclitus, qui inclinavit cælos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus ejus, ut nos clementer reſpiciat: qui dignatur à nobis vocari Pater, & orantibus majeſtatem ſuam acclinat, ſicut parens filiolo ſuo loquenti aures accommodat, demiſſo capite, & curvato corpore. Dici etiam potuit Deus Filius Paraclitus, quando ſe abjecit ad pauperrimi hominis ſortem, & quotidiano in Venerabile Sacramentum deſcenſu nobis clamat, quod concionabundus per Judæam ſæpiùs iteravit, *Sinite parvulos venire ad me.* Dici poteſt commodiſſimè Spiritus ſanctus Paraclitus, cùm in humilem Apoſtolorum, aliorumque diſcipulorum turbam per dona ſua deſcenderit: cùm gaudeat ab Eccleſia vocari, *Pater pauperum, dator munerum, lumen cordium*: cùm per Iſaiam, internuntium ſuum, cap. 66. loquens dicat: *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?*

III.
Humilibus ſe Deus inclinat.

3. Ferunt Carolo Magno, qui primus Imperium Occidentis ad Francos, ac Germanos, tranſtulit, ſolium fuiſſe ſic fabricatum; ut, cùm legati aliíve ad ipſum veneraturi accederent, ſecreto cujuſdam machinulæ impulſu ſedes Imperatoria demitteretur, ut Carolus venerantis manum apprehendere, eumque ſecum attollere poſſet, elevato rurſus ſolio per arcanum alterius machinulæ miniſterium. Verúmne id ſit, non diſputo; fides ſit penès narrantes. Hoc certum: Dei, ſupra ſolium excelſum & elevatum ſedentis, magnitudinem ſeſe ad humiles ac ſupplices veneratores demittere, eosque deinde ſecum ad ſuperna erigere. Idcirco Auguſtinus ſerm. 2. de Aſc. qui eſt 175. de tempore, poſtquam monuit, ut *ſi rectè, ſi fideliter, ſi devotè, ſi ſanctè, ſi piè Aſcenſionem Domini celebramus, aſcendamus cum illo, & ſurſum corda habeamus. Aſcendentes autem non extollamur, nec de noſtris, quaſi de propriis meritis præſumamus. Surſum autem corda habere debemus ad Dominum. Surſum enim cor, non ad Dominum, ſuperbia vocatur.* Poſt hæc dicta, ſubjicit: *Videte, fratres, magnum miraculum. Altus eſt Deus: erigis te, & fugit a te: humilias te, & deſcendit ad te. Quare hoc? quia excelſus eſt, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit. Humilia de proximo reſpicit, ut attollat: alta, id eſt, ſuperba, de longè cognoſcit, ut deprimat.* Eodem ſenſu Greg. ad illa pſ. 142. pœn. 7. *Velociter exaudi me, Domine, defecit ſpiritus*, dicit, priùs debere auferri à nobis ſpiritum noſtrum, & deficere, deinde emitti Spiritum Dei. *Non enim receptaculum Spiritûs Dei quiſquam efficitur, niſi ſpiritu ſuo primitus evacuetur.*

IV. Paracleti nomen unde?

4. Poterat ergo in eum ſenſum trahi nomen Paracliti, neque abs re, & ſine fructu. Fatendum tamen eſt, germanam non eſſe originem, & ſignificationem. Græcè enim apud Joannem habetur, παράκλητος, non παράκλιτος: adeoque deduci non poteſt à παρακλίνω, ſed à παρακαλεῖν. Quod autem Latinè legimus Paraclitus, pro Paracletus, id fit, non ad originem aliam indicandam, ſed ad exprimendum Græcæ vocis accentum; tum ad commoditatem verſûs; tum etiam, quia plerique Græci hodie literam η non ut e pronuntiant, ſed ut i Latinum. Dicenda hæc erant, ad intelligentiam vocis, quæ, à verbo παρακαλεῖν deducta, totidem poteſt ſignificationes accipere, quot conveniunt verbo unde derivatur. Invenio autem ternas, eaſque argumento noſtro ac Spiritûs ſancti officio convenientiſſimas, etſi unica germana ac propria ſit.

V. Id eſt Advocatus.

5. Primùm, ſumitur verbum παρακαλεῖν pro *advocare* ſive vocare ad ſe, unde παράκλητος Græcè ſignificat *advocatus*. Ita intellexit D. Aug. tract. 74. in Joan. ad illa Chriſti: *Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. Paracletus*, inquit, *Latinè advocatus dicitur. Advocatum habemus apud Patrem Chriſtum IESUM*. Quo loco notandum eſt, ad firmandam Auguſtini explicationem, Græcè eſſe παράκλητον, Latinè reddi *Advocatum*. Et verò Chriſtus omnino advocatus noſter eſt, quia nobis patrocinatur, agit ſalutis noſtræ cauſſam, defendit nos apud Patrem, quà homo eſt, non autem quà Deus eſt. Nam, quà Deus, ſupremus Judex eſt, & ex vero advocatus appellari nequit: cùm cauſſæ noſtræ apud alium, ut advocari ſolent, patrocinium ſuum non commodet. Eamdem ob cauſſam, Paracleti titulus iſtâ ſignificatione Spiritui ſancto aptari non poteſt, niſi impropriè, & tranſlatitio ſenſu. Sic D. Paullus Rom. 8. dixit, *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Non quia revera poſtulet, aut poſtulare poſſit; cùm Patre inferior non ſit, & aliam ipſi voluntatem non habeat: ſed quia nos ad poſtulandum impellit. Ita cenſuit Auguſt. epiſt. 105. ad Sixtum, ubi pro, *poſtulat*, legit, *interpellat*; *id eſt*, inquit, *interpellare facit*. Et lib. 1. de Trin. c. 12. iſtud Chriſti apud Joan. c. 14. *Paracletus autem Spiritus ſanctus*, ſic vertit, *Advocatus autem Spiritus ſanctus*. Eodem modo in Vulgata habetur 1. Joan. 2.

VI. Paracletus, id eſt Exhortator.

6. Altera ſignificatio vocis παρακαλεῖν eſt *exhortari*. Quo ſenſu Paullus ſcripſit Tito cap. 2. *Juvenes exhortare, ut ſobrii ſint*. Græcè παρακάλει. Idemque ipſum Paullus officium hortatoris Deo tribuit, qui nunc apertis inſpirationibus, nunc occultis; nunc minis, nunc promiſſis, à malo avocat ſuos, ad bonum revocat: 2. Cor. 5. *Pro Chriſto legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos*, id eſt ad benè agendum incitante verbis meis, quæ ſunt verba Dei. Similiter 2. Theſſ. 2. *Deus & pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem, & ſpem bonam in gratia, exhortetur, & confirmet corda veſtra, in omni opere & ſermone bono*. Audis Deum hortari, quia diligit; quia ſuaves gratias donat, quia ſpem infundit, & allicit propoſitione præmiorum. Atque adeo nomen Hortatoris, etſi toti Trinitati commune, poterat commodè Spiritui ſancto tribui; eò quòd amor ſit, & ſuaves gratiæ atque incitamenta ſpei noſtræ, quæ ex amore proficiſcuntur, ei tribui ſoleant.

VII. Commu-

7. Sed quia explicatio iſta paullò reconditior eſt; tertiam afferamus multò notiorem, & in ipſis vulgaribus Bibliis ubique expreſſam. Παρακαλεῖν itaque eſt *conſolari*, & παράκλητος eſt *conſolator*. Sic; quem jam ſæpe teſtem adduximus, Paullus uſurpavit, 2. Cor. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri IESV Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*: Græcè παρακαλῶν. Hac ſententiâ cùm Spiritum ſanctum dicimus Paracletum, perinde eſt, ac ſi, notiore vocabulo, Conſolatorem nominemus. Sic intellexit D. Iſidorus l. 1. ſentent. c. 17. ſent. 5. *Spiritus ſanctus, pro eo quòd conſolator ſit, Paracletus nuncupatur. Nam Latinè paracleſis conſolatio dicitur*. Neque aliter intellectum Eccleſia voluit, hymno illo ſolenni per Octavas Pentecoſtes cantari ſolito; ubi tituli iſtius paraphraſin quamdam videtur texuiſſe: *Conſolator optime, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium. In labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium*. Quæ encomia univerſa, variis imaginibus, idem nobis exhibent conſolatoris officium. Nam quomodò Jacob, dulcis ac deſideratus hoſpes, adventu ſuo, Joſephi filii animum ac domum lætitiâ complevit. Et velut errantibus in ſolitudine, in inaquoſo; Iſraëlitis jucundiſſima fuit limpidi fontis, de petra educti, ſcaturigo. Et quomodò fatigato ex itinere Tobiæ gratiſſima fuit quies in molli herba, ad fluminis ripam, aut in amicorum paternorum Gabeli ac Raguelis ædibus. Et ſicut Hebræis adoleſcentibus in Babylonicæ fornacis incendium projectis ſuaviſſimum fuit, inter flamas *velut ventum roris flantem* experiri. Et ſicut ſedentibus, ac flentibus, ſuper flumina Babylonis Hieroſolymitis, atque organa ſua ad ſalices ſuſpendentibus, ſolatio erat jucunda caræ patriæ Templique olim inſtaurandi memoria. Ita optimus Conſolator, Spiritus paracletus, Fidelium mentes in exilio hujus vitæ ſuſpirantium, in via ad patriam peregrinantium, inter ignes æſtuantium, ob quotidianas culpas ſuas atque alienas gementium, dulcibus alloquiis ac gratiis fovet.

Paracletus ſignificat conſolatorem.

VIII. Trinitas eſt Paracletus.

8. Veriſſima iſthæc ſunt quidem, ut mox videbimus; difficultate tamen non carent. Definita enim nondum ea quæſtio eſt, ecquanam cauſſâ paracleti nomen Spiritui ſancto, præ ceteris ſanctiſſimæ Trinitatis Perſonis, conveniat; quibus, æquè ac Spiritui ſancto, conſolandi munus in Scripturis tribuitur? Generatim certè de Deo Pſalmiſta concinuit: *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*. Et Deus ipſe de ſe per Iſaiam loquens, cap. 66. *Quomodò*, inquit, *ſi cui mater*, quæ patre ſuavior, & tenerioris affectûs, ac verborum, eſſe conſuevit, *blandiatur, ita ego conſolabor vos*. Adeoque eam ob cauſſam, nomen Paracleti commune eſſe toti Trinitati, docent *Baſil. lib. de Spir ſancto cap. 19. & Hieron. epiſt. ad Hedib. quæſt. 9*. Ex Dei natura eſt, ſolari miſeros, ad hoc ſua ipſum miſericordia inclinat: miſericordia autem, atque natura, eadem tribus Perſonis eſt, atque adeo commune eſt illis conſolatoris officium. Quid quòd Deo Patri præcipuè conſolatio propria eſſe videatur, ex ſententia D. Paulli 2. Cor. 1? Corinthios enim ad pronam ergà egenos, miſeroſque alios, caritatem hortatus, ante ſuum illis exemplum pro iſtius caritatis incitamento proponendum; aliud eminentius longè ac potentius deſignat, in Deo Patre Domini noſtri JESU Chriſti, qui eſt *pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis*.

9. Jam

IX.
Christus Paraclitus.

9 Jam verò secunda Trinitatis Persona, Verbum incarnatum Christus, sese ipse disertè Paraclitum nominavit Joan. 14. ut notavit Augustinus tract. 74. in Joan. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Neque obscuriùs Luc. 4. elocutus est, quando in synagoga Nazarethana Isaiæ vaticinium cap. 61. prælêgit, *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde.* Dein complicato libro, oculis omnium in eum intentis, dixit: *Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus.* Incarnatus est ad orbis universi solatium verus Noë, qui consolabitur nos, ab operibus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus. Infans, optimæ matris, & suavissimi nutritii solatium fuit, inter Ægyptiaci exilii laboriosas miserias. Ipse pueri vultus intuentium mœrorem dissipabat: feruntque, cives Nazarethanos, leniendæ, si quam fortè conceperant, tristitiæ, dictitare inter se solitos, Videamus MARIÆ Filium. Adultus in sublevandas animorum corporumque miserias totus incubuit, & ex Isaiæ vaticinio consolatus est omnes lugentes corde. Ante Passionem discipulos suavissimo sermone solatus, mox efficacissimo solatii genere recreavit, sublatâ penitùs tristitiæ caussâ, & manifestatâ resurrectione, ut gauderent discipuli viso Domino. Et nos ipsos nonne potentissimè consolatur, cùm in auribus animorum nostrorum quotidie, ex humili augustissimi Sacramenti habitaculo, insonat, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos?* Nonne ipsa dulcissimi nominis JESU mentio efficacissima nobis est consolatio? Expertus illam Bernardus, ad experimentum suos excitabat serm. 15. in Cantica: *Tristatur aliquis nostrûm? Veniat in cor IESVS, & inde saliat in os. Et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, reddit serenum.*

X.
Cur ea appellatio tribuatur Spiritui sancto?

10. Eccur itaque Paracleti nomen velut proprium Spiritui sancto tribuitur: quando Pater, est Deus totius consolationis: quando Christus, quà Deus, est misericors consolator, quà homo, continenter suavi consolatoris munere functus est? Difficultatem hanc universam paucis verbis absolvero. Scimus Spiritum sanctum amorem esse. Scimus item, qui consolationes lugentibus ac miseris adhibent, id solere amoris ac caritatis impulsu. Eam ob caussam Spiritui sancto tribuitur Paracleti appellatio; quia amor est, & ex amore consolationes proficiscuntur. Flentes, & trepidos, post mortem parentis, fratres solatur Josephus, quia diligit. Annam uxorem lacrymantem solatur Helcana, quia diligit. Noëmi orbam marito, & liberis, ex Moabitide regione reducem, solantur consanguinei, quia diligunt. Magdalenam, morte Lazari lugentem, solatum veniunt Hierosolymitæ cives, quia diligunt. Consolantur Gregorius Magnus, & Nicolaus, pauperes; Joannes Eleëmosynarius, & Leonardus, captivos; Gallicanus, & Carolus Borromæus, ægros, quia diligunt. Christianum laborantem, trepidum, solicitum, tristem, solatur Deus, quia diligit. Amor autem Spiritus sanctus est, atque ideò Paracletus dicitur.

XI.
Consolationes Spiritus sancti.

11. Superest igitur quæstio tertia, ecquonam potissimùm modo Spiritus sanctus erga nos Consolatoris officium exerceat? Illud omitto, de quo Apoc. 14. cùm in Christo mortuis, & jam beatis, *dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* De Fidelium vivorum solatiis ago, inter labores ipsos per Spiritûs sancti gratiam perceptis; eorumque genera duo invenio. Primum sensibile, alterum spirituale: primum suavius, solidius alterum. Primum quando tantis pietatis, amoris divini, fiduciæ & spei æternorum, suavitatibus animus inundatur, ut etiam in corpus exundet, nec labores modò ac dolores leniat, sed efficiat etiam, ut vix, aut ne vix quidem, sentiantur. De solatiis istiusmodi Tertullianus lib. de Patientia, loquebatur: *Rector animus facile communicat Spiritûs invecta cum habitaculo suo.* Apostolos specta Act. 5. cùm *ibant gaudentes à conspectu Concilii, quia digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Vultum Stephani in imbre lapidum, ut vultum Angeli contuere. Audi Paulum 2. Cor. 7. cùm urgerent *foris pugnæ, intus timores*; scribentem tamen, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio, in omni tribulatione nostra.* Adolescens Christianus Antiochiæ, ad exemplum & primitias cæterorum, à prima luce ad undecimam usque inter ungulas & cruciatus, Dei laudes concinuit, apud Aug. 18. de Civ. c. 52. Theodoro nomen fuit apud Eusebium, cum ipso post superata tormenta collocutum. Unum pro omnibus Martyrem adduco: omnibus enim fermè Martyribus solenne fuit, tantâ gratiarum cælestium ubertate ac suavitate diffluere, ut dolores vel non sentirent, vel spernerent.

XII.
Quam suaves?

12. Nec solis illud Martyribus contigit. Martyr non fuit D. Servulus paralyticus, cui tamen perpetua in annorum octodecim morbo lætitia. Martyr non erat, leprosus ille, quem, fracto undique corpore, cygnæis vocibus concinentem viator eques obstupuit. Martyr non fuit Franciscus Xaverius: cui in Indici Solis ardore, & in torridis arenis, æstuanti, tanta sese copia divinæ consolationis infudit, ut jam illi ferendæ impar, satis esse exclamaret. Martyr non erat, imò ne sanctus quidem, & vix benè adhuc pœnitens Augustinus, quando sub conversionis initia totus sensu pietatis colliquescebat. Sic enim ipse de se, 9. Conf. cap. 5. *Eliquabatur veritas tua, Deus, in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & benè mihi erat cum eis.* Martyres non fuêre pœnitentes innumeri, quibus, ut Bernardus ait serm. 18. in Cant. *Spiritualis medicus animarum Christus, postquam tetigit ulcus ferro compunctionis, statim vulnus lenivit unguento devotionis.*

XIII.
Quàm solidæ?

13. Desiderabilia equidem ista sunt Spiritûs sancti solatia, sed infirma fugaciaque, nisi alterum accedat, in voluntate atque intellectu, non in sensu situm. Advertit D. Gregorius Nanzianz. Spiritum sanctum in Apostolos descendisse, quando erant in parte domûs superiore, Græcè ὑπερῴῳ Act. 1. ut veras Spiritûs sancti consolationes intelligamus, in suprema esse parte mentis, in cognitione, ac fide firma, & gustu credendorum, ac sperandorum. Idem his verbis apertè significatum Christus voluit: *Paraclitus docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis:* Spiritus sanctus docendo vos, & commonefaciendo, de veritate Evangelicorum meorum promissorum, Consolatoris munus implebit. *Paraclitus spiritus veritatis testimonium perhibebit de me:* ideò erit Paracletus, sive consolator, quia erit spiritus veritatis, &, abjectis mentibus erigendis, cælestes ac divinas

cogitationes immittit; eumque in modum *teſtimonium perhibebit de me*, vera eſſe teſtabitur mea de æternitate promiſſa, doctrinamque meam omnem certiſſimam. Eamdem ob cauſſam orat Eccleſia, ut Deus, qui docuit corda Fidelium ſancti Spiritûs illuſtratione, det nobis *in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere*, recta utique ac vera ſapiendo.

XIV. Quàm humanis diverſa?

14. Homines plerumque conſolationibus ſuis ſunt *fabricatores mendacii*, ut Jobus aiebat, cap. 13. vel *medici idoli*, ut habet alia verſio: aut minimùm, ut idem loquitur, ſunt *conſolatores oneroſi*. Faciamus tamen nec mendaces eſſe, neque oneroſos: at ſaltem, niſi Chriſtianè loquantur, quid ſolatiorum afferrent, quàm quod ex natura petitur? Maledictis laceſſito philoſophus, ad ſolatium, dicet, *Omnia tibi tua integra ſunt*: triſti ob carorum mortem, *Genueras mortales*: de futuris anxio, mortemque & ea quæ conſequuntur metuenti, *Hæc in poteſtate noſtra non ſunt, vivendum in diem.* At Paracletus noſter illi, probris appetito, ſuggeret, quod Apoſtolis Chriſtus, quod Picus Mirandulanus nepoti: *Beati eſtis, cum maledixerint vobis homines: gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Iſti, neceſſariorum jacturâ mæſto, ne, ut Paullus monuit, contriſtetur *ſicut & cæteri, qui ſpem non habent*, commemorabit Chriſti ad Martham verba: *Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet, & vivet in æternum.* Huic, ad horribilem æternitatis interminatæ proſpectum trepidanti, occinet Evangelicum Joannis oraculum: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* Repetet Evangelici Doctoris, Apoſtoli Gentium, ſententiam, Rom. 8. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis Filiorum clamantem, Abba pater. Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei*: ex ipſo nati per baptiſmum, ſæpiùs per ſacramenta renati, educati in ejus domo, ex ejus menſa veſcentes. *Si autem filii*, nonne ſperabimus, gaudebimus, mala de amabili patris manu accipiemus, adeuodæ nos æternæ hæreditati parabimus? *Et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.*

XV. Qui ad illas comparemur?

15. O ſuaviſſimas conſolationes, ô jucundiſſima nova, ô fidelem, & omni acceptione dignum ſermonem! *Veni ſancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium*; ut in veritatis tam amabilis lumine, fortiter & conſtanter in patriam, cernendæ tam luculentæ hæreditati, properemus. Audio, Chriſtiane, iſta Spiritûs ſancti tam grata, & præſentia, ſolatia concupiſcis, atque efflagitas. Eſto igitur & tu Paraclitus, inclina te, demitte te, humilia te: reſpiciet ille pauperculum, & contritum ſpiritu. Eſto Paracletus, Advocatus pauperum, defenſor miſerorum, tutor oppreſſorum: poſtulabit & ille pro te gemitibus inenarrabilibus, & cauſſam ſalutis tuæ per te aget, ac defendet. Eſto Paracletus, Exhortator; verbis aut exemplis ſaltem, quoa potes, ad virtutem excita, dehortare à vitiis. Eſto Paracletus, Conſolator ægrorum, pauperum, captivorum, miſerorum, pro modulo tuo: ſi, quo ſuccurras, non habes: vas da bona verba, *Ne deſis plorantibus in conſolatione.* Si neque hoc potes, at illos Deo commenda: ſpiritum deſolationis fuge, quantum vales: alios cave offendas, niſi Deus velit: quà licet, caritati ac paci, ubique, & ad omnia ſtude. Spiritus ſanctus ſimiles ſibi, Conſolator conſolatores, diligit; fovetque, & animat, ac ſolatur diligendo. Vixit parentum noſtrorum, & noſtrâ, cùm adoleſceremus, memoriâ, B. Franciſcus Saleſius Epiſcopus Genevenſis, mirus conſolator animorum. Ei aliquando oranti, manè horâ tertiâ, tantus donorum cæleſtium ſenſus affluxit, ut exclamare coactus fuerit: *Domine, contine undas gratiæ tuæ; Domine, recede à me, quia non poſſum ſuſtinere dulcedinis magnitudinem.* Eidem, cùm, Pentecoſtes die, Pontificale officium in templo Cathedrali perageret, dimiſſa de more columba, poſtquam diu circumvolitârat, inſedit, applaudentibus tacitè omnibus; quòd figura Spiritûs ſancti tam convenienti loco conquieviſſet.

SECTIO TERTIA.

Cur tertia Perſona auguſtiſſimæ Trinitatis vocetur Spiritus?

I. Spiritûs S. invocatio ante concionem.

1. MULTA ſunt ſæcula, cùm conſuetudo, Spiritûs ſancti gratiam per D. Virginem ante concionandum implorandi, in Eccleſiam invecta eſt. Valdenſis, ſæculi decimi quinti ſcriptor eruditus, exiſtimat ex traditione Apoſtolica manâſſe; adducitque ad opinionis ſuæ ſtabilimentum verba D. Petri Act. 6. *Nos autem orationi, & miniſterio verbi, inſtantes erimus*: & Paullum Coloſſ. 4. poſtulantem Fidelium orationes, ut Deus ipſi *oſtium verbi* aperiat. Pighius arbitratur, uſum ejus conſuetudinis cœpiſſe, ex quo extitêre hæretici Antimariani: unde aliqui ad D. Dominici ætatem retulêre. Conſtat certè, ex illo tempore conſtantiſſimè continuatam; ut meritò ridendus ſit Lutheri nunc antecurſor, nunc hoſtis, nunc aſſecla Eraſmus, qui in Eccleſiaſte ſuo novitium inventum appellat iſtam Virginis invocationem. Jure autem meritiſſimo Spiritûs ſancti gratia per ejus Virginis preces flagitatur, quam Spiritus ſanctus poſt Angelicam Salutationem obumbravit; ad cujus ſalutationem repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth, & prophetavit; quâ præſente, & orante, deſcendit in Apoſtolos, primos verbi divini prædicatores, Spiritus ſanctus.

II. Invocandus maximè, cùm quæritur, cur Spiritus vocetur?

2. Cùm autem optimè conſtitutum ſit, ut ante dicendum à concionatoribus, atque auditoribus, ſuppliciter Spiritûs ſancti auxilium flagitetur: id certè tunc maximè ſciendum, quando de Spiritu ipſo ſancto ſermo habendus eſt, diſceptandaque graviſſima de proprio ipſius nomine quæſtio, cur Spiritus appelletur? Proponit eam quæſtionem D. Thomas 1. par. quæſt. 36. art. 1. *Utrum hoc nomen Spiritus ſanctus, ſit proprium nomen divinæ alicujus Perſonæ?* Facilis videatur ex variis Scripturæ locis Spiritum ſanctum nominantibus, reſponſio: ex 2. Cor. ult. præſertim, ubi optatur *gratia .... & communicatio Spiritûs ſancti*: tum, ex 1. Joan. ult. ubi Perſonarum trium nominatio diſtincta eſt: denique, ex Matth. 28. ubi Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris ipſe revelavit, baptizandum *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* Conſtat ergo, id nomen eſſe tertiæ Perſonæ proprium: at non conſtat, cur, & quomodò ſit proprium. Nam, ut ſibi D. Thomas opponit, *Nullum nomen commune tribus Perſonis eſt proprium alicujus Perſonæ: ſed hoc nomen eſt commune tribus Perſonis.* Adducit deinde Hilarium, qui lib. 8. de Trin. oſtendit nomen Spiritûs in Scripturis,

Scripturis, nunc de Patre dici, nunc de Filio seu Verbo, nunc de Spiritu sancto. Adduxisse item poterat Christi verba, Joan. 4. in colloquio cum Samaritana, ad cujus interrogationem, de Dei adoratione, respondet: *Spiritus est Deus*, id est, omnis prorsus expers materiæ natura. Quo ergo pacto dici potest Spiritus esse nomen uni Personæ proprium, quando divinitati in se convenit? quod autem Deo in se competit, Personis omnibus æqualiter tribuendum est? *Pater* ita propria est primæ personæ appellatio, ut alteri nulli Personæ aptari possit, quia nulla generat. *Filius* ita est proprius secundæ personæ titulus, ut soli conveniat, cùm solus generetur. At cur tertia Persona Spiritus vocetur, cùm Deus sit spiritus, & Pater ac Filius sint spiritus?

III. Prima nominis ejus ratio ex Augustino.

3. Hujus difficultatis triplicem solutionem, primam ex Augustino ingeniosam, alteram ex ipso D. Thoma Theologicam, tertiam ex nobis popularem, afferemus. Habetur Augustini sententia lib. 5. de Trin. & lib. 15. referturque à D. Thoma in corpore articuli his verbis: *Quia Spiritus sanctus communis est ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter.* Id est, Pater, & Filius æqualiter vocantur spiritus, & sunt natura omnis prorsus materiæ expers: idcirco Spiritûs nomen communicant & faciunt proprium tertiæ Personæ, quæ utrique communis est. Verba audio, sed sententiam, inquis, non intelligo. Quid enim istud est, *Spiritus sanctus communis est ambobus?* Nonne ergo Tertia Persona est realiter distincta à Patre, & eodem modo distincta à Filio: etsi eâdem sit naturâ? Quo itaque pacto Spiritus sanctus communis est ambobus? An etiam Pater dici communis possit Filio, ac Spiritui sancto? An & Filius communis Patri, ac tertiæ Personæ? Ista nemo Theologus, imò Christianus tenuiter eruditus, dixerit; nedum Augustinus; nemo enim nescit, sic non separandam substantiam, ut Personæ non confundantur, & misceantur.

IV. Spiritus S. à Patre & Filio procedit.

4. Id ergo solùm vult Augustinus, quod Ecclesia, & Deus nos de Spiritu sancto docuêre: à Patre & Filio procedere; non à Patre solo, non à solo Filio, sed ab utroque simul; neque à duabus Personis sicut à duobus principiis, sed sicut ab unico principio. Hoc indicatum Augustinus voluit, cùm dixit, *Spiritus sanctus communis est ambobus*. Idem planè, quod pluribus Athanasius scripsit in symbolo, quo fidem suam Romæ professus est, coram Julio primo Pontifice, anno Christi 340. Postquam posuit, quid de Patre, ac de Filio eum fides docuisset, subdit de Spiritu sancto, *Spiritus sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Idem, quod Ecclesia profitetur in symbolo, cui Nicæni appellatio data est, quia ex Nicænorum Patrum sententiâ conditum, in primo Concilio Constantinopolitano, ubi aderant Episcopi quinquaginta supra centum, sub Damaso Pontifice, Imperatore Theodosio. In eo symbolo, quia tantùm positum erat, *Et in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre procedit:* additum est dehinc in Concilio Toletano sub annum 447. *Filioq;*, ex literis S. Leonis Papæ. Romana deinde Ecclesia id symbolum, ad firmandam & explicandam fidem, cum eo additamento scribendum decrevit, sub annum 883. Qua de re consulendus Baronius iis Ann.

V. Græcorum hæresis damnata.

5. Adeò in Patrum scriptis, & antiquissima Ecclesiæ traditione, imò & in sacris ipsis Literis expressum est, hoc fidei nostræ caput, ut etiam illud Infidelium hæreticorum fides recipiat. Græci dumtaxat schismatici, & hæretici, Arianorum reliquiæ, particulam, *Filioq;*, rejiciunt: eamque præsertim ob caussam, ut omnes fermè ipsorum historici advertêre, paullatim à Deo deserti, eò denique reciderunt, ut, sub fœdissimo Mahumetanorum jugo, gemant propemodùm universi, captâ à duobus jam sæculis urbe Imperatoriâ. Advertit Baronius, anno 1048. cœpisse Turcas ex Septemtrionibus in Asiam progredi, ac Persis primùm, tum Romanis incumbere: eo ipso anno, quo Michaël Cerularius, schismaticorum signifer, hostis Latinorum infensissimus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ præerat. Notat Spondanus, ex Germano Patriarcha Constantinopolitano, Nicolaum Pontificem Græcis scripsisse, anno 1451. sese ad tertium annum, ex Evangelico Christi præcepto, exspectaturum; ut experiretur, an arbor sterilis fructum factura esset: si ne tum quidem faceret, succisum iri. Accidisse porro ex sancti Pontificis vaticinio, ut Constantinopolis tertio post anno, Christi 1453. caperetur. Imò ipsis Pentecostes festis captam à Turcis Constantinopolin, scriptorum nec vulgarium, nec paucorum opinio est: ut, vel ex tantæ calamitatis tempore, caussa illius, obstinatus Græcorum error, de Spiritûs sancti productione, patesceret. Quamquam Spondanus ex ephemeridibus conficit, novendio post Pentecosteo, seu altero post octavam Pentecostes die, Constantinopolin demum in Turcarum manus devenisse: ut toto festi illius tempore luctata sit cum extremo exitio, ad festi finem perierit. Certè ne Græci quidem ipsi diffitentur, caussam exitii sui hæresin fuisse. Nam Patriarcha item Constantinopolitanus Niphon, apud Spondan. an. 1482. affirmat accidisse, ob non admissum Concilium Florentinum, in quo tum alii Græcorum errores, tum hic nominatim, de processione Spiritûs sancti à Patre non à Filio, proscribebatur.

VI. Difficultas materiæ.

6. Isthæc exponendæ D. Augustini sententiæ dicta sint. Ad alteram D. Thomæ intelligendam, præstruendum aliquid esset, de æterna Spiritûs sanctus origine: &, ut sciamus, cur sic vocetur, sciendum antè foret quid sit. Unde verò nobis, in tanta divinorum arcanorum caligine, cognitionis lumen? Celebre est, quod Tullius refert libro de Natura Deorum, Simonidem ab Hierone Syracusano Rege interrogatum, quid esset Deus, diem deliberationi postulâsse. Cùm postridie idem quæreretur, biduum petiisse: biduo elapso, numerum duplicâsse, ac sæpiùs deinceps. Miranti tergiversationem Regi dixisse, quò plus ea de quæstione cogitaret, eò sibi difficiliorem videri. Thaleti Milesio idem fermè responsum tribuere videtur Tertullianus, in Apolog. *Quid*, inquit, *Thales ille, princeps Physicorum, sciscitanti Crœso de divinitate certum renuntiavit, commeatus deliberandi sæpè frustratus?* Nec mirum, philosophos in tam alta & obscura materia hæsisse, quando nostri ipsi sapientes, post tot divina oracula, post tot fidei lumina, adhuc tamen caligare videntur. Ita Hilarius librum 3. de Trinitate claudens. *Perfecta*, inquit, *scientia est, sic Deum scire, ut licèt non ignorabilem, tamen inenarrabilem, scias. Credendus est, intelligendus est, adorandus est, & his officiis eloquendus est.* Indicatum id voluit Angelus, Dei vices & majestatem exhibens, cùm dixit Mosi Exod. 19. *Veniam ad te in caligine nubis:* Quia, inquit

inquit Greg. Nanz. orat. 2. de Theol. etsi ob existentiæ necessitatem sit lua splendidissima: tamen ob infinitam & incomprehensibilem naturæ perfectionem, in tenebris & caligine babitare videtur.

VII. Fides de nomine, & processione Spiritûs sancti.

7. Ita verò Dei natura inenarrabilis est, quem tamen existere nulla ratio ignoras: & speremus à nobis enarrari posse Spiritum sanctum, quem ratio, nisi fidei lumine, attingere non potest? Monuit Hilarius lib. 4. de Trin. *Verbis Dei de Deo utere.* Et lib. 5. *A Deo discendum est, quid de Deo intelligendum sit.* Christus divinâ nos linguâ suâ, & calamo dilecti discipuli Joan. 14. edocuit, Spiritum sanctum à Patre procedere, seu mitti, in suo nomine: *Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet Pater, in nomine meo.* Joannis item 15. docuit à se mitti, id est procedere, à secunda Persona simul & à prima. *Paraclitus, quem ego mittam vobis, à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Gratias tibi æternas, Verbum Patris, lumen de lumine, oriens ex alto, sapientia incarnata, quæ nobis hanc summi mysterii fidem infudisti, & eam pro fundamento Ecclesiæ tuæ posuisti. *Est enim*, ut inquit Origenes hom. 9. in Exod *fides Trinitatis funiculus triplex, qui non rumpitur: ex qua fide dependet, & quâ sustinetur, Ecclesia.*

VIII. Per voluntatem, & amorem.

8. Scimus Spiritum sanctum tertiam esse Personam, & à Patre Filioque simul procedere: at modum ineffabilis istius processionis, quâ ratione explicemus? Dicamus tamen, Spiritu ipso sancto per Ecclesiam suam, quam gubernat & animat, prælucente ac præeunte. Itaque Deus Pater, ex necessaria intelligentissimæ naturæ divinæ conditione, intuens ab æterno semetipsum & intelligens; Verbum producit, id est intelligentiæ suæ suique ipsius imaginem: quemadmodùm & nos, si quando nosmetipsos cogitamus, & consideramus, imaginem nostri in mentibus nostris exprimimus. Sed imago illa nostra, & verbum mentis, accidens in nobis est: Verbum autem divinum accidens esse non potest, quia Deus mutari nequit. Est ergo substantiale quidpiam. Substantiale verò in Deo nihil est, nisi Persona, & Natura. Verbum autem de se natura non est: quia procedit à Patre, & producitur; productum verò distinguitur à producente, & natura non distinguitur à Patre. Est ergo Verbum Persona à Patre producta: ea Persona dicitur generata, vocatur Filius, quia procedit per intellectionem, quæ generationis instar simile producit. Eadem Persona Deus est æqualis Patri, eamdem naturam habens quam Pater, per omnia Patri similis, præterquam quòd Paternitatem, quâ sola ab illo distinguitur, non habeat. Jam ex Personæ, æterno ac mutuo perfectionis infinitæ intuitu, non amare inter sese non possunt. Quia verò eamdem habent naturam, eamdem voluntatem, eamdem perfectionem infinitam, vimque amoris producendi: idcirco simul uno principio tertiam Personam producunt. Ea Persona amor est, isque substantialis: neque enim est accidens in Deo. Distinguitur à Patre & Filio, quia ab utroque procedit. Deus est, quia in Deo nihil est, quod Deus non sit. Igitur Amor iste productus tertia Persona est, Deus æqualis Patri ac Filio.

IX. Symbolica Spiritûs S. nomina amorem significant.

9. Spiritus sanctus, quo inspirante Apostoli idiotæ locuti sunt magnalia Dei, & tota Trinitas ineffabilis, ignoscat infantiæ meæ, si quid de arcana ejus & æterna productione dicere conatus sum: ut ea illius intelligentia, qualem capere & dare queo, faciliùs quæstionem de ejus nomine dissolverem. Inde enim vera pendet, tum illius, tum cæterorum omnium, ratio. Genera nominum duo Spiritui sancto tribuuntur, propria alia, alia symbolica: eaque omnia in piissimo juxtà ac doctissimo hymno, *Veni creator Spiritus*, comprehensa. Quem hymnum ab Divo Ambrosio, ut ferunt, & Breviaria olim annotabant, compositum, Ecclesia, & usus Sanctorum omnium suum fecit. Symbolica nomina sunt, *Paracletus, Fons vivus, Ignis, Spiritalis unctio, Digitus paternæ dexteræ.* Paracleti nomen à Christo est, ut ostendimus, ideò datum, quia Spiritus sanctus est amor: ex amore autem veræ, ac solidæ, consolationes proficiscuntur. Fontis vivi appellatio etiam à Christo est, qui Joan. 7. in die magno festivitatis stabat, & dicebat, *Qui sitit, veniat ad me, & bibat, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*: id est, *de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Quomodò enim fons aquæ vivæ inexhaustus est scaturigine perpetuâ, novisque semper liquoribus profluit: eumdem in modum Spiritûs sancti amor, aliis atque aliis beneficiis sese in Christianas mentes effundit, numquam desiturâ largitate. Ignis appellationem itidem à Christo accepimus, apud Lucam cap. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Et verò quemadmodùm ignis calet, agit, viget, lucet: ita Spiritus sanctus, quia divinus amor est, animos vegetat, calefacit, illuminat, ad agendum & operandum excitat. Unctionem spiritalem nominamus, præeunte dilecto discipulo 1. 2. *Unctio ejus docet nos.* Unguenta enim, & olea, igneæ licèt naturæ, suavia tamen sunt, & latè funduntur, adhibenturque doloribus leniendis: sic spiritalis unctio sese ad omnia Ecclesiæ membra protendit, & suavitatis suæ lenimento dolorum, qui vitam mortalem intercurrunt, acerbitatem mitigat. Digitum paternæ dexteræ Christus appellavit Luc. 11. *In digito Dei ejicio dæmonia*, id est, ut Matthæus habet cap. 12. *in Spiritu Dei.* Cujus appellationis ratio est, ut ait August. lib. 2. quæst. Evang. quæst. 17. *Propter partitionem donorum, quæ in eo dantur*, utique ex amore. *In nullis enim membris nostris magis apparet partitio, quàm in digitis.* Digitum illum septiformem munere dicimus, ex Isaiæ vaticinio, c. 11. recensentis septem munera, quibus profusus Spiritûs sancti amor Christum cumulavit, Christianos tam sancto capite dignos ornavit.

X. Propria itidem ejus nomina.

10. Vides symbolicorum omnium nominum, quæ Spiritui sancto tribuuntur, rationem ab amore petendam. Eadem propriorum caussa est, quæ ad ternarium contrahimus, *Spiritus, Caritas, Donum Dei.* Cur autem ista tertiæ Personæ propria sint, eximiè disputat Angelicus Doctor 1. part. quæst. 36. 37. 38. Donum, inquit, dici quidem potuit secunda Persona: at non tam aptè; quia Verbum intellectione procedit, quâ formantur imagines; Spiritus sanctus voluntate, cujus est dona effundere, producitur. Ista etiam divinæ Processionis ratio appellationem Caritatis, & Amoris, tertiæ Personæ convenientissimè tribuit. Spiritûs sancti nomen ex eodem fonte profluxit; quia, inquit sanctus Doctor, *nomen Spiritûs in rebus corporeis impulsionem quamdam, & motionem, significare videtur. Est autem proprium amoris, ut moveat, & impellat voluntatem amantis in amatum.* Vide q. 36. art. 1. in corp.

XI. Quo pacto

11. Alteram hinc habemus difficultatis à nobis propositæ solutionem: quâ paullulum extendendâ

familiarem

tertia Persona Spiritus dicatur?

familiarem magis, ac pedestrem sermonem, alidoribus istis transcursis, licebit instituere. Quando desiderio vehementi rem quampiam appetimus, ferri in illam dicimur: quia voluntas nostra extra se velut prosilit, ac rapitur, ut in illa conquiescat. *Animus* enim, ex vulgari verbo, *magis est, ubi amat, quàm ubi animat*. Nonne Davidis mens magis in tabernaculo fuit, quàm in palatio, quando flameæ illæ voces ex ejus ore prorupêre: *Concupiscit, & deficit anima mea, in atria Domini?* Nonne animus Prodigi in paternis potiùs ædibus, quàm in herili hara versabatur, cùm dixit: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus?* Nonne Paullus, ipsiusque similes Christiani, *primitias Spiritûs habentes*, & intra semetipsos gementes, dum adoptionem filiorum Dei exspectant, conversatione ampliùs in cælis fuêre, quàm in terris? Præterea, cum ardenter desideramus, atque amamus, gemitus interdum, ac suspiria, velut nuntii quidam voluntatis, amorisque testes, erumpunt. Exit itaque à seipso amor, exspiratque, & suspiratur: & eam ob rem Spiritûs appellatio tertiæ Personæ data est; quia Patris & Filii mutuus amor est, & ab utroque procedit, ac spiratur, velut amborum, pariter amantium, ac simul spirantium, commune suspirium.

XII. Est anima & spiritus Universi.

12. Accedit tertia istius nominis ratio, ex humanæ animæ appellatione; quæ *spiraculum vitæ* in ipsa creatione dicta est, & alibi frequenter in Scripturis spiritus nominatur. Atqui Spiritus sanctus tum Universi, tum Ecclesiæ, tum animarum nostrarum anima est: atque adeò, vel ob hanc caussam, meritò Spiritus dicitur. Amore creavit Deus universa, amore conservavit: Spiritus autem sanctus est amor. Itaque creavit omnia *creator Spiritus*: conservat omnia *Spiritus Domini*, qui *replet orbem terrarum, & continet omnia*. Neque obscurè in ipsa divina creationis historia, opus Spiritûs sancti, quemadmodùm & aliarum Personarum, indicatum multi existimant. *In principio*, id est in Verbo, inquit August. l. 1. de Gen. ad lit. *creavit Deus* Pater *cælum, & terram: terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Dei ferebatur super aquas*. Hebraicè pro, *ferebatur*, habemus *merachepheth*, quod, Hieronymo teste, est *calore fovere*: eamque explicationem August. lib. 1. de Gen. ad lit. c. 18. secutus est, etsi lib. 1. de Gen. con. Man. putat dici, Spiritum Dei ferri super aquas, *uti operi suo superfertur voluntas artificis*. Fovet igitur amoris sui calore res creatas Spiritus sanctus, & vegetat, quomodò fœtus suos columbula. Quid autem si dixerimus, ex eo Geneseos loco manâsse profanorum philosophorum de anima Universi sententiam? Eò certè respexisse Latinum poëtam Æne. 6. non ambigo:

> *Principio cælum, ac terras, camposque liquentes,*
> *Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra,*
> *Spiritus intus alit, totamque infusa per artus*
> *Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

XIII. Est anima Ecclesiæ.

13. Quid si illuc etiam spectavit Ecclesia, cùm præscripsit, credendum nobis esse *in Spiritum sanctum, Dominum, & vivificantem?* Quamquam vivificationem istam malim de Ecclesiæ vegetatione interpretari, cujus anima Spiritus sanctus est. Mox idcirco subjicitur, *Et in unam... Ecclesiam*: quemadmodùm in Apostolico symbolo recitantur consequenter articuli duo, *Credo in Spiritum sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam*, &c. ut anima corpori conjuncta significetur, Spiritus sanctus sanctificatæ Ecclesiæ. Pentecostes die illuc descendit, ubi erat Petrus, Apostolorum caput, cum Ecclesia reliqua, & MARIA Matre JESU. Deinceps, eumdem in modum, omnia Ecclesiæ membra vegetavit: in Pontificibus populos moderatus, in Doctoribus instruxit ignaros, in Martyribus hostes superavit, in Ecclesiasticis aluit pietatem, in conjugibus fovit concordiam, in virginibus continentiam coluit. Hæc omnia operatus est unus, atque idem, Spiritus, sicut eadem in variis membris anima: quomodò eleganter dicunt August. serm. 186. de temp. & D. Thomas 1. 2. q. 183. art. 2. Nec Christianorum quisquam animationis istius divinæ exsors est, nisi quem ab Ecclesiæ corpore prava voluntas separârit, vel in Ecclesiæ corpore iners membrum effecerit.

XIV. Et Christianorum singulorum.

14. Enimvero Spiritus sanctus non tantùm modò Ecclesiæ, sed singulorum Christianorum anima est; &, sine illius numine, nihil est in homine. Mortuorum suscitationem, invocato in illos à quatuor orbis partibus spiritu, eloquenter describit Ezechiel cap. 37. Præsignificatum eo viso regnum Judaicum, post bella revivifcens, non nescio. Sed neque illud ignoro, commodissimè eâ figurâ pingi miram spiritalium mortuorum suscitationem. Specta corpus animatum: mox idem, animâ destitutum, intuêre. Quàm sibi utrumque dissimile? Quanta speciei, actionisque, mutatio? Illud, homo est: istud, non homo, sed *statua hominis titulo incisa*, ut Tertullianus loquitur. Jam oculos ad animam reflecte, Spiritu vivificante vegetatam, paullò pòst eodem destitutam. Hoc miserrimo statu, mens, quantumvis vivida, statua potius animæ, quàm anima est: vitale nihil ad æternitatem intelligere potest, aut velle: os habet, & non loquitur; oculos habet, nec videt. At ubi venerit Spiritus, qui ubi vult spirat, & à quatuor ventis congregabit electos suos; ubi ille venerit, & insufflaverit super interfectos, protinus cadavera exsurgent in pedes, & stabunt exercitus grandis nimis valdè.

XV. Spiritu nostro vacuemur, ut impleamur Spiritu Dei.

15. Corporibus antè dispositis infunditur anima, vel refunditur: animabus antè præparatis Spiritus sanctus sese communicat. Adverto, in Actorum Apostolicorum historia, alios, dum orant, Spiritu sancto impleri; alios, dum sacramenta impositione manuum accipiunt; alios, dum verbum Dei audiunt. Bonis operibus mens Christiana disponenda est, ut Spiritûs sancti plenitudine cumuletur. Cavendum inprimis, ne quid contrarii in nobis Spiritûs tyrannidem occupet. Neque enim idem corpus animabus binis vegetari potest: neque eadem anima duobus spiritibus regi. B. Jordanes D. Dominici successor, à suis rogatus, ut die Pentecostes, æger licèt, quidpiam ad illos diceret: allatâ primùm poculi similitudine, quod, vino implendum, aquâ vacuatur: *Hodie*, inquit, *Apostoli repleti sunt Spiritu sancto, quia evacuati sunt spiritu suo. Vade & tu, fac similiter*. Monitum idem sectione proximè præcedente ex D. Gregorio adduximus, numero tertio. Effunde spiritum tuum, Christiane, privatum illum, honoris tui & commodorum nimis amantem, ut amoris divini Spiritu compleаris.

SECTIO QUARTA.

Cur Spiritus sanctus venerit ad Apostolos ut spiritus vehemens?

I. Ternæ Spiritûs sancti figuræ, in his columba.

1. NOMINIS Spiritui sancto inditi ratio tertia esse potuerat, à venti similitudine. Sed quia longiùs processisset, quàm pro modulo sectionis, huc illam servavimus. Figuris tribus indicari sese Spiritus sanctus in Scripturis voluit, columbâ, igne igneisve linguis, & spiritu vehementi. Linguarum ignitarum mysteria evolvimus sectione 2. De columbæ figura meliùs dici vix potest, quàm Cypriani verbis, lib. de unit. Ecclesiæ: *In domo Dei, in Ecclesia Christi, unanimes habitant, concordes & simplices perseverant. Idcirco & in columba venit Spiritus sanctus. Simplex animal, & latum est; non morsibus, non unguium laceratione violentum: hospitia humana diligere, unius domûs consortium nôsse, cùm generant simul filios edere, cùm commeant volatibus invicem cohærere, communi conversatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia unanimitatis implere. Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc caritas obtinenda, ut columbas dilectio fraternitatis imitetur.* Istis Cypriani nihil est, quod addamus, nisi isthæc Augustini lib. quæst. in Matth. quæst. 8. ad illud *simplices sicut columbæ,* quæ totidem fermè verbis repetit tract. 6. in Joan. ubi agit de columba, visa in Christi baptismo: *Hoc genus avis,* inquit, *nullum omnino animalium necat, non solùm grandium, contra quæ vires non habet, sed etiam minutissimorum, quibus etiam perparvi passeres aluntur.*

II. Quomodò illi conveniat figura venti vehementis?

2. Manifesta ergo columbæ cum Spiritu sancto convenientia est: sed quid cum illo similitudinis vento vehementi, qui plerumque in Scripturis aliud omnino significat? Apud Psalmistam venti, & tempestates, ingentium calamitatum symbola sunt. Ventus domui, in qua Jobi familia epulabatur, incumbens dæmonis arte surrexerat, novarum calamitatum minister, ac nuntius. Quid ergo Paracleto, & Deo totius consolationis, cum desolationis symbolo commune est? Eccur, eamdem sibi figuram Spiritus sanctimoniæ & caritatis, quàm odii & peccati spiritus, usurpavit? Ut huic quæstioni satis fiat, responsum dividemus, dicemusque primùm, cur Spiritus tamquam ventus advenerit, deinde, cur tamquam ventus vehemens: & symbolis istis significata inveniemus, cùm nomen & originem Spiritûs sancti, tum maximè necessitatem & efficaciam gratiarum, ab ipso manantium.

III. Similitudo prima ex appellatione.

3. Prima venti ex ipso nomine convenientia est. Advertit D. Thomas 1. p. quæst. 41. art. 3. ad 4. illud in sacris Literis multipliciter sumi: *Quandoque dicitur ventus, quandoque aër, quandoque flatus hominis, quandoque etiam anima, vel quæcumque substantia invisibilis.* Legimus septem spiritus in conspectu throni, id est Angelos; factum hominem in animam viventem, postquam illi inspiravit Deus spiraculum vitæ: Paulli pro Christianis votum, ut eorum spiritus integer servetur, id est mens animi: gratiam cælitus datam ad discretionem spirituum, id est mutuum mentis: nares apertas ad percipiendum spiritum, id est aërem: spiritum procellarum, faciendo verbo Dei creatum: factum sonum spiritûs πνοῆς vehementis: spiritus, id est ventos, angelos seu nuntios Dei esse.

IV. Altera ex origine.

4. Accedit ad appellationis convenientiam congruitas originis. Sciscitare ex Psalmista, & Jeremia, unde venti nascantur; totidem fermè verbis uterque respondebit, ille psalmo 134. hic cap. 10. produci à Deo de thesauris suis. Si philosophorum disputationibus auscultare placuerit, quanta inter illos opinionum varietas? Ut hîc Senecæ phrasin mutare possimus, citiùs inter horologia, quàm inter philosophos, conventurum. Scio equidem, in id fermè conspirare universos, quòd ventus sit aër concitatus, aliquando vi exhalationum ignearum, aliàs vi vaporum aqueorum, interdum utrisque. Afferuntque nonnulli, ad istius sententiæ probationem, experimenta Æoli pilarum: sic pilas æneas vocant, cavas & undique clausas, nisi quòd parvum in medio foramen patet. Eæ, ad labrum usque foraminis, dimidiatæ implentur aqua, & igni superponuntur; qui postquam calore suo aquam rarefecit, & vaporibus pilam opplevit: ii vapores per foramen tantâ vi prorumpunt, ut ventum vehementem, pro pilæ & loci magnitudine, excitent. Ita Cartesius 4. Meteor. Et Palingenius, poëta melior quàm Christianus, narrat, visam à se Romæ, ævo Leonis X. figlinam statuam, ventos eo modo efflantem. Constat ergo, ventorum materiam esse aerem, cum exhalationibus & vaporibus: at unde illa motuum diversitas, & compugnantia? Unde tam multiplices aeris impulsus, nunc lineis rectis, nunc in orbem, nunc sursum, nunc deorsum? Hæret isthic humanum ingenium, & Dei thesauros inscrutabiles, in obviis etiam rebus, indagare non potest. Quid ergo, de abscondita in æternis sæculis Spiritûs sancti origine, audeat philosophari? Facilè quidem dixerimus, Spiritum sanctum à Patre & Filio spirari: velut igneam exhalationem esse Personarum istarum infinitarum, sese invicem ab æterno & necessariò amantium: esse velut vaporem suavissimum, uno Patris & Filii ore impulsum. Ista dicemus, quia docemur à Deo, quia credimus: sed intelligentiam, rationem, visionem, trans vitæ hujus limites ad tempora æterna servare necesse est. Scire jam non licet, quod credimus: latent thesauri, donec gloriæ lumen emicuerit.

V. Comparantur effectus, ac primùm expurgatio.

5. Quidni? Cùm ipsas Spiritûs sancti inspirationes plerumque adeò obscuras esse Christus asseveret, Joan. 3. ut origo illarum deprehendi vix possit. *Spiritus, ubi vult, spirat: & nescis, unde veniat, aut quò vadat.* Itaque, omissâ origine, effecta attendamus; quæ utrimque, & in ventis, & in gratiis Spiritûs sancti, notiora sunt. Ventorum officium est, aëris expurgatio: qui, si perpetuò quietus maneret, fætore cadaverum, aliisque mistorum putribus halitibus inficeretur, & respirantes inficeret. Ideò *lustrans universa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur,* Eccl. 1. Agitatur aër motu ventorum, & morborum contagiosorum materia dissipatur, longeque in Oceanum, quemadmodùm locustæ Ægyptiacæ, aspellitur. O quantum è cadaverosa concupiscentia putredinis exhalaret, quanta contagio de passionum nostrarum corruptione mentes nostras inficeret, nisi lustrans universa in circuitu pergeret Spiritus, & gratiæ suæ motu pestes omnium peccatorum dissiparet. Inde, ex adultero Rege, pœnitens propheta: ex muliere peccatrice, casta & pia Magdalena: ex timido pernegatore, & transfuga, constantissimus Apostolus, & petra Ecclesiæ: ex impudico

concubinario,

concubinario, ſanctus Martyr Bonifacius: ex Manichæo hæretico, Doctor Chriſtianiſſimus Auguſtinus.

VI. Deinde mitigatio æſtus.

6. In æſtu, mitigandis caloribus, aura jucundiſſima eſt. Fatigatus meſſor in umbra mergitum conſidet; laſſus viator jacet ad oram nemoris, & pleno ore apertoque ſinu aſpirantem ventum excipit, illud ſorſitan iterans priſci poëtæ, *Aura veni*: aut, ſi Chriſtianus eſt, Deo, tempeſtatum domino, conditori ventorum, æſtuum temperatori, gratias agens. Ita certè in torridis illis zonis ac regionibus, quas olim ab æſtu nimio inhabitabiles cenſuêre, creatrix & conſervatrix ſapientia flatus & auras opportunas diſpenſat, ut à zonarum temperatarum qualitate & frequentia non longè abeſſe videantur. Quod aura corporibus, hoc Spiritus ſanctus animis facit; *Dulcis* illorum *hoſpes, dulce refrigerium, in labore requies, in æſtu temperies.* Ardent interdum tentationes, urunt quotidianæ peccandi occaſiones, accedunt flammæ converſationum, inſtat calor tribulationum, inflamat ætas, divitiæ, cupiditas: quid anhelus viator æternitatis inter tantos æſtus fecerit? *Ab altitudine diei timebo, ego verò ſperabo in te, Domine*, & dulcem auram, flatum oris tui, invocabo. Eſto, mittar in fornacem accenſam, Babylonicæ inſtar Dan. 3. Producet ibi gratia tua, *quaſi ventum roris flantem.* Nonne Joſeph Patriarcha inter acriores Babylonicis flammas verſabatur, quando pallio amiſſo fugit, & odor ignis non hæſit in illo? Nonne Abraham in *Vr*, id eſt in igne, *Chaldæorum*, Fidelis ſolus inter idololatras manſit, non arſit tamen? Ullâne æſtas æquè torrida fuit, atque domeſticum D. Thomæ Aquinatis incendium: quo tamen uſtulatus magis non eſt, quàm ipſo quem arripuit titione? Quis illæſum inter mundi illecebras, & aulæ delicias, Spiritum ſancti Caſimiri, aliorumque plurimorum, conſervavit, niſi Spiritus ſanctitatis, aura cæleſtis: cujus aſpirante gratiâ, & cooperante voluntate tuâ, quiſquis es, *per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem?*

VII. Item fæcundatio terrarum.

7. Abſque vento foret, vapores, ex Oceano per Solis radios extracti, terris non impluerent; ſed in Oceanum relaberentur. Ne igitur tam neceſſaria, fæcundandis agris, & alendis animalibus, irrigatio pereat, *flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ.* Silva, hortus, *frumentum deſiderat nubes, & nubes ſpargunt lumen ſuum.* Inde decor ſilvarum, honor hortorum, viredo pratorum, opes agrorum, vita hominum, ſalus brutorum. Emittit Deus Spiritum ſuum, & renovatur facies terræ. Audiſti ſponſam Cant. 4. canentem, *Surge Aquilo*, diſcede frigide à ſeptemtrionibus vente: *Veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Quis Auſter eſt? Explicat Gregorius, Moralium in Job lib. 9. cap. 6. *Auſtro veniente, Aquilo ſurgens recedit, cùm adventu Spiritûs ſancti expulſus antiquus hoſtis, quam in torpore mentem conſtrinxerat, deſerit.* Explicat Auguſtinus epiſt. 120. ad Honoratum: *Veni Auſter, inquit, Spiritum invocans gratiæ, flantem à parte fervida & luminoſa.* Meridianus ille ventus, ex lumine & amore æterno, *Spiritus veritatis & caritatis*, perflavit hortum Eccleſiæ: illico *floribus ejus nec roſa, nec lilia defuêre*, nec violæ, nec calthæ, neque heliotropia, neque fæcundiſſimæ caryophyllatæ, nec peregrinæ tulipæ. Fidei lumen, & amoris calorem, inhalavit Chriſtianorum mentibus Spiritus ſanctus: inde innumeri Martyres ſanguine rubuêre, ut roſæ: plurimi ſexûs utriuſque caſtitatis puritate ſplenduêre, ut lilia: humilis viduitas, violarum æmula; ſolitudo monachorum, calthæ ſimilis; obedientia religioſorum, heliotropio adumbrata; fæcunditas caſtorum matrimoniorum, caryophyllatæ inſtar, ſuaveolentiſſimum undique odorem exſpiravêre, & fluxerunt aromata Eccleſiæ. Imò & peregrini flores, ex ultimis uſque terræ finibus, in illius areolas illati, adeò fertiliter propagati ſunt; ut paradiſi terreſtris plantas amænitas cæleſtis horti ſuperaverit, potueritque aliquid cælo de terris novum inferri.

VIII. Denique commerciorum adjumentum.

8. Sed neque iſtud terræ ac cæli commercium fieri, ſine Spiritûs ſancti adminiculo, potuit. Salomonis naves niſi ventus impuliſſet, aut numquam, aut tardiſſimè, veniſſent in Ophir, & illinc opulentiam revexiſſent. Neque hodie tanta inter gentes conjunctio, & communicatio rerum foret, niſi commodi venti vela navigantium implerent. Quis ad paupertina mortalium tuguriola Sapientiam cæleſtem detulit, niſi Spiritus Dei, & virtus Altiſſimi, quæ Virgini obumbravit? Quis gratias curationum, genera linguarum, interpretationes ſermonum, aliaque externa dona, quis interiores animi opes diſperſit, dedit pauperibus, niſi unus & idem Spiritus? Quis meritorum theſauros cumulavit, & fælici negotiatione æterna temporalibus mutare docuit? Quis naves noſtras, fidei, & operum ex fide ac gratia, divitiis onuſtas, in portum ſalutis invehit? *Spiritus tuus bonus*, ô Deus, *deducet nos in terram rectam*: modò illi obſequamur, & ad ejus inſpirationes flectamus obſecundantem clavum voluntatis noſtræ.

IX. Vehementia venti indicat abundantiam gratiarum.

9. Intelligo, inquis, cur Spiritus ſanctus vento adumbratus ſit: at cur vehementi? Quandoquidem Pſalmiſta dicat pſal. 47. *In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis*: & Eliæ 3. Reg. 19. non in commotione viſus ſit Dominus, neque in igne, ſed poſt *ſibilum auræ tenuis*: & Eliphas Themanites, Job c. 4. prophetaturus, audierit *ventum quaſi auræ lenis.* Quâ igitur de cauſâ nunc non in leni flatu venit, non in aura tenui, ſed in vento repentino, ſonoro, vehementi, & qui replevit totam domum, ubi erant ſedentes Apoſtoli? Factum id primùm, ut ſignificaretur, quàm abundanter ſeſe communicaturus eſſet Spiritus Dei toti Eccleſiæ, quæ Apoſtolorum domus eſt. Olim, Synagogæ tempore, *Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen ejus.* Jam verò, Spiritus Domini replevit orbem terrarum: etiam in Gentes gratia Spiritûs ſancti effuſa eſt. Tunc, ſi cui Prophetæ Spiritum ſuum Deus infundebat, mittebatur Jeroſolymam, ut Iſaias, & Jeremias; aut Samariam, ut Oſeas, & Amos: vix temi ad alienigenas miſſi, Jonas Ninivem, Eliſæus Damaſcum, Daniel ad Babylonios Reges. Jam vento vehementi impulſi ſunt Apoſtolici homines ad inſulas longè, trans Oceanum: ſiquidem *in omnem terram exivit ſonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum.* Tunc pauci omnino ſpirituales erant, ad cæleſtia & æterna erectis animis: cæteri ferè in terram proni, & ad temporalia projecti, craſſique, & animales. Jam in omni Chriſtianorum cœtu, gradu, ætate plurimi ſpiritu vivunt, ſpiritu ambulant: ut dicere liceat omni Fidelium generi indiſcriminatim, *Vos qui ſpirituales eſtis.* Numeravêre quidam tres Spiritûs ſancti plenitudines, ſeu repletiones: primam neceſſitatis, ad ſervanda præcepta; alteram abundantiæ, ad conſilia Evangelica; tertiam ſuperabundantiæ,

abundantiæ, ad opera Heroïca. Quantum in Eccleſia gratiarum, præ Synagoga, in omne hominum genus, amabili diluvio inundavit!

X.
Item celeritatem, & fortitudinem.

10. Repentinus ille prætereà, & vehemens, ventus celeres Spiritûs ſancti motus indicabat. Deliberandum certè diu, quod ſemel ſtatuitur, nec temerè ardua, & altioris ordinis opera, aggredienda ſunt. Sed poſtquam benè deliberatum eſt, diu tergiverſari & comperendinare non oportet. *Neſcit* enim, ut Ambroſius aiebat, *tarda molimina Spiritûs ſancti gratia*. Vividius amore & vegetius nihil: alatus eſt, evolatque ſuper pennas ventorum, procraſtinationes omnes ac moras exoſus. *Ne dicas amico tuo*, inquit Sapiens Prov. 3. *vade, & cras dabo tibi, cùm ſtatim poſſis dare.* Denique, eâ potiſſimùm vehementiâ ſignificatur fortitudo, quam Spiritus ſanctus, ad omnes gloriæ divinæ, & boni noſtri ſpiritualis obices perrumpendos, impertiri conſuevit. Eam fortitudinem flagitabat Propheta pœnitens pſ. 50. quando, poſt flagitatum cor mundum, ſpiritum rectum, ſpiritum ſanctum, lætitiam ſalutaris, ſubjunxit, *Spiritu principali confirma me*: id eſt regio, generoſo, excelſo ſpiritu me robora, ut malas conſuetudines, pravos affectus, timores nocturnos diſſipem, & conſtanter tibi deinceps, ſuperatis impedimentis omnibus, ſerviam. De eo forſan loquebatur Iſaias c. 25. *Spiritus robuſtorum quaſi turbo impellens parietem*; proturbans quidquid obſiſtit, non cedros modò Libani, & quercus, ſed etiam obices murorum & turrium. Apertiùs cap. 11. *Spiritus conſilii, intellectûs, ſapientiæ* adjungit ſpiritum *fortitudinis*. Fruſtra enim ſapientia, intelligentia, conſilia; ſi fortitudo, ad exequenda intellecta & conſulta, deficiat. Eo Spiritu excelluêre heroicæ illæ mentes ſervorum Dei, majorum noſtrorum, quibus nihil durum fuit, nihil difficile, ubi de Dei obſequio agebatur: judicia, verba, damna, mortem, in fidei virtutiſque cauſſâ, nihili fecêre: omnibuſque terroribus ſuperiores, & ſeipſis fortiores, dixêre cum Paullo, *Omnia poſſum, in eo, qui me confortat.*

XI.
Accepimuſne Spiritum ſanctum?

11. Act. 19. Paullus, Epheſi catechumenos circiter duodecim nactus, ab illis petit, *Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes?* Idem nunc à Chriſtianis hodiernis petierit: accepiſtiſne Spiritum ſanctum? Expurgavit ſine dubio vos ventus ille cæleſtis, ſolenni Pentecoſtes die, & cor mundum creavit in vobis. Quis enim Fidelium conſcientiam ſuam, ut habitaculum Dei fiat, per hoc indulgentiæ tempus non emundet? Simul refrigerium fecit adversùs cupiditatum æſtus; mentes ad opera virtutum producenda rore cæleſti fœcundavit; voluntates proſpero flatu impulit ad commercia cæleſtium meritorum. Accepiſtis ergo Spiritum ſanctum, quantum neceſſe eſt, ut ventum ſecundum, faventemque auram: ſed numquid, ut vehementem? Numquid abundantem bonis, velocem ad recta, adversùs omnes virtutum obices fortem? Numerant aliqui, ut modò dicebamus, tres Spiritûs ſancti plenitudines. Ad quamvis illarum, Spiritus ſanctus, ſicut ſpiritus vehemens adveniat, neceſſe eſt. Non heroïca modò opera ſine fortitudine non patrantur, nec conſilia ſervantur; ſed nec præceptis obeditur. Itaque uno omnes ore, per ſacras haſce præſertim ferias, cum Eccleſia inclamemus, *Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda Fidelium.*

SECTIO QUINTA.

Cur Spiritus ſanctus appelletur ſanctus?

I.
Reverentia & fiducia Deo debita.

1. IN Senecæ controverſiis l. 6. Varius Geminus, apud Auguſtum declamans, ſic cæpiſſe narratur: *Cæſar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant; qui non audent, humanitatem.* Excepta fuêre cum applauſu verba, & ad poſteritatem tranſmiſſa: unde, velut ex tenuis umbræ lineis, diſcere liceat, quâ cum reverentiâ ſimul, ac fiduciâ, coram Deo, & de Deo, dicere debeamus; quando exilis Regum majeſtas tantam venerationem exegit, exigua bonitas atque affabilitas tantam fiduciam dedit. Argumentum enim hic ingredimur profundum, imperſcrutabile, impervium: ubi primùm diſpiciamus, quomodò paullatim Deus homines Trinitatis myſterio cognoſcendo præparârit: deinde, cur tertiæ potiſſimùm Perſonæ ſanctitatis elogium tribuatur? Altitudinem myſteriorum metienti, de illis dicere, videatur forſan maleſana temeritas. At contrà benignitatem divinam attendenti, ſilere, judicabitur injurioſa timiditas. Nam ne ipſa quidem balbuties infantium Deo ingrata eſt, qui obſequiorum noſtrorum pretia non facultate expendit, ſed voluntate. Loquamur ergo reverenter, balbutiamus fidenter, de Deo Maximo, & Optimo: cui reverentia debetur, quia Maximo; fiducia, quia Optimo.

II.
Trinitas initio Scripturæ adumbrata.

2. Cùm æternus Pater per Filium unigenitum nobis myſterium auguſtiſſimæ Trinitatis aperire ſtatuiſſet: ut ad ejus fidem ſuaviter velut manuduceret humani intellectûs imbecillitatem, in antiqui Teſtamenti literis varia impreſſit veritatis, poſtmodùm manifeſtandæ, veſtigia. Quinque omnino locos illuſtriores ſeligemus de multis. Primus ſit ipſum Scripturæ initium, ubi habetur, *In principio creavit Deus*, Hebraicè *Bara Elohim.* Elohim autem eſt numeri pluralis ab Eloha ſingulari. Vides pluralis numeri nomen cum verbo, actioneque ſingulari conjunctum: ut vel ſic Chriſtianæ, de trino & uno Deo, doctrinæ ſemina quæpiam præjacerentur. Illis adde ſequentia, de quibus aliquid diximus ſect. 3. nu. 12. *In principio creavit Deus cælum, & terram .... & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Audis, in ea ſententia, Deum creatorem, audis & Spiritum Dei, aquis fœcundandis incubantem: en Perſonam Patris, & Spiritûs ſancti. Supereſt Perſona Trinitatis ſecunda, quam vox Principii apud Auguſtinum, & alios non obſcurè ſignificare videtur, præſertim ſi cum Evangelico illo exordio conferatur, *In principio erat Verbum.* Et verò cùm Deus res creare voluerit, ex profuſione bonitatis ſuæ & amoris, unde & Heſiodus amorem dicebat rerum omnium eſſe principium; cùm ſapientiâ rerum creandarum modos, & differentias, diſpoſuerit; cùm potentiâ res diſpoſitas produxerit: in potentia Patrem habemus, principium ſine principio; in ſapientia Filium, partum divinæ mentis; in amore Spiritum ſanctum, utriuſque Perſonæ nexum ac Perſonam tertiam. Hinc forſan, ut alia ex Scripturis multa, hauſêre Platonici, & in iis Porphyrius apud Aug. l. 10. de Civit. cap. 29. *Quaſi per quædam tenuis imaginationis umbracula*, obſcuram Trinitatis notitiam: cùm prædicarent *Patrem; & ejus Filium, paternum intellectum ſeu mentem; & horum Medium.*

3. Quamquam

III. Et in hominis creatione.

3. Quamquam aliquam illius mysterii cognitionem accipere faciliùs potuêre ex verbis, quibus Deus homini creando usus est. *Dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem, ac similitudinem nostram.* Primùm, istud, *Faciamus*, quo aliis rebus creandis Deus usus non est, hominem præstantiorem multò cæteris corporibus fore significat; ideoque cum quadam velut consultatione ad ejus productionem accedi. Ita Greg. 9. Mor. c. 27. *Ut quia rationalis natura condebatur, quasi cum consilio facta videretur.* Deinde, ex omnium Patrum sententia, apertè significatur mysterium sanctissimæ Trinitatis: cùm Deus dicat, *Faciamus*, in plurali numero, non *faciam* in singulari, aut *faciamus* in duali: &, quò magis pluralitas exprimatur, addat, *ad similitudinem nostram*, non ad similitudinem *meam*. Unum pro omnibus audiamus Rupertum, l. 2. de Trinitate & operibus ejus. Postquam quæsiit, cur Deus vocem mutârit? *An parùm*, inquit, *tibi videtur consilium sanctæ Trinitatis his paucis dictiunculis esse significatum? Magnum planè consilium, in illo sapientiæ concilio, in illo talium personarum, Patris, Filii, & Spiritus sancti, non tam Senatu, quàm Soliloquio venerando, de nobis peccatoribus habitum est.* Deinde subjicit, quomodò Pater susceperit condendam naturam humanam, Filius redimendam, Spiritus sanctus sanctificandam & glorificandam. Denique sic concludit: *Laus sapientiæ Creatoris, honor gratiæ Liberatoris, gratiarum actio potentiæ Illuminatoris, adoratio uni indivisæ creatrici, liberatrici, & gubernatrici omnium Trinitati.*

IV. Imago Trinitatis in homine.

4. Petat hîc aliquis, cur Deus potissimùm in hominis creatione Trinitatis arcanum indicatum voluerit: cùm ejusdem non obscura vestigia in cæteris præterea corporeis rebus, nedum in spiritibus, atque intelligentiis immaterialibus impressa sint? In cælis & elementis tria sunt, materia, forma, unio: in Sole, ac stellis totidem, lux, calor, influentiæ: in mistis omnibus agnoscunt chymici salem, phlegma aquámve, & spiritum sive vim igneam atque aeream, in quæ per ignem resolvuntur. Cur ergo potissimùm significata Trinitas in homine creando? Quia expressissimam Trinitatis figuram exhibet homo; tum externam, corpore ac sensibus, quibus eadem insunt quæ corporibus cæteris; tantò tamen excellentiùs, quantò illud cæteris præstat: tum maximè internam, potentiis animæ rationalis, & earum actibus. Fusè similitudines istas exsequitur Augustinus libris de Trinitate: pauca hîc annoto. Prima similitudo est in mente humana, fæcundâ, ut Pater; quæ suimet cognitionem producat, ut Filium; & se, suamque cognitionem amet, quomodò Spiritus S. amor est Patris ac Filii. Si notitia, inquit lib. 9. de Trin. plena sit, & amor proportionatus, omnia sunt æqualia, & sunt invicem in seipsis. Notio, & amor, est in mente: amor, & mens, in notitia: mens, & notitia, in amore. Novi enim me, & amorem: amo me, & notitiam. Quam similitudinem breviùs expressit lib. 11. de Civit. cap. 26. *Et sumus*, inquit, *& nos esse novimus, & nostrum esse ac nosse diligimus.* Altera figura vulgaris in animæ potentiis tribus posita est, quæ unam animam faciunt, æquales sunt, sese invicem complectuntur: *Intelligo* enim, inquit in fine lib. 10. de Trinit. *intellectum meum, memoriam, voluntatem: memini memoriæ, intellectûs, voluntatis: volo voluntatem, intellectum, memoriam.* Eamdem figuram videre poteris luculentè expositam apud Bern. serm. 11. in Cant. Ubi postquam defectus humanarum potentiarum retulit, fallacitatem intellectûs, memoriæ obliviones, perturbationes voluntatis: *O beata*, inquit, *& beatificans Trinitas, ad te mea misera trinitas miserabiliter suspirat, quoniam a te infeliciter exulat.* Nobis satis fuerit isthæc indicâsse.

V. Abrahamo Trinitas ostensa.

5. Quod hominis anima nobis exhibuit, idem *Angeli* tres significavêre Genesis c. 18. Abrahamo Fidelium parenti, ut Patres omnes exponunt, & historia ipsa loquitur. Sedenti enim sub ilice Mambre, visi sunt tres viri, quos primùm quidem velut peregrinos hospitaliter de more excepit: deinde pro viris sanctis, & vatibus divinis habuit, cùm de prole nascitura dixerunt: ad extremum tamen agnovit Angelos, figuram Dei præferentes, quando *dixit Dominus, Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum, cùm futurus sit in gentem magnam, & robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ?* Illos nihilominus, ut plures numquam allocutus est: sive unum tantùm alloqueretur, qui excellentius aliquid aliis præferre videretur, ut censet Chrysostomus: sive tres simul compellaret, & adoraret, unius instar, unde nata est celeberrima illa, & pervulgatissima sententia, *Tres vidit, & unum adoravit.* Certè constat, non sine maximo mysterio, tres omnino Angelos prænuntiatum venisse de nativitate Isaaci, & benedicendis omnibus in Abrahamo nationibus terræ: quam reparationem generis humani operatura erat singulariter augustissima Trinitas.

VI. Mosi indicata.

6. Figura ejus quarta Mosi indicata est Exodi 3. ubi Angelus, Dei legatus, etsi unicus foret, rogatus tamen nomen suum respondit: *Ego sum qui sum .... qui est misit me ad vos.* Quo loco ter repetitur verbum substantivum, eodem prorsus tempore, & modò Hebraïcè: ter eædem prorsus literæ scribuntur יה יה יה ad mysticam scilicet Essentiæ ejusdem divinæ, in Personarum Trinitate subsistentis, significationem. Ex eodem loco prisci Hebræi hauserunt morem suum, nominis ineffabilis describendi tribus Jod, circulo unico inclusis: circulo divinitatem, tribus literis Personas tres exhibentibus. Ob eamdem caussam, ineffabili nomini exprimendo, sacerdotes summi, teste Rambam Doctore perplexorum, magni inter Rabbinos nominis, tres digitos medios extendebant; in typum benedictionis, post adventum Messiæ, *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti* impertiendæ: adumbratæ item per Psalmistam ps. 66. his verbis: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Ubi ter repetitum est nomen *Deus*, & secundæ repetitioni additur *noster*; ut secunda Persona indicari videatur, quia sese singulariter incarnatione nostram fecit, hominem induendo. Nec prætermittenda inscriptio Chaldaica in monte Horeb, apud Kirkerum Prodromi Coptici cap. 8. desumpta etiam, ut apparet, ex eo Exodi loco. Scribitur enim nomen ineffabile tribus Jod Chaldaicis, quorum singula circulum infernè habent, medio autem circulus duplex est. Tria Jod Trinitatem, circulus infernè æqualis eamdem divinitatem, duplex in uno circulus duplicem in secunda Persona naturam significat.

VII. Isaiæ declarata.

7. Non omnibus ista Trinitatis figura obvia est. Longè illustrior, & aspectui omnium exposita, propiùs ad lucem Evangelicam accedenti Evangelico Prophetæ Isaiæ, cap. 6. Apparet

Dominus

Dominus sedens super solium excelsum, & elevatum, oris vestimenti per Templum defluentibus. Circumstant Seraphini, igneum amorem spirantes, senis alis vestiti, quarum binis vultum, binis item pedes velabant venerationis ergò: binas agitabant, volantium instar, magis tamen ardori ventilando, quàm volando. Pleno interim caritatis pectore, divinum hoc carmen continenter iterabant: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth: plena est omnis terra gloriâ ejus.* Auditis, Christiani, Seraphinorum cæleste canticum, seu, ut loquitur Cyr. Hieros. Catech. 5. Seraphicam Theologiam, annis septingentis antè ab Isaia exceptam, & exscriptam, quàm Christus apertè Trinitatis mysterium docuerit? Semel *Dominus* canunt, semel *Deus*, ter *sanctus*: ut illo nomine unitatem essentiæ prædicent, hoc æqualium Personarum Trinitatem. Ita Patres intellexêre, Damascenus inprimis luculentè istud trisagion interpretatus: ita ipsa Christi Ecclesia exposuit, in Synodo quinta Generali, Constantinopolitanâ secundâ, eâque sententiâ quotidie, in proxima ad sacrum præparatione, repetendum à mystis curat, conjuncto cum Seraphinis concentu.

VIII. Cur Seraphini Deum sanctum appellant?

8. Eccur nam autem, de tot immensæ divinitatis titulis ac laudibus, istud potissimùm sancti encomium à Seraphinis accinitur? Quidni veracem, sapientem, justum, misericordem, benignum deprædicant? Maximè cum hæ laudes illam antecedere videantur, quantum saltem nobis de summo Numine imbecillâ intelligentiâ concipere licet, divina de humanis æstimando. Apud homines enim veritas, sapientia, benignitas, justitia antè habenda sunt, quàm quis sanctus pronuntiari possit. Deinde sanctitas de se otiosum aliquid significare, solamque à malo abstinentiam innuere videtur. Ut quid igitur hanc præcipuè laudem Deo accinuêre Seraphini? Quia non nescivère, quantum ipsi præ cæteris placeat. Sic Ambrosium censuisse comperio lib. de Spiritu sancto cap 18. *Nihil pretiosius invenimus, quo Deum prædicare possimus, nisi, ut sanctum appellemus.* Eamdem ob caussam Dionysius c. 13. de divinis nominibus monuit, ut sanctitatis nomen, tamquam pretiosissimum, Deo consecretur. Quid, quòd Christus ipse ante omnia Deum, à nobis rogari vult, ut nomen ejus sanctificetur, id est sanctum prædicetur, ἁγιασθήτω? Eo enim ipso, quòd Deus dicitur sanctus, non mali dumtaxat omnis expers esse, sed boni omnis compos esse intelligitur. Quam bonitatem experta pia vidua canebat 1. Reg. 2. *Non est sanctus, ut est Dominus.* Neque aliam ob caussam Angelus Gabriel Danielis cap. 9. incarnando Filio Dei eamdem de tot aliis præcipuè appellationem dedit: *Donec impleatur visio, ac prophetia, & ungatur sanctus sanctorum.* Quem titulum idem Angelus Virgini repetiit Luc 1. *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei. Simpliciter & sine additamento sanctum dixit*, inquit Bern. homil. 4. in Missus, *quia non habuit quid propriè, digneque nominaret, illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod ex purissima Virginis carne, cum sua anima, unico Patris erat uniendum:* Quin & ipsi dæmones Mar. 1. & Luc. 4. nil habuerunt illustrius, quod de Christo dicerent, quàm, *Scio qui sis, sanctus Dei.*

IX. Spiritus S. cur sanctus?

9. Cùm ita sit: quam ergo ob caussam, quod divinitati in se competit encomium; quod tribus pariter Personis in hymno trisagio tribuitur; quod à prophetis & Angelis incarnato Verbo nominatim assignatur: cur istud, inquam, tamen encomium tertiæ Personæ velut proprium addicitur, ut Spiritum sanctum nominemus? Difficultas eadem est, ac de nomine *Paraclitus*, & *Spiritus*: eadem fermè difficultatis solutio. Primùm itaque Spiritus sanctus non per intellectum procedit, sed per voluntatem: ideoque sanctus dicitur, quia vera sanctitas non ab intellectu, sed à voluntate est. Intellige de divinis rebus altissima, & loquere magnalia Dei, ut die Pentecostes Apostoli. ascende cum Paullo ad tertium cælum, & augustissimæ Trinitatis solium, si licet, contuêre: divinas cum Seraphinis laudes modulare, & laudum ac modulationum sacrarum tibi socios adscisce: potenti eloquentiâ & persuasibilibus verbis alios ad virtutem impelle: nondum tamen sanctus es. Ama, quod nôsti; desidera, quod concinis; velis seriò, quod loqueris, & suades: jam tamdem sanctus es. Neque enim in loquendo, & intelligendo; sed in volendo, & agendo, sanctimonia est.

X. Altera ratio.

10. Prætereà, Spiritus sanctus ex voluntate procedit per amorem, estque amor Patris & Filii; optimarum Personarum amor optimus. Meritò igitur sanctus dicitur: quia ex amore principium sanctitas ducit; & qualia sunt quæ amamus, tales & sumus. *Neque enim faciunt bonos, vel malos mores; nisi boni, vel mali amores.* Malúsne est amor tuus, quia in rem illicitam, aut modo ac viâ vetitâ, fertur? Malos mores habes, quia malos amores: sanctus non es. Amat Absalon honorem non suum: amat suum Saül, sed immoderatè, ideoque Davidi invidet: malus uterque est, quia malum, & malè amat. Diligit David decorem domûs Dei, impenditque se ac superimpendit reparandæ, quam per peccatum violârat, divinæ gloriæ: bonus est, sanctus est, quia sancta & sanctè amat. Ita sanctus verè, & sanctissimus Spiritus, tertia Persona quia spiratur per amorem, & nil, nisi sanctissimarum Personarum amorem, spirat.

IX. Tertia ratio.

11. Denique, dona Dei ex amore proficiscuntur, ideoque eorum partitio assignatur Spiritui sancto, amori Patris & Filii, qui etiam idcirco dicitur Donum. Atqui nullum ex donis, cælitus humano generi collatis, sanctitate majus est, eoque cætera spectant: *Voluntas enim Dei est sanctificatio nostra.* Dic supplex Deo, cum Psalmista: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Cùm dederit Deus spiritum sanctitatis, eâdem operâ dederit spiritum principalem, generosum, nobilem, ad alta & æterna tendentem. Dic, *Cor mundum crea in me, Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis:* invoca & flagita Spiritum Dei, qui, apud Sapientem, est *mundus, incoinquinatus, certus, suavis, stabilis.* Si sanctimoniam obtinueris, simul omnia isthæc habueris: sanctimonia enim, ipsissima rectitudo, mundities, securitas, suavitas, stabilitas est.

XII. Christiani sancti.

12. Notat Baronius anno Christi 43. varias olim appellationes Christianis impositas: primùm discipulos dictos; Antiochiæ ortum Christianorum nomen; Fratres prætereà, Fideles, Credentes vocitari solitos, ut ex epistolis Apostolicis manifestum est. Inde etiam constat, sanctos frequentissimè appellatos, ut Rom. 1. 1. Cor. 1. 2. Cor. 1. Eph. 1. &c. Imò, in ipso Apostolorum symbolo, Christiani aliam, quàm Sanctorum, appellationem non habent. Postquam

enim,

enim, quæ de tribus Trinitatis Personis credenda sunt, proposuit, mox subdit, *Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem*: id est, Credo Ecclesiam Catholicam, quæ est communio, sive communicatio, & conjunctio Sanctorum, seu Christianorum; qui à Christo, capite suo, Spiritum sanctitatis acceperunt, aut accepisse debuerunt per Spiritum sanctum, qui datus est ipsis: eoque fine sancti nominantur, ut, vel hinc, commonefiant, quid sint, vel quid eos esse oporteat. *Sancti estote, quia ego sanctus sum*, 1. Pet. 1. ex Lev. 11.

XIII. Sanctitas triplex.

13. Vis autem discere, ecquænam illa sit sanctitas Christiana? Dicebat Philo Judæus lib. de Gigantibus tria hominum esse genera, *Homines terræ, Cæli, Dei*: illos, qui terrena tantùm amarent; istos, qui scientiam; hos, qui virtutem. Eodem modo dixero, tria esse genera sanctitatis, unam terræ, Cæli alteram, tertiam Dei. Illa Judaïca est, ista philosophica seu moralis, hæc Christiana. Hæret in exterioribus Judaica, ad pompam & oculos omnia facit. Exodi 28. inter summi Sacerdotis ornamenta, *facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere celatoris, Sanctum Domino.* Quantulum verò, & quid, sancto isti exteriori, sine interiore, momenti est? Habes illam, Christiane, flectis genua, pectus tundis, peregrinaris ad loca sancta? Quid Judæis amplius facis: quibus tamen per Isaiam dicitur cap. 50: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum?*

XIV. Quænam vera, & Christiana?

14. Sanctitas philosophica, seu moralis, interior quidem est: sed ibi hæret, in honesti amore, in rationis ductu, ad Deum non ascendit. Justus es, Christiane, quia justitia rationi consentanea est? Quid plus facis, quàm Aristides: qui, cùm judex esset, accusatorem identidem repetentem, reus tibi hostis est, jussit de sola caussa dicere? Generosus es, & mala fortiter excipis? Quid plus facis, quàm Epicurus: qui apud Sen. ep. 66. moribundus, inter vesicæ exulceratæ, & ventris acerba tormina, scripsit, eum sibi diem beatum esse? Quid ampliùs, quàm Demetrius: qui apud eumdem epist. 67. vitam sine ullis fortunæ incursibus *mare mortuum* vocabat? Castus es, & formam, vitamque ipsam, malis amittere, quàm fædari? Quid amplius facis, quàm Spurina, qui vultum sibi dissecuit; quàm Damocles, qui, ne contaminaretur, in ahenum fervens insiluit? Judiciorum inanias, & terriculamenta sermonum, nihili ducis? Quid ampliùs facis, quàm Democritus: cujus apud Sen. ep. 7. vox est, *Unus mihi est pro populo, & populus pro uno?* At enim, si ista Christiana sanctitas non est; quid ergo denique est? Ab Angelicò Doctore disces, 2. 2. q. 81. art. 8. in corp. ubi, postquam dixit, nomen sanctitatis duo videri importare, munditiam, & firmitatem: ad extremum *sanctitas*, inquit, *dicitur, per quam mens hominis seipsam, & actus suos, applicat Deo*: sese suaque omnia in Deum referendo, sanctimoniæ fontem: ut idem nobis animus sit, qui sermo: id semper agamus, quod loquimur, in sanctissimo *nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.*

SECTIO SEXTA.

Dona Spiritûs sancti, piorum mentibus communicata, designantur in D. Philippo Nerio, ad illud Isa. c. 11.

Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectûs: spiritus consilii & fortitudinis, &c.

I. De D. Philippo Nerio scribendi occasio, dicendi argumentum.

1. FLAGITABAT nuper amicè à me, iteratis literis P. Havartius, Duacensis Oratorii sacerdos, ut ad se concionem, in eorum templo feriis Pentecostes, ad annum hujus sæculi quadragesimum tertium, de D. Philippi Nerii laudibus habitam, mitterem; cum aliis variorum Ecclesiastarum de illo panegyricis excudendam. Caussatus sum multiplices alterius generis occupationes, promisique fore; ut, quod Gallicè postulabat, Latinè darem, istiusque ad Divi gloriam diffunderem. Isto nunc promisso me exsolvo, &, bonâ tuâ venia, ô Christe, ad famulum tuum transfero, quæ de te olim Isaïas vaticinatus est. Quidni autem D. Philippo applicem, quæ nonnulli Ezechiæ Regi tribuere veriti non sunt? Quidni encomium, Christo debitum, fidenter alteri communicem: cui Christus amicitiam suam, regnum suum, semetipsum denique, & Spiritum suum, ejusque dona omnia, tam familiariter, & tam immunè, communicavit? Ex Alexandri asseclis quispiam, accusatus de nimio erga illius amicum affectu, hac potissimùm exceptione usus est: *Is apud te fuit, cujus & gratiam expetere, & iram timere possemus.* Non dissimili excusatione apud Christum uterer, si periculum foret, ne de nimio erga D. Philippum affectu arguerer. Sed magis multò metuendum est, ut eum satis amemus, & satis pro dignitate deprædicare possimus.

II. De natura, & dignitate donorum Spiritûs sancti, variæ sunt sententiæ.

2. Si fortè nobis in Regio conclavi nova ex Indiis cimelia ostenderentur, aut in amœno horto incogniti exquisitæ pulcritudinis flores, vel in divite palatio elegantissima priscorum artificum monumenta: si deinde ex nobis quispiam de eorum pretio quæreret, non omnium proculdubio nostrûm una, de rebus tam peregrinis, foret sententia. Quemadmodùm neque olim unam Assyriorum procerum opinionem fuisse crediderim, de opulenta Ezechiæ supellectile: quando ad illum à Babylonio Rege venêre, & ad spectandas ejus reconditas opes admissi sunt. Dona Spiritûs sancti, orbis alterius & supernaturalis mundi cimelia, flores cælestis paradisi, opera *ex antiquis antequam terra fieret*, mirum non est, si de natura sua & dignitate, diversas admodùm apud Theologos sententias peperêre.

III. Quid de illis præcipui Theologi senserint?

3. Doctori Angelico videntur habitus esse supernaturales, à virtutibus tum moralibus, tum Theologicis, omnino alii. At subtilis Doctor maluit, easdem naturâ virtutibus facere; alias tantùm affluentiâ divini auxilii, & habituum supernaturalium incremento. Sapientiæ donum omnium infimum esse, gradatimque deinceps ad perfectiora conscendi, donec in timore Domini tamquam supremo desinatur, quidam censuêre. Plures opinantur, summum esse sapientiæ gradum, sequi deinde ex aliis alios ordine dignitatis, ad infimum usque timorem Domini. Ista

diſceptare veſtrum fuerit, eximii Duacenſes Doctores, loco ſuo ac tempore. Nobis ſufficiet, pauca inde ſelegiſſe fini noſtro aptiora: indeq́ue inchoâſſe, ubi Propheta deſiit, & à timore Domini Divum noſtrum, per virtutum atque ætatis gradus, ad ſapientiæ coronam deducere, cum qua *requieſcet ſuper eum Spiritus Domini.*

IV.
D. Philippi Nerii cor donis Spiritûs ſancti palpitavit.

4. Federicus Borromæus Cardinalis, Divo Carolo non ſanctimoniâ minus quàm ſanguine propinquus, familiariter aliquando ex D. Philippo Nerio ſciſcitatus eſt: unde ipſi mira ſua palpitatio cordis, &, ecquid ipſi doleret? Natus eram, inquit Philippus, annos circiter novem ſupra viginti, adhuc laicus ac ſæcularis, quando motus iſte cæptus eſt. Magna mentem meam deſideria donorum Spiritûs ſancti inceſſerant: adorabam illum quotidie, & ardenter orabam, ut participem me munerum ſuorum facere dignaretur. Placuit denique patri pauperum audire mendici vocem, perſeveranter orantis: cumq́ue in ipſo precandi ardore eſſem, cor mihi palpitare ſenſi. Ex illo quies nulla cordi meo data eſt: nec verò umquam in mentem venit optare ut interquieſcat, quandoquidem nihil mihi illius agitatio incommodet.

V.
Timor Domini cum ipſo adoleviт.

5. Si fortè mihi contigiſſet, magnorum iſtorum virorum colloquio intereſſe, eademq́ue fuiſſet, atque nunc, rerum D. Philippi cognitio: bonâ ipſius veniâ, dixiſſem, à primâ ipſum pueritiâ, & rationis ortu, Spiritûs ſancti donis cumulatum fuiſſe, non anno demum ætatis viceſimo nono. Teſtis civitas Florentina fermè univerſa, ubi ad florentiſſimæ ſanctitatis omen natus Philippus, ubi pueritiam egit: tantâ innocentiæ famâ, tam conſtante timoris divini, ab infantia congeniti, in verbis factiſque indicio, ut non aliter paſſim, quàm bonus Philippus, appellaretur. Cumq́ue deinceps civibus mira de ipſius geſtis, ex Urbe, nuntiabantur: quid enim, inquiebant, miremur ab adulto mira fieri? Cujus pueri ſanctimoniam olim ſpectavimus: cui tantus peccati horror fuit, ut ne umbram quidem ſuſtinere poſſet: quem tanta divinæ majeſtatis reverentia, & illius, quantumvis leviter, offendendæ metus inſederat; ut, anno ætatis decimo, legendis cum ſororum una pſalmis intentus, petulantis alterius ſororculæ repulſam, quaſi grande piaculum, defleverit: cui tantum erat vitandarum peccandi occaſionum ſtudium, ut ne tibias quidem ſibi, ſpectante ullo quamvis familiariſſimo, nudari ſuſtineret; quod ad extremos uſque annos magnâ ipſum, ac fermè nimiâ, religione ſervâſſe, affirmat vitæ ſcriptor domeſticus, & intimè familiaris.

VI.
Conjuncta timori tenerrima pietas.

6. Cæterùm vel ex eo præſentiæ divinæ reſpectu, curaq́ue honeſtatis, ac peccandi formidine, ſatis apparet, quàm affluenter Spiritus ſanctus mentem ipſius implêſſet timore Domini: dono, ut definit D. Thomas 2. 2. q. 19. art. 9. *quo nos voluntariè Deum reveremur, & nos ipſi ſubducere refugimus.* Affinis itaque timori Domini pietas eſt, illi innixa, eumq́ue ſuavitate ſuâ condiens. Neque enim hic pietatem intelligo, qualem Cornelius à Lapide 1. Tim. 4. *Perfectam & univerſalem animi contentionem contra omnes paſſiones:* ſed eam ſumo, quam vulgo devotionem vocamus, ad omnia, quæ divini cultûs ſunt, conſtanti inclinatione propenſam. Hæc adeò intimè D. Philippi animo inſita ſemper fuit, ut ingenita potiùs, quàm infuſa, videri poſſet. Pro ludis puerilibus ipſi erat, Florentinæ urbis templa viſere, alias ex aliis orationes fundere, divinis laudibus, ſeu dum canerentur, ſeu dum dicerentur, attendere. Eadem adoleſcenti Academico Romæ unica voluptas fuit, tantis interdum cæli deliciis cumulata, ut exclamare cogeretur, *Domine, contine undas gratiæ tuæ.* Deo devotus, Dei matrem ita coluit, ut mirum non ſit, ipſius aſpectu ac colloquio ſæpè recreatum fuiſſe, nominatim ad annum vitæ ſeptuageſimum nonum. Erga Dei Filium crucifixum tam tenerè afficiebatur, ut vel unicus imaginis adſpectus vultum lacrymis oneraret, adhuc philoſophiæ ſtudioſo.

VII.
Tres Chriſti ſcholæ, præcipua in Calvariæ monte.

7. Piè quiſpiam aiebat, tres Chriſto Doctori noſtro claſſes eſſe, hominibus ſcientiam ſuam edocendis: primam Bethlcëmi, ubi apparuit, *erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè, juſtè, & piè vivamus:* alteram Nazarethi, ubi ſubditus parentibus, inter rei familiaris anguſtias, & tugurii tenebras, eamdem nobis abnegandorum ſæcularium deſideriorum doctrinam commendat: tertiam in Calvaria, ubi inter acerbiſſimos dolores, extremam paupertatem, ſumma dedecora, ſpectabiliſſimo exemplo docet, quanti nobis mundanarum rerum ambitus, vel ſuavitas facienda ſit. D. Philippus, poſt frequentatas aſſiduis meditationibus Chriſtianas illas claſſes, poſt auditas quotidie crucifixi magiſtri lectiones, facile eſt conjicere, quantum ſub tali præceptore, tam diligens atque attentus diſcipulus profecerit. In ea nimirum, quæ Salomoni dicitur *ſcientia animæ*, Zachariæ *ſcientia ſalutis*, Sapienti Eccleſiaſtico *ſcientia Sanctorum, & ſcientia Spiritûs.*

VIII.
Scientiæ donum ſitum in creaturarum contemptu.

8. Doctori Angelico, ſcientiæ donum *eſt debitus uſus creaturarum, & ordinata affectio ad illas:* & *ad ſcientiam propriè pertinet rectum judicium creaturarum.* Vix judicio uti cæperat Philippus, cùm de rerum creatarum contemnenda vanitate rectiſſimè judicavit, affectum erga illas prorſus exuit, uſum intra neceſſitatis arctiſſimos limites reſtrinxit. Potuit, adoleſcens, viginti duo aureorum millia adipiſci, adeundâ patrui hæreditate; reſpuit, velut ſupervacuum onus. Antequam Eccleſiaſticum inſtitutum amplecteretur, tam longè delicias omnes fugiebat, ut pane ferè, ac leguminibus, victitaret. Honorum & famæ tanta ipſi vilitas fuit, ut quando maximè apud ſummos Eccleſiæ Principes ac Pontifices in maximo pretio habebatur, nihili ſeſe ipſe faceret; ad laudum ſuarum mentionem erubeſceret; ſeſe intra cubiculum conderet, ne Congregationis ſuæ præfectus crearetur; creatus quamvis invitus, poſt aliquod præfecturæ tempus abdicaret. Facilè concupiſcentiam carnis, & ſuperbiam vitæ, aſpernatus eſt, cui vita ipſa contemptui fuit: qui, intentato licèt præſenti mortis metu, moribundam quamdam mulierculam ad vitæ melioris iter dirigere non deſtitit.

IX.
Invicta calumniis, & tentationibus, fortitudo.

9. Malis forſan iſtud fortitudini tribuere, proximo ſcientiæ dono, tum naturâ, tum gradu. *Fortitudo* enim *noſtra*, inquit Proſper, *eſt Dominus, ut animum nec blanda diſſolvant, nec adverſa dejiciant.* Blandis Philippus captus non eſt: adverſis non ceſſit. Conatus eſt dæmon creſcentem virtutem calumniis, ac maledicentiâ, obruere: aliis illam pro ingenii tarditate, & fatuitate, habentibus; quibuſdam pro hypocriſi, aut periculosâ novitate apud Pontificis in urbe vicarium, & apud Pontificem ipſum, accuſantibus. Cùm calumniæ fortem juxtà, & innocentem, animum

non

non concussissent, aggressus est carissimam ipsi castitatem quotidianis insultibus lacessere: lascivos adolescentes duos submisit, tum meretriculas binas, unam deinde, quæ ad potentiùs pelliciendum, ægram se fingeret. Sed cùm integerrima sancti juvenis virginitas, fortis fugæ præsidio, istas vicisset, illos efficaci ratiocinatione ad flagitiorum detestationem permovisset: dæmon ipse denique cominùs illum impetiit; nunc excitatis horrendis fragoribus, ut dehiscere terra, cælum ruere videretur; nunc tetris imaginibus spectrisque objectis, ut geminati identidem terrores tædium vitæ melioris injicerent.

X. Donum consilii instruendis proximis impensum.

10. Stetit immotus adversùs terriculamenta, invictus adversùs tentamenta, miles Christi; &, bellandi vincendique esperientiâ, idoneus animandis, ac regendis, aliis evasit. Itaque à Spiritu sancto ad Ecclesiasticum statum, ætatis anno tricesimo sexto, vocatus est: mox confessionibus peccatorum excipiendis adhibitus, pari pœnitentium frequentiâ, & fructu. Quorum confessiones, vel ob concurrentium multitudinem, vel ob ipsorum absentiam, excipere non poterat; eos vel per se salubribus scriptis, ac monitis, instruebat; vel discipulis suis instruendos tradebat. Eum in finem inclytam illam Oratorii congregationem instituit, in Italia latè propagatam, ad cæteras Europæ Catholicæ regiones fælici imitatione longè diffusam. De qua plurimi sanctimoniâ spectabiles viri, ad proximorum salutem caritate ardentes, prudentiâ prompti, prodiêre: Philippo Nerio patri non degeneres, digni fratre Baronio, cujus laus est in Evangelio, & in historia Ecclesiastica, per omnes Ecclesias.

XI. Et insigne donum intellectûs.

11 Formando Baronio, domesticorumque aliis; docendis vitiorum fugam, virtutum amorem externis, D. Philippus non consilii tantùm insigni dono excelluit, sed etiam eximio intellectûs: quod, ex Theologorum sententiâ, est *virtus, seu donum, penetrandi obscura Scripturarum & arcanorum cælestium.* Quid autem usquam arcanum magis, quàm intimæ cogitationes hominum, & rerum futurarum secreta Deo soli patentia? Patuêre tamen D. Philippo, non secus, atque diductis bibliorum paginis patent sacræ Literæ habentibus sensum, ut intelligant Scripturas. Vênit ad ipsum aliquando Claudius Nerius Jurisconsultus Romanus, ipsi cognominis; an affinis, haud scio; amicus certè. Torquebatur ille conscientiæ aculeis, eosque apud D. Philippum deponere statuerat. Sed, inter colloquendum, mutato ex verecundia consilio, reticuerat; imò, iterum atque iterum interrogatus, nihilne aliud dicendum superesset, constanter negârat. Tum Philippus velut parabolam recitare aggressus: Amicum, inquit, meum quempiam conscientiæ scrupuli, isti atque isti, angebant, & ad me consulendum impulerant: sed pudor prohibuit eloqui, quamvis rogatum. Pertexuit eum in modum rem omnem, ipsique homini cogitationes suas aperuit; attonito primùm ac stupenti, at mox læto, de prodigiosâ medici sui intelligentia, & caritate. Historiam unicam exempli caussâ recito. Quando enim juvenibus, graves in confessione culpas celantibus, sacrilegia detecta: libidinosorum crimina fœtoris indicio cognita: morbos, damna, mortes, obduratis, aut in peccata identidem relabentibus, prædictas, plurimaque id genus pronuntiata, & præsignificata narravero?

12. Mira ista sunt, & supra communem sanctorum sortem eximia: nondum tamen ad perfectum venêre, nisi sapientiæ donum accesserit. De illa vix aliunde exactius aliquid, quàm ex sapiente juxtà, & pio, Bernardo audiamus, serm. 50. in Cant. *Est sapientia, per quam utique res sapiunt, prout sunt .... Da mihi, qui diligat Deum, se, parentes .... Talem, inquam, da mihi hominem, & ego audacter illum sapientem pronuntio; cui nimirum quæque res sapiunt, prout sunt, & cui in veritate, atque securitate competit dicere, quia ordinavit in me caritatem.* Do tibi, quem postulas, Bernarde: ostendo, cui ordinatissima sit caritas, cui sapiant omnia, & diligantur, pro merito: tu ergo illum nobis sapientem, &, ex ordinatæ caritatis mensura, sapientissimum pronuntia.

XII. Sapientiæ donum est ordinatus amor, & caritas sapiens.

XIII. D. Philippi caritas erga proximum.

13. Nondum Ecclesiastici statûs perfectionem profitebatur, quando nulla ipsi carior domus, post ædes sacras, fuit, quàm hospitalis ægrorum; ægri nulli cariores, quàm qui fœtidissimi, & maximè alienâ ope destituti: quando pallium, non dimidiatum, Martini catechumeni instar, sed integrum pauperculæ mulieri transmisit: quando nulli umquam stipem postulanti recusare constituit, postquam Angelus, mendici habitu, opem ab ipso petierat. Ætatis anno vicesimo quarto, totum se revocandis ad Deum perditissimis quibusque cæpit impendere; &, quò id facilius foret, in eorum sese consortia & familiaritatem insinuare. Anno tricesimo quarto, unicæ concionis ardore ad meliorem vitam juvenes triginta convertit, & divitem prædam velut unico retis jactu conclusit. Sub idem tempus instituta de rebus divinis colloquia, seu collationes spirituales: in quibus tantâ vi, & efficaciâ sermocinabatur, ut non audientium modò concuterentur animi, sed cubiculum ipsum contremisceret. In confessionibus excipiendis indefessus: in deprecando pro peccatoribus Deo assiduus, prorsus ut aliquando triennium totum pro conversione Judæi cujuspiam orare non desierit, ac denique exorârit. In perpetuarum occupationum nexu, si quid ipsi otii, ad mentis corporisque quietem, supererat; domesticis tamen commendârat, ne cui umquam, alloquium suum postulanti, impedimentum caussarentur.

XV. Caritas erga Deum.

14. Profluebat tam effusa in proximos caritas, ex amoris divini incendio: cui continendo, cùm angustiæ cordis pares non essent, sinus ipsi, effractâ miraculo costâ, laxatus est. Emicabant præsertim flammæ caritatis, & velut de accensæ fornacis ergastulo erumpebant, quotiescumque vel ad aram sanus faciebat, vel æger Christi corpore reficiebatur. Vidit istius ignis fulgorem, audivit vehementiam, sensit ardorem, Federicus Cardinalis Borromæus, in extremo illum morbo, anno ætatis octogesimo, sacri Viatici solatio muniens. Vix pedem cubiculo cum divinæ hostiæ pyxide intulerat, quando æger, paullò antè viribus sensibusque destitutus, exclamare: *En amorem meum; en dilectum: ille mihi sufficit: citò huc, desiderate mi: date, date, desiderium meum.* Adstantes fletum continere non poterant, &, inter suspiria, vix consuetæ orationes audiebantur: audivit tamen ipse solennia illthæc verba, *Domine non sum dignus*, & erumpente cursum cum suspiriis voce; *Equidem*, inquit, *numquam fui dignus tanto munere, nec modo sum: sed tu, Christe, dignus es qui indignos digneris.* Mox sumpto Christi

 corpore;

corpore: *Teneo te*, inquit, *medicum meum, animæ ſalutem, corporis reſuſcitatorem.*

XV. Quis ſapientiæ locus?

15. Bonâ tuâ veniâ, ô digne Deo amator, cùm ad vitæ tuæ exitum venerim, figam hîc laudum tuarum terminum: non quòd illas vel ego dicendo exhauſerim, vel iſti audiendo ſatiati ſint; ſed quia aliquando finis faciendus eſt. Antè tamen idem à te fidenter poſtulo, quod Baronius Cardinalis, filius tuus, quando in amoris tui manus animam deponebas, ubi inclamavit: *Dilecte pater; iterum nos ante diſcedendum intuere, iterum benè precare, teſtare iterum verbulo te noſtri meminiſſe.* Heros ſanctiſſime, auditorii totius, honoris tui cauſsâ huc congregati, nomine te percunctor: *Sapientia ubi invenitur, & quis eſt locus intelligentiæ?* Quâ in urbe, quâ viâ, quibus ſociis, quibus artibus, illam inveſtigabimus? Anni jam ſunt duo ſupra octoginta, cùm ſcientiæ in hac urbe ſedem accepêre, Academiam formavêre, ſapientiæ domicilium ſtruxêre. At ubi tandem ſapientiam inveniemus? In eloquentiæ topicis, in philoſophiæ analyticis, in aphoriſmis medicinæ, in juriſprudentiæ digeſtis, in ſententiis Theologiæ? Ubi autem illam fœminæ, & ruſticani, imperitique homines invenient?

XVI. Qui ad illam gradus, & via?

16. Audire mihi videor D. Philippum illuſtribus vitæ totius exemplis reſpondentem; Sapientia per quam res ſapiunt, & diliguntur, prout ſunt, cujus homo pretium non novit, *Non invenitur in terra ſuaviter viventium*, & in rerum infimarum amoribus jacentium. Ut ad illam poſſitis aſcendere, primus vobis in Dei timore gradus firmandus eſt, odioque ac metu peccandi. Mox, ut timor ſuavis ſit, pes in pietate figendus, & delectanda mens in cultu Domini: *Pietas* enim *ad omnia*, & omnibus, *utilis eſt*. Si aſſiduâ pietate guſtaveritis, & videritis, quàm ſuavis ſit Dominus, facilè rerum caducarum illecebras contemnetis. Hæc eſt ſcientia Sanctorum: ad cujus conſtantiam tuendam, adſciſcenda eſt fortitudo, perruptura humanorum judiciorum obices, & diabolicorum conatuum terriculamenta. Ne autem fortitudo improvida ſit, *aſcendat ad conſilium*, intelligat vel de ſe, vel ex aliis, Evangelicæ doctrinæ præcepta, & monita. Hæc certiſſima via eſt ad ſapientiæ coronam, & regnum æternæ caritatis, caræ æternitatis.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

ARGUMENTUM.

Continuantur literæ Iudæorum, Palæstinæ incolarum, ad Ægyptios; referturq́ ex descriptionibus Ieremiæ, jussu ejus abditum in puteo ignem sacrum, monitosq́ ab illo exules Iudæos, ut in lege divina ac patria, inter exteros idololatras, constarent. Ex eodem descriptionum libro narratur, arcam, altare incensi, & tabernaculum, Dei monitu elata Hierosolymis fuisse per Ieremiam, & abdita intra speluncam montis Nebo, unde Moses terram sanctam prospexit. Locum autem istum à comitibus Ieremiæ notari non potuisse, neque abscondita illa repertum iri, nisi quando Deus populum suum congregârit. Occasione hujus miraculi, & alterius de igne cælitus misso, recitantur consimilia, quæ Mosi & Salomoni contigerunt. Tum subjicitur, quid pro sacrorum librorum & donariorum conquisitione, & asservatione, Nehemias præstiterit, quid item Iudas. Inde ad caput reditur, de festo ad gratias agendas celebrando; clauduntur q́ literæ spe divinæ propitiationis. Quæ sequuntur, sunt proœmii instar, ad librum secundum Machabæorum; quem Hagiographus ait à se compilatum, non sine labore, ex historiâ Iasonis Cyrenæi, libris quinque res Iudæorum, sub Antiochi Epiphanis tempora, complectente.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

1. INVENITUR autem in descriptionibus Ieremiæ prophetæ, quòd jussit eos ignem accipere qui transmigrabant: ut significatum est, & ut mandavit transmigratis. 2. Et dedit illis legem, ne obliviscerentur præcepta Domini, & ut non exerrarent mentibus videntes simulachra aurea & argentea, & ornamenta eorum. 3. Et alia hujusmodi dicens, hortabatur ne legem amoverent à corde suo. 4. Erat autem in ipsa scriptura, quomodo tabernaculum & arcam jussit propheta, divino responso ad se facto, comitari secum, usquequò exiit in montem, in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hæreditatem. 5. Et veniens ibi Ieremias invênit locum speluncæ: & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. 6. Et accesserunt quidam simul, qui sequebantur, ut notarent sibi locum: & non potuerunt invenire. 7. Ut autem cognovit Ieremias, culpans illos, dicit: Quòd ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat: 8. Et tunc Dominus ostendet hæc,

& apparebit majestas Domini, & nubes erit, sicut & Moysi manifestabatur, & sicut cùm Salomon petiit, ut locus sanctificaretur magno Deo, manifestabat hæc. 9. Magnificè etenim sapientiam tractabat: & ut sapientiam habens, obtulit sacrificium dedicationis & consummationis templi. 10. Sicut & Moyses orabat ad Dominum, & descendit ignis de cælo, & consumpsit holocaustum, sic & Salomon oravit, & descendit ignis de cælo, & consumpsit holocaustum. 11. Et dixit Moyses, eò quòd non sit comestum quod erat pro peccato, consumptum est. 12. Similiter & Salomon octo diebus celebravit dedicationem. 13. Inferebantur autem in descriptionibus & commentariis Nehemiæ hæc eadem: & ut construens bibliothecam congregavit de regionibus libros, & Prophetarum, & David, & epistolas Regum, & de donariis. 14. Similiter autem & Iudas ea, quæ deciderant, congregavit omnia, & sunt apud nos. 15. Si ergo desideratis hæc, mittite qui perferant vobis. 16. Acturi itaque purificationem scripsimus vobis: benè ergò facietis, si egeritis hos dies. 17. Deus autem, qui liberavit populum suum, & reddidit hæreditatem omnibus, & regnum, & sacerdotium, & sanctificationem, 18. sicut promisit in lege; speramus, quòd citò nostri miserebitur & congregabit de sub cælo in locum sanctum. 19. Eripuit, enim nos de magnis periculis, & locum purgavit. 20. De Iuda verò Machabæo & fratribus ejus, & de templi magni purificatione, & de aræ dedicatione; 21. sed & de prælus, quæ pertinent ad Antiochum Nobilem, & filium ejus Eupatorem, 22. & de illuminationibus quæ de cælo factæ sunt ad eos, qui pro Iudæis fortiter fecerunt, ita ut universam regionem, cùm pauci essent, vindicarent, & barbaram multitudinem fugarent, 23. & famosissimum in toto orbe templum recuperarent, & civitatem liberarent, & leges, quæ abolitæ erant, restituerentur, Domino cum omni tranquillitate propitio facto illis; 24. itemque ab Iasone Cyrenæo quinque libris comprehensa, tentavimus nos uno volumine breviare. 25. Considerantes enim multitudinem librorum, & difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum propter multitudinem rerum, 26. curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio: studiosis verò, ut faciliùs possint memoriæ commendare: omnibus autem legentibus utilitas conferatur.. 27. Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum, & sudoris, assumpsimus. 28. Sicut hi qui præparant convivium, & quærunt aliorum voluntati parêre propter multorum gratiam, libenter laborem sustinemus: 29. veritatem quidem de singulis, auctoribus concedentes, ipsi autem secundùm datam formam brevitati studentes. 30. Sicut enim novæ domûs architecto de universa structura curandum est: ei verò qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt: ita æstimandum est & in nobis. 31. Etenim intellectum colligere, & ordinare sermonem, & curiosiùs partes singulas quasque disquirere, historiæ congruit auctori: 32. brevitatem verò dictionis sectari, & executiones rerum vitare, brevitati concedendum est. 33. Hinc ergo narrationem incipiemus: de præfatione tantum dixisse sufficiat. Stultum etenim est ante historiam effluere, in ipsa autem historia succingi.

COMMEN-

COMMENTARIUS AD CAPUT SECUNDUM.

Quomodò narrationes hujus capitis hæreant cum antecedenti?

℣. 1. INVENITUR AUTEM IN DESCRIPTIONIBUS JEREMIÆ PROPHETÆ, QUÒD JUSSIT EOS IGNEM ACCIPERE QUI TRANSMIGRABANT: UT SIGNIFICATUM EST, ET UT MANDAVIT TRANSMIGRATIS. Io Græcis Sixtinis sic habetur ad verbum: *Invenitur autem in descriptionibus, Jeremias propheta quòd jussit ignem accipere transmigrantes, ut moniti sunt, σεσήμανται, & ut mandavit transmigrantibus propheta.* De his verbis variæ sunt quæstiones. Prima: quomodò cum præcedentibus hæreot? Respondeo, occasione ignis sacri per sacerdotes absconditi, divinitus in Nehemiano sacrificio excitati, commodè subditur, quis igoem illum abscondi jusserit. Cùm autem id jusserit Jeremiaa, occasione etiam istius de Jeremia mentionis, subditur narratio rerum consimilium, ab eodem propheta sub idem tempus factarum, & ad Templi, cujus veneratio hic perpetuò commendatur, gloriam pertinentium.

Rectène istæ sint sejunctæ à capite præcedenti?

Altera: cur ergo istæ narrationes sejunguntur à præcedentibus, præsertim cùm omnes unicâ epistolâ comprehendantur? Respondeo, commodius forsan futurum fuisse lectori, si epistola tota capiti primo tribueretur; & secundum à versu demum vicesimo, ut nunc est, inciperet, complecteretúrque totum breviatoris Hagiographi ad historiam sequentem procemium. Sed quid agamus, cùm jam olim sic dissecta sint capita: eamque dissectionem, non tantùm hic, sed & alibi sæpè, non satis commodè factam multi conquerantur? Patiendum est incommodum: ne, si mutare velimus, quod jam pridem usus obtinuit, & frequentibus apud scriptores allegationibus firmatum est, obturbemus magis, & incommodemus. Quamquam etiam dissector capitum, quisquis ille fuerit, in hac epistolæ partitione spectâsse potuit, tum longitudinem illius, tum difficultatem. Cùm enim prolixa sit, & in multis subobscura: sectio dat Lectori spatium respirandi, & interquiescendi, velut in longi itineris diverticulo; ne labor studii oimis continuatus ex molestia fastidium creet. Adde spectari etiam potuisse epistolæ cum sequentibus connexionem, ut infrà dicemus.

Quæ descriptiones?

Tertia: quænam illæ sunt *descriptiones*, Græcè ἀπογραφαῖς? Respondeo, ex textu nostro patere, illas esse Jeremiæ descriptiones; ex Græco, non item. Sed planè suspicor, hic mendum esse in Græco, legique in illo debere, sicut in Latino, *Jeremiæ prophetæ*, genitivi casûs, non autem *Jeremias propheta*, nominativi. Quæ enim, obsecro ista est locutio, *Jeremias propheta quòd jussit* Ἱερεμίας ὁ προφήτης ὅτι ἐνέλειψε? Cùm, si vocea istæ sequentibus hærere deberent, dicendum fuisset, *quòd Jeremias propheta jussit*, ὅτι Ἱερεμίας.

Quid illis contineretur?

Quarta: ecquidam istia descriptionibus continebatur? Difficile est admodùm definire, cùm eæ nusquam, ut Liranus advertit, ampliùs habeantur, neque apud nos, neque apud Hebræos. Ex iis tamen, quæ inde excerpta sunt, & huic epistolæ inserta; scriptores passi, & rectè, opinantur, fuisse acta istorum temporum, seu diarium rerum, urbe Hierosolymitanâ captâ gestarum. Indicaturque id ipsum vocabulo Græco ἀπογραφαῖς.

Quis earum auctor?

Quinta: fuerintne illæ descriptiones, sive ephemerides, à Jeremia ipso exaratæ, aut dictatæ? Respondeo, fuisse, cùm in Vulgata dicantur, *descriptiones Jeremiæ*, non autem *descriptiones gestarum Jeremiæ*: quomodò dicendum erat, si ab ipso vel dictatæ, vel scriptæ non fuissent. Aliâ conjecturâ Serarius hoc ipsum probat: quia Matth. 17. v. 9. citatur ex Jeremia testimonium de triginta argenteis, quod in hodierna Jeremiæ prophetia non legitur: fuit ergo olim liber alius Jeremiæ, ubi id testimonium legeretur: & quamvis isti apud Matthæum difficultati aliter alii satisfaciant, est tamen hæc solutio obvia, & plana, nec viris doctis noo paucis displicet.

Fuerintne auctoritatis divinæ?

Sexta: fuerintne descriptiones illæ in sacrarum Literarum numero, & pro Canonicis habendæ? Respondeo, fuisse: primùm, quia, ut jam pro vero aut verosimillimo posuimus, ab eo auctore profectæ, quem Spiritus Domini totum imbuerat; ut responsa, dicta, scripta ipsius pro oraculis essent, pectus pro adytis. Deinde: quia valdè imprudeoter Judas & Senatus Judæorum, Aristobulo viro eruditissimo, & Ægyptiacis fratribus, de tali argumeoto scribentes, apocryphum librum laudâssent, uti superiore cap. ad v. 18. quæst. 5. dicebamus. Nec refert, quòd D. Judas Apostolus citet apocryphum Enochi librum: neque enim de controversia scribebat, ut Judas Essenus; neque ad homines tam doctos, & argutos, ut inde offensa timeretur. Neque item refert, quòd Origenes, & D. Hieronymus, ad Matthæi locum suprà dicant, alium esse aliquem è vaticiniis librum Jeremiæ prophetæ, sed apocryphum: potuit enim liber ille tum pro apocrypho haberi, ob interpolatiooes ab Rabbinis adjectas, etsi pro Canonico habeodus fuisset prout à Jeremia prodierat. Non refert denique, quòd liber iste ita interciderit, ut nusquam ne laciniæ quidem visantur, nisi hoc loco, & ilso forsan Matthæi: nam libris etiam canonicis tempus edax rerum finem potest imponere, uti factum Libro justorum, Libris bellorum Domini, Libris Gad Videntis, aliisque in Scriptura memoratis.

An narrationes inde adductæ habeant auctoritatem Scripturæ?

Septima: quæ ex istis Jeremiæ descriptionibus hîc recitantur, habéntne divinam veritatem, & auctoritatem sacræ Scripturæ? Rabani sententiam retulimus ad c. 1. v. 18. quæst. 5. Liranus ad v. 8. *Liber iste secundus*, inquit, *& maximè quantum ad præfationem, reputatur à multis multum apocryphus. Istud tamen majorum judicio derelinquo.* Emmanuel Sa ad hunc versum, consequenter ad ea, quæ antè dixit; *Hæc*, inquit, *ad epistolam pertinent, neque habent majorem auctoritatem.* Salianus anno ante Christum 606. n. 40. *Hæc autem*, inquit, *quæ exscribuntur ex illis Jeremiæ descriptionibus, quam habeant auctoritatem, non facile dixerim.* Deinde adducit Emmanuelem Sa, & de suo addit rationem, quia *ille descriptionum liber non fuit canonicus.* Sed ad hanc Saliani rationem facillimè respondetur: etiam ex libris apocryphis, ut tales demus fuisse descriptiones prophetæ, posse desumi idonea & vera testimonia; quæ hoc ipso, quòd ab Hagiographo pro veris recitantur, veritatis divinæ certitudinem accipiant. Ad quæstionem autem idem respondeo, quod c. 1. v. 18. q. 5. planè hasce narrationes

esse auctoritatis divinæ : tum quia Spiritus sanctus passurus non erat, ab universa Synagoga de re gravissima, schismate sopiendo, scriptis literis inseri rem non certam : tum ob alias rationes ibidem perstrictas ; ob quas existimo, cordatum lectorem mecum sensurum, nec debuisse, nec potuisse in dubium harumce narrationum auctoritatem revocari.

An sacerdotes moniti fuerint de igne efferendo, ante præceptum Jeremiæ?

Octava : an sacerdotibus alio divinitus signo, præterquam Jeremiæ mandato, Dei voluntas de igne sacro efferendo cognita fuerit? Videtur istud innui verbis illis, *ut significatum est*, scilicet transmigrantibus : quorum verborum sententia manifesta est ex Græco, *ὡς σεσήμανται*, *ut moniti sunt*, scilicet *μεταγινόμενοι*, *transmigrantes*. Præcesserat ergo significatio aliqua voluntatis divinæ, seu monitio de igne efferendo, jussum Jeremiæ prophetæ. Sic conficio ex istis verbis textûs nostri, cum Græco collatis, *ut significatum est* : quæ alii ad præcedentem narrationem non rectè referunt, quasi idem sint atque, *ut ante dictum est*. Sed quæ fuit ista significatio ante Jeremiæ mandatum? Quomodò didicerunt aliter, quàm ex prophetæ imperio? Multis modis didicisse potuerunt : primùm, ex aliorum prophetarum, tunc viventium, vaticiniis, neque enim tunc solus Jeremias prophetabat : deinde, ex veteri aliqua, & per manus traditâ, divinâ denuntiatione : tertiò, ex ostentis quibusdam, quæ in sacris Literis signa magis propriè vocantur, *significationem* appellat Psalmista, cùm dicit, *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus* : denique, ex secreto impulsu, qui si communiter multis ad rem bonam, finemque sanctum, immittitur, signum est manifestum inspirationis, & voluntatis divinæ.

Epistola Jeremiæ c. 6. Baruch, an ad ejus Descriptiones pertineat.

ỳ. 2. Et dedit illis legem, ne obliviscerentur præcepta Domini, et ut non exerrarent, &c. Habentur illa Jeremiæ præcepta in prophetia Baruch toto capite sexto : unde suspicor, eam sive epistolam, seu monitionem epistolæ instar scriptam, ac missam transmigrantibus, partem fuisse libri istius quem Judæi appellant *Descriptiones Ieremiæ*. Partem ultimam versus præcedentis, *& ut mandavit transmigratis*, sive transmigrantibus, quidam existimant cum hoc versu jungendam : ut primo versu aliud dicatur à Jeremia præceptum, aliud secundo, nec fiat repetitio parum apta & decora in eodem versu. Si sic placebit jungere, tunc particula *ut* Latina, & Græca ὡς, illi respondens, significabit, *quomodò*, & hæc erit sententia utriusque versûs : Invenitur in Descriptionibus Jeremiæ, ab illo jussos transmigrantes ignem sacrum auferre, ut præmoniti fuerant : item imperatum ab illo iisdem transmigrantibus, præscriptumque, de non venerandis statuis deorum Inanium, &c.

De qua scriptura hîc agatur?

ỳ. 4. 5. 6. Erat autem in ipsa scriptura, quomodò tabernaculum et arcam, jussit Propheta divino responso ad se facto comitari secum, &c. Quia non pauca etiam in his versibus explananda occurrunt, per quæstiunculas partiemur. Primum : quæ illa est scriptura? Græcè enim habetur absolutè ἐν τῇ γραφῇ, in Scriptura, non autem in illa ἐκείνῃ, aut ταύτῃ, ut referatur ad *Descriptiones Ieremiæ*. Nihilominus dicendum, eas hîc intelligi scripturæ nomine ; tum quia de illis paullò antè præcessit, tum quia Vulgata id plus satis exprimit, cùm dicit, *in ipsa scriptura*, id est, in illa ipsa scriptura.

Quod tabernaculum extulit Jeremias?

Deinde : quod Tabernaculum extulit Jeremias? Duo enim fuêre, Mosaicum, & Davidicum, ut constat ex 3. Reg. c. 8 Illud in Salomonico templo asservatum fuisse constat, ex eodem capite : & quidem sanctuario proximè repositum, omnes communiter affirmant. De Davidico item nemo, quem sciam, dubitat, quin cum Mosaico repositum & asservatum sit, ob eamdem sanctitatis ac reverentiæ caussam. Unde obiter possit perstringi adversariorum nostrorum irreligiositas, qui ne ipsas quidem sacrorum corporum reliquias honorificè haberi volunt, etsi cortinas Tabernaculi veteris videant tanti à Judæis fieri : & l. 1. c. 4. viderimus, quantâ reverentiâ lapides, altaris profanati, seponendos Machabæus curârit. Sed quodnam *Tabernaculum* extulit Jeremias, Davidicum, an Mosaicum? De Mosaico omnes tum prisci, tum recentiores consentiunt; adstipulaturque Hagiographus, cùm simpliciter dicit *Tabernaculum*, σκηνήν : quo nomine intelligendum celebrius, ac nobilius, id est Mosaicum, tempore ac dignitate primum. Quid ergo factum Davidico? Vel antè in alios usus sacros versum erat à sacerdotibus : vel deprædationi Chaldæorum relictum est, & inter milites dispertitum, ut vestes Christi. Nisi dicamus, Tabernaculi nomine utrumque simul intelligi, Mosaicum, & Davidicum.

Quando illud & adjuncta extulit?

Tertiò ; quandonam ignem, arcam, tabernaculum, adde ex v. 5. altare incensi, extulit Jeremias? D. Epiphanius, si tamen ipse est, in vita Jeremiæ existimat, id factum, antequam Hierosolyma & Templum tertiâ captivitate vastarentur : potuit enim Jeremias facilè persuasisse Regi Jechoniæ, ut arcam efferri sineret ; quemadmodùm persuasit, ut sese ultro dederet in secunda captivitate. Alii opinantur, id factum, captâ jam per Nabuchodonosorem Hierosolymâ : cùm enim Jeremias Babyloniis, Nabuzardani nominatim magistro militiæ, percarus esset, facillimè impetraverit arcam & alia efferenda ; nec defuit huic rei curandæ spatium, inter urbem captam, & Templum incensum. Ita Serarius, relictâ lectori optione alterutrius sententiæ ; quamquam posteriorem magis illi placuisse censet Tirinus, & sequitur, uti & Salianus. Ea itidem mihi magis placuerit; tum quia Templum arcâ, & altari thymiamatis, tot annis ante incendium spoliari non decuit : tum quia ignis sacer non efferri debuit per sacerdotes, nisi in ultima transmigratione, ergo neque arca, & alia adjuncta : tum denique, quia Pontifices summi isthæc efferri noluissent. Utcumque id fuerit, constat ex Jer. 52. & Esd. 1. in vasis per Nabuchodonosorem è Templo sublatis non numerari arcam, neque altare thymiamatis, nec tabernaculum : adeoque, vel inde, satis patet, aut in Templo tunc ampliùs non fuisse, aut concessa alteri, Jeremiæ scilicet, per Nabuchodonosorem.

Quo pacto Jeremiam sunt comitata?

Quartò : quomodò ista Jeremiam comitata sunt? Duplex etiam hac de re est sententia. Prima Lirani, quam sequitur Torniellus, probat Tirinus, videturque malle Salianus : adscitos à Jeremia comites, qui sacram supellectilem deferrent : & verò in textu dicitur aliquos, qui sequebantur, locum notare voluisse. Altera sententia est Serarii, existimantis Angelorum operâ isthuc delata fuisse, sicut domum Lauretanam; præsertim cùm Jeremias conscios habere nullos voluerit : quòd autem quidam notare locum voluerint, id factum, quia miraculum sacræ

supellectilis

ſupellectilis delatæ quibuſdam apparuit, aliis illud non cernentibus. De duabus iſtis ſententiis tertiam ego confecero: delatam à pauperibus ſacerdotibus, & Levitis, cum Jeremia Hieroſolymæ relictis, tum arcam, tum cætera, ad Jordanem uſque, forſan & ad radices montis Phaſga trans Jordanem. Inde verò ad cavum montis, ubi abdita ſunt, Angelos ſuccollâſſe, & detuliſſe. Neceſſarium enim in itinere miraculum, & miniſterium Angelorum non fuit: ſed fuit omnino neceſſarium, ut altare auro inductum, & arca, & tabernaculum reconderentur; cùm Jeremiæ, imò gigantis robuſtiſſimi vires, iſtis reponendis, ſufficere nequirent, uti neque ori antri obſtruendo, ut habetur v. 5.

Quo loco ſunt repoſita?

Quintò: ecquonam in monte iſthæc recondita fuere? *In ſpelunca montis, in quo Moyſes vidit Dei hereditatem*, ut diſertè ſcribit Hagiographus. Atqui ex Deuteron. cap. 34. conſtat, Moyſen aſcendiſſe *de campeſtribus Moab ſuper montem Nebo, in verticem Phaſga*, indéque oſtenſam ipſi à Domino terram omnem promiſſam. Cùm autem non longè ab eo monte, *in valle terræ Moab contra Phogor*, ſepultus ſit Moyſes; non longè ab ipſo tabernaculum, quod jubente Domino fabricârat, reconditum eſt: imò Hebræi, D. Anſelmus, Abulenſis, & alii apud Mendozam, putant, poſitum in ipſo Moyſis ſepulchro. Prætereà, quomodò *non cognovit homo ſepulcrum* Moſis *uſque in præſentem diem*: ita *qui acceſſerant ſimul, & ſequebantur, ut notarent ſibi locum* reconditi tabernaculi, *non potuerunt invenire*.

Cur locum illum Deus notum eſſe noluit?

Sextò: eccur Deus locum illum conditorium noluit Jeremiæ comitibus, aut aſſeclis, notum eſſe? Eamdem ob rationem, propter quam noluit notum eſſe locum Moyſis tumulati. Quemadmodùm enim cavendum erat, ne ex nimio erga defunctum Moyſen affectu, & veneratione erga ipſius cineres, occaſionem ſuperſtitionis, aut idololatriæ, arriperet populus, ad illam valdè proclivis: ita meritò timendum fuit, ne ob maximam de arcæ ſanctitate opinionem, divini aliquid latebrarum loco ineſſe exiſtimaret, & exinde Zorobabelicum templum faſtidiret; præſertim, ſi arca illuc revecta non fuit, de quo mox videbimus. Prætereà, ſi Jeremiam ſecuti Levitæ, aut alii, locum iſtum notâſſent; periculum fuit, ne paullatim, ut fit, à paucis ad plures ſerperet rumor, & ſacram ſupellectilem hoſtili aut cupiditati, aut curioſitati, profanandam objiceret.

Cur altare incenſi potiùs elatum, quàm altare holocauſtorum?

Septimò: quamobrem Deus altare incenſi potiùs efferri voluit, quàm altare holocauſtorum? Notiſſimum eſt, altaria fuiſſe duo, tum in tabernaculo Moſis, tum in templo Salomonis, ad quorum exemplum duo etiam in Zorobabelico templo poſtmodùm ſtetêre: unum, ubi thymiama adolebatur, Exod. 30. deſcriptum; aliud, ubi victimæ cremabantur, deſcriptum Exo. 27. & 38. item 2. Paral. 4. Illud vocabatur *incenſi*, ab incendendis odoramentis, & ſuffitibus: hoc vocabatur *holocauſti*, à nobiliore ſacrificio, etſi cætera ibidem peragebantur. Iſtorum altarium quamobrem illud potiùs, quàm hoc, Deus efferendum curavit? Rationes variæ eſſe poſſunt: prima, quòd illud multò ſanctius haberetur, uti oraculo proximum, ſeu Sanctis Sanctorum. Altera, ex prima conſequens, quòd illo ſignificaretur vita hominum à communi conſuetudine ſejunctorum, & incenſis deſideriis ad Sancta Sanctorum, cæleſtemque patriam, adſpirantium. Tertia, quòd ingens eſſet ac lapidea moles altaris holocauſtorum, quale ſtruxerat Salomon, nihilque haberet, quo rapax Chaldæorum avaritia irritaretur: altare autem thymiamatis ſumptuoſum ac pretioſum fuit, *ex lignis ſetim* à Moyſe confectum, veſtitumque auro puriſſimo, idemque à Salomone veſtitum cedro, inductumque auro. Nam idem omnino altare thymiamatis fuiſſe in tabernaculo, & in templo, nec factum de novo per Salomonem, ſed refectum duntaxat, rectè oſtendit Ribera noſter, contra paucos aliter ſentientes, lib. 2. de Tem. cap. 8. ex 3. Reg. 6. Atque hinc habes, quid reſpondeas ad quæſtiunculam aliam, quæ inde naſci poterat: utrum altare thymiamatis extulerit Jeremias, Moſaicúmne, an Salomonicum? Idem fuiſſe utriuſque altare affirmamus: qui diverſa faciunt, iſti quæſtioni forſan ſatisfacient, ſicut nos ſupra de tabernaculis, Moſaico, & Davidico.

An crates altaris holocauſtorum ſubducta?

Octavò: nihilne omninò de altari holocauſtorum cupiditati, ac profanationi Chaldæorum ſubductum eſt? Exiſtimârim, cratem æream, & arulam, per ſacerdotes, qui ignem ſacrum extulerunt, ſimul fuiſſe elata, cùm id facillimum factu fuerit. Accedit conjecturæ meæ, quòd nec 4. Reg. nec Jeremiæ capitibus ultimis, ubi ærea vaſa, & ornamenta Templi comminuta, & ablata numerantur, ulla proſus de ære altaris holocauſtorum mentio fiat. Vero itaque ſimillimum eſt, vel in Templo defoſſam fuiſſe cratem, & arulam; vel eodem, quo ignis ſacer, loco reconditam, ibique ærugine exeſam. Cætera iſtius altaris, communem cum Templo, vaſtitatis & incendii ſortem ſubiêre.

Quomodò Jeremias curioſitatem comitum, & cur, reprehenderit?

℣. 7. UT AUTEM COGNOVIT JEREMIAS, quid comites tentâſſent, pro inveniendo, & ſignando ad memoriam loco conditæ ſupellectilis ſacræ. Abſcedente ergo Jeremia, aut aliud agente, id conati ſunt; cùm non dicatur, vidit, ſed *cognovit*. Didiciſſe autem illud potuit, ex ipſorummet narratione, & confeſſione, ut divina revelatione opus non fuerit. Eo cognito, *culpans illos*, curioſitatem ipſorum illaudabilem, ac meritò reprehenſibilem fuiſſe oſtendit. Cùm enim non ignorarent, à Jeremia ſecretum de induſtria quæſitum, arbitroſque ſemotos; adeoque vel inde conficere deberent, ſecretum à Deo expeti: ipſi tamen, vel imprudente atque importuno religionis ſtudio, vel curioſitatis vitio ducti, ſcire voluerunt quod neſciri Deus voluerat. Gorionides putat, viſam à Jeremia curioſitatem comitum, & acerbè reprehenſam: *Cumq; ſequerentur ſacerdotes, qui erant in diebus illis, prophetam, ut adverterent locum, reſpiciens Ieremias poſt ſe, & videns; iratus juravit, dicens: Non ſciet homo, neque cognoſcetur locus, donec venero ego, & Iſaias propheta famulus Domini; tunc reſtituemus arcam in locum ſuum Sanctorum, ſubter alas Cherubim.* Ab aliquibus, & in iis à compilatore Gloſſæ, legitur in Gorionide, *Elias*, non *Iſaias*: ſed parum ad nos attinet, utrum ſcripſerit fabulator, Iſaïam, an Eliam: uti nec quod Dorotheus, & Epiphanius, in Jeremiæ vita ſcripsêre, dictum ab ipſo, locum nemini notum fore, niſi poſtquam Moyſes, & Aaron, eum aperuiſſent, uterque in vicinia ſepultus.

Cur hæc Jeremiæ dicta referantur:

DIXIT: QUÒD IGNOTUS ERIT LOCUS, DONEC CONGREGET DEUS CONGREGATIONEM POPULI, ET PROPITIUS FIAT. Rupertus l. 10. de vict. Ver. cap. 20. exiſtimat, hoc Jeremiæ de

arca

arca vaticinium à Judæis ad Ægyptios scribi, ad occupandum, quod objicere poterant contra sanctitatem Zorobabelici templi: quippe, cùm illi deesset, quidquid sanctissimum fuit; arca scilicet, & tabernaculum, atque altare Mosaicum. *Respondetur enim*, inquit Rupertus, *divinâ voluntate in futurum tempus, Ieremia teste, differri.... Consolatio hæc opportuna tunc extitit, magnam pro Dei legitimo templo, quod erat Hierosolymis, superexaltans coronam spei: ne vel propter hoc, quod non habebat tabernaculum, & arcam, & altare incensi, videretur Ægyptio templo non posse præferri.*

An arca fuerit in Zorobabelico templo sub Zorobabele?

℣. 8. Tunc Dominus ostendet hæc, abscondita producet Deus, quando propitiatus populo suo eum congregabit. Nascitur ex verbis hisce celebris apud interpretes quæstio: fueritne arca in Zorobabelico templo, an adhuc lateat, & quæ tempora exspectet? Affirmant quidam, fuisse in secundo Templo: sed de tempore, quo inventa sit, ac reportata, non conveniunt, & in duas dividuntur sententias. Prima est Riberæ, in cap. 1. Aggæi: repertam, & collocatam in Templo, cùm primum è captivitate Babylonica Judæi, cum Jesu Pontifice, & Zorobabele duce, redierunt: tunc enim fuit Deus populo suo propitius, & illum congregavit; meritóque dici ab Aggæo potuit, ob repertam miraculo arcam, domûs secundæ gloriam majorem fore, quàm primæ. Ita Ribera: etsi, post conjecturam illam indicatam, mavult denique, arcam numquam in Zorobabelico templo fuisse.

Rationes quæ Nehemiæ tempore demum inventam suadent.

Salianus, Torniellum & Hebræorum nonnullos secutus, ad annum Artaxerxis 20. censet, & multis probat, repertam, & Templo illatam eodem tempore, quo ignis Nehemianus miraculo excitatus est. Primùm, quis tunc congregatus de novo fuit populus, & Dei majestas in igne, mirabiliter excitato, spectabilis fuit, postquam nubes Solem & sacrificia obtexerat: ut meritò prodigium istud cum illis, quæ Mose & Salomone sacrificantibus, tabernaculumque & Templum dedicantibus, obtigerunt, comparetur. Deinde, quia constat ex 1. Mach. 1. fuisse altare aureum, sive thymiamatis, in Templo, quando illud Antiochus prædatus est: nusquam autem leguntur Judæi altare aureum novum curâsse: vetus ergo repertum est, neque aliàs meliùs quàm à Nehemia: si autem altare istud inventum, simul procuĺdubio reperta arca, & tabernaculum. Denique, quia Scripturæ parum consentanea sunt, quæ de arca in rupem ad Jeremiæ preces absorpta, ex D. Epiphanio, referuntur: cùm Hagiographus scribat, inventum locum speluncæ à Jeremia, ibique reconditam arcam. Fabellas item sapiunt, de insculpto Dei nomine in saxum digito Dei, quod tamen nomen legi, & videri nequeat: de nube isti loco incumbente: de arca ante omnes surrectura, & collocandâ non in monte Sion, sed in monte Sina, Sanctisque eò aggregandis, ut hostem, in eorum cædes ardentem, vitent. Ista, aliaque id genus, Rabbinicis commentis affinia, fidem nullam faciunt; adeoque propterea viri docti vitam Jeremiæ D. Epiphanio tribuendam negant; & synopsin Dorothei, unde consimilia recitantur, Baronius dicit non esse ab Episcopo Tyri, & Martyre, sed à juniore quodam Abbate, qui corrigenda non pauca scripserit.

Respondetur argumentis in contrarium.

Hæc sunt argumenta Saliani potissima: alia enim tria, quæ non tantum pondus habere videntur, prætermitto. Argumenta autem in contrarium bina profert, & dissolvit. Primum: si arca eo tempore inventa est, cur tam pretiosi inventi Scriptura non meminit, sicut memorat ignis miraculum: præsertim, cùm ista arcæ inventio plurimùm faceret ad institutum? Respondet, plurima alia à Deo in sacris Literis sileri, quæ scripta optaremus: item à Judæis, in epistola ad Ægyptios, ignem potiùs quàm arcam memorari, quia de festo anniversario ignis dati agebatur. Alterum: cur Josephus illius inventionis non meminit: cur in spoliis Romam à Tito delatis arcam non numerat: cur scribit, nihil prorsus fuisse in intima parte Templi? Respondetur: Josephum elatæ, & absconditæ, arcæ etiam non meminisse: numerare forsan arcam inter spolia, cùm dicit, *portabatur lex Iudæorum novissima spoliorum*: nisi dicamus, ab Antiocho Epiphane captam, quando intravit in Sanctificationem, & in ipsa Sancta Sanctorum, ut diximus l. 1. c. 1. v. 23. Ad extremum, à Josepho dici, nihil fuisse intra Sancta Sanctorum, id est nihil quale fingebant Ethnici, in adytis caput asininum repositum fabulati.

Qui arcam adhuc inventam negent?

Longè communior est sententia, negantium umquam in Zorobabelis, aut Herodis templo, fuisse arcam aut adhuc usquam apparuisse. Scriptorum plurimorum nomina congerit Mendoza, tom. altero in libros Regum, Ann. 15. sect. 1. num. 16. ubi ad calcem addit post adductos è Societate nostra scriptores, nullum de nostris, quem sciat, typis vulgatum dissentire: nondum ergo viderat Salianum. In eamdem sententiam Rabbini multi à Galatino congeruntur, dicuntque, posterius templum quinque rebus in priore spectabilibus caruisse: Urim & Thumim, seu Rationali, Arcâ, Igne, Divinitate, Spiritu prophetico.

Rationes pro illa sententia.

Rationes pro hac sententia, præter eas quibus Salianus occurrit, hæ sunt. Prima, quòd nec Zorobabelis ævo, nec Nehemiæ ætate, Hebræorum populus fuerit omnino congregatus; quâ demum congregatione factâ, dicitur arcam repertum iri: nondum autem fuisse tunc congregatos Hebræos, patet ex hac ipsa epistola c. 1. v. 27. & c. 2. v. 18. Altera, quòd nusquam ampliùs in Scriptura, post reductam captivitatem, de arca, præcipuo cultûs divini apud Judæos monumento, fiat mentio, neque apud Prophetas Aggæum, & Zachariam, neque in libris Esdræ, neque in historia Machabæorum: cùm tamen candelabra, altaria, vela, vasa Templi plurima memorentur. Imò neque apud antiquos auctores ullos de illa quidquam legatur, uti apud Josephum, quando de Pompeii in Sanctuarium ingressu agit, & alibi sæpè: etsi Petrus Comestor dicat, repositam esse Romæ sub altari Lateranensi, fuisseque in triumpho Titi delatam, eò forsan, quia apud Hieronymum vidit, Cherubinos aureos & propitiatorium in triumpho isto spectata. Sed Ribera noster affirmat, arcæ nullum esse vestigium in arcu triumphali Titi, qui hodieque Romæ visitur, & in quo pompa universa exactè expressa est.

Solvuntur argumenta in contrarium.

Argumentis contrariis respondetur: primùm, congregationem populi Hebraici factam eo tempore non fuisse, ut apparet ex dictis suprà. Deinde, altare thymiamatis novum in Zorobabelico templo positum; neque opus esse, ut tempus quando positum fuit designemus, aut deprehendamus in Scriptura, quæ alia multa majoris momenti silet, ut ipsemet Salianus fatetur.

Denique,

Denique, quidquid de ſuppoſititii Epiphanii, & Dorothei, aliorumque narrationibus fuerit: nihil tamen babent abſoni, aut parùm veroſimilis, quæ alii dicunt de arca in mundi fine manifeſtanda.

Sitne ante Judicium an in Judicio arca proditura?

Duæ autem ſunt de hac manifeſtatione ſententiæ. Quidam, in his Serarius, & Tirinus, exiſtimant, productum iri per Henoch, & Heliam: non ut Judaïſmus renovetur, quod objicit Salianus; ſed ut Judæi, viſâ areâ, congregentur, & ad veram arcam, atque altare, Chriſtum, & ad verum tabernaculum, Eccleſiam Catholicam, faciliùs alliciantur: maximè, ſi ab Enoch & Elia proponatur ſuper arca Ven. Sacramentum adorandum, ut quidam piè arbitrantur, & ipſe aliquando concionatus ſum, eruditis ac piis noſtrorum probantibus, licèt nuſquam meminerim me in libris editis vidiſſe. Alii, in his Mendoza, dicunt, apparituram in Judicio extremo; ubi congregabitur populus Dei Chriſtianus, ſub ſigno Filii hominis, id eſt ſub cruce, impiorum terrore, piorum gaudio· Judæi ſub arca, velut ſigno proprio, ad proborum Judæorum ſolatium, improborum & exlegum dolorem. Multa in hanc ſententiam apud Mendozam invenies, quæ tranſcribere operæ pretium non fuit: ſatis enim viſum eſt, ſi Lectori ſuggererem, quidquid in hac materia præcipuum dicitur.

Non fuit in Templo Zorobabelico.

Jam ſi meam de tota quæſtione ſententiam ſcire volueris, paucis expediam. Primùm exiſtimo, arcam in Templo ſecundo numquam fuiſſe; neque à Saltano ſatisfieri argumentis contrariis; nec Saliani argumenta quidquam evincere, ne iſtud quidem, quod aliqui cum illo ex 2. Paral. 5. afferunt, nos tamen ut leviuſculum prætermiſimus, arcam eſſe in Templo *uſque in præſentem diem*: etſi enim daremus, Paralipomena per Eſdram ſcripta, non ideò tamen ibi locutus eſt de die, quo ſcribebat; ſed de die, quo ſcripsêre, ex quibus ſua hauſit.

Non erit in extremo Judicio.

Deinde, non mihi videtur admodùm credibile, in Judicio extremo demum productum iri, reſurrecturamque arcam cum artifice, legem cum legiſlatore, ut loquitur Mendoza. Rationes enim, quæ pro tanto prodigio afferuntur, valdè infirmæ ſunt; nec convenientiæ, quas aliqui congerunt, plus habent ponderis. Eſto enim, tunc futura ſit *congregatio* maxima populi Dei: ſed nonne etiam antè aliqua fuerit, ut arca tunc, ex Jeremiæ vaticinio, potuerit apparere? Eſto, id ſenſerint Epiphanius, & Dorotheus, quicumque tandem ſint illi: at quemnam habent antiquiorem fidejuſſorem, & quàm multa fabuloſa inſerunt? Eſto denique, crucis lignum in Judicio præferendum ſit, quod plurimi negant; neque immeritò, dicuntque *ſignum Filii hominis* fore ſolummodò aëream crucem, lignumque crucis, ut cætera ſancta monumenta, flamis abſumptum iri. Sed eſto, crux ipſa Chriſti lignea in Judicio præferatur, quâ, quæſo, connexione infertur, prælatum etiam iri arcam: quaſi non omnes tum Chriſtiani, tum Judæi, tum è naturæ lege Sancti, cruce Chriſti ſalvati ſint, & ſub eodem ſigno triumphaturi?

Apparebit ante Judicium.

Tertiò, pium creditu eſt, & valdè veroſimile, arcam ab Henocho & Elia productum iri de tenebris, ut quidam ſentiunt: addo ego tabernaculum, & altare incenſi. Quorſum enim hæc duo cultûs divini monumenta, per Jeremiam arcæ conjunctim recondita, non ſimul cum arca proferantur: maximè, cùm Jeremias dicat futurum, ut Deus oſtendat *hæc*, non hanc ſolùm arcam, ſed hæc tria ſcilicet, de quibus verſu præcedenti? Ratio autem hujus ſententiæ potiſſima mihi, ac fermè unica eſt, quòd Deus ſub finem mundi congregaturus ſit *congregationem populi* Judaici, & propitius ei fiet; nam *cùm plenitudo Gentium intraverit, tunc Iſraël ſalvus fiet.* Atqui prædicit Jeremias fore, ut Deus oſtendat *hæc*, quando congregabit populum: & de alia nulla congregatione commodè iſtud accipi poteſt, ut jam vidimus. *Tunc etiam apparebit majeſtas Domini, & nubes erit*, & ignes, Enocho & Elia innumera miracula patrantibus. Quid etiam, ſi ad literam intelligendum de hac arcæ, tabernaculi, & altaris manifeſtatione, iſtud Apoc. 11. v. ult. *Viſa eſt arca Teſtamenti ejus in templo ejus*, cœleſti, aut aëreo, aut in ipſo monte Sion, & Moria, templi Hieroſolymitani loco, cui ſæpiùs in Scripturis cœli nomen tribuitur? Efferentibus illam ſurſum Angelis, ut ſpectabilior ſit; & ſuper arcu portantibus auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ut à Chriſtianis ex utroque genere, Gentili, ac Judæo, adoretur: *& facta ſunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna.*

Neque obſtat Jeremiæ vaticinium huic explicationi prophetiæ alterius.

Sententiam iſtam, tum ex fundamento ſuo, tum ex pietate, adeo probo, ut pro certâ lubens ſtatuerem, niſi obſtare videretur prophetia alia Jeremiæ c. 3. *Cumq; multiplicati fueritis, & creveritis in terra illis diebus, ait Dominus, non dicent ultrà, Arca teſtamenti, neque aſcendet ſuper cor, neque recordabitur illius, nec viſitabitur, nec fiet ultrà.* Quomodò iſta Jeremiæ vaticinia, cum noſtris epiſtolæ Judæorum explicationibus, convenient? Dicit ipſe, Judæos non dicturos amplius, *Arca Teſtamenti*, neque illam magni facturos, nec commemoraturos, nec inviſuros, nec refecturos. Nos autem ex altero ejuſdem vaticinio dicimus, prodigioſè à Prophetis duobus eruendam de latebris, proponendam, circumferendam, aggregandos ad eam Judæos. Quid inter tam contraria in ſpeciem dicta convenientiæ eſt? Fateor, aliquid ibi eſſe difficultatis: non tam multum tamen, ut nos à ſententia cogat diſcedere. Reſponderi enim commodè poteſt, iſtud ex cap. 3. vaticinium, intelligendum de Arcæ ſolius memoriâ, cultu, ornamento. Nos verò non Arcam ſolam dicimus propoſitum iri cultui Chriſtianorum, ſed cum illa Venerabile Sacramentum, cujus ipſa ſymbolum erat; ut Euchariſtiæ adorandæ ſupponatur arca ſcabelli inſtar, vereque tunc dici poſſit *ſcabellum pedum Dei.*

Ven. Sacramentum eſt arca miraculoſa.

Certè ſanctiſſimâ Euchariſtiâ Arcæ ſuperpoſitâ, quamvis miracula à Propbetis duobus alia nulla patrarentur, aptiſſimè tamen quadraret, quidquid hîc in Arcæ inventione prædicitur eventurum. Apparet enim *majeſtas Domini* in Euchariſtia, cùm à populis concurrentibus ad ſupplicationes, ad ſacra, ad benedictiones, propenſiſſimè honoratur; *eò altior, quò humilior. Nubes* eſt, cùm ſpecies, tenuis atque minimæ ſubſtantiæ, Solem juſtitiæ, in cujus pennis ſanitas eſt, videntur obtegere. *Ignis de cœlo* deſcendit, qui ſemper ardet, & numquam extinguitur, quando fit Sacramentum amoris. Recapitulantur prodigia omnia, quæ in Moſaici tabernaculi, & Salomonici templi dedicatione accidêre: quia Sacramentum iſtud eſt miraculorum à Deo, poſt Filii ſui incarnationem, patratorum maximum; & holocauſta, quotquot Moyſes, Salomónve, obtulit, tenuis tantùm umbra illius fuerunt. Sed

de

de Euchariſtiæ Sacramento, & honore, plura in Excurſu.

Arca myſticè manifeſtata.

Si cui forſan hæc etiam de Arca explicatio non placuerit, per me licet, corruptam dicat, unquam ſaltem de rupe prodituram, & ibi cum cæteris hominum, quamvis ſacroſanctis operibus, arſuram. Quid ergo ad noſtrum hujus loci vaticinium, à Jeremia pronuntiatum, ſedandæ comitum curioſitati? Reſponderi poteſt, cum Ambr. l. 3. c. 14. & cum Rup. c. 21. completum jam nunc iſtud vaticinium, quando Chriſtus in carne noſtra viſibilis apparuit: *Congregationem*, inquit Ambroſius, *populi tenemus, propitiationem Domini Dei noſtri agnoſcimus, quam propitiator in ſua operatus eſt Paſſione. Arbitror, quòd nec ignem iſtum poſſimus ignorare; cùm legerimus, quia Dominus IESUS baptizat in Spiritu ſancto, & igni*, &c. Nonne & *majeſtas Domini* apparuit in monte Thabor, & *nubes*, & *ignis*, cùm facies rutila Solis inſtar. Nonne corpus ipſum erat velut nubes: ſed per miracula majeſtas Domini radiabat? Nonne in monte Calvariæ *Sol* fuit *in nubilo*, ſed cùm *reſplenduit* per Reſurrectionem, protinus ignis magnus, ex cœno diſcipulorum lugentium, accenſus eſt, ut dicerent, *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis?*

Myſticè vaticinari potuit Jeremias.

At verò, inquiet aliquis, ſi Jeremias vaticinium ſuum ſic intelligebat, de myſtica arcæ manifeſtatione, quorſum illud protulit ad ſolatium comitum, de notando latibuli loco ſolicitorum? Dicam, non ad eos ſolandos protuliſſe, ſed ad eludendam inutilem, ac ſuperfluam, eoque tempore periculoſam, curioſitatem. Cæterùm verè ita loqui, ex iſta intelligentiâ myſticâ, potuit: verè enim Chriſtus eſt arca, altare, tabernaculum, id eſt, quod illis verè adumbrabatur: & in ipſius factis nubes & ignis, obſcura claris, juncta ſunt: neque opus fuit, ut figura ampliùs appareret, ubi res figurata palàm ſpectabatur. Si neque hæc poſtrema ſive explicatio, ſive accommodatio, placuerit: nihil eſt ampliùs, quod dicam, quàm cum D. Petro Damiano lib. 2. ep. 20. ad Albericum quæſt. 7. de hoc ipſo argumento, apud Mendozam, nam in Damiano non invêni: Quando arca ſit prodit ura de latebris, vel prodierit, curioſitatem noſtram non debere diſcutere, cùm Scriptura nihil aperiat.

Hujus verſûs connexio cum præcedentibus.

℣. 9. Magnifice etenim sapientiam tractabat: &c. Præcedenti verſu dixit vaticinans Jeremias, fore ut in arcæ reſtitutione appareat majeſtas Domini, ſicut Moyſi in tabernaculo nube cooperto; & ſicut Salomoni in Templo, quando Dominus dixit, ut habitaret in medio nebulæ. Et in eo verſu extitit o finis verba Jeremiæ ad comites, & vaticinium de arca. Verſu autem nono, ac ſequentibus, pergunt Judæi in epiſtola ſua, &, ex occaſione verborum iſtorum Jeremiæ, attexunt alia de Salomone, ac Moyſe, ex iiſdem deſcriptionibus excerpta, & cum igne Nehemiano convenientia. In hoc verſu nono, nihil difficile eſt: adverte tantùm, finem præcedentis, & initium hujus, breviora eſſe in Græco, ſic enim habet ad verbum: *Et ſicut Salomon petiit, ut locus ſanctificaretur magnificè. Manifeſtabatur autem*, διεσαφεῖτο δὲ καὶ ὡς, id eſt, *Clarè exponebatur etiam*, in illis deſcriptionibus, *quomodò ſapientiam habens*, ſcilicet Salomon, *obtulit*, &c.

Ignes de cælo Moſi & Salomoni dantur.

℣. 10. Sicut et Moyses orabat ad Dominum, et descendit ignis de cælo, &c. sic et Salomon oravit, &c. Narratur de prodigioſis iſtis ignibus Levit. 9. verſ. 24. & 2. Paral. 7. v. 1. Aliàs etiam de cælo datos, breviter annotavi ſuprà ad v. 30. cap. 1. Reperies etiam eodem cap. v. 32. quid de perpetuatione, & conſervatione prodigioſorum ignium, Moſaici, Salomonici, Nehemiani, ſenſerint quidam, & nos opinemur. Plura noſtris habent aliqui Interpretes ad cap. 9. Levit. Nobis ſufficit explicatiùs tradere, quæ hujus libri ſunt propria.

Moſes conqueritur exuſtam victimam pro peccato.

℣. 11. Et dixit Moyses, eò quòd non sit comestum quod erat pro peccato, consumptum est. Meritò Sa dicit, verſum hunc conciſum eſſe, & obſcurum: diducamus aliquantum, ut magis perſpicuus fiat, & appareat, quorſum ſpectet. Levitici cap. 10. mortuis Nadab & Abiu ob alienum ignem oblatum, Moſes *hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cùm quæreret, exuſtum reperit*, expoſtulavitque cum Aarone, & liberis, quòd de illa hoſtia non comediſſent: cùm tamen hoſtiæ pro peccato comedi deberent à ſacerdotibus, &, ſi quid ſupererat, igne conſumi, profano ſcilicet, tamquam cibus jam uſui hominum deſtinatus. Ad eam hiſtoriam alluditur hoc loco: ſed qui? euſtio victimæ iſtius ad ſacros ignes pertinet? Nonne profano igne arſit, quidquid illius ſacerdotibus comedendum fuerat?

An cælesti flama arſerit?

Serarius, poſt Rupertum, exiſtimat, victimam iſtam, ab Aarone ac filiis non comeſtam, eâdem cælitus miſsâ flamâ conſumptam eſſe, quæ cæteras hoſtias devoravit, Levit. 9. v. 24. Adeoque hunc verſum cenſet cum altero continuari ſimilitudine miraculi, eodemque ſpectare, ut commemorentur miracula ignium cæleſtium. Placetque eò magis iſta Serarii explicatio, quòd non videantur Aaron, & filii, tunc auſuri hoſtiam pro peccato oblatam comburere; neque igni ſacro, quia peccati hoſtia eſſet; neque profano, ne quid forſan inſciis & imprudentibus contingeret, quale eo ipſo die contigerat Nadab & Abiu, ignem alienum inconſideratâ religione offerentibus. Dum igitur anxii hærent inter religionem, & metum, Deus ipſe miraculo dubium decidit. At, inquis, ſi id factum eſt, quidni Aaron meminit, cùm expoſtulationi Moſis reſpondet, Lev. 10. v. 19? Reſpondeo: ideò forſan Aaronem non meminiſſe, quia jam ab Eleazaro, & Ithamare, didiciſſe Moſes potuerat v. 16. cùm quæreret hircum, & exuſtum reperit.

Quæ inter Moſis & Salomonis dedicationes diſſimilitudo?

Ita, ad fulciendam Serarii explicationem, reſpondero. Quæ ſi tibi minùs placuerit, dicere poſſis, hunc verſum undecimum non aliter cum præcedenti hærere; quàm quòd, poſt ſimilitudinem aliquam inter dedicationes Moſis & Salomonis allatam, jam diſſimilitudo aliqua proferatur: quia nempe triſte aliquid in Moſis dedicatione accidit, cujus cauſsâ non manducata eſt hoſtia pro peccato; in Salomonis autem dedicatione nihil evênit, quo feſti lætitia interturbaretur. Itaque *ſimiliter &*, ὡσαύτως καὶ, eodem quo cœperat modo; feſtivè, continuato gaudio, *Salomon octo diebus celebravit dedicationem*. Sic jungi poterit non incongruè verſus undecimus cum decimo, duodecimus cum undecimo: præſertim, cùm in iſtis verſibus Judæi ad Judæos ſcribant, de rebus utrimque notis, & quæ, vel verbo indicatæ, ſtatim intelligantur?

Quæ deſcriptiones & commentarii Nehemiæ?

℣. 13. Inferebantur autem in descriptionibus et commentariis Nehemiæ hæc eadem. Græcè pro, *inferebantur*, eſt ἐξηγεῖτο, referebantur, & ſic Latinè legendum puto. Græcè pro, *commentariis Nehemiæ*, habetur,

commentariis,

commentarius, χ.τ.λ., *secundùm Nehemiam*: quemadmodùm dicimus *Evangelium secundùm Matthæum*, id est *Matthæi*. *Descriptiones* autem, *& commentarius* ipsi Nehemiæ, quid libri est? Constat, non esse librum Esdræ secundum, qui de Nehemiæ rebus loquitur: nam ibi non referuntur *hæc eadem*, id est, de lutosa aqua in flamam sacrificii conversa, de igne abscondito per sacerdotes, de arca aliaque supellectile sacra abdita per Jeremiam. Itaque fuit liber alius, qui olim periit: ubi diarium rerum Nehemiæ conścribebatur, adeoque narrabantur ista, de igne cælitus ipsi dato, & simul *inferebantur*, seu referebantur *hæc eadem*, quæ ex descriptionibus Jeremiæ sunt recitata.

Cur libri à Nehemia repositi in bibliotheca?

ET UT CONSTRUENS BIBLIOTHECAM CONGREGAVIT DE REGIONIBUS LIBROS, ET PROPHETARUM, ET DAVID, ET EPISTOLAS REGUM, ET DE DONARIIS. Græca sic habent ad verbum: *Et quomodò, construens bibliothecam, congregavit quæ de Regibus, & Prophetis, & quæ Davidis, & epistolas Regum & donariorum.* Ex utroque textu hanc sententiam conficio: Nehemias, bibliothecâ voluminibus undique conquisitis instructâ, nominatim in ea reposuit libros Regum Juda & Israël; libros item Prophetarum omnium; psalmos Davidicos; literas Regum externorum, verbi causâ, Cyri, Darii, Artaxerxis, de Templi, civitatis, & gentis Judaicæ prærogativis; tabulas donariorum, & donationum, sive ab istis Regibus, sive à viris principibus, aut privatis, factarum Templo, aut civitati.

An Biblia ab ipso, aut Esdra, fuerint restituta?

Ne ergo, quod etiam monuit Serarius, existimaveris significari, libros sacros vel à Nehemia, vel ab Esdrâ auxilio Nehemiæ, restitutos, quasi per captivitatem Babylonicam prorsus periissent. Etsi enim tunc omnino perditos aliqui censuerint: id tamen aliis, & mihi, credibile non videtur, cùm sacrorum librorum exemplaria procul dubio multa, per Regis Josiæ ætatem, scripta & publicata fuerint; quæ Nabuchodonosor, quod sciatur, abolere conatus non est, & quamvis conatus foret, nequisset tamen, quia nimis latè per varias manus, ac regiones, sparsa erant, quomodò de Epiphane mox dicturi sumus.

Principum in libros & scientias studium.

Habent viri principes, ex utroque ordine, quod in Nehemia imitentur studium librorum, & bibliothecarum instructionem. Cùm enim antiquitatis, & scientiarum cognitio tum ad auctoritatem deceat, tum expediat ad gubernationem; cognitio autem illa sine libris comparari, nisi miraculo, non possit: quantò meliùs in illis conquirendis, disponendis, ornandis magnificentia ostentabitur, quàm in profusis ad res inutiles, animalia peregrina, homines tempori virtutique onerosos, sumptibus? Notus juveni mihi familiariter fuit valdè eruditus senex Dom. Bucherius, Archidiaconus ex Sorbonico Doctore Tornacensis, supellectilis nullius diligentior custos, quàm librorum, quibus nobilem bibliothecam impleverat. Erat ipsi peramicus sacerdos Gallus locuples, non iisdem tamen quibus ille studiis: quippe qui crystallina vitra præ libris amaret, non tamen potandi causâ, sed spectandi; adeoque plurima figurarum diversissimarum habebat, in abacis disposita, ostendebatque amicis ad se visentibus, cum hoc dicto, Bucherius bibliothecam habet, ego vitrothecam. Plaudebat ipse sibi solus, amicis tacitè ridentibus parum sanum præ alio studium.

Damnanda præ alio cura nugarum.

Damnavi in privato librorum præ inani supellectile negligentiam: non damnem in proceribus parasitorum & histrionum curam, doctorum virorum contemptum: effusam in convivia, venationes, musicos cantus, prodigalitatem, restrictam ad scientiæ instrumenta parsimoniam? Quot sunt, quibus aureos mille in spectaculorum nugas, & nugivendulos profundere, pro nihilo est: totidem ad mansura rerum monumenta sapienter impendere, aut ad commodatura in publicum volumina largiri, pro jactura est? Quamquam in illis non semper Principum culpa est: œconomi, procuratorésve, & quæstores illorum frequentiùs peccant; quia lubentiùs illis de ærario domini sui largiuntur, à quibus dona obsequiáve exspectant, aut qui studiis iisdem atque ipsi delectantur, quàm viris doctis, qui non agunt de pane lucrando, sed de mente formanda.

Bibliothecæ variæ.

Ad exemplum Nehemiæ, addant proceres Regum priscorum apud Medos & Persas exempla, ex 1. Esd. 6. 2. 1. ubi dicuntur habuisse bibliothecam librorum, *qui erant repositi in Babylone.* Ut meritò Serarius, & ex illo Tirinus, hoc loco sugillent Strabonem, qui primum bibliothecarum componendarum auctorem, Aristotelem facit. At nonne etiam, ante Persarum ac Medorum ævum, apud Ægyptios bibliothecæ fuerunt; cùm Joseph Pharaonis principes prudentiam doceret, & Moyses instrueretur omni sapientiâ Ægyptiorum? Certè apud Diodorum legere me memini, Reginam quamdam Ægyptiam è priscis, ante Persica tempora, inscribendum curâsse bibliothecæ, à se exstructæ, titulum, ἰατρεῖον ψυχῆς, *Medicatorium vitæ.* De Constantinopolitana bibliotheca, centum viginti millibus voluminum instructa, vide Baron. an. 330. putantem opus fuisse Constantini Magni. De Ptolemæi Philadelphi, Pergamenorum Regum, aliisque illustribus bibliothecis alii. Inter eas aliquando memorabitur insignis illa, quam Tornacenses Canonici dono, posteritati consulentes, ditavêre, & dotavêre, ad collegarum & quorumvis eruditorum usum. Utinam sint apud nos, qui sic studiorum commodo & posteritati consulant.

Hierosolymitana bibliotheca restituitur à Juda Esseno.

℣. 14. SIMILITER AUTEM ET JUDAS EA, QUÆ DECIDERANT PER BELLUM, QUOD NOBIS ACCIDERAT, CONGREGAVIT OMNIA, ET SUNT APUD NOS. Narratur 1. Mach. 1. v. 59. & 60. quanto studio Antiochus Epiphanes libros sacros abolere conatus sit: nec dubium, quin bibliothecam Nehemianam, & quidquid in illa post Nehemiam repositum fuerat, eodem loco habuerit, quo vasa sacra. Post atrocem istam Antiochi persecutionem, Judaïcâ re stabilitâ, unum è præcipuis Judæorum studiis fuit, bibliothecam sacram restituere. Id hîc à Juda factum narratur: quo autem Judâ? Tirinus Machabæum putat. Sed illi tantum temporis vacui non fuit, quantum ad operam ejusmodi necesse est: præterquam quòd, si hîc ageretur de Machabæo, istud cognomen ejus adderetur, ut infrà v. 20. Est ergo, quod cap. 1. ad v. 10. cum Serario, aliisque, censuimus, hic ipse Judas Essenus; cui, virtutis ac scientiæ amatori, otium fuit colligendæ bibliothecæ, quemque Bibliothecarium Hierosolymitanum, eâ gratiâ, appellare possimus.

Cur librorum exemplaria Hierosolymitani Judæi Ægyptiacis offerant?

℣. 15. SI ERGO DESIDERATIS HÆC, MITTITE QUI PERFERANT VOBIS. Græcè ὧν οὖν χρείαν ἔχητε, *Quorum indigentiam habueritis, mittite qui ea perferant.* Id est, si cupitis aliquos ex libris, à Juda collectis, accipere, aut si quorum vobis

vobis uſus erit, eos tranſmittemus, ſtatim atque iſthinc, qui deferat, advenerit. At quorſum exemplaria librorum Hieroſolymitani Judæi offerunt Ægyptiacis fratribus? Neſciebant fortè, inſtructiſſimam eſſe in Ægypto bibliothecam, jam inde à Ptolemæo Philadelpho, voluminibus omnigenis, ipſiſque adeò Judaicis? Ut quid ergo aquas Oceano, ſtipem Crœſo, offerunt? Ob hoc ipſum, inquit Tirinus, quia Ægyptii fórſan bibliothecam Alexandrinam, Scripturamque illic à Septuaginta duobus interpretibus in Græcum converſam, venditaturi erant; idcircò Hieroſolymitani, ne illis eâ parte cedere videantur, de bibliotheca ſua meminerunt, libroſque offerunt, & hoc pacto oſtendunt, ſe illis abundare, præſertim ſacris. Quid ſi dicamus, hæc verba ſpectare ad commendationem libri ſecundi Machabæorum, quem ultro mittunt, velut in prægustum, & anteceſſum, ac ſpecimen aliorum, quibus Ægyptiaci fratres careant, & quos accepturi ſint, ſi cupiant? Sic omnino arbitror, & huic epiſtolæ attextum eſſe librum, ut mox dicemus.

Epiſtolæ concluſio, ubi rurſus Templum commendatus.

℣. 16. 17. 18 19. ACTURI ITAQUE PURIFICATIONEM, encænia mundati Templi, SCRIPSIMUS VOBIS, &c. Redeunt ad caput, poſt aliquas non ſupervacuas & inutiles digreſſiones; & epiſtolam claudunt ab eadem, unde incæperunt, adhortatione, ad obſervandum Encæniorum feſtum. Tranſeunt deinde, quomodò etiam initio fecêre, ad pia vota & omina. In quibus advertendum, inculcari rurſus commendationem Templi Hieroſolymitani cùm dicunt redditam *hæreditatem omnibus*, id eſt recuperatam Terram promiſſam, *regnum* ſeu Principatum, *ſacerdotium* legitimum, *ſanctificationem* ſeu Templum: ſperandum, fore, ut Deus ex promiſſo ſuo Deut. 30. populi ſui miſereatur, & congreget, etiam ex Æhypto, *in locum ſanctum* Templi: ipſe enim perficiet, quod cæpit, quando ſub Juda Machabæo gentem ſuam *periculis* liberavit, & *locum* Templi *purgavit*, id eſt, potenti ſuo auxilio effecit, ut à Machabæo purgaretur.

Liber ſecundus Machabæorum ab epiſtola pendet, eique hæret aptiſſimè.

In iſtis verbis terminatur epiſtola, nec deeſt ad conſuetas illius formulas quidquam, inquit Serarius, niſi clauſula, Vale, vel Valete: quamquam neque in Apoſtolicis literis, præterquam Act. 15. v. 29. eam clauſulam reperiri. Addo, neque opus fuiſſe epiſtolam concludi, cùm ſequeretur hiſtoria ad illam adjuncta; ejuſque argumento reſpondens. Planè enim exiſtimo, librum hunc ſimul cum epiſtola miſſum, tum ut Encæniorum originem accuratè docerentur, tum ut multa diſcerent ad Templi reverentiam facientia: qualia ſunt, de Oniæ pietate, de Heliodori ſacrilego conatu punito, de Calliſthenis impii ſupplicio, de Nicanoris, qui Templo malè minatus fuerat, infælici exitu. In qua Nicanoris morte librum ſuum Hagiographus claudit, quaſi officio ſuo perfunctus, Ægyptiacorum fratrum, ad Templi iſtius divinitus ita defenſi, venerationem excitandorum. Eódem reſpiciunt beneficia cælitus Judæ Machabæo tam ſpectabiliter collata; qui cùm Templum emundaverit, & Deo tam carus fuerit, conſequitur, Deo Templum ſuum eſſe cariſſimum. Huic in modum liber totus hæret epiſtolæ: in eaque jam olim fui ſententia, magiſque ac magis perſiſto; & in eadem forſan fuit, qui capita diſſecuit, partemque epiſtolæ in hoc capite cum proœmio hiſtoriæ compoſuit.

Proœmium hiſtoriæ.

℣. 20. 21. 22. 23. DE JUDA VERÒ MACHABÆO, ET FRATRIBUS &c. Incipit hîc præfatio Hagiographi ad reliquum librum: quæ adhùc præceſſêre, quidam parerga exiſtimant, ego aptiſſimè hærere non dubito, idque inculco, & infercio; ne aliqui forſan adverſariorum noſtrorum inde cavillandi occaſionem arripiant, quaſi aliquid incongruum ſit in conjunctiva particula, *verò* Etſi enim ſæpè in Græco δὲ, id eſt *verò*, ſive *autem*, redundat: non tamen hîc eſt ſuperfluum, ſed munere ſuo fungitur, & rectiſſimè præfationis ingreſſum cum epiſtolæ exitu connectit. Ultima epiſtolæ verba ſunt, *Locum purgavit*: in primo ſtatim præfationis verſu ſcribitur *de Templi magni purificatione, & aræ dedicatione.* In poſtremo epiſtolæ verſu dicitur Deus eripuiſſe Judæos *de magnis periculis*: in ſecundo præfationis ver. agitur *de præliis*, in tertio *de illuminationibus* ſeu epiphaniis, ut Græcè habetur, id eſt apparitionibus & ſignis, quibus præſens auxilium ſuum Deus demonſtravit erga eos, *qui pro Iudæis*, Græcè, *pro Iudaiſmo fortiter fecerunt*, φιλοτίμως ἀνδραγαθήσασιν: de quibus illuminationibus vide comm. ad l. 1. c. 4. v. 59. In antepenultimo epiſtolæ verſu, dicitur Deus reddidiſſe *omnibus hæreditatem regnum, Sacerdotium, Sanctificationem*; in penultimo iteratur nomen *loci ſancti*: in præfationis ver. 3. & 4. ſive capitis ver. 22. & 23. dicuntur *pauci* probi *univerſam regionem* vindicâſſe, λεηλατεῖν populati; *famoſiſſimum in toto orbe Templum*, præ quo ſcilicet Heliopolitanum nihili ſit, recuperâſſe; *civitatem* reſtituiſſe; leges jam abolitas, vel, ut Græcè habetur, μέλλοντας καταλύεσθαι, *diſſolutionem habituras* aſſeruiſſe, *Domino propitio.*

convenientiſſimè jungitur fini epiſtolæ.

Idem epiſtolæ ſcriptor, & breviator hiſtoricæ.

Tam aptè iſthæc inter ſe reſpondent, ut ambigere non poſſim, quin de induſtria ita ſint compoſita, & conjuncta. Atque adeò vel hinc illud etiam colligo, quod capite ſup. ad v. 10. ſtatuebamus, eumdem fuiſſe epiſtolæ ſcriptorem, & libri hujus breviatorem: etſi in epiſtola non ſolus loquitur, quia Synagogæ totius nomine ſcripta eſt: in libro autem loquitur ſolus, quia ſolus breviandi laborem ſuſcepit.

Breviaria, & ſummaria, quid ſint?

℣. 24. ITEMQUE AB JASONE CYRENÆO QUINQUE LIBRIS COMPREHENSA, TENTAVIMUS NOS UNO VOLUMINE BREVIARE. Græcè non habetur, *itemq;*, ſed, τὰ, *iſta*, quæ quatuor verſibus præcedentibus propoſita ſunt. Græcè etiam pro, *comprehenſa*, habetur, δεδηλωμένα, *declarata*, apertè expoſita; & pro *breviare* habetur, ἐπιτεμεῖν, unde epitome, id eſt compendium, & epitomare apud ſequiorum ætatum ſcriptores, id eſt, reſcindere & ſummario aſtringere. Summaria jam ab ævo Senecæ breviaria dici cæpiſſe, conſtat ex ejus epiſtola 39. *olim ſummaria, nunc breviaria*: inde Breviarii nomen in uſu Eccleſiaſtico, quia divinæ Scripturæ, & expoſitionum hiſtoriarumque ſacrarum, ſummarium quoddam eſt, ut hîc advertit Serarius.

Jaſon de qua Cyrene oriundus?

Quæritur primò: unde oriundus Jaſon iſte, rerum Judaicarum ſcriptor, cujus libri quinque ab Hagiographo in compendium redacti? Cyrenæum fuiſſe, Hagiographus ſcribit: ſed cùm plures Cyrenæ fuerint, Mediæ una, de qua 4. Reg. 16. v. 9. Moabitidis altera, de qua forſan Amos 9. verſ. 7. Libyæ tertia, unde oriundus Simon, Chriſto in ferenda cruce comes additus fœliciſſimo infortunio: quam è tribus iſtis, forſan & pluribus, cùm etiam Rhodii à quibuſdam Cyrenæorum appellationem habeant: quam ergo de iſtis cognominibus urbibus patriam Jaſon noſter habuit? Nec Serarius, nec Scaliger ipſe dubitavêre, quin de celeberrima illa Cyrene Libyca

appellationem

appellationem traxerit: ubi plurimi erant Hellenistæ Judæi, Græcâ linguâ, ut plerique sub Macedonicis Ægypti Regibus, utentes. Vide Josephum l. 14. c. 12. &c. Imò Act. 2. & 6. ubi memorantur *partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, & synagoga Cyrenensium.*

Cur illo usus Hagiographus?

Quæritur secundò: cur illo potissimùm usus Hagiographus, cùm alia proculdubiò monumenta Judaicarum rerum non defuerint, unde sua posset excerpere? Rationum unam ea origine petendam arbitror. Cyrenæus erat, id est de Judæis Ægyptiacis, cùm Cyrene Regibus Ægypti parêret. Hagiographus autem Ægyptiacis Judæis præsertim compendium suum instruxit, & misit. Rectissimè itaque auctore illo utitur, cujus apud illos gratia major foret, non ea eodem solum genere, sed etiam patriâ; quemque suspicari non possent, nimio erga Hierosolymitanos præ ipsis affectu ferri: atque adeò proniùs, ac benigniùs, acciperent, quæ de Templi Hierosolymitani gloria, & sanctitate, ex ejus scriptis recitarentur.

An ex illo excerpta habeant auctoritatem Scripturæ?

Quæres tertiò: habeántne verbi divini auctoritatem, & sacræ Scripturæ fidem, narrationes, quæ toto hoc libro ex Jasone Cyrenæo referuntur? Calvinus, & Wittakerus, ut libri auctoritatem elevent, Jasonem istum divinant, profanum hominem fuisse: neque à Spiritu sancto tantum fuisse tributum illius scriptis, ut eorum breviator esse voluerit. Nugatorio isti argumento respondet Seratius: plurimos in Scriptura, tamquam apud Matth. c. 25. impiorum sermones compendio per Spiritum sanctum positos: veritati, à profano homine prolatæ, testimonium atque approbationem à Deo dari posse, ut Actor. 17. & ad Titum 1. Paullus fecit sententiis poëtarum Græcorum: Dominum per ora Sibyllarum, Balaami, asinæ, Caiphæ locutum: etsi Jasonem daremus profanum hominem fuisse, potuisse tamen vera scribere, eaque examinari, ac pro veris proponi ab Ecclesia Hierosolymitana: denique Jasonem Cyrenæum fuisse probum, ac pium Judæum, tantum abest ut profanus sit.

An mera sint relatio, & rescriptio.

Sed parùm nobis, in futilium ab adversariis nostris ratiocinationum dissipatione, negotii est. Pejus multò me habet, Catholicorum aliquos, ita hîc loqui, ut Acatholicis offerant, quo, inevitabilia alioqui ex hoc libro contra errores tela, conentur eludere. In iis est Emmanuel Sa, qui, ultimâ ad caput 2. notatione, *Hactenus*, inquit, *epistola, in qua & illud notandum, ipsos* Judæos Hierosolymitanos, *quod ad veritatem historiæ attinet, velle penès auctorem, quem abbreviant, fidem esse; ut mirum non sit, si fortè aliqua deprehendantur dubia: auctor enim sacer solùm refert, quid Iason Cyrenæus scripserit.*

Habent omnino auctoritatem Scripturæ, uti & epistola Judæorum.

Salianus, qui anno ante Christum 160. num. 7. isti Emmanuelis opinioni parum quidpiam, imò multùm nimia dederat, uti ad c. 6. l. 1. v. 28. &c. advertimus: postmodùm, anno ante Christum 130. num 5. eâdem Emmanuelis opinione, de literis huic libro præfixis, recitatâ censuram adjicit: *Ego sanè fateor, hanc assertionem mihi semper duram fuisse visam, opinor & plerisque aliis prudentibus viris.* Meritò dura & illa de literis assertio, & hæc de narrationibus ex Jasone excerptis, ob easdem quas c. 1. attulimus rationes: quia Concilium Tridentinum suscipit hunc librum cum omnibus suis partibus, partes autem, vel paucæ, vel nullæ, supererunt, si & epistola tollatur, & omnes Jasonis narrationes: quia Spiritus sanctus non passus fuisset à Synagoga universa mitti, de re gravissima, librum dubiæ fidei: quia nihil toto hoc volumine narratur inauditum, difficile, absonum, à Synagogæ Ecclesiæque moribus alienum, cum divino cultu ac pietate non omnino conveniens, veritate ac sermone divino indignum.

Propria ratio pro narrationibus ex Jasone.

Deinde, propria pro decerptis ex Jasone narrationibus ratio est: si fidem divinam non faciant, de fide ergo non erit historia septem Martyrum cum matre, ex Jasone cum reliquis exscripta: quam tamen passim Patres pro Scripturæ narratione commendant, Indeque Machabæorum libris plurimùm deferunt. De fide non erit historia Judæ Machabæi, commilitonum defunctorum Manes per sacrificia procurantis: unde tamen Ecclesia non lectiones tantùm sacras desumit, sed etiam validissimum argumentum adversùs impietatem erga mortuorum animas, quam spiritus erroris heterodoxis persuasit.

Omnia libri hujus, tum doctrinalia, tum historica, faciunt fidem divinam.

Nec dicas, quod nonnemo respondebat: manere tamen suam huic libro auctoritatem in iis, quæ Hagiographus, id est Spiritus sanctus docet, ac pronuntiat: adeoque vere esse Scripturam sacram quoad doctrinalia, ut loquuntur, non autem quoad historica. Verbi causâ, ex narratione sacrificiorum Judæ Machabæi conficitur ista illatio; *Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Ea illatio fidem divinam facit; quia est ab Hagiographo: etsi narratio præmissa faciat solummodò humanam fidem, quia est ab Jasone. Sed unde, quæso, internoscis, quid ab Hagiographo, quid ab Jasone? Quà pervides, quænam ab historico sint, quæ à breviatore sententiæ? Nonne illi æquè inserre licuit, atque isti? Imò nonne probabilius est, ab eo, qui fusiùs exegit historiam, factas illationes, & pronuntiata documenta: quàm ab eo qui restrictiùs scripsit? Sed demus, documenta, quæ ab Hagiographo sunt, internosci posse: quantula illa erunt? Quota particula libri, qui à Concilio suscipitur cum omnibus suis partibus? Ubinam, in historia septem fratrum, talia deprehendentur extra narrationis seriem?

Hagiographus Jasonem Cyrenæum laudat, conciliandæ benevolentiæ Ægyptiacorum.

Fixum ergo nobis sit, totum hunc librum cum partibus omnibus suis esse canonicum, uti cap. sup. satis indicavimus. Quid autem ad istam suspicionem, quam etiam l. 1. ad c. 6. v. 28. non rejecimus: videri Hagiographum, cùm se Jasonis scripta breviâsse præfatur, ejus fidei relinquere narrationum veritatem? Planè relinquit, non ut fidem suam liberet, non quia pro ipso sponsor esse non velit, non quia pro certis indubitatisque non habeat: ridendus alioqui, si tantum, ut ipsemet fatetur, laborem breviandi consumpsit in narrationibus ambiguis, easque fratribus suis ab errore revocandis ausit obtrudere. Id ergo facit, ut eò gravior sit historia, quòd ex commentariis Judæi Cyrenensis excerpta, cum Ægyptiacis stirpe, gente, regno, affectu conjuncti, ut paullò antè diximus.

Post propositionem scribendorum concitatus lector.

ỳ. 25. 26. 27. 28. CONSIDERANTES ENIM MULTITUDINEM LIBRORUM, Græcè est χῦμα τῶν ἀριθμῶν, id est, *profusionem* seu extensionem *numerorum.* Libri enim, etsi prorsâ oratione scripti, olim à librariis in versus ac numeros secabantur: quàm multi autem ejusmodi numeri, in densa materia historiæ, per Jasonem Cyrenæum conscriptæ, occurrebant, quos memoriâ complecti περικυκλῶσαι, ac velut circulo claudere,

claudere, eſſet valdè difficile? Itaque Hagiographus ait, ſe ſcribendo compendio ſtuduiſſe, ut Lectori labor minueretur, *oblectatio* atque *utilitas* non deeſſet: ſibi ſeſe non peperciſſe, ut aliis parceret; ſimilemque in modum feciſſe, ac qui epulas apparant, aliorumque voluptati & commodo ſuum laborem impendunt, miſcentes utile dulci. Iſta eſt quatuor horum verſuum ſententia. In antecedentibus quinque continetur propoſitio dicendorum: in his apertè conciliatur benevolentia, & attentio, antè etiam occultè conciliari cœpta Jaſonis Cyrenæi nomine.

An Hagiographus ſeu ſcriptor ſacer laboret?

Quæres: dignúmne ſit Hagiographo, fateri *laborem* à ſe, *plenumque ſudoris ac vigiliarum negotium*, in ſcribendo aſſumptum? Eſtne aliquid tam difficile, ut Spiritui ſancto moleſtum eſſe poſſit? Objiciunt & hoc futile argumentum, contra libri hujus auctoritatem, aliqui ex adverſariis noſtris. Quibus reſpondemus: Spiritum ſanctum non laborare in ſcribendo, ſed hominem, cui Spiritus ſanctus laborem ſcribendi impoſuit. Non loquebantur Apoſtoli verbum Dei? & *Spiritus Patris* æterni non loquebatur in ipſis? Nonne tamen in dicendo laborabant? Idem prorſus erit in ſcribendo. Nonne *Spiritus Domini* ſuper Chriſtum erat, & evangelizare pauperibus eum miſerat: *fatigatus tamen ex itinere ſedebat ſic ſuper fontem?* Idem eſt in ſcribendo. Nonne Spiritus ſanctus Heroes utriuſque Teſtamenti ad illuſtria facinora impulit? An ideò tamen in illis non laboravêre? Idem fuerit in ſcribendo.

Rectène laborem in compendio impenderit?

Sed utiléne ergo eſt compendia ſcribere? Nonne vulgò dicitur, *Compendium, diſpendium?* An in tali lucubratione Hagiographus benè laborem collocavit; quando in ſimili Florus, Juſtinus, Juſtinianus, Livii, Trogi, Juriſconſultorum breviatores, à nonnullis reprehenduntur? Scribere, ut placeas omnibus, valdè difficile eſt: carpent hi brevitatem, illi prolixitatem. Sed errârine breviatores aliqui, quòd melioribus, uti & fuſioribus, libris vitam, compendiorum vulgatione, abſtulerint. Imprudenter faciant, qui non ſatis rem integram aſſecuti detruncant, & accidunt; ſicque nec nôrunt ipſi perfectè, nec dant cognoſcendam. At Hagiographus noſter longè aliter breviarium ſuum ſcripſit: re nullâ, gravi ac ſcitu dignâ, quæ ad finem ſuum faceret, omiſſâ; reſectis ſolummodò minutioribus, & quæ aliò ſpectarent: prorſus, ut, in pleriſque magnificis narrationibus, ne ipſe quidem, opinor, Jaſon Cyrenæus diffuſior fuerit; etſi alia plura narrârit, quæ Spiritui ſancto, & Hagiographo, viſum eſt ſuccidere.

Quam veritatem Hagiographus Jaſoni concedat?

℣. 29. ad finem. VERITATEM QUIDEM DE SINGULIS AUCTORIBUS CONCEDENTES, IPSI AUTEM SECUNDÙM DATAM FORMAM BREVITATI STUDENTES. Primâ fronte videatur Hagiographus, hoc verſu, nolle de dictorum veritate ſpondere, eamque fidei Jaſonis relinquere: ſolâ ſibi ſervatâ curâ, ac laude, benè in epitomen redigendi, ſecundùm finem ſibi propoſitum. Sed, ſi Græcum textum attendamus, longè aliam eſſe ſententiam apparebit, quàm quæ à nonnullis, malè de hujus libri auctoritate ſentientibus, exponitur. Prima enim verſûs pars ſic habet Græcè: τὸ μὲν διακριβοῦν περὶ ἑκάστων τῷ συγγραφεῖ παραχωρήσαντες. Quam partem, uti & alteram, ſic rectè Nobilius reddit Latinè, in Græcorum Sixtinorum editione: *Subtilem quidem, & exquiſitam de ſingulis tractationem, hiſtoriographo concedentes: perſequi autem delineationes epitomes ſtudentes.* Id eſt, diligentiam veritatis, in ſingulis narrationum minutiis ſectandæ, relinquentes hiſtorico, ſeſe omnia complecti profitenti: nobis enim, qui breviatorem non hiſtoricum ex profeſſo agimus, ſufficit lineis & deſcriptionibus epitomes, ubi multæ minutiæ omittendæ ſunt, inſiſtere ad finem noſtrum.

Hiſtoriæ & epitomes diſtinctio.

Iſtam eſſe verſûs 29. ſententiam, patet ex ſequentibus tribus. Nam in triceſimo hiſtoricum comparat architecto, qui ædificii ideam complexus, ſingulas deinde partes accuratè debet ordinare; non figurâ tantùm & ſpecie, ſed materiâ cæteriſque accuratè expenſis. Breviatorem autem confert cum pictore; qui, ut Græcè eſt, vel encauſto, de quo Plinius lib. 35. c. 11. utatur, vel zographiam vivámve picturam faciat: nam illi de figura tantum benè exprimenda laborandum eſt, prætermiſſis plurimis architectonices minutiis. Verſu deinde triceſimo primo, apertè numerat hiſtorici partes, *intellectum colligere, ordinare ſermonem, & curioſius partes ſingulas quaſque diſquirere*: Græcè iſta hiſtorici officia ſic habentur ad verbum, *altè penetrare* ἐμβατεύειν, *de omnibus facere ſermonem, & ſatagere de quibuſvis particulatim.* Verſu denique triceſimo ſecundo, deſcribit breviatoris munus: *brevitatem dictionis ſectari, & executiones rerum*, ſeu, ut Nobilius rectè ex Græco expreſſit, *ſubtilem executionem rerum vitare*: quod munus ſuum breviator noſter implevit, reſectis, quæ ad finem non faciebant, minutiis; retentis, quæ utiliores erant futuræ, hiſtoriis.

Carpuntur longorum prooemiorum artifices.

Verſu ultimo claudit præfatiunculam eleganti ſententiâ, quæ longorum procemiorum ſcriptoribus commendari aptiſſimè poteſt: *Stultum eſt ante hiſtoriam effluere, in hiſtoria ſuccingi.* Philoſophum quemdam ferunt, in Myndi oppidi ingreſſu, cùm ingentes portas, quaſi pro magna civitate, vidiſſet, exclamâſſe: Viri Myndii claudite portas civitatis, ne civitas per illas egrediatur. Idem ſcriptoribus, & oratoribus quibuſvis, dixeris, prolixa procemia, ad lectorum uſque & auditorum faſtidium, texentibus. Indecorum iſtud præſertim in ſacra ſeu lucubratione, ſeu dictione: ubi nec benevolentia, neque attentio, admodùm ſtudiosè, ne dicam juveniliter, aut pueriliter captanda, cùm res ſeſe ipſa commendat. Serarius eamdem Hagiographi ſententiam aptat hominibus, magno molimine, ac ſtrepitu, parum aut nihil agentibus: ut qui multa de ſe ad vitam meliorem promittunt, pauciſſima exequuntur, muremque parturientibus montibus pariunt. Spectamus Leodii cum riſu domum unam, atque alteram, frontiſpicio tam auguſto, ut templi magnifici propylæum parcs: adeoque dicuntur ruſticani homines aliquando in limine venerabundi procubuiſſe, velut ad ædis ſacræ ingreſſum. Intus tamen nihil admodùm eſt ſupra domûs privatæ elegantiam; ſuntque in civitate ædes millenæ lautiores, cùm veſtibulum ſumptuoſius, & elegantius, via ullum ſit. Ita ſunt, qui initio ad virtutem, ſcientiámve, multa vel privatim, vel publicè pollicentur, ut Heroibus ſuppares jam tum videri queant: poſtmodùm vix futuri de trivio docti, & de tonſtrina ſapientes.

Hiſtorici munus quantum ſit, & quæ ejus partes?

Quærendum hîc nobis eſt, de hiſtorici officio, examinandæque leges illi ab Hagiographo noſtro dictatæ. quam quæſtionem l. 1. c. 5. in fine, huc ſervavimus, propoſitâ interim ac fixâ lege unâ, maximè neceſſariâ. *Ne quid falſi audeat, ne quid veri non audeat.* Scriptionum genus nullum

hiſtoriâ

historiâ publicè utilius esse, indubitatum est; adeoque quisquis ad illam aggreditur, sic debere esse comparatum, ut arti artifex respondeat, impleatque muneris sui dignitatem. Duo autem ad illud necesse est habeat; judicium primùm, ad rerum delectum, ac dispositionem; deinde, ad exponendas res benè dispositas, commodam elocutionem. Eorum altero, qui caruerit, sine insignis temeritatis, & sine stultitiæ nota, sese in officium historici non ingeret: &, quidquid demum lucubrationum effuderit, annales potiùs Volusî, quàm historiam, texuerit.

Ejus elocutio sit clara.

De elocutione, alterâ parte, multi scripsêre: ego verbo dixero, quod Oratori sacro in proleg. ad lib. 1. sect. 6. præscripsimus, etsi elegantia respuenda non sit, eam tamen non ita quærendam, ut intelligentiæ multò magis non serviatur. Quo in genere Tacitum aliqui, neque immeritò, reprehendêre; quòd obvolutis interdum, & suspiciosis sententiis, videatur facessere negotium lectori voluisse. Longiùs etiam à recto descivêre recentiorum quidam, vitium illius pro virtute sectati, & acutorum doctorumque laudem obscuritate venati. Sic historicus scribat, quomodò loquitur, ut intelligentiam non moretur: malitque pedestri sermone capi sua, quàm equestri effugere.

Judicium in rerum & hominum descriptione.

De judicio, primâ parte, Haglographus noster sic dixit v. 31. ex nova in Varablo versione: *Penetrare altiùs omniaq́; oratione pertractare, curioseq́; rimari singula, ad auctorem historiæ pertinet.* Ex his verbis, aliisque suprà adductis interpretationibus, apertè conficitur, quale debeat esse historici judicium, & in quarum rerum delectu, ac dispositione, versari. Res enim omnes, ad narrationis suæ seriem pertinentes, earumque caussas, nodos, exitus, complecti debet: hominum item illis in rebus agentium, & intercurrentium, rectè perperámve facta, virtutesque, ac vitia, civilia, militaria, aliáve, summâ accuratione persequi, quorum cognitio publicè utilis sit; nec publica solùm ejusmodi studiosè inquirere, & disponere, sed privata etiam, quæcumque illustriora fuerint, de latebris in lucem apertam producere, eorumque tum origines scrutari, tum effectus designare, neque exspectare ut lector deprehendat, sed ipse sententiam ferre. Est enim Historicus velut Censor judéxve publicus, intra muneris sui & publicæ utilitatis fines, servatâ caritatis ac justitiæ lege.

Historico veritatem dissimulare non licet.

Præscripto huoc in modum, ex Hagiographi scitis, id est divinis oraculis, & ex ipsius rei natura, historici officio: facillimum fuerit de illis quæstionibus, quas alibi ad excitanda ingenia proposueramus, decidere. Prima erat: An historico liceat in rebus ullis, caussísve, ad narrationem suam pertinentibus, veritatem ullam dissimulanter præterire, vel ex metu, vel ad gratiam? Manifestum est non licere, quando ita publici boni ratio postulat: adeoque id muneris aggredi non oportere, qui sese satis fortem non sentiat, ut offensam non formidet, aut favorem non aucupetur. Ejusmodi sunt adulatoria obnoxiaque ingenia, si de rebus ævi sui scribant: ubi præsens periculum est, ne non dissimulent modò, sed etiam mentiantur: nec tantùm vera multa tacitè prætereant, aut obvolvant, sed falsa etiam comminiscantur; laudesque eorum, unde nihil sperant, aliò transferant unde spes est, timidi primùm, mox mendaces, ad extremum injusti ac plagiarii: quod aliquando ætate nostrâ contingit.

Proculcandus pariter metus offensæ, & gratiæ spes.

At verò, inquis, nonne veritas odium parit? Prorsùs: & sic nuper Duplexio, celebri historiæ Francicæ scriptori, factum, cui Parisiis ab ignotis tenebrionibus luculentæ plagæ impositæ dicuntur, cùm hoc elogio, munus id esse familiarum quarumdam nobilium, quas nudata veritas exacerbârat. Quod illi superstiti, idem fermè mortuo Hispanicarum rerum historico Suritæ accidit. Cùm enim, quâ par erat sinceritate, vitia Regum, gentisque, ac soli perstrinxisset, scriptis multorum, & dictis vapulavit: longeque post mortem in jus, die dictâ, tractus est ad Regium consilium; & caussâ laborâsset, nisi Ambrosius Morales egregiâ apologiâ suscepisset patrocinium veritatis. *Quis enim nescit*, inquit Cicero, *primam historiæ legem, Nequid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat: ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, neque simultatis?* Ita Spondanus refert ad an. 1410. An ergo idem historico cuilibet, veritate publicandâ, & perpetuandâ, subeundum erit odii periculum? Subeat omnino: aut si recusat, cùm judex sit, & censor publicus, audiat edictum Sapientis: *Noli quærere fieri judex, si non virtute valeas irrumpere iniquitates.* Nusquam historia pejori loco est, quàm in adulatoris & timidi manu.

Possitne occulta vitia manifestare?

Altera quæstio fuit: Quid si veritas illa publicè nota non sit, sed ipsi solummodò privatim historico, paucisve aliis? An ejusmodi propalare debeat mox dicemus: nunc quærimus, an possit? Posse interdum non dubito; si reipublicæ ac posteritatis intersit, istam veritatem propalari: neque utilitati communi sufficiat notari crimen, sed auctor etiam criminis denotandus sit. Quâ in re, magnâ prudentiâ opus est: ut nec temerè lædatur caritas; neque officium timidè deseratur.

An non possit modò, sed debeat?

Sequebatur hanc quæstionem tertia, inde suspensa: An peccata secreta, sibi cognita, si taceat, quando publicè noxia sunt, censeri debeat prævaricator officii? Censeri omnino debebit: quando tanti ad utilitatem publicam intererit, crimen aliquod notari; ut historico tacitum illud præterire non liceat, citra labem pietatis erga patriam, vel sine illius justitiæ noxa, quam Legalem appellamus.

An etiam cum magno periculo vitæ, vel famæ?

Quid autem si ultimum ipsi inde vitæ discrimen immineat? Si periculum est, ne cum ipso injuriarum agatur, damneturque, quando idoneis testibus dicta, quamvis vera, probare nequierit? An famam suam & salutem debet magno reipublicæ commodo, ad excubitoris & speculatoris exemplum, postponere? Tanti debiti obligatione historicos omnes onerare non ausim; nisi si qui illorum ad hoc publicè conducti sunt, ut, ex justitiæ lege, excubitorum instar, teneantur. Quod ad infamiæ periculum nominatim attinet: si fortè injuriarum historicus damnaretur, frustra famam suam sine ulla utilitate publica prodegisset; neque enim posteritas facilè sibi persuaderet, veritatem ab historico scriptam esse, à judice damnatam. Quamquam videmus, historiarum celebrium quædam certis in regionibus ad judicium pertracta, & falsi damnata; ignique aut oblivioni æternæ addicta: nihil tamen auctoribus suis fidei, gratiæve, aut famæ, apud cordatos, ac rectè sentientes, detraxisse.

An secretas, nec publicè perniciosas, propalare possit?

Quarta quæstio erat: An etiam culpas secretas, non publicè damnosas, notare possit, ut Censor publicus, ad alios similis notæ timore coercendos? Potest, quando is, cujus occultum crimen aperiet, aliis jam de caussis adeò famâ

laborat, ut illud vulgari queat ſine offenſa juſtitiæ. Expedit enim publicè non peccari, etiam privatim: potentiſſimus autem non peccandi, apud non impudentes, perſuaſor eſt, metus infamiæ: & hiſtorico poſt Deum finis primus, imò unicus, eſſe debet, publicè prodeſſe. Sed cùm poſſit iſtiuſmodi errata notare, an etiam debet? Ad hoc non adſtrinxerim, ne immenſum illi onus imponam, farraginemque vitiorum non hiſtoriam faciam, in tanta morum corruptela. Sufficiet illuſtriora quædam de privatis vitia, quemadmodùm & virtutes, ad exemplum ſelegiſſe, & locis ſuis intexuiſſe: & jam nunc illis ignominiæ ſupplicium irrogâſſe, his laudis præmium & honoris mercedem exſolviſſe, in præjudicium poſterorum.

An ſuſpiciones prodere, & quas?

Ultima quæſtio veniebat: An ipſas ſuſpiciones ſuas prodere, ſaltem de improbis, poſſit? Cùm antè ex Hagiographi pronuntiato poſuerimus: Hiſtorico res, cauſſaſque, altè indagandas eſſe, ferendamque de illis ſententiam, non exſpectato lectoris arbitrio: conſequens inde eſt, expedire interdum, ut conjectet, & ſuſpicetur; neque enim de ſingulis certo judicio ſtatui poteſt. Tantùm id caveat, ne ſuſpiciones pro judiciis proponat, aut dubia pro certis affirmet: ſed id cuique rei aut cauſſæ tribuat, quod deprehendit, veritatis. De improbis autem, qui aliunde jam famam amisêre, potiſſimùm quæſtio eſt, quod attinet ad ſuſpiciones culparum: nam de probis temerè non licent; ſuumque ipſe vitium & improbitatem proderet hiſtoricus, ſi, ex ariolandi conjectandique prurigine, incertum in illis vitium notaret, qui certam habent probitatis famam.

Exempla ex Hagiographis petita.

Noſtras haſce, de Hiſtorici officio, poſitiones Hagiographorum exemplis licebit ſtabilire. Prodi ab illis publicarique voluit Spiritus ſanctus, non publica ſolùm rectè facta & ſecus, ſed etiam privata. Quid occultius flagitiis Her, & Onam, liberorum Judæ? Quid Saülis cum pythoniſſa colloquio inter mortales ſecretius? Quàm multa alia in Judicum & Regum factis illaudabilis, nec palàm patrata, publicéve reſcita, Spiritus ſanctus taceri non voluit? Suppreſſam ab Iſcariota pecuniam ſciret nemo, niſi D. Joannes narraret. Elymam & Simonem magos, Epheſiosque curioſa ſectatos, abſque Luca foret, ignoraremus. Nonne ſuas de Semaia, Goſſem, Sanaballat non ſententias tantùm, ſed ſuſpiciones, Nehemias prodit? Ab Jaſone noſtro, ejusque breviatore, abire non oportet. Videbimus illic non Heliodoris modò, & Seleucis, & Antiochis non parci: ſed nec Simonibus Benjaminitis, nec Jaſonibus ex Aaronico genere prognatis, nec reliquæ ſacerdotum turbæ; & nunc ſententias ferri, nunc conjecturas inferri, unico juſtæ veritatis, & communis, tum in præſens, tum in futurum, utilitatis, reſpectu. Materia enim hiſtoriæ veritas eſt, forma utilitas; aut, ſi mavis, hæc finis, illa mens eſt: ut definire poſſimus hiſtoricum, ſcriptorem utilis publicè rerum geſtarum veritatis.

EXCURSUS I. MORALIS

Ad cap. 2. *v.* 8. Apparebit Majeſtas Domini, & nubes erit.

In arca Venerabilis Sacramenti apparet majeſtas Domini, & nubes.

SECTIO PRIMA.

Arca Euchariſtiæ, de hæreſi triumphans, quadrigis Evangeliſtarum, Conciliorum, Patrum invehitur.

I. Triumphalia Ven. Sacramenti feſta.

VETUS eſt Arcæ cum Euchariſtia comparatio, cui de noſtro quædam in Commentariis adjecimus. Hoc loco duas tantùm res ſpecto, Arcæ gloriam, & Legem in illa contentam. Ab illius gloriâ, ad Euchariſtiæ honorem ac triumphum tranſibimus: à Lege ad virtutum præcepta, & exempla, quæ Legiſlator ipſe, Euchariſtiâ clauſus, exhibet. In iſtis argumentis ſuggeram, unde per Octavas duas, quomodò in variis regionibus conciones haberi ſolent, pietas excitari & ali poſſit. Si cui Mahumetano, aut Infidelium alteri, conſuetudines Chriſtianorum feſtorum ignoranti, Leodium venire contingeret, quo tempore anniverſariâ lætitiâ ortum illic, & inſtitutum, Venerabilis Sacramenti feſtum celebratur: Mahumetanus iſte, viſo in plateis apparatu, triumphalem aliquem Principis ingreſſum, aut novum quodpiam celebris victoriæ ſpectaculum exſpectari arbitraretur, neque à vero longè aberraret.

II. Qualiter mundum Chriſtus Sacramento Corporis ſubjugârit?

Nam aliud nihil pompis iſtis agimus, quàm ut Chriſti, Regis noſtri, ſolennem in plateas noſtras ingreſſum, & annuum victricis Euchariſtiæ triumphum, celebremus. *Sacramento corporis Domini*, inquit Auguſt. ad Jan. *ſubjugatus eſt mundus.* Quæ verba, etſi de mortali Chriſti vita intelligi debere non neſcio: percommodè tamen Venerabili Sacramento Corporis Domini aptari poſſunt. Illo enim Chriſtus tum mundum viſibilem, & aſpectabile Univerſum, vicit; tum civilem mundum, id eſt genus humanum, ſibi ſubjecit; tum mundi minoris, id eſt hominis, amorem occupavit; tum electorum ſuorum, de quibus Joan. 3. dicitur, *ſalvetur mundus*, rationem omnem

omnem & intelligentiam animosâ fide subjugavit; tum infidelitatem illorum edomuit, de quibus Joan. 1. dicitur, *Mundus eum non cognovit.* Atque hic primùm mundus in Eucharistiæ triumphum ducendus est.

III. Dei Majestas quomodò à Prophetis depicta?

Majestatem Dei variis symbolis sacræ nobis Literæ describunt. Isaias videt sedentem super solium excelsum, & elevatum. David facit ambulantem super pennas ventorum. Daniel pingit cinctum Angelorum multitudine innumerâ. Joannes spectat medium in viginti quatuor seniorum consessu. Sublimissimè omnium Ezechiel describit in nube flameâ, invectum quadrigis animalium quatuor; sive singula formis singulis animalia constarent, seu quaternis. Rotæ quaternæ oculatæ gemino circulo constabant, sic invicem implicato, ut globi instar in quamvis partem volverentur. Rotis imminebat cælum crystallinum, fulgetris & ignibus micans, thronumque sustinens saphyrinum, aut electrinum: *super cujus throni similitudinem erat similitudo quasi adspectûs hominis desuper.*

IV. Currus Ezechielis Ven. Sacramento aptatus.

Similitudo ista, quasi adspectûs hominis throno insidentis, insidentem Eucharistiæ Deum hominem mihi percommodè exhibere videbatur. Idem forsan aliis visum, varias propheticæ hujus descriptionis interpretationes congerentibus. Istius enim inventi auctorem me venditare nolo, etsi alium nescio. Sed sive mihi primùm, sive antè alteri cuipiam ita visum est: apprimè omnia Eucharistiæ conveniunt. De similitudine hominis, Christum in Venerabili Sacramento triumphabundum referentis, jam vidimus. Thronus sapphyrinus, sive electrinus, species sacramentales adumbrat, saphyro pulchriores, pretiosiores electro: quia pulcerrimæ Christi humanitati, pretiosissimæ divinitati, conjunctæ sunt. Stellata crystallus significat limpidos cæli favores, & genus omne gratiarum; in Ven. Sacramento scintillantium, ac benignis influxibus manantium. Fornace & fulguribus exprimitur ardens in amoris Sacramento caritas Christi. Rotæ quaternæ, quaquaversum volubiles, augustissimæ Eucharistiæ gloriam orbe universo propagatam indicant. Oculis, rotarum circulo affixis, significatur, eò plura & altiora in Venerabili Sacramento mysteria deprehendi, quò attentiùs inspicitur.

V. Ab Evangelistis quatuor trahitur.

Animalibus quatuor, quaternisve animalium formis, dubitabit nemo, quin aptissimè adumbrentur Evangelistæ totidem: qui Venerabilis Sacramenti currum in flamea fidei nube trahunt, & unius ejusdem Spiritûs impetu adversùs infidelitatem invehuntur. Jam pridem ex D. Hieronymo didicimus lib. 1. cont. Jovin. homine Matthæum, Marcum leone, vitulo Lucam, Joannem aquilâ significari. Etsi Aug. lib. 1. de cons. Evang. c. 6. malit leone Matthæum intelligi, quia Regiam Christi dignitatem attingit; homine autem exprimi Marcum, quem nonnulli etiam in aquila intelligunt. Sed, Augustini pace, universus jam orbis Hieronymi interpretationem secutus est: & nos cum illo loquemur.

VI. Testium Evangelistarum verba de Christi corpore in Eucharistia.

Age igitur audiamus, quid nobis de Ven. Eucharistia facies hominis pronuntiet: *Accepit IESUS panem*, inquit cap. 26. *& benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: hoc est corpus meum.* Eadem ipsa verba facies leonis, & facies vituli referunt: *Hoc est corpus meum.* Ex istis, semoto contendendi studio, amore solius veritatis, Ægyptios fratres, Calvinianæ præsertim synagogæ, conveniamus: quid de cœnâ Dominicâ, & Eucharistiâ, Fidelibus sentiendum sit. Ultrò fatentur, idem nobis in Eucharistia præberi, quod discipulis à Christo in suprema cœna præbitum est. Fatentur deinde, Christum in Eucharistia esse figurativè, apprehensivè, effectivè: id est Christum illic esse, quemadmodùm Cæsarem in numismate, amicum in mente, ignem in manu excalefacta non exusta. Eucharistia enim imago est corporis Christi, ejus memoriam in mentibus Fidelium renovat, affectum excitat, & spei nostræ pignus novum est.

VII. Calvinistarum inconstantia in suis de cœna locutionibus.

Sed nonne prætereà Christi corpus verè, realiter, ac substantialiter in Eucharistia præsens est? Faciliùs hic fuerit invenire, quid Ægyptii dixisse voluerint, quàm quid dixerint. Novandi enim studio, aliud sentire, quàm Ecclesia Catholica doceat, voluerunt: & aliàs quidem aliud omnino dixêre, aliàs tamen idem prorsus dicere visi sunt. Ita Calvinum, Bezam, Plessæum, qui obstinatissimè adversùs realem Christi in Eucharistia præsentiam pugnavêre; audies tamen aliquando dixisse, in Dominica cœna Christum ipsum *verè* nobis præberi, *reipsa*, *substantialiter*, *realiter*, nobis conjungi. Ad annum hujus sæculi tricesimum quintum prodiit Parisiis, in qua urbe tunc eram, libellus à Calvinianomastige Veronio hoc titulo, *Mutua Calvinianorum commanducatio*, *Entre-mangerie Huguenotique.* Eo libello referebantur pugnantes Calvinianorum, hujus ævi, de Eucharistia sententiæ; ubi multi idem omninò, quod nos, de Christi præsentia loquebantur. Nuper Lugduno Batavorum venit liber, Meditationum sacrarum titulum fronte præferens: in quo præparatio ad sumendam Dominicam cœnam, & post sumptam actio gratiarum continebantur, iis verbis, ut nisi valdè attentè legissem, à scriptore Catholico esse arbitrarer.

VIII. Ex verbis Christi intelligitur ejus præsentia in Eucharistia.

Tanta nimirum vis est veritatis, ut etiam erumpat ex ore invitæ falsitatis. Dixit Christus, *Hoc est corpus meum:* quibus, quæso, verbis potuit clariùs simul, ac breviùs pronuntiare, istud ipsum quod manibus tenebat, quod Apostolis præbebat, quod faciendum Apostolis in memoriam sui commendabat, esse verè, realiter, substantialiter, ipsissimum corpus suum? Petitum aliquando ex Anglicanis Ministris, quâ sententiâ exprimere aliter mentem suam Christus debuerit, ut omnis dubitandi hæreticis occasio amputaretur. Excussêre Grammaticam omnem, logos composuêre, sudavêre: apertius nihil, nihil minùs disceptationi obnoxium invenêre, quàm quomodò Christus pronuntiavit. Condebat tunc testamentum amantissimus pater dilectæ filiorum familiæ: testamentum autem sic esse oportet, ut litibus occasionem non det sententiarum obscuritas. Quid autem verbis istis evidentius, quid planius: *Hoc est corpus meum?*

IX. Item ex consequentibus, & antecedentibus.

Ut tamen, quomodò Hilarius loquitur, *de veritate carnis & sanguinis non superesset ambigendi locus*; addita sunt à Christo verba significantissima, *quod pro vobis traditur.* Quasi dicat, Hoc, quod vobis trado, corpus ipsum meum est, mox cruci tradendum: quemadmodùm autem reipsa crucifigetur, ita vos reipsa sumetis. In calicis verò formula apud Lucam sic loquitur, *Hic est calix in meo sanguine, qui pro vobis effundetur:* id est, qui calix pro vobis effundetur, *ποτήριον ἐκχυνόμενον*; in isto itaque calice reipsâ continebatur

sanguis, qui à Christo pro discipulis effundendus erat; neque enim alitec calia iste discipulorum saluti effusus fuit, quàm sanguinis profusione. Jsm, quæ consecrationem pania & calicis præcessêre, excitandæ pietati, & conciliandæ reverentiæ, benedictio, actio gratiarum, destinata sumptio in manus: tantisne ritibus, & actione tam seriâ, id solum Christua indicsverit, panem esse figuram corpotis sui?

X.
Joannes Evangelista quomodò de Eucharistia silunt, & locutus est?

Id sanè foret, ex igne nihil dare nisi fumum, & magno hiatu ridiculum montis parturientis fætum producere. Quid autem, si expendantur quæ consecrationi præcessisse ex Joanne discimus? *Facies aquila desuper ipsorum quatuor* de cœnæ istius divinæ institutione siluit: quia nihil habuit, quod aliotum Evangelistarum claris & expressia narrationibus adderet; adeoque ipso silentio suo testari voluit, in illia smbiguum quidquam non esse. Sed lotos à Christo Apostolorum pedes, ad Sacramenti præparatiooem, non prætenit cap. 13. Sed aquæ in vioum mutationem, nobilissimam Eucharisticæ transubstantiationis, *μεταστοιχώσεως*, figursm, non omisit cap. 2. Sed distributos in hominum quinque millia panes quinque, ritibus iisdem quibua Eucharistiam, nec longè dissimili miraculo, valdè particulatim executus est cap. 6. Sed capite eodem illustrem Christi cum Capharnaïtis disputationem, de carnia suæ cibo & sanguinis potu, accuratissimè recensuit. Quam disputationem, ab istia saltem verbia, *Panu quem ego dabo caro mea est*, de reali corporia Christi msoducatione intelligendam, tum alii multi, tum eruditè Salmeron noster ostcodit, tomo 8. tract. 51. & 52.

XI.
Divus Paullus animal quadriforme.

Prodiêre animalia quatuor, eodem acta spiritu, ac D. Paullus, qui 1. Cor. 11. tam disertè tradidit nobia, quod de Eucharistia accepit à Domino. Non dedignabuntur Evangelistæ socium, quem Christus ipse docere dignatus est: & quatuor animalibus comes commodissimè dabitur, qui quatuor animalium formas unus complexus est. Noo vides faciem benignissimi hominis, cùm dicit, *Omnibus omnia factus sum?* Noo spectas faciem generosissimi leonis, cùm clamat, *Quis nos separabit à caritate Christi?* Noo cernis faciem laboriosissimi bovis, cùm scribit, *In itineribus sæpè?* Non intueria faciem aquilæ, cùm audis raptum usque ad tertium cælum? Iste decimus tertius Apostolorum, iste Evangelistarum quintua, iste nihilo minor Apostolorum primoribus, quàm sooorè istud suum insonat, *Ego enim accepi à Domino?* Quàm disertè formam consecrationis recitat? quàm severè edicit, ne quis indignus ad tam sacrorum mysteriorum participationem accedat?

XII.
Quam disertè de Eucharistia loquitur.

Fac Evangelistas omnes de Eucharistia silere, fac Jacobi liturgiam nusquam esse; ousquam verba Divi Andreæ de agno quotidie immolato inveniri; nusquam aliorum Apostolorum, quoa prætermittimus, sententiaa legi: Paullum de illa unicum apud Corinthios loqui. Nonne sola ipsius verba confundendæ infidelitati, & impietati sufficiant, ut Cyrillua Hierosolym. ait, catechesi mystag. quarta: *Iudicium sibi manducat*, qui indignè sumit corpus Domini: *reus est corporis & sanguinis Domini*, qui indignè manducaverit panem hunc. Ideóne reus Christicidii, & judicio æterno damnandus, quia figuram corporis Christi irreverenter contrectavit; quia non probavit seipsum antequam panem ederet, qualem Calvinistæ in cœnæ Dominicæ figurs offecunt, non alium utique, neque aliis ritibus sacratum, quàm qui in cœnis profanis apponitur? Usque adeo scilicet religiosi estis erga imaginarium Christi figuram, ut Christicidas pronuntietis, qui illam maculatâ mente contrectant: cùm virtutis apud voa ouper loco fuerit, imagines Christi deturbare, tabellas confringere, comminuere statuar, figuras exurere.

XIII.
Quadrigæ Infidelitatis adversus Eucharistiam prostratæ.

Volvatur, trahente cum Evangelistia Paullo, impellente Spiritu Dei, triumphantis Eucharistiæ currua: & Pharaonis cotæ, impetu diabolico agitatæ, ferantur in profundum. Juncta sunt infausto hæreseos essedo animalia quatuor, temporibus dissita, infidelitate proxima. Præcurrit Judaa Iscariotes, hominis Apostolici facie, mente proditoris, de quo *sciebat IESUS, quis traditurus esset eum; & qui essent non credentes.* Sequitur loogo intervallo bovinâ facie Lutherus, realem licèt Christi io Sacramento præsentiam fassus, sed alia multa mentitus. Mox Zuinglius, leoninâ rabie sæviens: Calvinus denique, velut aquila desuper ipsorum quatuor. Io omnium istorum cor, æquè ac primipili Judæ, intravit satanas. Isto doctore didicêre, quod discipuloa docuêre. Hujua spiritûs impulsu non reversi sunt, cùm ambularent; nec resipuerunt, cùm perire sese sentirent. Mallemus cantare misericordias Domini, in ipsorum pœnitentia: quemadmodùm olim in Berengarii recidivi resipiscentia. Sed, cùm vocem incantantium sapienter audire noluerint, & justitiam vindicem sibi accersierint: *Cantemus Domino, gloriosè enim in* Eucharistiâ *magnificatus est; currum* Infidelitatis, & obscœnæ hæreseos quadrigas, *dejecit in mare.*

XIV.
Conciliorum sententia de Eucharistia.

Ut demersa semel hæresis emergere ampliùs non possit, & descendat in profundum quasi lapis: insta, Catholice concionator, & postquam uno sermone Evangelistarum sententiam expenderis, altero profer Concilia, Ecclesiæ totius sensu loquentia. Facies leonis, in Nicæno Concilio contra Arium rugientis, etiam contra sacramentarios irrugit; *Situm in mensa Eucharistica agnum Dei, tollentem peccata mundi, incruentè à sacerdotibus immolatum, & pretiosum ejus corpus ac sanguinem nos sumere.* Facies hominis, in Ephesino Concilio de humana Christi natura disputantis, de Christi etiam præsentia in Ven. Sacramento edixit, probatâ D. Cyrilli ad Nestorium epistolâ, ubi hæc habentur: *Participes facti Corporis & Sanguinis Christi, non ut communem carnem percipientes, sed ipsius Verbi propriam factam.* Faciem bovis exhibet Florentinum Concilium, magno labore congregatum, inter Orientalis Ecclesiæ gemitus: ubi apertissimè definitur, in decreto communiter ab Occidentalibus & Orientalibus Episcopis signato, quia de Eucharistia sit totius Ecclesiæ sensus. Facies aquilæ desuper ipsorum quatuor, consummatissima ac plenissima omnium Synodus Tridentina, frendeant licèt Ægyptii fratres, totam de divino Sacramento materiam adeò explanatè tradidit, ut ne apex quidem sessionis 13. omitti ad populum debeat. Delectabit sine dubio Catholicam plebem fidei suæ, cum tot viris sanctissimis, ac doctissimis, consonantia, & securitas.

XV.
Scita Doctorum Ecclesiæ de eadem.

Auge Catholicorum de fidei suæ certitudine voluptatem & gratulationem, adductis novo sermone Patrum aliquorum, extra Concilia loquentium, sententiis. Inter Occidentalis Ecclesiæ Doctores hominis faciem præfert Gregorius, humanitate eximius, & formaodia moribus insignis.

insignis. Illustria ipsius de Eucharistia verba sunt lib. 4. dial. cap. 58. *Quis Fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis horâ, ad sacerdotis vocem cælos aperiri* &c? Sermonem istum signis confirmatum reperies apud Joannem Diac. lib. 2. vitæ cap. 41. & illius signi occasione commodè hic recensebis illustria quædam miracula, testandæ Christi in Eucharistia præsentiæ divinitus patrata. Hieronymus leo quid pronuntiaverit, invenies apud Bellar. l. 2. de Euch. cap. 23. Apud eumdem c. 14. habes, quæ de Missa, Sacrificio, Sacramento Corporis dixerit Ambrosius, apiculatum, bovinæ faciei volucrum, alumnus: & cap. 24. habes quid scripserit Augustinus, facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. Inter Orientalis Ecclesiæ Doctores homo est Chrysostomus, leo Athanasius, bos asceticus Basilius, aquila Gregorius Theologus. Illorum de Eucharistia sententias dabit Bellarminus c. 11. 15. & 22. Satis mihi est alvearium indicâsse: tu, quando mel inveneris, *comede quod sufficit tibi*, & reliquias præbe parvulis Christi.

XVI. Objectio hæreticorum ab impossibilitate.

Deinde, pro auditorii captu, affer & elide argumenta, quæ adversùs veritatem Catholicam, de fundo rubri maris, à naufragis hæreticorum animalibus eructantur. Aiunt, Christum in Eucharistia sese ipsum præbere, vel nequîsse, vel noluisse. Cùm ut proleg. sect. 4 narratum est, conciones aliquot de fidei controversiis, ad Hierosolymitanos simul & Ægyptios fratres, habuissem: quidam ex his, à Ministello quopiam, paullò pòst mortuo, submissi & instructi, in privato colloquio objecêre, corpora certo loco adstricta & circumscripta esse, adeoque in pluribus locis poni simul non posse. Respondi, ita quidem habere à natura: sed auctorem naturæ posse ab istis communibus legibus corpora absolvere. Sic seminari in hac vita corpus animale, in altera resurrecturum spiritale. Neque homini Fideli id esse difficile intellectu: quandoquidem illi constet, Deum omnipotentem esse, id est, omnia posse, quæ contradictionem non implicent, inferantque existentiam simul & non existentiam.

XVII. Quam inanis & frivola.

Occlusum erat os disceptatoribus, si rerum philosophicarum intelligentes fuissent. Post discessum tamen meum, revocantibus me Leodium concionibus, sparsêre inter Ægyptios suos, & quosdam Hierosolymitanorum simpliciores, evadere me nequisse implicatissimum scilicet illud suum de impossibilitate argumentum. Quâ de fabellâ monitus ab amicis, mox schedam edidi, & in ea retexui dissertatiunculæ nostræ seriem: argumentumque istud longè valentiùs intorsi, adductis absurdis in speciem, quæ corporum replicationem, collocationémve in variis locis, sequi viderentur: absurda verò nullo modo esse, quæ de re una quidem, sed pluribus æquivalente, dicerentur: posse supernaturaliter corpus idem eodem loco contraria pati & agere, frigescere & calescere, frigefacere & calefacere, multò magis id posse corpus idem variis locis positum: imò posse, ex multorum sententia, idem corpus replicatum admittere contradictoria in speciem, quæ revera contradictoria non sint, quando de eodem quidem dicuntur, sed non eumdem in modum sumpto, uti in animæ rationalis situ, & in Divinitatis immensitate, ac Trinitatis mysterio, planum est.

XVIII. Alia contra realem Christi præsentiam argumenta.

Schedion istud meum Spadâ mox missum est à Calvinistarum uno ad Mauritium quemdam, celebrem in Batavis inter Onianos Ægyptios magistrum. Respondit benè longis literis: quarum ad me missum exemplar ab eodem Calvinista, cui Hendersono nomen, homine ut audio, si Calvinismum dempseris, benè Christiano. Rescripsi postridie, & paucis argumenta omnia Mauritii recensui. Summa erat, Aristoteli, & Platoni, novam fore philosophiam nostram de replicatis corporibus: Inutilem esse Christi in Eucharistia præsentiam: Ut Deus illam potuerit, noluisse, cùm ex Paullo constet, nos hîc peregrinari à Domino, & moniti simus non credendum dicentibus, Ecce Christus est hîc aut illic: Transsubstantiationis nomen novitium esse, Innocentii tertii ferè sæculo natum: A Patribus Eucharistiam vocari figuram Corporis Christi, nominatim à Tertulliano, Augustino, Theodoreto, Facundo Hermianensi, & Origene; cujus hæc verba sunt, in libro nondum edito de Reginæ Suecæ bibliotheca, *καὶ ταῦτά μοι περὶ τοῦ τυπικοῦ καὶ συμβολικοῦ σώματος*.

XIX. De facili soluta.

Recognoscis, vir docte Mauriti, literarum tuarum summam: recognosce, vir humane & amabilis Hendersone, responsi mei sententiam. Aristotelem, & Platonem, parùm idoneos esse judices, ubi de fidei sacramentis, & operibus supra naturam divinis, agitur. Inutilem non esse Christi in Eucharistia præsentiam, quæ nos ad amorem Dei excitet, sic diligentis mundum: alioqui, eodem jure, Christi mortem dicendam inutilem. Nusquam in Scriptura deprehendi posse, quòd Deus præsentiam Christi in Eucharistia noluerit: perperàm sententias in eum sensum trahi, quæ de beatitudinis futuræ absentia, & de pseudoprophetis rejiciendis intelligantur. Transsubstantiationis nomen, ex Gregorii Nazianzeni imitatione sumptum, voce *μεταστοιχειώσεως* utentis: deinde nova quotidie vocabula nasci, rebus veteribus expressiùs significandis. Non ab illis solùm Patribus Eucharistiam vocari figuram Corporis Christi, sed à Catholicis omnibus: Eucharistia enim, quà panis & vini speciem retinet, figura est Corporis & Sanguinis, sub externa illa specie latentis velut post cancellos, ad dilectionem nostram accendendam latendo. Cæterùm, si de Patribus agatur, aliquando me forsan apertissimas illorum, pro veritate nostra Catholica, sententias, repetitâ sæculorum omnium Christianorum serie, producturum.

XX. Orandus pro hæreticis Deus.

Sic ego tunc scribebam, sic animo destinabam: videbaturque mihi idoneus aliquis, ad convocandam Patrum adversùs Ægyptios synodum, locus in hisce Commentariis fore, si tempus & vita elucubrando sufficerent. At nunc aliter censeo, planeque existimo, supervacuam esse sententiarum coacervationem, apud alios facilè inveniendarum: etsi aliquas forsan, ab illis prætermissas, possim adducere. Cui tamen bono istis ipsis immorari? Si, quos Patres indicavi, Ægyptiis fratribus satis non faciunt; si, quæ Concilia nominavi, illos non tangunt; si, quæ Scripturæ loca repetii, mentibus illorum nihil prosunt: orandus Deus, ut, quod loquendo & scribendo non possumus, præstet inspirando. Id pro te à Deo postulo Mauriti, pro te Hendersone, pro vobis cæteri, quibuscum verbo, vel scripto, de his dissertatio fuit. Utinam ad communem unius Ecclesiæ, ut postremis ad vos meis vovebam, omnes redeatis caritatem.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Eucharistiæ triumphus de Parvo-mundo delineatur.

I. Quadriformis hominum animus.

PRISCI poetæ *doctas fabulas secuti*, ut loquitur D. Petrus, humanam naturam Centauris & Sirenibus adumbravêre, supernè hominibus, infernè belluis: quemadmodùm hominis animus parte superiore homo est, inferiore par brutis. Longè meliùs Christiani quidam Patres, apud Divos Hieronymum & Gregorium Nanz. animi nostri naturam, & partes, in Ezechielis animalibus expressêre. Quadriformia enim animalia multi fuisse arbitrantur, pedibus vitulinis, leonino crine, alis aquilinis, humano capite. Ita in humano animo esse Intellectum, sine quo facies hominis nulla est, quamquam & ista facies interdum vagâ curiositate, aut superbâ temeritate, fœdatur: esse Voluntatem, cui aquilæ instar sunt pennæ volucres, quæ celsa conscendant poli, quamquam aquilina illa voluntas interdum de summis nubibus ad ima devolat, vilis prædæ cupidine: esse Concupiscibilem appetitum bovini ingenii, natum ad pascua, non ad laborem, nisi fortè vertendæ glebæ, aut carbonum trahendorum: esse Irascibilem, leonino impetu, inquietum, tumultuosum, rixis semper ac prælis promptum. Hasce animi humani quadrigas Eucharistia sub jugum mittit: Intellectum submissione fidei; Concupiscipilem, desiderio æternorum; Voluntatem, amoris constantiâ; Irascibilem, suavitate caritatis.

II. Ratio in mysteriis fidei submittenda.

In omnibus fidei mysteriis necesse est, ut ratio humana imbecillitatem suam ingenuè fateatur, divinæque majestatis ac potentiæ arcana, & miracula, humili submissione veneretur. *Nobis enim*, inquit Minutius Fælix in Oct. *ad intellectum pectus angustum est: & ideò sic eum dignè æstimamus, cùm inæstimabilem dicimus. Invisibilis est*, inquit Tertull. in Apol. *etsi videatur: incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur: inæstimabilis, etsi humanis sensibus æstimetur. Adeo verus, & tantus est: ita eum vis magnitudinis & notum hominibus objicit, & ignotum.* Eunomii quondam impia fatuitas ausa est pronuntiare, omnia sibi cognita esse mysteria divinitatis. Stolido homini D. Basilius vicenas de formicularum natura, poterat etiam plures de apicularum ingenio, quæstiones proposuit, & mox ex illo petiit: Si animantis minutissimæ naturam nondum penitùs introspexisset, quâ temeritate divinitatis sese intimam cognitionem hausisse gloriatetur? Anno supra millesimum ac quadringentesimum vicesimo secundo, Hungarus quidam sacerdos ratione fidem metiebatur, nihil sibi persuadebat, quod non intelligeret; quidquid supra naturam erat, & supra ingenii sui captum, incredibile, & impossibile arbitrabatur. Frustra fuêre disputationes plurimæ, revincendo obstinato & contumaci ingenio, & flamas ipsas pro ratione tuenda deposcenti. Donec argumentis moralibus, de humani judicii imbecillitate, & ingenii quamvis acutissimi fallacia, convictus resipuit, fidei rationem subjugavit, seque in domum religiosam abdidit; ubi voluntatem suam alienæ subdere disceret, quò faciliùs Deo subjecta esset animus ejus.

III. Maximè in mysterio Ven. Eucharistiæ.

Quod generatim in omnius fidei nostræ mysteriis faciendum est; hoc nominatim in augustissimæ Eucharistiæ Sacramento: ubi totam sese ita divina potentia impendit, & tam multa prodigia congessit, ut intellectus humanus, fidei mancipatus, cogatur non videre quæ videt, & videre quæ non videt, valeatque hic, quantum usquam alibi, istud Paulli 2. Cor. 10. *Consilia destruentes, & omnem altitudinem, extollentem se adversùs scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei.* Quomodò panis ac vini substantia momento evanescit? Quomodò species aliorum, ipsis evanescentibus, manent? Quomodò de cælo in terram Christus momento devocatur? Quomodò tantillo spatio tantum corpus concluditur? Quomodò spiritûs instar totum in tota hostiâ corpus est, & totum in parte qualibet? Quomodò, hostiâ fractâ, totus in fragmentis Christus est? Quomodò res una eademque toties, & tam distantibus locis, ac temporibus, multiplicatur?

IV. Deus malam credulitatem bonâ plectit.

Postquam ætatem in studiis triverimus, & Theologorum ac philosophorum disputationes omnes de Venerabili Sacramento exhauserimus; eò tamen denique nobis redeundum erit, quò rudioribus quibusque Christianorum: Deus omnia, quæcumque voluit, fecit: hoc dixit Deus, ergo voluit, ergo fecit: fides credit, quod ratio non capit: opus ad salutem intelligentiâ non est, sed credulitate: tessera Ecclesiæ Dei, non est *quomodò*, sed *credo*: non qui cognoverit, sed *qui crediderit, salvus erit.* Rupertus ad illa sponsæ verba Cantic. 2. *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo:* advertit, parentes nostros malâ credulitate peccâsse, & *plus serpenti quàm Deo* credidisse, de arboris prohibitæ fructu: eamque ob caussam, in augustissimæ Eucharistiæ fructu comedendo, Deum à nobis fidei submissionem exigere: *Justâ ergo lege, ut expietur reatus malæ credulitatis, exigitur fides, ut credatis, quod non videtis.*

V. Fructus Ven. Sacram. dulcis intellectui, & appetitui.

Malè fides habita est serpenti, de arbore scientiæ boni & mali magna pollicito: benè fides habenda est Christo, de arbore sua vitæ, id est de seipso, mira dicenti, Accede Christiane, decerpe, gusta, & *fructus* ejus *erit dulcis gutturi tuo.* Dulcis erit intelligentiæ, quæ se magnitudine mysterii superatam lubens agnoscet; sibique gratulabitur, tam magnum esse Dominum, in tam exigua Sacramenti specie, ut longè exsuperet scientiam nostram. Dulcis itidem fructus erit ipsi appetitui nostro, ac concupiscentiæ, quamvis terrena sapienti; quando semel gustare cœperit, quàm suavis sit Dominus, &, post cœnæ magnæ delitias, aspernari didicerit oblectamenta sensuum, & juga boum. Dicebat de se Augustinus l. 9. Conf. c. 1. *Quàm suave mihi subitò factum est, carere suavitatibus nugarum? Ejiciebas eas à me, tu, vera & summa suavitas: ejiciebas eas, & intrabas pro eis, omni suavitate dulcior.* Intrabat Christus in cor Augustini per gratiæ suæ dulcedinem, per pietatis suavitatem, per desiderium æternorum, per fontis sui rivulum: quid, cùm fons ipse totus in cor Christiani, divinâ Eucharistiæ participatione, penetrat? Cùm suavis Domini spiritus, pane suavissimo de cælo præstito, esurientes replet bonis? Cùm in sacro convivio, ubi Christus sumitur, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ pignus offertur? Qui enim manducat hunc panem, vivet in æternum: nihil autem suavius esse potest homini, in terra deserta, & invia, & inaquosa peregrinanti, quàm petendæ & habitandæ brevî æternæ patriæ nobilissimum, ac certissimum pignus.

Jobus

VI. Verbum caro factum appetitûs satietas est.

Jobus domesticis suis adeò carus, ut illum visceribus ac medullis condere desiderarent, dicerentque ipso teste, cap. & versu 31. *Quis det de carnibus ejus, ut saturemur:* Καὶ μεῦ χρέων ἐμπλησθῶμεν, *quia eram*, inquit in Græco textu, *valdè suavis.* Quemadmodùm & nos, familiares Salvatoris, eum suscipere, nobis conjungere, intra nos condere desideramus, quia Christus & chrestus est. Is ergo Jobus c. 6. quærit ex amicis consolatoribus onerosis: *Numquid rugiet onager, cùm habuerit herbam, aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit?* Sit onager Appetitus noster concupiscibilis, asinus omnino ferus & indomitus; sit bos pascualis, crassum & ventri famulum animal: sed rugiêtne, aut immugiet, quando ante illum stabit, qui in Bethleem domo panis natus est, & in præsepi repositus? Quando Verbum gustabit, carnem factum, sicut fœnum agri, aut potiùs florem de radice Jesse: quem moribondus Isaac in Jacobo suo adumbrat his verbis: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus?*

VII. Et quies voluntatis in amore Dei.

Pinguis enim est, ut Ecclesia canit, *panis Christi, & præbebit delitias Regibus.* Ita venerandi Sacramenti divina suavitas appetitum famulum, & pedissequam concupiscentiam satiabit, ut simul Reginæ voluntati, & Regi libero arbitrio, delitias præbeat, amorisque cæleste pharmacum ministret. Miserandis, & infanis, amatoribus aliquando id contigisse audivimus, ut amori conciliando cibos condierint, sut venenatas potiones propinârint. En tibi, Christiane, potentissimum sancti amoris illicium, panis Christus, potio Christus. *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.* Ex promissi sui fide Christus, cùm eum manducaveris, in te manebit, & tu in eo. Petra Christus est: suge mel *de petra* ista, oleumque de saxo durissimo: voluntas tua antehac instabilis, & vaga per creaturarum amores, defigetur in creatore, hærebitque in immobili. Nam *nil aliud agit participatio Corporis & Sanguinis Christi, quàm ut in id, quod sumimus, transeamus*, inquit S. Leo serm. 14. de Passione. Alimenta corporalis in corpus nostrum transeunt: sed voluntas nostra transit in alimentum illud cæleste; transit gustando quàm suavis sit Dominus; transit amando degustatam benignitatem patris altoris, fratris hospitis, tam intimè sese, & sua, communicantis. O fœlicem transitum! O transitum omni quiete securiorem, & tranquilliorem! Diligis, voluntas humana, res ullas extra Deum, aliter, ac par foret? Erras in circulo, volveris in circumferentia, ambulas in circuitu: numquam quiesces. Dilige Christum, qui sic dilexit mundum ut seipsum daret? Io centro es; conquiesces.

VIII. Sedatio item Appetitûs irascibilis per caritatem proximi.

Conquiescet simul Appetitus tuus irascibilis, & ponent intestini tumultus irarum, simultatum, ultionum, & quidquid fraternæ caritati alienum est. Cùm enim tria sint capita jungendæ cum proximo voluntatis, sanguinis affinitas, temperamenti similitudo seu sympathia, & commodorum societas: tria illa in Venerabilis Eucharistiæ participatione reperimus. Commodorum societate jungimur, quando eumdem panem manducamus, ut vivamus in æternum, & societas nostra sit cum Christo JESU. Temperamenti similitudinem accipimus, quando eâdem carne vescimur, iisdem qualitatibus imbuimur, eumdem Agnum Dei sumimus, & in agninam indolem transimus. Affinitate sanguinis connectimur, quando sanguinem Christi haurimus, & omnes invicem consanguinei sumus. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus*, inquit Paulus 1. Cor. 10. Absint argumenta cætera caritatis erga proximum commendandæ: hoc solum sufficiet, quòd unâ mensâ pascamur, uno pane vivamus, uno poculo satiemur. Quemadmodùm & sola divinæ in hoc Sacramento benignitatis consideratio satis est, ut Dei amore ardeamus, & terrenæ concupiscentiæ delitias aspernemur.

IX. Excitanda de Venerabili Sacramento fides.

Itaque ad caput nobis redeundum est, & sedando appetitui, atque accendendæ voluntati, excitanda generosa fides, exercendusque in illa quotidianis actibus intellectus: ut non credamus tantùm firmissimè; sed sciamus, & advertamus, nos firmissimè credere, quod de augustissima Eucharistia Christus nos, & Ecclesia, docuêre. Quidni autem indubitanter talibus auctoribus, tot testibus, tantis exemplis credam? D. Hilarius lib. 6. de Trin. post allatas fidei suæ de Trinitatis mysterio rationes, sic Deum alloquitur: *In eo me judica, si crimen mihi est, nimium me, per Filium tuum, & Legis, & Prophetis, & Apostolis credidisse.* Similia de Venerabilis Sacramenti fide diceret sapientissimus Doctor, si cum Calvinistis disceptaret, quando quidem tam disertè scripserit, *De veritate carnis, & sanguinis, non est relictus ambigendi locus.* Idem & nos fidenter dicamus: In hoc me judices, Christe, si crimen mihi est, nimium me Evangelistis tuis, & Apostolis, & Conciliis, & Ecclesiæ, de reali tua in altaris mysterio præsentia, credidisse. In extremo judicio istis ego argumentis credulitatem meam tuebor: at quibus incredulitatem vestram, Ægypti fratres, excusabiris?

X. Virtutes Cardinales quatuor animalibus mysticis designatæ.

Amoris sacramentum Eucharistiam vulgò appellant: etiam spei sacramentum est, cùm efficacissimè mentem sublevet ad desiderium æternorum: etiam fidei, cùm rationem subjuget in assensum inexpertæ veritatis: etiam virtutum cæterarum, cùm illas mentibus inserat, & excitet. Quaternæ sunt virtutes, quas Cardinales vocant; de quo nomine, & de re nominis, consule D. Thomam 1. 2. quæst. 61. Eas virtutes triumphali Eucharistiæ currui jugemus. Adumbratas aliqui voluêre fluminibus quaternis, ex paradisi fonte manantibus: Phisone justitiam, Gehone temperantiam, Tigri fortitudinem, Euphrate prudentiam. Non minùs commodè quaternis animalibus exprimuntur: homine justitia, citra quàm constare non potest humana societas, & vita: bove, pascuis necessariis contento, temperantia, necessitate victum metiens: leone, fortissimo bestiarum, invicta fortitudo: aquilâ, volucrum oculatissimâ, prudentia perspicax.

XI. Virtutes exercendo discuntur.

Nulla ratio melior, & compendiosior via est, discendarum virtutum, quàm exercitatio. Officium enim illarum in exercendo situm est, non in cogitando: adeoque ex eo capite ad artes magis, quàm ad scientias, accedunt. Quemadmodùm enim non ille melior artifex dicitur, qui de artis partibus, atque instrumentis, luculentiùs disserit; sed qui partes artis omnes exequi, & instrumenta exequendo admovere, scitissimè potest: nec longis de fabrili disputationibus fabri, sed fabricando, fiunt. Ita non ille justior est, qui doctiùs

doctiùs de justitiâ disceptârit, & partitiones ejus universas, legesque, ac legum interpretationes, memoriâ comprehenderit: sed qui justiùs vivet, & suum cuique tribuet, servabitque accuratissimè, quidquid postulat benè ordinata sub Deo humana societas.

XII. *Proscripta ab Eucharistiæ participatione vitia.*

Quando autem id magis facit Christianus, quàm ubi ad Eucharistiam accedendum est? Neque enim Deo solùm tribuit, quod suum est, debitam intellectus & voluntatis submissionem, humiliatus sub potenti manu ipsius, & subjiciens rationem in obsequium fidei, mancipansque omnes affectus in religionis servitutem: verùm etiam proximo, & hominum cuique, reddit jus suum, nihilque apud se alieni violatum patitur, pro quo, ante Dominicæ mensæ participationem, non satis vel fecerit, vel dederit. Generatim de vitiis omnibus, ante divinum panem gustandum, expurgandis, edixit Paullus: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Eademque sententiâ olim in Ecclesia, antequam ad synaxim accederetur, inclamare solebat Diaconus, *Qui sunt parati*, id est qui se probavêre, *accedant.*

XIII. *Nominatim injustitia.*

De injustitia nominatim Christus edixit Mat. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.* Etsi enim istud Christi edictum multi de caritate fraterna interpretentur, & de simultatibus omnibus ante sacrificandum deponendis: constat tamen eo loco commendari justitiam, damnarique injurias omnes, non facto solùm, sed verbo, fratribus illatas. Eas qui intulerit, reconcilietur priùs fratri suo, antequam ad altare accedat. Si enim non satisfecerit, Deum propitium sperare non poterit. Iratus fuisti fratri tuo, dixisti *raca*, vocâsti *fatue*: percussisti contumeliâ honorem, detractione famam, susurratione amicitiam, contemptu reverentiam, murmuratione obedientiam, furto facultates, plagâ sanitatem, vulnere membra & vitam? *Reconciliare fratri tuo*: redhibe honorem, restitue famam, redde obedientiam, redintegra amicitiam, resarci damna. Alioqui dona iniquorum non probat Altissimus, & injustorum oblationes non respicit, quomodò non respexit ad Cain, neque ad munera ejus.

XIV. *Temperantiæ partes duæ, sobrietas, & castitas, effecta sunt Eucharistiæ.*

Justitiæ temperantia comes est, in moderandis voluptatibus sita, reddensque corpori, quantum necessitatis & rationis modus exigit. Ejus partes potissimæ duæ sunt, sobrietas, & castitas. Sobrietatem hodierna hominum convivia solent extinguere: excitat Dominica cœna, & vegetat. Epulum enim sapientiæ est, ideò institutum, teste Cypriano epist. 63. *ut sobrios faciat.* Quidni autem sobrios, cùm jejunos fecerit? Vixêre quidam Eucharistiâ solâ contenti dies quadraginta, triennium alii, B. Angela Fulginas annos totos duodecim, referente Spondano ad annum 1308. aliique. Ea miracula interdum Deo patrare placuit: ut vel inde intelligeremus, quanta sit Eucharistiæ vis, ad moderandas gulæ voluptates; quando ab ipsa edendi bibendique necessitate interdum homines, vitam adhuc animalem degentes, absolverit. Castitatem proprium esse Eucharistiæ effectum, docuit Hieronymus, Patremque multi, ad istud Zach. 9. *Frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Manducatur enim castissima Christi caro, bibitur purissimus sanguis, continentiæ alimentum, & fons puritatis: cui vis illa ex vero est, quam olim fontibus quibusdam, & fructibus, scriptores tribuêre. Angelica Catharinæ Senensis virginitas ex istis fontibus manavit. Inde illibatam puritatem hausit D. Casimirus, à teneris pietatem in Venerabile Sacramentum edoctus, exemplo parentis; qui titulo Corporis Christi templum extruxerat, eo loco, ubi abjectæ per fures hostiæ sacræ, dies aliquot noctesque effulserant. Inde D. Bernardus lacteum integritatis candorem sumpserat, cùm tam affirmatè, velut expertus, suos moneat serm. de altaris Sacram. *Ut si quis non tam sæpe, nec tam acerbos, sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ .... gratias agat Corpori & Sanguini Domini: quoniam virtus Sacramenti operatur in illo.* Diximus quædam huc spectantia Excur. 3. ad l. 1. c. 1. sect. 2. num. 9.

XV. *Fortitudo in Vener. Sacramento roboratur.*

Virtuti omni tuendæ, castitati præsertim propugnandæ, necessaria est fortitudo: cujus etiam nutrimentum est Eucharistia, eamobrem appellata *frumentum electorum*, seu, ut alii legunt, *juvenum*, vel *robustorum*. Agnus est Christus idem, & leo: ab agno discimus castitatem, à leone sumimus fortitudinem. Itaque meritò monet Chrysostomus, ab ea nos mensa sic debere recedere, *tamquam leones, ignem spirantes, dæmonibus formidandos.* Sic recesserat adolescentula, cujus meminêre literæ Paraquarienses anni 1635. sollicitata sæpissimè, & importunissimè, ab impudico quopiam: semel denique solitaria, blanditiis primùm, tum vi tentata, cùm resistendo par non esset: non te, inquit, pudet perditissime, corpus tentare Corpore Domini, toties sumpto, consecratum? Perculit voce inexspectatâ facinorosum hominem, & à flagitio deterruit: servavitque illibatam in mentis munditie pudicitiam corporis. Parârat nempe in conspectu ipsius mensam Dominus, adversùs tribulantes; itaque ambulavit in medio umbræ mortis, nec timuit mala. Eodem quondam præsidio tutos fuisse Martyres adversùs tormenta, & *munimento Dominicæ saturitatis armatos*, ait Cyprianus epist. 54. ad Cornelium Papam, nomine synodi scriptâ: ubi & ista legitur vulgaris juxtà, atque illustris, sententia: *Idoneus non potest esse ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium; & mens deficit, quam recepta Eucharistia non erigit, & accendit.* Quemadmodùm deficiebat ardor Eliæ, sub junipero prostrati, nisi, subcinericii panis Angelici cibo roboratus, suffecisset itineri ad montem Horeb.

XVI. *Et acuitur prudentia.*

Fortitudo, prudentiæ non conjuncta, temeritas est. Nec temperantia, justitiáve, laudem perfectam habent, si prudentiæ comitatu destituantur. Debet igitur, inter animalia, *aquilæ facies esse desuper ipsorum quatuor.* Ubi autem prudentiæ locus est, nisi ubi sapientia sedem fixit, ubi convivium apparavit, ubi parvulos convenire voluit; dimissis undique nuntiis, non ad arcem modò civitatis, id est ad Ecclesiasticos, sed ad mœnia & extremas usque Ecclesiæ partes? Gustavit Jonathas 1. Reg. 14. mellis pauxillulum, & illuminati sunt oculi ejus: gustat Christianus mel de petra, favum inventum in ore leonis de tribu Juda, & protinus illuminantur illius oculi, & mens spiritualis prudentiæ luce impletur. Conradus, ex Leodiensi Canonico S. Sedis Legatus, tantam ex pio Eucharistiæ contactu lucem hauserat; ut digiti, quibus eam contrectabat, noctu collucerent candelarum instar, & ad

eorum

eorum lumen quosvis characteres legere expeditè posset. Ita Spond. an. 1225. Erat lux ista indicium luminis interioris ab Eucharistia proficisci soliti. *Qui manducat me*, inquit Christus, *& ipse vivet propter me*: vivet per me, ut principium; & discet vivere propter me, ut finem, quod supernaturalis prudentiæ culmen est. Ille enim humanitus verè prudens, qui finem in omnibus intuetur: ille Christianè & cælitus prudens, qui Christum pro fine habet.

XVII. Vera prudentia vita propter Christum.

Ad hoc *caritas Christi urget nos*, ut ait Paullus 2. Cor. 5. *ut & qui vivunt non jam sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*. Græcè caritas eo loco ἀγάπη dicitur: *agape* autem olim apud Christianos appellatio erat religiosi convivii, ubi caritas erga pauperes exercebatur: quidam etiam existimant, eum titulum Eucharistico convivio attributum. Agape itaque Christi, in hoc religioso pauperum epulo, urget nos, ut jam non nobis vivamus, sed ei qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, & admirando illo ferculo sese condidit. Elisæus Eliæ, in curru igneo discedenti, inclamabat: *Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga ejus.* Videntes te Christiani tui, ô virtutum pater, in Eucharistico tuo triumphali curru, ad te adspiramus, sequi te cupimus virtutum alis, tecum ascendere gestimus. Sublevet nos à terrenis incorrupta justitia; expediat ab affectu voluptatum sapiens temperantia; perrumpat obices quosvis oppositos generosa fortitudo; extollat ad te, & in te ultimo suo fine defigat, prudentissima caritas. Istis quadrigis triumphantem Christum triumphabundi sequemur Christiani; & gloriam pompæ longè magis augebimus claritate virtutum, quàm splendore ornamentorum.

SECTIO TERTIA.

Eucharistia triumphus ducitur per orbem, & genus humanum universum.

I. Quatuor animalia, quatuor orbis partibus accommodata.

DABIMUS hîc *nubem testium* ut D. Paullus loquitur, in Veri. Sacramenti gloriam: producemus Ecclesiam Catholicam, non in capite solùm, aut in præcipuis partibus loquentem, sed in corpore universo, per totum orbem sparso. Olim ante apertam navigationibus & commerciis Americam, tres duntaxat mundi partes censebantur: hodie totidem numeramus, quot in cælo sectiones, quot literas in primi parentis nomine. Eas quatuor partes quaternis Ezechielis animalibus aptavero: homini Europam, cultam, civilem, artium magistram, scientiarum altricem, &, quod caput est, fidei nutricem, &, alumnam: bovi Americam, brutam nuper, hodieque crassam & pascualem, ubi tanto proventu boves pullulavêre, ut sexagenis vestimentum vulgare væniisse dicatur: leoni Africam, leonibus fœtam, ferocem, accessu difficilem, monstrorum parentem: aquilæ Asiam, propiùs Orienti admotam, purioribus Solis radiis objectam, pluris sese cæteris æstimantem, opulentam metallis, gemmarum divitiis superbam, expanso sinu gestantem quidquid usquam exquisiti natura protulit.

II. Europa triumphali-

Quid Europa Eucharistiæ triumpho conferat, numquam meliùs, quàm solennibus illius festis, per urbes omnes Catholicas spectatur: in hac præsertim Leodiensi ditione, ubi orta solennitas, eò majus incrementum habuit, quò vehementiùs vicini hæretici pietatem impugnavêre. Videre mihi hisce diebus videor, in magnifica supplicationum nostrarum pompâ, & turbis ad eam vel augendam, vel spectandam confluentibus, quod de benefico Principe scribebat Seneca l. 1. de Clementia: *Illius demum magnitudo stabilis, fundataque est, quem omnes tam supra se esse, quàm pro se, sciunt: cujus curam excubare pro salute universorum, atque singulorum, quotidie experiuntur: quo procedente, non tamquam malum aliquod, aut noxium animal, è cubili prosilierit, diffugiunt, sed tamquam ad clarum ac beneficum sidus certatim advolant, objicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi.* Ita Christo per Judæam obambulante, *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Ita Hierosolymam ingredienti obviàm processêre ætas omnis, & acclamavêre, obmurmurantibus Pharisæis: *Videtis, quia nihil proficimus? Ecce totus mundus post eum abiit.* Obmurmurent Pharisæi nostri, à legitimo Ecclesiæ cætu separati; insultet sterilis Michol, synagoga Ægyptiaca: idem dicemus, quod Regius psaltes: *Et ludam, & vilior fiam*, ante Deum, qui nos elegit, magis quàm vos, & domum patris vestri.

bus supplicationibus Christum honorat.

III. Americæ erga Eucharistiam reverentia.

Ex Europa transfretemus in Americam, altero jam tantùm sæculo commerciis notam: neque in Brasiliæ ora, aut Peruvii regno, Mexicanáve provincia hæreamus: ubi tantillo tempore ita religio propagata est, ut illuc navigâsse videatur, desertis aliquot Europæ regionibus, quibus ablatum est regnum Dei, & datum genti facienti fructus ejus. In Paraquariæ vastas solitudines, & immensa Canadensium nemora, pervadamus: ubi barbari antè dispersi, rarisque aut antris, aut tuguriolis, errare potius quàm habitare soliti, paullatim, Apostolicorum hominum consilio, societatis civilis cultum imitari cœpêre. Quantus illic honor augustissimo Sacramento deferatur, ex unica anni nuper tricesimi quarti relatione intelligi potest. Resciverant pueri cujusdam in Paraquaria reductionis, ita vicos suos appellant, unum ex æqualibus eo die sacrum non audisse. Irreligiosum istum protraxêre in forum, &, coacto æqualium concilio, societate sui deinceps proscripsêre. Recentius est, quod Hiroquosio barbaro, in Francia nova captivo, contigit. Aspirabat ad libertatem filiorum Dei, &, in catechumenorum numerum adscriptus, audire cœperat Eucharistiæ mysterium: quod tantâ deinceps veneratione prosecutus est, ut, quotiescumque ad ægros deferri videret, humi sese adorabundus prosterneret; & sacrificii præparationibus ad offertorium usque, quatenus catechumenis fas est, eo sensu pietatis interesset, quem ardentissimi quique, & constantissimi Christiani, sibi optarent.

IV. Item Africæ, quamvis schismaticæ.

Ex America, transnavigato rursum Oceano, lustremos Africæ oras, Guineæque & Congi regna: ubi religioso cultu divina mysteria non secus celebrantur, quàm apud Europæos, unde istis regionibus fides illata est. Æthiopia Patriarcham nuper Catholicum habuit, & Abassinus ipse Imperator, cum aula exercituque universo, sacrificantem sub dio summâ veneratione spectavit. Et quamvis infortunatos Æthiopes inconstantia sua in pristinum schisma retruserit: adorant tamen Eucharistiam solenni ritu, &, post consecrationem peractam, protinus linguâ patriâ exclamant,

exclamant, præeunte sacerdote: *Credo, credo, credo, & confiteor ex totâ animâ meâ, quòd hoc ipsum, quod est in manu mea, illud est corpus unigeniti Domini nostri, Dei nostri, & Salvatoris nostri* IESU CHRISTI. Hauserunt hunc ritum, ac formulam, à Coptitis, seu Ægyptiis, idem ab antiquo constanter usurpantibus: ut ipsis hodiéque aptari possit, quod Onias Ægyptius de Onio suo schismatico explicabat, istud Isaiæ c. 19. *In illa die erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus.*

V.
Et Asiæ apud Ethnicos ipsos.

Nec schismatici modò Ægyptii, variis licèt erroribus excæcati, hanc tamen Eucharistiæ lucem aspiciunt: sed etiam schismatici cæteri, sive Europæi sub Constantinopolitano Pseudo-patriarcha, sive Asiatici sub aliis. Adcò constanter ea veritas apud omnes cujusvis generis Christianos obtinuit; adcò certò ab Apostolicis temporibus, & sedibus, ea doctrina tradita est. Sed nos, omissis schismaticis, cætera Catholici orbis Asiæque extrema lustremus. Transitâ Indiarum orâ, ubi Goa, Cocinum, aliæque urbes Catholicæ, Ven. Sacramenti festa non secus celebrant, quàm Roma, & Leodium: præternavigatis insulis, quas Batavi quidam hæretici infecêre; quamquam & ipsorum nonnulli, negotiationis causâ illuc profecti, fidem, in patria amissam, in peregrinatione repetiêre. Transmisso tamen mari omni Indico, Sinarum regnum ingrediamur. Occurret pro limine Macaum, nobilis Lusitanica civitas, Christo & Eucharistiæ sacra, quo nuper Sinarum Rex, ante Tartaricas cladas, argentea candelabra ac thuribula, aureis illic pretiosiora, ad altarium & sacrorum Christianorum usum, transmisit. In ipso Sinici regni sinu quingenta jam facilè, quà templa, quà sacella numerantur: ubi sacris palàm operari licet, & Christum in Eucharistia præsentem venerari. Ex quo Tartarus rerum potitus est, solennis supplicatio, ubi Ven. Sacramentum deferebatur, Pequini urbe Regiâ instituta fuit; probante Rege Tartaro, quamvis Ethnico; mirantibus pompæ majestatem, & sanctimoniam venerantibus, Ethnicorum cæteris.

VI.
Sinensis nominatim regni, & Japonici.

Japoniæ insulam à Sinis fretum disterminat; cum illis Eucharistiæ cultus aliquando conjunxit, jungeretque hodie, si per atrocissimas persecutiones licuisset. Narrant literæ anni nupèr vicesimi quarti, magnâ Christianorum Martyrum turbâ in Jonezavensi foro mortem exspectante, Christianum ea adstantibus unum, ipsis animandis, augustissimæ Eucharistiæ iconem in numismate venerandam proposuisse. Literæ item anni vicesimi quinti narrant, Paullum quempiam Japonem, cùm inter alios multos Christianos ad supercilium montis, inde in puteum aquæ ferventis demergendus, duceretur: Paganos primùm adstantes ad fidem, Christianos martyrii socios ad generosam mortem, hortatum: deinde psalmum *Laudate Dominum*, Litanias, & ad os putei Canticum, *Nunc dimittis*, clarâ voce recitâsse, monuisseque comites, ne, quod unus carnificis jussu & caritatis ardore feceras, ultro sese ipsi in puteum præcipitarent: denique, cùm ultimus ipse ternis vicibus, ad acerbius supplicium, mergeretur, inclamâsse, *Laudetur Deus, & Venerabile Sacramentum*, atque istis verbis sanctè immortuum. O Christe, *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*: oramus ut pergas efficere potenti gratia tua, ut tibi *confiteantur populi omnes, quia terra dedit fructum suum*, panem cælestem: enixissimè obsecramus; ne venientibus ab Oriente & Occidente Indis, Americanis, Japonibus, Sinis, filii regni ejiciamur foras, & dum novissimi fiunt primi, primi fiamus novissimi.

VII.
Omni loco & omni hora sacrificium Eucharistiæ offertur.

Apud Malachiam cap. 1. Deus de futura olim gloriæ suæ propagatione loquens, *Ab ortu Solis*, inquit, *usque ad occasum, magnum*, seu, ut Græcè habetur, *clarificatum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Quæ verba, ex communi Patrum & Ecclesiæ sensu, de Christiani altaris adorando sacrificio intelligenda sunt. Ita explicavêre Justinus, Cyprianus, Hieronymus, Chrysostomus, aliique: & ipsum denique Concilium Trid. sess. 22, c. 1. Resque ipsa modò loquitur: postquam per quatuor orbis partes Christi Ecclesia, & Eucharistiæ gloria, ut diximus, diffusa est. Imò quidam Societatis nostræ sacerdos, nuper, adeò verum id esse demonstravit: ut etiam horâ omni diei, ac noctis, à sacerdotibus nostris, per varias mundi plagas sparsis, sacrificari ostenderit, nedum à sacerdotibus cæteris aliorum Institutorum, per eadem loca degentibus. Quid autem, si non sacrificia modò ubique locorum oblata, sed aliud omne honoris genus, à quorumvis Ordinum hominibus, sacrorum, vel profanorum, ubivis exhibitum attendamus.

VIII.
Omnes rerumpublicarum ordines Ven. Sacramentum honorant.

Tres vulgò in rebuspublicis ordines numerantur, Ecclesiasticorum, nobilium, & plebis: qua de re nos quidpiam ad l. 1. c. 3. Exc. 2. sect. 6. Æquè commodè quaternos ordines fecerimus, quaternis Ezechielis animalibus respondentes; Ecclesiasticos facie hominis; quia virtus & scientia, quæ verè homines faciunt, ipsorum sunt: Plebeios, facie bovis laboriosi, vel calamo honorem sectantes, vel artibus vitam, vel negotiatione opulentiam. Milites, facie leonis, hostibus solis formidandos: Nobiles, aquilæ facie, generosos, ardua petentes, turbæ supervolantes. Quamquam nuper Francico more nobiles, si equestris ordinis erant, Milites vocabantur; qui gradûs inferioris sunt, armigeri hodieque appellantur. Sed militum appellatio nunc ad alios transiit, gregariosque quosvis complectitur, & quartum reipublicæ ordinem constituit, qui cum aliis tribus Eucharistiæ currum gloriosè trahet, nosque exemplo suo ad illius honorem excitabit.

IX.
Ecclesiastici quot titulis ad Eucharistiæ honorem obligentur.

Ecclesiasticorum munus, post Dei gloriam, imò in Dei gloria, primum est, Venerabilis Sacramenti honor. Prætorianus ipsius miles sunt, & cohors intimæ admissionis: similes sunt sexaginta fortibus de fortissimis Israel, qui lectulum Salomonis ambiunt. Stipendiis ejus aluntur, non spiritalibus modò, sed corporalibus. Templa, Beneficia sacra, anniversaria, religiosas domos, posuit Venerabilis Sacramenti honor: eò Christiani populi liberalitas spectat; illuc conferuntur altarium ornamenta, alimenta ministrorum. Prorsus, ut Ecclesiastici omnes Eucharistiæ honorem tueri, ac propagare debeant, non fidei modò caussâ, spei, aut caritatis, quemadmodùm cæteri: verùm etiam fidelitatis, & gratitudinis nominibus, ut Regii corporis custodes Principem suum, & alumni nutritium. Sic Apostoli, & Apostolici viri, fecêre; sic Episcoporum deinceps, & Clericorum sanctorum ingens multitudo, quorum catalogum texere infinitum foret. Sed neque ipsa recentiora nomina Ignatiorum, Borromæorum, Xaveriorum,

Teresiarum,

Teresiarum, Neriorum, Aloysiorum, Salesiorum, aliorumque afferam, ardenti erga Eucharistiam pietate insignium.

X. Thomæ Mori erga illam affectus.

Unicum de tanto numero producam, qui cùm conjux & parens fuerit, equestris ordinis, summo judicis officio functus, Logotheta Regius & Cancellarius; cum à me mirabimini ad Ecclesiasticum ordinem traduci. Sed meritò illi ordini tribuetur, qui adolescens sacrâ tonsurâ in Clericos adscriptus, deinde viduus Ecclesiastici planè vitam egit, & sacerdotale officium quotidie accuratè persolvit. Thomas Morus ille est, tanto erga Venerabile Sacramentum affectu, ut lineâ tunicâ, quam superpelliceum, aut supraplicium potiùs, appellant indutus, ad pulpitum in parochiali templo solennibus sacris accinere soleret: cumque à Duce Nortfolciæ moneretur, gratam Regi non fore tantam Cancellarii sui abjectionem, respondit, Regi displicere non posse obsequium, communi utriusque domino præstitum. Idem sacro, ante negotia omnia, imò & ante studia, nisi quæ valdè matutina essent, interesse ac ministrare solitus: in quo officio pietatis occupatum aliquando Rex ad se evocandum tertiò curavit, neque aliud tertiò responsum accepit, quàm majoris domini obsequio tantisper ipsum fungi fuerer. Offcodisset alioa intempestiva, vel inofficiosa pietas: at non Regem, tunc pium, & nondum amoribus dementatum, abstractumque à sinceræ fidei & caritatis sinu.

XI. Plebeiorum pietas, & religio quædam maximè laudabilis?

Plebeios, etsi totidem, quot Ecclesiastici, nominibus ad Eucharistiæ venerationem non teneantur; obligat tamen communis Christianis omnibus fides, & caritas. Illis æquè, ac cæteris, vixit Christus, & mortuus est: illorum domoa æquè amat, ac templa, & palatia. *In veritate comperi*, inquit Petrus Act. 10. *quòd non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente*, atque ordine; *qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi.* Apud Lucam cap. 14. non divites solùm, & proceres, invitantur ad cœnam magnam: sed exitur in vias & sepes, ad invitandos claudos, debiles, cæcos. D. Jacobus cap. 1. monet, ne in Ecclesiæ mysteriis ulla sic divitum præ pauperibus prærogativa: isthæc enim cuivis conditioni pariter condita, quemadmodùm Sol æquè omnibus lucet. Patet egenis mensa Christi: ad audiendos miseros aures ejus in sacris adytis apertæ sunt: larga super plebeios Christi benedictio, uti super cæteros, descendit. Et verò ipsi pro modo suo, & viribus, pietatem ac venerationem erga Ven. Sacramentum explicare solent, ubi præsertim annuarum supplicationum ordo revolvitur. Imò interdum ultra modum, ad superflua usque, profusio religionis extenditur: ut vituperaio, quàm laudi, propior sit. Longè laudabiliores illi, qui quotidianâ pietate constanter Eucharistiam honorant: qualem in vita Camilli de Lellis invenio, socium illius Bernardinum. Juventutem egerat in ima bajulorum sorte. Totos dies lignis deportandis operatus; à vespertino salutationis Angelicæ signo, ad noctem adultam, in orando Deo perseverabat, donec somnus illum occuparet. Ad matutinum salutationis ejusdem signum experrectus, mox ad sacrum audiendum advolabat, seque diurno labori comparabat, illius adoratione, qui se nobis nascens dedit laborum socium, convescens in edulium.

XII. Impietas

Militarem vitam vulgo infamant perditi quidam, nihil aut profanorum, aut sacrorum, pensi habentes; neque ab aris quidem ipsis rapacem manum abstinentes, aut ab altarium ministeriis: quamvis sese pro Christianis, imò pro Christianæ religionis defensoribus, ferant. Sed istud quorumdam dedecus omnibus inurendum non est. Neque enim desunt sæculis & regionibus aliis, atque aliis, pii ac religiosi milites, Cornelio centurioni æmuli: qui sacra per commilitones violanda defendant, proculcata venerentur. Sic fuêre magna illorum pars, qui cum Constantino contra Magnentium militavêre, cum D. Henrico, cum Othonibus, cum Ramiris, cum Alfonsis, adversùs Infideles. Tales, apud Duplexium anno 1549. Angli Catholici, sub Eduardo Rege; quibus militaria signa calicis figuram, & hostiæ sacræ, præferebant. Tales Belgio, adversùs Gheusiorum rebellionem, milites misit Italia: qui donata per Pium quintum Pontificem numismata sacra, cum Ven. Sacramenti effigie, pileis assuta gestabant, palamque profitebantur cui pugnarent. Tales plurimi hodieque; qui, majorum exemplo, numquam ad congressum hostilem procedunt, quin sese antè, quà licet, Eucharistiæ sumptione armaverint.

quorumdam militum religione aliorum compensatur.

XIII. Aulanum Catholicarum erga Eucharistiam officia.

Celebratur impii cujusdam apud Lucanum sententia: *Exeat aula, Qui volet esse pius.* Istud olim apud Infideles fuerit, & modò interdum spectetur apud Fidelium nonnullos, ab avitæ religionis puritate degeneres. Multò plures tamen Catholicorum aulæ sunt, & procerum familiæ, quæ cum religiosis etiam domibus de pietate contendant, in iis præsertim quæ ad augustissimi Sacramenti honorem faciunt. Nolo hìc Theodosios, Carolos, Othones magnos commemorare: ne ipsum quidem D. Ludovicum, etsi spectabilissima illius verba & facta recitentur, serventurque etiam apud Dominicanos Leodii altarium ornamenta, & calix aureus, Regiæ pietatis monumentum. Recentiora, & nostræ memoriæ, terna profero. Philippus II. Hispaniæ Rex, apud Gusmanum in vita Margaretæ Reginæ lib. 2. caput sacerdotibus, post celebratam Missam de sacrario exeuntibus, aperire solebat: rogatusque ab intimis amicorum, facta ipsius, ad rationem semper exacta, considerare solitis, eccur id faceret; respondit: sacerdotem quemlibet mox à sacro, Sacramenti speciebus nondum consumptis, instar esse sacri ciborii, aut tabernaculi, quod tecto capite præterire nefas foret. Idem à suorum quopiam monitus, ne in solenni Ven. Sacramenti supplicatione detecto capite procederet, ob æstûs intemperiem, respondit: Solem, eo die, illis non obfuturum, qui domino suo debitum honorem exhiberent.

XIV. Aquilæ ad Christi corpus.

Ferdinandus II. nullis umquam occupationibus à frequenti communiona, à quotidiana sacri auditione, à piis supplicationum frequentationibus, abduci sese passus est: cumque aliquando, propter gestatam diu in illarum una tædam ardentem, manus & brachium intumuisset; postridie dixit, alteram sibi manum & brachium honori Christi liberum, & expeditum, superesse. Dicebat Christus Math. 24. proverbio, quod augustissimæ Eucharistiæ possimus aptare, *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Ubi corpus Christi est, illuc protinus Austriacarum aquilarum hæreditaria pietas convolat: eò simul convertitur religio Francicorum liliorum, quibus aquilarum quoque oculus convenit, merito nobilitatis. Ludovicum XIII. spectavit Francica

nobilitas,

nobilitas, adeò ad Chriſtiana omnia pietatis erga Euchariſtiam officia promptum, ad communionem, ad ſacra, ad ſupplicationes: ut etiam ſacros cantus ſolennitati augendæ per ſe ipſe, artem enim illam callebat, componeret. Memorabitur olim inter illuſtria Euchariſticæ pietatis exempla Maximiliani Henrici noſtri, aquilini leonis, ad ſacrificandum accurata comparatio, in ſacrificando religioſa gravitas, in ſupplicando auguſta modeſtia, ad omnia erga Ven. Sacramentum officia conſtans & imperturbata attentio: à Leodienſibus amanter ſpectata, cùm aliàs, tum recèns per Natalis Dominici ferias, ſub quod tempus iſthæc ſcribebantur.

XV. *Catholicus omnes in ſe reipublicæ ordines complectitur.*

Mi auditor, mi lector, de quo reipublicæ ordine es, quod inſtitutum ſectaris? Es Eccleſiaſticus? En nutritium tuum. Es plebeius? En magiſtratum tuum. Es miles? En ducem tuum. Es nobilis? En Regem tuum, en fontem nobilitatis. Imò, quiſquis es, ſi modo Catholicus es; & Eccleſiaſticus es, & nobilis, & plebeius, & miles. Eccleſiaſticum te appello, non quia Philo cenſuit probum omnem eſſe ſacerdotem, probum autem eſſe te arbitror: ſed quia D. Petrus te vocavit, *Regale ſacerdotium.* Nobilis es, Chriſti ſanguine: nobilis Chriſtianarum literarum dignitate: nobilis armorum uſu, & gladio ſpiritûs, quod eſt verbum Dei. Plebeius ſimul es, quamdiu terrena habitatio te degravat, & inficit maculis quotidianis cum habitantibus Cedar. Etiam miles; juſſuſque es, Apoſtolici diſcipuli exemplo, militare bonam militiam. Omnibus itaque, Chriſtiani, ordinum omnium nominibus, obſequium, & affectum ſanctiſſimo Sacramento impendite: *Genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, virtutes annuntiate ejus, qui vos vocavit in admirabile lumen ſuum.*

XVI. *Quadruplex honor Ven. Sacramento exhibitus.*

Quid faciemus, inquiebant D. Petro auditores ſui Act. 2. poſt concionem illius auditam. Idem mihi aliqui dixerint: Ad honorem Euchariſtiæ multa de triumphali Ezechielis curru dixiſti, rationes ex aliis alias protuliſti: ſed nos, denique, *quid faciemus?* Dicam, aut quomodò D. Petrus 2. 1. loquebatur, *incipiam vos commonere .... & quidem ſcientes, & confirmatos vos in præſenti veritate.* Quadruplex honor Venerabili Sacramento exhiberi poteſt. Communione, Viſitatione, Supplicatione, Sacro: dum Chriſti Corpus ſumitur, non ex obedientiæ præſcripto tantùm, ſed ex pietatis conſilio: dum benedictio Ven. Sacramenti excipitur, quandocumque per occupationes licet: dum ſupplicando proceditur, vel ſupplicantium religioſa pompa ſpectatur: dum ſacris per dies feriales, operoſóſve, aſſiſtitur.

XVII. *Exercenda in Communione humanitas, & fiducia.*

In Communione Chriſtianus induat faciem hominis. Humanitatem exerceat erga beneficentiſſimum Regem, ad tuguria pauperculorum ſubditorum viſentem: erga fideliſſimum medicum, ægro ſanando ſeſe ipſum pro medicamento præbentem: erga optimum patrem, filio, de hæreditate cæleſti cernenda, corporis ac vitæ ſuæ oppigneratione caventem: erga humaniſſimum amicum, ac fratrem, ſua omnia, ipſúmque adeo ſeſe intimè cum amico communicantem. *Quis credat?* inquit Seneca ep. 115. *In homine rarum humanitas bonum.* Sed rarum quamvis, totum tamen ad tam amabilis hoſpitis invitationem impendatur. Simul, quæ humanitatis pars eſt, fiducia explicetur, negotia communicentur, conſilia petantur. Dicebat Pſalmiſta, *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.* Tunc omnino in nobis loquitur Deus, quando in nobis eſt. Zacharias propheta, capitibus primo, quarto, quinto, &c. de Angelo ſuo loquens, *Angelus*, inquit, *qui loquebatur in me.* Iſtud, *in me* Latinum, & Græcum ἐν ἐμοὶ, quidam interpretantur, *mecum:* ſed mihi videbatur poſſe ita intelligi, ut Angelus in ſancto propheta loqueretur, quemadmodùm in energumenis dæmones. Angelus magni conſilii loquitur in nobis, quando eſt in nobis; loquitur *verba bona, verba conſolatoria:* dicamus illi ex animo, quod ab Heli Samuël dicere juſſus eſt vocanti Domino, *Loquere, Domine, quia audit ſervus tuus.*

XVIII. *In viſitatione Ven. Sacramenti exponendæ neceſſitates.*

Eâdem fiduciâ in Ven. Sacramenti viſitationibus, & benedictionibus, utendum: etſi tunc magis faciem bovis induimus, & velut jumenta ſumus apud Chriſtum, adultâ jam die, aut exactâ per labores. Siquidem homo natus eſt ad laborem, uti avis ad volatum: nec gradui ulli exceptio eſt, ne otiantibus quidem, quorum otium ipſo ſæpe labore difficilius eſt. Cæterùm, quod Mat. cap. 11. clamat Chriſtus audientibus Judæis, hoc idem inclamat viſentibus ad ſe Chriſtianis: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Onerant vos curæ familiares, de neceſſitatibus veſtris crui deſideratis, fatigant vos quotidianæ vitiorum pugnæ, bella premunt hoſtilia: inclamate ſalutarem hoſtiam, quæ cæli pandit oſtia, ut det robur, ferat auxilium. Non ſoli D. Claræ contigit, ut divinæ hoſtiæ præſentem opem in ſummis laboribus, extremiſque periculis, experiretur. Aliorum quorumdam meminimus l. 1. Exc. 2. ad cap. 3. ſect. 6. num. 52. Nec meminiſſe opus, quando quotidie experiri licet, quàm delectabile ſit memorem eſſe Dei, & effundere coram illo, intra ſacri tabernaculi adytum clauſo, corda ſua.

XIX. *In ſupplicationibus ſpectetur pia generoſitas.*

Facies leonis in ſupplicationum ſolennium ordine ſumenda: cùm ſint velut publica proteſtatio fidei noſtræ, animique ad illam defendendam ardentis. Eum in finem flammantes tædæ deferuntur, non tantùm honoris causâ, quemadmodùm olim Regibus ac Principibus præferri ſolebant: ſed etiam ut igneum mentis noſtræ ardorem, vigorémque, indicemus. Eamdem ob cauſſam, ſupplicantium ordo inſtar eſt aciei, circùm Venerabilis Sacramenti conopæum ordinatæ. Præcedunt alii, aliqui circumſtant, ſequuntur cæteri, præeunte vexillo Regis noſtri, fulgente crucis myſterio. Utinam tantâ modeſtiâ, reverentiâ, pietâte, conſtantiâ procedatur: ut ſi quis novus forſan Balaam lateat in numero ſpectatorum, exclamare cogatur idem, quod priſcus ille, viſis Iſraëlitarum circùm arcam ordinibus: *Quàm pulcra ſunt tabernacula tua, Iacob; & tentoria tua, Iſraël! Moriatur anima mea morte juſtorum.* De ſupplicationum Chriſtianarum ritu mox plura dabimus ad caput 3.

XX. *Elevandus in ſacro animus, nec demittendus ad terras.*

In audiendo ſacro ſimus volucri iſti ſimiles, de qua cum Jobo Deus loquebatur cap. 39. *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum?* Oratio quidem omnis eſt elevatio mentis in Deum: at illa maximè, quæ diviniſſimo ſacrificio jungitur. Non vides, quemadmodùm ad elevandam mentem inſtituta ſint omnia: ſive altaris apparatum, ſive veſtes ſacerdotales, ſeu ſacrificii ritus ſpectentur? Sacerdos ante inchoandum, curvo corpore ſeſe peccatorem confitens, ſignificat deponendum onus peccatorum, ut liber animus ad Deum aſſurgat.

assurgat. Orat deinde elevatis manibus, identidemque ad populum obversus, monet Dominum adesse. Cùm propiùs ad stupendam consecrationem accedit, vetustissimo ritu, atque ab ipsis Patribus antiquissimis memorato, hortatur, ut *sursum corda* eleventur. Hostia ipsa elevatur; & quidquid silentii, verborumque, postmodùm habetur, erigendæ in cælum menti totum præscriptum est. Missa, quod nomen jam inde à Divorum Ambrosii & Hieronymi ætate lingua Latina, nedum Christiana pietas, noverat; Evangelio D. Joannis, omnium elevatissimo, clauditur. Inter tam sublimes ritus, tam cælestia mysteria, tam divinas actiones, caveamus vitium aquilæ, quæ de nubibus *contemplatur escam.... & ubicumque fuerit cadaver; statim adest:* ne de alta illa orationis elevatione, in audiendo sacro, cogitationes nostræ, & affectus, ad terrena & caduca turpiter devolent.

XXI. Exercendæ circa Eucharistiam virtutes Theologicæ.

Compendio mavis audire, quid in Communione, Visitatione, Supplicatione, Sacrificio Eucharistiæ agendum? Exere fidem, spem, caritatem: crede tam veraci Christo: de benevolentissimo benè spera: ama optimum. Eas à te virtutes petitum Christus, eas auctum, venit. Illuc, quidquid adhuc de Ven. Sacramento scripsimus, quidquid inde per octiduum dici potuerit, referendum est. O Christe, qui, post tanta rationum & auctoritatis momenta, in te non credit, an rationis compos sit, nescio. Qui, post tot benevolentiæ experimenta, in te fiduciam non defigit, an cor habeat, ambigo. Qui, post jam evidentes amoris in Eucharistia demonstrationes, te non diligit, ignoro, an homo sit. Hoc scio, qui non credit, jam judicatum esse: qui autem credere se dicit, nec tamen confidit, & amat, inaniter credit & mortuus est. Ab ea nos morte, & judicio, serva Christe Salvator: qui redemptio nobis, & esca, factus es, ut vitam habeamus, & abundantiùs habeamus.

SECTIO QUARTA.

Virtutum exemplar Christus in Eucharistia, caritatis primùm, tum mansuetudinis.

I. Christus in Venerabili Sacramento eloquentissimus virtutum doctor.

QUOD alibi quærimus, cur Deus homo; si ab ipso Deo-homine petamus, respondebit, ob duos sese fines venisse, ad officium Redemptoris, & ad munus Doctoris. *Ego*, inquit, *veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant. Venit Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat. Vos vocatis me magister, & domine, & benè dicitis.... Exemplum dedi vobis.* Filius Dei factus est filius hominis, primùm ut homines à morte liberaret; deinde, ut rectè vivere doceret: *putas autem res parva est, scire vivere*, ut ait Bernardus? Eosdem ob fines Deus sese sub Sacramento mirabili posuit: primùm ut redemptionis suæ fructum in nobis jugiter sentiamus: deinde, ut præsens, in exemplis suis, semper habeamus rectè vivendi documentum. Audiamus divina illa documenta, quæ ob omni hominum genere, & quamvis dissonis linguis, facillimè intelliguntur. Apostoli dicuntur variis linguis locuti magnalia Dei: sed variæ istæ nihil profecissent, si bonorum exemplorum lingua defuisset. Hæc est lingua cælorum, & Christi, in Ven. Sacramento, efficacissimè nos docentis ante omnia caritatem.

II. Summa ipsius in illo caritas.

Si caritas mihi depingenda foret; absit ut alatum, pharetratum, investem, & impubem genium, ex inanibus fabellis, effinxerim. Sed neque, pio magis ac religioso penicillo, matronam expresserim, distentis lacteo pectore senis uberibus, totidem infantes pascentem. Imo nec eum B. Magdalena Pazzia Christum cruci affixum, iteratis amoris inclamationibus, ostentârim: etsi Dei Filium pro hominibus mori, summum esse videatur amoris miraculum. Mihi pro expressissima caritatis pictura, effictoque maximè ad vivum exemplari, divinam Eucharistiæ Hostiam demonstrare, sufficeret. Ibi enim non modò *Sacramentum amoris* est, ut D. Thomas opusc. 58. loquitur: sed, ut ait D. Bernardus serm. de cœna Domini, est *Sanctum sanctorum, Sacramentum sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum.* Ibi Sol quidem totus est in nubilo: sed calore sub nube torrente, fornacem custodit in operibus ardoris. Itaque sæpe ad illius radios de aqua crassa, & luteis mentibus, ignes magni èxardescunt, itaut omnes demirentur. Nec sancti dumtaxat homines, D. Ephræmo similes, in Eucharistia ignem præberi sentiunt; aut D. Catharinæ Senenses solæ, in illa, fornaces ardentes intueantur: sed publicani etiam & peccatores, cum quibus manducat, & à quibus manducatus magister noster, igne isto colliquescunt; quem Christus venit mittere in terram, alio fine nullo, quàm ut accendamur; ardens ipse, ut nos inardescamus.

III. Duo insignia amoris indicia.

Duo existimo potissima esse, ac certissima ardentis amoris indicia. Primùm, si magna in amati gratiam operetur. *Amor* enim, ex vulgari veriverbio, *ubi est, magna operatur: si magna non operatur, amor non est.* Alterum, si conjunctionem intimam cum amato desiderat. *Quid* enim, inquit August. l. 8. de Trin. cap. 10. *est amor, nisi quædam vita, duo aliqua copulans, vel copulare appetens; amantem scilicet, & quod amatur?* Maxima & stupenda prorsus Christum in Eucharistia operari, mox spectabimus: cùm immobilem ipsius patientiam, abjectissimam humilitatem, promptissimam obedientiam, invictam perseverentiam, intuebimur. Antè videamus, quemadmodùm conjunctionem appetat cum amato, Redemptor cum redempto, Deus cum homine: indeque conficiamus, quantum ergo nos ad eamdem unionem, homines cum Deo, redemptos cum Redemptore, anhelare oporteat.

IV. Tripliciter conjungi caritas desiderat.

Triplex potest esse conjunctio honestè & castè inter se amantium, Moralis, Localis, & Intima seu Realis. Moralem voco, quæ in sola memoria est: Localem, quæ ex loci vicinia existit: Intimam, quâ res non tantùm alteri rei vicina, sed intimè præsens est. Da sinceræ amicitiæ fœdere adstrictos; quales Davidem & Jonathan, quorum conglutinata erat anima: quales de quibus Sidonius Apollinaris, lib. 5. epist. 9. *Animæ duæ, animus unus:* quales credentes, quorum *erat cor & anima una.* Da perfectissimum parentum erga liberos affectum: qualem Jacobi erga Josephum: qualem ex Theodoreto narrat Baronius anno 390. civem Thessalonicensem; qui in patriæ clade, ut filios duos à militibus captos recuperaret, possessiones suas universas pro lytro obtulit; negantibus autem istis utrumque posse servari, alterum eligeret, dum dividit affectum, utrumque perdidit. Da honorabilis connubii, & thori immaculati, amorem: qualem Isaaci & Rebeccæ, necessitudini mutuæ

poſtponentium, quidquid à natura neceſſarii eſt. Moralem illi conjunctionem appetent; quomodò David Jonathæ filium convictorem perpetuum habere voluit, ad paternæ memoriæ gratiam. Locorum viciniam deſiderabunt: quomodò Jacobo, quamvis ſeni, grave non fuit Ægyptiacum iter, ut Joſephi facie viſâ lætus moreretur. Intimam verò præſentiam non optabunt, quia ſperare non poterunt: niſi forſan quiſpiam Cariæ Regem memoret, cujus demortui cineres Artemiſia conjux ebibit, ad vanam potiùs oſtentationem, quàm ad veram demonſtrationem ardentis erga demortuum caritatis.

V. Quomodò Chriſtus nobis tripliciter præſens eſſe voluerit?

Chriſti verò ardens, in diviniſſimo Sacramento, adversùs homines caritas tres illos conjungendi modos abſolutiſſimè complexa eſt. Moraliter enim præſens eſſe voluit, cùm faciendum illud inſtituit in ſuam commemorationem. Localem præſentiam deſideravit, cùm in omni loco ſanxerit offerendam oblationem mundam. Optavit denique intimè nobis adeſſe, cùm cibum ſeſe ac potum noſtrum, pectoribus noſtris inſerendum, cordibus applicandum, fecerit. Itaque eleganter homil. 24. in ep. ad Rom. dixit Chryſoſtomus, Chriſtum ſummo erga nos amore ferri, quandoquidem nobis ſeſe modis omnibus agglutinet, *παντὶ τρόπῳ συγκολλῶν*.

VI. Quàm deſideràrit præſentiam ſui moralem in nobis?

Eò quia memoriam ſui apud amatos vigere magis deſiderat, quò expreſſius ſui pignus, nobiliusque, ac promptius, & extremo tempore reliquerit. Expreſſius nullum eſſe monumentum Chriſti potuit, quàm ipſe ſui: *Hoc facite*, non nomen meum, non ſimulacrum meum, ſed hoc corpus meum, & meipſum, *facite in meam commemorationem*. Nobiliore pignora nos donare nequiit, quàm Deo-homine, & ſeipſo, quo majus ac pretioſius nihil divina omnipotentia aſſequi poteſt operando, nec ſcientia cogitando. Arrham nullam paratam magis, ac promptam, elargiri potuit, quàm ſub obviis paſſim, & paratu facilibus, ſpeciebus panis, ac vini. Si ſeſe adamantis, aurive ſpecie, velare voluiſſet: ditiorum forſan tantùm amatorem ſuſpicaremur, quibus illa comparare, aut poſſidere, fermè ſolis liceret. At poſteaquam ſeſe in panis vicem, ſitumque, ac colorem ſubſtituit; omnes pariter ſibi cordi eſſe, & ab omnibus æquè ſeſe amari velle, profeſſus eſt, quandoquidem panis omnium alimentum ſit. Jam quod aliud Chriſto extremum tempus, quàm Paſſionis imminentis, cujus ipſi partes ſingulæ ob oculos tunc maximè, quando ſeſe ad illam comparabat, obverſabantur? Iſto tamen in articulo memoriam illam ſui nobis commendatam voluit: ut tantò teſtatior eſſet affectus, tantoque firmiùs mentibus noſtris inhæreret; quantò apertiùs intueremur, ipſum immemorem penè tunc ſui fuiſſe, ut noſtri meminiſſet.

VII. Quàm mirabiliter loco ſit conjunctus?

Chriſti præſentia localis morali implexa eſt: quia ſic noſtri meminit, & ſic nos ſui memores eſſe voluit, ut ipſe nobis adeſſet pro monumento memoriæ. Dicebat olim Sapientia Prov. 8. *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*, cum populo præſertim Iſraelitico, de quo tam magnificè Moyſes Deut. 4. *Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.* Quæ autem fuit illa Dei tanta cum Iſraelitis propinquitas, & conjunctio? Præibat Angelus, Filium Dei exhibens: dabatur lex divina, & promulgabatur: arca, fœderis divini pignus, præferebatur. At nos, gens electa, quomodò Deum habemus appropinquantem nobis, iſtum ipſum magni conſilii Angelum, Verbi incarnati arcam, legem ſimul ac legiſlatorem caritatis? Non in media ſolùm uſpiam Eccleſia eſt, quemadmodùm olim arca in tabernaculo, templóve unico: ſed in templis omnibus, ſacelliſque Chriſtus eſt: urbes habitat, vicos non dedignatur; ingreditur palatia, ſubit gurguſtia. Age, ſi quis Regum, ex propenſo in populum ſuum affectu, rationem comminiſcatur, ut non in metropoli modò, ſed in urbibus ſimul omnibus habitet, civisque omnium & indigena dicatur: quid illi umquam amori inveniri par poſſit? Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei, Eccleſia Chriſti: cujus Deus-homo civis eſt, urbium omnium incola eſt, vicorum omnium indigena eſt.

VIII. Quàm intimè, & realiter nobis adſit.

Et quò magis amorem teſtetur, & ametur, pectoribus noſtris ſeſe inſerit, nec loco tantùm propinquus eſt, ſed intimà præſens, & reipſa conjunctus: quantum utique manducanti cibus, & alito alimentum. Hoc duntaxat inter ipſum, & alimentum, intereſt; quòd iſtud ad corporis nutritionem mutatur, aliasque induit formas: Chriſtus verò in Euchariſtia non mutatur, ſed mutat. *Nec tu me mutabis in te*, inquit apud Aug. l. 7. Conf. *ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me. Qui manducat me*, inquit Joan. 6. *vivet propter me*, ut vitæ principium ſimul, & finem. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*: maneo in illo, ut alimentum in alito; & ipſe in me manet, cùm tamen alitum non maneat in alimento. Sed hæc terreni cibi infirmitas eſt, ut tranſeat in comedentem: cibi autem iſtius hæc vis eſt, ut comedens in illum tranſeat, Chriſtianus formetur in Chriſtum. *Quis narrabit potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?* Quis tanti amoris magnitudinem dignè exequetur? Paſtorem, patrem, matrem ſeſe Deus appellat. At quis paſtor oves proprio paſcit ſanguine? De quo patre dici potuit, Pater bone panis vere? Quæ mater ſe filii cibum fecit, & in illius ſeſe pectus ingeſſit, quem utero geſtârat? Miramur Chriſtum mortalem Samaritanæ confabulantem, Magdalenæ collacrymantem, peccatoribus convivam. Miramur immortalem cum Sanctis ſuis, adhuc luteas domos habitantibus, colloquentem: Catharinæ Senenſi cor donantem, Edmundo puero æqualis pueri formâ apparentem, ab Oda mendici habitu ſtipe donatum. Quid autem iſta ſunt; ad hoc amoris prodigium: *Accipite, & manducate: Qui manducat me, vivet propter me?*

IX. Deſideranda Chriſtiano conjunctio cum Chriſto.

Enimverò, vivet propter Chriſtum, qui manducat Chriſtum: & qui intelligit, quanti amoris ſit ita ſeſe manducandum offerre, quantæ ingratitudinis dilectionem tali dilectioni non reddere. Angelus Jud. c. 13. aſcendit, & evanuit, in flammâ holocauſti: ut vel ſic teſtaretur, quanto deſiderio flagraret, ſeſe etiam in holocauſtum Deo offerendi. Euchariſtia holocauſtum caritatis eſt: in ejus flammam nos immergamus, & toti tranſeamus in Chriſtum. Optat ſumma bonitas, & pulcritudo, ſeſe imbecillitati noſtræ & deformitati conjungere, non memoriâ ſolùm, ſed loco, ſed reipſa, ſed intimè: non aſpirabit imbecillitas noſtra, & deformitas, ad ſupremæ bonitatis, ac pulcritudinis perfectiſſimam conjunctionem?

X. Niſu omni

Reipſa & intimè Chriſto uniti eſſe non poſſumus, niſi quando *ſimiles ei erimus, quia videbimus eum*

fugiendum, quidquid ab illo nos potest sejungere.

eum ficuti est. At loco propinquis esse licet, quando illum intra nos sumimus, & manere desideramus in eo, qui manet in nobis. At mente saltem junctis semper esse licuerit, & omni conatu fugere, quidquid nobis ipsius memoriam, ipsi memoriam nostri, obliterare potest, vel ingratam efficere. Id est, Christiane, si Christum amas, ut amare oportet, opere & veritate; peccatum fugies: &, quò efficaciùs effugias, ad Christum confugies, quemadmodùm cervus, insequentem vim canum præcurrens, ad fontes anhelat. Sic Psalmista, tot sæculis ante cognitum divinæ caritatis in Eucharistia miraculum, de se cantabat: *Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Eadem olim verba neophytis Christianis accini solebant, quando sacris baptismi fontibus abluti, ad divinos sacrosancti altaris fontes degustandos sese comparabant.

XI.
Patientia proprius caritatis effectus.

Caritatis indicia duo esse certissima diximus, si magna operetur, si conjunctionem desideret. Hoc indicium paucis executi, illud pluribus, & variis, explicabimus. Ac primùm id ponemus, caritatem Christi in Ven. Sacramento magna pro nobis operari, quando magna patitur: multum enim pati, est multum agere, quia *patientia opus perfectum habet*: Et verò D. Paullus Corinthiis caritatis effectus, qualitatésve, enumerans, ante omnes patientiam ponit, *Caritas*, inquit, *patiens est*: cujus patientiæ proprium munus esse ait D. Thomas 1. 2. q. 66. art. 4. ad 2. *conservare bonum rationis contra tristitiam*, & quæ scilicet tristitiæ affinia sunt, iram, ægrimoniam, omne inquietudinis genus. Utinam æquè vulgò ea virtus nosceretur, quàm necessaria est: imò utinam æquè exerceretur, quàm nota est. Rationes noscendi, & incitamentum exercendi in Christo, sub speciebus latente, & mira patiente, spectemus.

XII.
Materna Christi ubera pro Ecclesiæ nutrimento.

Ecclesia Christi, sponsa sponso carissima, sponsi amantissima, suavissimum suum caritatis Canticum hisce verbis incipit: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Osculum Verbi divini incarnati, quod proditor Iscariotes occupare ausus est, modestè Ecclesia postulat, ut ore illius ad omnem virtutem erudiatur; ideoque aliqui ex Hebræo vertêre, *Erudiat me*; vênit enim Christus Salvator pereuntium, & Doctor ignorantium. Forsan etiam castè istius, & pacifici, osculi nomine Eucharistiam intelligit: ubi Christi amor mirabili modo ori nostro apprimit suum, seque totum amanti inserit. Quid autem sibi volunt ubera illa, vino meliora? Sponsúsne unquam nutrix fuit sponsæ, vel mater? Mysterium evolvetur divino ad Isaiam oraculo, cap 49. *Numquid potest oblivisci mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego non obliviscar tui.* Audis Deum sese matri comparare, imò longè, ad affectum erga homines, præponere? Meritò igitur ubera materna Deo tribuemus, ex quo præsertim in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.

XIII.
Gemina ejus ubera: primum, incarnatio.

Mamillarum una, suavissimo lacte distenta, fuit visibilis illius præsentia, & conversatio, morituri cum mortalibus: altera, dulcedinis iisdem plenissima, est invisibilis ipsius in augustissimo Sacramento præsentia. De illa loquebatur Augustinus, conc. 1. in ps. 33. ubi, postquam dixit, Verbum Dei cibum esse Angelorum, illud contemplantium; *oportebat*, inquit, *ut mensa illa lactesceret, & ad parvulos perveniret.* Infantes enim erant homines, qui lacte incarnati Verbi nutrirentur, non solido contemplati Verbi cibo alerentur. Quomodò autem solidum matris alimentum, *si per carnem trajiciatur*, lactescit: *ita de ipso pane* Angelorum *pavit nos sapientia Dei, quia Verbum caro factum est.*

XIV.
Alterum, Eucharistia.

Alteram Eucharistiæ mamillam indicavit Theodoretus, ad istum Canticorum locum: ubi, vini nomine, ait intelligendam veteris Testamenti doctrinam, cui longè præstent sponsi ubera, & *ineffabiles altaris fontes, ex quibus nos pietatis alumni nutrimur.* Eamdem demonstravit D. Petrus 1. ep. 2. cap. neophytos Christianos ad sacri epuli participationem hortatus, uti explicant nostri Salmeron & Velasquez, præeunte Gaudentio, & D. Jacobo in Liturgia: *Sicut modò geniti infantes*, renati in aquis baptismatis, *rationabile*, &, rationali animæ nutriendæ, convenientissimum, *sine dolo lac*, non gypseum, non venenatum, sed purissimis cæli deliciis stillans, *concupiscite*, optimumque cibi cælestis condimentum famem afferte: *ut in eo crescatis in salutem*, lacte cælesti æquam nutriendi, & augendi corporis, facultatem habente: *si tamen gustâstis, quia suavis est Dominus.*

XV.
Numquam in sinum reducenda Eucharistiæ mamilla.

Quis autem, si modò palati spiritualis aliquid habeat, non gustet in Eucharistia, quàm suavis sit Dominus, & quantò maternâ suavitate dulcior? Videas matrem infantilium injuriarum patientissimam, lacero denticulis uberum uno, alterum proli præbere: quod si itidem laceretur, vel prolem, quamvis carissimam, ablactabit, vel ablegabit ad nutricem. At multò patientior Christus: laceratam enim immaniter ab hominibus præsentiam suam aspectabilem, retraxit in sinum, & cæli velo condidit: alteram tamen præsentiam sacramentalem, in ipso tempore, quo ibat ad Patrem, filiis suis produxit, ut sugerent & replerentur *ab ubere consolationis ejus*; ut mulgerent, & deliciis affluerent, *ab omnimoda gloria ejus*, numquam illius mamillæ suavitate cariturі, *usque ad consummationem sæculi.*

XVI.
Varii illius inimici.

Prævidebat tamen Christus, quando admirandum istud Sacramentum instituit, fore ut indignè ab inimicis tractaretur, inurbanè haberetur ab amicis, perpetuâ patiendi ab his & ab illis materiâ: quorum utra major sit, difficile est definire. Etsi enim graviora esse soleant, quæ ab inimicis inferuntur: sentiri tamen magis solent, quamvis levia, quæ infliguntur ab amicis. Inimicos autem Eucharistiæ appello, non solùm Paganos, Judæos, Hæreticos, sed etiam impios Catholicos, ex eo genere, quod querebatur Paullus: *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi.* Jam quanta, & quàm multipliciter, à tam numeroso inimicorum suorum exercitu Christus in Eucharistia patiatur, quis dignè recenseat, & expendat?

XVII.
Indignè tractata sacra hostia ab Infidelibus.

Pauca ex Spondano profero. Judæus Parisiis ad annum 1290 sacram hostiam, pignori restituendo acceptam, in aquam ferventem immittit, & confodit, sanguineque unde ubertim effluente detergitur. Judæi Bruxellis, ad annum 1369. emptam à sacelli custode hostiam confodêre, cruore item manante detecti. Ad annum 1347. Cracoviæ, fures rati ferculum, quo Eucharistia exponebatur, esse aureum, ubi æreum

deprehendêre, in cœnoſam paludem abjecerunt. Locus interim dies & noctes collucere, indictoque triduano jejunio ſacræ hoſtiæ repertæ, & ibi ædificatum à Caſimiro Rege ſacellum titulo Corporis Chriſti. Anno 1503. Emundus Foſſæus, Abbavillanus adoleſcens, hæreticus Deiſta, ereptam de ſacerdotis manibus, Pariſus in ſacello S. Ludovici, hoſtiam conſecratam, comminuit, & proculcavit: mox captus, &, poſtquam fruſtra ad reſipiſcendum viis omnibus ſolicitatus fuerat, extremo ſupplicio affectus. Compara contumelias iſtas cum aliis, quas Chriſtus paſſibilis, mortalis, formam ſervi indutus, pertulit; nunc impaſſibilis, immortalis, Rex Regum, & Dominus dominantium.

XVIII. Indigniùs à Catholicis quibuſdam.

Quid ſi in luſtra magorum, & ſagorum conventicula, & orgia penetremus, ſpectemusque ſub dæmonum pedibus, & diabolicorum mancipiorum plantis, adoratum ab Angelis Corpus Domini? Horret animus, cùm recogitat audita, vel lecta, iſtius generis execramenta. Nihil tamen in illis execrabilius, quàm quod ab impiis Catholicis Chriſtus pati cogitur, quando ipſum, inquinatâ criminibus mente, in ſpurcius inferis pectus immergunt. Qualis ille fuit, quem Corpus Chriſti excipientem vidit D. Tereſia diabolis duobus ſtipari, qui communicantis gulam cornibus conſtringerent: quaſi eis doleret inferenda Chriſto injuria, ſi impurum iſtud pectus ingredi cogeretur. Talis alter in Radzivilii itinerario memoratus, qui, merito ſuo de patria extorris, ut deliberaret de tranſitu ad Mahumetiſmum, ſacrum fecit, & mox ad Turcas tranſiit: tertiáve, aut quartâ, poſt pudendam conciſionem die, extinctus eſt.

XIX. Piorum Catholicorum, qui, Chriſti patientiam inurbanitate exercent, genus primum.

Ex iſtiuſmodi hiſtoriis etſi aures doleant, animus tamen fructum duplicem capiat: primum, ut eò amplius ad honorem venerandi Sacramenti excitetur, quò plus ab impiis deprimitur: deinde, ut exemplis Chriſti jam frequentibus, atque illuſtribus, patientiam ac manſuetudinem diſcat. Audire mihi videor Chriſtum, inter Judæorum & hæreticorum impias manus, in ſacrilegis pſeudo-Catholicorum pectoribus clamantem, *Diſcite à me, quia mitis ſum.* Imò idipſum audio iterantem in piorum Catholicorum concione: quorum ipſum multi inurbanitate offendunt, vel quia ſacram illam menſam negligenter frequentant; vel quia negligenter ſeſe ad eam frequentandam comparant. Primum genus illis ſimile eſt, qui, ad Regium epulum invitati, frivolas excuſationes cauſſati ſunt, eamque ob cauſſam indigni fuere, qui de cœna guſtarent: aut infantibus, qui matri, exuberantem lacte mamillam offerenti, obſecundare nollent. Quantas amoris, gratiarum, ſuique ipſius impenſas Chriſtus in Euchariſtiam fecit? Quoties poſt Iſaiam prædicari juſſit, *Venite, emite, abſque argento & commutatione, vinum, & lac?* Tergiverſantur tamen multi, nec reverentiam, vel peccandi metum, ſed inanium excuſationum cauſſas obtendunt. Audiſſent iſti quidem à Rege; *Nemo virorum iſtorum guſtabit cœnam meam*: ſed longè manſuetior Chriſtus, ad menſam ſuam, quamvis tardos ac negligentes, quando ipſis collibuerit, adhibere non deſinit.

XX. Genus alterum, priore non civilius.

Alterum genus non longè abſimile eſt ruſticano iſti, qui, veſtem nuptialem non indutus, menſæ Regiæ aſſidere non erubuit. Habent quidem ſemper pii Catholici caritatis indumentum, quando Chriſtum excipiunt: neque eorum ullus umquam puriſſimum divinæ ſanctitatis fontem, cum obſcœna peccati mortalis ſcaturigine, componet. At nonne interdum venialium noxarum affectus, ad Euchariſtiæ participationem, afferunt? Nonne cum lacera, & malè ſarta caritatis veſte, nonnulli audent accumbere? Nonne aliqui de ſe meritò fateantur, quod Bernardus lib. de inter. domo: *Chriſti Corpus manibus pertractare non pertimeſco... Accedo ad dominum, cujus percuſſi ſervum: accedo ad patrem, cujus occidi filium. Percuſſi verbo, occidi exemplo. Nec tamen pertimeſco dominum, nec revereor patrem?*

XXI. Manſuetudine præparandus ad Euchariſtiam animus.

Deſideras, Chriſtiane, erga patientiſſimum Chriſtum urbanitatis officio non deeſſe? Pro gradûs & inſtituti tui modo, frequenter communica: ſic ut te decenter compares, eraſis præſertim ex mente, quæcumque Chriſtianæ caritatis teneritudinem poſſint offendere. Patientem Chriſtum patiens excipe: manſuetudinem ama & exerce, quando Rex tuus venit tibi manſuetus. Audis Chriſtum in adorando ſacrificio ſæpiùs Agnum Dei appellari: eodem nomine deſignari, quando ad participationem divini epuli acceditur. Non alio utique fine, quàm ut agnum te eſſe debere memineris: quo itidem fine olim columba, fellis neſcia volucris, ſuper ſacræ hoſtiæ tabernaculum, ciboriumque ponebatur. Idque etiam præſignavêre ſacrificia Moſaica, quibus vix aliæ immolari ſolebant animantes, quàm domeſticæ, & manſuetæ. Huc denique pertinet Chriſti conſilium: *Si recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſùm te, reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeras munus tuum.* Quod egregiè aliquando præſtitit Venerabilis Camillus de Lellis; quando in ſacro faciendo, & in ipſo ad conſecrationem apparatu, memor Novitium, qui ſacro miniſtrabat, à ſe paulò antè de levi errato nimis acriter reprehenſum, converſus, ab eo veniam poſtulavit.

SECTIO QUINTA.

Humilitas, & obedientia Chriſti in Ven. Sacramento expenduntur.

I. Humilitas filia caritatis, & mater.

MANSUETUDINEM, & patientiam, diximus eſſe caritatis effectum: idem de humilitate dicendum. *Primum*, inquit Auguſtinus in cap. 5. ad Gal. *& magnum munus Spiritûs* à quo caritas diffunditur in cordibus noſtris, *humilitas, & manſuetudo.* Ideò idem ſanctiſſimus Doctor, in c. 2. ejuſdem epiſtolæ, humilitatem ait, non effectum modò eſſe caritatis, ſed alimentum; ut iſtius æquè dici poſſit mater, ac filia: *Humilitate conſervatur caritas: nihil enim eam citiùs violat, quam ſuperbia.* Itaque Chriſtum non dicere, diſcite à me, quia quatriduana de ſepulcris cadavera exſuſcito: ſed, quia mitis ſum, & humilis corde. *Illa enim ſunt ſigna rerum ſpiritualium. Mitem autem, & humilem eſſe, caritatis conſervatio eſt.* Chriſtiana ſanctitas, ſine caritate, cadaver eſt: caritas, ſine humilitate, cadaveroſa & moribunda eſt. Quare ſancti utramque ſemper affectu, & laudatione, junxere. Sic Paullinus ep. 13. ad Severum: *Ineffabile mihi eſt, quantâ me voluptate perfuderint, cùm referrent actus & ſermones tuos, & perfectum cor tuum caritatis divinæ ſcientiâ: quà humilis, & excelſus; pauper & dives; ſervus & liber; famulis conſervus, fratribus ſervus; pauperibus dives, in viſceribus miſericordiæ; divitibus pauper,*

pauper, in spiritu mansuetudinis; humilis virtute pietatis, arduus sublimitate virtutis; servus Deo, liber mammonae: totum in eo spirare Martinum, florere Clarum, maturari Evangelium praedicabant.

II. Omnes humilitatis actus in Eucharistia Christus complectitur.

Sed humilitatis laudibus omissis, quotidianum potiùs illius usum, & exemplum ante oculos positum, in Christo intueamur. D. Thomas 2. 2. quæst. 160. & 161. inter varias de humilitatis virtute quæstiones, & hanc proponit; quot sint illius gradus? Ex D. Benedicti sententiâ dicit esse duodecim, ex Anselmo septem; ex glossa tres: quos apud ipsum, si lubebit, facilè reperies. Commodior interim hic nobis est D. Bonaventuræ, à multis, & à Joanne Cornelio inprimis insigni Societatis nostræ Anglicano Martyre laudata, apud Henricum Morum, sententia, quaternos omnino actus, gradúsve humilitatis complexa: *Spernere seipsum, spernere nullum, spernere mundum, spernere sperni.* In Christi, Sacramento velati, mansuetudine spectavimus, quemadmodùm & mundum, & contemptûs, contemnat. Sectione proximè sequenti cernemus, ab ipso sperni neminem, in Distributivæ justitiæ æqualitate, citra ullam acceptionem personarum. Nunc inspiciamus quo pacto spernat seipsum, & ad imum abjiciat, in augustissimi Sacramenti materia, fine, modo, usu.

III. Consideratur ejus humilitas in materia Sacramenti.

Materia, quam transeuntem dicimus, est panis ac vinum. Eâ desinente, manent species solæ, quibus Christus conjungitur. Quid autem species illæ sunt, sive accidentia vocemus, seu substantiæ absentis vicarias imagines? Tam exiles sunt, & tenues, ut eas ne rerum quidem nomine dignari D. Thomas videatur: *Sub diversis speciebus, signis tantùm, & non rebus.* Ad Philip. cap. 2. D. Paullus, loquens de illo humilitatis miraculo, quo verbum caro factum est, utique infinities majoris, quàm si Rex amore subditorum sese vermiculum erucámve faceret: *Exinanivit semetipsum*, inquit, *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* At quantò magis sese exinanisse dicendus est Dominus JESUS, formam panis accipiens, in similitudinem vini factus, & habitu inventus ut cibus? Homo quidem, in comparatione divinæ magnitudinis, nihil est: si tamen comparationem illam secluseris, & hominem solum attenderis, nobilem naturam invenies. At inanes illæ & viles panis ac vini species, non jam in comparatione Christi, sed in semetipsis, citra ullam comparationem, quid denique sunt; ut cum illis, tam arctâ connexione, constringi Christus non dedignetur?

IV. Item in fine quem sibi proposuit:

Adde finem, cur sub speciebus istis collocari voluerit. In designatione istius mysterii dixerat non obscurè, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: in ipsa mysterii institutione apertissimè dixit, *Accipite, manducate, bibite.* Ibi est Christus, ut capiatur à nobis, ut noster sit, & noster quidem cibi instar, ac potûs; quæ adeò nostra sunt, ut nihil magis. Mancipium habes, eo ad libitum uteris, tibi laborat, tibi lucratur: at sibi tamen vivit, & suus saltem voluntate est. Vestem possides, eam gestas, seponis, deteris: manet tamen, quamvis detritæ, materia quædam & figura. Cibum autem & potum habes, eum sumis, in te transmittis, in te commutas; facis, ut esse desinat, ne tu desinas. Magisne sese abjecisse Christus potuit, quàm ut, eo cibi ac potus fine, carnem nobis suam & sanguinem porrigeret? Quomodò piè expendit B. Franciscus Salesius lib. 4. epist. 55.

V. Et in modo quo illic delitescit.

Accedit modus, quo illic Christus sub speciebus delitescit. Lucerna cæli empyrei agnus est, corpore lucidissimo, plagis singulis Solis instar vibrantibus, formâ pulcerrimâ, amabilissimâ majestate: nihil tamen istorum in Eucharistia spectatur; & Rex virtutum, ac gloriæ, non jam infimæ sortis hominem induit, sed ne hominem quidem. Nam visibile, palpabile, sensibile corpus Christi, quale post resurrectionem Apostoli attrectavêre, illic tamen videri & palpari non potest. Prorsus, ut non infanti modò, & statuæ, conferri possit, sed, bonâ ejus veniâ, deorum inanis, qui *Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient.* Os habet Christus in Eucharistia, nec loquitur: oculos & aures habet, nec videre videtur, vel audire. Utinam similes illi nos humilitas faciat, ut in tempore obmutescere, obsurdescere, & cæcutire norîmus. Da mihi jam D. Paullinum hortulanum, etsi ea in historia difficultatis aliquid Baronio visum est. Da D. Alexandrum carbonarium, Alexium in paternis ædibus exulem, Joannem domi suæ calybitam, Carlomannum Pipini fratrem Cassini subulcum. Quid ista sunt exempla humilitatis ad Christi prodigium?

VI. Christus in Eucharistia quibus se utendum præbeat?

Verè tu es Deus absconditus, & salvator, qui tam mirabili modo gloriam tuam celas, & te utendum præbes. Dicebas olim Apostolis tuis: *Ego in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat*: quemadmodùm Abrahamus, qui exultavit ut videret diem tuum, peregrinis ministrans stabat sub arbore: quemadmodùm Sancti tui, exemplo tuo, deinceps pauperibus & ægris non minore humilitatis, quàm caritatis, commendatione serviêre. Sed quis istorum dicere potuit, quod tu quotidie nobis non verbo, sed facto, in Eucharistia inclamas: *Ego in medio vestrûm sum*, non tantùm sicut qui ministrat, sed etiam sicut qui ministratur? Diva Helena Imperatrix virginibus Hierosolymitanis succincta, famulæ instar, aquam præbuit, & prandium. Placilla, Theodosii conjux, ægrotis militibus ancillarum officia frequenter exhibuit. Nicolaus secundus Pontifex abire diem non sivit, quin pedes pauperum duodecim ablueret. D. Odam, Regiam Principem, stupuêre majores nostri mendicabulorum casas, obsequii causâ, obambulantem. D. Eberardum, Salisburgensem præsulem, leprosos adeuntem, rejectas cum Eucharistia ab eorum uno sordes excipientem, Norici mirati sunt. D. Ludovicum Regem, ad leprosi horribilis pedes abjectum, cibosque illi in os immittentem, Regimontenses monachi cum lacrymis spectavêre. Patribus nostris miraculo fuit D. Carolus Borromæus, obsequiis laborantium peste subditorum mancipatus. Hic in augustissimo Sacramento, qui templa rusticana pariter & urbana habitat, qui casas æquè ac palatia subit, qui in leprosorum & pestiferorum pectora sese demitti patitur, & omni lepra ac peste fœdiorum peccatorum, Pontifex ipse maximus est, & Universi monarcha, solus Dominus, solus Altissimus.

VII. Imitanda Christi humilitas.

Mirari humilitatem illius non sufficit; imitanda est. *Exemplum* enim, inquit, *dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci, ita & vos faciatis. Discite à me*, tantâ exemplorum multitudine, *quia mitis sum & humilis corde.* Ad quæ verba Augustinus l. de sanc. virginitate c. 35. exclamat: *O doctrinam salutarem!*

ſalutarem ! O magiſtrum verè , dominumq́, mortalium ! ... Video te , bone IESV , oculis fidei , quos aperuiſti mihi , tamquam in concione generis humani clamantem , Venite , diſcite. Quid obſecro te ... fili Dei ... fili hominis ? Quia mitis ſum , & humilis corde. Huccine redacti ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ? .... Itáne magnum eſt, eſſe parvum ? Diſce, Chriſtiane, humilitatem, & , ſi didiciſti , exerce: ſperne mundum , ſperne teipſum , præſertim quando coram auguſtiſſimo Sacramento es. Solita coronam deponere Eliſabetha Thuringia , quotieſcumque ſacro intererat , nos docuit mittendas eſſe coronas noſtras ante ſedem Agni , & ingeminandum , *Domine , non ſum dignus.*

VIII. *Et quantum poſſumus honoranda quadrupliciter.*

Nec ſolùm imitanda Chriſti humilitas , ſed extollenda , ſed honoranda , ex ipſiuſmet lege : *Omnis , qui ſe humiliat , exaltabitur.* B. Alexander Luzsgius dicere ſolebat , gratiores longè eſſe Chriſto honores , ipſi in Sacramento exhibitos , quàm in cæleſtis gloriæ majeſtate : quomodò Regi captivo , & laceris veſtibus ſemitecto , gratiora forent ſuorum obſequia , quàm libero , & paludamentum aureum in aulæ corona trahenti. Honoris autem, Chriſto in Euchariſtia exhibendi , genera quatuor ſuprà memeravimus. Auditionem ſacri , quantum fieri poteſt quotidianam , exemplo etiam occupatiſſimorum Chriſtianorum : in his Henrici Angliæ Regis ; quem , quotidie tribus Miſſis intereſſe ſolitum , cùm D. Ludovicus monuiſſet de audiendo ſæpiùs verbo divino , urbanè reſpondit , malle ſe cum amico colloqui , quàm de illo audire. Viſitationem V. Sacramenti & benedictionem , quæ ſacrificii veſpertini inſtar eſt : ad quam ſi occupationes venire prohibent , optabile foret , ut , quemadmodùm Regii in Italis fieri dicitur , ad campanæ ſolennem pulſum abſentes vel flecterent genua , vel ſaltem caput aperirent. Supplicationes deinde , & Communiones , de quarum frequentatione dicta ſufficiunt.

IX. *Obedientia potentiſſimè perſuadetur exemplis.*

Humilitatis proprius ac geminus fœtus obedienda eſt : cui commendandæ , ſi verba vellem impendere , non alia proferrem , quàm Samuelis ad Saülem , & Paulli ad Romanos , *Quaſi peccatum ariolandi eſt , repugnare ; & quaſi ſcelus idololatriæ , nolle acquieſcere. Non eſt poteſtas , niſi à Deo ; & ; qui reſiſtit poteſtati , Dei ordinationi reſiſtit.* Sed exemplis faciliùs obedientia perſuadebitur , quàm verbis. Plùs valebit apud me , quod fecit Samuël obtemperando ; quàm quod dixit , obtemperandi ſtudium commendando. Potentiùs permovebor à Paullo Ananiæ obſequente , Principibus ac magiſtratibus ſubdito ; quàm à Paullo prædicante. Iſaacus , patri jam jam immolaturo obediens ; Joſephus , à Jacobi nutu ſuſpenſus ; David , vir non modò ſecundùm cor Dei , ſed etiam ſecundùm cor patris ; & , ſi à ſacris hiſtoriis diſcedere placuerit , quod Hagiographus de profano Romanorum populo retulit , 1. Mach. 8. omnes obediſſe uni , & non fuiſſe inter eos zelum : iſta magis multò me ad obediendum excitaverint , quàm multi , & prolixi , ac benè compoſiti ſermones.

X. *Quibus ſacerdotibus Chriſtus in ſacrificio obtemperet ?*

Quid autem exempla conquiramus , cùm illuſtriſſimum Chriſti in Euchariſtia in oculos incurrat ; ſive quibus obtemperet , ſeu quo pacto obediat , attendatur ? Obedit ſacerdotibus , hominibus utique , aliâ re nullâ eximiis , quàm ordinis poteſtate , & charactere. Obedit omnibus ordinis iſtius indiſcriminatim ; quacumque dignitate ſint , aut indignitate ; quocumque ſanctimoniæ gradu , aut voragine nequitiæ. Non Borromæis ſolùm , Neriis , Xaveriis , Ignatiis , incenſæ in Euchariſtiam pietatis hominibus , obtemperat ; non Aquinatibus ſolùm , aut Bonaventuris , qui altiſſimè de Ven. Sacramento diſputavêre ; non tantùm Piis V. aut Alexandris VII. ſupremis Eccleſiæ antiſtitibus : ſed idiotis quibuſlibet , & ruſticanis , ſed vagis , vanis , impiis , & ſacrilegâ mente ad aram conſiſtere audentibus. Sacrificat D. Petrus , cujus hodieque altare oſtenditur ; D. Jacobus , cujus Liturgia legitur ; D. Andreas , cujus de incruenta victima celebris vox eſt : eodem tempore Cerinthi , Ebiones , Nicolaitæ celebrant , ſi tamen ſacerdotes fuêre. Miſſam facit Ambroſius , ita ipſemet loquitur ; Liturgiâ ſuâ operatur Chryſoſtomus : eodem ævo Ariani Epiſcopi Urſacius , & Valens , ſacra faciunt. D. Thoma Villanovano Corpus Chriſti conficiente in Hiſpania , Lutherus idem audet in Germaniâ. Omnibus æquè Chriſtus , diſcrimine prorsùs nullo , obſequitur.

XI. *Quàm ſtupendâ iſta obedientia.*

Chriſtus igitur , quæ obedientiæ laus eſt , in ſacerdote nihil attendit , niſi poteſtatem : *Objectum obedientiæ* , inquit D. Th. 2. 2. q. 2. art. 5. ad 3. *eſt præceptum tacitum , vel expreſſum , id eſt voluntas ſuperioris , quoquomodo innoteſcat.* Sacerdotem pro ſuperiore habet Chriſtus , quà victima eſt. *Ego* , inquit per prophetam , *ſicut agnus manſuetus qui portatur ad victimam.* Specta in manibus Hebræi Pontificis agnum , ſacrificio matutino vel veſpertino immolandum : talem , in manibus Chriſtiani ſacerdotis , quotidie Chriſtum intueris. Sed hoc ad obediendi modum pertinet , de quo mox : nunc de imperantibus loquimur. Quando D. Lucas c. 2. de Chriſto ſcribit , *Erat ſubditus , illis* ; quoſnam illos intelligit ? Joſephum utique , & MARIAM : hanc cariſſimam matrem , illum matris maritum , tutorem ſolicitum , amantem nutritium. Iſtis tamen Deum-hominem obtemperantem Bernardus ſatis mirari non poteſt : *Erat ſubditus illis : quis , quibus ? Non dubium quin Deus hominibus : Deus , inquam , cui Angeli ſerviunt , cui Principatus & Poteſtates obediunt , ſubditus erat MARIÆ.* Huc interrogationes tuas , & admirationes , Bernarde : ubi Deus , cui Angeli ſerviunt , in tremendo ſacrificio ſubditus eſt ; non MARIÆ , & Joſepho ; non Petro ſolùm , & Paullo ; ſed Luthero , ſed Urſacio , ſed Valenti , ſed inceſtis & ſacrilegis , tantùm ſi ſacerdotes ſint.

XII. *Quanta poteſtas ſacerdotis Chriſtiani !*

Neſcio tamen , miráne hîc magis ſit obedientia Chriſti , an poteſtas ſacerdotis ; cui divinitus conceſſum eſt , momento in ara ſub involucris ſpecierum ſiſtere Filium Dei. Semel omnino , obediente Deo voci hominis , Sol ſtetiſſe , ſemel iſſe retrogradus , in ſacris Literis legitur ; aliis enim narrationibus non immoror : At quoties Sol ille occaſum neſciens , lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum , ad ſacerdotum voces non ſtat modò , aut retro ad lineas fertur : ſed de cælo ſuo in terras devocatur , radiiſque caligine obductis ita obſcuratur , ut videri , niſi credendo , nequeat. Stupeat antiquitas , quod Joſue juſſit , quod Iſaias impetravit : in ſacerdotibus noſtris quotidie repetita novitas longè aliud obſtupeſcit , cui par nihil eſt invenire , niſi in antiquo dierum. Pater enim æternus ſermone divinæ mentis Filium producit , λόγον , & Verbum : ſacerdos loquendo reproducit Filium Dei , & hominis , prorſus ut , ſi per impoſſibile , quomodò in ſcholis loquimur , Chriſtus eſſe deſiiſſet ;

desiisset; vi verborum sacerdotalium esse rursus inciperet.

XIII. *Omni tempore, & loco, mirabiliter Christus obtemperat.*

Sacerdos, ex sacrificandi voluntate, vix voculas quinque pronuntiavit; cùm Christus momento sistitur, in panis & vini vicem, totus sub singulis specierum particulis, mirâ magis ratione, quàm rationalis anima in singulis membris. Nihil isthoc obediendi modo exactius fingi potest, nihil promptius. Jam quid prodigiosum magis, si tempora, & loca considerentur? Tempus omne perinde est obtemperanti: Christo itidem omne tempus in promiscuo est. Consecret sacerdos manè, an meridie, an intempesta nocte: consecranti mos geritur. Ecclesia vetat post meridiem, ante crepusculum, sacrificari: sacrificetur tamen, Christus obediet sacerdoti, præceptum Ecclesiæ violanti: obediet pater filio, erga matrem immorigero. Eadem de locorum diversitate ratio est. Sacrificetur in templis, in agris, in continenti, in mari, in navi, in immanis ceti tergo, uti D. Malachiæ contigisse ferunt: adest ubique Christus. Præsentem elevat sacerdos, deponit, consumit, populo præbet, defert per vicos, infert in gurgustiola, claudit tabernaculo; diceres nec pedes, nec manus, neque aliam habere, quàm sacerdotis, voluntatem.

XIV. *Nusquam alibi tam stupendæ obedientiæ miraculum.*

Quem subditum Regi, militem imperatori, servum domino, filium patri tam obedientem dederis? Dicebat Christo centurio: *Homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit; & alii, veni, & venit; & servo meo, fac hoc, & facit.* Dicitur Christo à sacerdotibus, veni, & venit; vade, & vadit; fac hoc, & facit; patere hoc, & patitur. Mirabatur modò Bernardus, puerum & adolescentem Christum in fabri lignarii officina vilibus opificiis manus illas thaumaturgas occupantem. Magis ego miror infantem, plenum gratiæ & veritatis, fascias patientem, prorsus quasi unum ex nostris imbecillimis infantulis. Miror maximè Eucharistiæ speciebus obvolutum, & constrictum, quasi nihil per se aut posset, aut vellet, totusque ab alieno subsidio, & arbitrio penderet. Qui tempestatibus imperantem spectavêre, mirabundi exclamaverunt: *Quis est hic, quia venti & mare obediunt ei.* At nos ad Eucharistiæ spectaculum exclamemus: Quis est hic, cui venti, mare, morbi, mors, inferi obedivêre; homuncionibus tamen ita promptè, & constanter, obtemperat?

XV. *Intolerabilis hominum inobedientia post istud exemplum.*

A Christi obedientia ad inobedientiæ nostræ castigationem, cum Bernardo, subditum parentibus Christum admirante, convertamur. *Disce, homo, obedire: disce, terra, subdi: disce, pulvis, obtemperare. De auctore suo loquens Evangelista, dicit, Erat subditus illis: non dubium, quin MARIÆ & Ioseph. Erubesce superbe cinis: Deus se humiliat; & tu te exaltas?* Declamas, Bernarde, in eos qui hominibus non obediunt, proposito Christi, parentibus obedientis, exemplo: at quantò vehementiùs in eos declamandum est, qui Deo & Christo ejus non obtemperant, post spectatam quotidie mirabilem in Eucharistia obedientiam Christi. Faciamus patrem cum filio, Regem cum subdito, de obtemperando certare: illi istis obediunt, eâ lege, ut isti vicissim illis obsequantur. Postquam pater, & Rex, conditionem implevêre; filius, ac subditus, parem obsequii sortem recusant. Quid istis feceris, quid dixeris? Christus pater, ac Rex noster, in Eucharistia nobis tam promptè, tam sæpè, tam continenter obsequitur, eâ lege ut vicissim ipsi pareamus: & adhuc tergiversamur? Adhuc morem gerere recusamus? Imò, Christe, paratum cor meum, impera, obsequor, tibi, tuorum quibusvis potestate legitima, quovis loco, quovis tempore, quavis in re facultatis meæ: citra moras, & caussationes, obtempero. *Nonne enim Deo subjecta erit anima mea? Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus, non movebor ampliùs.*

SECTIO SEXTA.

Iustitiam & misericordiam quomodò Christus in Ven. Sacramento exerceat?

I. *Primus fortium Davidicorum ænigmaticè in Scriptura expressus.*

EXPLICATU admodùm difficilis est descriptio primi de fortibus Davidicis 2. Reg. 23. & ænigmati, quàm descriptioni, similior: adhibito licèt, ad interpretationem, Hebraicæ linguæ, & doctissimorum scriptorum subsidio. *Hæc nomina fortium David. Sedens in cathedra sapientissimus, princeps inter tres: ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno.* Si fortis describendus fuit, cur sedens, non currens inter hostium cuneos; aut stans, quomodò etiam mori imperatorem decet? Si sedere debuit, cur non in equo potiùs, aut curru triumphali? Cur à sapientia potiùs, quàm à prudentia commendatur, & fortitudine militari? Si fortium princeps, cur à tenerrimo ligni vermiculo, id est tineâ, vel gemmâ ramusculi; non à leone potiùs; aut quercu, comparatio arcessitur? Si autem tam delicatus, ac tener, quo pacto octingentos unico impetu interfecit? Denique de Davide, an de alio, ista intelligenda sunt?

II. *Quis ille sit?*

Hebræi apud Hieronymum, Chaldæus paraphrastes, Liranusque, & illius assectator Dionysius, de Davide explicant; qui sapientiam insignem, & humanitatem eximiam, cum præcipua fortitudine conjunxerat. Hugo & Glossa intelligunt de Jesbaam, filio Hachamoni, cujus meminit liber 1. Paral. c. 11. Jesbaam enim significare sedentem: Hachamoni esse sapientiam. Emmanuel Sa, aliique nonnulli, priorem partem Davidi tribuunt, in cathedra Regia sedenti, & sapientissimo: partem alteram assignant cuidam Adino Asonæo, ut Sept. vertêre, quod Hebraïcè est Adino Hahesui, significatque *tenerrimus ligni vermiculus.* Sinamus interim, de loci istius genuina sententia disceptare scriptores: & dispiciamus, an ipsissima illa verba Christo in Eucharistia aptari non possint, ubi & sapientissimus, & tenerrimus, & simul fortissimus est.

III. *Christo in Eucharistia descriptio universa aptatur.*

Sessio constantiæ, & fidelitatis, symbolum est: quamobrem aptissimè in Eucharistia Christus *sedens* describetur, cùm nulla ipsum inde umquam injuria dimoveat, aut dimotura sit. Meritò deinde dicetur, *in cathedra sedere*, quando illic agit doctorem justitiæ, & virtutum omnium exemplum discipulis præbet. Nonne etiam illic *sapientissimus*, & *princeps*, & quidem *inter tres*? Qui sapientiâ mirabili, qui singulari bonitate convivium istud instruxit, & caritate in mentes piorum dominatur: inter divinas tres Personas medius, & trium Theologicarum virtutum nobilissima materies. Nonne idem *quasi tenerrimus ligni vermiculus*; simul tamen, in ea teneritudine, quasi *qui octingentos interfecit impetu* uno? Cùm

illic

illic ſit ſicut vermis, cui ad ſe defendendum vires nullæ ſuppetunt: vires tamen ſuas ſumma cum poteſtate exerat, quando ipſius ſapientiæ ita expedire viſum eſt.

IV. *Gemina Chriſto facies juſtitiæ in Ven. Sacramento.*

Habet igitur in Euchariſtia Chriſtus geminam faciem; ſuavem amicis unam, alteram inimicis terribilem. Utramque variis modis Duaci in D. Amati æde viſendam exhibuit, ad annum 1254. Hoſtia ſacra in terram deciderat, quam cùm ſacerdos elevare vellet, ipſa ſeſe in altum ſuſtulit. Attonito, & exclamante ad miraculum ſacerdote, Canonici & populus confluxêre, aliique vidêre ſpecie venuſtiſſimi pueri, alii judicis formâ, quidam velut cruci affixum. Cantipratanus, ex cujus narratione ſuam Spondanus deſumpſit, affirmat, viſam à ſe primùm faciem Chriſti coronati, tum Chriſti viri. Aliter tunc alii Chriſtum ſpectavêre, pro varietate forſan meritorum, judicem rei, puerum aut crucifixum pii. Eumdem in modum alii aliter Chriſtum in Euchariſtia ſentiunt, pro diſpoſitionis qualitate, amabilem boni, mali formidabilem. De illo Iſaias prædixerat cap. 11. *Erit juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus*: juſtitiæ diſtributivæ ſuavitatem experiuntur juſti, juſtitiæ vindicativæ acerbitatem utinam non experirentur injuſti.

V. *Nulla illi eſt acceptio perſonarum.*

Diſtributivæ, de qua nos alibi diſputavimus, ratio in hoc ſita eſt, ut cauſſæ meritum attendatur, non perſonæ conditio. Apud Chriſtum autem in Euchariſtia nulla prorſus eſt acceptio perſonarum: de quavis natione, gradu, fortuna, forma, æquè grati ſunt omnes, ſi omnes æquè comparati. Nullos excepit, qui dixit, *Venite ad me omnes, qui laboratis*. Nullos excluſit, qui non divites modò invitavit ad cœnam; ſed debiles, cæcos, claudos, & miſerabiles, in viis ac ſepibus jacentes, compelli ad intrandum voluit. Nullos in Sacramenti ſui participatione habuit eximios, qui diſertè per Apôſtolum Jacobum vetuit, pauperi præferri opulentum, aureo annulo & veſte candida.

VI. *Solum in diſtribuendis gratiis meritum diſpoſitionis attendit.*

Illi apud Chriſtum præcipui ſunt, non qui plùs poſſunt, ſed qui plùs agunt. *Sumit unus, ſumunt mille, quantum iſti, tantum ille.* Chriſtum omnes totum accipiunt, ſed Chriſti gratiis alii aliter, plùs minúſve, pro meritorum portione, impertiuntur. Fons eſt Euchariſtia, ſupra quem Chriſtus ſedet, fatigatus ex vitæ mortalis itinere, horâ ſextâ & meridie caritatis: de iſto fonte plus hauriunt, qui capaciora pocula afferunt, profundiora humilitate corda, & dilatatiora caritate. Euchariſtia mel eſt de petra, petra autem erat Chriſtus: melle iſto Chriſtianorum mentes aliæ aliter, quemadmodùm fructus pro ſaporum varietate, condiuntur. Euchariſtia, ſerotinus & matutinus imber eſt, ac ros lucis, quem inclamabat Iſaias, *Rorate cæli deſuper*: de rore aliter vivit concha unionipara, aliter apis mellifica, aliter ſtridula cicada: de Chriſto aliter Heroica virtus, aliter media, aliter infima nutritur, & viget. Euchariſtia arbor vitæ eſt, in medio paradiſi Eccleſiæ divinis manibus plantata, cui voluntates juſtorum omnium inſeruntur, & in illa manent: quomodò autem rami, trunco inſiti, ſuccum inde pro naturæ ſuæ qualitate ſugunt; ita mentes Chriſtianorum hauriunt à Chriſto vitæ alimentum. Quod Sol inter planetas, inter Sacramenta idem Euchariſtia eſt: ubi Sol, qui neſcit occaſum, latet, & videtur. Chriſtum bonæ mentes, ſicut Solem plantæ omnes, ſentiunt, & opes ſuas ad illius lucem expandunt; magis tamen aliæ, minúſve, prout ſingularum indoles eſt. Matri, prolem lactanti, Chriſtum in Euchariſtia comparavimus homini, cœnam magnam præbenti, ſeſe ipſe contulit. De lacte eodem, eodemque cibo, aliter alii ſumunt, & nutriuntur; quemadmodùm naturalis temperies, & ventriculi præparatio eſt. De ſacramento eodem aliter alii Chriſtiani proficiunt, ex animi præparatione, & voluntatis conſtitutione diverſâ.

VII. *Quæ diſpoſitio neceſſaria, quæ perfecta?*

Etſi enim probus nullus eſt, qui gravis criminis ſibi conſcius ad Sacramentum accedit: non omnes tamen parem afferunt averſionem à venialibus noxis, quibus, ex D. Thomæ ſententiâ, *impeditur actualis refectio ſpiritualis dulcedinis*. Neque omnes pariter cum viva fide, humili timore, ardenti dilectione, ad ſacras epulas accumbunt: quas olim virtutes, ſupra mentis puritatem, à communicaturis exigebat Eccleſia, quando Diaconus, poſt ſacerdotis communionem, ad plebem adſtantem inclamabat, *Accedite cum fide, tremore, & dilectione*. Fidem ſectionibus primis excitavimus: dilectionem ſectione præſertim quartâ commendavimus: ad ſanctum & ſubmiſſum timorem ac tremorem conferet, aliqua conſideraſſe, quæ ad vindicativam Chriſti in Sacramento erga impios, & ſacrilegos, juſtitiam pertineant. Mitis quidem illic eſt, & humilis corde: idem tamen agnus, & leo. Audio inclamantem, *Venite ad me omnes, qui laboratis*: ſimul audio verbis ejus denuntiantem præconem, *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Scalabi in Luſitania, Santarenum hodie appellant, ſpectatum ſæpe in pyxide ſacrata Chriſtum, ab aliis aliâ formâ, aſſeveravêre oculati teſtes permulti. Ipſoque adeo ævo noſtro, de Societate noſtra vir ſapiens & eruditus, illinc in Belgium redux, frequenter affirmavit: conſpectum à ſe attentè, & ex deſtinato, ne quis fortè oculorum luſus primâ ſpecie falleret, Chriſtum judicis inſtar, olivæ ramum manu unâ, alterâ gladium præferentis. Enimvero ſic eſt in Euchariſtia: pacem probis offert, & gratiam; improbis judicium & vindictam intentat.

VIII. *Pœna prima ſacrilegè communicantium, peccaſſe.*

Edixerat Deus Levit. cap. 7. *Anima polluta, quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino, peribit de populis ſuis*: non peribit, qui carnem Chriſti horrendâ peccati letiferi maculâ, nedum legali immunditiâ pollutus, accipit? Non peribit, qui priorem noxam ſacrilegio immani cumulat, *vimq;*, ut Cyprianus loquitur ſerm. de lapſis, *infert Corpori Domini, & ore ac manibus in Dominum delinquit*, novi Chriſticidii reus? Nadab & Abiu ignem alienum altari Moſaico non impunè admovêre: impunè noxiarum cupiditatum flammæ afferantur ad *altaria Domini*, quæ, ut Petrus Dam. ſcribebat Nicolao Papæ ep. 12. *Non alienum, ſed divini amoris ignem, accipiunt?* Enimverò impunè tantum ſcelus non abibit: & vel hoc ipſum pro pœna erit, duplicari crimen, inimicitias cum Deo geminari, in antidoto venenum ſumi, in vitæ fonte bibi præſentiſſimam mortem. *Helleborum*, inquit Aug. lib. de Moribus Manich. *nonne alio modo cibus eſt, alio medicamentum, alio venenum? . . . Panis hominem alit, accipitrem necat.* Ita Chriſtus in Euchariſtia *mors eſt malis, vita bonis*; venenum iſtis, illis medicamen.

Canebat

IX. Eam sequitur pœna æterna.

Canebat Prosper epigr. 70.

Magnum præsidium est sacro libamine pasci,
Si cor peccatis crimina nulla premunt.
Nam geminat sibimet peccati pondera, quisquis,
Quæ bona sunt, sumit; quæ mala, non refugit.

Eadem fermè iteravit lib. 2. de vita contemplat. cap. 17. *Dupliciter contra se iram divinæ indignationis exaggerant, quòd & hominibus innocentiam fingunt, &, contempto Dei judicio, abstinere se ab altari propter homines erubescunt.* Primum, sumendo Christi Corpore, sacrilegium in Juda spectatum est: mox inde secutum horrendum supplicium, æterna damnatio. Neque enim dubitandum, quin communicârit, si Augustino credimus tract. 63. in Joan. *Omnibus eis*, Apostolis, *distribuerat Dominus Sacramentum Corporis & Sanguinis sui, ubi & ipse Judas erat, sicut Lucas evidentissimè narrat.* Atqui, ut idem ait tract. 28. *Nonne buccella Dominica venenum fuit Judæ? Et tamen accepit, &, cùm accepit, in eum diabolus intravit; non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit.* Advertunt alii, præeunte Augustino, Judam ante percipiendum Christi Corpus adhuc nutâsse: illo percepto, mox dæmonis arbitrio obsecutum, &, Dei præsidio prorsus nudatum, in sempiternum exitium brevi præcipitâsse.

X. Sacrilegorum pœnæ temporales.

Temporalium suppliciorum narratio, etsi præ sempiternis nulla sint, ferit tamen interdum vehementer; quia sub sensum cadunt. Placétne recentissimæ memoriæ, & nostra audire? Adolescens annorum novemdecim, Leodiensis, cui nomen Henrico Philippi, tegularius opifex, perditissimus in utraque vita, nisi in hac periisset: post sacrilega furta plurima, captus est die decimâ septimâ Februarii anno 1661. Fassus scelera, in his subreptam à se, nocte quadam intempestâ, sacram pyxidem, seu ciborium Lambertianum; ædes cathedralis est. Interrogatus à fratre meo, Judicum supremorum uno, quid sacris hostiis fecisset; dixit, à se absumptas, & mox cùm in gradibus penetralis, seu chori, ubi choraulæ stantes canere solent, resedisset, audisse, cum quanto numquam senserat horrore, per dimidiatam ferè horam, de terra flebiles & funebres voces; collecto tamen postmodùm tantisper spiritu, per murum penetralis transcendisse, & in angulum sese templi abdidisse, donec januæ aperirentur. Damnatus ad ignitas forcipes, laqueum, flamas, ac cineres; æternum, ut spes est, incendium temporali mutavit. Ita ex fratre meo, & ex ipsis adeò quæstionis actis, accepi. Placet audire vetustiora? Accipe unum ex Optato Milev. lib. 2. de Donatistis: *Iusserunt Eucharistiam canibus fundi, non sine signo divini judicii. Nam iidem canes, accensi rabie, ipsos homines suos, quasi latrones sancti Corporis reos, dente vindice, tamquam ignotos & inimicos, laniaverunt:*

XI. Præsertim sacrilegè communicantium.

Placet potiùs, quod nunc agimus, audire pœnas sacrilegè communicantium? Accipe quædam ex Cypriano serm. seu epist. de lapsis. Ex illis una Eucharistiam sumere ausa, mox guttur sibi, quasi strangularetur, invadi sensit: alia, quæ arcæ illam, pro temporum more, incluserat, inde ignem vidit erumpere: alia, cùm in manus accepisset, vidit se cinerem ferre: puellula per ætatem innoxia, cùm in Capitolium Carthaginense delata fuisset, & postmodùm, ut ævi consuetudo erat, Sanguini Christi participâsset, illum ferre non potuit, vomituque ejecit. *Exempla ista*, inquit Cyprianus, *sunt omnium, tormenta paucorum.* Sed en tibi etiam tormenta multorum, ex Baronio ad annum 868. Lotharius Rex Austrasiæ, Imperatoris Lotharii filius, spretâ uxore legitimâ, pellicis amoribus irretitus, cùm à Pontifice ad thori fidem urgeretur, Romam magno comitatu contendit, &, præstito de abdicata pellice juramento, Christi Corpus de Pontificis manu perjurus sumpsit: idem perjurium & sacrilegium plerique comitum patravêre. Redeuntes in Galliam vindicta divina secuta. sacrilegū Regem, antequā Alpes transcenderet, peste consumpsit, & reliquam sacrilegorum turbam eodem anno confecit.

XII. Vindicativam, & distributivam justitiam, exerceat Christianus.

Sufficit unica ista narratio percellendis impiis: sed piis movendis necessaria non erit, qui malunt Christum in Eucharistia patrem experiri, quàm judicem intueri, & ipsi sese ante communicandum probant, ne improbentur; accusant, ne damnentur. Vindicativam justitiam exerce adversùm temetipsum, ô Christiane: plecte non mortalia tantùm, sed venialia, priusquam ad altare accedas. Distributivæ justitiæ munus fungere, dando totum temetipsum illi, qui sese totum tibi mox daturus est, cujus ex merito esse debent optima quæque Israël. Sic Christi suavitatem experiêre, gratias largientis; non severitatem, pœnas irrogantis. Sic, ut Augustinus monebat tract. 27. in Joan. *Carnem Christi & sanguinem non edes tantùm in Sacramento, quod & multi mali: sed usque ad spiritûs participationem.*

XIII. Proprium Christi opus misericordia, dum viveret.

Lubentiùs misericordiam Christi in Ven. Sacramento Christiana pietas, quàm justitiam, intuebitur. Etsi enim Deo exultandum est cum tremore, & accinenda simul misericordia cum judicio; jucundius tamen illa cantatur: præterquam quòd, ut ait D. Thom. 2. 2. q. 21. art. 2. *Proprium opus Dei est unum tantùm, scilicet benefacere, & misereri: sed punire convenit ei, propter culpam peccantis.* Nec Christo, quà Deus est dumtaxat, proprium opus est misereri, & parcere; sed etiam quà homo: cui præcinuit Dei verbis Isaias cap. 42. *Dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.* De ipso idem Propheta prædixit, futurum, ut calamum quassatum non confringeret, & linum fumigans non extingueret. *Ipse pertransiit benefaciendo, & sanando omnes:* vocavit ad se oneratos & laborantes, eorumque infirmitates portavit in corpore suo, per omnia tentatus pro similitudine absque peccato.

XIV. Et dum est in Ven. Sacramento.

Nec mortalis modò & passibilis, ex communis fortis sensu, erga calamitosos misericors fuit: sed immortalis etiam, atque impassibilis, in divinissimo Sacramento; ubi sese miserorum esse solatium, figuris omnibus, quotquot præcessêre, demonstravit. Arbor vitæ arcendis morbis, ac morti, divinis manibus plantata: vinea Noëmi consolatoria, de cujus fructu vinum dandum est, his, qui amaro sunt corde: aries cornibus implexus, ad Abrahami sacrificaturi, & immolandi Isaaci solatium: agnus Paschalis, imminente Israëlitis Pharaone immolatus: manna, esurienti populo depluens: fons, Samsoni sitienti de maxilla prorumpens: panes propositionis, Davidi profugo, & famelico, præbiti: subcinericius panis, Heliæ tristitiâ confecto divinitus datus: Helisæi farinola, morti tollendæ in ollam conjecta: messorum prandium, Danieli cum leonibus incluso delatum: panes, bis turbæ Christum sequenti, & famelicæ, multiplicati: cœna magna, cui debiles, claudi, egeni accumbunt. Quid figurarum istarum umbrâ magis innuitur, quàm sacra-

tissimam Eucharistiam medicamen esse morborum, tristitiæ lenimentum, paupertatis levamen, miseriarum quarumvis solatium, misericordiæ omnis compendium?

XV. *Quomodò illic exerceat opera omnia misericordiæ corporalia.*

Videamus singula misericordiæ opera, corporalia primùm, deinde spiritualia, quemadmodùm Christus illic exerceat. Esurientes pascit, potat sitientes, cujus caro cibus est, sanguis potus: qui etiam miraculo sanctorum multos, sola Sacramenti perceptione, aluit. Peregrinos excepit, cùm per communionem in illo manent exules filii EVÆ: cùm est *viaticum nostræ peregrinationis*, uti à Conciliis Arelatensi, & Aurelianensi, nominatur: cùm appensum collo S. Satyri eum à naufragio liberavit, ut perhibet frater ipsius D. Ambrosius; neque absimilia de D. Maximiano, monacho primùm, dein Episcopo, narrat lib. 3. dial. Gregorius. Operit nudos, quando sacerdotes induit justitiam, & alios accedentes ad se tegit veste nuptiali: quando stipendia Ecclesiasticis, quorum domus pleræque & Collegia, hujus Sacramenti fide stetêre, ad victum & vestitum tribuit. Ægros visitat, quando ad homines invisit, cardialgia invidiæ, avaritiæ chiragra, superbiæ vertigine, pigritiæ lethargo laborantes: quando ad ægros, & moribundos, defertur, eosque præsentiâ suâ recreat, quemadmodùm sæpe D. Philippum Nerium. Visitat carceratos, quando descendit nobiscum in hanc mundi foveam, & in vinculis necessitatis non derelinquit nos: quando non solùm martyribus, sed etiam facinorosis quibusque, ergastulo clausis, præberi non recusat: quando altaria in carceribus collocari patitur, & de D. Luciani sacerdotis vincti pectore aram sacrificio offerendo fieri. Mortuos sepelit, quando super defunctorum corpora offertur: quando cineribus Christianorum custodiendis invigilat in tabernaculo, velut in specula, ut eos vivifici Sacramenti potestate resuscitet in novissimo die.

XVI. *Quemadmodò item omnia spiritualia.*

Docet ignorantes, qui aperuit oculos discipulorum in fractione panis: qui Teresias, Ignatios, Nerios, maximè illustravit, dum pietatis officia erga Ven. Sacramentum exercerent: qui à Martyre suo sanctissimo Cypriano, ex primorum sæculorum experientiâ, scribi voluit, *Mira sunt, quæ sentit; magna, quæ videt; inaudita, quæ loquitur, quem Agnus iste Paschalis inhabitat.* Eodem modo dat consilium petentibus, & dicentibus, *Loquere Domine, quia audit servus tuus*: corrigit errantes, & præcedit illos in nube, idem ipse viator nobiscum & via. Erigit pusillanimes, & consolatur tristos: quia *mens deficit*, ut ait Cyprianus, *quam sumpta Eucharistia non reficit, & accendit*: quia *IESV dulcis memoria, dat vera cordis gaudia, sed super mel, & omnia, ejus dulcis præsentia*, qualis fuit D. Claræ, in præsentissimo ab hostibus periculo. Patienter fert injurias, qui ab impiis innumera patitur, ut suprà diximus: offensas remittit, qui qualemcumque peccatorem, modò convertatur ab errore viæ suæ, à mensa sua non submovet, verè *miserator & misericors Dominus, longanimis & multum misericors.*

XVII. *A nobis dupliciter exercenda erga Christum misericordia.*

Erga tam misericordem Christum mutuam, Christiane, misericordiam exerce: non quia miser est, aut esse jam potest, sed quia miseri instar est. Nonne velut captivus sub Eucharistiæ speciebus detinetur? Nonne quasi peregrinus est in terra aliena? Nonne esurit illic, & sitit, salutem animarum? Nonne mortui instar est, qui nulla illic opera vitæ agere videatur? Vise illum, excipe, pasce, fove, conde in corde tuo, velut in sepulcro novo. Hujusmodi cogitationibus dicitur pietatem suam B. Andreas Corsinus excitâsse, dum Christum sumeret, aut sacrificio interesset. Adjice misericordiam erga proximum tuum: quod enim uni ex illis feceris, Christo feceris. Augustinus in psal. 147. agens de cælesti Jerusalem, ubi miseriæ nullæ sunt, suos monet, ut, dum in terrestri versantur, misericordiæ opera exerceant: civium enim cælestium germanam illam notam esse. *Vide, utrum aliquis esuriat, cui porrigas panem. Vide, si aliquis sitiat, cui des calicem aquæ frigidæ*, &c. Non habes, quod des? At deéstne, quod remittas, & condones? *Furtum tibi aliquis fecit*, inquit idem Aug. in psal. 33. idem de calumnia dicito, de lite injusta, de quavis molestia. *Si jam dies es, recole noctem tuam. si jam in vale fructus es, recole terram tuam... Noli, quia tu transisti, velle misericordiæ Dei pontem subvertere.* Generatim omnibus dictum: *Estote misericordes, sicut Deus vester* Christus *misericors est.*

SECTIO SEPTIMA.

Liberalitatis, & perseverantiæ exemplum perpetuum in Eucharistia.

I. *Quadruplex perfectæ liberalitatis conditio.*

MISERICORDIA & liberalitas affines maximè virtutes sunt. Utraque enim spectat proximi bonum, neque alio fine, quàm ipsius boni: hoc solum interest, quòd misericordia bono suo sublevare vult proximi malum; liberalitas bono suo vult augere proximi bonum. Regia utraque, illustris, & magnanima virtus est: liberalitas præsertim, cujus titulum multi fermè vel non ambiunt, vel non mentiuntur, adeoque eam benè persnôsse expedit, ut veram ab adultera discernamus. Tres veræ, ac germanæ, liberalitatis conditiones affert Seneca lib. 2. de benef. *Ut libenter, citò, absque ulla dubitatione donetur*: quaternas alii meliùs exigunt, quia in illam vel materiâ, vel fine, vel modo peccari potest. Primùm itaque, qui liberalis esse volet, multùm largiatur, pro facultatum mensura: plus enim paupercula vidua mittens in gazophylacium minuta duo largietur, quàm Pharisæus siclum aureum. Deinde magno affectu donet, non invitus, non tergiversabundus, non caussabundus: *super omnia vultus accessere boni*, in rusticani nescio cujus fabulosi munere: & *Deus* ipse *diligit hilarem datorem, non ex tristitia, aut ex necessitate.* Præterea det gratis: nam si quis mercedem spectet, mercator potiùs sordidus est, quàm liberalis largitor. Denique tempestivè det, atque opportunè, id est in tempore, ac loco: nam *animi benignitas properat; & proprium est libenter facientis, citò facere*, inquit Sen. lib. 2. de benef. *Tardè velle, nolentis est.*

II. *Christus in Eucharistia plus dat, quàm in creatione & redemptione.*

Conditiones istas in divini Sacramenti institutione, ac dispensatione, magnificè Christus implevit. Multum in Creatione Deus homini dederat; non necessaria modò ad sustentationem ac vitam, sed ad oblectationem quoque jucunda. Plus donaverat in Redemptione; ubi non sua tantùm, sed se impendit, & superimpendit. Plurimùm in Eucharistia largitus est, necessaria ad vitam spiritualem, ad usum delectabilia; sua simul omnia, & se totum. Creatione homines singuli usum duntaxat, & fructum, habent particulæ Universi; nec totum ipsum genus humanum Universo toto utitur. Redemptione sanguis Christi est universis, & singulis, hominibus effusus est,

non

non simul tamen totus, sed pars in horto, pars in prætorio, pars in monte. At in Eucharistia toto singulis Christus offertur, & totus simul: *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non etiam cum illo nobis omnia donavit?* Eum in modum ex Redemptionis nostræ mysterio D. Paullus argumentabatur. Transferamus licet idem argumentum ad Eucharistiæ mysterium: qui sic sese totum impendit, nonne secum dat gratiæ plenitudinem, & arrham gloriæ? Qui nos frumento electorum, & vino virginum stabilit, ultra quid faciat?

III.
Quàm effuso affectu largiatur?

Maximè cùm ex propensissimo & intimo benignitatis affectu id faciat. Non audis clamantem in die magno festivitatis, *Qui sitit veniat ad me, & bibat, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ?* Non audis Sapientiæ epulas instruentem, ad compita mittentem & inclamantem, *Si quis est parvulus, veniat ad me?* Non audis, cœnâ magnâ & nuptiali epulo apparato, mandantem familiæ suæ, *Introduc huc, compelle intrare?* Laudant philosophi, in iis Seneca l. 2. de benefic. Arcesilaüm, qui amici egentis, nec subsidium petentis, pulvino clam pecuniam supposuit. Mirati sunt majores nostri Robertum Lincolniensem Episcopum, tam profusâ liberalitate, ut in compitis ultro pauperes ad accipiendum advocaret, nedum largiretur flagitantibus. Fons Eucharistiæ gestis hauriri, epulum sapientiæ cupit gustari, cœna Regis vult impendi: non exspectat, ut petas, sed rogat, sed imperat, sed minatur, ni accipis. Dives amico pauperi, nimis verecundo, offert ultro subsidium indigentiæ: recusantem urget, rogat, abrumpendæ amicitiæ comminatione terret, nisi accipiat: quàm sinceræ, & excelsæ liberalitatis ille est? Ille dives Christus est, qui homunciones pauperes invitat ad se, instat, etiam comminatur: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

IV.
Quàm gratis, & citra meritum, ac mercedem?

Suâ caussâ, & commodi alicujus sperati respectu, homines aliquando dona vel renuentibus ingesserint, vel tacentibus obtulerint. Aliquando in compensationem obsequiorum, meritorúmve aliorum, tribuerint. Non sic Christus; qui neque utilitatis suæ spe, neque obsequiorum præstitorum merito, sese hominibus donavit. *Agere propter indigentiam,* inquit D. Thomas 1. p. q. 44. art. 4. ad 1. *non est nisi agentis imperfecti, quod natum est agere, & pati: sed hoc Deo non competit, & ideò ipse solus est maximè liberalis, quia non agit propter suam utilitatem, sed solùm propter suam bonitatem.* Quid enim à nobis commodi, gloriæ, voluptatis Christus exspectet? Quid autem in majoribus nostris meriti spectavit, quando Eucharistiæ miraculum molitus est? Erat tunc hora impiorum, & potestas tenebrarum. Cogitabant homines, quomodò Christum comprehenderent: sese ipse speciebus panis colligabat. De vendendo illo tractabant: ipse dare sese statuerat. De tollendâ illi vitâ deliberabatur: ipse meditabatur, quomodò vitam haberemus, & abundantiùs haberemus. Circumspice modò, qui primi Corpus Christi sumpserint; Judas proditor, Petrus pejeraturus, Thomas dubitaturus, Joannes & Jacobus dormituri, cæteri fugituri. Qui deinceps? Qui nos sumus? An tantam dignationem promeriti, vel promerituri?

V.
Quàm profuse omni loco?

Si tamen temetipsum, Christe, tam immeritis, non Apostolis solùm, sed nobis etiam dare statueras: nonne satis fuerat uno dumtaxat loco istud exhiberi liberalitatis prodigium? Hierosolymam itur, adoraturque in loco ubi steterunt pedes tui: nonne illuc curreretur, ubi ipsum te esse constaret? Tenerentne vel claustra virgines, vel speluncæ anachoretas, ne ad limina viserent non Apostolorum, sed tua? Plus satis illud fuerat merito nostro: non satis liberalitati tuæ. Voluisti non uno, non centenis, non millenis locis prodesse, & prodigi: sed ubivis locorum, ut istud constaret, *In omni loco affertur oblatio munda*, eadem ubique, tota ubique. *Quomodò verbum hominis, quod etsi multi audiunt, totum audiunt singuli*: quâ similitudine, ad rem non longè aliam, nititur Augustinus, lib. 83. quæst. q. 41. & homiliâ de ovibus.

VI.
Quàm sæpè, & perpetuò?

Sed si te omni loco, Christe, elargiri voluisti: nonne suffecerat Christiano cuivis, semel omninò tantas opes obtingere, semel vitæ mortalis tempore Corpus tuum sumere? Id ipsum, quàm longè foret supra cujuslibet, & quantalibet, hominis merita? Stare illic noluit liberalitas tua: sæpiùs participari à Christianis voluit, omnibus in annos imperavit, commendavit magis piis in septimanas, suasit sacerdotibus in dies. Sed si tam frequenter nobis te communicare desiderabas: quid opus fuit, ut sub unius hostiæ velamine, non semel dumtaxat lateres, sed sub singulis illius particulis te totum, quantus es, contineres? *Dominator Deus spirituum universæ carnis*, qui carni beatæ supra naturæ vires spiritûs prærogativam, subtilitatem, & impassibilitatem, communicat; Corpori Christi beato, in Eucharistia, modum existendi spiritualem tribuit: ut, quemadmodùm Deus, Angelus, animus humanus, totus est in qualibet parte, & totus in toto; ita Christus totus sit in tota panis vinive figura, & totus in singulis partibus. *Nec minor est pars ejus*, inquit Augustinus agens de anima humana lib. cont. ep. fund. cap. 16. *in digito, major in brachio: sed ubique tanta, quia & ubique tota est.* Eâdem ratione, & multò admirabiliori, Christus in Sacramento est. Nam si humanum corpus dividas, anima tota non manebit in dissectis partibus; sed *fracto sacramento, tantum est sub fragmento, quantum tota tegitur.* Atque adeò quisquis Christum sumit, semel quidem actualiter sumit; at virtualiter toties, quot sunt sensibiles particulæ.

VII.
Liberali Domino reddenda liberalitas mutua.

Ad tam prodigæ liberalitatis miraculum, quia seriò Christianus, & benè fidelis, non iteret cum Isaia, *Verè, tu es Deus absconditus, & salvator?* Aut potius quis non efflagitet cum Psalmilla, *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Dedit omnia, & plusquam omnia, dando semetipsum, tanto affectu, tam immeritis, tam sæpè: ego quid retribuam? Accipe Sapientis consilium Prov. 23. *Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam.* Quid autem illud est, comedere cum principe? *Mensa potentis,* inquit Aug. tract. 47. in Joan. *quæ sit, nôstis, ubi est Corpus & Sanguis Christi.* Et tract. 84. *Quæ est ista mensa potentis, nisi unde sumitur Corpus & Sanguis ejus, qui pro nobis animam posuit?* Quid autem istud est, mensæ assidere, *nisi humiliter accedere?* Quid est attendere ad apposita, *nisi dignè tantam gratiam cogitare*, & sese ad gratitudinem excitare cogitando? Addunt Septuaginta: *Injice manum tuam, sciens, quòd talia te oportet præparare.*

VIII.
Quid à nobis dandum Christo in se, & in pauperibus?

Elargitur sese totum Christus, da vicissim te totum: sensuum & facultatum tuarum nihil serva, quod ipsius voluntati, ex gradûs atque instituti tui ratione, non mancipes. Da te Christo, da tua

tua pauperibus Christi. *Tu dives es, ille pauper est: vita ista via est, simul ambulatis. Sed forte dicis: Ego dives, ille pauper. Simul ambulatis, an non? Quid est, quod dicis: Ego dives, ille pauper? Sarcinam tuam commemoras, pondus tuum laudas: &, quod gravius est, constrinxisti ad te sarcinam tuam, ideo non potes porrigere manum. Onerate, ligate, quid te jactas, quid te laudas? Solve vincula tua, minue sarcinam tuam, da comiti, & illum adjuvas, & te relevas.* Verba sunt Augustini lib. de disc. Christ. Similia eleganter profert serm. 22. de ver. Apost. *Concinnator generis humani* Christus, qui dixit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, *de quadam specula excelsa auctoritatis exclamat: Audi genus humanum, audite filii Adam, audi genus laboriosum, & infructuosum: video laborem vestrum, video donum meum: scio, laboratis, & onerati estis, &, quod est miserius, perunctas sarcinas vestris humeris alligatis: adhuc, quod pejus est, onera vobis addi petitis, non deponi. Quod est onus paupertatis? Non habere. Quod est divitiarum onus? Plusquam opus est, habere. Et ille oneratus est, & tu oneratus es. Porta cum illo non habere, portet tecum plus habere, ut fiant aquales sarcina vestra.*

IX. *Christus affectum magis quàm donum intuetur.*

Ego verò, inquis, opum pondere non gravor, vix, aut ne vix quidem, mihi meisque sufficio. Itaque idem te Augustinus homiliâ de ovibus docebit, quid agas. *Dicat pauper, Deus meus. dicat dives, Deus meus.* Zachæus & Petrus dimisêre sua, sed valdè inæqualia. vênit tamen uterque ad Christum. Tristetur nemo, quòd pecuniâ, dignitate, formâ, ætate, sexu non valeat: adest omnibus æqualiter Deus. *Ille apud eum plus habet loci, qui plus attulerit, non argenti, sed fidei.* Ita sermocinabatur ad Hipponenses suos sanctissimus Præsul: eodem modo Eucherius, Gallicanúsve Eusebius, ad monachos hom. 10. *Fortè, quando de eleemosynis loquimur, expavescit angusta paupertas. Non ita, carissimi. Meminerit potiùs, æra minuta divitum thesauris fuisse prælata. Quia Deus noster, non solùm copiâ largitatis, sed benevolentiâ pascitur largientis.*

X. *Gratis, omni tempore, omni loco, nos Christo donemus.*

Qui dives est, non exspectet ut diu rogetur, donet etiam immeritis, donet non meritutis. *Nulla res carius constat*, inquit Seneca lib. 2. de benef. *quàm quæ precibus empta est.... Molestum verbum est, onerosum, & demisso vultu dicendum, Rogo.* Nec dives multum de dandi loco, temporéve oportuno, deliberet: *ubicumque enim homo est*, ut idem ait lib. de vita beata, *ibi beneficii locus est*, addo, & tempus est: Tu verò compauper mi, & voluntariæ vel necessariæ paupertatis collega, imò, quisquis es, frater mi Christiane, Christo tam sese gratis donanti sine locorum ratione, sine respectu temporum, dona temetipsum: etsi nihil timendum foret in alterâ vita, etsi nihil sperandum superesset, solo divinæ bonitatis intuitu. Dona temetipsum, cùm puer es, quia pædagogus tuus est: dona, cùm adolescens & juvenis es, quia magister tuus est: dona te cùm vir es, quia dominus tuus est: dona te, cùm senex es, quia nutritius & altor tuus est: dona te omni ætate, quia Deus tuus est: dona te domi, foris, peregrè, in sacris ædibus, profanísve, ubique locorum, quia Deus tuus ubique est. O si tandem illi nos totos irrevocabiliter donemus, ipse nobis se donet, in loco beatitudinis, in tempore æternitatis!

XI. *Perseverantia donum*

Ad eum finem perseverantiâ opus est, coronâ virtutum: de qua, ut de cæteris, præclarè disputat D. Thomas 2. 2. q. 137. Articulo 1. hanc illius definitionem ex Tullio posuit, *In ratione, benè considerata, stabilis & perpetua permansio:* addit suam paullò meliorem, *Est virtus, per quam homo in honestis operibus persistit, quantum potest;* Unde autem homulis imbecillis, mutabilibus, ad auræ flatus vertumnis, perseverandi pretiosissima, & summa in supernaturalibus gratiis, facultas? Ait Basilius, amygdalas amaras, & acida mala Punica, adacto in arboris medullam piceo cuneo dulcescere. Dulcescemus, adacto in cor nostrum dulcissimo JESU: constabimus, perseverabimus, incluso in pectus nostrum constantissimo, & perseverantissimo JESU.

Christus in Ven. Sacramento Christiano communicat.

Quorsum alioqui ipse dixisset, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo?* Quorsum, ut ait Cyrillus Hierosol. catech. 4. participes nos Corporis sui tanto prodigio faceret, nisi *ut divinæ*, & immutabilis, *naturæ consortes simus?* Quorsum, ut ait Cyrillus Alex. l. 4. in Joan. c. 17. *secum nos ita conjungeret, ut ceram cera, & far ut fermentum;* nisi, ut, quomodò ipse perseverat nos amando, ita perseveremus ipsum diligendo?

XII. *Exemplum item perseverantiæ præbet.*

Est ergo nobis, in Eucharistiâ, perseverantiæ præsidium simul, & exemplum. Cùm dilexisset suos Christus; in finem, & ultra finem, dilexit eos. Fortis fuit, ut mors, dilectio illius: lampades ejus lampades ignis, atque flamarum inextinctarum: aquæ multæ dolorum non potuerunt extinguere caritatem ipsius, nec temporum flumina obruere. Nec temporis diuturnitas, neque ulla rerum vicissitudo, ad finem usque sæculorum, dissolvet Christi cum Sacramento unionem, & Sacramenti cum Christiano populo conjunctionem, ac præsentiam. Adeò perseverans est erga nos caritas Christi, ut nos urgeat ad perseverandum: adeò nobiscum stabiliter manet, ut cum illo vicissim immobiles maneamus.

XIII. *In unione indissolubili cum speciebus sacramentalibus.*

Quando de amicitia Dei cum homine agitur, ut illius fixam stabilitatem agnoscamus, dici solet, quod verissimum certissimumque est: à Deo numquam hominem priùs deseri, quàm ab homine Deus deseratur. Ausimne Christi cum speciebus sacramentalibus individuam unionem, appellare amicitiam? Amicitia quidem, nisi inter intelligentes ac volentes, esse non potest: potest tamen esse præcipuus ille amicitiæ effectus, firma conjunctio, & nexus indissolubilis. Christus postquam sese, ad sacerdotis voces, in locum panis ac vini, sub eorum specie, sistit; ita sese cum illa specie colligat, & innectit, ut numquam nisi desertus deserat. Quamdiu manent color, sapor, odor, aliaque pani ac vino accidentia, tamdiu Christus perstat immotus eodem in loco. Sumit sacerdos Corpus ac Sanguinem Christi, deglutit, & in pectus transmittit: Christus inde non movetur, donec naturalis calor speciem panis ac vini mutaverit. Eam ob rem sacerdotes, post peractum sacrificium, Philippus 2. Hispaniæ Rex venerabundus, capite detecto, salutare solitus fuit, ut suprà sect. 3. num. 13. ex Gusmano retulimus.

XIV. *Christus in sacris hostiis manet, quamdiu integræ sunt quales visuntur passim hostiæ miraculosæ.*

Corporalia, ita lintea involvendo aut reponendo Corpori Christi sacrata vulgò nominamus; cum hostiis sacris abscondita Maurorum metu, ante ineundum cum illis certamen: postmodùm ad annum 1240. uti Spondanus perhibet, reperta fuêre, sanguine respersa, & Darocæ in Aragonia hodieque servantur cum hostiis, velut recenti sanguine rubentibus. Quid vobis videtur Theologi, ac Philosophi? Eæne adhuc species integræ sunt? Hoc, quod ab annis supra quadringentos per sacerdotis verba designabatur,

mutatum

mutatum est, nécne? Si mutatum non est: ergo post tot sæcula adhuc ibi est Corpus Christi. Idem de Duacensi hostia, quam supra meminimus, dicendum est. Ad annum 1264. Vulsiniis, loco Urbevetanæ diœcesis, sacerdos post consecrationem dubitans de veritate fidei, vidit sanguinem fluere, qui totum corporale tinxit: Bruxellis sacram hostiam Judæi confodêre ad annum 1369. erumpente sanguine detecti, quod etiam antè attigimus. Idem in Germania contigit ad annum 1492. item ad annum 1510. & ad an. 1556. Fromestæ in Hispania, loco Placentinæ diœcesis, ad annum 1453. sacerdos tres hostias sacras referens ad moribundum, à furto, sed non ab excommunicatione furto adjuncta, absolutum, illarum nullam à patena potuit divellere: donec moribundus, excommunicationis memor, absolutionem petiit. Tunc præbitâ ipsi hostiarum unâ: aliæ duæ ad rei memoriam etiamnum integerrimæ in patena servantur, itaut difficile sit judicare, utrum altera alteri inhæreat, an in aëre pendeat. Sub annum 1433. ab Eugenio IV. ad Philippum Burgundiæ ducem missa hostia, quæ confossa vulneribus, sanguine manârat, & in sacrario Pontificio asservabatur. A Philippo reposita Divione, mox prodigiis clarescere cœpit. Isthæc omnia ex Spondano accepi. Alii multa consimilia, nec dubia, narrant. Apud nos, Herquenrodæ, nobili parthenone, asservatur à sæculis aliquot sacra hostia, miraculis & populorum concursu ad hanc usque diem celebris. Quod autem ad rem nostram attinet, & perseverantiæ in Christo exemplum; pro indubitato est, Christum tot sæcula hostiæ sacræ affixum perstare, sub exili illa panis specie, quamdiu species non perit, imò dum manet particula speciei.

XV. An Christus in Eucharistia per beatos totâ æternitate adorandus?

Inde aliqui piè, & valdè credibiliter, consecêre, Christum in Ven. Sacramento cum beatis æternitate tota mansurum. Ponunt D. Virginem moribundam, Christi, aut D. Petri, vel Joannis manu Eucharistiæ participâsse. Ponunt deinde, ardenti erga Deum ac Christum amori immortuam: numquam vehementiùs amâsse, quàm sumpto intra se Christo, & clauso intra pectus suum amoris incendio. Ponunt denique, nulla sanitatis labe affectam, corruptione nulla noxiisve humoribus vitiatam. Quibus positis; colligunt, mortuâ D. Virgine, extincto calore naturali, integras in ejus pectore species Eucharistiæ perdurâsse, donec Virgo reviviscerer: multò etiam magis in rediviva, & ad vitam immortalem atque incorruptam excitatâ, integras mansisse, æternumque mansuras; quandoquidem beatum corpus, etsi humorem caloremque vitalem habeat, quietum tamen habeat, & innoxium. Cùm autem species integræ perdurent; consequens est Christum sub illis perstare, adeoque in matris pectore adorandum beatis proponi, velut in hierothecæ vel monstrantiæ pellucida crystallo.

XVI. Mansurus est in Sacramento nobiscum usque ad consummationem sæculi.

Quia tamen ista, de Eucharistiæ æterna duratione, opinio parem pietati certitudinem non habet: satis nobis fuerit perseverantiæ Christi demonstrandæ, ostendisse, cum populo Christiano mansurum ad extremam usque terrarum conflagrationem: ut, quando Apostolis dixit, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, non de auxilio tantùm locutus sit, sed de Sacramento; nec de morali tantùm, sed reali præsentia, non modò divinæ suæ, verùm etiam humanæ naturæ. Capharnaitis sermo de Eucharistia durus visus est, & quem nemo posset audire: illam tamen instituere Christus idcirco non destitit. Sacrilegè, in prima ipsa institutione, à convivarum uno habita est: non ideò tamen Christus Apostolis non dixit, *Hoc facite in meam commemorationem.*

XVII. Spretis Paganorum ludibriis, & execramentis.

Secuti Capharnaitas, & Iscariotem, Pagani; cùm palàm ipsis tantum mysterium non evulgaretur, nec daretur sanctum canibus, imò ne catechumenis quidem apertè edisseretur, sed, ad eos paullatim assuefaciendos, præberetur ipsis interdum frustulum aliquod panis sacerdotali benedictione sanctificati, ut ex Augustino constat lib. 2. de peccat. meritis & remiss. cap. 26. *Nam & catechumenos, secundùm quemdam modum suum, per signum Christi, & orationem manus impositionis puto sanctificari: & quod accipiunt, quamvis non sit Corpus Christi, sanctum tamen est, & sanctius quàm cibi quibus alimur, quia sacramentum est*, id est res aliquomodo sacra. Itaque Pagani, cùm aliquid tantùm obscurè de Ven. Sacramento, realique Christi præsentia, sub panis ac vini specie, inaudissent: ludibrio finxêre, Liberum ac Cererem à Christianis coli, quomodò scribit August. lib. 20. cont. Faust. cap. 14. Alii ad execramentum sparsêre, infantis, farre contecti, sanguinem à Christianis hauriri: ita Minutius Fælix in Octavio: *De initiandis tirunculis fabula tam detestanda, quàm nota est. Infans, farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei, qui sacris imbuitur. Is infans, à tirunculo, farris superficie velut ad innoxios ictus provocato, cæcis occultisq; vulneribus occiditur. Hujus, prò nefas, sitienter sanguinem bibunt, hujus membra dispertiunt, hac fœderantur hostiâ.* Inter sacrilega Paganorum figmenta, & insanes jocos, perstitit tamen cum suis in Eucharistia Christus; eosque vel ad forte martyrium, vel ad gloriosam confessionem armavit.

XVIII. Contemptis hæreticorum sacrilegiis.

Paganos secuti variarum sectarum hæretici, novissimè hodierni, quanto furore in divinum Sacramentum & sacrificium voces jactavêre, manus injecêre? Herbipoli illorum unus sacram hostiam, solo afflictam, impiè proculcavit: priusquam de templo exiret, sclopeto brachium transfixus; cùm domum reverisset, bombardulam in se convertit, misereque periit. Ita Sacchinus refert, in Canisii vita, qui recentem historiam ex ore Cancellarii Herbipolensis accepit. Unum narro, cùm plurima passim istiusmodi horrenda facinora contigerint: neque omnia præsentem vindictæ divinæ manum experta. In tantis tamen, & tam numerosis adversùs se flagitiis, Christus Ecclesiæ ubique in Eucharistia adesse non destitit: ut de Ecclesia verissimè semper diceretur, quod de Hierosolymis aliquando dictum iri vaticinatus est Ezechiel cap. ult. *Nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem.*

XIX. Eucharistia verè Emmanuel est, usque ad sæculorum finem.

Evangelicus propheta Isaias de Christo prædixit, *Vocabitur nomen ejus Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus.* Quando magis Emmanuel, quàm modò? Exeo domo, Christum saluto: ambulo per civitatis compita, Christum in templis omnibus veneror: transeo vicos rusticanos, Christum præsentem invenio. Occurrit ubique benignissimus Emmanuel, nobiscum Deus. Monstrorum, quæ sæculi præteriti infælicitas, obstetricante Luthero, parturivit, unum fuêre Ubiquetarii, fingentes, humanæ Christi naturæ communicatam immensitatem divinam: ut ubique locorum totus esset, quà homo pariter, & quà Deus est. Sed insani commenti vanitate explosâ, modum habemus, quo Christus, intra humanæ naturæ mensuram conclusus, fermè tamen

nobis ubique adsit, & semper nobiscum maneat, usque ad consummationem sæculi. In ea consummatione Antichristus, *extollens sese supra omne, quod dicitur Deus, ita ut in templo Dei sedeat*, augustissimæ Eucharistiæ atrocissimum omnium bellum indicturus existimatur. Perstabit tamen cum Ecclesiæ filiis Christus, *et murus ignis in circuitu, & in gloria in medio ejus*: sacrificabitur, communicabitur, supplicabitur, triumphabitur; delato etiam forsan, ut in Commentariis indicavimus, super Arcâ Testamenti, per Eliam & Enoch, Ven. Sacramento.

XX. *Christum in Eucharistiæ nube sequamur viatores.*

Israëlitas, in solitudine peregrinantes, præibat noctu columna ignis, per diem columna nubis. Nox umbrarum Mosaicarum præcessit: appropinquavit, & illuxit, Evangelica dies. Per eam diem, Christianos veros Israelitas, vitæ mortalis anfractuoso itinere, & flexuosis sæculorum ambagibus, ad promissam beatitudinis terram, æternitatisque stationem, tendentes, præcedit in nube *magni consilii Angelus*. *Quæ est nubes*, inquit Christum alloquens Drogo Ostiensis; *quæ præcedit veros Israelitas, nisi verissimum & sanctissimum Corpus tuum, quod in altari sumimus? In quo velatur nobis altitudo dici, immensitas majestatis tuæ, cujus splendorem & calorem mortalis infirmitas sustinere non posset, nisi mediatrix nubes interposita, & ardorem temperaret desuper, & tutam subtus te viam præmonstraret. Hanc nubem totus tuus exercitus sequitur, Domine Rex sabaoth: qui autem non sequitur eam, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat.*

XXI. *Exemplis virtutum imitandis.*

Errent, in terra horroris & caliginis, sine ductu divinæ nubis, filii tenebrarum. At nos, qui, Deo gratiæ, filii lucis sumus, sequamur Christum præeuntem quisque in ordine suo, & secundùm turmas suas. Dicit ipse, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*: respondeamus & nos singuli, Ecce ego tecum sum usque ad consummationem sæculi mei. Non viribus meis, Christe, sed auxilio tuo fretus, illud tibi de me audeo polliceri. In finem dilexisti me, in finem diligam te. Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem tuam erga me: nec flumina dilectionem in te meam obruent. Perstas immotus in promissis: perseverabo invictus in consiliis. Impendis te, & superimpendis mihi, inexhaustâ liberalitate; ubique pietatis tuæ & misericordiæ viscera sentiuntur: nec misericordiæ meæ deerunt miseris vel opera, vel affectus. Justitiam tuam commendat hinc distributio gratiarum, inde inflictio pœnarum: sic vivere conabor, ut pœnas evadam, gratias promerear. Meî causâ sacerdotibus ad nutum obtemperas, respectu nullo temporis, personæve, aut loci: tibi tuisque, tui gratiâ, sine modi, reive ullius exceptione, obediam. Abjicis majestatem tuam, & abscondis omnem claritatem tuam, quando ad me venis: demittam me ad pulverem, unde ortus sum, ut ad te humillimum humilis venire possim. Suavissimâ mansuetudine peccatores excipis, injurias pateris, offensas obliteras: trahar exemplo, acquiescam documento, fidam experimento. Ardentissimâ caritate intimam mecum expetis unionem: amore flagrantissimo tuam expetam conjunctionem, odio inextincto fugiam quidquid à te potest disjungere. Ex quo sacerdos sum, cum nemine diutiùs, ac familiariùs, quàm tecum, versatus sum. O quando illud fiet, *quod tam sitio, ut te revelatâ cernens facie, visu sim beatus tuæ gloriæ!*

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

ARGUMENTUM.

Florente Iudaicæ rei statu tum religioso, tum civili, sub Oniâ Pontifice, turbarum initium factum est à Simone Templi præposito, perditi ingenii homine: qui, ad aucupandam malis artibus Regis gratiam, Apollonio Cœlesyriæ præfecto denuntiavit, opulentissimum esse Hierosolymis ærarium, adjicitq; illud posse rationibus Regis. Ea de re monitus per Apollonium Rex Seleucus, Heliodorum Hierosolymam mittit, ad illud expilandum. Is, per aliorum negotiorum speciem confecto itinere, Hierosolymam ab Onia admissus, & perhumaniter exceptus, mandatum Regis denuntiat: nequidquam deprecante, consternataq; ad sacrilegii horrorem, &, supplicibus ad Deum votis ac vocibus, conversâ civitate universâ. Neque irritæ preces cecidere. Nam Heliodorus, in ipso impio conatu, per Angelum unum equitis palàm conspicui specie insilientem perculsus, & per alios duos juvenum formâ adstantes ita verberibus affectus est; ut velut exanimis conciderit, efferriq; per suos, vix etiam sui ob equitis illius adspectum compotes, in sella debuerit, mortuo quàm vivo similior, reliquâ spe salutis nullâ, nisi orationibus ad Deum juvaretur. Quod Onias, tum ejus amicorum rogatu, tum suopte consilio, ne apud Regem propterea traduceretur, præstitit, sacrificiumq; pro sacrilegi hominis salute obtulit. Mox sibi sanitatiq; redditus Heliodorus, Angelorum eorumdem à quibus vapulârat monitu, gratias egit Oniæ, litandam Deo hostiam obtulit, votis se obstrinxit; &, ad Seleucum reversus, Templi, quod deprædatum ierat, sanctitatem deprædicavit.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ỽ. 1. IGITUR cùm sancta Civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè custodirentur, propter Oniæ pontificis pietatem, & animos odio habentes mala, 2. fiebat ut & ipsi reges & principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent: 3. ita ut Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. 4. Simon autem de tribu Benjamin, præpositus templi constitutus, contendebat, obsistente sibi principe sacerdotum, iniquum aliquid in Civitate moliri. 5. Sed cùm vincere Oniam non

 posset,

posset, vênit ad Apollonium Tharseæ filium, qui eo tempore erat dux Cœlesyriæ, & Phœnicis: 6. & nuntiavit ei, pecuniis innumerabilibus plenum esse ærarium Ierosolymis, & communes copias immensas esse, quæ non pertinent ad rationem sacrificiorum: esse autem possibile sub potestate regis cadere universa. 7. Cumque retulisset ad regem Apollonius de pecuniis quæ delatæ erant, ille accitum Heliodorum, qui erat super negotia ejus, misit cum mandatis, ut prædictam pecuniam transportaret. 8. Statimque Heliodorus iter est aggressus, specie quidem quasi per Cœlesyriam & Phœnicen civitates esset peragraturus, re vera autem regis propositum perfecturus. 9. Sed, cùm venisset Ierosolymam, & benignè à summo sacerdote in civitate esset exceptus, narravit de dato indicio pecuniarum: &, cujus rei gratia adesset, aperuit: interrogabat autem, si verè hæc ita essent. 10. Tunc summus sacerdos ostendit deposita esse hæc, & victualia viduarum & pupillorum: 11. quædam verò esse Hircani Tobiæ viri valdè eminentis, in his quæ detulerat impius Simon: universa autem argenti talenta esse quadringenta, & auri ducenta. 12. Decipi verò eos, qui credidissent loco & templo, quod per universum mundum honoratur pro sui veneratione & sanctitate, omnino impossibile esse. 13. At ille pro his, quæ habebat in mandatis à rege, dicebat omni genere regi ea esse deferenda. 14. Constituta autem die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Non modica verò per universam civitatem erat trepidatio. 15. Sacerdotes autem ante altare cum stolis sacerdotalibus jactaverunt se, & invocabant de cælo eum, qui de depositis legem posuit, ut his, qui deposuerant ea, salva custodiret. 16. Iam verò qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur: facies enim & color immutatus, declarabat internum animi dolorem. 17. circumfusa enim erat mæstitia quædam viro, & horror corporis, per quem manifestus aspicientibus dolor cordis ejus efficiebatur. 18. Alii etiam gregatim de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes, pro eo quòd in contemptum locus esset venturus. 19. Accinctæque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant: sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam; aliæ autem ad muros, quædam verò per fenestras aspiciebant: 20. universæ autem protendentes manus in cælum deprecabantur. 21. Erat enim misera commistæ multitudinis, & magni sacerdotis in agone constituti expectatio. 22. Et hi quidem invocabant omnipotentem Deum, ut credita sibi, his qui crediderant, cum omni integritate conservarentur. 23. Heliodorus autem, quod decreverat, perficiebat eodem loco ipse cum satellitibus circa ærarium præsens. 24. Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam, ita ut omnes, qui ausi fuerant parêre ei, ruentes Dei virtute; in dissolutionem & formidinem converterentur. 25. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit; qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea. 26. Alii etiam apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi gloriâ, speciosique amictu: qui circumsteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. 27. Subitò autem Heliodorus concidit in terram, eumque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum ejecerunt. 28. Et is, qui cum multis cursoribus & satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferente, manifesta Dei cognita virtute. 29. Et ille quidem per divinam virtutem jacebat mutus, atque omni spe & salute privatus. 30. Hi autem Dominum

Dominum benedicebant, quia magnificabat locum suum: & templum; quod paullò antè timore ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Domino, gaudio & lætitia impletum est. 31. Tunc verò ex amicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam, ut invocaret Altissimum, ut vitam donaret ei, qui in supremo spiritu erat constitutus. 32. Considerans autem summus sacerdos, ne fortè rex suspicaretur malitiam aliquam ex Iudæis circa Heliodorum consummatam, obtulit pro salute viri hostiam salutarem. 33. Cumque summus sacerdos exoraret, iidem juvenes eisdem vestibus amicti, astantes Heliodoro, dixerunt: Oniæ sacerdoti gratias age: nam propter eum Dominus tibi vitam donavit. 34. Tu autem à Deo flagellatus, nuntia omnibus magnalia Dei, & potestatem. Et his dictis, non comparuerunt. 35. Heliodorus autem, hostiâ Deo oblatâ, & votis magnis promissis ei, qui vivere illi concessit, & Oniæ gratias agens, recepto exercitu, repedabat ad regem. 36. Testabatur autem omnibus ea, quæ sub oculis suis viderat, opera magni Dei. 37. Cùm autem rex interrogasset Heliodorum, quis esset aptus adhuc semel Ierosolymam mitti, ait: 38. Si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen evaserit: eò quòd in loco sit verè Dei quædam virtus. 39. Nam ipse, qui habet in cælis habitationem, visitator & adjutor est loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit, ac perdit. 40. Igitur de Heliodoro, & ærarii custodia, ita res se habet.

COMMENTARIUS AD CAPUT TERTIUM.

A justitia & pace fælix respublica.

℣. 1. IGITUR CÙM SANCTA CIVITAS HABITARETUR IN OMNI PACE, LEGES ETIAM ADHOC OPTIME CUSTODIRENTUR, PROPTER ONIÆ PONTIFICIS PIETATEM &c. Cur Jerusalem vocetur civitas sancta ab Hagiographo, dixit Rupertus ad cap. 1. vers. 7. Eâdem appellatione usus Nehemias cap. 11. libri sui: forsan ad habitationem illius commendandam. Hoc loco prædicatur ejus fælicitas ex duobus capitibus, quæ maximè rebuspublicis optabilia sunt, pace & custodiâ legum. De pace diximus lib. 1. in Exc. ad cap. 13. sectionibus aliquot. De custodia legum, tum Exc. ad cap. 7. & ad cap. ult. tum alibi sæpiùs. Magnum utrumque urbium bonum: sed hoc præsertim. Quid enim est, sine custodia legum, quamvis pacatissima civitas, nisi latronum conventus, & coitio barbarorum?

Caussa publicæ fælicitatis bonus Princeps, & Pontifex.

Ejus autem fælicitatis publicæ fundamentum erat Pontifex Maximus Onias 3. Simonis 2. filius, Oniæ secundi, ad quem à Spartiatis lib. 1. cap. 12. scriptum diximus, patruelis seu nepos ex fratre. Illi Oniæ Hagiographus eximios titulos duos tribuit, *pietatem*, & *animos odio habentes mala*, seu *μισοπονηρίας*, *odium nequitiæ*. Constans religionis, & justitiæ, cultor subditis suis eam persuaserat exemplo, auctoritate, imperio: *qualis* enim *rector civitatis*, *tales* ferè sunt *habitantes in ea*. Quamquam mox videbimus, etiam sub tam sancto capite, non defuisse membra vitiosa: &, cùm sacer civilisque Judaicæ rei status pietate & justitia floreret; impietatem tamen, atque injustitiam, in adytis ipsis, & intra Templi penetralia, latebras invenisse, ac paullò pòst in apertum erupisse, cum extremo fermè religionis ac libertatis exitio.

Cur Hagiographus ab Oniæ laudibus incipiat?

Adverte, ab ipso historiæ initio commendari nomen & sanctimoniam Oniæ; eadem aliis verbis commemorari capite quarto, & ultimo. Gratum enim erat futurum Ægyptiacis Judæis id nomen: quia filius ipsius, Onias quartus, templum ipsis in Ægypto ædificârat, & sacra curârat, ut sub initium Commentariorum ad cap. 1. diximus. Deinde, multùm apud illos habitura erat momenti ipsius auctoritas, pro templi Hierosolymitani veneratione: cùm viderent, quantum ad tuendam ejus sanctitatem laborâsset ac tulisset; quàm favisset Judæ Machabæo, ejus instauratori; quid suis apud Deum orationibus, adversùs Heliodorum, & Nicanorem, sacrilegos ejus violatores, impetrâsset. In hac itaque Oniæ tertii laude, tacita continetur Oniæ quarti & liberorum reprehensio: qui, quod Templum à patre, & avo, ita defensum ac cultum foret, deseruissent, deserendumque à popularium plurimis curâssent.

Regum erga Templum liberalitas quanta, & qualis?

℣. 2. 3. FIEBAT UT ET IPSI REGES ET PRINCIPES LOCUM SUMMO HONORE &c. In Græco textu non habetur nomen *Principes*; sed *Reges* tantùm dicuntur Templum multis muneribus ditâsse: quod, ut vetera Cyri, Darii, Artaxerxis Persarum prætercam, de Antiocho Magno Seleuci patre narrat variis locis Josephus: de Seleuco Hagiographus dicit, præstitam ab ipso omnem sacrificiorum impensam, quæ sanè magna erat. Ea verò Regum Asiaticorum, quamvis Infidelium, ad summi Numinis cultum propensio, an sincera fuerit, dubitari potest. Videntur enim, istâ specie pietatis conciliare sibi animos Judæorum voluisse; ne ad Ægyptios Reges, quorum etiam aliqui in Templum benefici fuerunt, magis propenderent. Sed, si sincera fuit, tum ex impressâ mentibus omnibus Dei cognitione

nascebatur:

nascebatur: tum, quod ab Hagiographo indicatur, ex virtutum Oniæ fama & veneratione.

Virtutibus sacrorum hominum.

Nihil enim Principum, & locupletum hominum, liberalitatem magis invitat, ad ditandas religioni sacratas domos, quàm ministrorum sacrorum sanctimonia. Contrà, nihil magis largitatem procerum, ac divitum, in templa & sacra restringit, quàm hominum religioni dicatorum dissolutio. Id in Ecclesia Catholica ubique spectare est. Ditati Pontificatus, magnificè extructa templa, cœnobia ædificata, dotata sacerdotia multa & ampla; cùm Episcopi, sacerdotes, clerici, monachi virtutibus florerent. Postmodùm defluentibus ad pejora moribus, non modò vix quidquam datis adjicitur, sed etiam passim detrahitur quà licet, imò & quà non licet. Itaque Ecclesiastici, ut Christianos discipulos omnes suos Christus monuit, quærant *primùm regnum Dei, & justitiam ejus*, & ipsis accedent *cætera*: sive, ut eadem sententiâ, genere locutionis alio, dixit, mittant manè *ad dexteram navigii rete*, & invenient, quod ad sinistram frustra noctu quæritur.

Regis cum Episcopo de pietate certamen.

Fortunatus apud Baronium tomo 7. *Quadam*, inquit, *vice praecellentissimus Rex Childebertus cum Germano Episcopo Parisiensi direxisset sex millia solidorum, pauperibus eroganda: iste expendens tria millia, revertitur ad palatium, interrogatusq́ à Rege si adhuc resideret, quod egenis tribueret, respondit: resedisse medietatem, nec invenisse inopes, quibus mox totum expenderet. Erat ergo spectanda contentio inter sacerdotem, & Principem: faciebant apud se de misericordia pugnam, & de pietate certamen.* Hæc Fortunatus, inquit Baronius, de Childeberti Regis, sub sancto Germano, erga pauperes amore atque munificentiâ: ut planè illud fuerit certo experimento cognitum, ubi sacerdotes sancti dignè numeros expleant suos, Reges sponte se illis suaque bona subjicere, secundùm vulgatum illud Machabæorum: *Propter Oniæ Pontificis pietatem &c. fiebat, ut & ipsi Reges locum summo honore dignum ducerent.*

Simon venditor sacrorum.

℣. 4. Simon autem de tribu Benjamin præpositus Templi constitutus. Quia Deo acceptus erat Onias, necesse fuit, ut tentatio probaret illum. Excitatur serenissimo cælo tempestas, in sinu pacis bellum, unde minimè debuit. Homini impio, turbarum auctori, nomen Simon, minimè tamen obediens: qui, multò antequam Simon magus emere sacra voluerit, vendere ipse & prodere conatus est. Quare ab ipso etiam meritò appellationem trahat Simonia: tam deforme vitium, ut larvis innumeris contegatur, & fucis illinatur, ne appareat. Sed fiunt ista à Simone in monte Moria, in loco cui vocabulum, *Dominus videt*: quamvis homines non vident, vel videri nolunt; sed videbunt aliquando, ac videbuntur, cùm statuet illos Deus ante faciem suam.

Benjaminita, filius doloris.

Erat iste Simon *de tribu Benjamin*, imò de *Benoni*, non *dexteræ filius*, sed *doloris*. Synagogæ matri suæ perniciem accerset, jactis seditionum & bellorum, quæ vix gentis totius Judaicæ ruinâ obruentur, seminibus. Patri suo, id est summo Pontifici, tantam mæstitiam creabit, ut jure deinceps *Onias* nominetur, id est *dolor Domini*, vel *Dominus dolens*, quomodò rectè interpretatus est Rabanus.

Officium ejus, præfectura militaris.

Officio fuit præpositus Templi, Græcè *προστάτης*, quod plerique intelligunt de præfectura militum ad Templi custodiam: quales etiam ævo Christi fuisse intelligitur ex Matth. 27. & Luc. 22. item Act. 4. vers. 1. ubi dicitur disertè *στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ*, *strategus Templi*, seu militaris custodiæ præfectus, is qui in Latina versione nominatur *magistratus Templi*. Sunt, qui putent, thesauris seu gazophylacio præfuisse: sed plus aliquid innuit præpositura Templi, neque aliud, meo judicio, quàm, quod antè diximus, aut utrumque simul. Erat ergo id munus militare & profanum, licèt ad loci sacri securitatem & reverentiam: ut non mirêre, collocatum in eo hominem non Levitam sed Benjaminitam; non habitatione modò, ut quidam suspicati sunt, sed tribu ipsâ, id est genere.

A quo ipsi collata?

Dicitur autem fuisse in ea præfectura constitutus: sed à quo? Ab Apollonio, ad quem mox proficiscitur, aut Rege ipso Seleuco: an ab Onia Pontifice? Ab hoc potiùs, ad legum & publicæ pacis custodiam: quemadmodùm lib. 1. cap. 4. vers. ultimo, Judas Machabæus monti Sion munito militem imposuit. Eo itaque detestabilior Simonis proditio; si adversùs benefactorem infami ingratitudine, adversùs dominum fœdissimâ infidelitate, adversùs Pontificem sceleratâ impietate, moliri ausus est.

Ejus cum Onia contentio.

Contendebat, obsistente sibi Principe sacerdotum, iniquum aliquid in civitate moliri. In Sixtinis Græcis ista sic habent ad verbum: *Contendebat cum Principe sacerdotum de ea, quæ in civitate fiebat, legum transgressione*, *παρανομίας*; pro qua voce in quibusdam Græcis est, *ἀγορανομίας*, *de adilitate*, aut civili ac forensi aliquo non absimili Magistratu. Eâ posteriore lectione videri possit contentio, Simonem inter & Oniam, fuisse, de officio aliquo publico, vel collato, vel conferendo; quam potestatem conferendi sibi tribuere Simon voluerit, quà Templi præpositus. Ex priore tamen, eaque veriore, & cum Vulgatæ verbis convenientiore lectione, intelligitur, excitatam de injustitiâ & legum violatione controversiam. Cùm enim Onias, quo erat adversus impietatem odio, impunè legum transgressionem abire non sineret: Simon contrà patrocinium exlegum, & reorum suscepit, ut, illis sibi conciliatis, potentior in Oniam insurgeret, eumque, ut postmodùm accidit, deturbaret. Indicantur ista his in Vulgata verbis, *Contendebat iniquum aliquid in civitate moliri*, factionem scilicet primùm, tum seditionem, & rebellionem.

Periculosum est præfecturas magnas committere inquietis.

Inde obiter colligat Christiano-politicus, præfecturas militiæ & ærarii, periculosissimè credi inquietis, factiosis, & ambitiosis ingeniis; eaque amè diligentissimè explorari debere. Maximè, si eæ præfecturæ tantum auctoritatis & potestatis habent, ut proximè ad summam accedant; & factioni caput dare, turbulentosque & exacerbatos homines ad se aggregare, tuerique possint; quos ex vulgari verbo Malè contentos, ex Scriptura Amaricordes dixerimus. Ubi enim istiusmodi potestas in tali manu est, quotidiana imminent dissensionum & seditionum discrimina.

Simon Apollonium solicitat.

℣. 5. Sed cùm vincere Oniam non posset, venit ad Apollonium. En quò etiam aliquos ævo nostro vidimus devenisse: ut ad externorum auxilia, & solicitationes respicerent, quando factiosis conatibus domi non respondebat eventus, occurrente illis undique fortiter ac sapiente Principe, per se, vel suos. Ita Simon, *cùm vincere Oniam non posset*, animo fortem, causâ meliorem, factione potiorem & potentiorem:

abit

abit in Syriam, solicitaturus *Apollonium Tharseæ*; seu, ut quidam scribunt, Tharseæ; ut Sixtina Græca habent, *Thraseæ filium*. An idem fuerit, de quo opima spolia retulit Judas Machabæus, diximus lib. 1. cap. 3. ad vers. 10. nec probavimus Saliani sententiam, eumdem facientis. Constat certè, alium omnino fuisse ab Apollonio Mnesthei, de quo infra cap. 4. vers. 21. cùm alius sit utriusque pater, ut ex nominibus manifestum est: unde non dispicio, quo pacto Salianus utrumque confuderit. Tirinus autem hunc nostrum censet eumdem esse, qui l. 1. c. 10. vers. 69. cum Jonatha infeliciter pugnavit: sed non video, cur id credamus, in ea præsertim temporis distantia.

Cur ad eum potissimùm adeat Simon?

Erat Apollonius, Tharseæ filius, ab Asiæ Rege præfectus Cœlesyriæ, ac Phœniciæ, conterminis nobilibusque provinciis, ad Boreale Judææ latus protensis. Græcè dicitur earum regionum, στρατηγὸς, *militiæ præfectus*: in Vulgata vocatur, *dux*. Eam ob rem Simon ad ipsum potiùs adiit, quàm ad alios vicinarum regionum præfectos: quòd magnis potentibusque provinciis præesset, & copias præstò haberet, quibus exequi protinus posset, si quid à Rege curandum mandaretur. Prætereà, magnæ apud Regem auctoritatis esse debuit, cùm ipsi regiones tantæ, Ægypto & Cypro objectæ crederentur: ut meritò Simon sperârit, plus apud Regem ponderis habituras delationes suas per ipsum significatas, quàm per alium quempiam minoris dignitatis Syro-Macedonem; seque illius commendatione faciliùs, & citiùs, in benevolentiam Regis penetraturum, & effecturum, quæ adversùs Oniam coquebat.

Delatio ejus de gazophylacii divitiis.

℣. 6. Et nuntiavit ei, pecuniis innumerabilibus ἀμυθήτων χρημάτων, id est *rebus*, seu possessionibus, ut non pecuniæ tantùm, sed & supellex pretiosa intelligi possit: *rebus* ergo, *quantas sermo explicare non posset, plenum esse ærarium Hierosolymis*. Græcè est *gazophylacium*, locus intra Templi septa asservandis donariis, proventibus pecuniariis, supellectili, depositis. Illi præfuisse quidam Simonem opinantur, ut supra diximus; & idcirco forsan tam citò fides habita delationi, de re quam intimè nôrat. Quamquam, quid præposito militari Templi, in eo quotidie versanti, emissarios suos in omnibus ejus angulis habenti, ignotum esse ac secretum potuit? Pergit impius delator, & affirmat, adeò multa esse in gazophylacium congesta, *ut etiam multitudo communium copiarum esset innumerabilis*: sic expressit Nobilius, quod nos legimus, *& communes copias immensas esse*. Pro, *communes*, Græcè est, τῶν διαφόρων; quam vocem si sejungamus, & legamus, τῶν διὰ φόρων, poterit & hoc modo reddi, *prorsus, ut numerus earum, quæ de tributis collecta forent, iniri nequiret*. Eas copias ait Simon non pertinere *ad rationem sacrificiorum*, adeoque *communes* esse, seu profanas: ut scilicet eo proniùs invitetur cupiditas Syrorum, quibus aliqua forsan futura erat erga pecunias sacrificiis addictas reverentia, cùm à Rege scirent sumptus illorum præstari. Denique, ut efficacissimè persuadeat, subjicit *esse possibile*, id est facile, *sub potestate Regis cadere universa*.

Apollonius cum Rege agit de Simonis delatura.

℣. 7. Cumque retulisset ad Regem Apollonius, de pecuniis, quæ delatæ erant, seu, *de quibus ipsi delatum erat rebus*, ut habetur in Græco: in quo etiam pro, *cùm retulisset*, habetur συμμίξας, id est propriè, *cùm sermonem miscuisset*. Ex ea loquendi formula colligo, Apollonium de Simonis delatura Regi non tantùm per literas, aut nuntios, significâsse: sed ipsum coram relatum ivisse, tamquam de negotio magni momenti. Nec verò tam longè aberat Antiochiâ, si ibi tum Seleucus fuit, ut biduo, aut triduo illuc, ex præfecturæ suæ finibus Apollonius non potuerit excurrere.

Rex mittit Heliodorum Hierosolymam.

Ille accitum Heliodorum, qui erat super negotia eius, misit &c. Græcè sic est ad verbum: *Ille verò eligens*, seu, *cùm elegisset Heliodorum qui erat*, ἐπὶ τῶν πραγμάτων, *super negotia ejus*, id est quæstor, seu ærarii Regii præfectus. Salianus meritò Scaligerum reprehendit, qui non contentus hîc Eusebianam S. Hieronymi versionem castigare, Græcum etiam textum Eusebii, adeoque & Hagiographi, unde sua Eusebius excepisti, corrigere vult, aitque, ex Grammaticæ legibus debuisse dici ἐπὶ τὰ πράγματα, non autem ἐπὶ τῶν πραγμάτων, quasi istam loquendi formulam Demosthenes, Lucianus, Polybius, aliique probatissimi auctores, non usurpârint: ita bene disputat contra Criticum Salianus.

Pietas fucata: munificentia sacrilega.

Cæterùm ex avidè arrepta per Apollonium delatione Simonis, eodemque modo excepta per Seleucum denuntiatione Apollonii, submissoque confestim ad sacrilegam deprædationem Heliodoro, collige: nos ad vers. 3. non temerè suspicatos, quidquid Seleucus Templo submisit, in speciem tantùm fecisse; ut eâ pietatis larvâ devinciret sibi Judæorum animos: qui, cùm eorum regio inter Ægyptum ac Syriam media esset, modò hujus, modò illius Regem sequebantur, & momenti non parùm partibus addebant. Certè, si Seleucus seriò de Templi & Judaicæ religionis reverentia, in submittendis ad sacrificia sumptibus, cogitâsset, Heliodorum, ad infamem ejus despoliationem, non submisisset; neque unâ manu panem ostentâsset, alterâ jecisset lapidem. Sic aliquando visi Christiani Principes, ac milites, anathemata celebribus templis, sacellisve, appendere, domibus quibusdam religiosis dona mittere, unde rumorem latè manaturum sciebant, famamque piorum, & erga religionem benè affectorum sese collecturos sperabant: dum aliâ parte templa, cœnobia, parthenones, pauperes, viduas, pupillos prædabantur; homines ad famam pii, ad speciem religiosi, ad Seleuci exemplum munifici raptores.

Cur Heliodorus dissimulârit caussam itineris?

℣. 8. Statimque Heliodorus iter est aggressus, specie quidem &c. Prætexit itineri suo Heliodorus speciem aliam, visendi civitates Phœnicis & Cœlesyriæ; ibique, pro suo munere, dispiciendi de rationibus, & redditibus Regiis. Verebatur enim, ne si apertè præ se ferret caussam itineris, populus Hierosolymitanus arma caperet, Judæique undique, velut ad commune incendium restinguendum, convolarent, forsan & Ægyptiorum auxilia respectarent, speciosissimâ tuendi Templi & religionis causâ. Malebat itaque imparatos, & nihil quidquam tale cogitantes, opprimere.

Venit Hierosolymam, caussamque exponit.

℣. 9. 10. 11. 12. Sed cùm venisset Hierosolymam &c. Excipitur ab Onia peramicè Heliodorus, Regisque mandata exponit, & accipit responsum de depositorum inviolabili sanctitate. In Græco textu vers. 9. pro, *à summo sacerdote in Civitate*, habetur, *à summo sacerdote Civitatis*, ejus scilicet civitatis, ubi sacerdotium erat legitimum, non Heliopoli. Versu 10. ubi habemus *deposita & victualia viduarum*, Græcè abest istud, *& victualia*: nec desunt, qui existiment, vocem istam in textum nostrum alicunde ex

marginibus

marginibus irrepsisse, esseque barbaram: sed D. Ambrosius, qui utique Latinè non nesciebat, eamdem vocem habet in nostræ ipsius historiæ narratione, lib. 2. Off. c. 29. quod de illa totum est. Versu 11. pro, *In his, quæ detulerat impius Simon*, Græca Sixtina habent, *non sicut detulerat impius Simon*: quia revera exaggerârat supra verum, ut solent delatores & susurrones. Versu 12. ubi habemus, *decipi eos*, Græcè est significantiùs, ἀδικηθῆναι, *injuriâ affici*, seu fraudari *non posse* omnino, qui fœnra fore sua in Templo deposita sperâssent.

Cur benignè exceptus ab Onia?

Quæras primò; cur benignè, seu ut Græcè est, φιλοφρόνως, Heliodorus ab Onia exceptus, & lupus à pastore ipso in ovile inductus? Præter caussam, multis Syro-Macedonum communem, quòd de primoribus regni Asiatici esset, quorum amicitia Judæis, ad benevolentiam Regis conservandam, utilis erat: accedebat hæc privatim, quòd præfectus esset ærarii Regii, unde sumptus ad sacrificia præstabantur Seleuci jussu. Benevolum ergo illum habere expediebat, & colere, ne difficulter præstaret, quod Rex jusserat: & verò interdum plus difficultatis est, in accipiendo à Principum ministris, quam in impetrando à Principibus. Quid si hactenus pronum se, ac beneficum, ad pendendum quotannis Oniæ, & Templi muniis, Regium honorarium præbuerat? Jam non demerendæ solùm benevolentiæ, sed testandæ gratitudini honorificè exceptus fuerit: præsertim cùm initio altissimè premeret consilium suum, & Regis imperium.

Cur deposita Templo crederentur?

Quæras secundò: cur pecunia in Templi septis deposita? Ratio redditur versu 12. factum id à depositoribus, quòd nusquam tutiùs credi posse existimarent, quam *loco, & Templo*, quod *per universum mundum honoratur pro sui veneratione, & sanctitate*: seu, ut Græcè est, *loci sanctitati, & honorati per universum mundum Templi majestati, & securitati*. Apud Gentiles ipsos in more fuisse, non pecunias modò, sed pactiones etiam, fœdera, testamenta, in delubris deponere, ostendit Serarius, adducto Cicerone, Herodiano, Diodoro, Tacito, Suetonio, Plutarcho, Ulpiano, &c. Ex Thucydidis Scholiaste adducit hæc verba; *Is mos veteribus fuit; pecunias publicas in templis custodire*: ex Cicerone ista lib. 2. de leg. *Sacrilego pœna est, neque ei soli qui sacrum abstulerit, sed etiam qui sacra commendatum*. Refert item, ab Alexandro Magno apud Solos in Cilicia pecuniam in delubro depositam: à Clisthene, cive egregio, filiarum suarum dotes Junoni Samiæ commendatas. Apud Christianos etiam morem fuisse, deposita templis credendi, ex cap. Gravis, extra. de deposito: ex Ambr. 2. Off. cap. 29. & in psal. 40. Eam denique caussam fuisse, cur per bellicos tumultus Christiani homines, quæ possent, templis inferrent: quæ tamen hodie nihilo ibi, quàm in profanis locis, tutiora sunt. Ita ipse: quid autem diceret, si quas postremis civilibus Christianorum bellis audivimus, & spectavimus, innumerorum templorum profanationes vidisset?

Quis Hircanus Tobiæ, & quomodò eminens?

Quæras tertiò: quis ille *Hyrcanus* seu *Hircanus Tobiæ, vir valde eminens*, cujus quædam nominatim dicuntur in Templo fuisse deposita? Eminentem vocari, quòd sanctimonia præcelleret, arbitratur Ambrosius 2. Off. c. 29. eumque secutus Liranus. Sed si is fuit, quem Josephus memorat l. 12. c. 25. Josephi filius, Tobiæ nepos, qui Tobias Oniæ secundi sororem habuerat conjugem. Si ergo is fuit Hircanus, præpolluit dignitate, genere, & opibus: quippe, qui dicatur, Regio Ægyptiorum per Palestinam ærario præfuisse, Ptolemæum sibi immensâ vi pecuniæ conciliâsse, deinde Peræ pro Ægyptiis præpositus Arabiam infestâsse. Sed sanctimoniâ certè non excelluit: cùm postmodùm, potiente rerum Antiocho Epiphane, veritus ne in potestatem ejus veniret, pœnasque de vexatâ Arabiâ lueret, ipse sibi manus consciverit, occupandasque Epiphani facultates suas reliquerit, ut Josephus narrat.

Quæ summa in depositis fuit?

Quæres quartò: quam summam pecuniæ nostræ confecerint *talenta argenti quadringenta, & auri ducenta*, quantum in gazophylacio depositum fuisse asseveravit Onias? Salianus argenteorum talentorum numero, si Attica sumantur, ait confici quadringenta & viginti millia francorum: si Euboica, quingenta, & sexaginta millia: si Hebræa, aureorum quingenta, & quinquaginta millia. Auri ducenta, utique Hebraica, ait ascendere ad duos milliones, & quingenta millia coronatorum: cùm talentum unum aureum responderit duodecies mille & quingentis aureis. Tirinus, quem adhuc, neque immeritò, in numerandi ratione secutus sum, in argenteis talentis non parum à Saliano discedit, in aureis non multùm abludit: argenteis enim talentis quadringentis, si Attica fuerint, ait confici ducenta millia aureorum; duplum si Hebræa: aureis ducentis, si Attica sumantur, fieri duodecies centena millia aureorum; duplum si Hebræa. Quæ summa quamvis magna, & cupiditati Regiæ irritandæ sufficiens, parva tamen fuit ad aliorum temporum thesauros. Nam, ut Salomonicum ævum, Regumque Juda aliorum taceamus, Pompeius, Hierosolymâ occupatâ, bis mille talenta in Templi gazophylacio, seu corbona, reperit, neque abstulit quidquam, Josepho teste lib. 14. cap. 8. Ita Tirinus.

Quomodò impossibilis dicitur fraudatio depositorum.

Quæres quintò: cur dicat Onias, omnino *esse impossibile*, ἀδύνατον, *decipi* depositores? An ergo divinitus de prodigio secuturo præmonitus fuerat, ut ita affirmatè pronuntiaret, frustra vim omnem fore? Illius quidem virtutis fuit, ut præsagire potuerit: necesse tamen non est, id ipsi tribuere, ex ea loquendi formula, quâ nihil quidquam significatur, quàm, nefas esse, nullaque lege divinâ aut humanâ licere, talium depositorum defraudationem. Idem enim, ut benè hic Nierembergius, viro probo est impossibile, & illicitum: potest homo recti amans, quod fas est; non potest, quod nefas est.

Heliodorus perstat in sententia, & cur?

℣. 13. At ille pro his, quæ habebat in mandatis a Rege, dicebat omni genere Regi ea esse deferenda. Græcè, sic habetur ad verbum: *At Heliodorus, pro his quæ habebat in mandatis à Rege, omnino dicebat in Regium fiscum*, εἰς τὸ βασιλικὸν, vel, ut quædam exemplaria habent, εἰς τὴν βασιλικὴν πρόσοδον, *ad regium proventum, referenda isthæc esse*. Onia nequidquam excusante, & deprecante, perstat in sacrilegii perpetrandi voluntate impius Infidelis Principis assecla. Tanti est apud istiusmodi homines favor, & obedientia; ut fas nefasque confundat, & nihil pensi habeant. Adde, Heliodorum non Regio tantùm ærario studuisse, in ea expilatione, sed & commodo suo. Solent enim ingentes istiusmodi summæ de quæstorum manibus non immunes elabi. Stimulabat itaque ipsum & Regis jussio, & privata cupiditas.

℣. 14. Con-

Ingreditur ad inspiciendum ærarium.

℣. 14. CONSTITUTA AUTEM DIE INTRABAT DE HIS HELIODORUS ORDINATURUS. Græcè sic est ad verbum: *Cùm autem diem præfixisset*, scilicet Heliodorus, *ingrediebatur visitationem de illis dispositurus.* Statuerat ærarium ingredi, & ipse coram inspicere, quid illic asservaretur, veráne essent quæ Simon detulisset, quæ Onias dixisset: annotaturus quidquid vidisset, & quæ placuissent execturus.

Judæorum consternatio ad ejus conatum.

Cæteris usque ad versum 25. narratur consternatio civitatis totius, ob sacrilegum Heliodori conatum. Sacerdotum ante altare prostratorum, id est ad crepidinem altaris holocaustorum, orationes, ut Deus qui Exodi 22. legem de depositis tulerat, violari non sineret: Pontificis summi ingens & spectabilis mæstitia: Civium, catervatim de domibus prosilientium, publicæ supplicationes: Mulierum, ciliciis pectus, seu, ut Græcè est, sub mammis accinctarum concursatio: Procursus virginum ad januas, & fenestras, quamvis conclusarum, seu in domibus paternis ad virginitatis custodiam, ut in Oriente passim hodieque, & in Europæ regionibus quibusdam fieri solet; seu in exterioribus Templi septis, ubi non viduarum modò domum, sed etiam parthenonem fuisse docet Baronius in Annalium apparatu, aliíque plurimi, nec Calvinus ipse audet improbare. In tanto undique motu, *erat miseratio multitudinis confusam cernere, & sacerdotis summi magnopere agonizantis, ἀγωνιῶντος, exspectationem.* Ita ex Græco ad verbum reddo versum 21. Ad ista Gorionides adjicit de suo: *jejunatum ab omnibus, etiam à pueculis & infantibus, adeo ut lactentibus lac denegaretur*: sit penès auctorem, nimis sæpè nugivendulum, fides. Versu 22. pro, *integritate*, Græcè est, ἀσφαλείας, *securitate*.

Heliodorus & satellitium vicissim consternantur,

℣. 23. 24. HELIODORUS AUTEM, QUOD DECREVERAT, PERFICIEBAT &c. Inter multitudinis lamenta, & vociferationes, Heliodorus ærarium ingressus, jam codices & rationes depositorum inspiciebat, & deposita per se ac satellites suos scrutabatur, ut ea verba indicant, *quod decreverat, perficiebat*: verba tamen sequentia, *circa ærarium*, videntur significare, nondum fuisse ingressum in gazophylacium; sed versu 28. disertè dicitur ingressus. Cùm Deus inexpectato ostento ita omnes facinoris ministros ac socios perculit, ut viribus animisque repentè destituerentur. Addit Gorionides de suo, diffugisse omnes, solo relicto Heliodoro: sed ejus fugæ indicium non est in textu nostro, neque in Græco, quem sic ad verbum exprimo: *Heliodorus vero decretum exequebatur. Ibi autem ipso tum hastatis, δορυφόροις, ad ærarium præsente, patrum dominus, & omnis potestatis dominator δυνάστης, dynasta, manifestationem, ἐπιφάνειαν, apparitionem, magnam fecit: ut cuncti, qui simul venire ausi fuerant, perculsi, divinâ potentiâ, in dissolutionem & formidinem verterentur.*

Angeli equitis spectaculo.

℣. 25. APPARUIT ENIM ILLIS QUIDAM EQUUS, &c. Narratur ostentum, quò perculsi fuere Syro-Macedones. Visus illis est equus *pulcerrimo sago*, σαγῇ, *adornatus*, qui *invectus cum impetu, illisit Heliodoro anteriores ungulas*, ut in Græcis habetur ad verbum. Sessor terribili vultu in armis aureis videbatur, seu, ut Græcè est, πανοπλίαν, *armaturam omnem auream habere videbatur*, cataphracti equitis instar. Templi præfecto militari custodiam suam prodente, adest præsidiarius de militia cælesti. In equo apparet, tum ad terrorem majorem; tum quia forsan Heliodorus, quod mortalium nemini licebat, eques Templum intraverat: id enim etsi affirmare videtur Serarius, ego affirmare non velim; quia nusquam in Scriptura reperio causam pro certo statuendi, imò potiùs contrarium, ut mox videbimus.

Ineptè à Calvinistis hæc apparitio vellicata.

Præfatio Calvinistarum Gallica, ad hunc librum, pro dubiâ, & ambiguæ fidei hanc historiam sigillat. Sed si parum ipsis credibile est, Angelum equestri habitu apparuisse; eradant ergo de libris Regum equos Eliæ, & equos ac currus innumeros Elisæi. Isti scilicet, inquit Serarius, malint ex Livio, & Obsequente, Castorem & Pollucem, in equis albis pro Romana republica pugnantes, admittere, quàm Angelos pro Templo, ac populo Dei. De spectabili Angelorum piis militantium auxilio, quædam diximus Exc. 2. ad lib. 1. cap. 12. sect. 1. plura dicturi infrà ad c. 8. ubi etiam de D. Michaele, quem hîc apparuisse quidam existimant.

Angeli alii duo pedites adstant pedum Heliodoro.

℣. 26. ALII ETIAM APPARUERUNT DUO JUVENES, Græcè additur, αὐτῷ, *ipsi*, Heliodoro scilicet: unde conficio, hosce duos Angelos non fuisse visos comitibus Heliodori: si enim illis etiam apparuissent, diceretur, αὐτοῖς, non αὐτῷ. Viderint itaque equitem solum: Heliodorus equitem unum à fronte, & simul duos ad latera, juvenum instar robustorum, habitudine corporis speciosâ, & magnifico vestitu, qui ipsum utrimque plagis onerabant, ἐμαστίγουν. Duos istos Angelos pedites apparuisse, ex eo colligo, quòd, si equites fuissent, Scriptura non magis de illis reticuisset, quàm de primo: indeque probabilius mihi fit, Heliodorum ipsum etiam peditem fuisse, ut à peditibus commodè vapularet.

Heliodorus viribus, & mente destitutus, effertur.

℣. 27. 28. SUBITÒ AUTEM HELIODORUS CONCIDIT IN TERRAM EUMQUE &c. Salianus existimat, incursu equitis deturbatum Heliodorum & solo afflictum, ab aliis Angelis plagas accepisse: sed ex hoc versu satis intelligitur, concidisse inter verbera; ut planè putem, simul equi insultu territum, simul plagis incussis exanimem, caligante velut per tenebrosam noctem acie, concidisse. Jacentem extulêre in humeris ministri sacerdotum, & satellitibus, qui diffugerant, reddidêre, inquit Gorionides: & Liranus ait, à sacerdotibus elatum, ne fortè in loco sacro moreretur, eumque contaminaret. Sed vero similius est, satellites omnes, in tam repentino, ac properato casu, non diffugisse; sublatumque ab illorum aliquibus; & in sella gestatoria evectum, sui planè impotem. Ex ea narratione, emenda vernaculas quasdam historias, indicantes, Heliodorum in ipso, ubi jacebat, loco illico sanatum. Sed ex historiæ multa peccant, majore verborum accuratione, quàm rerum. Græcè hi versus duo sic leguntur ad verbum in Sixtinis: *Subitò autem concidentem in terram, & multâ caligine circumfusum, rapientes, & in gestatorium, φορεῖον, imponentes eum, qui ἄρτι modò* (significat ea particula etiam, *nuper*, sed hoc loco aptiùs explicatur per, *modò*) *cum multo cursorum comitatu & omnibus hastatis*, seu satellitibus, *ingressus erat gazophylacium, portabant impotem seipsum juvandi, potentiam Dei manifestè cognoscentes.* Pro istis, *impotem seipsum juvandi*, quod noster interpres reddidit, *nullo sibi auxilium ferente* advertit Nobilius in Græcis quibusdam haberi, αὐτὸν τοῖς ὅπλοις χαλεπῶς, *ipsum in armis stantem*. unde forsan Serarius conjecit, in equo

invectum in Templi septa. Sed ut demus armatum fuisse, quidni etiam pedes esse potuerit?

Cur Judæi vim vi non repulerint? Adverte etiam, in comitatu Heliodori numerari cursores, & hastatos: illos interpretor domesticum famulitium laquais; hos satellitium, seu ex officio solitum, seu potiùs assumptum ad consilii executionem. Magnum enim secum habuisse militum numerum, etsi ex versu 35. non constaret, ubi dicitur rediisse cum exercitu ad Regem, vel ex eo tamen dubitari nequit, quòd Judæi, lamentis & supplicationibus contenti, ad arma non convolavêre. Arma autem videntur sumpturi fuisse, ad propulsandam à Templo & religione tantam injuriam, si putâssent sese viribus pares futuros. Sed Simone præposito Templi cum asseclis suis cessante, Heliodoro cuneum armatorum trahente, desperârunt de vi repellenda, & ad Deum confugerunt, qui desperatissimis suorum rebus adesse solet, ut vidimus Exc. ad cap. 11. lib. 1. sect. 2.

Rogatur Onias, ut oret Deum pro Heliodoro deposito. ℣. 29. usque 33. Et ille quidem per divinam virtutem iacebat mutus &c. Elatus est de Templo Heliodorus ad diversorium aliquod, ibique omnis sine dubio cura refocillando, aut recreando, adhibita est. Sed frustra omnia fuêre remedia adversùs θείαν ἐνέργειαν, ut habet textus Græcus, id est vim efficacitatemque divinam. Iacebat mutus, & planè depositus, lætantibus interim Judæis, de sanctitate ac securitate Templi divinitus defensa. Cùm Heliodori comites, illo jam propè animam agente, ad Oniam adiêre, enixèque rogavêre, ut pro ejus salute Deum precaretur. Annuit Onias, veritus ne, ut suspicionibus Regum aures & aulæ plenæ sunt, apud Seleucum traduceretur & vocaretur in crimen, de malè habito ministro Regio, futurum forsan, ut ista Angelorum ostenta veneficiis alii, alii ludibriis tribuerent, quidam rebellioni prætexi fingerent: *Obtulit* itaque *pro salute viri hostiam salutarem*, seu pacificam, & impetratoriam; etsi in Græco illa vox, *salutarem*, omittitur.

Heliodorus miraculo convalescit. ℣. 33. 34. Cumque summus Sacerdos exoraret, iidem iuvenes, duo scilicet, qui eum flagellaverant, astitêre moribundo, in eodem habitu, ut agnosci facilè possent, monueruntque, ut gratias ageret Oniæ interventori suo, & exoratori, abiretque potentiæ divinæ testis, ac monumentum: &, cum dicto, evanuêre. Hi versus sic Græcè habent ad verbum: *Faciente autem summo sacerdote propitiationem, illi ipsi juvenes rursus visi sunt Heliodoro, iisdem vestibus induti, & stantes dixerunt: Multas Oniæ, summo Sacerdoti, gratias habe; nam propter illum tibi gratificatus est vivere Dominus. Tu autem ab eo flagellatus μεμαστιγωμένος, denuntia omnibus magnam Dei fortitudinem. Illa verò locuti, inadspectabiles facti sunt.*

Revertitur ad Regem. ℣. 35. Heliodorus autem hostia Deo oblata per sacerdotem, & multis votis ac pollicitationibus factis sospitatori Numini, & gratiis Oniæ actis, seu, ut ex Græco verti potest, *Oniam amplexus*, ὄνιαν ἀποδεξάμενος; ad Regem reversus est, *cum exercitu*, id est cum comitatu suo militum ac famulorum tam numeroso, ut instar fermè haberet justi exercitûs. Nec verò debuerat Templi profanationem palàm, Judæis spectantibus, aggredi, nisi multis & fortibus custodibus stipatus.

Heliodoro testanti, quæ viderat, an multi fidem habuerint? ℣. 36. Testabatur autem omnia ea, quæ sub oculis viderat, opera magna Dei: seu ut Græcè est, *Testificabatur autem omnibus, quæcumque transibat, quæ fuerat sub visum conspicatus*, id est quæ oculis ipse suis viderat, & senserat, *opera maximi Dei*; Angelos apparentes, salutem perditam, mox recuperatam, vim sacrificiorum Judaicorum, orationum ad Deum efficaciam, Oniæ apud Deum gratiam, Templi sanctimoniam, religionis veritatem. Multine narranti crediderunt? Judæi, opinor, aliqui de Essenis, & Pharisæis. At Sadducæi, quibus nulla de Angelis fides, cerebrum emotum dixêre, ludibria finxêre: in iisque videntur fuisse impius Simon, nihilo melior factus, ut cap. seq. narrabitur. Infidelium aliquibus forsan incredibilia visa non sunt Angelorum ostenta, cùm dæmones ipsis interdum deorum specie illuderent. At maxima pars idem fecit, quod hæretici hodierni, cùm miracula ipsis nostra, quamvis testatissima, & spectabilissima, de sacrificiorum Christianorum efficacia, Templorum veneratione, sacerdotii præstantia, aliisque ad religionem pertinentibus, narramus. Sed de miraculis diximus Excursu 1. ad cap. 1.

Quid ad illa Seleucus? quid Seleuco Heliodorus? ℣. 37. 38. 39. Cùm autem Rex interrogasset Heliodorum, ecquis ergo alius Hierosolymam ad istiusmodi expeditiones deinceps mittendus esset: *Si quem*, inquit, *habes hostem, aut regni tui*, seu, ut Græcè est, *rerum seu negotiorum insidiatorem, mitte, & flagellatum eum recipies, si tamen evaserit: eò quòd in loco sit verè quædam Dei virtus*, seu, ut Græcè est, *quia circum locum verè est quædam Dei potentia. Nam ipse qui habet in cælis habitationem*, Græcè in Sixtinis: *Ipse enim, qui habitationem supra cælestem habet, visitator*, ἐπόπτης, *inspector est loci illius* &c.

Heliodorus an diu post perseverârit in virtute? ℣. 40. Igitur de Heliodoro, et ærarii custodia ita res habet: & hæc est clausula capitis. Antequam aliò discedamus, cupiat forsan Lector discere, quid Heliodoro factum? An in veræ religionis cultu, post tam prodigiosam castigationem perseverârit? An virtutem, ac justitiam monitus didicerit, & Deum non contemnere? Si verum est, quod Serarius suspicatur, Salianus à plerisque meritò censeri asserit, Tirinus velut indubitatum tradit, eumdem esse Heliodorum, qui Seleuco Regi per insidias intulit necem, Asiæque regnum invadere conatus est, sed per Attalum & Eumenem, Epiphani faventes, depulsus. Si ergo id verum est, quomodò est verosimillimum, ut etiam dicemus cap. seq. Regis sui proditor ac parricida, regnique alieni per maximum scelus affectator, octavo circiter post divinæ Justitiæ ac misericordiæ tam conspicuum experimentum anno, virtutem proculcavit, fasdéque omnia habuit, honestique ac Dei prorsus oblitus est.

Non omnes miraculo sani fiunt sancti. Fecit itaque, quod, quem primum Deus ad Aspricollentem D. Virginis iconem, restituto crurum & tibiarum usu, prodigiosè sanavit, fecisse aiunt. Catholicorum multos irreligiosos ad frugem revocavit, spectaculo suo: non paucos Acatholicorum, quibus videri contigit, ad veram religionem adduxit, miraculi palpabilis novitate: ipse tamen ad extremum irreligiosissimè vitam egit, cùm largâ ubique stipe donaretur, eamque luxui ac ventri impenderet. Idem accidisse audio cuidam Nicolao Dolenti, id viro cognomen datum erat à diuturna & immedicabili paralysi: quâ cùm, in periculo incendii, imploratâ Virginis ope, repentè sanatus esset, & ad miraculi novitatem visentibus multis ac multa largientibus ex inope in opulentum, & Principis sui Lotharingiæ Ducis domesticum, ac

familiarem

familiarem evasisset, immemor sui, ac Dei, vitam, Heliodori instar, proditione infamavit, & funesto fine clausit. Leodii ad an. 1605. puer contractus, clarâ luce in D. Leonardi æde curatus est: post paucos annos adolescens, rixâ excitatâ, infæliciter occisus. Visi & alii nonnulli, similem in modum prodigio sanati, valdè inconvenienter beneficio accepto viventes: ut verendum sit, ne in judicio extremo idem audiant, quod aliqui miraculorum patratores: *Discedite a me operarii iniquitatis.* Utilia sunt semper miracula, neque enim Deus quidquam facit inutile: sed non semper iis sunt utilia, quibus, vel per quos, eveniunt.

Quæ Judæis ex hoc capite utilitas?

Diximus jam aliquoties, librum hunc totum eò spectare, ut Templi Hierosolymitani sanctimonia, & reverentia, commendaretur Ægyptiacis Judæis, ad Onion propensis, schismaticâ religione. Eò nominatim referri totam capitis hujus narrationem significavimus: ubi, ad finem eumdem, inculcatur identidem, sanctum esse locum, venerabilem, Dei virtutem in eo sentiri, habitatorem cæli esse ipsi præsidio, &c.

Quis Christiani fructus ad mores? Docetur templorum reverentia.

At quæ ex ista narratione Christianis utilitas? Plurima tum ad mores, tum ad fidem. Præter ista, quæ jam sparsim advertimus, ante omnia discitur, quanta templis nostris, longè, ut aliàs ostendetur, Salomonico sanctioribus, debita sit veneratio, quàm fugienda ac detestanda profanatio. *Hæc historia*, inquit Rabanus, *secundùm tropologiam insinuat, quia omnes, qui superbiâ atque avaritia instigati, sanctificationem Domini contaminare, & pollutis manibus indignè tractare, præsumpserint, cælesti judicio sunt puniendi.* Apud nos ex patriis legibus capitale est, si quis privatæ domus fenestram foresve effregerit, aut effringere tentârit; piaculumque istud vocatur violatio libertatis. Ædium suarum securitatem homines capite sanciunt: quid ædis suæ securitati, libertati, sanctitati Deus faciet? Vide dicta Exc. ad cap. 7. l. 1. sect. 3. tota, præsertim num. 9. dicturi etiam sumus infrà quædam ad cap. 13. sect. 3.

Depositorum constans custodia commendatur.

Præterea docemur, quantâ curâ ac constantiâ tueri debeant Ecclesiastici, quæ apud ipsos, vel in templis, viduæ, pupilli, aliive deposuêre, & tuta fore, ob sacri ordinis aut loci reverentiam, putavêre. Verbis D. Ambrosii hoc documentum propono, l. 2. Off. cap. 29. Postquam totam hujus capitis narrationem pertexuit: *Servanda est igitur filii*, inquit, *depositi fides, adhibenda diligentia. Egregiè hinc vestrum enitescit ministerium, si suscepta impressio potentis, quam vel vidua vel orphani tolerare non queant, Ecclesiæ subsidio cohibeatur: si ostendatis plus apud vos mandatum Domini, quàm divitis valere gratiam. Meministis ipsi quoties adversus Regales impetus pro viduarum, imo omnium, depositis certamen subierimus. Commune hoc vobiscum mihi exemplum Ecclesiæ Ticinensis proferam; quæ viduæ depositum, quod susceperat, amittere periclitabatur. Interpellante enim eo, qui sibi illud Imperiali rescripto vindicare cupiebat, Clerici non tenebant auctoritatem. honorati quoque, & intercessores dati, non posse præceptis Imperatoris obviari ferebant. Legebatur rescripti forma, directio Magistri officiorum statuta, Agens in rebus imminebat. Quid plura? Traditum erat. Tamen, communicato mecum consilio, obsedit sanctus Episcopus conclavia, ad quæ translatum illud viduæ depositum cognoverat. Quod ibi non potuit auferri, receptum sub chirographo est. Postea iterum flagitabatur ex chirographo. Præceptum Imperatoris iteraverat, ut ipse per semetipsum nos conveniret. Negatum est: & expositâ Divinæ legis auctoritate, & serie lectionis, & Heliodori periculo, vix tandem rationem Imperator accepit. Post etiam tentata fuerat obreptio: sed prævenit sanctus Episcopus, ut redderet viduæ, quod acceperat. Fides interim salva est, oppressio non est formidini: quia jam res, non fides, periclitatur.*

Hujus libri auctoritas.

Adverte obiter in D. Ambrosii verbis, quanti tum ipse, tum Episcopus, atque universa Ecclesia Ticinensis, hunc librum Machabæorum facerent. Cùm immineret *Agens in rebus*, assine Heliodoro, super negotia Regia constituto, officium; cùm urgeret Imperatoris imperium, Seleuci instar, eo tamen paullò melioris; cùm jam propè esset, ut depositi fides in Ecclesiæ manibus periret: Ambrosius, & Episcopus Ticinensis, Oniæ Pontifici tum eminentiâ dignitatis, tum sanctitate, ac constantiâ similes, avertêre discrimen, *expositâ Divinæ legis auctoritate, & serie lectionis, & Heliodori periculo.* Numquid alia non erat in sacris Literis, ad cupiditatem compescendam, historia? Sed hæc, ut occasioni aptior, ita efficacissima visa est: vim utique exiguam habitura, si ex Apocrypho hausta, non ab Hagiographo tradita fuisset: & valdè inconvenienter, à viris tantis, jungenda cum Divinæ legis auctoritate, si eâdem auctoritate Divinâ series lectionis, & Heliodori periculum, non fulciretur.

Demonstratur vis orationis, præsertim communis.

Tertium ad mores generale ex hoc capite documentum est, de vi orationis ad Deum, præsertim quando fit communiter, conspirantibus ad idem omnis ordinis, sexûs, ætatis hominibus: ut hic factum, & à Christianis, per mala metusque publicos, fieri solet. Apud Theodoretum in hist. relig. Patrum, quispiam dicebat, *Omnipotentem orationem esse, & unam posse omnia*: quippe cùm Dei potentiam sollicitet, & ad ea quæ flagitantur admoveat. Sic in commune supplicantibus Hierosolymitanis, & urbem universam in templum ac domum orationis vertentibus, *Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit sua ostensionis evidentiam.* Meritò itaque omnipotens precatio, propter quam agit *Spiritus omnipotentis Dei.* Meritò à D. Joan. Chrys. hom. 13. in epist. ad Eph. dicitur, *vis orationis naturam omnem exsuperare*; & à D. Joanne Climacho definitur oratio, *infinita operatio.* De oratione vide dicta Exc. ad lib. 1. cap. 3. & dicenda in Exc. ad hoc item caput 3.

Quæ Christianis ad fidem utilitas? Pietas erga Angelos.

Ad fidem discimus Christiani, ex Heliodori supplicio, Angelos esse, quibus res humanæ curæ sint; sacrorum præsertim virorum, locorumque, ac rerum custodia: adeoque venerationem ipsis, & affectum, deberi. Cùm enim intelligentiæ sint eminenti naturâ, sanctitate, potestate, ut vel ex unica ista narratione apparet: potestati autem, sanctitati, & eminentiæ, debeatur veneratio: profectò Angelis debetur. Et cùm benevolentiæ gratitudinem, & affectum, respondere par sit: par omnino est, ut gratias Angelis, & propensam voluntatem, reddamus; quos vel hinc constat præsidiarios hominum esse; & administratorios spiritus. Vide infrà Exc. 1. ad c. 8. sect. 4.

An S. Michael Heliodoro apparuerit?

Angelum, qui equestri formâ apparuit, D. Michaelem fuisse, aliqui, nec temerè, opinantur. Communis enim sententia est, præsidem fuisse Synagogæ: neque ulli meliùs, quàm præsidi, conveniat Templi defensio. Deinde D. Gregorius serm. de D. Michaele, ait: *Quoties mira virtutis aliquid agitur, Michaël mitti perhibetur: ut ex*

ipso actu, & nomine, datur intelligi, quia nullus potest facere, quæ prævalet Deus. Unde & ille antiquus hostis, qui similis esse Deo per superbiam concupivit, dum in fine mundi in sua virtute relinquitur, extremo supplicio perimendus, cum Michaële Archangelo præliaturus esse perhibetur, &c. Idem, præeunte Gregorio, sensit Joannes Eckius, Lutheri primus ac fortis antagonista, homiliâ in festo S. Mich. *Quidquid, & ubicumque opus fuit, ut pro Fidelibus decertaretur, ibi semper Michael Angelus adfuit, & id perfecit: uti contra Luciferum in cælo, pro exitu filiorum Israel de Ægypto, pro sepultura corporis Moysi, pro Fidelibus contra Antichristum in fine sæculi.* Joannes item Belethus: *Certum est*, inquit, *Michaelem fuisse, qui celebres illas ac famosas plagas, missus in Ægyptum, fecit, & mare rubrum divisit:* Istâ regulâ, quam omnibus passim placere video, fixâ, D. Michaelem ad ea omnia mitti à Deo, ubi potentiâ usus est, maximè ubi agitur de proborum tutelâ adversùs impios: consequetur, ad Templi defensionem, prohibendosque Heliodori conatus, primo ipsum loco adfuisse.

An comitibus Gabriele & Raphaële Archangelis?

Alios duos Gabrielem & Raphaelem fuisse, suspicatur Nierembergius, Stromate 9. cap. 14. suggeritque rationem: quia Gabriel fortitudo Dei est, Raphael medicina Dei. Utraque autem erat in Heliodorum exercenda, fortiter castigandum, misericorditer sanandum. Deinde D. Albertus Magnus existimat, duos illos Angelos D. Michaelis collegas fuisse, quando Abrahamus tres vidit, & unum adoravit: Michaelem venisse, & principem populi ex Abrahamo descensuri; Gabrielem, ut missum ad urbes destruendas; Raphaëlem, ut medicum circumcisionis, à populo Abramico suscipiendæ. Convenienter itaque iidem, hoc loco, fuerint collegæ ac socii D. Michaëlis; quando idem Angelorum numerus apparuit, ad posteros Abrahæ propugnandos, propulsandam validè Infidelium injuriam, medicanda plebis afflictæ intima vulnera, reddendamque impio piorum gratiâ sanitatem. Si ita res habuit; quod etsi non affirmo, tamen pro admodùm probabili accipio: habemus etiam hinc, unde vetustissimam Ecclesiæ consuetudinem fulciamus, tres nominatim Angelos in solennibus litaniis; ac supplicationibus, invocantis, præsidem Ecclesiæ, defensorem, & medicum. De spectabili Angelorum, piis militantium, auxilio, quædam diximus Excursu 2. ad l. 1. c. 12. sect. 1. plura dicturi infrà ad cap. 8. ubi etiam de D. Michaële particulatim.

An eques ille ex D. Ambrosio fuerit Filius Dei?

D. Ambrosius in psal. 40. Nierembergio visus est existimâsse, equitem illum, Heliodoro apparentem, ipsum fuisse Filium Dei: eamque sententiam fulciri posse illis Hagiographi verbis, *Apparente omnipotente Deo, Templum gaudio & lætitiâ impletum*: plurium tamen sensum esse, priscas Dei apparitiones per cælestium aliquem spirituum factas, Dei nomine, & imperio. Ita ferè Nierembergius; ac deinde quam de D. Michaële attigimus sententiam, amplectitur.

Fuit solummodò figura Christi.

Sed revera D. Ambrosius id non scribit, patebitque, ni fallor, locum totum expendenti. Postquam enim dixit, Judam proditorem adumbratum isto Jacobi de Dan vaticinio, quòd morsurus esset ungulas equi, ut caderet ascensor ejus retro: equum ipsum dixit figuram esse Christi, cujus corpore per proditionem Judæ vulnerato, corruit ascensor per mortem, vegetior surrexit per vitam renovatam. Post isthæc, & similia, ad idem argumentum de Scripturis adducta, affert & de equite nostro istis planè verbis: *Hic equus, in figura & ante, demonstratus est tempore Machabæorum, super quem sedebat Dux militiæ illæ cælestis, qui Heliodorum depeculatorem depositi vidualis, cæterorumque, quæ sacra fuerant commendata custodia, & stravit, & perculit, & prostratum Oniæ sacerdotis precibus vitali usui reformavit. Unde verè in eo arma aurea refulserunt: quia solus equum hunc sedit, & vicit, præter quem nullus culpa immunis erasit.*

Eaque valde apta.

Audis in isto equo sedisse Filium Dei solum, sed *in figura*; id est, equo illo & equite solum fuisse adumbratum. Neque enim vel Abraham, vel Jacob, vel Moses, aliive ulli priscorum Heroum, ut possmodum Ambrosius exsequitur, ab omni culpa prorsus liberi fuêre, adeoque non satis commodè exprimi potuerunt imagine equitis lucidi, & in armis aureis conspicui: uti neque albo equo Apocalypsis, de quo ibidem Ambrosius. Filius autem Dei, in assumpta naturæ humanæ veritate, uti per purissimam innocentiam albus est, ita per pretiosissimam caritatem aureus est: atque adeò tum equi istius, tum equitis figurâ, aptissimè adumbratur. Sed Rabanum audiamus, qui posteaquam sub Oniæ imagine Christum pinxit, Infideles sub imagine Heliodori, Christum rursus exprimit equitis illius, Heliodorum prosternentis, effigie.

Onias Christum exhibet officio, & nomine.

Juxta allegoriam, inquit, *Onias sacerdos Dei magnus, & figuralis Templi custos, significat Dominum Salvatorem: qui à Deo Patre Pontifex factus in æternum, secundum ordinem Melchisedech, veri templi, quod est Ecclesia, custos & inhabitator est, quod nomen Oniæ satis exprimere videtur. Interpretatur enim Onias dolor Domini, sive dolens Dominus. Et quis dolens Dominus meliùs dici potest, quam Redemptor noster? De quo per Isaiam dicitur: Vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum, despectum & novissimum virorum, & virum dolorum, & scientem infirmitatem*, &c.

Heliodorus exprimit Infideles.

Heliodorus autem invasor, aut spoliator ærarii Domini, Paganos, sive Judæos, sive etiam Hæreticos significat: qui sine reverentia Dei domus abuti, & in nefarium actum ea convertere volunt. Invadunt enim Pagani thesaurum Templi Dei, cùm fidem, ac cultum Dei, destruere conantur. Invadunt & Judæi, cùm religionem Christianam veteris legis cæremoniis confundere gestiunt. Invadunt etiam Hæretici, quando veritatem Evangelii, & sinceritatem legis Dei, falsis dogmatibus corrumpere gestiunt.

Eques Angelus Christum significat.

Sed, Onia orante, descendit eques terribilis, arma habens aurea. Ille videlicet, de quo Joannes in Apocalypsi sua scripsit, dicens: Vidi cælum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis, & verax: & cum justitia judicat, & pugnat. Oculi ejus flamma ignis: in capite ejus diademata multa. Habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersâ sanguine, & vocabatur nomen ejus Verbum Dei. Orantibus quidem membris Christi, succurrit ipse eis in auxilium, qui est via, veritas, & vita, ad debellandos inimicos, & ad terrendas pravorum præsumptiones.

Applicatur figura particulatim.

Cujus equus erat albus, quia nativitas ejus erat incorrupta. & vestis sanguinolenta, quia mors carnis ejus erat innoxia: ipseque terribilis, quia valde mirabilis atque judex justissimus est. Hic erat optimis operimentis adornatus, quia omnium virtutum decore splendet clarissimus. Cui arma erant aurea, quia opera ejus purissima. Ipsius enim dono habet Ecclesia scutum fidei, loricam justitiæ, galeam salutis, & gladium

gladium ſpiritûs, quod eſt verbum Dei. Quibus armis ipſe quotidie, in membris ſuis, pugnat contra hoſtes ſuos. Hic videlicet eques cum impetu priores calces Heliodoro eliſit; quia Incarnationis ejus Sacramentum omnes proſternit hoſtes, hoc eſt Paganos, Iudæos, Hæreticos: quatenus confuſi ab immanitate ſcelerum aliquando deſiſtant.

Duo Angeli Doctores utriuſque Teſtamenti adumbrant.

Illi ergo duo juvenes, qui cum ipſo equite apparuerunt, decori virtute, optimi gloriâ, ſpecioſiq; amictu, qui circumſteterunt Oniam (ſic ævo Rabani legebatur in Vulgata: ſed mendum erat, & rectè in omnibus exemplaribus Latinis habetur, *eum*, & in Græcia manifeſtè innuitur, ac retrotrahitur ex ſequenti membro) *ex utraque parte, & flagellabant ſine intermiſſione Heliodorum, multis plagis verberantes: ſignificant Doctores utriuſque Teſtamenti, qui circumſtantes Chriſti Incarnationem, virtute fidei ac bonorum operum decori, gloriâ miraculorum optimi, & amictu ſanctæ ſcientiæ & ſapientiæ ſpecioſiſſimi, variis temporibus exiſtentibus, prædicationibus ſuis verberant pravorum inſenſibilitatem, & ad terram decidere compellunt. Sicq; fiet, ut ille, qui ante Templum aggreſſus eſt ſuperbus, per correctionem diſciplinæ appareat invalidus: Quia non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum. Quia omnia, quæcumque voluit, fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis; & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati ejus: Dominus univerſorum ipſe eſt.*

Miſericordia Chriſti erga perſecutores.

Quod autem Onias, offerens hoſtiam ſalutarem, pro ſalute viri, ſalvavit ipſum Heliodorum multâ caligine circumfuſum, ſignificat, quòd miſericordia Redemptoris noſtri ſæpe ingratis & immeritis confert beneficium converſionis. Quatenus per ejus gratiam, qui ſemetipſum obtulit hoſtiam ſalutarem pro mundi peccatis, exuantur ab erroribus ſuis, & liberentur à poteſtate ſatanæ, cujus quondam nequitiâ captivati erant ad ipſius voluntatem; ut referant gratias Redemptori ſuo, & laudem ejus prædicent in univerſa terra.

Heliodorus imago D. Paulli converſi accommodatitio ſenſu.

Iſta ex Rabano ad verbum exſcribere non piguit; neque habeo, quod addam, niſi in Heliodoro mihi videri aliqua eſſe lineamenta Sauli, Eccleſiam naſcentem perſequentis, à Chriſto perculſi, cadentis, obcæcati, & caligine circumfuſi, inter manus pertracti, orando e luminati, nuntiantis omnibus magnalia Dei, & poteſtatem, teſtantiſque ea quæ ſub oculis viderat: denique ex ipſo nomine Heliodori, id eſt à Sole donati, aut Soli donati; quia eum Sol miſericordiæ illuſtravit, & luminis ſui antecurſorem, ac nuntium fecit, apud Gentes ſedentes in tenebris, & umbra mortis. Verè *hæc mutatio dexteræ Excelſi*, Pſal. 76. Mutationes formarum accidentalium, & ſubſtantialium quotidie natura parturit, & parit: ſed iſtæ transformationes à vitio ad virtutem, ab offensâ Dei ad gratiæ redintegrationem, ſupernaturales ſunt, à digito Dei, à dexterâ Excelſi.

Quis antè Saulus?

In mutatione omni tria ſpectari ſolent, terminus à quo; terminus ad quem; via, ſeu tranſitus, modúsve tranſeundi. Quis fuit Saulus? *ſcheol*, id eſt inferi: homo ab inferis emerſus, turbandæ Eccleſiæ. Chryſoſtomus expendens iſtud Lucæ Act. 9. *Saulus adhuc ſpirans* &c. *Adhuc*, inquit, *de homine dicitur, qui anteà multa mala operatus eſt. Quid ergo fecit? Quin tu potiùs dicas, quod malum non fecit? Sanguine implevit Ieruſalem, forum, domos.* Aug. ſerm. 10. de ver. Apoſt. *Nemo*, inquit, *acrior inter perſecutores: ergo nemo pejor inter peccatores.* Idem libro 1. ad Simpl. quæſt. 2. *Quàm tabida voluntas, quàm furioſa, quàm cæca in Paullo!* Nec Stephani ſanguine, neque Oniæ precibus, neque univerſæ Hieroſolymæ, id eſt Eccleſiæ ſupplicationibus, flectitur: Damaſcum anhelat ſaccus ſanguinis, cruore innoxio implendus.

Quis deinde Paullus?

Ex tali quid? *Avidus lupus* non magis literarum, quàm morum repentinâ converſione, fit *Divus Paulus*, ut anagrammatum textores advertêre. Auguſtinum audi in pſal. 72. *Ipſe primò Saulus, poſteà Paullus: primò ſuperbus, poſteà modicus*, &c. Audiamus ipſummet Paullum: *Vivo ego; jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* En vitalem, ſubſtantialem, divinam mutationem. Audiamus Chriſtum ipſum: *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum*, &c. nomen iſtud radioſum, & Sole ſplendidius, quo Paullus rutilet Solis inſtar, & totum illuminet mundum.

Quæ converſionis ratio.

Vis ejus mutationis ordinem ſcire? Terretur, labitur, cæcatur, *priùs proſternendus, poſteà erigendus: priùs percutiendus, poſteà ſanandus.* O quàm multis ad virtutem profuit adverſitas! Deinde Ananiæ commendatur, En Oniæ nomen, & officium: oratur pro Heliodoro, pro Paullo; viſum recipit, convaleſcit. O quàm multos oratio de peſſimis optimos fecit! Denique accipit cibum, & verſatur cum diſcipulis, ut fidem & virtutem firmet. O quanti eſt ad meliorem vitam reductis cibos vitales ſumere, cum probis converſari! Id non fecit Heliodorus, & periit: fecit Paullus, & ſe, aliosque perituros, ſervavit.

EXCURSUS

Ad cap. 3. *v.* 22. Invocabant Omnipotentem Deum.

De orando Deo.

SECTIO PRIMA.

Quanti sint apud Deum orationes pro aliis.

I. Orationes Deo gratissimæ.

SUPPLICES Oniæ, ac civitatis omnis Hierosolymitanæ, deprecationes ad Deum audivimus, in optimâ causâ, fine bono, convenientissimo modo, id est communibus vocibus, & concordibus animis, fusas. Locus hic erat de orando multa dicendi, ad tam illustre exemplum, tam desiderabili exitu clausum: nisi priore tomo ad caput tertium latè edisseruissemus. Superest tamen aliquid ibi perstrictum, ac promissum, hîc reddendum. Quàm gratæ Deo sunt orationes, tam nobis grata esse debet de illis tractatio. Apocal. 5. postquam Agnus, qui occisus est, dignus visus fuit aperire librum, & solvere septem signacula ejus, *viginti quatuor seniores*, nil habuêre, quod meliùs Deo & Agno offerrent, quàm orationes Sanctorum. *Ceciderunt* enim *coram Agno habentes singuli citharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*; caritate, fiduciâ, reverentiâ, pietate, aliisque virtutibus compositæ, velut ex variis odoribus suffimenta. Eumdem in modum cap. 8. postquam apertum fuit sigillum septimum, datur Angelo habenti thuribulum aureum, *incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum, super altare aureum, quod est ante thronum Dei.*

II. Efficacia orationum.

Quid autem censes? Eas Sanctorum orationes sic Deo acceptas esse, odorati suffitûs instar, ut fructus inde nullus reportetur? Ostendimus Excursu ad c. 3. lib. 1. sect. 1. indubitatâ fide certam esse precum nostrarum pro nobis efficaciam: eamque fidem à Christo rationibus tribus Joan. 16. stabilitam, his verbis: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem, in nomine meo, dabit vobis.* Primum promissio Christi tam aperta, deinde paterna Dei bonitas, denique merita Christi, postulatis nostris quibuscumque vim impetrandi tribuunt. Ex particula postrema ejus sententiæ restabat disputandum. An orationes nostræ, non pro nobis sed pro aliis factæ, infallibilem etiam habeant efficaciam. Id modò discutiemus: ac deinde ad aliam quæstionem transibimus, an cuivis Christiano, imò homini, orationes pro aliis sint, non modo consulta, sed etiam imperatæ, sive, an orare pro aliis sit res consilii, an præcepti?

III. Quinam negent efficaces pro aliis orationes?

D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 7. ad 2. existimat, orationem pro aliis vim impetrandi indubitatam non habere. Nam *pro se orare*, inquit, *ponitur tamquam conditio orationis, non quidem necessaria ad effectum merendi, sed sicut necessaria ad indeficientiam impetrandi.* Et ejusdem quæstionis art. 15. ad 2. *Ponuntur quatuor conditiones, quibus concurrentibus aliquis semper impetrat, quod petit: ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseveranter.* Hausit sententiam suam Doctor Angelicus ex Augustino, tract. 102. in Joannem, ubi, ad Christi verba modò adducta, dicit: *Ita sanè intelligendum est quod ait; Dabit vobis: ut ea beneficia significata sciantur his verbis, quæ ad eos, qui petunt, propriè pertinent. Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuscumque aliis: quia non utcumque dictum est dabit, sed dabit vobis.* Habemus itaque apertam D. Augustini sententiam, imò & ejus rationem. Cui tamen rationi responderi non incommodè possit: istâ voce, *vobis*, intelligendos eos, non quibus datur, sed quorum gratiâ datur quibuscumque. Ita Joabo, pro Absalone supplicanti, condonatum est à Davide: non tamen Joabo condonatum est, sed ejus gratiâ donatum est Absaloni. Estque ea loquendi formula linguis omnibus usitatissima, ut dicatur dari alicui, etiam quod pro se non postulat, sed pro alio.

IV. Scripturæ conformior est sententia affirmans.

Cùm ergo ratio, cui D. Augustini sententia innixa est, nil efficiat; non video, cur Christi oraculum non sit generatim explicandum de efficaciâ orationis cujuslibet, etiam pro aliis factæ. Præsertim quando, ut benè advertit Toletus ad eum Evangelii locum, ipse D. Joannes 1. cap. 5. hanc Christi promissionem explicans: *Hæc est*, inquit, *fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.* Quæ, generatim dicta de qualibet petitione, ad postulata pro se restringi non possunt, uti nec quæ subjiciuntur versu proximè sequenti: multò minùs ista versûs abinde secundi, *Qui scit fratrem suum peccatum peccare non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Ubi D. Joannes sic ratiocinari videtur à thesi ad hypothesin: Promissum est fore, ut exaudiamur orantes: oremus ergo pro fratribus peccantibus non ad mortem, & exaudiemur. Certè ut fuerit restricta Christi promissio Joan. 16. per particulam *vobis*: at Joan. 14. restricta non fuit: ubi citra ullum additamentum, aut exceptionem, *Quodcumque*, inquit, *petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Bis iisdem fermè verbis eamdem sententiam inculcat; ut dubitare non possimus, quin rem quamlibet, & quemlibet hominem, complectatur. Quod item non obscurè indicatum deprehendo in parabolis duabus, Lucæ 11. ad docendam in orando perseverantiam adhibitis. Vicinus vicinum pro

amico

amico hoſpite inſtanter interpellat: filius deinde à patre flagitat alimenta pro ſe. Tam ille impetrat pro amico, quàm pro ſe filius: ut doceamur, orationes tam pro aliis eſſe, quàm pro ſe, impetratorias. Ita intellexiſſe videtur Ambroſius lib. 7. in Lucam ad hanc ipſam parabolam. *Quòd ſi diligas Dominum Deum tuum, non ſolùm tibi, ſed etiam aliis, poteris emereri.*

V. Confirmatur experientia.

Orat Iſaac pro Abimelecho, Job pro amicis, Moſes pro populo, Onias & Hieroſolymitæ pro depoſitorum cuſtodia, Eccleſia ſine intermiſſione pro Petro captivo Act. 12. Non minùs exorant, quàm ſi pro ſemetipſis oràſſent. Ejuſmodi experimentis ſacræ Literæ plenæ ſunt. Jam ſi ad hiſtorias Eccleſiaſticas tranſeamus, vix ulla Sanctorum vita occurret, in quâ ejuſdem generis exempla non ſint. Unum ſolummodò, atque alterum, indico. D. Dominicum de efficaciâ orationem dicentem audierat Doctor Conradus: petit, ut pro ſe deprecetur Deum: fit, & mox ſaniore mente ad optima conſilia, id eſt Chriſtiana, converſus, vitam exegit religioſiſſimè. D. Eliſabetha Thuringia ephebum matronæ illuſtris, cultu vaniſſimo ſuperbientem, monuerat de luxu veſtium fugiendo: rogata ab ipſo, fermè per ludibrium, ut id ſibi à Deo impetraret, in eodem veſtigio genibus ſimul cum adoleſcente flexis, brevi ſic illum immutavit, ut alius omnino ab oratione ſurgeret, & poſt paucos dies D. Franciſci ſaccum, abjectis veſtium pompis, indueret. D. Catharina Genuenſis, tantæ in Deum fiduciæ, ut nihil non, quod oravit, exoràrit, audire ſolita quando ad aliquid petendum impellebatur, haſce à Deo intra ſe voces, *Præcipe, nam amori hoc licet.* Illa ergo, cùm maritus morti proximus acerbitatem dolorum non ferret, & impatientiâ abripi ſe fineret, ſolicita de ejus exitu, recepit ſe in conclave, & hiſce verbis aliquamdiu Deum deprecata eſt: *Amor*, ita Chriſtum appellare ſolita erat, *peto abs te hanc animam, precor dona eam mihi, potes enim dare.* Tum ex interiori animi quiete exauditam ſeſe intelligens, rediit ad maritum, eumque placidiſſimè dolores ferentem, & dolorum fines exſpectantem, invênit. Nuper Marcellus Maſtrillus, è Societate noſtra adoleſcens, cum ultro ſeſe, tempore quamvis incommodo, ad miniſtrandum ſacro obtuliſſet, à ſacerdote enixè Deo commendatus, ex illo ſenſit ſeſe ad altius communi virtute faſtigium evocari: quod, glorioſâ pro Chriſto apud Japonas morte, Martyr conſummavit.

VI. Cur aliquando ſint inefficaces?

At verò, inquis, quàm multi contra non impetravêre ſua pro aliis poſtulata? Idem dixero de poſtulatis pro ſe: idem de utroque petitionum genere reſpondero. Non exaudiuntur aliqui pro ſe, quia bona eorum oratio non eſt: bona autem non eſt, cujus materia non eſt ſalutaris, aut forma non conveniens, aut finis indecorus, aut orator malus: quemadmodùm ad caput 3. libri prioris digeſſimus. Eaſdem prorsùs ob cauſſas evenit, ut aliquando deprecatores pro aliis nihil obtineant. Sedecias pſeudopropheta pro Achabi incolumitate, & victoria, Deum quantum poteſt precetur, vacuus recedet, quia nequam. Moſes ſervus Domini, pugnante in Amalecitas populo Dei, orans brachia demittat, Iſraëlitæ fugabuntur: non quia brachia demittit, ſed quia id ſignum eſt languentis affectûs, & intercidentis perſeverantiæ. David Deo per pœnitentiam reconciliatus impenſè, & conſtanter, precetur pro ſalute filii, non obtinebit: quia res ipſi, aut puero, non erat ſalutaris, vel paterno potius affectu, quàm fine altiore, poſtulabatur.

VII. Pro peccatore non ſunt infallibiliter impetratoriæ.

Dabo autem, inquis, & alios optimos oratores, qui rem bonam, bonâ formâ, ac fine flagitârint, exauditi tamen non fuerint. Quid de Jeremiâ cenſes? Orat pro Judæis ne Babylonico Regi addicantur: ne Templum pereat, ne transferatur gloria ab Iſraël. Audit tamen c. 7. & c. 14. *Noli orare pro populo iſto.* Et cap. 15. diſertiſſimè: *Si ſteterit Moſes, & Samuel, coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Quis tibi vir Samuel videtur fuiſſe? Conſule tamen 1. Reg. 15. & 16. videbis, deprecationes ejus pro Saüle, & luctum perpetuum, à Deo nihil impetràſſe. Quid quòd Chriſtus ipſe hortum ingreſſurus Joan. 17. orat pro mundo, multi tamen homines damnati: pro iis, qui credituri ſunt per verbum Apoſtolorum, non omnes tamen Fideles electi: orat pro Apoſtolis, proditor tamen unus, & deſperat? Quænam alia iſti orationi conditio ad efficaciam defuit, quàm quòd pro aliis funderetur? Reſpondet Baſilius in reg. brev. reg. 261. aliquos non exaudiri petentes pro aliis, propter malitiam eorum pro quibus petunt. Quomodò igitur peccator pro ſe petens non exauditur neceſſariò: ita nec juſtus pro peccatore flagitans. Ipſe D. Thomas, qui aliam tamen quàm nos ſententiam amplexus fuiſſe videbatur, idem docet q. 83. art. 7. ad 2. *Quandoque oratio pro alio facta non impetrat, etiamſi fiat piè & perſeveranter, & de pertinentibus ad ſalutem: propter impedimentum, quod eſt ex parte ejus, pro quo oratur.*

VIII. Sunt tamen utiles.

Maneat itaque, orationes juſtorum pro juſtis vim habere indubitatam obtinendi. Pro peccatoribus autem, qui obicem gratiæ opponunt, non eſſe quidem infallibiliter efficaces, non tamen plerumque eſſe inutiles. Quorſum alioqui Onias pro Heliodoro, homine ſacrilego, divinam clementiam imploràſſet? Quorſum Eccleſia, & Sancti, toties pro peccatoribus, hæreticis, Paganis, Judæis Deo ſupplicarent? Quorſum Chriſtus pro crucifixoribus oràſſet, Stephanus pro lapidantibus? Quorſum D. Monica pro filio Auguſtino? Ecquis iſta D. Auguſtini verba centies non audivit, de Saulo perſecutore per Stephani orationem in Apoſtolum Paullum mutato: *ſi Stephanus non oràſſet, Eccleſia Paullum non haberet?* Quis iſta Chriſtiani ſacerdotis verba, de Monicæ lacrymis ac precibus pro Auguſtino convertendo, non audivit, *Impoſſibile eſt, ut filius tantarum lacrymarum pereat?* Itaque Auguſtinus ex peccatore juſtus, priſtini ſtatûs non immemor, meritò dixit lib. de Corrept. & gratia apud D. Thomam art. cit. ad 3. *Sicut nulli quamdiu hic vivit ſubtrahendum eſt correctionis beneficium, quia non poſſumus prædeſtinatos diſtinguere à reprobatis: ita etiam nulli denegandum eſt orationis ſuffragium.* De ſuperſtite nullo, quantumvis deſperatæ vitæ homine, deſperandum eſt: ergo pro nullo non orandus eſt is, à quo bona omnia ſperanda ſunt.

IX. Superiores orare pro ſubditis oportet.

En alteram quæſtionem; Utrùm oratio pro aliis non ſolùm efficax ſit, ſed imperata etiam, ac neceſſaria. Non quæro, illine, quibus aliorum cura commiſſa eſt, pro ſuis ſupplicare Deo interdum debeant. Hoc enim ſatis de ſe manifeſtum videatur. Sive enim curam ſpiritalem habeant, ſive corporalem; non aliunde, quàm à Deo, ſubſidia gubernandis animis, corporibuſve,

exspectare possunt: ab eo itaque petere debent omne datum optimum, & omne donum perfectum, subditosque ei suos commendare. Ob hanc rationem Samuel orationis fructus, ejusque efficaciam, antequam intelligere posset, expertus, sibi persuaserat, ita se populi judicem constitutum, ut pro populo simul esse deberet orator ad Deum. Expende totum caput 12. libri 1. Regum, nominatim ita Samuelis verba: *Absit à me hoc peccatum, ut cessem orare pro vobis*: postquam populus exclamârat, *Ora pro nobis Dominum.* Eandem ob caussam D. Paullus, cui gentium excolendarum cura extra ordinem à Christo data fuerat, sæpe in epistolis suis commemorat suam pro illis orandi consuetudinem. *Testis mihi est Deus*, inquit ad Romanos cap. 1. vers. 9. *cui servio in spiritu meo, in Evangelio filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* Vide & Phil. 1. 4. Thess. 1. 1. 2. Eph. 1. 16. Tim. 2. 1. 3. Philem. 4.

X. Præceptum pro aliis orandi.

Istos, quomodò ad curam pro subditis, ita & ad orationes pro iisdem, ratio administrandi rectè muneris obstrinxit. De illis igitur frustra quæsierimus. De Christianis omnibus, cujusvis gradus conditionisve sint, quæro, an pro aliis orare teneantur, & an hujusmodi preces etiam illud Christi respiciat, *Oportet semper orare?* Ab Apostolorum uno responsum accipimus Jac. 5. *Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* Quæ verba, opinor, pro consilio non accipiet, qui præcedentia sciet esse præcepti, *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Colligitur idem ex verbis Christi Matth. 5. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Ubi imperium esse, non consilium, patet ex imperativo loquendi modo; & ex eo quòd præcedentia verba, de dilectione inimicis exhibendâ, eisque in extremâ saltem necessitate benè faciendi, præceptum includant. Si autem orare pro inimicis jubemur, quantò magis pro amicis? Eam ob rem, ut ego quidem existimo, in iis precibus, *quas*, ut Augustinus loquitur tract. 7. in Joan. *composuit Jurisperitus cælestis*, Christianus orans non pro se tantùm petit, sed generatim pro omnibus. Neque enim dicit, *Pater mi, panem meum da mihi*; sed, *Pater noster, panem nostrum da nobis.* Advertit hoc pridem Cyprianus l. de orat. Domin. à Divo etiam Thoma adductus quæst. & art. suprà cit. ad 1. *Ideò non dicimus pater meus, sed noster; nec da mihi, sed da nobis: quia veritatis magister noluit privatim precem, ut scilicet quis pro se tantùm precetur.* Magistrum item suum imitata Ecclesia, in Litaniis solemnibus jubet nos dicere plurali numero, *Ora pro nobis, Miserere nobis.*

XI. Caritas obligat.

Quid autem ratiocinatione opus, ad probandum orandi pro invicem præceptum, quando habemus mandatum vetus, & novum, ut diligamus invicem? Id verò dilectionis mandatum non modò vetat, ne mali quidquam proximo inferamus; sed jubet, ut benè, quando occasio & necessitas feret, faciamus. Egeni, miseri, ægri, quàm multi sunt? Urget te caritas ad subveniendum, deest facultas: at potes Deum saltem orare, ut subveniat. Quàm multi sunt ubique divinis ad salutem præsidiis destituti? Docere non potes, non hortari, non monere, ne videre quidem: at potest Deus, quem tu potes orare. De necessitate pro nobis ipsis orandi; benè Auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus inter opera Augustini: *Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante venire: Nullum invitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari: Nullum, nisi orantem, auxilium promereri.* Idem de oratione pro aliis dixeris, plerorumque salutem inde æternis Providentiæ divinæ decretis esse suspensam.

XII. Oremus ipsi pro proximo.

Conficiamus igitur, quod in corpore articuli sæpiùs citati statuit D. Thomas. *Illud debemus orando petere, quod debemus desiderare. Desiderare autem debemus bona, non solum nobis, sed etiam aliis. Hoc enim pertinet ad rationem dilectionis, quam aliis debemus impendere. Et ideo caritas requirit, ut pro aliis oremus. Unde Chrysostomus dicit super Matthæum: Pro se orare necessitas cogit; pro altero autem, caritas fraternitatis hortatur. Dulcior autem ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam caritas fraternitatis commendat.* Dilatemus cor caritate, excitemus animum fiduciâ, accedamus ad Deum deprecatores assidui pro nobis, pro amicis, pro inimicis, pro notis, pro ignotis: Christiani Ecclesiam universam, homines humanum genus universum, gestemus in pectore, commendemus ore. Thesaurus infinitus est divina liberalitas: clavis thesauri istius est oratio. Sumamus inde pro nobis, pro quibuscumque aliis sumamus: *dat enim omnibus affluenter, & non improperat.* Fons est inexhaustus liberalitas divina: habebis abundè ex ejus scaturigine, unde sitim desideriorum tuorum exsaties, & aliis propines. *Non enim*, inquit Aug. serm. 17. de ver. Apost. *tu in accipiendo proficis, & ille in dando deficit. Quantumlibet capaces fauces, capacem ventrem afferas, fons vincit sitientem.*

XIII. Et pro nobis oretur.

Germanæ caritatis est, alios Deo commendare: sinceræ humilitatis est, aliorum orationibus sese commendatum velle. Illud faciet, qui proximum amabit: hoc faciet, qui proximum Deo carum existimabit. Si enim amicum Deo censeat, simul apud Deum precibus plurimùm posse judicabit; cùm non ignoret illud Jacobi, *Multùm enim valet deprecatio justi assidua.* Eam ob rem sanctissimi quique, de se vilissimè, de aliis optimè sentientes, alienis precibus enixissimè sua, & sese, commendare consueverunt: ut passim in eorum epistolis videre est. Unum pro omnibus adduco D. Paullum; qui licèt vas electionis esset, & in gratiâ confirmatus, neophytorum ac discipulorum suorum magister & Apostolus, tam sollicitè preces expostulat, ut vel nimis abjectè, vel nimis ambitiosè, humilis videri possit parum æquo censori. Omitto, quæ habet 2. Cor. 1. Phil. 1. & ad Philem. Sola expendo verba epistolæ ad Rom. c. 15. *Obsecro vos, fratres, per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, & per caritatem sancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæa* &c. Quod beneficium, gratiamve, magis suppliciter, & instantiùs, à mortalium ullo flagitâsse potuerat? Tanti scilicet esse judicavit sanctissimus gentium Doctor, communicare orationibus Sanctorum. Utinam, ô Deus, *particeps* sim & *ego omnium timentium te, & custodientium mandata tua!*

SECTIO SECUNDA.

Expenditur pretium orationis vocalis.

I. Duplex orationis genus.

VOCALEM orationem appello, preces ad Deum linguâ pronuntiatas, seu altâ voce, seu submissâ. Non enim hoc loco vocale sumimus

sumimus pro eo, quod validæ aut claræ vocis est, ut Latini loquuntur. Sic autem id orationis genus appellatur, ut ab ea distinguatur, quam Mentalem nominamus, estque triplicis generis gradúsve. In infimo consistit Meditatio: medium tenet Affectiva oratio: ad summum evasit Contemplatio. Illa divini aliquid attentè perpendit, discutitque ratiocinando: ut veritatis cognitione voluntatem aut à malo avocet, aut impellat ad bonum. Ista plus multò affectibus indulget, quàm ratiocinationi; & divinis laudibus, gratiis agendis, actibus adorationis, spei, caritatis, animum pascit, ac dilatat. Contemplatio autem, neque in affectibus eliciendis laborat, ut ista; nec veritatem inquirit, ut illa: sed in veritate jam inventa; & cognita, suaviter conquiescit, & sine contentione ac labore gustat, quàm suavis sit Dominus. *Meditatio*, inquit non malè Auctor libri de spiritu & anima cap. 32. *est occulta veritatis studiosa investigatio. Contemplatio, perspicuæ veritatis jucunda admiratio.*

II.
Commendatur.

Contemplationis magisterium ego quidem non accipio. Discipulus esse malim in ea arte; sed Dei, non hominum. Neque enim ab homine doceri debet, sed à Deo. Meditationis, ad quam Oratio affectiva spectat, præcepta multi & benè tradunt, faciliaque sunt; cùm nemo ratiocinans non aliquando meditetur. Usum necessarium esse putat Granatensis, initio tractatûs de Oratione; putatque inde mala ferme omnia oriri, *quod nemo sit, qui recogitet corde.* Ejusdem sententiæ erat Bellarminus. Hæc de Mentali oratione satis sint. de Vocali quidam, malè spirituales, ita philosophari feruntur; ut quidquam vetent postulari ab eo qui orat; &, quod capitalissimum est, vocalis orationis pretium quà possunt deprimant: Contra illos disputare animus non est: explodendi potius sunt, quàm disceptatione dignandi. Hoc solum ago, ut vocalis orationis usum, utilitatesque generatim primùm exponam; dein ejusdem in publicis necessitatibus usum pariter, & utilitates.

III.
Christus orationis magister.

Rogârant Christum discipuli, aut unus illorum omnium nomine, Luc. 11. ut ab eo docerentur orandi modum, rem homini maximè necessariam, quo supra se attollatur, & Deo conjungatur. Est enim Gregorio Nanzian. Orat. 11. *ἀνάβασις Ascensus, θέωσις Deificatio*: &, ut vulgo definimus, est *Elevatio mentis in Deum.* Eam artem discipulos suos Joannes θεοδίδακτος docuerat: cupiunt etiam audire à magistro Apostoli. Quid hîc ab divinissimo illo Doctore, Prophetarum illuminatore, Joannis ipsius magistro exspectemus? Aliquid forsan de oratione quietis, de somno spirituali, de volatu animi, de suspensione potentiarum, de mentis exstasi, de vulneribus cordis, de Transformatione Deifica, aliisque speciosis Theologiæ mysticæ vocabulis, non optimè plerumque intellectis, discere licebit. Aperire ergo dignetur os suum, & solvere linguam suam, nostri gratiâ, verbum Patris: attenti sumus, avidi desideramus, supplices obsecramus, oramusque, ut hoc ipsum, quod nunc agimus, agere meliùs doceamur.

IV.
Oratio vocalis à Christo commendata.

Respondet interrogantibus discipulis Christus: *Cum oratis, dicite.* Quid hoc ais, ô magistrorum summe? Istâne digna te lectio est? Arbitrabar futurum, ut cum Abrahamo nos in montem Moria, ad locum *Dominus videbit*, evocares: aut cum Mose in nubem induceres, ad interiora divinæ caliginis: aut cum Elia in curru igneo, cælestium affectuum ad sublime raperes. Quàm longè tamen ab excelsis illis cogitationibus jubes nos humi repere, & orantes dicere; id est non mentalem orationem, sed vocalem, cuilibet homini vel indoctissimo, & animalissimo, communem usurpare? Parce tamen, ô bone JESU, discipulo importunè lectionem tuam interpellanti. Nôsti ingenia nostra; sic sumus, præcipites affectu, curiosi intellectu, notorum negligentes, incognitorum appetentes, in ipsis virtutum exercitiis congenitæ nobis superbiæ difficulter immemores. Tu ergo, qui nôsti figmentum nostrum, ignosce, & perge in erudiendis Apostolis, & Apostolica Ecclesia.

V.
Ecclesiæ tradita.

Orantes, inquit, dicetis, *Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum &c.* Eam ipsam orationem Apostolis præscribit, quàm mater balbutienti puerulo, soror lallanti fraterculo, quotidie iterat. Ne autem quis existimet, nondum accepto Spiritu sancto id orationis genus Apostolis commendatum, post plenitudinem divini istius doni desitum: advertat, in divinissimo sacrificio, ubi sacerdos Dei minister ab initio ad finem usque non mentaliter orat, sed vocaliter, nunc clarâ voce, nunc submissâ, Orationem Dominicam recitari, præmissis istis verbis, *Oremus, præceptis salutaribus moniti.* Idque semper factitatum, ut ex omnibus liturgiis constat, paullò post Consecrationem, præsente in Eucharistia Christo; qui suam orandi formulam ab Ecclesia pronuntiatam recognoscens, interpellationes suas pro nobis ad Patrem precibus nostris conjungit.

VI.
Ab ipso, & à Sanctis, usurpata.

Quid jam, pretio vocalis orationis extollendo, non Christi solum doctrinam, sed etiam exemplum producam? Fuit sæpissimè pernoctans in oratione Dei, dies totos oravit, imò vitam totam, numquam tamen flagrantiùs, quàm ubi ad extremum vitæ actum accessit. Atqui tunc Orationes ejus vocales ferme perpetuas, sæpiùs certè iteratas, audimus. Ante ingressum in hortum orat Patrem pro iis, quos ipsi dederat, Joan. 17: in hortum ingressus pro se precatur, tertiò *eumdem sermonem dicens*: in Cruce clara voce Patrem pro inimicis interpellat; eidem pro se expostulationem fiduciæ plenam facit tam altè, ut à circumstantibus exaudiatur, psalmi reliquum demissiore sono peracturus: in ipsa morte exclamans, commendat spiritum in manus paternas. Quis adeo veræ virtutis, & sanæ pietatis ignarus sit, ut post tam diserta Verbi Divini documenta, tamque illustria exempla, vocalem orationem audeat aspernari? Frustra jam produxero D. Virginem, eximium pietatis exemplar, ad Elisabethæ gratulationes in Dei laudes clarâ voce erumpentem, & exultantem in Deo salutari suo, non spiritu dumtaxat, sed etiam linguâ. Frustra Mariam Prophetidem, cantantem Domino, quando gloriosè magnificatus, equum, & ascensorem projecerat in mare: Frustra Annam Samuelis matrem, cujus labia movebantur, etsi vox non audiebatur, quando pro puero isto deprecabatur Dominum: Frustra Zachariam Joannis patrem, recuperatæ loquelæ tributa solventem; Simeonem, dimitti cupientem; Ezechiam, pro recuperanda valetudine precantem; Christi proavum, psalmos pronuntiantem; Synagogam, eosdem repetentem; Ecclesiam, tum illis ubique terrarum personantem, tum hymnis aliis vocalibus, quos sanctissimi quique Patres & cantavêre, & cantandos præbuêre. Ne, quæso, sanctis

sanctiores,

sanctiores, ne Ecclesiâ illuminatiores, ne Christo sublimiores, ne Spiritu sancto magis spirnales esse velimus, ut vocalem orationem negligamus. Spernenda ista ooo est, etsi Mentalis magni facienda est.

VII. Affectum testatur & excitat.

At verò, inquis, isti inter precandum in voces erupêre ex intimo affectu: os ex abundantia cordis locutum est: scintillæ foras prosiliêre per verba, quia fornax ardebat in pectore: contineri non poterat mustum illud Spiritûs ac constringi, sine periculo. Ego autem quid loqnar, cujus anima sicut terra sine aqua coram Deo, & nauseat super oratione, sicut super cibo levissimo? Imò idcirco loquere ad Dominum, quia pulvis es, & aridus cinis: fac quod in te est, irrigabit ipse, quando minimè putabis, ariditatem tuam. Vocalis enim oratio non modò affectum prodit, & ostendit; sed etiam juvat, atque excitat. Experimur id sæpissimè, & insignis orandi magister Bernardus innuit serm. 18. in Cantica, ubi modum describit, quo Deus, animarum medicus, ægrum spiritalem curare assolet. Primùm, inquit, ulcus tangit ferro compunctionis. Deinde, vulnus lenit unguento devotionis. Tertiò, addit malagmata pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Quartò, bonorum operum cibos subministrat: noster enim cibus est, ut faciamus voluntatem ejus, qui misit nos. Quintò, cibus ille diluitur liquore Orationis, quæ est vinum Spiritûs irrigans actiones nostras. Ad extremum sequitur suavis in Deo quies, ut anima nostra in nocte Deum desideret, & in eum jucundâ contemplatione feratur.

VIII. Linguam Deo consecrat, & expiat.

Sed esto effectus iste ex Oratione vocali non existat, id saltem utilitatis percipies, ut *lingua* tua Deo se consecret, seséque expurget, & expiet. Quàm multa quotidie inquieto illo membro peccamus? *Universitas* enim est *iniquitatis, plena veneno mortifero, & inflamat rotam nativitatis nostra, inflamata à gehenna*, ut Jacobus cap. 3. scribit. Vel miserum epulonem in flamis attende. Non petit, ut refrigeretur stomachus suus: ardebat tamen, & meritò, quandoquidem, jejuno Lazaro, epulatus fuerat quotidie splendidè. Non petit, ut refrigerentur manus, & pedes: ardebant tamen, neque immeritò, cùm illæ ad accipiendum porrectæ, ad dandum remissæ fuissent; hi veloces ad malum cucurrissent. Non petit, ut refrigeretur caput: ustulabatur tamen & illud, neque immeritò, cùm elatum incessisset, &, quidquid infra purpuram & byssum erat, despexisset. Hoc solum flagitat, ut refrigeretur lingua, quæ maximè omnium cruciabatur; quia plurimùm peccârat, ut D. Gregorius notavit Pastoralis parte 3. Refrigeremus nos tempori linguam nostram aquâ Orationis, emundemusque illam sacrarum precum pronuntiatione; ut ignis futurus nihil, aut parùm in illa inveniat decoquendum. *Exultabunt*, ô Domine, *labia mea cum cantavero tibi, & anima mea, quam redemisti.* Non anima sola exultabit, nec labia sola, sed labia simul & anima. *Cor meum, & caro mea exultabant in Deum vivum*: cor, inquam, simul, & caro. *Psallam spiritu, psallam & mente*; mens cogitationes fovebit, & affectus eliciet: os aperietur, & spiritum attrahet, ac depromet.

IX. Ejusdem usus in publicis precibus.

Cùm autem in privatis precationibus admodùm utilis sit vocalis oratio, tum maximè in publicis, ubi multi conveniunt pariter oraturi, & gratam Deo vim facturi. Sic Onias & Hierosolymitæ, in publico violandi Templi periculo, supplicibus gestibus, ac vocibus, *invocabant omnipotentem Deum.* Ita Judas Machabæus, ac fratres 1. libri cap. 3. ubi nos ad vers. 50. quædam huic loco apta protulimus. Ita Ezechias 4. Reg. 19. Ita Josaphath 2. Paral. 20. Ita Asa 2. Paral. 14. Ita Salomon 3. Regum 8. Ita David inter funera pro populo deprecans 2. Reg. ult. Ita Synagoga universa, quotiescumque mali aliquid avertendum fuit, aut bonum publicè impetrandum. Eumdem in modum Ecclesia in cœtibus omnibus orari voluit, jam inde ab Apostolorum temporibus. Cujus rei testem irrefragabilem habemus D. Paullum 1. Tim. 2. ubi obsecrat, *primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus*: nominatim *pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam ac tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & castitate.* En publicarum orationum usum, modum, finem.

X. Juvat fervorem & attentionem.

Ratio cur voce orationes fiant, in communibus istiusmodi necessitatibus, duplex est: prima, ut eò attentiùs fiant; altera, ut eò ferventiùs, majorique affectu. Multum autem valet ad efficaciam impetrandi, si attentè oretur, & cum affectu, ut diximus Excursu ad cap. 3. sect. ult. Atqui animi ardorem simul, & attentionem, publicis precibus clarâ voce recitatis excitari, quotusquisque vel maximè vagorum, ac frigidorum, non expertus? Ezechia in Templum ingresso, & expansis coram Deo sacrilegis hostium literis, clarè orante, quis adstantium se moveri non sensit? Quis Hipponensium adeò durus fuit, ut ad pietatis sensum non molliretur, Augustino orationem, Vandalicæ obsidionis tempore compositam, publicè recitante? Jam quando Ecclesia tenerrimas suas, plenasque affectûs precationes, de pace, de bello, de concordia Principum, aut canit, aut dicit, nonne desiderium simul, ac fiducia in audientium mentibus evigilant? Caussas distractionum, & frigoris, in oratione aliàs attigimus. Frequentissima ferè est, cogitationum inópia: tunc enim intellectus, viatoris errantis instar, quod iter ingrediendum sit, ignorat, & per varia velut diverticula dissipatur: voluntas verò, sicut ignis alimento materiaque deficiente, refrigescit, & extinguitur. Utrique malo medetur publica oratio: & intellectui suggerit, quid cogitet; & voluntati dat fomitem, quo accendatur.

XI. Non est multiloquium.

Frustra jam homines nescio qui, nimis spirituales, objiciant orationi vocali, damnatum esse à Christo multiloquium in orando, Matt. cap. 6. Aliud enim longè est, multum voce orare, aliud multum loqui. Ille multum loquitur, qui verba sensus inania, & sine animo multiplicat. Ille multum orat, qui linguæ jungit cogitationem, & affectum. Ita Augustinus epist. 121. de orando Deo ad Probam, postquam dixit, *istud negotium orandi, plerumque plus gemitibus, quam sermonibus agi; plus fletu, quam affatu*: ne quis inde occasionem caperet negligendarum orationum vocalium, easque multiloquii accusaret; *non est*, inquit, *orare in multiloquio, si diutius oretur. aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus.* Damnandus alioqui foret multiloquii Daniel, pro peccatis suis ac populi Judaici Deum fusè deprecatus, eademque sæpe iterans cap. 9. Damnandi tres ejus socii, post Dei laudes in flamis decantatas, eodem fine modoque orantes, Dan. cap. 3. Damnandi Judæi omnes apud Baruc prophetam cap. 2. & 3. simili formâ precantes. Damnanda

Ecclesia

Ecclesia universa, & quos pro orationis vocalis usu adduximus. Multiloquus inter homines vocandus est, qui ineptè, etsi non multa, quemadmodum Eliu inter Jobi amicos, loquitur. Quisquis autem quantumvis multa dicit, sed aptè, & in tempore, quomodò Jobus, ille multiloquus non est. Peccat multiloquio ad Deum, qui malè orat, quamvis breviter: non autem, qui prolixè, sed benè.

XII. *Etiamsi non intelligatur.*

Audio submurmurantem idiotam: At ego quem in modum in publicis orationibus attentus esse possim, qui Latinè non intelligo? Faciamus te etiam surdum esse, ut neque audias. Audire nihilominus potes Dei vocem, te intus in corde ad Ecclesiæ exemplum sequendum excitantis: & hoc ad pietatem satis est. Intelligere potes finem, cur publicè oretur, eique præsentiam tuam aut desiderium saltem accommodare: & hoc ad attentionem satis est. Quæso te, reus qui cum patrono stat apud Judicem, mutus illo loquente, neque intelligens verborum, ac sententiarum, ex Juris scientia depromptarum, nonne statu ipso suo, ac præsentiâ, Judicem orat? Egenus quispiam libellum supplicem peregrinâ linguâ, nec sibi cognitâ, porrigens Principi, aut per interpretem aliquid ab eo postulans, eum non precatur? Ita Deum, omnia providentem & intelligentem, orat idiota, voce Ecclesiæ, verbis sacerdotum, libellis supplicibus Ecclesiasticorum: si modò animum suum, ac desiderium illis conjungit, multò magis si non mente solùm, sed & corpore præsens est, statuque suo se præsentiâ ratum habet, quidquid tum ejus nomine, tum cæterorum communiter profertur.

XIII. *Etiamsi variis cogitationibus distrahatur.*

At verò, inquiet alius quilibet, hoc mihi ab Oratione vocali incommodum est, quod sine attentione transcurro, & finem non rarò teneo, vix sciens quà illuc pervenerim: sive ego ipse pronuntiem, seu pronuntiantibus auscultem. Huic incommodo quemadmodùm occurratur, diximus breviter Excursu ad lib. 1. c. 3. sect. ult. num. 4. Addo nunc remedia duo, à Patriarcharum duorum exemplis petita, filio, ac patre. Genesis cap. 24. Isaac dicitur *egressus ad meditandum* vespertino tempore, id est, interprete Chaldæo paraphraste, ut oraret: unde non abludunt 70. cùm dicunt, ipsum egressum ἀδολεσχῆσαι, quod exercitationem jucundam significat; & meridie quidem, seu paullò post meridiem, ut ardor animi, ad orandum sese componentis, indicetur. Maximè ad rem nostram facit, quod exercitatio illa, meditatioque, & oratio facta sit, uti ex versu 62. habetur, *ad puteum Viventis & Videntis*. Vis, ô Isaace, ô Fili Dei, inter orandum mente non distrahi? Ora *ad puteum Videntis, & Viventis*: fide seriò apprehende Dei præsentiam, ut te *Viventis*, te semper *Videntis*, & tunc hauri abundè de inexhausto puteo divinæ bonitatis. Facio hoc, inquis, neque umquam orare incipio, quin prius de Patre cogitem, qui est in cælis, & ubique: manent tamen, aut recurrunt identidem importunæ cogitationes de rebus meis, aut alienis. Sequere ergo Abrahami exemplum. Gen. 15. sacrificium apparat jussu divino, nobilissimum adorationis genus: dissectis hostiis, *descenderunt volucres super cadavera, & abigebat eas Abram*: orare itaque non poterat, advolantium avium assiduâ importunitate distractus. Placuit nihilominus Deo interpellata oratio; soporque magnus, sive exstasis, irruit super Abrahamum, & longè futura ipsi ostensa sunt. Si distractiones oranti non placent, Deo placet oratio; & periode efficax est, ut si citra distractionem ullam peragatur.

SECTIO TERTIA.

Orationis fidissima comes eleëmosyna.

I. *Jejunium & eleëmosyna, Orationis subsidia.*

ONIAS & Judæi invocant omnipotentem pro caussa misericordiæ: agebatur de depositis viduarum, de victu orphanorum, de vita pauperum. Ea me res admonet, ut de orationis comite eleëmosyna quidpiam concer. Tobiæ cap. 12. Angelus dicit, *Bona est oratio, cum jejunio, & eleëmosyna*. Cujus sententiæ is quidem sensus esse potest, ut tria illa opera, etiam separatim Deo oblata, bona sint: sic tamen passim à Theologis, ac Patribus fermè omnibus, sumitur, ut de trium operum conjunctione utilissimâ, & Deo gratissimâ, intelligatur. Bona quidem est oratio ex se, & sola; at jejunio, & eleëmosynæ conjuncta, optima est. Oratio viator est ad Deum proficiscens: comites binos adsciscat, Jejunium & Eleemosynam. Luctator est cum Deo ipso, ut Jacob: brachia luctantis sint Eleëmosyna & Jejunium. Sagitta est, quæ ex intento humani cordis arcu in Dei pectus dirigitur: ejus pennæ duæ sint, Jejunium & Eleëmosyna. Holocaustum est suavissimi odoris Domino, quo anima ipsi, & corpus, offertur: ut holocaustum plenum sit, & simul bona aliqua externa Deo offerantur, accedat Jejunium & Eleemosyna. Est thymiama divinæ compositionis, ante Sanctum Sanctorum arsurum: ut eò suaveolentius sit, misceatur thuri myrrha, & balsamum, Jejuniumque & Eleëmosyna. Moscho aptissimè jungi succinum, sit hac ipsa occasione Ludovicus Granatensis, adde & zibethum, ut tribus illis fiant *odoramenta*, id est *orationes sanctorum*.

II. *Cur jejunium orationi jungatur?*

Rationes autem, cur jejunium aptissimè cum oratione societur, hæ præcipuæ sunt: quòd per illud anima disponatur, ut meliùs assurgat in Deum, onere carnis ac ciborum libera: quòd illo corpus subjiciatur spiritui, & obedire doceatur: quòd per illud Dei justitiæ satisfiat, & removeantur obices divinæ liberalitatis, & misericordiæ. Itaque sæpissimè legimus, Israëlitas, jejunio precibus conjuncto, pacem victoriasque insperatas cælitùs impetrâsse. Et sanctissimi quique, ubi de rebus magnis Deo commendandis agebatur, jejonium addidêre orationi. Lucæ 2. *Anna* Phanuelis filia, exspectans cum Simeone consolationem Israel, *non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens Deo, die ac nocte.* Gregorius VIII. Pontifex Maximus, apud Baron. an. 1187. audito, captam à Saladino Hierosolymam, cùm de prædicatione Crucis, seu Belli sacri, indicenda cogitaret, imperavit jejunia quædam Christianis omnibus; suis verò Clericis, & sibi, longè plura. Tertullianus, libro de Jejunio, id ipsum à cæcis Ethnicis agnitum, & factitatum affirmat: *Cùm stupet cælum & aret annus, nudipedalia denuntiantur, magistratus purpuras ponunt, fasces retrò avertunt... In aperto aliquando precem ad Deum mittunt: & licèt cultu & ornatu mœroris manus infament, fidem tamen abstinentiæ affectant, & stella auctoritatem demorantur suspirant.* De Jejunii apud Deum efficacia ad impetrandum, consulere poteris Mendozam tomo 2. Ann. 27. sectionibus duabus, præcipuè secundâ.

Eædem,

III. Cur Eleemosyna?

Eædem, imò illis graviores, causæ sunt, cur eleemosyna orationi convenientissimè jungatur. Liberat enim animam nimio terrenarum rerum affectu prægravante, & ad infima deprimente, atque impediente ne elevetur in cælum. Præterea offert Deo caritatis opus longè gratissimum, provocatque misericordiâ Dei misericordiam: ut audiatur, qui audivit; accipiat, qui dedit; & mensurâ, quâ mensus fuit, remetiatur. Denique, pro pœna peccatorum satisfacit, seu, ut loquitur Spiritus S. per Danielem cap. 4. redimit peccata, & iniquitates: adeoque tum publicis calamitatibus, quæ ob peccata semper infliguntur, utilissimè adhibetur; tum etiam privatis, ubi sæpe Deus propter iniquitatem corripit hominem. Hanc potissimùm rationem commendavit Angelus Tobiæ. Postquam enim dixit, *Bona est oratio, cum jejunio, & eleemosyna magis, quàm thesauros auri recondere*: subjicit: *Quoniam eleemosyna a morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam.*

IV. Profunt duo potissimum opera Misericordiæ.

Sed cùm eleemosynarum sive operum Misericordiæ genera duo sint, Spiritualium ut vocamus, & Corporalium: & in utroque genere species septem vulgò notæ, & à Christi Fidelibus, ubi occasio est, frequentari solitæ numerentur: ex iis potissimùm duas selegit Augustinus, quas orationi adjungeret, spiritualem unam; corporalem alteram. *Hæ sunt*, inquit serm. 58. de diversis, *duæ alæ orationis, quibus quisque volat ad Deum: si illud, quod committitur, ignoscit delinquenti; & donat egenti.* Angelus est oratio, & nuntius noster ad Deum: Raphael est, medicus animarum nostrarum & corporum, malorum depulsor, custos & conquisitor bonorum, individuusque peregrinationis nostræ socius: ut subvolet in cælum, alas geminas habeat, Mansuetudinem, & Liberalitatem; parcat inimicis, dispergat & det pauperibus. Sic itinera dirigentur, monstra domabuntur, dæmon alligabitur, fellis amaritudo in medicamentum vertetur; cæcitas, pauperies, tristitia depelletur; futuræ fælicitatis in temporali pace prægustus, cum utroque Tobia, capietur.

V. Vult Deus condonari offensas ante orandum.

Prima comes orationi necessaria est: altera inprimis congrua. *Sicut enim*, inquit Isidorus lib. 3. sententiarum cap. 7. sent. 24. *nullum proficit in vulnere medicamentum, si adhuc ferrum in eo sit: ita nihil proficit oratio illius, cujus adhuc dolor in mente, vel odium manet in pectore.* Cur autem non prodest? Duplici de caussa: unâ, ex Dei voluntate; alterâ, ex nostra ipsorum. Voluntatem Dei nobis apertissimè manifestavit ejus filius Matth. 5. cùm relinqui jussit munus ad altare, ut iretur reconciliatio cum fratre. Idem nobis indicârat eleganti similitudine Legislator, Levit. 2. ubi mel, & fermentum, ab omni prorsus sacrificio proscribit. Non quòd mel, apicularum opus, malum sit: sed quia bilem auget, iræque aculeatæ symbolum est. Et quia ejus opifices apiculæ, ingeniosissimæ quidem sunt, at etiam maximè iracundæ, adeoque vindictæ amantes, ut animas in vulnere ponant. Fermentum item salubre quidem, ac sapidum est: sed ejus acore, & calore, exacerbati animi motus significantur; vulgòque dicimus, in fermento esse hominem, qui irâ efferbuit, odiumve & vindictam coquit. Abscedant ab altari Domini, orare non audeant, aut precationis fructum non sperent, quibus talis animus est. Nam, *qui declinat aures suas, ne audiat legem*, nominatim eam legem mansuetudinis, *oratio ejus erit execrabilis*, Prov. cap. 16. Ut Deus non edixisset, naturæ ipsius lumen legem sanxerat. *Quid enim est ad pacem Dei accedere, sine pace? Ad remissionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit patrem, iratus in fratrem?* Ita ratiocinatur Tertullianus libro de Oratione. Ismael, cujus manus contra omnes, etiam contra Isaacum fratrem, quâ fronte audeat ab Abrahamo veniam petere, aut gratiam, antequam Isaaco reconcilietur? Quid Nephtali, & Gad, & Aser, & Zabulon, aliique fratres, a Jacobo expetant, quamdiu sciuntur cum Josepho simultates exercere? Absalon, Ammonis hostis, à Davide communi parente beneficium promereri non potest, donec vel odium posuerit, vel posuisse simularit. Apud Deum verò simulatio locum non habet: *Oratio*, ut idem Tertullianus loquitur libro de Exhort. Cast. *de conscientia procedit: si conscientia erubescat, erubescit oratio.* Si mens iræ tumultu, & odii rancore, plena est, oratio tumultuosa & odiosa est.

VI. Eamdem nobis legem sancimus.

Præterquam quòd nos eam ipsi nobis legem dicimus, ut nihil impetremus à Deo, si debitoribus nostris non dimittimus. Probare illud elegantiori sententia, & verbis vehementioribus, quàm D. Augustini non possim Tract. . in Joannem: *Utere precibus, quas tibi composuit Iurisperitus cælestis. Qui enim habent caussam, & volunt supplicare Imperatori, quærunt aliquem scholasticum Jurisperitum, à quo sibi preces componantur: ne fortè, si aliter petierint, quam oportet, non solum non impetrent quod petunt, sed & pœnam pro beneficio consequantur. Cùm ergo quærerent supplicare Apostoli, & non invenirent, quomodo adirent Imperatorem Deum, dixerunt Christo, Domine doce nos orare. hoc est, Iurisperite noster, assessor noster, imò consessor, compone nobis preces. Et docuit Dominus de libro juris cælestis, docuit quomodò orarent: & in ipso, quod docuit, posuit quamdam conditionem, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris... Quid facturus es, si mentitus fueris in precibus? Non, quomodò dicitur in foro, carebis beneficio rescripti, sed nec rescriptum impetrabis. Iuris enim forensis est, ut, qui in precibus mentitus fuerit, non illi prosit, quod impetravit.* Juris autem cælestis est, ex ipsa conditione à nobis apposita, ut nihil impetret, qui mentitur in precibus. Mentitur autem, qui ait à se dimitti debitoribus, cum alia omnia cogitet.

VII. Levandæ per eleemosynam manus in oratione.

Adscitâ in comitem mansuetudine, advocet simul Orator Christianus liberalitatem erga pauperes, memor Centurionis illius Act. 10. cui Angelus dixit, *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ, ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Consuevêre ejus exemplo multi ante orandum, præsertim si res gravis Deo commendanda est, eleemosynam præparationis instar præmittere. Atque in hunc finem forsan ad templorum portas mendici, stipem postulaturi, jam olim sedere soliti sunt, ut ex Actis Apostolorum cap. 3. colligitur. Soliti item aliquando templum obire, & solicitare orantes. Quod licèt multi prohibent, Genebrardus non improbabat, aiebatque, quando inter orandum stipem largiebatur, distractiones suas esse oratione meliores. Alii, si ante orandum egenus non occurrit, seponunt, quod opportunè largiantur. Videaturque id consilium Divorum esse Pauli, & Chrysostomi, hom. 49. in 1. ad Corinthios de seponenda eleemosyna pro pauperibus, *unâ sabbathorum*, id est Dominica die, quando maximè orandum est.

est. Simile quidpiam indicatum voluit Isidorus lib. 3. sententiarum cap. 7. sent. 28. cùm dixit *Oratione operatio, & operatione fulcitur oratio. Vnde etiam Hieremias dicit, Levemus corda nostra cum manibus ad Deum. Cor enim cum manibus levat, qui orationem cum operatione sublevat.* Eâdem sententiâ utitur Gregorius Magnus verbis istis Hieremiæ ex cap. Thren. 3. Applicatque eidem verba Psalmistæ psal. 35. *In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis*, id est eleemosynâ. Item illud psalmi 142. *Expandi manus meas ad te. Quid est*, inquit, *manus ad Deum expandere, nisi orationem ad Omnipotentem levare? Denique ille manus suo contrahit, qui indigenti nihil tribuit, qui vocem pauperis non exaudit. Hinc quidam Sapiens* (Eccl. 4.) *admonet dicens, Non sit manus tua ad dandum contracta, & ad accipiendum porrecta.* Ita ipse in eum psalmi locum.

VIII. Rationes à Cypriano congestæ.

Luculentissimè ad hoc argumentum scripsit Cyprianus libris de Oratione Dominica, & de opere & eleemosyna. Illic hæc habet: *Orantes, non infructuosis, nec nudis precibus ad Deum veniant: inefficax petitio est, cùm precatur Deum sterilis oratio. Nam cùm omnis arbor non faciens fructum excidatur, & in ignem mittatur: utique & sermo, non habens fructum, promereri Deum non potest, qui nulla est operatione fœcundus. Et ideò Scriptura instruit dicens: Bona est oratio, cum jejunio & eleemosyna. Nam qui in die judicii præmium pro operibus, & eleemosynis redditurus est: hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor est.* Hic verò, post adductam cohortationem Isaiæ cap. 58. de invocando Deo post fractum esurienti panem, sic loquitur: *Remedia propitiando Deo ipsius Dei verbis data sunt. quid deberent facere peccantes magisteria divina docuerunt, operationibus justis Deo satisfieri, misericordiæ meritis peccata purgari:* Prolatâ deinde Salomonis sententiâ, aut Siracidæ potius, Eccl. 29. *Conclude eleëmosynam in corde pauperis, & ipsa exorabit pro te ab omni malo*: & illis Prov. 21. *Qui obturat aures, ne audiat imbecillum, & ipse invocabit Deum, & non erit qui exaudiat eum*, quæ verba paullò aliter, eâdem sententiâ, nunc legimus: *Neque enim*, inquit, *promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit: aut impetrabit de divina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus.* Tum sententiam psal. 40. adducit, *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*: & consilium à Daniele Nabuchodonosori, ob somnia æstuanti, datum, *cui Rex non obtemperans adversa, quæ viderat, & infesta, perpessus est: quæ evaderet, & vitare potuisset, si peccata eleemosynis redemisset.* Denique Raphaëlis Angeli ad Tobiam verbis allatis: *Ostendit orationes nostras, ac jejunia, minùs posse, nisi eleëmosynis adjuventur. Deprecationes nostras parum ad impetrandum valere, nisi factorum & operum accessione fulciantur. Manifestat Angelus, & firmat, eleemosynis petitiones nostras efficaces fieri, eleëmosynis vitam de periculis redimi, eleemosynis à morte animas liberari.*

IX. Etiam malis temporibus non desinendæ eleemosynæ.

Tam gravi tanti Doctoris exhortationi, tam solidis ex verbo Dei argumentis ac testimoniis munitæ, nihil est quod addamus: nisi ut objectioni, quam avaritia aut pusillanimitas formare potest, respondeamus. Tempora, inquit, ea nunc sunt, ut quisque suis indigeat, aut propediem opus sit habiturus. Vix à vastitate per hostes illata respiravimus; famem fermè adhuc sentimus, in januis est paupertas, & necessitas. O modicæ fidei homines, Basilium & Augustinum audite, si Cypriani eloquentia non satis persuasit. Ille Oratione de fame, postquam diviti dixit, *Deus te, ô dives, orantem non audit: quid mirum? nec tu audis orantem pauperem*: conversâ ad quosvis oratione, hortatur, etsi ad magnam egestatem in tanta annonæ inopia devenissent, ne tamen desinant eleemosynas elargiri. Imò, si quis pauxillum frumenti habeat, & panem unum, det panem indigenti, fidenterque dicat Christo, *Ecce, Christe, consilium tuum necessitati meæ antepono: confidens fere, ut promissis tuis stes, & eleëmosynarium non deseras.* Quid, Basilium in eo articulo audiens, dictura eret humana prudentia, & solicita pusillanimitas?

X. Augustini consilium.

Occasione non multum absimili, simile quid Hipponensibus suis Augustinus suadet epist. 138. datâ cùm Vandali Africam vastarent. *Nuntiatum est mihi, quòd morem vestrum de vestiendis pauperibus fueritis obliti, ad quam misericordiam, cùm præsens essem, vos exhortatus sum. Et nunc exhortor, ne vos vincat, & pigros faciat, contritio hujus mundi, cui talia videtis accidere, qualia Dominus & Redemptor noster, qui mentiri non potest, ventura prædixit. Non solùm ergo non debetis minùs facere opera misericordiæ: sed etiam debetis ampliùs, quàm soletis. Sicut enim ad loca munitiora festinantiùs migrant, qui ruinam domûs vident contritis parietibus imminere: sic corda Christiana quantò magis sentiunt hujus mundi ruinam, crebrescentibus tribulationibus, propinquare: tantò magis debent bona, quæ in terra recondere disponebant, in thesaurum cælestem impigrâ celeritate transferre: ut si aliquis humanus casus acciderit, gaudeat qui de loco ruinoso migravit. Si autem nihil tale fuerit subsecutum, non contristetur, qui quandoque moriturus immortali Domino, ad quem venturus est, bona propria commendavit.* De temporibus suis loquitur Augustinus, an de nostris, in quibus jam tot annos *surgit gens contra gentem, & regnum adversùs regnum*, aliaque undique mala, ruituri mundi prænuntia, incumbunt? Festinemus itaque supellectilem, & impedimenta, de ruituris ædibus in æternam domum transferre, manibus pauperum, & vehiculo caritatis. Sic dicebamus, quando nondum seriò de pace tractabatur.

XI. Eleëmosyna spiritalis optima.

Admittamus tamèn, si lubet, excusationes temporis, prudentiæ, parsimoniæ: adjungamus & paupertatem; faciamus ne habere quidem te, quod pauperibus dones. Sed nihilne est, quod condones? Offendit te nemo? Nemo iræ, impatientiæ, ægrimoniæ, invidiæ materiam dedit? Parce, obliviscere, ut ma, ne incomitata ad Deum veniat oratio. Dixerat Augustinus in psalmum 150. ad plebem disserens, ea psalmi verba, *Qui posuit fines tuos pacem.* Suspiravêre, & exclamavêre auditores, in quorum vicinia Vandalici litui personare incipiebant. Eâ occasione usus Augustinus, illos ad pacem in omnibus sectandam, & diligendam hortatus est, *in domo, in negotiis, in uxoribus, in filiis, in servis, in amicis, in inimicis.* Volumus à Deo pacem nobis, pacem Ecclesiæ impetrare? Eam nobis ipsi, & aliis, demus, abdicatis inimicitiis, simultatibus exclusis, extinctis odiis, sepultis factionibus. Caussationem inopiæ, aut temporum, admitto; ut liberalitatem in egenos restringas. At à dimittendarum offensarum commendatissimâ misericordiâ, quis te rerum, aut temporum, status excuset?

L SECTIO

SECTIO QUARTA.

Orationis comes alter jejunium.

I. Jejunii apud Deum potentia.

JEJUNIUM orationis ſocium eſſe dicebamus num. 2. ſectionis proximè præcedentis. Illo enim mentem, corporeæ ſaginæ ſarcinâ liberiorem, faciliùs in Deum elevari: præterquam quòd, afflictatione corporis placatus Deus poſtulata procliviùs ſupplicibus largiatur. Eas ob cauſſas jam olim ſanctiſſimos quoſque, beneficiis à Deo impetrandis, jejunia obtuliſſe: quod multis è ſacræ Scripturæ hiſtoriis diſertè probat Tertullianus lib. de Jejuniis, oſtenditque, illis divinitus obtentam, *non modò naturæ mutationem, aut periculorum averſionem, aut delictorum obliterationem, verùm etiam ſacramentorum*, id eſt arcanorum cæleſtium, ut Moſi, Eliæ, Danieli contigit, *agnitionem*. Tantæ denique apud Deum gratiæ eſſe atque efficacitatis, ut *Sodoma quoque & Gomorrha . . evaſiſſent, ſi jejunaſſent.*

II. Sempérne orationi conjungendum?

Quid autem, inquis, faciamus, quando tempus orandi eſt, non tempus jejunandi? Nam qui edixit, *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*; idem non dixit, Oportet ſemper jejunare: neque ipſemet ſemper jejunavit, qui ſemper oravit. Nec verò omnibus ſanitas, aut vires ad jejunia ſuppetunt, quibus ad orationes ſufficiunt. Sunt ætates, & valetudines, à quamvis ſeveræ jejunandi lege, conſuetudinéve, immunes: à precandi Numinis neceſſitate liberæ ſunt nullæ. In regionibus quibuſdam, iis præſertim quæ ad Orientem vergunt, abſtinere à cibo facilius multo ac vulgatius eſt, quàm inter populos Septentrionibus propinquiores: at nullis non regionibus æquè commendatus eſt orationis uſus, quia pariter omnes auxilii divini præſentiâ indigent. Quid ergo agamus, quando orare oportet, jejunare vel per imbecillitatem non licet, vel per occupationes non expedit, vel per mores non decet?

III. Jejunii materia.

Rationem oſtendo, ac viam, quâ, citra jejunium, quaſi jejunare tamen quilibet poſſit, & comitem orationi addere jejunio parem. Duo enim in hoc ſpectanda ſunt; materia, & forma ſeu finis: id eſt, quid quis ſibi, quantúmve alimentorum ſubtrahat; & cui iſtod bono, cauſſáve faciat. Gregorius lib. 30. Mor. cap. 13. gulæ ſpecies quinque enumerat, exemplisque è Scriptura petitis oſtendit: ſi tempus prævenitur; ſi lautiores cibi petuntur; ſi communes cibi exquiſitiore condimento; ſi quantitate exceditur; ſi viles cibi nimis avidè vorantur. In his gulæ generibus reſtringendis, tribus præſertim, jejunium verſatur: ut tempus edendi prorogetur: ut carnes proſcribantur: ut refectione unicâ venter contentus ſit. Iſthæc ferè jejunii materia eſt.

IV. Forma item, ac finis.

Forma autem illius ex fine petitur, qui multiplex eſſe poteſt: unus tamen generalis eſt, ut corpus dometur, & ad mentis obſequium aſſuefiat abſtinentiâ voluptatis: ut animus, saginâ carnis liberior, aſſurgat in cælum; &, terrenæ habitationis pondere imminuto, ſenſus multa cogitans non deprimatur. Scitè enim *Græci dixerunt*, apud Iſidorum lib. 2. ſent. c. 42. ſent. 6. *Ex craſſo ventre ſubtilem ſenſum gigni non poſſe.* Ad eum finem ita omnis ratio jejunii intendenda eſt, ut à recto aberret, ſi plus abſtineatur, quàm corpori edomando expediat, vel functionibus animi juvandis conducat. Quare ſapienter monuit Gregorius lib. 30. Mor. cap. 14. ſic abſtinentiâ utendum, ut neceſſitati tamen ſatisfiat: ſic perſequendum *hoſtem*, ut *civis* non occidatur. Animo noſtro corpus civis eſt; animi hoſtis, laſcivia corporis. Corpus non occidat animus, adeóve debilitet, ut illius obſequiis uti vix poſſit: ſed, cive ſervato, laſciviam corporis, effrænemque appetentiam, ita perſequatur, ut nuſquam moveatur, niſi imperio voluntatis, ſpreto irritamento voluptatis.

V. Finem jejunii ſine materia conſequi licet.

Atqui citra jejunium hoc cuilibet licebit: habebiturque finis, ac forma, ſine materia jejunii. Si protoplaſti parentes arboris vetitæ fructu manus, & os, abſtinuiſſent, utique non admodùm eſuriiſſent: viciſſent tamen appetendi licentiam, & obtemperâſſent rectæ voluntatis præcepto, contempto voluptatis illicio. Mannæ affatim habebant Judæi, ut ventrem implerent, quando carnes deſideravêre: quod deſiderium ſi fortiter ſuperâſſent, laſciviam corporis, & impetum infrunitæ cupiditatis, ſine jejunio domuiſſent. Quiſquis vel facilè ac lubenter, vel conſtanter ſaltem, etſi difficulter, à qualibuſcumque palati ſui delitiis ſe continet, idem conſequitur, quod jejunio quæritur. *Magis intereſt*, inquit Auguſtinus lib. 22. quæſt. ſuper Evang. quæſt. 11. *non quid, vel quantum, alimentorum pro congruentia hominum, atque perſonæ ſuæ, & pro ſuæ valetudinis neceſſitate, quis capiat: ſed quantâ facilitate & ſerenitate animi careat.* Gulam vicit, qui ex mentis ſententia dicere poteſt: *Cùm adeſt, non recuſo; cum abeſt, non requiro.*

VI. Jejunium per continentiam cibi & potûs.

Nonne facilè jejunio parem jure dixerimus Davidis abſtinentiam, quando Bethlemici fontis deſideratum laticem libavit Domino, ſibi quamvis ſitibundo illibatum? Mirantur omnes D. Caroli Borromæi ſeverum victum, & auſtera jejunia, ad caninorum alimentorum, ut Panigarola concionabatur, conditionem deducta. Mihi mirum æquè eſt, nunquam ipſum, ex quo ad perfectæ virtutis enitu cæpit, extra reficiendi tempora liquorem ullum guſtâſſe; ne aquæ quidem ſtillam, in quantavis æſtûs, ſitiſque intemperie. Bellarminus, Borromæo in jejunando impar, in potûs continentia, per calores quoſvis, ſuppar, ne aquam quidem ad oris refrigerationem per intenſiſſimos calores admiſit. Æquata per Cornelium a Lapide noſtrum arctiſſima jejunia non dubito, quando ſenio debilis, infirmâ ſemper valetudine, ſtudiis exhauſtus, eduliorum plerumque communium, ob ventriculi imbecillitatem, concoquendorum inhabilis; ſingulare tamen ſibi aliquid, aut eximium ad victum apponi noluit. Ita de illis narrant vitæ ſcriptores: de iſto, Alegambe.

VII. Æquat jejunatores, qui potuit in victûs ratione tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus.

Pluris longè mihi eſt, Danielem, & ſocios, leguminum eſu contentos, cibis Regiis abſtinuiſſe, ne tranſgrederentur, cùm tranſgredi poſſent: quàm ſeveriſſima poſtmodùm jejunia inſtituiſſe. Quis Emmanuëlis Luſitani Regis temperantiam, ab Oſorio laudatam lib. 12. deſtinatæ quorumvis jejunatorum abſtinentiæ non æquiparet: cùm legerit, in aulæ delitiis, & opibus, ita fuiſſe abſtemium; ut voluntaria deſtinatione, non averſione naturali, vinum nunquam guſtaverit. Parciſſimi cujuſlibet victûs anachoretis pares non temerè pronuntiavero, quos conditionis ſuæ ratio in conſortiis, & conviviis, verſari coegerit; ibi tamen pravis moribus, aut propinatorum inſtantiæ, non cedant, & invictam

ſervent

ſervent temperantiæ legem; qualem ſua cuique indoles ac ratio fixit, & generatim omnibus poſuit poëta Græcus Anthologiæ lib. 2. *Bacchi menſura optima, mediocritas: alioqui doloris eſt cauſſa, vel infamiæ.* Illud item libri ejuſdem: *Suaviſſimus eſt ſpontaneus potus. Coactus, facit potores & vino injuriam: nam vinum fruſtra profunditur, potori mors feſtinatur. Valete potores; mihi ſufficit menſura potûs.*

VIII. *Menſura victus, neceſſitas.*

Acceptabile Deo ſacrificium corporis ſui offert, & laudabile inprimis jejunium inſtituit, quicumque non aliam habet victûs menſuram, quàm neceſſitatem. *Neſcit* quidem *cupiditas*, inquit Auguſtinus lib. 4. cont. Jul. cap. 14. *ubi finiatur neceſſitas:* ſed hominis ratio non ignorat, quod ipſa novit natura brutorum. *Nihil ergo te monuiſſe mālim*, ut ex ratione aiebat Seneca epiſt. 119. *quàm hoc, quod nemo monetur ſatis. ut omnia naturalibus deſideriis metiaris, quibus aut gratis ſatisfiat, aut parvo. Certè domus animæ caro eſt; & inquilinum carnis, anima*, inquit Tertul. lib. de ani. *Deſiderabit itaque inquilinus, ex cauſſa, & neceſſitate hujus nominis, profutura domui, toto inquilinatûs ſui tempore: non ut ipſe ſuſtinendus, nec ut ipſe loricandus, nec ut ipſe tibicinandus; ſed tantummodò continendus, quia non aliter contineri poteſt, quàm domo fultâ.* Ad hanc normam exactum fuit epulum, de quo Auguſtinus libro 3. cont. Acad. *Noſtri prandii idem initium, qui finis fuit.* Iſtam ſibi legem etiam voto ſanxerat P. Joannes Falco, Magdeburgenſis, è Societate noſtra; ut ſenſui ſuo numquam in cibo, potúve, obſequeretur, ſoli ſerviret neceſſitati: ita de ipſo Alegambe in bibliotheca Scriptorum Societatis.

IX. *Facillima cuilibet jejunii forma.*

En tibi formam jejunii Deo pergratam, cuilibet quamvis infirmo perfacilem, ſi tantùm cupiditati poſſit imperare. Æger es, nauſeabundus, avidus alimentorum valetudini noxiorum: coërce aviditatem, comprime appetitum, quia ſanitas tibi tua à Deo commendata eſt; & jejunâſti. Inferuntur coquinarum artificia exquiſita, & multiplices claſſes condītorum: illis te abſtine, quantum ex decoro licet, quia, ut ait Bernardus epiſt. 1. *Prudenter, ſobrieq; converſantibus, ſatis eſt ad omne condimentum ſal cum fame;* & hoc pacto jejunâſti. Inter convivas es, paribusque poculis provocatus ſapienter eludis, teque intra limites tui ſeptum contines, ſolius neceſſitatis & decori juſſu acturus: & ſic jejunâſti. Utinam apud Chriſtianos iſtâ ubique lege viveretur, quando ipſi paſſim *philoſophi dixerunt*, apud Iſidorum lib. 2. ſent. c. 4. ſent. 5. *Cibandus eſt venter, ut animam continuas, non ut corrumpas.* Rigidâ cenſurâ, verâ tamen, ſcripſit Proſper l. 2. de vita Cont. cap. 17. *Quidquid, ſine quo vivi poteſt, percipitur, non ſuſtentandæ vitæ, ſed fovendæ luxuriæ carnis impenditur.*

X. *Jejunium à peccatis Deo gratiſſimum.*

Alterum oſtendo jejunii longè Deo gratiſſimi genus, quo nullum ad orationes comitandas, ac commendandas, præſentius ſit. Imò oſtendat, oraculo divino, Iſaias cap. 58. apud quem auſi cum Deo expoſtulare Judæi dicebant: *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti: humiliavimus animas noſtras, & neſciſti?* Quibus reſpondet Deus: *Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis... Numquid non eſt tale jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam?.. Nonne hoc eſt magis jejunium quod elegi? Diſſolve colligationes impietatis... Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adſum.* Jejunus à vitiis Deum ora: offer poſtulata tua *de corde puro.* Sit néc-ne os, aut lingua, à cibis pura, non multum intereſt: ſed maximè refert, ut cor ſit purum, quia peccatores Deus non exaudit, ut Exc. ad cap. 3. lib. 1. ſect. 3. diximus, & rurſus Dominicâ 1. Quadrag. in ſecundo indice concionum Quadrageſimalium.

XI. *Quàm id neceſſarium ſit ex Patrum ſententiâ.*

Itaque Patres impensè & unicè commendavêre, ut iſtud interius jejunium cæteriori longè anteferatur. Auguſtinus ſerm. 64. de tempore, poſtquam dixit, illam eſſe in Quadrageſimæ diebus magnam utilitatem, quòd admonemur abſtinere ab illicitis, qui à licitis coërcemur: *Qui enim nos*, inquit, *abſtinemus à carnibus, quibus aliis diebus uti licet.... inprimis peccata fugiamus, quæ omnino numquam licent: &, qui volumus jejunare à cibis, ante omnia jejunemus à vitiis* Inſtat & urget Hieronymus epiſt. ad Celantiam: *Quid prodeſt tenuari abſtinentiâ corpus, ſi animus intumeſcat ſuperbiâ? Quid laudis merebimur de pallore jejunii, ſi invidiâ lividi ſumus? Quid virtutis habet, vinum non bibere, & irâ atque odio inebriari?* Sigillatim peccata varia, quibus abſtinendum, enumerat Bernardus ſerm. 3. de Jejunio: *Si ſola gula peccavit, ſola jejunet, & ſufficit. Si verò peccaverunt & cætera membra, cur non jejunent & ipſa? Jejunet ergo oculus à curioſis aſpectibus, & omni petulantia... Jejunet auris, nequiter pruriens, à fabulis & rumoribus. Jejunet lingua à detractione, & murmuratione... Jejunet manus ab otioſis ſignis... Sed & multò magis anima jejunet à vitiis, & à propria voluntate ſuâ.*

XII. *Chriſti de illo pronuntiatum allegoricum.*

In ore trium horum teſtium, ut alios plurimos non adducam, ſtet verbum de interioris jejunii lege: imò ſtet in ore legiſlatoris. Modum jejunandi ſuis hunc præſcripſit: *Tu, cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Unde autem pauperibus Apoſtolis unguentum, cincinnis infundendum? Suóſne adeo delicatos eſſe Chriſtus voluit, ut capita pretioſis oleis irrigarent? Juſſitne, ut inter ipſas arenas, in ſicca ſolitudine jejunantibus, facies lavaretur? Cui bono paratus exterior, Deum intuenti mentium inſpectorem? Unguentum non ignoras miſericordiæ ſymbolum eſſe, lenis & odoratæ. Caput noſtrum, Eccleſiæque univerſæ, Chriſtum eſſe, non neſcis. Facies tua, conſcientia tua eſt, de qua Deus dicit, *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*, tui tibi vultûs & conſcientiæ fœditatem ob oculos ponam. Aqua emundans conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, de latere Chriſti crucifixi profluа, pœnitentia eſt. *Unge caput tuum*, Chriſto in minimis ſuis affunde opera miſericordiæ. *Faciem tuam lava*, mundus eſto, auffer malum cogitationum tuarum ab oculis Dei. Tunc veni, jejuna, & ora, impetrandi ſecurus, & placendi.

XIII. *Vana ſunt jejunia, conſcientia vultu illoto.*

Alioqui ſeveriſſimè jejuna, quomodò de Abyſſinis perhibet Mariana, ne guſtu quidem cibi ullius ad ſeram uſque veſperam admiſſo: quod ab Ethnicis aliquando factitatum ævo ſuo *apud quaſdam colonias*, teſtis eſt Tert. lib. de jejunio: *Fidem abſtinentiæ affectant, & ſtellæ auctoritatem demorantes ſuſpirant.* Edulio protſus omni renuntia quadraginta dies totos, quod Moſi, Eliæ, Chriſto ſemel datum, ſæpius Stylitæ Simeoni. Fac quod Scotus ille, Anglicano ſchiſmate prænuntiato celebris, apud Spondanum an. 1531. qui omni penitùs cibo Londini dies quinquaginta totos abſtinuit, alibi duos ſupra triginta, Romæ deinceps ac Venetiis multos.

Fac, quod apud eumdem an. 1480. Nicolaus quidam Eremita in Helvetiis propè Lucernam, qui annos viginti totos alimento omni corporis caruit: nisi quòd semel ab Episcopo Constantiensi tres panis bucellas deglutire jussus est: alacer interim semper, ac vegetâ mente in desiccato corpore, donec mero senii defectu extinctus est. Frustra fuerint longa illa, & prodigiosa jejunia, si Deo placita non sint: placita non erunt, si facies conscientiæ abluta, ac mundata, non fuerit. Siracides cap. 34. desumptâ ex lotionum Judaicarum ritibus similitudine: *Qui baptizatur*, inquit, *à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus? Sic homo, qui jejunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis exaudiet? Finis præcepti*, inquit Paulus 1. Tim. 1. *est caritas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Pari jure dixeris: Jejunium de corde puro. Eleëmosyna de corde puro. Oratio de corde puro.

SECTIO QUINTA.

Supplicationes, seu processiones orantium.

I.
Unanimes orationes, & supplicationes Judæorum, adversùs Heliodorum.

UNANIMES plurium orationes, impetrando cuivis divinitus beneficio, efficacissimas esse, ostensum est Exc. 2. ad cap. 3. lib. 1. sect. 6. Earum precationum communium genus è præcipuis unum sunt, quas Supplicationes, ab eximio supplicandi officio, nominamus; aut vulgari verbo Processiones, quia in templis, aut per vicos supplicando proceditur. In ærarii Hierosolymitani, & Templi violandi, periculo; inter orandi variis modis Dei publicam ubique instantiam; inter ciliciorum asperitatem, & jejuniorum severitatem: ista communiter comprecandi, ad misericordiam divinam flectendam, propitiandamque potentiam, ratio non defuit. *Alii gregatim*, inquit Hagiographus vers. 18. *de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes, pro eo, quòd in contemptum locus esset venturus.* En greges confluentium, supplicantium, obsecrantium, quemadmodùm in Processionibus nostris fieri solet: de quibus quia Ægyptii fratres nobis controversiam movent, hic dicendum erit.

II.
Rabbinorum commentum de Templi miraculis.

Inter sententias Rabbinorum capite 5. miracula decem perpetua Templo quondam, Judæisve Templi caussâ, contigisse memorantur. Muscam nusquam apparuisse in victimarum cæsarum loco. Carnes holocaustorum numquam malè oluisse. Mulierem nullam abortîsse, ob sacrificiorum nidorem. Accidens noctis, sic nocturnam illusionem Hebræi appellant, numquam evenisse Sacerdoti magno, quando expiationis dies erat. Imbribus numquam extinctum altaris ignem. Vento numquam dissipatam columnam ignis & fumi, sursum tendentem ex altari. Nihil corruptionis notatum in panibus propositionis, neque in mensura hordei, quam sacerdotes altero Paschæ die implere consueverant. Serpentes, & scorpios, Hebræo nulli, ad Pascha celebrandum Hierosolymam profecto, nocuisse. Qui ad celebrationem Paschæ confluxerant, dum in Templo starent, invicem præ multitudine compressos fuisse: at, cùm adorationis causâ procumberent, laxè & commodè habuisse. In ipsa civitate, etsi turbis ad Paschale festum congregatis referta esset, neminem umquam de habitationis suæ angustiis, aut multitudinis molestiâ, conquestum.

III.
Hæretici, muscæ pietatem Christianam infestantes.

Scio isthæc ad fabellas Rabbinicas à plerisque amandatum iri: quia eorum in sacris Literis vestigium nullum est. Nisi forsan, quod de muscis primo loco diximus, ex eo fulciatur, quòd Accaronitarum idolum Beelzebub appellaretur, id est Dominus muscarum, ab illarum undique ad victimas advolantium frequentia. Cujus appellationis, ludibrio inditæ, tantò plausibilior ratio fuerit: si in Templi macello victimario, quotidianis licèt animalium cædibus exundante, muscæ prorsus nullæ spectatæ sunt. Quâ verò, inquiat quispiam, verisimilitudine persuadeatur, muscas sacrificiis Judaicis pepercisse: quando carnivoras volucres, sacrificio suo infestas, expertus est Genesis cap. 15. Abrahamus, Judaici generis parens? Suorum itaque figmentorum licentiam, & defensionem, Rabbinis relinquamus; & ab Hierosolymitano templo ad Ecclesiæ Christianæ adyta religiosissima conversi, muscas abigamus, sacrificantibus molestas, orantibus obvolantes, supplicantibus obstreperas. *Muscæ* enim, ut Ecclesiastes cap. 10. aiebat, non vivæ modò, sed etiam *morientes perdunt suavitatem unguenti*: id est, hæretici pravis suis opinionibus Christianæ pietatis gratiam contaminant, & religionis odorem minuunt; ut de Donatistis Augustinus, de Archonticis Epiphanius, interpretatur.

IV.
Quæ adversùs supplicationes Christianas blaterent.

Nonne tibi muscæ, ad unguenti suavitatem perdendam factæ, videantur, fœtidi isti Augustanæ Confessionis apologistæ: qui, libro ad sæculi proximè præteriti annum sexagesimum secundum edito, Christianos procedendi ritus conspurcare fœtidissimis elogiis ausi sunt, & supplicationes nominare *blasphemas, idololatricas, diabolicas*. Impudentiâ non dispari, *Ethnicas*, & *Paganas*, Lutherani duo appellavêre: eò forsan, quia Romanis olim *ambarvalia* & *amburbalia* celebrata fuisse, apud profanos scriptores legerunt: & quia apud Baruc cap. 6. vidêre, *deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos*, solenni pompâ Babylone circumgestatos. Quasi res similes, dissimili longè causâ & merito, ab Ethnicis & Christianis factitari non possint. Jejunavêre Pagani, jejunant Christiani: supplicabundi processêre Pagani, procedunt Christiani. Hæreticorum modestiores, etsi jam probrosis vocibus abstinent, jocis tamen non parcunt: & supplicationum nostrarum ritus nunc theatricos appellant, nunc pompaticos, nunc pueriles; ubi non tam pietati, quàm ostentationi studeatur.

V.
Ob errores quorumdam supplicationes non damnandæ.

Equidem non inficior, in supplicationum pompis quædam aliquando peccari. Esse, qui ostentationi magis & luxui vestium, velut in profano spectaculo studeant, quàm magnificentiæ religiosæ. Personas interdum, & larvas misceri, ludicris scenis convenientiores, quàm sacris conventibus. Non deesse, qui, pietatis obliti, inter se, quasi in otiosa inambulatione, fabellas misceant. Talia committi à quibusdam non nescimus: sed supplicationes idcirco non proscribimus. Laudanda res bona est: damnanda rei bonæ corruptio. Accusetur supplicantium quorumdam ambitiosa vanitas, histrionica levitas, infrunita loquacitas: commendetur piarum supplicationũ antiquitas, ac sanctitas; ista ex Ecclesiæ instituto, illa ex priscorum Fidelium exemplis.

VI.
Cur suppli-

Supplicationes hodie notiori nomine Processiones vulgus appellat. Quo de nomine si obiter

cationibus appellatio Processionum indita?

obiter dicere lubuerit, consulatur D. Thomas 1. p. q. 27. art. 1. ubi quærit, *Vtrum processio sit in divinis?* Aliæ, inquit, processiones ad intra sunt, ut divinæ, per quas principiatum procedit à principio. Aliæ sunt ad extra, quemadmodùm effectus procedunt à caussa: aut cum motu locali proceditur. Hoc modo de Judith dicitur cap. 16. *Erat procedens diebus festis cum magna gloria.* Talis erat processio peccatorum & publicanorum, Christo appropinquantium: talis fuit processio boni pastoris, ovem deperditam requirentis. Itaque satis constat de nominis origine: at res unde orta est? Rivum sequamur, & sursum versùs tendendo videamus, an ad primæ scaturiginis fontem perveniri possit.

VII. *Quinto sæculo Processiones Christianæ celebratæ.*

Sectione proximè sequenti de Rogationum processionibus, Litaniarum occasione, dicendi locus erit. A Mamerto cæptas Rogationes perhibent. Sed, paullò ante Mamertum, Marcianus Imperator supplicabundus cum turbis orantium processit, & stipem in obvios pauperes distribuit, hortatusque est Anatolium Patriarcham, ut istiusmodi supplicationes indiceret: Theodoro Lectore teste, neque Ægyptiis fratribus negantibus, inprimis Chemnitio in Exam. Trid. Ante Marcianum, ævo Theodosii junioris, ad annum sæculi quinti Christiani tricesimum primum, *Pro Ephesina Synodo piè decertantes Archimandrita, Monachorum catervis stipati, exsurgunt, hymnosq; & psalmos decantantes ad Regiam contendunt.... Omnes tam monachi, quàm plebes, psalmum postremum versùs postremam civitatis partem concinentes, erat enim via quâ incedebant ex principalibus una, ad S. Mocii martyrium abscedunt. Et hic rursum non parva Monachorum multitudo, cum hymnis & cereis occurrit.* Ævo ejusdem Theodosii, ad annum sæculi decimum octavum, exortâ Minoricæ Judæos inter ac Christianos controversiâ, *Pergere*, inquit Severus Episcopus Minoricensis, *cæpimus ad synagogam, & hymnum Christo per plateam, ex multitudine lætitia, canebamus.* Historiam universam recitat Baronius: ex quo ista deprompsimus, ut supplicationum hodiernarum ordo, cantus, cerei, in priscarum exemplis recognoscantur.

VIII. *Quarto item Ecclesiæ sæculo.*

Quando Arcadius, Theodosii parens, ex Judæa in Thraciam Samuelis ossa transferenda curavit: Episcopi in aureo vase cineres, serico obvolutos, portavêre: occurrêre Ecclesiarum omnium in isto itinere populi, *ut de Palæstina, usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Christi laudem unâ voce resonarent*, quomodò Hieronymus loquitur adversùs Vigilantium. Arcadii ævo, D. Porphyrius Gazæ Episcopus, ad impetrandam pluviam, *manè accepto signo venerandæ crucis*, & turbam præcedente, processit cum hymnis ad vetus templum, ad civitatis occidentalem partem. Idem Porphyrius, diruto Marnæ delubro, congregavit populum in templo pacis; & illum sequens, ac portans Evangelii librum, progressus est, ut in Marnio jaceret fundamenta templi, Clero canente psalmos &c. Arcadii pater Theodosius, in procinctu belli adversùs Eugenium, *Circumibat cum sacerdotibus, & populo, omnia orationum loca. Ante Martyrum & Apostolorum thecas jacebat.* Ita perhibet Rufinus, æqualis eorum temporum, l. 2. c. 33. Theodosio scribens Ambrosius ep. 29. *Monachi*, inquit, *psalmos canentes, ex consuetudine usuq; veteri, pergebant ad celebritatem sanctorum Martyrum.* En consuetudinem usumque veterem pergendi, & psallendi, turmatim: ut ne quis Ægyptiorum existimet, temerè laudatos à Chrysostomo rusticanos homil. 19. quòd supplicabundi turmatim cum hymnis ad Martyres venirent; laudatos ab eodem Antiochenos, quòd, frendentibus licèt Paganis & Juliano apostata, D. Babylæ ossa supplicabundi omnis ætatis homines, cum sacris canticis, comitarentur.

IX. *Et Apostolicâ ætate.*

Quandoquidem Ambrosius usum dicat fuisse, consuetudinemque veterem Christianorum, publicè & communiter, supplicantium ritu, procedendi: meritò eum ritum ad illos adjungimus, qui ab Apostolica institutione initium sumpsêre. Nam si, ab usque ætate nostra ad laudatissimum Patrum sæculum, nunquam interrupto usu, mos continuatus est; isque ipse mos, sæculo isto Patrum, vetus jam tunc ex vero vocari poterat: non dispicio, unde sacra illa vetustas principium, quàm ab Apostolis, duxerit. Præsertim cùm constet, per Paganorum Cæsarum tempora, quando Christianis palàm supplicabundis procedere non licebat; intra catacumbarum speluncarumque subterranearum, quæ ipsis conventuum loca stata tunc erant, latebras ritum procedendi, cum cantibus cereisque, servatum. Imò Philo, disertissimus Judæorum, in eo libro, quem de Christianis Alexandrinis Judæorum appellatione, scripsit: id ipsum ab illis factitari solitum testatur. Neque enim Hieronymus, in scriptorum Ecclesiasticorum catalogo in vita D. Marci, dubitanter pronuntiat, eum Philonis librum de Christianis agere.

X. *Frequens in synagoga Processionum nostrarum imago.*

Placétne Ægyptiis fratribus, extra Ægyptiacam Alexandriam, in ipsa Hierosolymorum civitate supplicationum nostrarum spectare imagines? Legant lib. 2. Esdræ, seu Nehemiæ, cap. 12. muris instauratis inambulantes adversos choros duos, *laudantium & euntium*, seu ut Hebraicè habetur, *thodoth ghedoloth vethahelacot*, *confessiones magnas & processiones.* Legant 2. Paral. 35. Josiæ verba ad Levitas: *Ponite arcam in sanctuario Templi: nequaquam enim eam ultra portabitis.* Unde conficitur, antè sæpiùs per urbis vicos, & suburbana, circumlatam arcam de Sanctuario eductam: quemadmodùm de Tabernaculo, pro rerum urgentium momentis, interdum olim efferebatur. Videant indictam à Davide supplicationem unam 2. Reg. 6. & 1. Paral. 13. quando arca ex Cariathjarim in ædes Obededom traducta est: alteram 2. Reg. 6. 1. Paral. 15. quando arca Hierosolymam invecta. Comparent pompæ illius singula cum supplicationibus nostris, & partes omnes aptissimè quadrare comperient: nec ipsam quidem deesse sterilem Micholem, hæreseos figuram, Davidicæ pietati insultantem. Cernant 1. Reg. 10. turmam Israëlitarum prophetantium, & pergentium in Gabaa; Philistinis, quorum illic statio erat, ritûs sanctimoniam reverentibus. Adspiciant Jerichuntinæ orbi septies circumductam arcam: annos quadraginta multitudinem omnem populi Hebraici ex arcæ motu, & quiete, profectionis suæ ac quietis spatia dimetientem, Num. 10. &c.

XI. *Earum etiam in cælis forma.*

Quid modò de Processionum Christianarum antiquitate censetis, fratres Ægyptii? An ab Israëlitis, quibus *omnia in figura contingebant*, lubet exempla repetere? Nehemiam, Davidem, Naviadem, Mosem imitamur. Mavultis antiquæ Ecclesiæ sequi vestigia? Pedes Marciani, Arcadii, Theodosii, Chrysostomi, Ambrosii, Martyrum, Apostolorum, Christi sanguine rubentes,

caritate ferventes, premimus. Cupitis altiorum exemplorum imitationem? Facimus interdum Ecclesia militans, quod sæpissimè triumphans Ecclesia fecit. Apud Joannem Apocal. cap. 14. *sequuntur* selectæ beatorum turmæ Agnum, *quocumque ierit*: ut jam opus non sit ex Ambrosii serm. 9. exhibere lucidam virginum pompam, cum D. Agnete, cui agnus nive candidior ad latus erat, apparentem.

XII. Sanctitas ipsarum à Ven. Sacramento, & cruce.

En ipsam Processionum nostrarum formam: è cælo petita est. Ibi prototypon, hic exemplar est: imò & ibi, & hic, res eadem, eadem procedendi caussa, eadem sanctimonia, si Agnum intuemur. Eum Beati sequuntur in cælis, eum Christiani comitantur in terris: illi in lumine, nos in fide: illi fœliciter, nos desideranter, utrique amanter. Et hoc primum in supplicationibus nostris sanctimoniæ caput est, quando Ven. Sacramentum defertur. Alterum est à sanctæ Crucis imagine, sacris istis agminibus anteferri solitâ, vexilli instar, aut Constantiniani labari. De D. Porphyrio Gazensi Episcopo, crucem cum turbis subsequente, modò audivimus. De D. Joanne Chrys. Socrates & Sozomenus narrant, præferri solitas in ipsius Processionibus cruces argenteas. Datam auream crucem à Domitio viro clarissimo, refertur in vita Theodosii Archimandritæ, qui ætate Tiberii Absimari & Mauritii Imperatorum vixit. Justinianus Authenticâ, seu Novellâ 123. cap. 32. vetat cruces per alios in Litaniis, sic Processiones tunc vocavêre, præferri, quàm per eos, quibus id officii commissum sit: *Honorandas cruces in venerabilibus locis reponi, præferri in Litaniis.*

XIII. Ab aqua item lustrali.

Ad sanctæ Crucis latus plerumque vas aquæ lustralis portatur, tum in monumentum aquæ, de Christi mortui latere simul cum sanguinis reliquiis effusæ: tum ad baptismi memoriam, ubi Agnus Dei tollit peccatum mundi. Hinc est, quòd aquæ lustralis aspergínem dæmones exhorrescunt: præterquam quòd vim ferre non possunt sacrarum precationum, illi benedicendæ adhibitarum, ex veteribus formulis, quibus præivit D. Clemens Const. lib. 8. cap. 35. De antiquissimo aquæ benedictæ usu, & miraculis, amitto te ad Baronium anno 132. aliosque: & eorum narrationibus attexo recentem unicam, ex Canadensi relatione an. 1659. Barbara quædam mulier, inter Gallos captiva, repentè bacchari cœpit phreneticæ instar. Sed aquæ benedictæ guttis aliquot per adstantem Christianum adspersa, sibi protinus reddita est, fassaque eum sibi terrorem, & mentis motum, à spectro stameo incussum, quod imminere quasi ad devorandum videbatur. Mox ad fidem Catholicam conversa, tam spectabili Christianarum cæremoniarum experimento: quo etiam permotus, qui aderat, hæreticus, ad saniorem mentem & religionem rediit.

XIV. Et à sacris reliquiis, atque imaginibus.

Augent sanctimoniam fercula reliquiarum sacrarum: quas olim circumferri solitas, ex iis quæ de D. Babyla diximus, manifestum est. Quidni autem circumferantur, quæ arcâ Testamenti veteris sanctiores sunt? *Quid est mens justi*, inquit Greg. 5. Mor. cap. 10. *nisi arca Testamenti?* Ego fidenter dixero, corpus justi plus esse multò, quàm arcam Testamenti. Hujus artifex homo, lex hospes, gloria temporalis: illius artifex Deus, hospes anima, gloria æterna. Itaque Divi nostri Amandus, & Remaclus, non immeritò literis apud Pontificem summum instituêre, & profectiones Romanas aggressi sunt, ut Sanctorum corporum exuviis ditarentur. Et meritò D. Lambertus decessoris sui Theodardi depositum, à Nemetibus usque, repetitum ivit. Sed nos de sacrarum reliquiarum veneratione uberiùs Exc. ad cap. 6. differemus: uti & ad caput ult. de sacrarum imaginum cultu: duarum omnino narrationum fide ex Orientalis Ecclesiæ historia, contenti, quod ad supplicationes attinet. Heraclio imperante, Chaganus Constantinopolim maximis copiis obsedit; Rabsacis instar, adversùs Deum & Christum ejus insanè contumeliosus. At Sergius *Patriarcha, acceptis Dei parentis imaginibus, cum omni multitudine mœnia circuibat supernè, ex ea præsidium comparans*: quod non defuit, elusis barbarorum conatibus. Leone Isaurico imperante, Saraceni, Perside atque Ægypto potiti, Constantinopolin mille quingentis navibus petiêre. Tunc *sacer urbis populus, venerabili, honoranda, & vivifica Crucis ligno, simulq; veneranda Dei Matris, quæ hodegetria dicitur, imagine assumptâ, circuibat urbis mœnia*, non unitâ supplicatione. Nam barbari, fame ad carnes humanas adacti, maximam partem periêre, reliquis fugâ dissipatis. Ita in Triodio narratur, apud Serarium, in ea, quam de Processionibus scripsit, doctâ lucubratione.

XV. A cantibus item sacris, & festis sonis.

Ad earum sanctitatem accedunt cantus sacri, quorum jam frequentia exempla protulimus. Cantibus respondent æra campana, velut sacerdotales litui, & tubæ significationum, excitandis ad pietatem mentibus audientium: quo fine cavetur, ne profanarum cantionum modulis insonent. Alioqui Christianis, iis præsertim, qui per solennes supplicationum dies intemperantiæ serviunt, illud ingeretur Augustini epist. 119. *Ipsi ebrietates suas ad canticum psalmorum, humano ingenio compositorum, quasi tubas exhortationis inflamant.* Nec modò in supplicationibus absonum est, scenicos à campanis sonos audiri, sed alio quovis tempore. Cùm enim templorum & orationum instrumenta sint, ritibus sacris initiata, sacris nominibus ad majoris venerationis significationem ornata: tam indecorum, & impietati affine fuerit, ad theatricos & chorearum cantus illis abuti, quàm vasa sacra in profanos usus convertere. Qua de re etiam aliquid Exc. ad cap. 13. dicetur.

XVI. Tum ab ordine, & gestu procedentium.

Sanctitati præterea convenit procedentium ordo, quem apud nos à D. Volbodone, eximiæ virtutis Episcopo, constitutum ferunt, id est, ut ego interpretor, restitutum: nam, omni ante Volbodonem ætate, ordo in processionibus sacris servari debuit, ne turba esset. Pergunt *juvenes & virgines, senes cum junioribus*, ut *omnis spiritus*, sive, ut Hebræa habent, *omne quod respirat laudet Dominum.* Non omnes tamen indiscriminatim, & tumultuosi gradiuntur. Sejuncti à fœminis viri. Inter viros Ecclesiastici ferè subsequi solent, quò honoratiores, eò posteriores: tum quia ipsorum est in alios inspicere; tum ad commendationem humilitatis, tum in figuram cælestis Beatorum processionis, in qua sunt *novissimi primi.* Bini ternive ambulant, *ob commendationem fraternæ caritatis*, inquit D. Bernardus serm. de Purif. Portantur cerei & tædæ accensæ, significando ardori caritatis, puritati mentis, reverentiæ erga Deum. Honoris enim symbolum ignem esse, ex sacris æquè ac profanis ritibus constat. Holoferni, præter cæterum conopæi apparatum, prælucebant lampades argenteæ,

ut

ut habetur Judith cap. 10. verf. 22. in Græco λαμπάδες ἀργυραῖ προάγουσαι αὐτοῦ etsi claram adhuc lucem fuisse, ea ipsa narratione intelligatur. Apud Pollionem Gallienus junior, omni populo præeunte, mancipiisque ipsis ac mulieribus fermè universis cereos, faces, ac lampades, præferentibus, Capitolium petit. Ex Herodiano discimus, solitas Imperatoribus ipso meridie lampades ardentes præferri. Athanasio obviàm cum cereis itum, quando ab exilio rediit, narrat Gregorius Nanzianz. Apud Victorem Uticensem lib. 2. perf. Vand. Christiani populi cum cereis occurrêre Episcopis, ac sacerdotibus Catholicis, per Vandalos in exilium pulsis. Deus ipse voluit ignem semper in conspectu suo ardere: eumque inter imbres etiam miraculo arsisse, Rabbini existimant, ut antè retulimus.

XVII. *Denique ab ipsorum sanctimonia.*

Ad extremum accedat ipsorum supplicantium gratissima Deo sanctimonia: primùm in eo sita, ut à peccato mundi sint: deinde, ut actus virtutum interiores exerceant, & in Deum sanctitatis fontem assurgant. Pessimi apud Paganos olim augurii res fuit, quando victimæ excordes inveniebantur. Nefastum est apud Christianos, in pietatis ac religionis exercitiis cor abesse. Frustra fax in sinistra luceat, corolla precatoria in dextra pendeat, caput pileo nudum profiteatur servitutem Domini, pedes ambulent in viis ejus: nisi cor simul appropinquet Christo, sicut publicani & peccatores appropinquabant, ut peccatores esse desinerent. Nec sufficiet odium peccati, nisi adsit affectus, & exercitatio virtutum. Stemus fide, moveamur spe, progrediamur caritate, & cantemus *in viis Domini, quia magna est gloria Domini.* Sic, præter antè recitatos, Constantinus Magnus & sui fecêre, apud Eusebium lib. 3. vitæ cap 47. quando urbs Constantinopolitana solenni supplicatione dedicata est. Sic, patrum nostrorum memoriâ, præcedebat Carolus Borromæus: sic paullò antè Thomas Morus, sanctæ crucis signifer. Utinam talibus exemplis formati ad processionum sanctitatem Christiani, fiant *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.*

SECTIO SEXTA.

Supplicationes Ven. Sacramenti.

I. *Urbani Pontificis de V. S. epistola.*

POST isthæc de supplicationibus generatim allata, particulatim quidpiam de illis dicendum est; quæ ad Ven. Sacramenti honorem, quarto abhinc demum sæculo, institutæ sunt. Caussas instituti breviter proferemus: tum pietatis exercendæ modum indicabimus, quo de aliquid in antecessum dictum est Exc. ad cap. 3. hujus libri sect. 3. num. 2. & 19. Urbanus IV. ex Leodiensi Archidiacono ad summum Pontificatum evectus, anno post Christum natum ducentesimo sexagesimo primo supra millesimum; anno deinceps sexagesimo quarto Ven. Sacramenti festum indixit, Constitutionemque Apostolicam scripsit. Ea Constitutio, ad annum sæculi proximè sequentis primum, in Viennensi Concilio Episcoporum trecentorum, Patrumque aliorum, promulgata est Clementis V. jussu, & in Jus Canonicum relata lib. 3. tit. 16. *de reliquiis & Ven. Sanctorum:* meritò à D. Antonino appellata *epistola pulcerrima, ac devotissima.* Quidni à D. Thoma confectam opinemur, qui totum de Ven. Sacramento Officium composuit? eamobrem, si Brustemio credimus, ad fores templi Urbevetani pictus inter curiæ Romanæ proceres, exarans istud Officium, deinde flexis coram Crucifixo genibus hæc pronuntiante, *Benè scripsisti de me, Thoma?*

II. *Tres institutionis festi rationes.*

In isto Urbani decreto quatuor rationes invenio, cur Ven. Sacramenti festum institutum sit. Prima petitur, ex memoria beneficiorum, à Christo suis collatorum, vitâ omni, morte, Eucharistiæ ipsius institutione. De quibus beneficiis nec generaliùs, nec suaviùs, neque efficaciùs, commonefieri potuêre Christiani, quàm à Christo ipso, sub Ven. Sacramenti speciebus latente. Atque adeò expediebat, solenni aliquo festo Fidelium mentes excitari, ut ad illud sese singulariter adverterent. *O memoriale nobilissimum, intimis commendandum præcordiis, firmiter animo alligandum, diligenter reservandum in cordis utero, & meditatione ac celebratione sedulâ recensendum.* Altera ratio est, *ad confundendam specialiter hæreticorum perfidiam, & insaniam;* concionatorum doctrinâ, & Catholicorum pietate, per festi occasionem singulariter sese exerente: simul ad *corroborationem, & exaltationem Catholicæ fidei.* Rationem quartam indicat tum Clementis præceptum, tum Urbani decretum his verbis: *ut, quod in aliis Missarum officiis circa solennitatem est forsitan prætermissum, devotâ diligentiâ suppleatur:* quomodò cultum erga Sanctos, etsi anni totius decursu continuemus; aliquibus tamen certi dies destinantur, compensandæ, si qua forsan fuit, in ipsis colendis negligentiæ.

III. *Quarta ratio, ex divinæ voluntatis per revelationes notitia.*

Quartam rationem, ac peremptoriam, ex divinæ voluntatis manifestis judiciis affert Urbanus: *Intelleximus olim, dum in minori essemus officio constituti, quòd fuerat quibusdam Catholicis revelatum divinitus, hujusmodi festum generaliter in Ecclesia celebrandum.* Julianæ scilicet, Cornelimontanæ in Leodiensi suburbano sanctimoniali, Evæ ad D. Martini in monte Publico inclusæ, Ivettæ virgini Huensi, illud divinitus significatum fuerat. Ne quis tamen ob sexûs infirmitatem suspicaretur, esse *adinventionum phantasmata*, ut loquitur Tertullianus, vel *deliramenta*, ut de mulierum dictis, resurrectionem Christi testantium, aiebant Apostoli: idcirco Pontifex accuratè examinandas curavit revelationes, ab Hugone primùm, tunc Dominicanorum Provinciali, mox primo ex ejus Ordinis sacerdotibus Cardinali; deinde, ab illustris scientiæ ac pietatis viro Guiardo, Cameracensi Episcopo; deñique à celeberrima ejus ævi Academia Parisiensi universa. Quibus demum inquisitionibus, & examinibus, quantâ potuit diligentiâ peractis; Pontifex, veritatis arbiter, sanctas esse ac divinas revelationes pronuntiavit, indeque agnovit summi Numinis de festo indicendo voluntatem.

IV. *Deus viros aliquando per mulieres instruxit.*

Trium itaque Virginum pietate Christus uti voluit, ad significandum Petri successori suum de Sacramenti gloria consilium: quemadmodùm ad Resurrectionem suam *Petro* indicandam Marci cap. 16. mulieres delegerat, quas vulgò tres fuisse opinantur, quamquam de numero aliter censemus. Qui per *Debboram, matrem in Israel* Jud. 4. & 5. Baracum instruxit, & adversùs religionis hostes armavit: idem per virgines, *nomen melius à filiis & filiabus* promeritas, Urbanum docuit, & in Ægyptios Eucharistiæ adversarios animavit. *Holda* prophetis 4. Reg. 22. *quæ habitabat in Jerusalem, in Secunda*, Helciæ sacerdoti arcana

L 4 calidia

cæleſtia patefecit: Juliana, quæ habitabat Leodii in Secunda, Pontifici prima divinum decretum aperuit. Mox aliæ duæ acceſsêre, eo Spiritu plenæ, qui, *ubi vult ſpirat:* cujus Spiritûs impulſu futurum Petrus Act. 2. vaticinabatur, ut non Eccleſiæ modò *filii*, ſed etiam *filiæ* prophetarent.

V. Miraculis revelationes adjutæ.

Addidit Deus, ad Virginum revelationes, frequentium & illuſtrium miraculorum prodigioſa teſtimonia: è quibus unum, ipſo conditi decreti anno ſexageſimo quarto, contigit Vulſiniis, Urbevetanæ diœceſis loco, non longè ab Urbis oculis. Sacerdos quidam, poſt Conſecrationem fractâ de more Hoſtiâ ſacrâ, vacillare cœpit, & de Chriſti præſentia ambigere. Protinus ex Hoſtiæ fragmentis fluere ſanguis, tantâ copiâ, ut Corporale totum intinxerit. Vidêre, præter ſacerdotem, quotquot aderant: tum alii atque alii, ad prodigii famam exciti. Cruentum corporale Urbemveterem paullò poſt delatum: deinde, illi aſſervando, templum adeò nobile excitatum eſt, *ut nullum in toto terrarum orbe tunc ei potuerit comparari*, quomodò Onuphrius exiſtimat. Templo monumentum longè auguſtius ad Euchariſtiæ honorem fuit, inſtitutio feſti: quod Leodii antè cœptum, toti exinde Eccleſiæ commune eſſe Pontifex voluit, tanto proclivius, quia die Cœnæ Domini *Eccleſia, plurimis aliis occupata, plenè vacare non poteſt celebrationi hujus maximi Sacramenti.*

VI. Proceſſionum Ven. Sacramenti origo eadem, quæ feſti.

Cauſſas, inquiet quiſpiam, decernendi feſti explicas: de ſupplicationibus ecquid profers? Conſtat, in hoc feſto Proceſſionum ſolennium conſuetudinem, ante Martini V. tempora, inoleviſſe: quandoquidem Pontifex iſte, Antonino teſte, Indulgentias dederit *aſſociantibus Proceſſionem*, poſtmodùm ab Eugenio IV. duplicatas. Genebrardus perhibet, ſæculo toto poſt feſtum indictum fieri cœptas Ticini, dein Andegavis: ut hæreſis Berengariana, in ipſo ortûs ſui loco proculcaretur. Alii à Joanne 22. inductas rentur. Ad illos ego maluerim accredere, qui eamdem exiſtimant feſtarum proceſſionum, & dierum V. Sacramenti originem. Neque id mihi obſcurè ſignificari videtur his Urbani verbis: *Tam Clerici, quàm populi, gaudenter in cantica laudum ſurgant. Tunc omnium corda & vota, ora & labia, hymnos perſolvant lætitiæ ſalutaris.* Quod ipſum, in ſupplicationum noſtrarum publicis gaudiis præſertim, fieri conſuevit.

VII. Earum rationes tertiæ, ad memoriam vitæ Chriſti, & Paſſionis, & ad fidei noſtræ profeſſionem.

Inſtituendarum autem illarum cauſſa multiplex eſt. Prima, ut Chriſti, qui via fuit ſimul & viator, varia nobis itinera exhibeantur, humanæ ſaluti obita, ab ipſo materno utero ad mortem uſque. Fuit enim Chriſtus, quà homo, primarius magni patris-familias ac Regis famulus, juſſus exire *in plateas & vicos, in vias & ſepes*, ad conquirendos *debiles, cæcos, & claudos:* quod etiam munus in Ven. Sacramento fungitur, quando procedit nobiſcum per compita, & per agros; olimque idem munus fungebatur, quando à Chriſtianis, per acerba Paganorum tempora, ad calamitatum ſolatium, & periculorum munimen circumferebatur. Renovatur præterea ſupplicationibus noſtris memoria cruentarum viarum, per quas patiens Chriſtus ab horto proceſſit ad crucem: & duplicatis honoribus reparantur injuriæ, ac probra ipſi ingeſta. Deinde publicis iſtis pompis, & ſpectaculis, palàm profitemur fidei noſtræ de Ven. Sacramento, de Deo abſcondito & Salvatore, certitudinem, ac conſtantiam: nec Chriſtum, aut verba ejus erubeſcimus, ne & ipſe nos erubeſcat.

VIII. Deinde ad urbium univerſarum ſanctificationem.

Quarta ratio fuerit, ut Chriſti præſentis ſanctitas, ac bonitas, vicos omnes urbis ac domos expiet, & benedictione impleat. Simul ut nos, Chriſti comites, iſtud Paulli ſervemus 1. Tim. 3. *Volo viros in omni loco orare*. & illud Chryſoſtomi in pſal. 133. de nobis verum ſit, *Nos in omni loco, domi, agro, foro, navi, diverſorio, ubique oramus.* Sic eveniet, ut orbs univerſa templi unius inſtar ſit. Cicero lib. 4. in Verrem aiebat, locutione Paganicâ, *Ennam non urbem eſſe, ſed Cereris fanum.* Nos Chriſtiano ſermone dicamus, urbes Catholicas per Dei feſtum templa Dei eſſe: civitates verè ſanctas, à Sancto Sanctorum de proximo ubique luſtratas: civitates Jeruſalem, & viſiones pacis, in quibus videtur paſſim Chriſtus, *pax noſtra, qui fecit utraque unum.*

IX. Denique ad Chriſti triumphum & veritatis.

Quintam, ſextamque rationem offert Concilium Tridentinū ſeſſione decima tertiâ, adversùs Ægyptios conſcriptâ: Calviniſtas primùm cæcos, qui Chriſti in Euchariſtia præſentiam non credunt: tum Lutheranos, qui, cùm credere ſeſe arbitrentur, adorari tamen Euchariſtiam oportere pernegant. *Æquiſſimum eſt*, inquit, *ſacros aliquot ſtatutos eſſe dies, cùm Chriſtiani omnes, ſingulari ac rarâ quâdam ſignificatione, gratos & memores teſtentur animos, erga communem Dominum, & Redemptorem: pro tam ineffabili & planè divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus, repræſentatur.* Deos ſuos Babylonii circumgeſtent: ignem efferant Perſæ: arcam deportent Judæi. Chriſtus in Euchariſtia, Deus noſter eſt, ignis conſumens eſt, arca Teſtamenti eſt. *Atque ſic quidem oportuit victricem veritatem, de mendacio, & hæreſi, triumphum agere.* ut Infideles audiant, vel videant; & convertantur, vel confundantur. Ungitur Salomon, juſſu patris, Rex in Gihon 3. Reg. 1. & hoſtes conterriti diffugiunt. Joas 4. Reg. 11. & 2. Paral. 23. à Jojada & ſacerdotibus convocato populo, Rex acclamatur: ſimul Athalia, & conjurati, auditâ voce *currentium atque laudantium*, attoniti ac conſternati, cædibus fermè ſuis præmoriuntur. Sic Lutherus ſibi factum narrat, apud Aurifabrum cap. 7. & 13. ſympoſiacon, & ex illo apud Serarium: quando in Ven. Sacramenti proceſſione, ex ſubiti terroris metu, ſudor ipſi undique erupit, & tantùm non vita. Fœliciùs accidit filiæ Mauri cujuſpiam Reguli Goæ: quæ, in ædibus paternis arctiſſimè cuſtodita cùm auguſtiſſimæ Euchariſtiæ ſupplicationem de feneſtra ſpectare ſineretur, eaque occaſione cum Chriſtiana matrona contiguæ domus colloqueretur; ad veram religionem converſa, & invitis parentibus baptizata eſt. Ita narrat Harpsfeldius apud Alanum Copum dial. 6. cap. 9.

X. Exterior procedentium compoſitio qualis eſſe debeat?

Ex præſcriptis à ſacroſancto Concilio finibus, facillimum fuerit conficere, quid externæ pietatis ac magnificentiæ, à Chriſtianis ad ſupplicationum pompas deſideretur. Triumphus Chriſti eſt: die feſto procede, quantum potes, cum magna gloria, ut Judith cap. ult. *Sit populus feſto rancolor ipſe ſuo.* Cereum aut facem, ſi licet, præfer illi, qui eſt *lumen de lumine*, & *lux vera.* Herbas odoratas ſterne, flores ſuaveolentes ſparge, virgæ & flori *de radice Ieſſe.* Aras exſtrue, & exorna, altari noſtro, & hoſtiæ. Coronas floreas texe, & præfer illi, ante quem à ſenioribus mittuntur coronæ ſuæ. Triumphus veritatis eſt, hæreſis Athalia conturbanda eſt: omnia ergo modeſtè & ordine fiant. Abſint colloquia indecora,

indecora, emissitii oculi coërceantur: primorum locorum ineptæ & importunæ controversiæ seponantur: eluceat seria gravitas in vultu, pietas in gestu, constantia in incessu; ut Infideles, si qui forte spectatum venerint, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum, & Christum ejus, in augustissima Eucharistiæ triumphantis majestate, & religionis nostræ magnifica veritate.

XI. Qualem esse oporteat internam?

Sed quia frustra fuerit horologii gnomonem composuisse, si libramenta & machinæ non congruant; & quia Christus in Sacramento est Deus absconditus, qui sic adorari vult in publico, ut magis honoretur in occulto, *in spiritu & veritate:* idcirco satis nobis non fuerit, magnificam pietatem exteriùs in supplicationibus prætulisse, nisi vera interiùs religio comitata sit. Religionis autem præcipuus cultus in fidei, spei, ac caritatis exercitatione positus est. Quod etiam ab Urbano Pontifice discamus, monente, ut ad festi Venerabilis congruam celebrationem *psallat fides, spes tripudiet, exultet caritas.* Tres illæ divinæ Charites, & Gratiæ sunt, quæ, consertis manibus junctæ, innoxios coram Eucharistia, & Gratiâ bonâ, choros perpetuò agere debent. Triplex ille funiculus est, quo mentes nostræ, velut hostiæ holocausti, ad sacratissimam Hostiam, in monte Moria, ad locum ubi Dominus videt, pertrahendæ sunt. Locuples ille gemmarum cælestium ternarius est, quem, in imo pectoris nostri, inspectori cordium Deo, habitatori urbium Deo-homini, exhibere oportet.

XII. Exercenda fides, spes, caritas.

De fide Fideles non doceo, doctos à Domino, doctos ab Ecclesia, doctos ab iis quos Excursu ad cap. 2. sect. 1. adduximus. Hoc unum moneo, si ante procedendum actus fidei de præsente in Eucharistia Christo formetur, si identidem ad intervalla renovetur, difficilem non fore Christianis, in supplicatione procedentibus, modestiam, ac pietatem. Quemadmodùm difficile non fuit D. Eleazari, aut D. Ludovici, domesticis, quando in ipsorum comitatu erant, sese ad decorum atque honestum componere. Etsi enim ad momenta singula id non cogitarent, adesse illos sibi: cogitare tamen poterant, &, ex primæ cogitationis vi, sese intra officii limites continebant. Ex fide spes de facili consequetur, quando Christi, ab admirabilis præsentiæ suæ spectaculo, bonitatem æstimârit: neque impari facilitate emicabit caritas, divini amoris palpabili experimento inflamata. Qui Titum spectabant per urbis Romanæ vicos inambulantem, neque ignorabant delitias esse generis humani: oculis, in amore ducibus, ad diligendum amabilem Cæsarem excitabantur. Qui Josiam, cujus memoria est in compositionem unguenti, coram vidêre, & agnovêre, visu ipso solo ad ejus amorem accensi sunt. Delitiæ generis humani, Christus in Eucharistia: Josias, *ignis Domini*, Christus in hostia. Eum aspice, Christiane, & exardesce. Cæcum aliquando novi, ex benè oculato, opificem Christianum, hoc præcipuo, imò solo, cæcitatis suæ tenebris dolentem, quòd Christum, quem fidei oculis in Sacramento cernebat, oculis corporis ampliùs videre nequiret, & videndo exardescere.

XIII. Cum odio peccati, & desiderio gloriæ Christi.

Exurge Deus absconditе, tantò magis honorande à nobis, quantò te propter nos magis abjecisti: *& dissipentur inimici* tui, hæreses, infidelitates, peccata; hæc enim sola tibi inimica sunt, qui amas animas. *Fugiant, qui oderunt* te, à facie tua justitiæ, & convertantur ad faciem tuam misericordiæ. *Sicut deficit fumus deficiant*, ut à te refici postulent: *sicut fluit cera à facie ignis*, sic ab ignis tui vehementia pereant peccatores, ut desinant esse peccatores. *Iusti* autem Christiani tui, quos justos esse oportet, qui ex justitiæ debito annuæ tibi reverentiæ vectigal pendunt, *epulentur* de te, cibo Angelorum, cœnâ magnâ, prandio nuptiali. *Et exultent in conspectu tuo*, Dei viventis, & videntis; vivificantis, & visum tribuentis; fidei lumen impertientis, gratiæ vitam largientis. *Et delectentur in lætitia* sancta festivæ & Urbanianæ diei: donec aspiret festivissima dies nobis Jerusalem beatæ, *per* cujus *plateas alleluia cantabitur*, dum procedent ordines sanctorum Angelorum, & hominum, sequentes *Agnum, quocumque ierit.*

SECTIO SEPTIMA.

Litania sacra.

I. Quo tempore cœptæ Rogationes ante Ascensionem.

CARD. Baronius in notis ad Martyrologium Romanum 25. Apr. occasione Litaniarum majorum, agens de minoribus, ita Rogationes appellamus: existimat, Rogationum initium à Mamerto non fluxisse, earumque usum ævo Augustini invaluisse, in cujus homilia quapiam mentio fiat de triduano jejunio, ac precibus. Verùm Serarius noster lib. 2. de Process. cap. 8. ex Albino, Adone, Valafrido, Micrologo, Ordine Romano, &, quod caput est, ex Sidonio, Mamerti æquali, rectissimè conficit, ab isto triduanas Rogationes ante Ascensionis Dominicæ diem inceptas, cùm aliàs atque aliter alibi fierent. Mox exemplum universâ Galliâ vulgatum, dein ab Ecclesia Romana probatum: sive, quomodò Rupertus existimat lib. 9. c. 5. ut à Christo ascensuro largam benedictionem, communi precatione, flagitemus: sive, ut vulgò arbitramur, quia sub istos ferè dies humanæ vitæ subsidia periclitantur.

II. Tena pietatis officia Rogationibus impenduntur.

Ad Rogationes autem tria passim adhiberi consuêrunt; abstinentia carnium, & matutinum jejunium; Cleri processio, & occursus, adjunctis civitatum primoribus, piaque aliâ multitudine; Litaniarum cantus, aut recitatio. De jejunio tum alibi diximus, tum suprà sect. 4. quamquam hic imperfectum jejunium est, ob nondum finitam Paschalis temporis lætitiam. De Processionum antiquitate, ac sanctimoniâ, disputatum est sect. 5. Hasce nominatim celeberrimas olim fuisse, ex Sidonio Apollinari compertum est l. 4. ep. 14. ubi ait, proceres, qui rusticatum ierant, delitiis desertis venisse, *harum Rogationum contemplatione, ad festa cervicum humiliatarum, & sternacium civium suspiriosa contubernia.* Deinceps Reges ipsi, ac Cæsares, pietatis suæ exempla in Rogationum processionibus desiderari passi non sunt. Sæculo Christiano nono, Ludovicus Germaniæ Rex, Litaniarum tempore, pedes, calceis depositis ad parochiale templum, vel ad ædem D. Hemerammi si Ratisbonæ erat, Crucem sequebatur. Ita narrat vitæ scriptor. Eâdem ætate Carolus Rex Galliæ, Aimoino teste, occupationibus omnibus sepositis, *ad Litanias celebrandas ante Ascensionem Domini ad Monasterium S. Dionysii redit.*

III. Litaniæ nomen unde.

Tertium itaque Rogationum officium Litaniæ sunt: quod nomen originem ducit à Græco λιτανεύειν, id est, seriò & obnixè precari: quâ sententiâ

& quibus precationibus conveniat?

ſententiâ Homero λιλαιόμενοι dicuntur, qui proſtrati, lacrymabundi, genua complexi, orant; & ab altero quopiam poeta ἀλιτάνευτος, inexorabilis, appellatur porta inferorum. Hinc olim in Eccleſiis Litaniæ nomen variis precandi formulis inditum eſt, prout illis affectus orantium exprimebatur. In Liturgiis D. Baſilii, Chryſoſtomi, Jacobi Apoſtoli, κύριε ἐλέησον repetitum Litania inſcribitur. Ejuſdem precatiunculæ frequentem iterationem, extra ſacrificii tempus, D. Benedictus regulæ cap. 9. 12. 13. Litaniam appellat. Supplicationes cauſâ publicâ indictæ à Gregorio, quem lib. 1. cap 3. Excur. 2. ſect. 6. num. 7. adduximus, Litaniæ nominantur. Hodie conſuetudo obtinuit, ut id nomen ſolis tribuatur precandi formulis; ubi, ad deſiderii & affectûs ſignificationem, voces eædem ſæpè repetuntur, cùm Deum alloquimur, Virginémve aut Sanctos: & cùm à malis liberari, aut bona nobis donari poſtulamus. Contra harumce orationum genus, videbimus primùm, quid nobis Ægyptii fratres objiciant; antiquitatem deinde illarum, tum utilitates, expenſuri.

IV. *Iconis objectio de ſolœciſmis Litaniarum.*

A jocis, in ſolœciſmos & barbariſmos Litaniarum noſtrarum, diſceptationes ſuas incæpere: quemadmodùm apud Arnobium Ethnici illudebant, *barbariſmis & ſolœciſmis obſitas eſſe res noſtras.* Quibus idem, quod hic iſtis, reſponderimus: *Puerilis ſanè, atque anguſti pectoris reprehenſionem eſſe.* Diſplicuit Luthero hæc locutio, *Trinitas unus Deus*, eamque quarto ante mortem ſuam anno de Litaniis ſuis expungendam curavit. Diſplicuêre Lutheranis, *Miſerere nobis*, & *Agnus Dei*: maluêre Latiniùs, ut quidem cenſent, Miſerere noſtri & Agne Dei. *Dominum Apoſtolicum* irriſêre, irriſuri etiam Dominum. Sed heus, nimis religioſi Grammatici, nonne iſtud Auguſtini legiſtis 1. Conf. cap. 18. *Vide, Domine, ut obſervent pacta literarum, accepta à prioribus locutoribus, & pacta æterna ſalutis negligant.* Non legiſtis etiam iſtud Arnobii lib. 1. cont. Gen. ſub finem: *Cum de rebus agitur ab oſtentatione ſubmotis, quid dicatur ſpectandum eſt, non quali cum amœnitate dicatur.* Quid autem, ſi Eccleſia iſtis maluit loquendi formulis uti, quàm Latinioribus, quis ævo iſto ſic populus loquebatur, decuitque matrem balbutire cum parvulis, nec ſemel cæptum ſermonem mutare, ne mutatio intelligentiam confunderet? Quid, ſi Deum imitari voluit, in Scripturis nunc ſtylo ſimpliciore, nunc eruditiore charactere, utentem? Leo, inquit Orig. hom. 27. in Num. non queratur, datas à Deo herbas ovibus, ac bobus, in pabulum: nec boves, & oves, expoſtulent, congrua Leoni deſtinata alimenta. Tu, doctior Grammatice, noli de Eccleſia conqueri, ſi Litanias, precandi genus vulgare, vulgo aptavit: nec vulgus ægrè ferat, ſi eadem in orationibus quibuſdam ſecretis altiùs locuta eſt.

V. *Falſa eadem & inerudita.*

Ampliùs dixero: te Grammatice Alexandrine, Appionis inſtar, merum cymbalum eſſe, & illa commordere, quæ non noſti. Eruditus videri vis, ineruditus es. Non placet tibi *Trinitas unus Deus*: placuit Auguſtino lib. ult. cap. ult. de Trinitate, *Domine Deus, unus Deus Trinitas, quæcumque dixi in his libris de tuo, agnoſcant & tui: ſi qua de meo, & tu ignoſce, & tui. Amen.* Quod Auguſtinus voluit, nolunt Lutherani, vel ſic teſtantes, nec legitimos ſeſe filios eſſe, neque adoratores Trinitatis: uti Catholicos ſeſe non eſſe oſtenderunt, quando *Catholicam* de Litaniis ſuſtulerunt, ſubſtituerunt *Chriſtianam*. Non placet tibi, Lutherane hypodidaſcale, *Miſerere nobis*: ſed priſcis Latinorum placuit, quorum unius Senecæ exemplo pueri ſcribent, Miſereor tibi Lutherane. Diſplicet vox *Domnum*, ſæculo ſexto uſitatiſſima, vel ex Hebræo Adon derivata, vel potius ex Latino *Dominum* contracta; ut indicetur dominationes temporales præ æterna valde contractas eſſe: unde verſus ille antiquus manavit apud Serarium, *Cæleſtem Dominum, terreſtrem dicito Domnum*; ex qua contractione, vulgaria Dom, vel Domni, vocabula hauſimus. *Agnus Dei* eâdem lege eſſertur, quâ per Livium lib. 1. *Audi tu, populus Albanus*; & per Virgilium Æneidos 8. *Corniger Heſperidum fluvius regnator aquarum, Adſis ô tandem.*

VI. *Calumnia hæreticorum, de omiſſa Chriſti in Litaniis invocatione.*

Iſta doctè Serarius congeſſit, adversùs indoctos quoſdam magiſtellos Lutheranæ ſuperſtitionis. Sed nos, illis omiſſis, agamus adversùs impium ac mendacem Calvinum, ipſiúſque ſupparem Ægyptium indigenam. Ille, Inſtit. lib. 3. cap. 20. parag. 21. in fine, aſſeverat, ſummum à nobis honorem Sanctis deferri, de Chriſto mentionem fieri nullam. Verba ipſius Latina proferrem, ſi Latinum exemplar, ubi hæc ſcribo, nactus eſſem; Gallicum habui, cujus verba Latinè ipſiſſimâ ſententiâ reddo: *Præterea in omnibus illorum* Papiſtarum *Litaniis, hymnis, proſis, ubi Sanctos ad ſummum uſque magnificè evehunt, mentio de Chriſto nulla eſt.* Pari impudentiâ calumniatur Chemnitius Exam. p. 3. *Pontifices in publicis Eccleſiæ ſuæ precibus, invocationi Sanctorum primarium locum tribuunt*: & Exam. p. 1. in præf. *In Litania ne uno quidem verbulo mentio fit interceſſionis Chriſti.* Au' tu, calumniator effrons? Hic enim aſpera correctio cominus non debet, tam manifeſtis mendaciis. Quem ergo alloquimur, cùm dicimus, *Chriſte eleiſon, Agnus Dei?* Cui iſtud toties iteramus, *Libera nos Domine, Te rogamus audi nos?* Cujus interpoſitione bona poſtulamus à fonte omnium, quando ſubdimus poſt collectas, *Per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM?* Cur ergo, inquit, Litanias Sanctorum nominatis? Non quia Litaniæ Chriſti non ſunt: ſed ut à Litaniis Virginis Lauretanis, Nominis JESU, aliiſque diſcernamus, cujuſmodi Clemens VIII. edi vetuit ullas, citra Congregationis Rituum approbationem. Ab ea Congregatione approbatæ ſunt Litaniæ Lauretanæ, & aliæ ſeptem ſupra viginti, quas collegit Guilielmus Bavariæ Dux, ſororique ſuæ Archiduci Auſtriæ inſcripſit, *ab ipſa ſacra Inquiſitionis Congregatione Romana correctas, & approbatas.* Aliarum genera, quæ privati pro ſuo modulo, & pro heteroclita interdum pietate, compingunt, ineptiis non rarò deformatas, nîl moramur.

VII. *Imago Litaniarum apud Hebræos.*

Eas ſolùm laudamus, quas Eccleſia Chriſti commendat: in iis præſertim Litanias Sanctorum, ubi pulcerrimo ordine celeberrimi quique Sancti comprecatores adhibentur. Cur autem, inquit, Sanctos invocatis? Occupari vis diſputationem, quam tibi dabimus Excurſu ult. Hic verbulo dixero: Sanctos à nobis invocari, quia jam ab antiquo id probavit Eccleſia Chriſti; & quia gratum ſibi eſſe, Deus plurimis miraculis teſtatus eſt. Antiquitatem Litaniarum repetunt quidam, ab Hebræorum rituum imitatione non indecora. Solitos enim Judæos olim menſe Tiſri, diebus Tabernaculorum, procedere, eaſdemque identidem ad Deum orationes repetere. Adeoque ipſos hodie, ad iſtius ritûs exemplum, ſupplicabundos circumire ſuggeſtum, in

ſynagoga

synagoga media positum, cui nomen fecêre *Almemor*, seu ab Hebræo *Amar*, seu à Latino Romanicóve *Memoria*, quòd ibi de mortuis mentio fieri consuêrit. Inter circumeundum suggestum ab illis dici, *Lemháerna Elohenu Hoschbanna*, *Propter te Deus noster salva nos.* Tum subdi, *Propter te, qui creasti nos, Hoschbanna, salva nos.* Deinde *Propter te, qui liberâsti nos, Propter te, qui quæris nos*: ad singula Dei elogia repetendo, *Hoschbanna, salva nos.* Quæ precandi formula Litaniarum nostrarum repetitionibus consimillima est: ut advertit Serarius, Hebraicæ linguæ pariter & rituum scientissimus. Sed si ab Hebræis Litaniarum exemplum arcessere placuerat, de fœtidis eorum synagogis rimari opus non fuit: quandoquidem in psalmo 135. talium repetitionum nobis specimen illustre exhibeatur, in altera singulorum versuum parte iterato intercalari, *Quoniam in sæculum misericordia ejus.*

VIII. *Unde in Ecclesia Latina earum usus inolevens?*

Satius tamen est, Ecclesiasticæ consuetudinis originem in Ecclesia ipsa quærere. Ægyptii quidam, aut Æthiopes Libyésve, in his Nigrinus, in mendacissima sua de Pontificibus historia, conjiciunt ab Honorio I. Pontifice Litaniarum usum invectum fuisse. Ut id daremus: cùm Honorius septimo sæculo ineunte Pontifex fuerit, novitii homines non haberent, quid in tanta vetustate novitatis accusarent. Filii hujus ferè sæculi, denorum sæculorum consuetudinem, quâ fronte ausint vellicare? Sed Ægyptiorum doctiores paullò altiùs Litaniarum institutionem à Gregorio Magno arcessunt. Chemnitius, sanctum virum auctorem indignatus, Petrum Cnaphæum, seu Fallonē Antiochenū obtrudit, Theopaschitam hæresiarcham: à quo mos Litaneuticus in Oriente vulgatus, per Gregorium deinceps in Occidentem transnavigârit. Esto, Cnaphæum faciamus auctorem: non potuit vir malus rem bonam usurpâsse, medicus æger medicamentum salubre præscripsisse? Ab eodem Cnaphæo institutum ferunt, ut symbolum fidei ante synaxim clarâ voce pronuntiaretur, quod hodie ab Ægyptiis fratribus factitatur: an idcirco usus damnandus, quia, qui commendavit, damnabilis fuit?

IX. *A temporibus Apostolicis repetendus est.*

Sed neque in isto lutulento rivo sistendum est, quando puriores sursum fluere cernimus. D. Remigius, Hincmaro teste, dum Clodovæus ad sacrum lavacrum compararetur, *Litaniam fecit, Sanctosq́; nominavit.* Remigio annis centum vetustior Basilius Litaniam in Liturgia habet, non tantùm implorandæ, ut antè diximus, misericordiæ divinæ, sed invocandis Sanctis: itidem D. Amphilochius, quem Basilius ait se plurimi facere; quemque D. Gregorius Nanz. veræ atque orthodoxæ fidei præconem appellat. Itaque nonnulli, ex ea continuatæ traditionis vetusta serie, sapienter conficiunt, Sanctorum invocationem, eo Litaniarum ritu, Apostolici exempli ac documenti esse: à quo exemplo ac documento indubitatum est, Sanctos, aliis per Christianos ritibus, invocari. Apostolis igitur auctoribus, post Christum & Virginem Angelos in orationibus appellatos, tum Joannem Baptistam, ac Stephanum; paullatim celebria nomina recentiorum accessisse, pro plebis pietate: donec ad eam formam Litaniæ excrescerent, quæ hodie usurpatur, cumque in ritum facta est, ut plurimùm utilitatis afferre possit, & plurimùm attulerit.

X. *Litaniarum forma in orando efficacissima.*

Ad efficacis orationis formam, inprimis attendendum est, quis oretur: deinde, per quos, & quibus interventoribus oretur: præterea, quid postuletur: tum, quibus petatur: denique, quâ id ratione ac modo fiat. Oratur is, à quo bona cuncta procedunt, idque in ipso Litaniarum capite utrâque linguâ exponitur: nec Deus modò, quà Deus oratur, sed quà Trinitas, ut *oratio fidei* explicatæ potentior sit. Orant sexûs conditionisque omnis mortales: junguntur immortalium interventiones, ex omni Angelorum & hominum beatorum ordine, ut cælum cum terra in petendo conspiret, & plusquam duo consentiant. Postulantur cujusvis generis bona; divina, humana; publica, privata; spiritalia, corporalia. Pro nobis petitur, pro aliis; pro vivis, & mortuis; pro Ecclesiasticis, ac sæcularibus; pro amicis, & inimicis; pro præsentibus, & absentibus; pro Ecclesia universa, non Latinâ modò, sed Græcâ, cujus ideò voculas usurpamus, olim universas Litanias Rogationum tempore Latinè & Græcè variis in locis recitare soliti; id certè Ultrajecti factitatum, locuples testis est Lindanus Apol. par. 2. c. 54. Modus orandi talis est, ut latriæ cultus Deo soli tribuatur; inferior cultus, quem duliam appellamus, Virgini ac Sanctis deferatur: eam enim ob caussam, ut ante nos advertit D. Thomas 2. 2. q. 93. art. 4. Deo dicitur *Miserere*; Virgini, & Sanctis, *Ora, Orate.* Talis ad extremum orandi modus est, ut modos omnes, quos 1. Tim. 2. Paullus commendavit, complectatur, *Obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus* &c.

XI. *Efficacia miris effectis comprobata.*

Vim Litaniarum, in impetrandis divinitus beneficiis omnigenis, mira multa, ab ipsis usque primis sæculis ad nostrum continuata, testantur. Ad annum hujus sæculi secundum, Andreas Furtadus Indiæ Protex, Litaniarum communi & constanti recitationi acceptam tulit illustrissimam de Mahometano Cognale victoriam: ex historia Indica. Litaniarum libello, quem, manu suâ descriptum, D. Franc. Xaverius in ædibus Hexandoni, Japonis nobilis, reliquerat, contacti ægri Japones multi repentè convaluêre, in his ipse Hexandonus: ex vita Xaverii. S. Coleta, Litanias quotidie recitare solita, earum præsidio varia latronum, militum, vitæ, castitatis pericula evasit. Cùm Litaniis Deum & Sanctos piè invocâsset S. Cunegundis, auctum ivit istorum numerum. Supplicabundus cum Litaniis D. Herebertus, Coloniensis Præsul, pestem ac famem sedavit, advolante pacis divinæ prænuntiâ candidissimâ columbulâ: ex Ruperto. Litaniis Gregorius II. qui D. Bonifacium in Germaniam misit, Tiberis inundationem maximam coërcuit: ex tomo 3. Conc. in ejus actis. Litaniis messores siti arescentes impetravêre, ut è vasculo fons scaturiret: ex Gregorio Tur. Litaniis S. Euthymius imbres, per siccitatis tempus, excivit: ex Cyrillo ejus discipulo. Litaniis Gregorius Mag. pestem Romanam compescuit: iisdem Augustinus Angliæ Apostolus obtinuit, ut Britannica idola comminuerentur: ex Beda. Litaniis Pelagius Pontifex Narseti Deum adversùs Longobardos propitiavit: ex tomo 2. Conc. in decr. Pelagii. Litaniis, ad S. Juliani Martyris basilicam institutis, D. Gallus gratias egit de lue Arelatensi compressa: ex Gregorio Turon. Litaniis Marcianus Cæsar, & Anatolius Patriarcha, iram divinam, ab imperio avertêre: ex Syn. 5. Const. act. 1. Litaniis Theodosius Imperator, habitu privato cum Clero populoque incedens, finem imbribus continuis, messem perdituris, obtinuit: ex Nicephoro. Litaniarum more

procedens

procedens cum suis Basilius Mag. ad ædem sacram Nicænam, Arianis à Valente contributam, ejus januas sine clavibus aperuit. ex D. Amphilochio.

XII. Rogationum pietatem Deus beneficiis sanxit.

Quod ad Rogationum Litanias particulatim attinet: D. Gaugericus, earum tempore, captivis triginta libertatem prodigiosam à Deo impetravit, à tribuno denegatam. Earumdem tempore, Arnulphus Metensis Episcopus, *cum crucibus atque promiscua plebe incedens*, arreptam à dæmone fœminam crucis contactu protinus curavit. Nostratia sunt: quòd victus ab Alexandro Leodiensi Præsule, ad annum 1129. Duce Lovaniensi, & Comite Flandrensi, Durassii Comitis auxiliaribus, captoque ipso Ducis vexillo prætorio, actæ deinceps in Rogationibus Deo, pacis ac belli arbitro, gratiæ. Item, quòd D. Hubertus, oculato teste discipulo, ad Rogationes Trajectum ipse pedes cum populo itaverit, *ut Deum tanto precaretur ambitiosius, quantò id faceret humilius*: quodque, Rogationibus peractis, spectaverit Harmaliæ, vico Leodium inter ac Trajectum, congredientes aëreos exercitus, quo tempore in Gallia interiore Saracenorum copiæ à Carolo Martello deletæ sunt. Deus auctor bonorum, precantium auditor, qui, Mamerto Rogationes obeunte, terræmotus, incendia, ferarum rabiem, compescuerat, ex Sidonii & Aviti narratione: idem aliàs sæpè testatum voluit, quàm ea sibi placeat communiter, & instanter, precandi ratio.

XIII. Litaniæ recitandæ sincero affectu, & consensu.

At enim, aiunt aliqui: cur ergo nunc postulata eodem orandi ritu non impetramus? Ut vos ad lib. 1. cap. 3. Excursum secundum, ubi abundè adversùs illam objectionem dicimus, non amittam: id hic habetote. Litaniis desiderata non obtinemus, quia ex Litaniarum natura, & conditione, non oramus. Proficisci ex affectu debent, ut nomen ipsum indicat: communiter faciendæ sunt, ex Ecclesiæ instituto. Nil proderit affectum prodere, iteratâ earûmdem vocum repetitione, *Eleison, Miserere. Libera, Audi.* si mens ipsa interiùs fiduciâ, & amore divino, affecta non sit. Nec vocum communitas quidquam faciet, si desit communitas voluntatum: non consentient orationes, si animi dissentiant: neque aderit vera pietas, ubi deerit sincera caritas. Post Ascensionem Christi, cætus discipulorum *erant unanimiter* perseverantes in oratione. primùm unanimes fuêre, tum unanimiter oravêre. Sic agamus Christiani, sic perseveremus, sic Rogationes obeamus, sic Litanias conseramus: ut terra mortalium det nobis fructum suum, & procedamus lætantes in terram viventium.

XIV. Supplicantium pietate extinctæ locustarum pestes.

Probabis, mi Lector, ad supplicationes & orationes communes adjici hîc, coronidis loco, quam antè nactus non sum, narrationem de Andrea Oviedo Patriarcha Æthiopico, ex parte 4. lib. 5. Historiæ Societatis num. 283. *Cum tanta vis locustarum irruisset*, ipsa sunt historici verba, *ut arborum rami præ pondere incurvarentur, & cunctis desperatio incepisset, miserrimâ strage impendente satis, & quidam Abassinorum suos vellent accire monachos, qui execrationibus abigerent: Patriarcha, convocato in templum populo, supplicationem instituit ad crucem juxtà positam. Ecce autem postridie universa illa multitudo reperta est in ipsis arboribus, in quibus consederant, arida & exanimis, ne uni quidem superstite. Nec semel postea eamdem pestem vel extinxit, vel à finibus Christianorum abegit.*

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

ARGUMENTUM.

Onias Pontifex, Simone ipsum tum apud Iudaïcam plebem infamante, tum apud Regem accusante, conspiranteq́ cum illo adversùm se Apollonio; ut eorum conatibus occurrat, & pacem Hierosolymitanæ civitati procuret, ad Seleucum proficiscitur, Seleuco mortuo, Iason, Oniæ frater, Apud Antiochum Epiphanem, Seleuci fratrem ac successorem, multis & insanis pollicitationibus Summum Pontificatum ambit, & impetrat. Mox gymnasium, & fœdissima prostibula, Hierosolymis constituit, externosq́ & Paganicos ritus inducit: Pontificis exemplum sequentibus sacerdotum plerisque, & Templum omni spurcitiarum genere contaminantibus. Eo denique impietatis abreptus est, ut Regi Tyrum ad Herculis sacrificia pecuniam transmiserit. Quamquam illa pecunia in alios usus versa est, rogatu eorum, qui detulerant, paullò minùs impiorum Iasone. Rex, Apollonio in Ægyptum misso, in spem rerum novandarum, cùm ea nondum succederet, Ioppen venit, inde Hierosolymam: ubi ab Iasone honoribus penè divinis exceptus est, indeq́ regressus in Phœnicem. Post triennium Iason Menelaum ad Regem mittit, cum pecuniis, & mandatis. Sed ille sibi ipse Pontificatum auctionatus, promissâ majore summâ deturbat Iasonem. Quo ad Ammonitas profugiente; cùm Sostrato, arcis Hierosolymitanæ regiorumq́ tributorum præfecto, promissam pecuniam non numerat, & ad Regem evocatur Sostrato comite; & Pontificatu movetur, Lysimacho substituto, Sostratoq́ ad Cypri præfecturam amandato. Ad seditionem Tharsensium & Mallotarum compescendam proficiscens Antiochus, Andronicum Antiochiæ, se absente, præficit. Hujus sibi animum Menelaüs, donatis vasis quibusdam sacris, quæ de Templo sustulerat, demeretur; impellitq́, ut Oniam, sacrilegorum furtorum acerbum censorem & reprehensorem, de medio tollat. Itaque Andronicus, speciosis verbis de Daphnitico asylo productum, interimit, contra fidem datam: tantiq́ facinoris odiò apud Regem, ab expeditione reducem, à Iudæis Gentilibusq́ accusatus, eodem in loco, ubi Oniam occiderat, interficitur, Antiochi jussu. Lysimachus interim, patratis Menelai consilio, & exemplo, sacrilegiis, populo exosus, frustràq́ ad ostentandum terrorem coactis

coactis armatis, opprimitur, atque interficitur. Menelaüs, malorum incentor, Tyri apud Regem de illis accusatur: sed corrupto promissis Ptolomæo, Regio ministro, & per hunc Rege, nocentissimus homo absolutus est, pristinaq́; dignitati redditus. Contrà, damnati ad mortem insontes accusatores, velut calumniæ rei: quorum tamen innocentiam publicè satis notam esse, Tyrii honore sepulturæ testati sunt.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ỹ. 1. SIMON autem prædictus pecuniarum & patriæ delator, malè loquebatur de Onia, tamquam ipse Heliodorum instigasset ad hæc, & ipse fuisset incentor malorum: 2. provisoremq́ue civitatis, ac defensorem gentis suæ, & æmulatorem legis Dei, audebat insidiatorem regni dicere. 3. Sed, cùm inimicitiæ in tantum procederent, ut etiam per quosdam Simonis necessarios homicidia fierent: 4. considerans Onias periculum contentionis, & Apollonium insanire, utpote ducem Cœlesyriæ & Phœnicis, ad augendam malitiam Simonis, ad regem se contulit, 5. non ut civium accusator, sed communem utilitatem apud semetipsum universæ multitudinis considerans. 6. Videbat enim sine regali providentia impossibile esse pacem rebus dari, nec Simonem posse cessare à stultitia sua. 7. Sed post Seleuci vitæ excessum, cùm suscepisset regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Iason frater Oniæ summum sacerdotium: 8. adito rege, promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, & ex redditibus aliis talenta octoginta, 9. super hæc promittebat & alia centum quinquaginta, si potestati ejus concederetur gymnasium & ephebiam sibi constituere, & eos, qui in Ierosolymis erant, Antiochenos scribere. 10. Quod cùm rex annuisset, & obtinuisset principatum: statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit. 11. & amotis his, quæ humanitatis causa Iudæis à regibus fuerant constituta per Ioannem patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitia & societate functus est legatione legitima, civium jura destituens, prava instituta sanciebat. 12. Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, & optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere. 13. Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam, & profectus gentilis & alienigenæ conversationis, propter impii & non sacerdotis Iasonis nefarium & inauditum scelus: 14. ita ut sacerdotes jam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo, & sacrificiis neglectis, festinarent participes fieri palæstræ, & præbitionis ejus injustæ, & in exercitiis disci. 15. & patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur: 16. quarum gratia periculosa eos contentio habebat, & eorum instituta æmulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant, quos hostes & peremptores habuerant. 17. In leges enim divinas impiè agere impunè non cedit: sed hoc tempus sequens declarabit. 18. Cùm autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, & rex præsens esset, 19. misit Iason facinorosus, ab Ierosolymis viros peccatores, portantes argenti didrachmas trecentas in sacrificium

Herculis:

Herculis: quas postulaverunt hi qui asportaverant ne in sacrificiis erogarentur, quia non oporteret, sed in alios sumptus eas deputari. 20. Sed hæ oblatæ sunt quidem ab eo, qui miserat, in sacrificium Herculis: propter præsentes autem datæ sunt in fabricam navium triremium. 21. Misso autem in Ægyptum Apollonio Mnesthei filio, propter primates Ptolemæi Philometoris regis, cùm cognovisset Antiochus alienum se à negotiis regni effectum, propriis utilitatibus consulens, profectus inde venit Ioppen, & inde Ierosolymam. 22. Et magnificè ab Iasone & civitate susceptus, cum facularum luminibus & laudibus ingressus est: & inde in Phœnicen exercitum convertit. 23. Et post triennii tempus misit Iason Menelaüm, supradicti Simonis fratrem, portantes pecunias regi, & de negotiis necessariis responsa perlaturum. 24. At ille commendatus regi, cùm magnificasset faciem potestatis ejus, in semetipsum retorsit summum sacerdotium, superponens Iasoni talenta argenti trecenta. 25. Acceptisque à rege mandatis, venit, nihil quidem habens dignum sacerdotio, animos verò crudelis tyranni, & feræ beluæ iram gerens. 26. Et Iason quidem, qui proprium fratrem captivaverat, ipse deceptus profugus in Ammanitem expulsus est regionem. 27. Menelaüs autem principatum quidem obtinuit: de pecuniis verò regi promissis, nihil agebat, cùm exactionem faceret Sostratus, qui arci erat præpositus: 28. (nam ad hunc exactio vectigalium pertinebat) quam ob caussam utrique ad regem sunt evocati. 29. Et Menelaüs amotus est à sacerdotio, succedente Lysimacho fratre suo: Sostratus autem prælatus est Cypriis. 30. Et cùm hæc agerentur contigit, Tharsenses & Malotas seditionem movere, eò quòd Antiochidi regis concubinæ dono essent dati. 31. Festinanter itaque rex venit sedare illos, relicto suffecto uno ex comitibus suis Andronico. 32. Ratus autem Menelaüs accepisse se tempus opportunum, aurea quædam vasa è templo furatus donavit Andronico, & alia vendiderat Tyri, & per vicinas civitates. 33. Quod cùm certissimè cognovisset Onias, arguebat eum, ipse in loco tuto se continens Antiochiæ secus Daphnem. 34 Unde Menelaüs accedens ad Andronicum, rogabat ut Oniam interficeret. Qui cùm venisset ad Oniam, & datis dextris cum jurejurando (quamvis esset ei suspectus) suasisset de asylo procedere, statim eum peremit, non veritus justitiam. 35. Ob quam caussam non solùm Iudæi, sed aliæ quoque nationes indignabantur, & molestè ferebant de nece tanti viri injusta. 36. Sed regressum regem de Ciliciæ locis, adierunt Iudæi apud Antiochiam, simul & Græci, conquerentes de iniqua nece Oniæ. 37. Contristatus itaque animo Antiochus propter Oniam, & flexus ad misericordiam, lacrymas fudit, recordatus defuncti sobrietatem, & modestiam. 38. accensisque animis, Andronicum purpura exutum, per totam civitatem jubet circumduci: & in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiserat, sacrilegum vita privari, Domino illi condignam retribuente pœnam. 39. Multis autem sacrilegiis in templo à Lysimacho commissis Menelai consilio, & divulgata fama, congregata est multitudo adversum Lysimachum, multo jam auro exportato. 40. Turbis autem insurgentibus, & animis ira repletis, Lysimachus armatis ferè tribus millibus iniquis manibus uti cæpit, duce quodam tyranno, ætate pariter, & dementia provecto. 41. Sed, ut intellexerunt conatum Lysimachi, alii lapides, alii fustes validos arripuere: quidam verò cinerem in Lysimachum jecere. 42. Et multi quidem vulnerati, quidam autem & prostrati, omnes verò in fugam conversi sunt: ipsum etiam sacrilegum

secus ærarium interfecerunt. 43. De his ergo cæpit judicium adversus Menelaum agitari. 44. Et cùm venisset rex Tyrum, ad ipsum negotium detulerunt missi tres viri à senioribus. 45. Et cùm superaretur Menelaüs, promisit Ptolemæo multas pecunias dare ad suadendum regi. 46. Itaque Ptolemæus in quodam atrio positum quasi refrigerandi gratiâ regem adiit, & deduxit à sententia: 47. & Menelaum quidem universæ malitiæ reum criminibus absolvit: miseros autem, qui, etiamsi apud Scythas caussam dixissent, innocentes judicarentur, hos morte damnavit. 48. Citò ergo injustam pœnam dederunt, qui pro civitate, & populo, & sacris vasis, caussam prosecuti sunt. 49. Quam ob rem Tyrii quoque indignati, erga sepulturam eorum liberalissimi extiterunt. 50. Menelaüs autem, propter eorum, qui in potentia erant, avaritiam, permanebat in potestate, crescens in malitia ad insidias civium.

COMMENTARIUS AD CAPUT QUARTUM.

Criminatur Oniam Simon.

℣. 1. SIMON AUTEM PRÆDICTUS PECUNIARUM ET PATRIÆ DELATOR, MALE LOQUEBATUR DE ONIA: Spargebat ipse, & spargendos ab emissariis suis sinistros de Onia rumores curabat, totamque in illum Heliodori adversùs Templum machinationem conabatur regerere, & odiosissimi facinoris invidiâ ipsum onerare: *tamquam ipse Heliodorum instigâsset ad hæc, & ipse fuisset incentor malorum.* Græcè abest ista particula, *ad hæc*, & pro, *incentor*, habetur, *artifex.*

An apud Judæos, tamquam Heliodoro auctor fuisset sacrilegii?

℣. 2. PROVISOREMQUE CIVITATIS, AC DEFENSOREM GENTIS SUÆ, ET ÆMULATOREM LEGIS DEI: seu, ut Græcè est, *benefactorem urbis, & curatorem civium, ὁμοεθνῶν, ex eadem gente ortorum, & zelatorem legum.* Iterantur laudes Oniæ, eodem quo aliàs fine, ad demerendos Ægyptiacorum Judæorum animos, apud quos gratiâ florebant ejus posteri. Eum tamen hominem Simon criminari *audebat*, & *insidiatorem regni dicere*: in Græco habetur *rerum*, non *regni*, & in textu nostro putem restituendam vocem, *rerum*, aut tollendam saltem vocem, *regni*, quæ pro illa irrepsit. Ratio est: quia Simon, more hominibus perditis usitato, ut facinorum suorum odium in alios rejiciant; Oniam criminatus est apud Judæos, quasi ipse Heliodorum instigâsset, ad sacrilegum conatum deprædandi gazophylacii. Cujus calumniæ impudentiam Hagiographus notat ex eo, quòd Onias esset *benefactor urbis, provisor*, seu *curator* populi Judaici, & zelo defendendæ legis accensus. Eum hominem, gentis suæ & patriæ ac religionis tam studiosum, Simon tamen, impudentissimis mendaciis, & sparsis in vulgus sermonibus, ausus est proditi Templi & ærarii crimine infamare, sed frustra.

An apud Regem, tamquam Heliodorum docuisset fingere?

Sic ego Simonis criminationem accipere malim, quàm uti in serie historiæ num. 4. posui, alios secutus: qui dicunt, non apud Judæos, sed apud Seleucum Regem, Oniæ innocentiam & famam traductam. Quasi ipse Heliodoro persuasisset, seu verbis, seu muneribus, ut ab expilando ærario abstineret, ac flagella divinitus incussa, redditamque miraculo sanitatem fingeret. Adeoque per ipsius artes stetisse, quò minùs opulentâ prædâ Regium ærarium ditaretur. Istam explicationem fulcit Vatabli versio, quæ pro Græco, *insidiatorem rerum*, habet *insidiatorem rerum Regiarum*: aliam tamen, ut dixi, mavelim.

Josephi error in contentione Simonis, & Oniæ.

Salianus ad annum Seleuci 4. num. 16. post Simonis criminationem breviter narratam, meritò Josephum reprehendit, qui in libello de Machabæis, ubi historiam contendentis cum Onia Simonis refert, Apollonio tribuit quæcumque ad Heliodorum pertinent: de verberibus tamen subticet, veritus forsan Ethnicorum ludibria, ut alibi non semel.

Simonis amici Hierosolymam turbant, absente Simone.

℣. 3. SED CÙM INIMICITIÆ IN TANTUM PROCEDERENT, inter Simonem & Oniam, ut jam apertæ factionis res esset, *etiam per quosdam Simonis necessarios*, seu, ut Græcè est, *per quemdam ex Simoni acceptis*, id est, duce uno ex fidissimis Simonis asseclis, *homicidia fierent.* Aberátne igitur Hierosolymâ Simon, cùm non ipse, sed unus ex intimis consiliorum participibus, factionis caput esset? Sic valdè vero-similiter opinatur Salianus, & ad hoc tempus refert exilium Simonis, de quo Eusebius meminit in Chronico. Pulsus nimirum ex patria fuerit, Seleuci jussu, agente Heliodoro, quem ad spem inanem exciverat, & in ultimum vitæ discrimen conjecerat. Neque est, cur Eusebio fidem Scaliger detrahendam putet. Etsi enim de Simonis exilio, neque apud Hagiographum nostrum, neque alibi jam legatur: vidisse tamen Eusebius potuit in libris, qui nunc non exstent, & ex hoc ipso Scripturæ loco colligere, ubi dicitur Hierosolymæ turbatum per necessarios Simonis, non per Simonem ipsum.

Simone apud Apollonium profugo, Onias Regem adit.

℣. 4. CONSIDERANS ONIAS PERICULUM CONTENTIONIS, cædibus patratis, gliscente discordiâ, civium animis in partes abeuntibus, quibusdam pro revocando Simone, aliis contrà: ad hæc, *Apollonium insanire, utpote ducem Cœlesyriæ & Phœnices, ad augendam malitiam Simonis*: & hinc rectè conjicit Salianus, Simonem, Hierosolymâ pulsum, confugisse ad Apollonium, cujus gratiâ apud Regem se tueretur, & potentiâ ad Oniam infestandum uteretur. Ea ergo considerans Onias, ad Regem se contulit: non tam ad diluendas criminationes, etsi ita cum aliis censuerimus in serie historica, quàm ad consulendum publicæ tranquillitati, cui valdè metuendum erat ab Apollonio, & Simone, sese mutuò accendentibus in spem vindictæ de Onia sumendæ,

quâ

qui utriusque consilia & delationes delusisset. Itaque & hic muto quod in serie historica num. 4. posui ex aliorum sententia, nondum accuratè expensâ hacce narratione.

Qua de causâ profectus Onias.

℣. 5. Non ut civium accusator, Græcè additur, *factus*, hoc enim non satis Pontificiam dignitatem decuisset: *sed communem utilitatem apud semetipsum universæ multitudinis considerans*; seu, ut ex Græco commodè verti potest, *Quod publicè, & privatim, universæ multitudini conducere*, reputans, sic enim habent pleraque græca exemplaria: τὸ δὲ συμφέρον κοινῇ, καὶ κατ' ἰδίαν παντὶ τῷ πλήθει, σκοπῶν. Ex hoc versu manifestum est, non tam purgandi sui causâ profectionem ab Onia susceptam, quàm ad communem utilitatem, & ut obviàm iretur machinationibus Simonis, & Apollonii.

Viri boni & Principis officium.

Habes in Onia viri boni officium, qui eatenus tantùm hosti nocet, quatenus necesse est ad justam defensionem; id est non nocet, ut noceat, sed ut prosit. Longè aliter quàm Simon, & Apollonius, invidi ac vindictæ avidi, qui nocere volunt, ut noceant, & odium suum expleant. Habes item in eodem Onia boni Principis exemplum, nihil præponentis publico commodo, & ad commune bonum studia omnia dirigentis: cùm Princeps & magistratus quivis in populi gratiam sit, uti libro 1. variis locis ostendimus. Vide quæstiones nostras Christiano-politicas ad l. 1. & loca ibidem indicata.

Simon infaustè pergit.

℣. 6. Videbat enim sine Regali providentia impossibile esse pacem rebus dari: Simone per suos continenter moliente, & movente: Apollonio, prævalido vicinarum regionum præfecto, cui vires Judæorum in domestica discordia pares non erant, patrocinium & auxilium Simoni præbente. Satis etiam videbat Onias Simonem, quâ indole ad turbandum & audendum erat, non posse cessare à stultitia sua, seu, ut Græcè est, quietem ab amentia non capturum, alias semper ex aliis turbas, pro effrænis ingenii sui moribus, capturum, nisi ipsâ Regis auctoritate ac viribus compesceretur.

Quo tempore Simon turbârit, & Onias profectus sit ad Regem?

Quæras, quandónam isthæc acciderunt? Conatum Heliodori, ad ærarii deprædationem, contulit Salianus in Seleuci annum 4. Græcorum 128 ante Christum 183. eamque chronotaxin in serie historica secuti sumus; & ne nunc quidem mihi apparet ratio ab illa discedendi, etsi forsan poruerit æquè commodè assignari posterioribus Seleuci annis. Ab eodem Saliano profectio Oniæ ad Regem consignatur anno proximè sequenti, haud scio an satis convenienter. Debuit enim, ante iter istud suscipiendum, Onias desperâsse de compescendo viis aliis Simone, adeoque eas omnes vias tentâsse: quod fieri, nisi longo tempore, nequit. Alioqui imprudenter vir tantus, & tam sapiens, profectionem istam arripuisset, seque in manus Infidelium dedisset, & periculò, quod mox videbimus incurrisse, exposuisset. Existimârim itaque potiùs, posterioribus Seleuci annis, nec longè ante ipsius mortem, ad eum adiisse.

An Hierosolymam reversus sit Onias?

Quæras deinde: utrum Onias Hierosolymam ex eo itinere redierit? Ex tempore profectionis jam posito, & ex iis, quæ mox consequenter narrabuntur, de suffecto in Oniæ adhuc superstitis locum Jasone per Antiochum Epiphanem, conficio: Oniam ex Syria non revertisse. Profectus est enim sub extrema Seleuci tempora. Eo mortuo, cùm Antiochus Jasonem, ut mox dicemus, Pontificem creare statuisset, Oniam Antiochiæ detinuerit, ne, Hierosolymam reversus, consilia & conatus Jasonis disturbaret, pro ea, quâ apud Judæos valebat, auctoritate, & gratiâ. Neque obscurè ista detentio indicatur infra vers. 33. ubi dicitur sese Onias Daphne, propè Antiochiam, continuisse: neque ulla de illius Hierosolymam regressu fit mentio.

Seleucus ab Heliodoro occisus.

℣. 7. Sed post Seleuci vitæ excessum. Indicavimus cap. sup. ad vers. 40. genus mortis, quod ex Appiano passim historici referunt. Sub annum ætatis quadragesimum quartum, insidiis Heliodori oppressus interiit, unius ex intimis amicorum: qui cùm hactenus omnia fermè regni administrâsset, regnâssetque Regis sui nomine, jam solus & per se regnare cupiebat. Spemque ambitioni faciebat Seleuci solitudo, qui Demetrium filium admodùm puerum miserat Romam, in fratris sui Antiochi locum, & Antiochum revocârat in Syriam. Absente itaque regni hærede, nondum appulso regni vindice, sperabat ambitiosus parricida, per Seleuci mortem, omnia sibi ad capessendum regnum fore facilia, obstante Seleucidarum nemine, Asiaticisque ingeniis rerum novarum cupidis, & ad mutationes intentis, ut libro primo passim videre est.

Quàm periculosa ministrorum Principalium nimia potentia.

Si, quod cap. sup. ad v. 40. indicavimus, & nomen dignitasque ac tempus suadent, idem ille fuit Heliodorus, cui demandata fuerat cura spoliandi Hierosolymitani ærarii, quemque Hagiographus cap. eodem vers. 7. dixit super negotia Regis fuisse ἐπὶ τῶν πραγμάτων, id est, quæstorem, Regalisque ærarii præfectum, *premier intendant des finances*. Si ergo is Heliodorus fuit, ut omnino credibile est, eò pronioribus multorum studiis sese exceptum iri sperabat: cùm multos, ex ærarii Regii administratione, sibi haberet obstrictos, etiamque posset obstringere; neque enim in talis officii administratione carebat pecuniâ, efficacissimo ad corrumpendos animos pharmaco. Et hinc licebit idem discere, quod suprà in Simone advertimus: periculosissimè per Principes credi primaria officia ambitiosis, & inquietis ingeniis, qui potestate sibi commissâ, & auctoritate per illam conciliatâ, abuti adversùs ipsos dominos possint. Adde generatim, numquam consultum, & tutum esse Principi, tam altè quemquam evehere, quamvis fidum & obsequentem; ut par fermè illi incedat, & à subditis pænè ex æquo colatur. Etsi enim jam forsan nihil timendum est, timeri tamen debet in posterum, ex humanorum ingeniorum mutabilitate: furem facit occasio, faciet proditorem, & rebellem: ut non faciat, fecisse poterit; imprudenterque egerit Princeps, qui hoc ipsum, quâ licebat, non caverit, ne posset.

Quid Heliodoro factum?

Cùm Heliodorus Seleuci cædem patrâsset, regnoque immineret, affuit Antiochus, Seleuci frater, &, Eumenis Pergameni Regis Attalique fratris auxilio, Heliodorum depulit: quo deinde quid factum sit, non invenio. Patriæ numquam deinceps pedem intulisse, exterremque apud Ægyptios, aliósve Asiatici regni æmulos, egisse, arbitror; nisi properatâ morte pœnas infandi sceleris luit, alio nullo parricidii fructu, quàm æterno dedecore.

Per quæ, & per quos quis peccat, punitur.

Adverte etiam cum Saliano, divinum in Seleuci per Heliodorum cæde judicium. Ejus manibus uti voluit, ad sacrilegam sacrosancti Templi deprædationem. Iisdem ipse manibus, in facinorosi mandati pœnam, feelestè conficitur. Ita

per

per quæ quis peccat, per hæc & punitur: & ex-bus ad Deum offendendum sociis, vel administris utitur, eosdem frequenter divinæ justitiæ patitur administros.

Antiochus Epiphanes regnum invadit.

CÙM SUSCEPISSET REGNUM ANTIOCHUS, QUI NOBILIS APPELLABATUR. De ingressu Antiochi in regnum, & de cognomento Epiphanis, quod illustrem sonat, seu nobilem, abundè diximus ad cap. 1. lib. 1. vers. 11. Rectè etiam in serie historica scripsimus, regnum invasisse: neque enim ipsi, sed Demetrio fratris filio debebatur: adeoque Regem sese dicere, aut pati ut ab aliis appellaretur, non debuerat, sed pro administratore tantùm se habere, aut pro tutore fratruelis sui pupilli, & absentis.

Jason Oniæ frater ambit Pontificatum.

AMBIEBAT JASON FRATER ONIÆ SUMMUM SACERDOTIUM. Jasoni nomen Hebræum ac germanum fuisse *Iesu*, omnes ex Josepho affirmant: & nos secuti sumus ad lib. 1. cap. 1. vers. 12. ubi quædam de mutatione illa non inutiliter dicta sunt. Ambitiosissimus homo, ex eadem radice dissimillimus surculus, proculcato amore fraterno, jure omni pessumdato, spretâ vetustissimâ Judæorum consuetudine, per quam vivo valentique Pontifici alium substituere non licebat: Oniam fratrem, virum sanctum, valentem, de publico bono Antiochiam profectum, deturbare conatur; &, quò id certiùs faciat, per nefas ad nefas viam aperit.

Per simoniam ascendit.

℣. 8. ADITO REGE, PROMITTENS EI ARGENTI TALENTA TRECENTA SEXAGINTA. Quantam ea talenta summam conficiant, collige ex dictis l. 1. c. 1. vers. 3. Salianus, *trecenta sexaginta talenta*, putat esse quadringenta nonaginta quinque millia coronatorum. Alii aliter paullò numerant. En primam ambitionis machinam, expugnandæ Epiphanis cupiditati. Per argenteos gradus in altum enititur; & dignitatem sacram, à profano homine, & idololatra, mercatur infamis sacerdos. Simoniam nuper in Simone suspicabamur, in Jasone jam apertè tenemus. Dignitatem emere licuerit: at non sacram, & ab ipso Deo constitutam, & summam. Redditus officio Pontificio addictos, & pretio de se æstimabiles, emere vetitum non fuerit, quia ista censuum sacrorum emptio simonia esse dicitur juris humani, & posterioribus longè Christianorum Pontificum legibus cauta: at vetitum fuit, officium emere, cui census illi, aut proventus, Divinis legibus annexi erant.

De simonia dissertatio.

Cùm ergo tam manifestè simoniam hoc loco deprehendamus, de ea, ad mores hodiernos, aliquid dicam. In iis enim locis diu versatus sum, & jam versor, ubi, ob sacrorum Officiorum ac Beneficiorum multitudinem, frequentes de ista labe, neque injustæ, querimoniæ sunt. Sæpè Theologi super quæstionibus illuc spectantibus consuluntur; & quidam valdè laxè respondent, quasi omnia liceant; alii in oppositum ita tendunt, quasi nihil liceat. Tum hi, tum illi, sapientiùs multò facturi, si viam mediam responsis sequantur: ne laqueos nectant nimis timidis, aut foveam aperiant nimis temerariis.

Simonia duplex, & quibus legibus proscripta.

Sepono simoniam illam, cui propriè à Simone Mago nomen est, & exemplum in Giezi Elisæi famulo vetustius: quando pretium ob rem divinam, qualia sunt miracula, aut sacramentorum administratio, vel offertur, vel accipitur. Neque enim debet Dei donum pecuniâ possideri; & quidquid supra naturam est, simul est supra quantivis pretii æstimationem. Sepositâ ergo simoniâ illâ, quam juris divini vocant, ego etiam lege naturæ proscriptam, quia naturæ ipsi adversa est, putavero: alia est simonia, quam dicunt juris humani, quâ non modò rei sacræ venditio ac redemptio prohibentur, sed etiam rei ad sacram annexæ, cùm res illa annexa de se aliàs pretio æstimetur, vendique ac redimi posset.

Vetita ecclesiasticis legibus.

Ita legibus Ecclesiasticis sancitum est, ne Beneficia Ecclesiastica, sive annui census officiis sacris attributi, venales prostent, pretióve, aut re ullâ ad pretii modum, commutentur: qui secùs faxit, aut voluerit, simoniæ labem incursurum. Constat tamen, eos census ejusdem esse naturæ, ac vitalitios, & tantidem venales, si per leges illas sacras liceat: cùm redditus annuos pendant, non desituros, nisi percipientis morte, qui vitalitiorum modus est.

Cur prohibita fuerit?

Sapientissimè autem id majores nostri, & Ecclesiæ capita, prohibuêre. Primùm, ne divites soli patrimonia pauperum, Ecclesiæque, ac Christi invaderent, & possiderent. Deinde, ne turpis avaritiæ labes præsidibus, & collatoribus Beneficiorum affricaretur: neque enim erunt venditores, ubi non erunt emptores. Prætereà, languescente sensim disciplinâ Christianâ, legibus vetandum fuit, quod antè ipsa per se majorum nostrorum cavebat integritas, vel Tertulliano teste, in Apol. *Præsident*, inquit, *probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio, adepti. Nec enim pretio ulla res Dei constat.* Denique non ea fuit mens majorum nostrorum, qui Beneficia Ecclesiastica fundavère, Collegiaque, aut templa dotavère, ut illis licitandis Episcopi, Decani, Archidiaconi, aliive collatores, Patronive, aut Institutores ditescerent. Sed eos fore putaverunt, qui alio nullo quàm boni publici respectu, sine ullo emolumenti sui intuitu, benè de Ecclesia meritis, ac merituris, dispertirent, quod religiosa liberalitas ad posteros transmiserat.

Quàm pervulgata?

Spe quidem illi sua frustrati sunt, in nonnullis, ne dicam in plerisque. *Malum enim tempori vetus, sed cupiditati novum simonia* est, ut ait Bern. ep. 42. Sæpissimè proscripta, identidem ab exilio revocatur, habitu oris ac corporis aliquantum mutato, sed mox apertè atque impudenter proditura, nisi obsistatur. Sic, apud Baronium, per mediorum sæculorum tenebras, pestis illa sensim orbe toto Christiano pervasit, *ut omnia ministeria Ecclesiastica eo tempore ita haberentur venalia, sicut in foro sæcularia mercimonia.* Verba sunt Glabri apud illum an. 1047. tomo 11. Eodem tomo multa sparsim recitat exempla Episcoporum, qui ob simoniacam electionem vel abdicati sunt, vel ultro pœnâ occupatâ abdicaverunt. Simoniaci illi fuêre, quia sacra licitati: an longè à moribus quorumdam hodiernis, tantùm non licitantium Beneficia, idem saltem licitantibus facientium, si externam solùm contractûs speciem demas?

Simonia realis & mentalis in quo sita?

Constat sanè simoniæ virium nusquam esse, ubi nulla est ultrò citroque obligatio ex justitia; propter quam conveniri quis coram judice posset, nisi leges prohiberent. Constat, simoniam mentalem nullam esse, nisi quæ pro objecto habeat simoniam realem; eadem enim est hujus peccati ratio, & cæterorum cogitatione patratorum, quæ malitiam suam, ac speciem, accipiunt à re in quam tendunt, vel quâ delectantur. Itaque quisquis in Beneficiis dandis, accipiendis, commutandis, simoniam realem, id est obligationem justitiæ, conventionémve, ac contractum non cogitat, aut cogitantis instar se non habet, ille

simoniacus

ſimoniacus nòn eſt: ſicut luxurioſus, & ebrioſus non eſt, qui luxuriam & ebrietatem non cogitat occultè, vel apertè; expreſsè, vel interpretativè.

Licétne gratitudinem in Beneficiis dandis ſperare, & ſpectare?

Hinc ad mores noſtros conficiendum: danti Beneficium licere ad gratitudinem attendere, eam ſpectare, ſperare, deſiderare: modò abſit de illâ, ejúſve menſurâ ac portione, conventio, ſeu pactum ultrò citróque. Nam qui pollicitationem aut conventionem adjicit gratitudini, jam non ſolùm tenetur ex gratitudine, ſed etiam ex juſtitia ſtrictè ſumptâ, atque adeò materiam ſimoniæ admittit.

Licétne ſpem manifeſtare, facere, taxare?

Licet præterea ſpem de gratitudine ſuam oſtendere, & viciſſim facere: quandoquidem in ſpe, quantumvis reciprocâ, nihil ſit contractûs, aut affinitatis cum contractu. Sed an licet explicatè ſignificare, quid ſperes: an viciſſim apertè indicare, quantum gratitudini deſtines? Cùm hæc turpitudinem aliquam habere videantur, & ad ſpeciem emptionis figendíque pretii accedere: meritò à ſapientiæ Chriſtianæ, & ſinceræ probitatis, amantioribus fugiuntur.

Commendatur gratuita collatio.

Laudabiliùs certè multò fecerit Beneficii donator, aut donandi procurator, ſi ſpem ejuſmodi non oſtenderit, nedum taxaverit, aut æſtimârit. Laudabiliſſimus, qui ne ſpectârit quidem, & uno divinæ gloriæ intuitu, bonive publici, dignum hominem beneficio affecerit, gratiſque dederit quod gratis accepit, debuitve accepiſſe. Conſultum foret, & optabile, ſic ab omnibus fieri patronis, collatoribus, inſtitutoribus, commendatoribus: & in eum modum perfecta virtus ſeſe componeret, ad priſcorum ſæculorum exempla frequentiſſima, & aliqua noſtrorum, iſtis non inferiora, & ſub oculis adhuc noſtris poſita. Sed nos hìc diſputamus, quid liceat, quo de quæſtiones eſſe ſolent; non autem quid magis deceat, vel expediat, quo de Chriſtianorum nemo poteſt ambigere, præſertim ubi juſtitiæ diſtributivæ rationes accedunt.

In iſta etiam obligat gratitudo.

Eſto tamen, Beneficiorum donatores eò virtutis venerint, ut ſuum nihil ſpectent, aut humanum; publicum ſolummodò, & divinum, intueantur: non ideo gratitudinis lege ſolutus eſt, qui Beneficium acceperit; imò illâ tantò magis obſtringitur, quantò liberiorem eſſe donator voluit. Ipſe enim dantis affectus, ac gratuita liberalitas, duplicati beneficii loco eſt. Nec refert, quod Beneficia iſta quæ dantur, ſacra ſunt: nam ſacra licèt, Beneficia tamen ſunt; nec Chriſti ſolùm, aut ejus qui dotavit, ſed illius etiam qui tibi confert, aut tranſcribit, reſignátve, cùm alteri potuiſſet adſcribere. Quare de gratitudine teneris, non modo erga Chriſtum, cujus iſta patrimonium ſunt: neque erga dotatores tantùm, eorúmve memoriam, quorum deinceps ſtipe & caritate victurus es: ſed etiam erga conferentem, vel reſignantem, à quo accepiſti, quod alius accepiſſe poterat.

Diſponenda ad benefactoris mentem.

Quomodò autem debito gratitudinis erga Chriſtum te exſolves, religioſè & convenienter gradui tuo vitam inſtituendo: & erga dotatorem mortuum gratus cenſebere, ſi ejus memoriam recolas, Manibus benè precêre, paci & quieti orationibus procurandæ inſiſtas, quæ ſola erga vità functos officia exercentur. Ita erga donatorem vivum gratitudinem exercebis, cùm illi impendes obſequia, aut rependes beneficia mutua, quibus illum indigere ſcies, aut quæ maximè optare didiceris. Habet enim hoc gratitudo, ut beneficentiæ, quidquid poteſt, reponat, etiam ſupra acceptorum menſuram; & in reponendo id præſertim attendat, quod beneficus maximè expetit, aut quod ipſi potiſſimùm opus eſt.

Ingratitudo damnanda.

Itaque non ſufficiet gratum animum teſtari, affectum oſtendere, preces ad Deum offerre: niſi præterea, ubi uſus fuerit, obſequare, juves, adſis conſilio, ope, pecuniâ, quantum res feret, & viribus tuis ac rationi conveniet. Quomodò, qui beneficia qualiacumque acceperint, ſolent erga benefactores non benevoli ſolùm eſſe, verùm & benefici: damnanturque, & inſigni ingratorum notâ inuruntur, qui occaſiones mutuæ beneficentiæ negligunt, ac tranſeunt.

Ejus exempla quam noxia?

Narrat Seneca lib. 4. de Beneſ. ſub finem: Macedonem militem naufragum, ab ruſticano homine amanter exceptum, & diligenter curatum dies triginta, hoſpiti tam benefico mercedem reddidiſſe, qualem Æſopicus lupus, ac coluber. Prædium enim ruſticani illius, neſcio quibus rationibus adductis aut confictis, à Philippo impetrâſſe. Hunc ea de re conqueſtum per libellos ſupplices apud Philippum: Philippi juſſu, militem ſervilibus notis compunctum ad tantæ ingratitudinis memoriam, & execrationem. Non multi equidem ad ſummum iſtud vitii culmen, acceptis Beneficiis ſacris, evaſêre: in mediis tamen illius gradibus, quos Exc. ad cap. 11. ſect. 2. denotabimus, conſtitêre nonnulli; & Beneficiorum collatoribus, paris ingratitudinis redhoſtimentum metuentibus, occaſionem præbuêre, obliqua & periculoſa diverticula ſectandi. *Ingratus unus*, inquiebat olim Publius, *omnibus miſeris nocet.* Nuper ingratus unicus, aut pauci, omnibus fermè Beneficia ſacra exſpectantibus, aut largientibus, nocuêre.

Illaudabilis de gratitudine ſecuritas.

Ex ſordidis certè quibuſdam exſpectatæ gratitudinis fruſtrationibus, natæ ſunt apud nos conſuetudines aliquæ, meritò ſuſpectæ atque illaudatæ; ad reciprocam conferendi Beneficii, & redhibendæ gratiæ certitudinem. Ejus generis erit: ſi, ſpe gratuitæ compenſationis oſtensâ & factâ, non taxetur ſolùm illius modus, ſed etiam deponatur in Tertii manus, ex cujus fide & integritate tum donator, tum donatarius, ſecuri ſint ſe fraudatum non iri, ille gratuitâ mercede, hic Beneficio. Ab ea tranſigendi ratione ſana incorruptæ virtutis integritas abſtinet: quia difficulter admodùm citra ſimoniam mentalem exercetur, proximéque abeſt à realis ſimoniæ ſpecie, ac ſecuritate emptionis, & recedit à germanæ gratitudinis natura.

Beneficentia, & gratitudo ſecuritatem non poſtulant.

Nemo enim verè beneficus, ante collocandum beneficium, ſic ſolet cavere ne conferat ingrato: neque ullus verè gratus ſic ſeſe adſtringi, & oppignerari, ante accipiendum beneficium, facilè patietur. Atqui, in Beneficiorum ſacrorum collationibus, exigenda omnia ſunt ad gratitudinis normam, ut ſimonia vitetur. Quantum ergo à recta gratitudinis linea diſceditur, tantum acceditur ad uncum ſimoniæ.

Cur iſtius ſecuritatis artes aliæ taceantur?

Artes alias hodiernas, vitando ingratitudinis periculo excogitatas, commemorare hîc, & notare ſtatueram. Sed conſultius fore viſum eſt, ſi tacitæ præterirentur; ipſóque vituperarentur ſilentio: ne, dum religioſiores ab illis dehortamur, irreligioſior quiſpiam inde occaſionem nimiæ licentiæ oblatam ſibi putet, arripiatque ipſe, & aliis ſuadeat. *Quædam in præceptis*, inquit Cyprianus, ſeu quis alius Cypriani nomine lib. de Spect. *utilius tacentur; admonent ſæpè, dum interdicuntur.*

dicuntur. Theologorum erit, reſponſa ſua, ex Chriſtianæ ſapientiæ & Evangelicæ diſciplinæ documentis, ita temperare: ut ab omni ſpecie mala abſtineatur, & per licitorum gradus ad illicitorum impudens mercimonium non veniatur, inducaturque in ævum noſtrum ea ſimoniæ caligo, quam modò Baronius in mediorum ſæculorum nocte deplorabat.

Gymnaſium & ephebia quid?

℣. 9. SUPER HÆC PROMITTEBAT ET ALIA CENTUM QUINQUAGINTA, SI POTESTATI EJUS CONCEDERETUR GYMNASIUM ET EPHEBIAM SIBI CONSTITUERE. Pro, *concederetur*, Græca Sixtina habent συγχωρηθῇ, alia quædam habent ἐπιχωρηθῇ, eodem ſenſu. De gymnaſio diximus ad cap. 1. lib. 1. v. 15. De gymnaſii loco, habes verſ. 12. fuiſſe conſtitutum ſub ipſa arce, id eſt ad radices civitatis David, non longè ſe licet à Templo: quò plus doleret piis impia profanatio morum. Ephebiam idem verſus 12. interpretatur lupanar. Ubi notandum, quod in Vulgata eſt, *optimos quoſque juvenum in lupanaribus poſitos*, Græcè haberi, ὑπὸ τὸν πέτασον ἦγεν, *ſub petaſum duxit*. Rectè autem pro *petaſo*, in Vulgata poſitum *lupanar*, probat Petrus Faber lib. 3. Agoniſticon cap. 27. Erat enim petaſus inſigne ephebotum iſtorum exoletorum, ut ex Polluce Serarius ait ad hunc locum: aut cortina, ſeu velum, quod obſcæniſſimis illis tenebrarum operibus obtendebatur, ut idem Serarius ait, indicatúque idem l. 3. Reg. cap. 23. verſ. 7. ubi dicuntur ſublatæ ædiculæ effæminatorum, pro quibus mulieres texebant quaſi domunculas luci, tegendis ſcilicet ſceleribus.

Jaſonis ſcelus alterum luxuria.

Jungit facinoroſus Jaſon ſimoniacæ ambitioni Sodomicæ luxuriæ execramentum. Ita, vix uno ſceleris genere continetur effrænata cupiditas, ubi ſemel proruit, fræno divini timoris abrupto. David, ex adultero, mox homicida eſt. Salomon, ex mulieroſo, fit idololatra. Jaſon ambitioni ſimul ſeſe, & luxuriæ, mancipat.

Simoniaci luxurioſi.

Adverti in Eccleſiaſtica hiſtoria, quibus ſæculis ambitio ſimoniaca licentiùs graſſata eſt, iiſdem libidines maximâ impudentiâ regnâſſe: eoſdemque fermè utrique vitio Levitas, ſeu Eccleſiaſticos, addictos fuiſſe, quemadmodùm Jaſonem. In hiſtoriis noſtra Leodienſi, ævo Alberonis Secundi; ævo Alberti Cuiquii, de quo epitaphium iſtud infame ſcriptum,

> *Hoc in ſarcophago cunctorum dira vorago*
> *Clauditur Albertus, Grezi dum vixit apertus*:

ævo Radulphi, Hinsbergii, Borbonii, quibus ævis venalia fermè proſtabant Beneficia omnia: iiſdem corruptiſſimos mores fuiſſe, luxuriâ in ordine ſacro impunè toleratâ, & fermè conſuetudinis legitimæ inſtar obtinente.

Jus Antiochenæ civilitatis ambitur.

ET EOS, QUI IN HIEROSOLYMIS ERANT, ANTIOCHENOS SCRIBERE. id eſt donare jure civitatis Antiochenæ: quæ, cùm ſedes Regis eſſet, multis prærogativis gaudebat, juſque illius ac civilitas magni proptereà æſtimabatur. Quemadmodùm poſteà pro magno habitum eſt, eſſe civem Romanum: ut de eo titulo apud Tribunum Act. 22. D. Paullus gloriatus ſit, & Tribunus ipſe reſponderit, non levis ſummæ pretio civilitatem illam ſibi conſtituiſſe. Si verum eſt, à Seleuco Nicanore jus Antiochenæ civitatis Judæis datum: dicendum erit, inquit Salianus, illo poſtmodùm excidiſſe, jam reſtitui. Ego dixero, à Nicanore datum jus iſtud Judæis, Antiochiæ habitantibus: jam verò poſtulari ab Jaſone pro Judæis, etiam Hieroſolymæ habitantibus.

Tertium Jaſonis ſcelus apoſtaſia.

℣. 10. QUOD CÙM REX ANNUISSET, &c. Notatur tertium Jaſonis ſcelus, defectio à vera religione, & traductio Judæorum ad Gentiliſmum. En ad quod barathrum ducat ambitio præceps, cui præ dignitate nihil penſi & ſacri eſt. Vide quæ de illa diximus ad lib. 1. cap. ult. Exc. 1. ſect. 2.

Quis Joannes pater Eupolemi?

℣. 11. ET AMOTIS HIS, QUÆ HUMANITATIS CAUSSA &c. PER JOANNEM PATREM EUPOLEMI, QUI &c. Relativum, *qui*, Eupolemum reſpicit, à Machabæo Romam legatum, ut narratur lib. 1. cap. 8. verſ. 17. Sententia hujus verſûs eſt Jaſon inſtituta Gentilium Hieroſolymis ſanciebat; ſublatis prærogativis, quas à deceſſoribus Antiochi Epiphanis, à Seleuco puta & Antiocho Magno, Judæis legem ſervantibus, & Templum piè frequentantibus, impetrârat Joannes, pater Eupolemi, poſtmodùm legatione ad Romanos functi. De Regum erga Templum, & ſacra Hieroſolymitana, veneratione & munificentia, diximus ſupra cap. 13. ad verſ. 2. 3. Veroſimile eſt, Joannem illum, Eupolemi patrem, ab Onia de iſtis ad Reges Aſiæ legatum, benevoléque exceptum, poſtulata obtinuiſſe: aut gratiâ apud Aſiæ Reges valentem, ſicut Nehemiam apud Reges Perſarum, patriæ ſuæ & patriis ſacris varia impetrâſſe.

Superſtitio Paganica Hieroſolymæ augeſcit.

℣. 13. ERAT AUTEM HOC NON INITIUM, SED INCREMENTUM &c. De gymnaſio & ephebia, ſeu ephebotum abominando lupanari, quod habet verſus 12. diximus ad verſ. 9. Jam verſu 13. Hagiographus ſubjicit, ab infanda iſta gymnaſii labe auctam apoſtatarum Judæorum licentiam, non autem cœptam. Antè enim Jaſon, ejuſque aſſeclæ, & imitatores, ad Gentilium mores & inſtituta ferebantur. At ubi infames illæ libidines, proculcatâ palam lege Moſaicâ, ſimul cum Græcanicis gymnaſiorum exercitationibus Hieroſolymam immigravêre: mox ſublatum eſt apoſtaſiæ vexillum, *& non ſacerdotis Jaſonis*, id eſt, non Pontificatu modò ſed & ſacerdotio indigni, quamvis ſummi Pontificis filius & frater foret, exempla ſacerdotes alii ſecuti ſunt: ad ſacerdotum mores ſeſe maxima populi pars effinxit. Nam, ut inquit Rup. lib. 9. de vict. Verbi, *ubi tales erant ſacerdotes, qualis putas erat populus?*

A parvis initiis magna mala.

Quærat quiſpiam unde tanta in populo Dei labes monſtroſorum criminum? Quod *initium* fuerit, ubi tale fuit *incrementum*? Eodem modo illuc à Judæis ventum eſt, quemadmodùm & à cæteris: *Nemo* enim, ut Satyricus loquebatur, *repentè fuit turpiſſimus.* Semina, in terram jacta, non ſtatim in culmos, & ſpicas, erumpunt: ſed paullatim in herbam, deinde in calamum formantur, denique in ariſtam, & fructum, quomodò Chriſtus dicebat. Sic ſata per inimicum hominem zizania non apparuêre, niſi poſt temporis moram, nec maturuêre ante meſſem.

Regnum virtutis paullatim in mentibus hominum creſcit.

Chriſtus regnum cælorum comparat grano ſinapis, quod minimum eſt, id eſt, inter minima ſeminum: ex tantillo tamen, unâ æſtate arboreſcit. Quid cogitatiunculâ unicâ minus? A manè ad veſperam quot currunt momenta, quot intercurrunt cogitationes, quàm variæ, quàm minutæ? In tanta multitudine incidit bona una, ac congrua, in legendo, audiendo, meditando. Inde affectus exardeſcit, ſtatuitur de virtute, conſtatur, perſeveratur. Granum ſeminis exigui erumpit in arborem, cui pro radice eſt ſenſus agnitæ veritatis, pro trunco voluntas firma, pro ramis & fructibus multiplex operatio. Angelici ſpiritus,

ſpiritus, & ipſe Spiritus Dei, columba cæleſtis, *requieſcit ſuper humilem*, & trementem ad ſermones ejus. Sic Antonii, Auguſtini, Simeones Stylitæ, in arbores excrevêre proceritatis immenſæ, qualem Nabuchodonoſor in ſomnis vidit. Id ſolum inter hanc & illas intereſt; quod illæ numquam ſunt ruituræ, quia caput cælo attollunt, ibidemque radices figunt: hæc collapſa eſt, relictis, quas in terra fixerat, radicibus.

Regnum inferorum ſimile grano ſinapis creſcenti.

Quod de regno cælorum, ac virtutis, idem de vitii atque inferorum regno dicendum eſt: Sinapeos coccum eſſe, qui ſi foveatur, erumpit in arborem, radices miſſuram ad Tartara, & latè funeſtos ramos ſparſuram, ubi nidificent noctuæ, ac veſpertiliones, & omnes volucres tenebrarum. Unde Jaſones, Menelai, Lyſimachi, apoſtatarum cæterorum Judaici generis, ſcelera initium duxêre? Si radicem inſpicias, videbis coccum, aut granum: affectum aliquem pravum, paſſionem quampiam licenter evagantem à pravis ad modica, dein ad majora, denique ad maxima. Semina ambitionis, cupiditatis, luxuriæ pullulavêre, ac progerminavere integram facinorum ſilvam.

Qui id fiat?

Utinam exempla iſtiuſmodi paſſim non ſpectarentur; ruentium ad extremam perniciem, ab unico affectu, quamvis levi, ac veniabili, non benè edomito; ab aliqua vitioſa propenſione, non ſatis emendatâ. Iſtius autem exitii cauſſæ ſunt, vel à dæmone, vel à nobis, vel à Deo.

Dæmonis ars ad trahendum hominem in præceps.

Dæmoni enim, jurato hominum hoſti, idem mos eſt, quod militiæ duci, qui regionem hoſtilem per *immunita terræ* ingreditur; urbem quatit, ubi debiliora ſunt mænia: aciem invadit, quà rariores ſunt cunei. Ita dæmon *circuit quærens*, quâ parte animus hominis ſit infirmior, quâ maximè propenſione laboret, ubi minor cuſtodia excubet. Similitudinem eam indicat D. Ignatius in Exercitiis. Tertullianus libro de Anima comparat aucupi: *Spiritus nequam*, inquit, *ab ipſa etiam janua nativitatis animas aucupabundus*. Auceps proprias aviculis illicias objicit, ut incautæ laqueis induantur. Propria cuilibet homini irritamenta dæmon proponit, Heroni inanem fiduciam, Martiniano luxuriam, Tertulliano ambitionem: ex iſtis propenſionibus, malè caſtigatis, miſerabiles lapſus audiuntur cum horrore. Catholicum Manichæus, Auguſtino teſte, ſenſim induxit in laqueos, conceſſo culicem non creatum à Deo. Ita dæmon à muſca ad elephantem.

Hominem ſua ipſius propenſio trahit.

Fac dæmonem ceſſare, ipſa homini propenſio ſua dæmon fiet, & paullatim illum, velut per ſcalas, deducet ad infima; facili deſcenſu, ſed gradûs revocatione difficillimâ. Jonas *deſcendit ad inferiora navis* gradatim; non uno impetu proſiliit. Sic enim à natura facti ſumus, ut, conſuetudine ſenſim inductâ, tanto voluntas noſtra potentiùs feratur, quantò objectum majus eſt: adeoque, qui parvorum peccatorum dulcedine à recto abſtrahi aſſuêrit, proniùs trahetur dulcedine majorum. Bernardus l. 1. de Conſid. ad illud Jobi; *Quæ priùs tangere nolebat anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt: Primùm*, inquit, *importabile videtur aliquid: proceſſu temporis, ſi aſſueſcas, judicabis non adeò grave: paullò pòſt leve ſenties: paullò pòſt nec ſenties* &c. Vide ſimilem ejus ſententiam l. de Conſc. vide & ipſum ſerm. 63. in Cant. ad illud, *Capite nobis vulpes parvulas*, ubi deſcribit novitium, ab exiguis erroribus paullatim ad maximos deficientem, datis poſtremò impudentiæ manibus, ſaltu *de excelſo in abyſſum, de pavimento in ſterquilinium, de ſolio in cloacam, de cælo in cœnum.* Narrat D. Aug. de mor. Manich. cap. 8. facinoroſam mulierem Athenienſem paullatim ſic aſſuêſſe veneno potando, *ut legitimam quantitatem veneni, à judice damnata, innoxiè hauſerit.* A ſcrupulo peccati ad drachmam, dein ad unciam, poſteà ad libram; denique ad congium venit Jaſon, veniunt Chriſtiani heu nimis multi, donec bibant denique iniquitatem ſicut aquam.

Dei gratia deſtituit non utentes.

Deo nimirum, in negligentiæ pœnam, gratias ſuas efficaces, & abundantes ſubtrahente. Quid autem natura, quid virtus, ſine gratia agat? Quid domus ſine fulcimento? Samſon columnam palatii Philiſtinorum concutit, & palatium omne ſubruit. O quale in Salomonis animo palatium fuit ſapientiæ, ac virtutis! Quàm fœdè ſubrutum! Non aliâ de cauſsâ, quàm quòd ſeſe divinâ gratiâ indignum fecerat, propenſionibus indomitis nimis obſequendo. Ad promontorium Bonæ ſpei apparente nubeculâ, quam oculum bovis nominant, præſagitur tempeſtas. Ingens pluvia Eliæ cæpit à nube pedali. Sic cæpere tempeſtates Judaicæ.

Sacerdotum impietas.

℣. 14. uſque ad 18. Compendio narratur, quomodò ſacerdotes Judæi, omiſſo Dei cultu, ad inverecundas palæſtræ exercitationes, alioſque ludos Græcis frequentatos, quos ideo Hagiographus Græcanicas *glorias* vocat, convolarent, & de illis contenderent: ſectando inſtituta Gentilium Syro Macedonum, *quos interemptores habuerant*, per bella Antiochi Magni, ſeu potiùs, ut Serarius & Salianus ex Græco legendum putant, *habuerunt*, poſtmodùm: à quibus multa nuper paſſi fuerant, brevi plura paſſuri, Deo ſic juſtiſſimè diſponente, ut per quæ quis peccat, per hæc & puniatur. *In leges enim Divinas impiè agere, impunè non cedit.*

Quid palæſtra?

PALÆSTRAM Liranus interpretatur ludum literarium: *prohibitionem ejus injuſtam* explicat traditionem impiæ doctrinæ, idemque ait innui nomine gymnaſii. Quaſi Hieroſolymis ab Jaſone inſtituta fuerit velut Academia quædam, ubi deorum cultus, & aliæ Gentilium profanæ conſuetudines docerentur: Sed tum ex ipſa palæſtræ ſignificatione propria, nam ludis literariis id nomen non applicatur, niſi metaphoricè; tum ex reliquo Scripturæ textu, manifeſtum eſt; agi de loco, ubi gymnica ſeu nudorum certamina, athleticæque & pancratiaſtarum exercitationes, luctâ, curſu, cæſtu, pugilatu, aliterve celebrabantur, præbitioque præmiorum fiebat victoribus.

Diſcus quid?

DISCI idem Liranus putat eſſe infinitivum caſum à verbo diſco: nam iſtas voces, *in exercitiis diſci*, explicat, *informari in exercitio talis doctrinæ*: ſed conſtat eſſe genitivum caſum à nomine diſcus, Græcè *δίσκυ*.

Quæ diſci exercitia?

EXERCITIA verò *diſci* exiſtimat Petrus Faber 1. Agon. c. 22. eſſe eadem, quæ palæſtræ. Diſco enim propoſita & circumlata fuiſſe præmia, & coronas ad ciendos concertatores. Itaque in textu Græco haberi, *μετὰ τὴν τοῦ δίσκυ πρόκλησιν*, id eſt, ut ipſe vertit, *poſt diſci provocationem*: quia, prolatis in diſco inſignibus victoriæ, provocabantur palæſtritarum ſtudia. Eam Fabri explicationem Serarius, Salianus, Tirinus amplectuntur.

An jactus lapidis?

Quid ſi dicamus exercitia diſci eam exercitationem eſſe, de qua Siracides, paullò Jaſonis ætate ſuperior, meminit c. 6. ubi ait: *Lapidis virtus probatio eſt illis?* Olim enim, ad experiendas & oſtentandas

ostentandas vires, provocare inter se solebant motu, vel jactu prægrandis lapidis, qui, propterea quòd disci ferè formâ esse soleret, discus appellabatur, idque certaminis genus vocabatur provocatio disci; inde apud Plinium discoboli palæstritæ. Vide Corn. in Eccl. & ad Zach. cap. 12.

Cur ex exercitationes in sacerdotibus reprehensæ?

Cur ergo, inquis, eam exercitationem, utique honestam, & antè Judæis non ignotam, Hagiographus in sacerdotibus reprehendit? Primùm, quia licèt alios deceret, sacerdotibus tamen erat indecora; maximè cùm palàm, & in turba, exercerent, & præ illa curam sacrorum negligerent. Deinde, quia mox ab illa transibant ad palæstram, ubi inverecundæ & Judæis insolitæ concertationes visebantur. Præterea, quia in Gentilium societatem, & conversationem, per communia cum ipsis studia, sese abjiciebant. Denique, ut advertit Serarius, quia gymnasiarchæ & agonothetæ, apud Græcanicos populos, ferè erant sacerdotes idolorum; ipsaque, ut mox videbimus, certamina deorum honori dicabantur: unde participare palæstræ, & præbitioni ejus injustæ, erat velut publica quædam idololatriæ professio, & veræ religionis abjuratio.

Agon ludorum Olympicorum.

℣. 18. Cùm autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, et Rex &c. Olympicum certamen fuisse eum Tyriorum agonem, existimat Serarius; sed Salianus putat, alios fuisse Phœnicibus ludos, in alia, quàm Olympici, tempora incurrentes: quia, inquit, hic annus respondet Olympiadi mediæ, non autem ejus initio, quo ludi in Græcis celebrari solebant. Hanc Saliani rationem eluderet Serarius dicendo, quod ad librum 1. in proœmio seriei historiæ indicavimus, chronologiam Saliani aberrare annis duobus. Nam si ipse in temporum notatione annis duobus aberrat, consequitur hunc annum agonis Tyrii cum initio Olympiadis convenire. Et verò longè probabilius est à Syro-Græcis quinquennales agones, Græcanico more & tempore, celebratos in ea urbe, quæ jam inde ab Alexandri Magni ævo Græcis parebat.

Olympici ludi quomodo quinquennales.

Olympiades annorum quatuor censebantur, quia eo nomine intelligebatur intervallum, quod inter ludos Olympicos interjectum erat. Initium autem ludorum istorum anno demum quinto dabatur: unde dicti pentaeterici ludi, seu quinquennales, cujusmodi Herodes in Cæsaris honorem instituit, apud Josephum lib. 15. cap. 11. Consule, si placet, Pithœum in notis ad Censorinum, & Serarium hic.

Legati ad ludos ab Jasone, seu theori.

℣. 19. Misit Jason facinorosus, ab Hierosolymis viros peccatores. Mendum irrepsisse videtur in ea voce, *peccatores*: Græcè enim habetur θεωρούς, quod Serarius vertit *precatores*, Salianus *spectatores*. Ex origine, cùm à verbo θεωρεῖσθαι prodeat, θεωρός significat *spectatorem*: Sed ex ludorum agonisticorum usu, commodè Serarius reddidit *precatorem*. Theori enim dicebantur, qui ad certaminum honorem augendum, & ad oracula consulenda, deorumque sacra procuranda, ab exteris civitatibus mitti solebant. Itaque Stratocles quidam adulator Atheniensibus auctor fuit, ut quos ad Antigonum & Demetrium mitterent, non legatos deinceps appellarent, sed theoros: ut eâ indigetatione significaretur, Reges illos deorum loco ab Atheniensibus haberi. Vide Serarium, & Salianum.

Quamobrem?

In Græco textu additur, ὡς ἀντιοχεῖς ὄντας, *ut qui essent Antiocheni*. Quâ particulâ indicatur ratio, cur Hierosolymis sint missi Tyrum ad ludos, Rege Syriæ præsente celebratos: nempe, eò quòd jus Antiochenæ civitatis nuper, Jasonis postulatione & donis, recuperâssent, vel impetrâssent: nec decere videretur Antiochenos cives, præsertim novos, in tanta celebritate desiderari.

Quam pecuniam ferrent?

Portantes argenti didrachmas trecentas: id est trecentos florenos Belgicos, inquit Tirinus, nec longè abludit Cenalis apud Salianum, de ea summa centum circiter florenos minuentem. Græcè habetur *drachmas*, non autem *didrachmas*: quæ lectio si vera esset, dimidianda foret summa, & nimis parum ad eam legationem in sumptus sacrificii, de quo mox, superesset. Dicendum ergo Græcè mendum esse in voce *drachmas*, sicut Latinè in voce *peccatores*.

Cur ad Herculis sacrificium?

In sacrificium Herculis. En publicam & impudentem Jasonis apostasiam, & idololatriam. At cur Herculi nominatim sacrificatum mittit, cùm Ludi Olympici in honorem Jovis ferè celebrarentur? Dicit Serarius, athletas de imitatione Herculis gloriatos, ut Galenus & Adrianus aiunt apud Lipsium; ideoque in gymnasiis statuas, & ædiculas Herculis, poni solitas, ex Pausania, Dione, & Athenæo. Adde, Tyri celebrem fuisse Herculem, ad cujus sacra sese, ante urbem obsidendam, à Tyriis admitti Alexander Magnus petierat, apud Curtium lib. 4.

Vertitur pecunia in alios usus.

Quas postulaverunt hi qui asportaverant ne in sacrificiis erogarentur, &c. Legati ab Jasone, seu theori, postulavêre & obtinuêre, ut ne ista pecunia in sacrificium impenderetur, sed ad triremium sumptus verteretur, ut habet versus sequens. Legati ergo illi non fuerunt *peccatores*, cùm præter ipsius Jasonis mentem, ac mandata egerint, pro impediendo sacrificio: fuerant saltem, ut ait Liranus minus mali, ac minùs effrontes quàm Jason. D. Ambrosius epistola 15. ad Eugenium, qui imperium invaserat, & pecunias, de impiis sacris in fiscum redactas, permiserat rursus ad sacrificia deputari, istorum Legatorum exemplo adducto, conatur ipsum ab ea impietate dehortari: tantum abest, ut impios & *peccatores* fuisse existimet.

Apollonius ab Antiocho in Ægyptum missus.

℣. 21. Misso autem in Ægyptum Apollonio Mnesthei filio, quem diversum omnino fuisse ab Apollonio Tharseæ filio, constat ex dictis ad versum 5. capitis 3. Eo igitur in Ægyptum misso, *propter primates Ptolemæi Philometoris Regis*, *Antiochus* Epiphanes animos Ægyptiacæ nobilitatis prætentavit, ad invadendam tutelam pupilli Philometoris, sui ex sorore nepotis, & ad regnum per tutelæ speciem sibi vindicandum, ut diximus ad l. 1. c. 1. versum 17. 18. 19.

Primores Ægypti nolunt Epiphanem tutorem.

Cùm cognovisset, Apollonii relatu, Antiochus, alienum se a negotiis regni Ægyptiaci effectum: nec primoribus Ægypti placere, ut tutorem sese pupilli regis ferret; suspicantibus scilicet, quod suberat, ipsum ex tutore Dominum fore. Græca Sixtina pro *negotiis regni*, habent τῶν αὐτῶν πραγμάτων, id est, *ipsis negotiis*; alia exemplaria habent, τῶν αὐτοῦ πραγμάτων, id est, *suis, aut ipsius negotiis*. Quæ lectiones in eamdem cum Vulgata sententiam recidunt: quandoquidem negotia regni Ægyptiaci erant Antiocho propria, vel saltem propriorum instar habebantur, illius administrationem affectanti. Serarius non incommodè verba ista explicat de Ptolemæo Philometore: quasi Antiochus intellexerit, non se, verùm Philometorem alienum à suis negotiis effectum, id est, per primores

Ægyptios

Ægyptios regno deturbatum, suffectumque Phisconem fratrem. Eâ certè honesta specie invadendæ Ægypti usum Antiochum, diximus ex Livio ad locum suprà indicatum libri 1.

Epiphanes utili consule non honesto.

Proprie utilitatibus consulens, Græcè τῆς καθ' αὑτὸν ἀσφαλείας ἐφρόντιζεν, id est, *de ipsius*, vel *sua securitate curam suscipiebat*: quod vel de Antiocho ipso, vel de Philometore possit intelligi; ut Antiochus dicatur post Apollonii reditum cogitâsse, de consulendo securitati suæ, aut securitati Philometoris. Sed illud malim. Neque enim Antiochus Philometori consulere volebat, sed sibi, etsi aliud prætexebat. Advertit Salianus ab interprete nostro lectum non ἀσφαλείας sed ὠφελείας, ideoque reddidisse *utilitatibus*, seu *utilitati*, eodem redeunte sententiâ. Quamquam Antiochus utilitati suæ potiùs studuisse dicendus est, quàm securitati, affectando regno Ægyptiaco. Nam à pupillis non erat, quod timeret: sed erat, quod ab illis caperet, & abriperet; tutore tegens raptorem, & honestum postponens utili, quomodò politicis mos est.

Consilium dissimulat.

Profectus inde, Tyro, venit Joppen, legens oram maritimam; forsan & classe vectus, ut videtur innuere ista Joppes solius in hac profectione mentio, urbium mediâ nullâ nominatâ. Joppe progressus est *Jerosolymam*. Adverte, quantâ dissimulatione Antiochus consilium suum obvelat. Antiochiâ Tyrum progreditur per speciem visendi agonis, celebrandorum ludorum, & honorandi Herculis. Tyro Joppen navigat, &, ne motus iste Ægyptiis suspectus sit, inde Hierosolymam procedit pacato agmine. Hierosolymâ in Phœnicen iter reflectit, receditque ab Ægypto, ut mox dicetur. Non latuit tamen Ægyptios vafri, & ambitiosi hominis consilium. Itaque arma expedivêre, parati ultro lacessere Antiochum, & armis repetere Cœlesyriam, ut lib. 1. diximus.

Excipitur honorificè Hierosolymis.

℣. 22. Et magnifice ab Jasona et civitate susceptus, cum facularum luminibus et laudibus ingressus est. Equum Trojanum, & maximum malum, impius Jason, & imprudentes Hierosolymitæ, cum lætitiæ signis, & faustis acclamationibus, in civitatem suam inducunt. Erumpet inde post paucos annos, qui facularum lumina, & lætas vociferationes, mutet tristibus incendiis, ac lamentationibus. *Faculas*, lucernas, ignes, gaudii & honoris indicia esse, tum ex priscis scriptoribus discitur, Herodiano, Xiphilino, Tertulliano, &c., tum ex moribus nostris. Pro nostro, *laudibus*, Græcè est, βοαῖς, *clamoribus*: indicantur voces civium Hierosolymitanorum, vitam & prospera omnia Antiocho acclamantium, ut populi Regibus advenientibus solent.

Pacato agmine redit in Phœnicem.

Et inde in Phoenicen exercitum convertit. κατεστρατοπέδευσε: ex qua voce Serarius colligit, Phœnicen ab Antiocho petitam infesto exercitu, quia, inquit, suberat Regibus Ægyptiis. Sed vox ista Græca æquè commodè, imò commodiùs, explicari potest, de reflexo in Phœnicen cum copiis itinere: & constat; vel ex eo, quòd Antiochus quinquennalem agonem Tyri celebraverit, Phœniciam tunc in potestate Regum Syriæ fuisse, ut rectè advertit Salianus. Debebatur quidem ista provincia, uti & Cœlesyria, Ægyptiis ex dote Cleopatræ Reginæ, quam Antiochus Magnus Ptolemæo Epiphani, Philometoris & Phisconis patri, despondcrat: sed ex provinciæ ad Syriam adsitæ, illique percommodæ, non diu paruerunt Ægyptiis, & per Epiphanem, utili non justo studentem, recuperatæ sunt.

Triennii tempus unde ducendum?

℣. 23. Et post triennii tempus. id est, inquit Salianus, cùm jam quartus annus esset in cursu, ex quo sacrilegus Jason Oniæ, fratris sui, Pontificio solio incubabat. Eodem modo Tornielius explicat istud *triennii tempus*. Petavius maluit tres illos annos ducere ab ingressu Antiochi Epiphanis Hierosolymam: eâdemque sententiâ Serarius dicit, post triennale ab initio Ægyptiaci belli, priorisque Hierosolymitani accessus, missum ab Jasone Menelaum. Utraque explicatio suas rationes habet, posteriorem tamen potius elegero, vel ex eo quòd mox, post narratum Antiochi Hierosolymitanum iter, subditur, *Et post triennii tempus*, ab ea scilicet profectione elapsum.

Menelaüs an frater Jasonis.

Misit Jason Menelaüm, supradicti Simonis fratrem. Meritò hîc Serarius, & Salianus, exagitant Josephum, qui Menelaüm facit fratrem Jasonis. Si enim frater Jasonis Levitæ, de stirpe Aaronica, cur Scriptura illum nominat fratrem Simonis Benjaminitæ? Deinde Jason, qui Oniæ fratris solio Pontificio incubabat, nonne ut suspicax esse solet, & timida omnis ambitio, timuisse debuerat, ne alius suus frater idem faceret ipsi, quod ipse Oniæ: præsertim, si ad Antiochum cum commendationibus, & muneribus, mitteretur? Metuere autem tantumdem à Menelao non debuit, si de Levitico genere non fuit, aut saltem Aaronico non proximus.

An Simonis frater impropriè?

Respondent varia, qui Josephum tuentur. Menelaüm dictum fuisse fratrem Simonis Benjaminitæ, non sanguine, sed malitiâ: ita quidam apud Liranum, idemque sentit D. Thomas apud Serarium, *non fuisse fratrem carne, sed moribus, unde Glossa ait, fratrem*, id est, *scelere parem*. Alii dicunt, benevolentiâ, affinitate aut cognatione aliquâ, fratrem Simonis appellari, quo modo non infrequenter ea vox in Scriptura sumitur.

Verè fuit frater Simonis.

Sed effugia ista frustra sunt. Cùm enim hîc Scriptura tam apertè vocet Menelaüm Simonis fratrem; ex regula D. Augustini, sumi debet ea vox in proprio sensu, quandoquidem nulla ratio appareat aliter sumendi. Quorsum enim Hagiographus arcesseret ea initio capitis Simonem Benjaminitam, ut Menelaüm ei faciat fratrem morum similitudine, aut benevolentiâ, vel cognatione: quando proximè locutus est de Jasone, diceréque multo commodiùs potuit, *misit Jason fratrem suum Menelaum*, hominem sibi utique moribus ac vitâ simillimum. Deinde, ut benè advertit Salianus, Scriptura vers. 26. disertè, Menelaüm proprio fratri opponit, saltem in textu Græco: *& Jason quidem, qui proprium fratrem circumvenerat, ab alio ipse circumventus*, &c. Quem locum, si Menelaüs frater Jasonis fuisset, hunc in modum expressisset Scriptura: *Jason, qui proprium fratrem captivaverat, & ipse à proprio fratre* &c.

Cur ergo Pontificatus translatus?

At, inquis, si Menelaüs Jasonis frater non fuit, sed Simonis Benjaminitæ, ergo Antiochus Pontificatum transtulit non ad aliam modò familiam, sed etiam ad aliam tribum. Responderi possit, Menelaüm potuisse Simonis Benjaminitæ fratrem uterinum fuisse, ipsum ex patre Levita, hunc ex patre Benjaminita: atque adeo traductum ab Antiocho Pontificatum ad aliam quidem forsan familiam, sed non ad exteram tribum. Concedamus omnino, ab Antiocho translatum

in

in Benjaminiam tribum ſacerdotium : quid de Rege impio, nihilque alind in Pontificum mutationibus, quàm commodum ſuum ſpectante, mirum dixerimus, ut hic benè advertit Liranus? Qui paullò antè, contra ſas, ſanctum Pontificem Oniam de ſolio Pontificio deturbârat, fratremque, quod ſuperſtite legitimo Pontifice non licebat, ipſi ſurrogaverat : magiſne ſibi religioni duceret, Pſeudo-Pontifici ex Aaronica familia ſubſtituere alium Pſeudo-Pontificem ex Benjaminitica?

Joſephi hic auctoritas nulla.

Quid autem Joſepho faciemus, quem hic Rabanus, Zonaras, D. Thomas, aliique ſecuti ſunt? Faciamus ipſum erráſſe, uti in multis hûc ſpectantibus. Coegerit multas ipſius cum Scriptura, imò ſecum compugnantias, quod ad Oniæ & Jaſonis geſta pertinet, Serarius : ut nemo ab ipſo, in Scripturæ gratiam, vereatur diſcedere; & in ejus gratiam nemo explicandæ Scripturæ vim afferat. Eas compugnantias apud ipſum videre poteris : nam tranſcribere operæ pretium non eſt.

Menelaüs à quo commendatus Epiphani?

℣. 24. AT ILLE Menelaüs COMMENDATUS REGI : per quem? Liranus exiſtimat, commendatum fuiſſe per amicos Regios, muneribus conciliatos. Et verò ſic ſolet aditus aperiri ad Principes. Salianus putat commendatum ab Jaſone, & amicis. Ego utramque verum cenſuerim. Primùm ab Jaſone litteras fidei, ſeu credentiæ, ut vocant, habuiſſe ad Regem, commendatitias ab eodem ad primores aulicorum : deinde ipſum per ſe potentiſſimâ munerum commendatione uſum, ad demerendos animos non jam Jaſoni, ſed ſibi.

Cujuſnam poteſtatem magnificavit?

CÙM MAGNIFICASSET FACIEM POTESTATIS EIUS, id eſt, additâ commendationibus adulatione, multiſque de Antiochi potentiâ magnificis dictis, gratiam illius demeritus. Iſta eſt textûs noſtri obvia, & facillima explicatio. Ex Græco textu quidam ſic explicant, quaſi Menelaüs ſuam ipſe poteſtatem magnificè apud Antiochum venditârit : adeoque putant æquè commodè verti potuiſſe, *Cùm magnificaſſet faciem poteſtatis ſuæ*, non *ejus*, id eſt, *cùm multa ſe poſſe oſtendiſſet*. Hanc explicationem in notis ad Sixtina Græca Nobilius refert : utramque approbat Salianus. Et ſanè utrumque à Menelao factum arbitror, ad captandam Regis benevolentiam : ut tum Epiphanem, laudibus & adulatione gaudentem, magnificè prædicaret; tum ſeſe ipſe præ Jaſone jactaret, multoque plus poſſe oſtenderet, pollicitus *auri talenta trecenta*, ſupra ſummam ab iſto promiſſam in ſummi Pontificatûs mercatu.

Prævaricatores Menelao ſimiles.

IN SEMETIPSUM RETORSIT SUMMUM SACERDOTIUM, Antiocho illud auctionante, nec quidquam ibi ſpectante, præter compendium, & pecuniam. Menelai prævaricationem & perfidiam imitantur, qui, procurandis aliorum negotiis deſtinati, res ipſi ſuas agunt, illas negligunt aut perdunt : tamquam, qui quærendo matrimonio, Beneficio, officio per amicum allegatus, ipſe ſibi ſponſam procetur, Beneficium venetur, aucupetur officium, quod perfidæ ſolertiæ eſt.

Hieroſolymam revertitur Menelaüs.

℣. 25. Narratur Menelâi reditus Hieroſolymam, acceptis à Rege mandatis : quæ non dicitur, qualia fuerint; intelligitur tamen ex ſequentibus, quòd ANIMOS CRUDELIS TYRANNI, ET FERÆ BELLUÆ, ſeu, ut Græcè eſt, *fera barbara iram gerens*, venerit. Credibile eſt itaque ab Antiocho in mandatis accepiſſe, ut quidquid religionis intactum Jaſon reliquerat, ipſe vexaret, & amantiſſimum quemque pietatis maximè infectaretur. Quod autem dicitur, NIHIL DIGNUM HABUISSE SACERDOTIO, intellige non tantùm mores & animos habuiſſe ſacerdotio indignos, ſed etiam originem, quâ non pertinebat ad ſtirpem Aaronis. Indignior ergo fuit iſtâ dignitate, quàm Jaſon : qui licet verſ. 13. vocetur *non ſacerdos*, quia *impius*, moribuſque à ſacerdotio abhorrentibus; non poterat tamen dici, nihil omnino habere dignum ſacerdotio, qui de Aaronica ſtirpe prodierat, ſummi Pontificis filius.

Quomodò Jaſon Oniam fratrem captivavera.

℣. 26. ET JASON QUIDEM, QUI PROPRIUM FRATREM ONIAM CAPTIVAVERAT, id eſt circumvenerat, uti ex Græco vertendum ontavêrunt ante me Serarius, & Salianus. Quamquam & captivus ab Jaſone Onias dici poteſt, cum ejus cauſsâ Antiochiæ extorris ageret : imò, ut veroſimillimum eſt, ibi haberetur in libera cuſtodia, ne quid pro recuperando Pontificatu tentaret, ſi Hieroſolymam, ubi probis omnibus carus erat, reverti ſineretur.

Pellitur & punitur, ut peccârat!

Is ergo Jaſon, quâ fratrem arte fefellerat & deturbârat, eâdem per Menelaum deturbatus, Hieroſolymâ profugit *in Ammonitem*, ſeu Ammonitidem regionem. Ambitioſus homo, ſimoniâ in dignitatem alteri debitam graſſatus; ab homine itidem ambitioſo, per mercatus & auctiones, injuſte de injuſta poſſeſſione depulſus eſt in exteram regionem. *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur.*

Menelaüs & Soſtratus ab Antiocho evocati.

℣. 27. 28. 29. Narratur Menelaum, liberalem promiſſorem, tardum præbitorem, cùm in mora eſſet, & ſummam Antiocho promiſſam non repræſentaret, ab eo evocatum : ſimul cum Soſtrato arcis Hieroſolymitanæ præfecto, & quæſtore, atque exactore Regiorum debitorum & tributorum, φόρων, ſeu ut alii Græci codices habent, διαφόρων, cui propterea cum illo malo conveniebat, ut avaro creditori cum negligente debitore. Menelao interim, auctoritate Regiâ, ſuffectum fratrem ejus Lyſimachum : Soſtratum autem Cypro inſulæ regendæ præpoſitum. Iſta eſt Vulgatæ noſtræ ſententia, & explicatio. Sed Græcus textus difficultatem aliquam facit, unâ, atque alterâ quæſtiunculâ enodandam.

Menelaüs fueritne amotus à Pontificatu, an ſuſpenſus ſolum?

Quæritur 1. An Menelaus fuerit amotus à ſacerdotio? Ratio dubitandi eſt : primùm, quòd in Græco habeatur tantùm, reliquiſſe Lyſimachum fratrem ſuum, διάδοχον, id eſt vicarium, ſeu *ſuccedentem*, ad implendas officii vices, non autem ad occupandum officium ipſum; ſic etiam infra verſ. 31. dicitur Antiochus ſibi ipſi ſuffeciſſe Andronicum, διαδεχόμενον, id eſt vicarium abſentis. Deinde, verſ. 39. infrà dicitur Lyſimachus, conſilio Menelai, ſacrilegia perpetrâſſe, res Templi furando, ut ſumma promiſſa Epiphani conficeretur : erat ergo tantùm vicarius Menelai, cujus conſilia exſequeretur. Accedit, quòd Joſephus in ſerie Pontificali Lyſimachum non numeret. Denique, c. 5. verſ. 5. Menelaüs, redux Hieroſolymam, dicitur in arcem fugiſſe, & Jaſon Principatum non obtinuiſſe : ergo Principatum obtinebat Menelaüs, adeoque amotus non fuerat. Ob has rationes exiſtimavêre quidam, Menelaüm ad tempus ſolummodò aliquod ſuſpenſum fuiſſe ab officio Pontificali, donec pecunia tota penderetur. Sed quid ad textum noſtrum, ubi disertè dicitur amotus à ſacerdotio? Planè cenſuerim amotum fuiſſe, & poſtmodùm gradui priſtino reſtitutum, ſolutione factâ, neque invito Lyſimacho, cui paullò meliùs cum peſſimo

fratre

fratre conveniebat, quàm Jasoni cum Onia. Alternis itaque Pontificatum invasêre fratres duo; sicut postmodùm socer, & gener, Annas, & Caiphas. Quod autem objiciebatur ex Græco, non admodùm validum est; cùm, διαδέχεσθαι, significet etiam in dignitate succedere. Ad auctoritatem Josephi, suprà diximus parvi hîc esse momenti: adde, Lysimachi mentionem forsan non fecisse, quia exiguo tempore texit, neque aliter quàm ex Menelai consilio. Nos verò, textûs nostri apertam sententiam secuti, Jasonem, Menelaum, Lysimachum, ex æquo scripsimus Pseudo-pontifices.

Sostratus an ex arcis præfecto præfectus Cypri.

Quæritur 2. An Sostratus prælatus fuerit Cypriis? Dubitandi ratio est, quòd Græcè dicatur reliquisse διάδοχον, seu, ut suprà dicebamus, vicarium aut *successorem Cratetem, qui super Cypriis*, id est, qui Cypro insulæ præfectus erat. Vatablus tamen Cratetem existimat fuisse præfectum frugibus dimetiendis, non verò Cypriis; quia cypros est quoddam mensuræ genus. Sed, ut benè advertit Salianus, nimis violenta est Vatabli interpretatio: Græcè enim habetur κυπρίων, Cypriorum, non κύπρων, cyprorum, seu cuprorum. Maneat ergo, Cratetem illum, de quo textus Græcos, fuisse Cypri insulæ pro Antiocho Epiphane præfectum. Non ideò tamen Sostratus isti insulæ præfectus non est. Amotus enim inde interim Crates fuerit, & Hierosolymam traductus: quia Sostratum, ob simultatea cum Menelao exortas, ad præfecturam arcis reverti non expediebat. De ea arce vide dicta lib. 1. cap. 1. ad versum 30. &c.

Quando præfectos urbium inter se committi expediat, & contrà?

Quæritur 3. ex isto Antiochi, Sostratum & Menelaum sejungentis, exemplo; an expediat in urbibus collocari præfectos rerum, vel sacrarum vel civilium, inter se adversantes, an potiùs dissidentes separari debeant? Nam si inter se adversentur, cives in studia distrahunt, dein factionibus dividunt, denique discordiis apertis lacerant, & in exitium, quò discordia ducit, præcipitant. Contrà autem, cùm inter se conveniunt, periculum est, ne adversùs Regem, aut Principem conspirent, & dominationem invadant; vel, privatæ utilitati consulentes, bonum publicum pessumdent, sine metu inspectoris ac correctoris. Hinc Principum quorumdam consilium est, præfectis æmulos, pari, vel simili auctoritate opponere; qui illis invigilent, & censorum instar sint, nihilque patiantur incorrectum elabi. Utram ex istis partem eligamus? Mihi videbatur, Principi, in subditorum bonum intento, numquam æmulos inter se præfectos, ita committi debere, ut ad simultates apertas dissidiaque erumpant: ne civium quies turbetur operæ pretio aut parvo, aut nullo.

Antiochus donat pellici fructus urbium duarum. Inde seditio orta.

℣. 30. & 31. Cùm hæc agerentur Tharsenses et Mallotas, Tharsi & Malli celebrium in Cilicia urbium incolas, consternavit ad seditionem prodiga Antiochi liberalitas. Eas enim urbes, sive earum proventus, donaverat concubinæ suæ, cui *Antiochidi* nomen in textu utroque. Olim in Vulgata legebatur *Antiochi*, sed in Sixtinis restitutum *Antiochidi*. Quam appellationem forsan pellex ab Antiocho ipso Epiphane, in amoris testimonium, acceperat; jam fructu urbium duarum, ad profusæ benevolentiæ indicium, donatur. Sic apud Ciceronem act. 5. Verres pellici fecit, alii item facere olim soliti, præsertim in Oriente. Neque ita pridem Lusitaniæ Rex, non turpi quomodò Antiochus erga concubinam amori, sed honesto in uxorem, tantum indulserat, ut ipsi in crepidas, sive in delicias, addiceret vectigal magni apud Indos proventûs: quod D. Franciscus Xaverius obtinuit, ut ad lucrum animarum, & ad cæli delitias verteretur. Vide vitam Xaverii l. 2. c. 8.

Celeritas in comprimenda seditione.

Cùm ergo Tharsenses, & Mallotæ, dedecorosam donationem indignati, tumultuarentur, & in apertam seditionem erumperent, Antiochus *festinanter venit sedare illos*, ne rebellio morâ convalesceret, omnisque forsan Cilicia præcipuarum urbium, & propè à mari sitarum, ideoque auxiliis oportunarum, exemplum sequeretur. Quâ in re, mali Regis laudanda est sedulitas, & imitanda Principibus: ut ad motus subditorum intenti sint, & ad ipsas illorum suspiciones advolent, quemadmodùm concurri solet ad nascens incendium. Ne autem se absente quidquam Antiochiæ turbaretur, id etiam solerter providit, ut vicarium substitueret, neque antè discederet, quàm *suffecto Andronico ex præfectis*, ut Græca habent, *uno*, ut Latinè habetur, *uno ex comitibus*: Interpres istud *Comitis* nomen, apud Imperatores Romanos usitatum, posuit pro præfecto, eâdem sententiâ.

Principes quomodò populo cedere debeant?

Liranus existimat, seditionem compositam retractatâ donatione, & aliunde concubinæ provisum. Neque id improbabile videtur: estque sine dubio Principibus aliquando consultum, acta sua rescindere, & consilia mutare, quando, si in illis persistetur, magnum est à seditionibus periculum. Nec metui debet aliquantula auctoritatis jactura, recuperabilis motu sedato. Ita senes sapientes suasêre Salomonis filio Roboamo, ut tantisper cederet populo, propter onera nimia tumultuanti, & Regis facilem benignitatem, pronâ deinceps obedientiâ, compensaturo: quos quia noluit audire, juvenibus, duriora Regiæ Majestati tuendæ suadentibus, aurem commodavit; idcirco à seditione ad defectionem apertam ventum est, & abstracta Regi pars dominationis maxima, irreparabili damno.

Menelaüs sacrilegâ donatione demeretur Andronicum, & quorsum?

℣. 32. Ratus autem Menelaüs, accepisse se tempus oportunum, per absentiam Regis, vicariam potestatem exercente Andronico, venali homine, ipsi ad benevolentiæ conciliationem aurea quædam vasa, de Templo surrepta, donavit; ex aliis, Tyri, & per vicinas civitates, puta Sidonem, Ptolemaidem, Berytum, divenditis, pecuniam confecit: an ut Epiphani daret, in partem solutionis pro Pontificatu sui pretio; an ut Andronico largiretur, ad demerendum magis ac magis ipsius animum? At quorsum tantopere studebat, comparandæ istius Protegis benevolentiæ, dum Rex aberat? Existimat Liranus, non aliò spectâsse, quàm ad Oniæ mortem. Et verò credibile est, sacrilegum hominem, & exterum ab Aaronica stirpe, judicâsse, Pontificatum sibi numquam firmatum fore, quamdiu in vivis degeret Onias, legitimus Pontifex. Cùm necem illius sperare vix auderet ab Epiphane, apud quem, quantumvis impium, virtus ipsius in pretio erat, ut brevi advertemus; putavit adesse tempus oportunum, perpetrando flagitio, quando Andronicus vicariam potestatem susceperit, intentus pecuniæ undequaque corradendæ, dum regeret.

Prudentia Oniæ in arguendo Menelao.

℣. 33. Quod cùm certissime cognovisset Onias, arguebat eum, &c. Tria hîc adverte in Onia. Primùm, de arguendo Menelao non statuisse, nisi certissimè cognitis sacrilegiis. Neque

Neque enim prudentis viri eſt, ex rumoribus, aut ſuſpicionibus arguere. Nec probi viri eſt, facilè mala, vel de improbis, credere. Pronum erat ſuſpicari, per ſacrilegia dignitatem tueri conaturum, qui ſacrilegè emiſſet. At non ideò factum credit Onias, quia pronum erat ſuſpicari: certiſſimè cognoſcere vult, antequam credat.

Conſtans libertas.

Alterum, quod advertas, eſt arguendi fiducia, quam Græci *παῤῥησίαν* vocant. Exutus poteſtate, patriâ pulſus, ipsâ libertate orbatus, captivique inſtar in aſylo ſe continens: liberam tamen mentem, & vocem habet, ſeque adhuc Pontificem eſſe meminit, publicum vitiorum cenſorem, idque officii non vult omittere; etſi alias ſui muneris partes exercere non poſſit. Improbum fœlicem infælix probus meritò, & intrepidè, reprehendit.

Quid Daphne: cur illi jus aſyli?

Adverte tertiò: Oniam *in loco tuto* ſe continuiſſe, *ſecus Daphnen*. Erat Daphne celeberrimum Antiochiæ ſuburbanum, à quo etiam ipſa Antiochia Epidaphne, apud ſcriptores aliquos, appellata. Diſſitam ab Antiochia Daphnen fuiſſe ſtadiis quadraginta ait Strabo: quod intellige de Apollinis ac Dianæ fanis. Nam ædificia circumjecta, & luci, proximè ad urbem tendebantur; ut ex S. Babylæ hiſtoria, aliiſque, colligere eſt: & ex textu hujus loci Græco, ubi dicitur Onias abſceſſiſſe *in Daphnen, quæ ad Antiochiam poſita eſt.* Illi loco, *ob deorum celebria fana*, immunitatem Reges Syriæ conceſſerant, & jus aſyli: quod nomen ſacer hiſtoricus poſuit verſ. 34. Ubi lepidam ejus ex Græco etymologiam Liranus affert, quomodò & alias non paucas alibi.

Cur illic Onias ſe continuerit?

Ad eum locum Onias ſe contulit, ut Menelai furori ſeſe ſubduceret, quem non neſciebat vitæ ſuæ inſidiaturum, favente impio Prorege: præſertim poſt reprehenſa liberè ipſius ſacrilegia. Impietati enim, quamvis effronti, pietas & veritas odioſa eſt: &, ut quiſque maximè in peccando inverecundus eſt, ita minimè vult reprehendi; puderque ac dolet audire, quod facere nec dolet, nec pudet. Itaque Onias, non ignarus, vulneratum à ſe impii hominis animum, ſecuritati ſuæ conſulit; ne vitam, bono adhuc publico utilem, ultro prodigat, vel conjiciat in diſcrimen. Magnitudinem animi, quam fortuna non abjecerat, in caſtiganda verbis impietate exercuit: nunc prudentiâ, in vitando ubi ratio ſuadebat mortis periculo, utitur.

Licuitne Oniæ uti aſylo, ob cultum deorum conceſſo?

At, inquis, potuitne Onias ſecuritatem ab inanium deorum aſylo petere? Nonne, eo facto, veræ religionis puritati detrahebat religioſiſſimus Pontifex, & reverentiam aliquam idolis exhibere videbatur? Non magis, quàm ſi quis Chriſtianus apud Japonas, Indóſve, aut Chinas, ad Bonziorum veſtibulum, aut porticum Pagodici delubri, confugeret, imminente ſicario. Neque enim iſte quidquam Bonziis, aut Pagodibus eâ fugâ reverentiæ deferret, ſed ſaluti ſuæ conſuleret: juſque aſyli ſolum attenderet, non juris illius cauſſam, à ſuperſtitione manantem populorum, vel Principum. Ita ſi quis hodie Catholicorum, ut inſequentem hoſtem declinet, in hæreticorum templo, vel cæmeterio, imò in ſynagoga Judæorum, ſe contineat, aut ſi quæ apud illos alia aſyla ſunt, ob pravæ doctrinæ reverentiam ſtabilita: nemo interpretabitur, aſyli iſtius uſum honori eſſe hæreticis, aut ſuperſtitioni Judaicæ. Adde, Oniam non in Apollinis, Dianæve, delubro ſalutem quæſiſſe, ſed in alia Daphnes domo privata, ac profana: ideoque forſan interpres noſter vertit, *ſecus Daphnen*, quod Græcè habetur *in Daphnen*: ut ſignificetur, in extrema aſyli iſtius parte ad Antiochiam habitâſſe, non autem in medio, ubi deorum ſimulacris victimæ adolebantur.

Oniæ mors, & martyrium.

℣. 34. Narratur mors Oniæ inflicta per Andronicum, ſuaſu Menelai. Quod in textu noſtro habetur, *peremit*, Græcè eſt, *παρέκλεισε*, *concluſit*: unde Salianus rectè conjicit, ab Andronico Oniam non palàm mactatum, ſed clam, intra ædium aliquarum ſepta, ſine tumultu, ac ſtrepitu. Cùm autem id acciderit ob juſtè reprehenſa vitia, & in odium veritatis, dubitari non debet, quin eam ob rem Onias Martyribus accenſendus ſit; quemadmodùm in cauſſa non longè abſimili D. Joannes Baptiſta, ac D. Lambertus noſter; & in cauſſis fermè geminâ Divi noſtri Federicus, & Albertus, itidem Martyres, ex ſimoniacorum & res ſacras invadentium odio. Itaque vir ſanctus poſt extremos vitæ annos, inter Simonis, Heliodori, Jaſonis, Menelaï odia, exactos, toleratasque inſigni fortitudine calamitates, vitam digno ac triumphali exitu clauſit.

An credulitate nimia Onias non peccavit?

Quæres, an aliquid hic peccârit Onias nimiâ credulitate? Suſpectus enim ei fuit Andronicus, & eſſe debuit, eò magis, quò enixiùs inſtabat, ut de aſylo procederet. Neque apparet, quæ in ſpeciem probabiles rationes afferri potuerint, ad perſuadendum de aſylo egreſſum, committendamque perfido homini vitam, Judaicæ reipublicæ adhuc neceſſariam, inter Pſeudo-Pontifices fluctuanti, &, ſublato legitimo Pontifice, parum à naufragio abfuturæ. Non habeo, quid ad iſta reſpondeam, niſi quomodò dixi l. 1. cap. 12. ad verſ. 39. &c. de Jonathæ erga Tryphonem imprudenti credulitate; illi, & huic occaſionem dedit animi magnitudo, & conſcientiæ ſecuritas.

Punitur Andronicus.

℣. 35. uſque ad 39. Refertur indignatio non Judæorum modò, ſed & Græcorum, de Andronici ſcelere: accuſatio apud Epiphanem, ex Cilicia reverſum: hujus ſenſus, & illacrymatio, de morte innoxii ſenis, cujus virtus apud impietatem ipſam in pretio erat: ſupplicium Andronici, qui antè *non veritus juſtitiam*, jam expertus eſt æquiſſimam juſti Numinis vindictam, armato adversùs execrandum facinus Rege, quamvis facinoroſo, & ſententiam culpæ convenientem urgente *accenſis animis*.

An id ſupplicium ex pravo affectu Antiochus inflixerit?

Quæres, an id ſupplicium Antiochus irrogârit, ex ſerio dolore oppreſſæ virtutis à perjuro, ac perfido? Scio facinoroſis quibuſdam moris eſſe, ut maximè in vitia invehantur, & in vitioſos ſæviant: vel ſic famam aliquam juſtitiæ captaturi, & apud plebem vitiis ſuis fucum facturi, poſiturique exemplum ad publicum terrorem ac pacem. Sacrilegus, perfidus, perjurus erat Antiochus, talemque ſenſerat Onias, & Judæi omnes brevi ſenſuri erant; ſacrilegum, perfidum, perjurum punit, ſimillimum ſibi. An quis in alio odit, quod in ſe amat? An ut exiſtimationem juſti Principis in vulgus colligat? An ut ſubditos exemplo terreat; quos non malos eſſe, etiam mali Principis intereſt? Ex Hagiographi noſtri verbis colligo, nihil iſtorum in eo ſupplicio ab Antiocho ſpectatum, ſed ſolam Oniæ virtutem, quam multiplex Andronici ſcelus circumvenerat, & obruerat.

Videtur inflixiſſe ex juſto dolore.

Dicitur enim *contriſtatus animo Antiochus propter Oniam, flexus ad miſericordiam, recordatus defuncti ſobrietatem, & modeſtiam*, ex propinquo forſan & familiariter cognitam, ex quo Antiochiam venerat: deinde *accenſis animis, Andronicum,*

purpurâ

purpurâ exutum, per urbem circumduci jussisse, & in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiserat, vitâ privari. Græcè additur, *scissis vestibus*, aut *ejus* Andronici, aut *suis* Antiochi. Si illud cum Saliano mâlis, scissæ fuerint vestes Andronici ad majus ludibrium, ut seminudus circumduceretur: sin hoc magis placuerit, Antiochus more Judaico vestes laceràrit, serio dolori testando. Itaque ex dolore & misericordiâ erga occisum, & justâ erga homicidam irâ, Antiochus sententiam tulit: injustus aliquando justè judicat, & facit; nec vir malus semper mala perpetrat.

Seditio in Lysimachum coorta.

℣. 39. Multis autem sacrilegiis in Templo, seu, ut Græcè est, *in civitate, commissis, Menelai consilio.* Jungenda isthæc cum iis, quæ habentur vers. 32. ubi dicitur, *Menelaus furatus vasa sacra.* Neque enim Menelaüs per se furatus est, quippe qui Hierosolymâ ad Antiochum evocatus, nondum, ut apparet, redeundi licentiam redemisset, aut accepisset. Sed ipsius *consilio*, Græcè γνώμη, quod etiam verti possit, *decreto*, & *jussu*, Lysimachus sacrilegia perpetravit, quorum *divulgata fama*, & Antiochiâ Hierosolymam usque perlata est, præsertim post occisum Oniam, & punitum Andronicum. Quare exortâ seditione, *congregata est adversùm Lysimachum multitudo, multo jam auro exportato*, Græcè χρυσωμάτων, id est *vasis sacris.*

Lysimachus fugatur, & occiditur.

℣. 40. 41. 42. Turbis autem insurgentibus &c. Narratur Hierosolymitarum, sacrilegia indignantium, certamen cum Lysimacho, & asseclis: horum fuga, & mors Lysimachi, secus ærarium seu gazophylacium interfecti, justissimo Dei judicio; ut, qui ærarium Templi expilàrat, in ipso fermè sacrilegiorum patratorum loco occideretur, quemadmodùm Andronicus in homicidii loco supplicium extremum tulit.

Latinus textus Græco illustratur.

Græci textus aliquid habent à Latino diversum, sed non contrarium. In isto legitur, *Lysimachus cœpisse iniquis manibus uti*, id est manibus iniquorum usus esse, ad se tuendum & cædes patrandas, *duce quodam tyranno.* Græca quædam pro *tyranno*, habent αὐράνῳ *Aurano*; quod fuerit forsan nomen tyrannionis illius, pro Lysimacho pugnantibus præeuntis. *Tyranno* illi, seu *Aurano* in Vulgata adscribitur elogium, *ætate pariter & dementiâ provecto*. pro *dementia* in Sixtinis Græcis habetur, ἄνοιαν, eâdem sententiâ, in aliis legitur, διάνοιαν, mentem; unde Tigurina versio sic expressit elogium Tyrannionis, *affectâ jam ætate, non minus mente*, id est, devexâ pariter ætate, ac sapientiâ. In Vulgata habemus, *quidam cineres in Lysimachum jecère*: in Græcis legitur, εἰς τοὺς περὶ τὸν Λυσίμαχον, *in eos, qui circa Lysimachum*, & in quibusdam additur καὶ τοὺς ἐπιφερομένους, *& in irruentes.* Cineres autem jaciebantur, non tantùm, ut significaretur Lysimachum, & asseclas, dignos esse pœnâ ignis, quomodò ait Salianus; sed maximè, ut oculis molesti essent, visumque impediendo, armorum etiam usum impedirent.

An consiliis sui fratris Lysimacho cædem accersiverit Menelaus?

℣. 43. De his ergo cœpit judicium adversus Menelaüm agitari? An de Lysimachi cæde? Potuitne esse suspicio, procuratam illam à Menelao: inductumque ab ipso ad sacrilegia patranda Lysimachum, ut plebi exosus fieret, Hierosolymâ pelleretur, aut occideretur, reditusque ad occupationem sacerdotii paratior esset? Non abhorrent isthæc à Menelai moribus, ac sceleribus: neque ipsi ulla fit tali suspicione injuria.

De quibus accusatus apud Epiphanem Menelaüs.

Quia tamen Hagiographus nihil ejusmodi innuit, nedum memorat, omittamus & nos, dicamusque, *judicium adversùs Menelaum agitari cœpisse, de his*, quæ in textu præcessêre, de corrupto Andronico, Oniâ interempto, Lysimacho ad sacrilegia excitato, dataque inde seditioni Hierosolymitanæ causâ. Horum omnium reus agi cœpit Menelaüs; nominatim tamen instituta fuit accusatio, de sacrilegiis Lysimachi ex Menelai consilio. Nam vers. 44. dicuntur *missi tres viri à senioribus* civitatis Hierosolymitanæ, ad vocandum in jus Menelaüm apud Regem, qui Antiochiâ, post sumptum de Andronico supplicium, venerat Tyrum. Seniores autem Hierosolymitani ea potissimùm facinora commemorari jusserint, quorum recentissima ipsis erat memoria, & experientia. Adde vers. 48. disertè exprimi, *pro civitate, populo, & sacris vasis*, actionem institutam.

Absolvitur numario judicio, damnantur accusatores, & plectuntur.

℣. 45. usque ad finem; Menelaüs cùm superaretur, & causâ videret se laborare, ad solitas artes conversus, armisque argenteis victoriam sperans, *Ptolemæum* adit, venalis fidei, linguæ, & favoris aulicum. Eum *Dorymenis*, seu *Dorymini* Græcus textus nominat. De quo vide nos l. 1. cap. 3. vers. 38. Promissis pecuniariis inescatus Ptolemæus, mollibusque fandi temporibus captatis, *adit Regem, in atrio quodam* otiantem, aut delitiantem, *velut refrigerandi gratiâ*: ex qua refrigeratione, colligit Salianus, isthæc gesta per æstatem. Proponitur pro Menelao, & pronunciatur: neque modò ipse absolvitur, sed accusatores, quamvis innocentes, adeoque *apud Scythas*, in ipso barbariæ sinu, patrocinium justitiæ inventuri, capitis damnantur, & *cito*, id est præcipiti, ac festinatâ pœnâ, plectuntur: indignantibus Tyriis, & plexorum funera, ad innocentiæ testimonium, liberaliter curantibus. Menelaüs, Regio judicio absolutus, vacuam per Lysimachi obitum, Pontificiam sedem repetiit, *crescens in malitia ad insidias civium*, accusatorum præsertim suorum, & hostium fratris. Salianus, ex eo quòd Hagiographus dicat, *permansisse in potestate*, infert, numquam fuisse *amotum* à sacerdotio: verùm infirma est illa collectio, cùm possit dici permansisse, qui non longo tempore abfuit, & absens fratrem consilio rexit.

Avaritia toto hoc capite spectata.

Notâsti, Lector, ab initio capitis ad finem perpetuas avaritiæ nundinationes. Pontificatus emitur, ac redimitur, discordia inter primores gliscit, cædes patrantur, sacrilegia fiunt, seditiones excitantur, judicia corrumpuntur, innocentia opprimitur: Jasone & Menelao Antiochi favorem auctionantibus; Sostrato Menelaüm ad promissa pendenda urgente; Menelao Andronicum ad Oniæ cædem, Lysimachum ad expilationem Templi impellente; civibus Hierosolymitanis sacrilegarum rapinarum impatientibus; Cilicibus redemptam impendio suo libidinem indignantibus; Ptolemæo patronum impietatis & injustitiæ agente; Antiocho sententiam, pro vitio in virtutem, ferente.

Est vitiorum domina & ancilla.

Itaque avaritia vitium est vitiorum omnium, hominum omnium, locorum omnium: pervulgatissimum idem, & inhumanissimum. Vitiis omnibus vel ancillatur, vel dominatur. Libidini servit in Antiochide, in nefandis ephebörum prostibulis. Injustitiæ dominatur, tribunalia corrumpit, proditiones concinnat, seditiones excitat, bella parat: ut in Oniæ cæde, in Judæorum Menelai accusatorum supplicio, in Tharsensium

motu, in Hierosolymitarum tumultu, in Pontificiæ dignitatis vicissitudine vidimus.

Hominum omnis generis vitium.

Neque Antiochidem modò concubinam, & angusti pectoris sexum, afficit, nec pueros modò, ephebósve, tentat: sed etiam Antiochos, & quamvis Epiphanes, eminentisque dignitatis viros. Quamquam horum plerique speciem aliam isti vitio prætendunt: aliqui magnificæ liberalitatis impendium; nonnulli sapientis frugalitatis compendium; quidam privatæ rei familiaris conservationem; alii publicorum ærariorum augmentum.

Etsi omnes illud pudeat.

Non paucos invenias, quos vitiorum aliorum non pudet. Sunt qui de ventris capacitate glorientur; sunt qui luxuriam profiteantur; sunt qui venditent temeritatem, & iras jactent: nec desunt, quibus irreligiositas, imò propudiosus sacrorum contemptus, laudi ducitur. Qui avari audire velint, ideoque tantùm habere, ut habeant, imò sic habere ut non habeant; paucissimi, aut nulli sunt. Ne ille quidem primarius Califa Mahometanus, de quo Spondanus narrat ad an. 1258. habendi adeò avidum & retinentem fuisse; ut, cùm vim auri infinitam coacervásset, illique incubaret draconum instar, vel minimum tamen inde sumere noluerit, cogendo ad se tuendum stipendiario milite. Itaque verissimum in ipso fuit istud Publii, *In nullum avarus bonus est, in se pessimus*: & istud, *Avarus, nisi cùm moritur, nil rectum facit.* Nam ab Haalono, Mangoni Tartarorum Chami fratre, oppressus, captusque, & fame mori coactus est, intra cubiculum auro plenum occlusus, cum hoc dicto: non debere talem Principem, & Saracenorum magistrum, aliis epulis, quàm aureis, vesci.

Ad omnem conditionem pertinet, aulicos, judices, milites, sacerdotes.

Neque ad aulas solùm pervadit, ubi Ptolemæi & Andronici conciliantur; neque ad castra solum, ubi Sostrati in spem quæstûs concitantur; neque ad tribunalia solùm, ubi Antiocho jubente nocens absolvitur, insontes damnantur: sed ad templa ipsa, & sacraria, ubi Jasones, Menelai, Lysimachique grassantur. Atque utinam in Templo tantùm Judaico dominatum exercuisset, non intra Christianorum sacratissima adyta, post toties prædicatam divini Doctoris oraculo beatam paupertatem. Albicum narrat Spondanus an. 1412. Pragensem Archiepiscopum, tam sordidum, ut vinariæ cellæ claves nulli, quàm sibi, crederet, animalia viva dono accepta mox venderet, vilem aniculam penûs curatricem haberet, ab alendis equis, quòd noctu vorarent, abstineret.

Beneficiorum nundinæ, & pompæ Prælatorum religiosorum fædissimæ.

Quid autem sordes istæ ad nundinas sacrorum beneficiorum, Jasonis ac Menelai auctionibus, & Lysimachi sacrilegiis, non absimiles? *Ex tunc ira tua, Domine*, inquit Hugo Folietensis, *ex tunc venale sacerdotium ex tunc, & ex nunc. Adhuc enim in Ecclesia est Iason cum Onia. Adhuc precibus, & pretio, quorumdam celebratur electio.* Aliquine etiam, ut pompas instruant, ludos parent, ephebias alant, voluptatibus indulgeant, adolescentium nobilium paria circumducant; quidquid donare debuerant, vendunt? *Eos, qui Hierosolymis sunt, Antiochenos volunt scribi, quia divites esse cupiunt, & videri: & qui, ante conversionem sæculi, cum paucis ire consueverant, nunc in multitudine magna, & apparatu copioso, curias frequentant. Et per hoc simplicibus dant intelligi, quòd paupertas non conveniat prælationi.*

Pauperes avari.

Neque divitum modò vitium est, verùm & pauperum. Apud Senecam lib. de Tranq. Bion eleganter ait: *Non minùs molestum esse calvis, quàm comatis, pilos evelli. Idem scias de pauperibus, locupletibusq; par illis esse tormentum. Utrisque enim sua pecunia obhæsit, nec sine sensu avelli potest.* Celebratur in vita D. Antonini dialogus cæcorum mendicantium, inter se de opibus suis sermocinantium, pileosque ubi insuti erant numi permutantium. Amisêre pileos, & pecuniam, cum acerrimo sensu doloris, ex justâ sancti Præsulis sententiâ.

Inhumanissimum vitium avaritia.

Denique, etsi pauperum æquè ac divitum vitium sit, inhumanissimum tamen est erga indigentes, ideoque avaria misericordiæ divinæ januam claudit, facitque ut audire mereantur, *nescio vos.* Exemplum nobis proposuit Christus in divite Epulone: aliud affert Spondanus anno 1568. In Suecia, per publicam famem, avarus quispiam dives triticum pauperibus vendere nolebat, nisi integro pretio repræsentato. Dum ita se gerit, & magnâ curâ per famulos horrea claudi, & custodiri, curat, ne qua fraus fiat: boves duo ingentes colore nigro, frumenta depascentes, visi famulorum uni; qui, spectaculo territus, cùm hero nuntiâsset, repentè ad ejus pedes mortuus concidit. Mittitur servorum alius, conspectisque non bobus tantùm, sed & suibus, consternatus mox ad herum recurrit, & vix enarrato viso suo corruit exanimis. Herus ipse, ut oculis suis credat, horreum ingreditur, videt bobus & suibus accessisse generum omnium animalia, quod pauperibus negaverat frumentum, vorantia. Humanitatis expertem avarum mente emovit spectaculi horror, phreneticumque, & membra laniantem, deduxit ad conveniens inhumanitati exitium.

EXCURSUS

EXCURSUS MORALIS

Ad cap. 4. v. 26. Iason... profugus in Ammonitidem expulsus est regionem.

Superbiæ & humilitatis comparatio.

SECTIO PRIMA.

Omnis qui se exaltat, humiliabitur.

I. Axiomata vulgaria, Christi dicto contraria.

SI vulgaria vitæ civilis, aut politicæ scientiæ, præcepta consulamus; aut, communibus artis œconomicæ legibus intenti, mentem aliquis Christianâ ratiocinatione non attollamus: occurret, aliter prorsùs res habere, quàm sententiâ illâ suâ Christus pronuntiârit. Eos enim, qui sese ipsi exaltant, exaltari, humiliari qui se humiliant: tantum cuique pretii esse, quantum ipse sibi pretium fixerit: populo imponendum, non modò ut Oratores, videantur, sed ut aliud quidvis: ævo Augustini vulgare diverbium fuisse, *Frange Lunam, fac fortunam*: nunc experientiâ conciliatam plurimis istiusmodi diverbiis auctoritatem, quale istud est protritum; Pontifex eris, si Pontificem te fore credideris. Quo ergo pacto verum fuerit, non aliquem solummodò, sed omnem, qui se exaltat, humiliari? Verissimum tamen istud esse apparebit, oblatrantibus licèt, vel discinctorum, vel accinctorum vocibus; si rectè intellexerimus, primùm, quinam sese exaltent; deinde, quemadmodùm humilientur.

II. Exaltationis genera tria.

Exaltationis genera tria statuenda sunt: totidem mox humiliationis gradus dimetiemur. Potissima exaltatio æterna est, in cælo: ubi alia claritas Solis, alia Lunæ, alia stellarum, alii aliis celsiores eminent, pro meritorum portione. Altera spiritualis est, in hac ipsa vita: ubi virtutum Christianarum pluribus officiis plus apud Deum gratiæ comparatur; ut, qui gloriatur, in Domino glorietur. Tertia item hujus vitæ est: sed temporalis & caduca, in hominum judicio sita, qualem Jason ambivit, Hagiographo teste; quali, apud libri 1. scriptorem c. 11. *Rex Ptolemæus exaltatus est... & exaltavit Ionathan in conspectu amicorum*. Priores duas exaltationes à Christo commendari constat: tantùm abest, ut damnentur: hortatur enim, ut simus *perfecti, sicut Pater cælestis*, & altiùs atque altiùs semper enitamur: eódem forsan spectat istud Luc. 14. *Amice, ascende superiùs.*

III. Tres tertiæ exaltationis species.

De tertio itaque dumtaxat genere Christi sententia pronuntiat. Istius autem generis species quinas Exc. 1. ad cap. ult. lib. 1. sect. 2. enumero: hic ternæ sufficient, dignitas, fama, gloria; quæ in unum aliquando hominem universæ conveniunt, aliquando sejunctæ. Dignitatem Menelai, Lysimachi, Alcimi habuêre, non famam, nedum gloriam. Famam & gloriam habuêre septeni fratres martyres, non dignitatem; nisi nobilem originem dignitati tribuamus. Dignitatem, famam, gloriam habuit Judas Machabæus. Istorum nihil Jason, postquam in Ammanitidem expulsus est.

IV. Humiliatur qui se exaltat, non qui exaltatur.

Jam verò ad gradus illos potest quispiam exaltari dupliciter. Primùm, si sese ipse exaltet, ingenio, industriâ, pretio, favore, obsequiis, gratiosis commendationibus, actibus bonis, malisve. Deinde, si exaltatur ab aliis, citra non ambitionem modò suam, sed etiam studium, aut cupiditatem. Hâc viâ Josephus altè in Ægypto evectus est, Gen. cap. 50. *Vos cogitâstis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me sicut in præsentiarum cernitis.* Ita exaltatus Moses, & positus in Deum Pharaonis: ita frater ipsius Aaron, qui non sumpsit sibi honorem, sed à Deo vocatus. Ita David electus à Domino; & Saül ipse, aliique deinceps plurimi, quos ad sacras, civilesque dignitates, & humanæ gloriæ splendorem, Dei providentia, fortunarum arbitra, provexit. Istos, ab aliis, vel à Deo exaltatos, humiliatum iri Christus non affirmat, sed illos tantum qui se exaltant: neque enim dicit, *Omnis, qui exaltatur, humiliabitur*; sed, *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur*, nimirum ut ait Bern. serm. 34. in Cant. *ob voluntariam vanitatem.*

V. Moderata exaltatio non est illaudabilis.

Adeóne; inquies, illicitum est, sese exaltare? Ubi ergo istud Abulensis ad 1. Reg. cap. 15. quæst. 23. posse gloriam, & alia affinia, honestè appeti in caussa Dei, in caussa posterorum, imò & laudis ipsius gratiâ? Ubi ista D. Thomæ 2. 2. quæst. 132. art. 1. *Quòd aliquis bonum suum agnoscat, & approbet, non est peccatum... similiter non est peccatum, quòd velit opera sua ab aliis approbari?* Ubi & hoc ejusdem quæst. 129. art. 1. & 2. magnanimitatem circa honores, & magnos quidem, versari, respicereque ea, quæ honore digna sunt? Ubi isthæc Aug. lib. con. Secund. cap. 17. *Qui amat honorem, Deum imitatur: sed humiles animæ in illo se honorari volunt, superbi præ illo?* Ubi denique varia de argumento isto disputata Exc. 1. ad cap. ult. lib. 1. sect. 2. & in Comm. ad c. 1. & bonum? Constat equidem, moderatum dignitatis, famæ, gloriæ appetitum, non illaudabilem modò non esse, sed plerumque laude dignum; atque adeo pœnæ non obnoxium, cùm culpa non sit. Unde consequens est, Christum hìc agere de exaltatione, exaltationisve studio immoderato & illaudabili: ubi, quia culpa est, pœna merito infligitur, neque ulla convenientior, quàm humiliatio.

VI. Quinam

Gregorii sententiâ lib. 23. Moral. cap. 4 *Quatuor sunt species arrogantium: cùm bonum a*

ſemetipſis habere ſe aſtimant : aut pro ſuis ſe deſuper .... accepiſſe meritis putant ; aut jactant ſe habere, quod non habent ... aut ſingulariter videri appetunt habere, quod habent. Nobis commodè arrogantium ſpecies ternario claudentur ; qui ſe exaltant ſupra ſe, aut ſupra alios, aut ſupra Deum. Pſalmiſta non aliam agnoviſſe videtur arrogantiæ notam, quàm ſi quis ſeſe exaltet ſupra ſe : ita enim loquitur pſal. 30. *Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei :* quod eo indicio probaverim, quia *neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Ambulat autem ſuper ſe ; qui vel videri vult, quod non eſt ; vel quod eſt, pluris fieri vult, quàm mercatur : ſic S. Thomas de vana gloria ratiocinatur quæſt. 132. *Gloria vana ex parte rei, de qua quis gloriam quærit, de eo quod non eſt, vel non eſt gloriâ dignum.*

VII. Exaltationis ſupra ſe ſpecies duæ.

Jezabel amiſſam ætate formam mentitur, pictis ſtibio oculis : Sedecias filius Chanaana, adſcititiis cornibus, & oraculis, prophetam agit ; Phariſæi, ſepulcrorum dealbatorum inſtar, vitia condunt ſanctimoniæ ſpecie, quod ſe non eſſe, & eſſe nolle, aut acquirere, non ignorant. Alter exaltationis ſupra ſe modus eſt : quando quis poſſidet quidem bonum quodpiam honore, laudéve, dignum ; ſed illud pluris fieri vult, quàm recto judicio æſtimandum ſit. In eo errore non infrequenter verſatur infirmi ſexûs vanitas, quæ ſeſe magnificè circumſpicit, ob pulchritudinis florem, ob veſtium ſplendorem, ob inceſsûs decorem, ob linguæ delicias, ob divitiarum copias, ob vetuſtæ nobilitatis reliquias. Accedunt comati juvenes, Abſalonis inſtar de crinium venuſtate gloriabundi : declamatores volubiles, eximii aut clariſſimi homines, ſcientiæ opinione tumidi, quibus detraxiſſe videberis, niſi acclamaveris, *Nunquam ſic locutus eſt homo*, &c. *Dei voces, & non hominis :* omnes denique, qui externis bonis, internisve, tantum pretii tribuunt, ut eamobrem, ſibi omnia deberi arbitrentur, nec meminerint veræ virtutis ſummam eſſe dignitatem. Iſtis dixerit Bernardus ep. 27. *Si altiorem, quàm meliorem eſſe delectat, non præmium, ſed præcipitium expectamus.*

VIII. Quomodò ſe ſuper alios exaltet?

Eccleſiaſtici Siracidæ anima tres ſpecies odio habuit c. 25. *Pauperem ſuperbum, divitem mendacem, ſenem fatuum & inſenſatum.* Qui levat ſe ſupra ſe, non ſicut ſedens ſolitarius & tacens, ſed ſicut circulator multiloquus, aut ſcenicus artifex, hiſtrióve perſonatus : ille omninò agit pauperem ſuperbum, nec Siracidæ dumtaxat, ſed ſapientibus omnibus, imò & inſipientibus exoſus eſt. Odibilis enim coram Deo, & hominibus, ſuperbia : tum maximè hominibus inviſa, quandò non ſupra ſe ſolùm, ſed etiam ſupra alios, conatur eminere. Videas hominem, iſti amentiæ obſecundantem, res alienas curioſiſſimè ſcrutari & obſervare, quemadmodùm Phariſæi Chriſtum ; de aliorum fama & honore ſtudioſè detrahere : excelſis oculis, & palpebris in alta ſurrectis, aſpernari cæteros ; contemptum nutibus, verbiſque indicare, & ad contumelias facilè proſilire ; *ubi enim erit ſuperbia, ibi erit & contumelia* ; adeóque contumelioſa ſuperbia eſt, ut ſæpè in Scripturis ὕβρις, pro ſuperbia ponatur. Hujuſmodi ſuperbiæ ſigna facundè congerit Gregorius lib. 34. Mor. cap. ult. *Cunctis ſuperbâ (apud ſe cogitatione tumentibus, ineſt clamor in locutione, amaritudo in ſilentio, diſſolutio in hilaritate, furor in triſtitia, inhoneſtas in actione, honeſtas in imagine, erectio in inceſſu, rancor in reſponſione. Horum mens eſt ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma*, &c.

IX. Quomodò etiam ſupra Deum.

Quod ſi invidiâ, detractione, contumeliiſque non contentus, ad injuſta facinora prorumpit, ut æmulos deturbet : quia arrogans *nec quemquam jam ferre poteſt Cæſarve priorem, Pompeiuſve parem ;* neque, ut Dario, dimidium regnum offerenti, Alexander reſpondit, ſoles duos cælum unum patitur? Tunc ad ſupremum vitii culmen evaſiſſe videatur. Reſtat tamen gradus altior, quando *germinavit ſuperbia, & iniquitas ſurrexit in virga impietatis :* quemadmodùm cap. 7. Ezechiel loquitur : quando ſupra cæteros contumelioſè, & injuſtè, ſeſe efferens, etiam inſanè ſupra Deum erigi auſus eſt. Quis enim, inquis, hoc fecerit? Fecêre dæmones : fecêre, quos dæmonis genios inſêdit, & velut energumenos agitavit. Proprius autem dæmoni arrogantiâ, & faſtu, genius magis nullus eſt. Potuítne dæmon arrogantius quidquam vel finxiſſe, vel voluiſſe, quàm iſta Deut. c. 32. *Manus noſtra excelſa, & non Dominus, fecit hæc omnia?* Potuítne altiùs ſeſe ſuprà Deum extuliſſe, quàm poëticus ille Mezentius, ſacrilegum illud effatus : *Dextra mihi Deus, & telum, quod miſſile libro :* aut propheticus ille Rex, qui apud Habacuc c. 1. *immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo?*

X. Ingrati, & immemores, ad hanc claſſem ſpectant.

Quotus autem quiſque, inquis, tam furioſè, & dæmoniacè faſtuoſus ſit? Fateor pauci, ad illos tamen accedunt, alii aliis propius ; qui, quæ bona poſſident, Deo auctori omnium non adſcribunt. Ingrati homines, &, quod ingratitudinis caput eſt, ſuperbi : cùm vel à Deo pendere, ipſique obſtricti eſſe dedignentur, vel ſeſe dedignantium inſtar habeant. Sic fuêre Salviani ævo Romanorum plerique, quibus ſi benè aliquid ceſſerat, *alius adſcribebat hoc fortunæ, alius eventui, alius ordinationi ducum, alius magiſtro, alius patrocinio, nullus Deo.* Sic fuit Simon Churnæus, nobiliſſimus Pariſienſis Theologus, qui, poſt diſputatas publicè de ſanctiſſima Trinitate theſes, rogantibus familiaribus, ut, ea diſputatio ſcriberetur, & ederetur ; faſtu elatus ; & ſui, Deique, qui docet hominem ſcientiam, immemor : *O IESV*, inquit, *quantùm in hac quæſtione legem tuam firmavi, & exaltavi? Profectò, ſi malignando voluiſſem contrarium defendere, potuiſſem validiùs.* Ab iſto pronunciato mox, velut elinguis, obmutuit, & ad eam fatuitatem redactus eſt ; ut cùm, divinâ ultione mitigatâ, linguæ uſus utcumque redditus eſſet, vix tamen poſteà intra biennium, filio ejus inſtanter edocente, prima literarum elementa cognoſcere, & orationem Dominicam, ſymbolumque Apoſtolorum memoriâ diſcere, aut balbutiendo pronuntiare potuerit. Perhibet Spondanus anno 1201. ex Matthæo Pariſio, hic ex Epiſcopo Dunelmenſi oculato teſte.

XI. Externa ſuperborum humiliatio in hac vita.

Sed hoc ad humiliationem ſeſe exaltantis pertinet, primumque illius clementiſſimum genus. Vel enim Deus externâ dejectione ſuperbiam punit, vel internâ, vel æternâ. Audias interdum vocem Domini confringentis cedros ; videas convolvi ſuperbiam fumi, & evaneſcere ; ſpectes procumbere coloſſos, ſuccidi vaſtas arbores, eorumque, qui non caput modò aureum, ſed etiam auream ſibi ſtatuam affinxerant, cor poni cum beſtiis : cernas, de quo Anthologiæ Græcæ liber primus ludit, Fortunæ fanum in cauponam mutatum. Si intra talia ſupplicia ſiſtatur, caſtigatio amici

amici est: implentur facies ignominiâ, ut quæratur nomen Domini. Admonetur homo fortis suæ, ut exclamet cum Propheta, *Bonum mihi Domine, quia humiliâsti me.* Quam sententiam, superliminari cujusdam cœnobii inscriptam, piè legit, & sibi aptavit, avorum nostrorum memoriâ Rex Christianissimus, cùm illuc captivus ex Ticinensi prælio duceretur.

XII. Eorundem hic humiliatio interna.

Longè formidabilior est interna humiliatio: quando Deus arrogantem in peccata præcipitare permittit, ad superbiæ pœnam. Ipsa primùm de se superbia humiliat, quia peccatum est: alia deinde graviora, & manifestiora, sequuntur, quorum turpitudine confusus, & dejectus homo, miseram suam infirmitatem agnoscere, ac confiteri cogatur: quod in Apostoli Petri exemplo demonstrat obiter Augustinus lib. 14. de Civ. cap. 13. *Superbi, secundùm Scripturas sanctas, alio nomine appellantur sibi placentes. Bonum est enim sursum habere cor: sed non ad seipsum, quod est superbiæ: sed ad Dominum, quod est obedientiæ, quæ nisi humilium non potest esse. Est igitur aliquid humilitatis miro modo, quod sursum faciat cor, & est aliquid elationis, quod deorsum faciat cor... Pia humilitas facit subditum superiori, nihil est autem superius Deo, & ideo exaltat humilitas, quæ facit subditum Deo... Ipsum extolli dejici est... Audeo dicere, superbis est utile cadere in aliquod apertum manifestumq; peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim sibi Petrus displicuit, quando flevit; quàm sibi placuit, quando præsumpsit.* Idem Davidi accidisse, quod Petro, etsi Basilius aliique Patres non dicerent, ipse tamen loqueretur: *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum. Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus: Cor contritum, & humiliatum, non despicies.*

XIII. Horrenda æterna humiliatio.

Fælix istorum fuit infælicitas, & exaltans humiliatio. Sed infælicissima & profundissima illa est, quâ fastuosi in peccata labi sinuntur, unde resurrecturi non sunt, atque adeò deinceps in humiliationem æternam abituri præcipites. Ita factum Philosophis, gloriæ animalibus: quos, ut ait Paullus Rom. 1. *tradidit Deus in passiones ignominiæ*, & ex illis in passionem sempiternam. Ita contigit Joanni monacho apud Palladium, multos annos virtutibus dedito, deinde in fastum elato, pòst à muliere dæmonis figurâ decepto; acclamantibus in aere dæmonibus: *Monache, qui in cælum evolâsse te putabas, quomodo in abyssum descendisti?* Ita factum Num. 16. Core, Dathan, Abiron; qui, cùm nimis multùm erigerentur contra Moysen, & Dominum, descenderunt pars vivi in infernum, dehiscente terrâ; alii incendio periere, ad longè horribilius incendium transituri. Ambrosius serm. 7. in psal. 118. ad illud. *Superbi iniquè agebant usquequaque*, seu, ut ipse legit, *nimis; à lege autem tua non declinavi: Deus*, inquit, *tamquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversùs superbiam speciale certamen. Tamquam dicat, meus iste adversarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio.* Avarus, luxuriosus, invidus, peccatores omnes, hostes Dei sunt; inprimis tamen superbus: quia illi, vel quod suum est perdunt, vel quod proximi est invadunt; iste sibi arrogat, quod Dei est.

SECTIO SECUNDA.

Qui se humiliat, exaltabitur.

I. Quàm testata istius sententiæ veritas.

OBGANNIANT licèt huic etiam veritati axiomata politica; & derideatur passim justi simplicitas, lampas contempta apud cogitationes divitum: indubitatum tamen est, fore, ut omnis, qui se humiliat, exaltetur; quemadmodùm constat, humiliatum iri, quisquis se exaltat. Præcinuit Christo Anna Samuëlis mater, Deo plena: *Suscitat de stercore egenum.* Præcinuêre Jobus, Psaltes Regius, Sapiens, Ecclesiasticus: *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Suscitans à terra inopem: Gloriam præcedit humilitas: Sapientia humiliati exaltabit caput illius.* Præcinuit Virgo mater Christo fœta: *Exaltavit humiles, esurientes implevit bonis.* Sententiam itaque adeò contestatam, tam communem omnibus, ac necessariam, ut rectè intelligamus, perpendendum primò, quonam sese pacto quis rectè humiliet; deinde, quomodò exaltetur.

II. Tripliciter potest quis sese humiliare.

D. Bernardus serm. 42. in Cantica duplicem humilitatem describit, quam parit veritas, & quam inflamat caritas. Istam nasci ex cognitione nostri: hanc oriri ex amore proximi, quando etiam nos minori submittimus, ad fovendam caritatem mutuam; quemadmodùm Christus submisit se Joanni, ut impleret omnem justitiam. Commodè illud, & piè, mellifluus Doctor: non tamen incommodiùs fuerit, triplicem humiliationem statuere, sicut triplicem exaltationem posuimus. Potest enim homo sese humiliare infra Deum, quod facillimum factu est; potest infra alios, quod longè plus difficultatis habet; potest infra semetipsum, quod aliquando difficillimum est.

III. Humilitas erga Deum triplex.

Triplex item sese infra Deum humiliandi ratio in Scripturis memoratur. Prima, quando reos nos esse coram Deo confitemur, ejusque misericordiam supplices, cum Psalmista pœnitente, flagitamus, ut *cor contritum, & humiliatum*, non despiciat: quod etiam impii aliquando non difficulter fecêre: *Vidisti*, inquit Deus ad Eliam 3. Reg. 21. *Achab humiliatum coram me?* Altera, quando submissè ac patienter castigationes à Deo paternas accipimus, &, culpæ mala confessi, pœnæ malum nos esse promeritos agnoscimus: ad quod Petrus nos hortatur 1. 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei*: Paullus Christi exemplum Philippensibus cap. 2. proponit, qui *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Sed hæc humiliatio obedientiæ est, aut conformatæ per patientiam humanæ cum divina voluntatis: illa, ad resipiscentiam, ac pœnitentiam, pertinet. Tertia propriè ad humilitatem spectat, quando nos in Dei comparatione nihil esse agnoscimus; &, quantulumcumque istud est, quod sumus, totum à Deo nos accepisse profitemur.

IV. Interna, & externa erga Deum humiliatio facilis.

Duplex ergo est erga Deum humilitatis nostræ officium: interius primum, alterum exterius, utrumque tam facile, quàm non difficulter Deum infinitum esse, ac bonorum omnium originem, credimus. Gregorius præfat. ad lib. 28. Moralium, post adductam comparationem divinæ potentiæ cum Jobi infirmitate, quam comparationem Deus ipse instituit: *O quàm potenter, inquit, erigitur, qui tam sublimiter humiliatur! O quanta est hominis victoria, hanc ex Dei compa-*

ratione perdidisse? Exclamas sanctissime Doctor, ad humiliationem vermiculi præ Numinis immensitate: quid enim in illa humiliatione tanti est? Qui id non fecerit, nimiúne impos mentis atque insanus fuerit, quàm qui Deum esse non credat? Sed neque istud difficile est, bona sua non sibi, sed Deo cunctorum sono, referre accepta. Nam, *quis credat parietes*, inquit Bernardus serm. 12. in Cant. *si se dicas parturire radium, quem suscipit per fenestram? Aut si glorietur nubes, quòd imbres genuerit, quis non irrideat? Mihi liquidò constat, nec de canalibus oriri rivos aquarum, nec de labiis, vel dentibus, verba prudentia.* Ab interna deinde humiliatione ad externam prodire; & postquam Deum præ se immensum, & ubi beneficum agnoveris; idipsum ore, agendisque gratiis profiteri: tam proclive est, quàm prona est gratitudo naturæ humanæ insita, rationi convenientissima, actu jucundissima: prorsus ut longè sit operosius ingratum esse, quia propensioni naturali vis per ingratitudinem inferri debet.

V. Difficilius sese infra alios rectè abjiciendi.

Multò difficilius fuerit infra alios sese, humiliatione sive internâ, sive externâ, dejicere. Protinus objiciet humana ratiocinatio Martham Magdalenæ, Joannem Samaritanæ, Simonem Iscariotæ, inferiores sese ex animi sententia agnoscere non posse: humilitatem veritati jungendam, *Ne humilitas, constituta in parte falsitatis, perdat præmium veritatis*, ut loquitur Augustinus lib. de nat. & gratia cap. 34. & 36. & similem ex Pelagiano scriptore sententiam valdè laudat. Deinde, si quis sese aliis quibusvis subjiciat, proclive fuerit, ut multorum ex hinc errorum, & culparum, nascatur occasio. Tamquam, si herus famulis, superior inferioribus, se submiserit; contemptus non rarò atqui inobedientia orietur, & amittetur auctoritas, *dum nimiùm servatur humilitas*, ut idem Doctor ait Reg. 3.

VI. Amovetur diffi ultas veritate & caritate.

Easdem sibi objectiones proposuit D. Thomas 2. 2. q. 161. art. 3. ubi quæritur: *Utrùm homo debeat se omnibus per humilitatem subjicere?* Responsa leges apud ipsummet: & ista paucis interim accipies. Posse verissimè sese hominem, quamlibet fortunæ, animíve, bonis conspicuum, infra omnes internâ humilitate demittere, si, non quis sit, sed quis esse potuerit, aut forsan futurus sit, consideret. Sic D. Paullum mentitum non esse, quando ex animi sententia sese peccatorum primum appellavit: nec Francisco Assisinati vitio vertendum, quod idem profiteretur: neque aberrâsse D. Dominicum, quando ad falsarii tabellionis, quem honore martyrii donatum iri prævideat, pedes procidisse venerabundus dicitur. Potuisse itidem illos externâ humiliatione, aliosque dignitatibus eminentes, ad minorum sese honorem inclinare; quando id in tempore suasit caritas, abfuitque amittendæ auctoritatis periculum, culparúmve occasio. Sic impletam à Christo justitiam omnem, cùm à Joanne baptizari voluit. Sic à Paullino ep. 13. commendari Severum: *Ineffabile mihi, quantâ me voluptate perfuderint advenæ, cùm referrent actus & sermones tuos; & perfectum cor caritatis divinæ scientiâ, quâ humilis & excelsus, pauper & dives, servus & liber, famulis conservus, fratribus servus, pauperibus dives in visceribus misericordiæ, divitibus pauper in spiritu mansuetudinis, humilis virtute pietatis, arduus sublimitate virtutis, servus Deo, liber mammonæ: totum in te spirare Martinum, florere Clarum, maturari Evangelium, prædicabant.*

VII. Difficile est sese humiliare infra se.

Ac quonam pacto infra nosmetipsos humiliatione, sive internâ, sive externâ, demiserimus? Ipsine nobis persuadeamus, nos id non esse corpore, fortunâ, mente, virtutum quarumdam officiis, quod esse tamen nos manifestè perspicimus? Nonne id veritati, atque adeò virtuti, contrarium sit? Imò an id satis sanæ mentis fuerit? Quod autem ad humiliationem externam attinet: an penitùs omni laudum, famæ, honoris, dignitatum, usu abstinendum est? Audio ex D. Thoma 2. 2. q. 161. art. 1. humilitatem esse virtutem, quâ animus firmatur, ne inordinatè tendat in alta. Potest ergo in alta tendi, in excelsis consisti potest, citra humilitatis labem, si ordine id fiat. Nihil autem ordinatius, quàm ut quisque eò eminentiori loco sit, quò magis meretur: quemadmodùm ordinatissimè ignis in summo, terra in infimo est; neque alium igni situm dederis, nisi vim naturæ facias.

VIII. Quo pacto nos nobis comparaτemus.

Hanc tibi, Christiane, cavillationem & sophisticam argumentationem, quâ fastui tuo blandiris, brevi eximero. Compara temetipsum tibi, & admetire, ut D. Paullus loquitur. Cave ne nimiùm cum minoribus conferas: nanus enim, Pygmæo compositus, gigas sibi videbitur. Sed neque necesse est, ut te majoribus, & melioribus, admetiaris, & tuam exinde pusillitatem agnoscas. Cogita tantùm, quid modò sis, qualisque & quantus esse potueris, tum sanctimoniâ, tùm reliquis animi ornamentis, forsan & ipso externorum bonorum apparatu; si Dei auxiliis usus fores, si Providentiæ ductum in omnibus secutus esses. Quotus enim quisque nullas omnino coram Deo crescendi occasiones prætermisit? Quàm pauci, ac, Divâ Virgine exceptâ, forsan nulli, momentis singulis divinæ sese providentiæ aptavêre? Ego certè non feci, atque adeò me ipso longè minor sum: alius enim longè fuissem, vitiis erroribusque multis obnoxius non essem, meliùs in virtute profecissem, si negligentiâ meâ occasiones benè agendi, & divinis auxiliis utendi, sæpè non præterissem.

IX. Quinam sine auxilio divino esse potuerimus.

Diva Virgo, cui momenta numquam ulla tanto, quantum capere poterat, profectu otiosa transierunt, si sese sibi admetiatur, infra semetipsam humiliabitur. Sen quænam modò sit, quàm excelso gradu, quo adjutore. Scit qualis esse potuerit, si adjumentis istis caruisset: & infinito fermè intervallo intra se positam intuetur. Ipsa tamen fragilitatem suam numquam experta erat. Nos, eheu nimiùm, experti sumus; *torrentem pertransivit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* Quò devenissemus, nisi Dominus fuisset in nobis? Quid nobis factum fuisset, si tentationes ingruissent, si occasiones amotæ non forent, si venialium culparum consuetudo non sublata, si mortalia non condonata? Meritò B. Franciscus Borgia noster sese pro homine ab inferis emerso habebat, habendumque ab aliis arbitrabatur.

X. Bonis naturalibus extolli supra nos non debemus.

Tam certâ, & solidâ veritate armatis facillimum fuerit, nos humiliatione externâ infra nosmetipsos abjicere. Primùm enim, quibusvis bonis naturalibus externis, internísve, nos indignos esse fatebimur: quo enim bono digni simus, si omni malo digni fuimus, aut esse potuimus? Præterea, quæ deerunt ejusmodi bona, & consequenda ostentabuntur, non nimis avidè appetemus; imò quando virtutis ratio, id est majoris boni caussa postulabit, refugiemus. Deinde, si quæ nobis ejusmodi bona, vel industriâ,

ingenióve

ingeniove nostro, vel l . . . , favoréve alieno, contigerint . . . nos pluris faciemus, nec magnif . . . forma speciem circumspicienius, neque ab aliis adspici, & magnopere æstimari, colive cupiemus; tantum abest, ut nos vendixemus, stultaque jactatione & gloriatione efferamus. Alioqui nobis objicietur Æsopicus asinus, de phaleris & idolo, quod circumferebat, gloriabundus: aut istud accinetur de triviis ludibrium, *Rideo te certè, cornicula, dum video te, Ornatam plumis versicoloribus hn.* Quid enim habes nobilitatis, opum, formæ, ingenii, scientiæ, quod non accepisti? Erue quæ tua non sunt, depone cothurnos, & ad staturam tuam redi: exquisitam modò es, sine involucris & additamentis? Nonne, ut aiebat Gregorius lib. 7. ep. 64. *cum culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt?*

XI. Longè minus super naturalibus.

Jam de supernaturalibus bonis; ante omnia cogitandum, nos illis prorsus esse indignos, tum quia naturæ indebita sunt, tum quia culpæ immerita. Jeremiæ cap. 22. Deus inclamat: *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini.* Terra fuimus corpore ante nascendum, terra sumus dum vivimus, in terram mortui relabemur: animo terra fuimus per peccatum originis, terra sumus per actuales noxas, terrei & subterranei forsan erimus per culparum pœnam. Quas in tam crassa, & fæculenta terræ massa, cum supernaturalibus bonis convenientia est, nisi Dei misericordis manus nos sublevet? Hanc solùm nobis excellitatem licet toto voluntatis conatu appetere: sed quando consecuti fuerimus, de illa multò minùs, quàm d. naturalium bonorum possessione, gloriari licet, quia multò minùs nostra est. Imò, quantum in nobis est, quidquid gratiarum aut virtutis divinitus accipimus, alto silentio contegamus, velumque radianti vultui, Mosis instar, opponamus: nisi Dei voluntas aut gloria, vel proximi utilitas, aliter postulârit. Nam *musca morientes perdunt suavitatem unguenti*, ooo obtecti: & aquæ stillantia, ac vina potentia, aperto nimis spiraculo, vanescunt: tum, *quid pejus plerumque animam, quàm conscia virtus, infestat*, teste in præf. ad lib. 28. Mor. Gregorio?

XII. Deus respicit orationem humilium.

Contrà: quid animam magis intactam custodit, quàm virtus non conscia, nec conscios quærens, solo inspectore Deo contenta, quamdiu solus esse voluerit? *Respexit* enim Deus, ut ait Regius vates psal. 101. *in orationem humilium, & non sprevit preces eorum*; aut, ut alia versio habet, *respexit in orationem cicadæ*, aut, *in orationem myricæ*: non in orationem alaudæ, lusciniæ, psittaci, quercûs, cedri, palmæ, eminentium, superborum, sed orationem humilium. Exemplum istius orationis exhibet Christus, in Publicano & Pharisæo, eleganter expressum à Paullino, ep. 10. ad Severum. *Publicanus... inquinatæ illâ vitiorum, dorso cameli amulâ, ita se in humilitatem debitam strinxit, & respicientis anima complanatione direxit, ut se foramini acûs, hoc est via verbi, vel crucis, quæ arcto tramite ducit ad vitam, divinarum aurium penetrator insereret. Pharisæus, qui conveniret magis Deum, quàm rogaret, intrare non potuit, quia suffarcinatos arcta non capiunt.... Via illa multis desiderabilis, paucis penetrabilis, per quam faciliùs ingreditur humiliata iniquitas, quàm superba justitia.*

XIII. Exaltat illos spiritualiter.

Et hæc prima est humilium exaltatio; ut magnis passibus ad excelsam sanctitatem evadant, quando arrogantes velocissimo lapsu ad ima vitiorum devolvuntur. Nam, ut loquitur Augustinus lib. 8. de Trin. c. 7. *Potentior est; & tutior soliditissima humilitas, quàm ventosissima superbia*; & cap. 8. *Quantò saniores sumus à tumore superbiæ, tantò sumus dilectione pleniores.* Superbia morbus est, ut idem ait serm. 22. de temp. *Est superbia non magnitudo, sed tumor: quod autem tumet, videtur magnum, sed non est sanum.* Ejus morbi sanitas, est humilitas: sanitas autem animi, est sanctitas: atque adeò humilitas, est sanctitas. Non ignoro veræ sanctimoniæ essentiam in fide, spe, & caritate consistere: sed illarum virtutum fundamentum humilitas est; quod quantò altiùs effoditur, tantò excelsiùs surgit ædificium sanctitatis. Itaque Angelus Simeoni Stylitæ fodere jusso, identidem repetiit, *Altiùs fode*: ut isto monito indicaret, eò solidiorem esse virtutem, quò profundiori humilitati insisteret.

XIV. Æternùm deinde in altera.

Altera deinde consequitur in æternæ vitæ præmiis exaltatio: ubi, *qui ascendit; ipse est, & qui descendit.* Disputatur aliquando de Sanctorum dignitate, comparanturque ipsorum merita, ab ignaris meritorum. Sapientissimè in ejusmodi controversiis loquuntur, qui mensuram beatitudinis à caritate desumunt. At unde nobis ipsius caritatis mensura petenda est? Pete ab humilitate: audisti enim modò verissimum Augustini verbum, tantò dilectione nos esse pleniores, quantò saniores à tumore superbiæ. Quare pro certo pronuntiari potest, eum Sanctorum in cælo esse celsissimum, qui in terris fuit humillimus. Quis divinitati proximus assidet à dextris Dei? Qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem crucis. Cui proxima sedes, supra omne intelligentiarum culmen, posita est? Quæ, cùm esset parvula, placuit Altissimo; in cujus humilitatem, ancillæ suæ, respexit Deus. Considera deinceps Josephos Christi nutritios, Baptistas Christi præcursores, aliosque, atque alios, summi nominis ac gradûs, jacientes humilitate æternâ coronas suas ante thronum Dei, & Agni: ut vel sic testentur, coronas sibi per humilitatis commendationem obtigisse.

XV. Interdum etiam temporaliter in hac vita.

Addit Deus non rarò humilibus servis suis, auctarii loco, quam vel defugiunt, vel saltem immoderatè non appetunt, exaltationem in hac vita, honoribus, dignitate, laudibus, gloriâ. De Nepotiano, Basilio, Nanzianzeno, Chrysostomo, Gregorio Magno, innumerisque aliis, qui ad sacrarum dignitatum fugam latere conati sunt, passim scriptores meminère. De Severo Ravennate Episcopo, per columbam, quam ipse abigere voluit, designato, fusè narrat Petrus Damianus serm. 4. & 5. Mosen, multa causantem, & deprecantem, Deus populi sui Ducem, ac Legislatorem, constituit. Ejus exemplo, quotquot fermè deinceps è sacro, profanóve ordine, ad dignitates divinitus vocati sunt, non sanctimoniâ solùm apud Deum, sed etiam famâ apud homines claruère. Hieronymus epist. 26. ad Pammachium, ex locupletissimo & nobilissimo Romano egenum sacerdotem, postquam isthæc Annæ verba retulit, *Glorificantes me glorificabo: Alii, inquit, hoc intelligant de futuro, ego & in præsentiarum. Miratur orbis pauperem, quem hucusque divitem nesciebat.*

XVI. Laudabilis ad æternâ exaltationem per deprec.

Quid si honores, à Christianis Divorum memoriæ exhibitos, attendamus? Si panegyricos eorum honori scriptos, aut declamatos: aras, templa, sacra Dei cultui facta, illorum nomini? Quotam istius externæ magnitudinis partem

possi erent,

sionem ambituo. possiderent, si humiles non fuissent? Sed ad exaltationem istam temporaneam, sacram quamvis, humilitas sancta non respexit: æternam illam intuita est, & sedes à Christo positas judicaturis spectavit. Hanc solùm excelsitatem perfecta fectatur humilitas. *Hæ sedes*, inquit Bernardus in Matth. 19. *sunt ambiendæ, hæc pulpita toto conatu acquirenda. At humana ambitio hunc tantùm locatas sedes quærit, in cælo constitutas non novit. Infelix ambitio, quæ magna ambire non novit.* Verè magna nusquam, nisi sursum, sunt: deorsum te pone, ut sursum erigaris: maximus eris, si minimum te feceris. Falli non potest, qui dixit: *Qui se humiliat, exaltabitur*: &, *Quicumque se humiliaverit, sicut parvulus iste, hic major est in regno cælorum.*

SECTIO TERTIA.

Humiliationis & exaltationis exemplum D. Iosephus, Sanctus absconditus.

I. Vita Mariæ, & Josephi, cum Christo in Deo abscondita.

Quicumque sese humiliaverit, sicut parvulus iste, civium suorum, & sua sententiâ, Josephus, hic major est in regno cælorum. Verè sanctus absconditus, cum Deo abscondito, & abscondita Virgine: conjux hujus, illius nutritius, utroque dignus, quia utrique similis. Dicebat Paullus Coloss. 3. *Vita vestra abscondita est cum Christo, in Deo.* Quàm id aptè de se antè dixisso potuerunt. Maria, & Josephus, vitâ suâ omni in Deo absconditâ, Deo consecratâ, in Deum relati, cum Christo, pro Christo. Ante Verbum incarnatum pro Christo vixêre; post Verbum incarnatum pro Christo, & cum Christo, vixêre: illic ipsius gratiâ, hic ipsius gratiâ, & exemplis. O quantus ab isto auxilio, in Deum profectus: quantus ab ista imitatione humilitatis affectus! De Virgine aliàs viderimus ad cap. 7. nunc de Virginis custode, socio, sponso.

II. Triplex Josephi vita.

Triplex homini probo vita vivitur, corporalis, civilis, spiritualis, quemadmodùm tract. de bona volunt. part. 1. sect. 3. num. 12. diximus. Corporalis, in vigendo & sentiendo posita, Divo Josepho cum vilissimis animalibus, quibus, ad deducendum puerum & matrem ejus in Ægyptum, usus existimatur, communis fuit. Civilis, famâ, existimatione, honore, dignitatibus, constat, & improbis æquè ac probis tribuitur, imò illis interdum, quàm istis ampliùs: Herodi equidem, quàm Josepho, longè splendidior fuit, si tantùm natales demas: sed hic Davidis filius, faber, egenus, ignotus fuit; dum Antipæ filius in regno Davidis, in opibus Salomonis, in adulatorum laudibus, in benevolentia Cæsarum, in subditorum turbia versabatur. Spiritualis vita proborum solorum est; qui, improbis vel carne dumtaxat, vel famâ viventibus, spiritu vivunt, spiritu ambulant, Deo amici, verarum virtutum studiosi: ut illius vitæ velut actus primus, quomodò in scholis loquuntur, sit amicitia divina, actus secundus exercitatio virtutum.

III. Qua ipsius vita spiritualis ex amicitia divina.

Sed quâ tandem ratione agnosci poterit, quis eam vivat, ita in Deo absconditam, ut certò nota sit nemini, nisi cui Deus revelare voluerit? Iisdem, opinor, indiciis agnoscemus, quibus amicitia deprehendi solet, similitudine, familiaritate, communicatione. Homines cernis indole simillimos, familiaritate intimos, mutuâ bonorum communicatione profusos: non ambigis, quin sincerè, ac germanè amici sint. Hominem vides, cui singularia Deus similitudinis suæ lineamenta impresserit; quicum familiariter agat, agentive propitius auscultet; cui dona sua largiatur, & vicissim largienti porrigat manum: eum tu hominem Dei amicum securè, & affirmatè, pronuntias. Sic Josephus fuit, ad Dei Patris eximiam imaginem factus, ad Dei Filii conversationem assiduam adlectus, à Spiritu sancto donorum cælestium affluentiâ cumulatus, augustissimæ Trinitati intimæ admissionis amicus. Ut, vel sic, aptissimè dici possit *vita ipsius abscondita* fuisse cum Christo, in Deo protegente, amante, amato: quia abscondita fuit *in abscondito faciei divinæ à conturbatione hominum*: quia, ut Gregorius loquitur lib. 5. Mor. cap. 3. *à cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinum se intimi amoris abscondit.*

IV. Mentò dicitur Pater Verbi incarnati.

Aliam tamen illius absconsionem, intra demississimæ humilitatis latebras, intuebimur; postquam elevatissimam ipsius vitam in summa divinæ amicitiæ eminentia conspexerimus. Ac primùm Pater æternus, *in principio*, in quo *erat Verbum*, in immensis illis incogitabilium sæculorum initiis, Verbi sui, ac Filii, patrem D. Josephum destinavit: ut idem illi, quod sibi nomen competeret; &, quomodò ipse Pater est Verbi increati, ita Josephus Verbi incarnati pater diceretur. Sic eum Christus appellavit, sic Virgo mater, sic Evangelistæ, quando Christi genealogiam texuêre: idque ex vero & ex merito, quia Christo pater alius non erat super terram, ideoque appellationem ac locum patris, alteri nulli debitum jure suo possidebat. Justiùs certè & convenientiùs multò pater Christi nominatus est; quàm adoptator, apud Romanos, dicebatur pater adoptati, ut Augustinus ait lib. 2. de cons. Evang. cap. 1. Imò etiam justiùs, quàm apud Hebræos legales patres nominati sine. Utrique enim in aliorum vicem, & nomen, per leges admittebantur: at Deus-homo patrem alium non habuit, in cujus titulum & jura Josephus succederet.

V. Christum intellectu generavit, ac generat.

Maneat igitur D. Josepho, & Patri Verbi Divini, similitudo appellationis, accedatque ad illam similitudo generationis. Nam quomodò Pater intellectione Verbum produxit, ac perpetuâ productione generat: ut non solùm Filii principium fuisse constet, sed esse semper, ac fore. Ita D. Josephus Christum intelligendo produxit; quia cogitationes omnes ejus, ac curæ, ex quo Mariæ desponsus est, ad vitam & educationem Dei-hominis spectavêre. Nec produxit dumtaxat, sed producere etiamnum, ac producturus semper esse, dici debet: immortale enim Christi corpus laborum ejus fructus est, quia illud, cùm mortale erat, cùm ætate crescebat, cùm in virum perfectum adolescebat, & formabatur, laboribus suis aluit. Præterquam, quòd in ipso clausum utero matris nutrisse dicendus est, qui matrem gravidam enutrivit: atque adeò, quemadmodùm carnem Mariæ corpus Christi religiosè appellamus, ita carnem Josephi piè diximus.

VI. In Trinitate terrena primus est potentiæ & dominii attributo honoratus.

Jam, sicuti Pater æternus in augustissima cæli Trinitate prima persona est, originis & ordinis prioritate, non dignitatis: sic Josephus in sanctissima terræ Trinitate primus est, non dignitate quidem, sed origine & ordine; priùs ortus divino consilio, ut habilior esset custodiendæ Virgini, & educando Salvatori; priùs nominandus, quia

quia caput mulieris vir, & pater filii. Deinde, quomodò in Trinitate cælesti Personæ primæ potentia & dominatus tribuitur, sapientia secundæ, tertiæ bonitas: ita in terrestri Josephus potestatis prærogativam habet. Christus sapientiæ, Maria bonitatis. Benignissima mater, sapientissimus filius, Josepho obtemperant. In Josephi potestate est is, cui data est omnis potestas in cælo, & in terra. Dominatur Josephus in eum, quem constituit Dominus hæredem universorum, per quem fecit & sæcula. Patris cælestis Sol & Luna verbum faciunt. Josephi verbum facit Sol Christus, Luna Maria; luminare majus, quod præest diei justorum; & luminare minus, quo illustratur nox peccatorum. Erat subditus Josepho Christus, Josepho Maria, Josephus Deo: neque Angeli ad Mariam, aut Christum de transmigrando in Ægyptum, remigrandóve, mandata detulêre, sed ad Josephum patrem-familias; ut hic Dei verbum faceret, iste & illis Josephi.

VII. Familiaritas Josephi cum Christo, comparatur æternæ Patris cum Filio.

Patris æterni & Josephi comparationem perficiet suavissima cum unigenito familiaritas. De divina illa conversatione, convictu, consuetudine, soliloquio, aut si quo alio vocabulo uti fas est, loquens Evangelista, *Verbum*, inquit, *erat apud Deum: & Deum nemo vidit umquam, Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* De eodem vaticinatus Psalmista canebat, *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Ingressi Bethlemicum antrum, Nazarethanam domunculam, Ægypiacum gurgustium, spectemus Josephi conversationem, audiamus quotidiana colloquia: quando Verbum incarnatum erat apud Josephum, quando unigenitus matris erat in sinu patris, de Mariæ brachiis in ulnas & amplexus Josephi prosiliens: quando Josephus dicebat filio Dei, sede à dextris meis, ambula, operare, sta, jace, accumbe ad latus meum; quando ante Josephi oculos semper sese offerebat Imago Patris, in auribus continenter insonabat Verbum Dei, mulcebatur manibus Brachium Domini, gustandam sese præbebat castis labiis Sapientia creatrix, menti sese imprimebat congressu perpetuo Mens gubernatrix.

VIII. Quanta illius suavitas?

Theandricæ illius familiaritatis suavitatem, etsi ne cogitatione quidem ullus, nisi expertus, assequi potest: comparatione tamen aliquatenus conemur attingere. Semel omnino puerum accepit in ulnas Simeon, & simul vitæ satur, desiderandique fine potitus, mortem cygnæo cantu salutavit. Ab ore viri, verba vitæ æternæ loquentis, pendebat populus, suorum & sui immemor, ne de cibo quidem solicitus. Quam ex Christi convictu voluptatem Apostoli perceperunt, regustabat istis verbis dilectus discipulus: *quod audivimus, quod vidimus, quod manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ.* Semel Simeon Deum-hominem, vidit, strigit, amplexus est: frequenter populi audiêre: triennio Apostoli conspexêre, & convixêre: Josephus annis triginta totis aspectu, alloquio, congressu, convictu, intimâ familiaritate tenuit. Quot Reges & Prophetæ desideraverunt videre, quæ vidit Josephus, & non viderunt? Quanti nobis foret, vel horulæ particulâ divinam Christi faciem intueri, sermonibus pasci, solatiis leniri, effundere coram illo corda nostra?

IX. Gratitudo Christi erga Josephum.

Dies non abibat, quin Josephi cor effunderetur in corculum Christi, & Christi corculum in cor Josephi refunderetur. A Christo judice justi olim semel audituri sunt, *Venite, benedicti Patris mei: esurivi enim, & dedistis mihi manducare; hospes eram, & collegistis me; nudus, & cooperuistis me.* Putas, Josephus millies à Christo Salvatore non audiit? Veni, benedicte Patris mei, & benedicte pater mi: esurivi enim infans, puer, adolescens, juvenis, & dedisti mihi manducare: hospes eram, viator, exul; & in domo tua, operâ tuâ, collegisti me: nudus eram, egressus de utero matris meæ; & pannis, vestimentis, stragulis pauperculum, & egenum, operuisti me. Ista sexcenties Josepho dixit gratitudo Christi; quis verè dicere potuit, & justè debuit. Millies itidem iterata illhæc Deut. cap. 33. aut his similia, *Benedictio illius, qui apparuit in rubo* assumptæ humanitatis spineæ, maternæ virginitatis incombustæ, passionis ardentis & aculeatæ, *veniat super caput Ioseph, & in vertice Nazaræi*, separati, & floridi, *inter fratres suos.*

X. Thesauri duo fideli servo crediti.

Quid gratiarum, & benedictionum cælestium, profusa Spiritûs sancti bonitas illi non impertiat, cujus custodiæ, fidelis & prudentis servi, commissum voluit, quidquid in terris erat pretiosissimi? Omnes ubique terrarum divitiæ tanti non erant, quanti purissimum Virginis corpus: nedum anima, donis cælestibus cumulatissima. Quanti autem faciendus Virginis partus, in quo erant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, quis dignè æstimet? Eos thesauros Spiritus sanctus, obumbrator Virginis, formator Dei-hominis, Josepho credidit; fideli servo, ut custodiret; prudenti, ut dispensaret; super familiam Dei posito, ut regeret, & daret matri ac proli cibum in tempore, reciperet à prole ac matre gratias innumeras in tempore, & in æternitate. Ex tantorum officiorum dignitate colligamus licet, quæ spiritualium opum abundantia, quis universarum virtutum cumulus, quæ absolutissima in omni genere sanctitatis consummatio, Josepho fuerit. Neque enim talia divinitus munia committuntur, quin simul pro muniorum portione, & qualitate, gratiæ conferantur.

XI. Omnes simul gratiæ donatæ, & sanctimoniæ gradus, ac tituli.

Custos Virginis Virgo est: eò mirandâ magis castitate; quò formosior fuit mater speciosi forma præ filiis hominum: ut jam Eleazaros, Henricos, Martianos, conjuges & continentes, mirari desinamus; postquam Josephi & Mariæ lilia viderimus, sepientia florem de radice Jesse. Confessor, imò Martyr est, qui Christi caussâ extorris inter barbaros alienigenas vixit; cui dulce futurum erat, mortem pro Christo inter Herodianorum satellitum manus oppetere. Apostolus est, qui, quà licuit, apud Ægyptios Christi divinitatem publicavit. Propheta est, cui futura & absentia legati divini nunciavêre; vocandum nomen filii JESUM; futurum, ut Herodes quæreret puerum; defunctos, qui quærebant animam pueri. Patriarcha est, & patriarcharum omnium pater, quem appellat patrem, qui dixit, nobis non vocandum esse patrem super terram. Angelus est, qui de ventre matris suæ vocatus est nomine suo, in utero ex piâ sententiâ sanctificatus, Angelicam mentem habuit in Angelico corpore. Archangelus est, Potestas, Principatus, Dominatio, Virtus; qui custodem universi, dominatorem omnium, miraculum orbis custodiit. Thronus est; in cujus casto gremio sedit Verbum Dei, & in mente tranquillissima requievit Spiritus Domini. Cherubinus est, qui flammeæ caritatis, & lucidæ castitatis, gladio terrestrem Paradisum Virginem servavit; qui cum Virgine, gemini Cherubini instar, arcam fœderis

alarum

alarum suarum umbrâ protexit. Seraphinus est, amore divino ignitus; de quo, & carissima conjuge, dici potuit, *Seraphim clamabant alter ad alterum, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum*, filius noster.

XII. An Josephus Beatorum post Virginem primus?

Placétne, cùm ad Angelicos ordines Josephum deduxerimus, videre etiam, quo in cælis loco sit, & in redivivo quidem corpore, ut passim opinamur? Timidè id facio, qui dioptram non habeo, ut tam longè intuear: fecêre tamen alii, & ratiocinando, vel conjectando collegêre; primam esse Josephi à Diva Virgine in Beatis sortem, supra illum etiam, quo non surrexit major inter natos mulierum: id consequi ex officii magnitudine, consortio filii, convictu matris. Quid si eò spectavit Christi responsum ad Zebedæi conjugem, ac liberos: *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo?* Occupata jam, quæ ambitis, loca sunt. Medius sæpè incessi matrem inter, ac patrem; Mariam inter, & Josephum: illa dexteram meam, hic levam tenuit. Decet omnino, ut quam in terris tenuêre viatores, in cælis teneant comprehensores; & sicut mecum incessêre, ita mecum assideant. *Quibus paratum est a Patre meo*, ut mortali mihi proximi essent; iisdem destinatum est, ut beato proximi sint.

XIII. Josephi vita spiritualis abscondita.

Eum in modum disputant eximii quidam Theologi, sermocinantur facundè concionatores. At nos gratiùs, opinor, D Josepho fecerimus, nobis certè multò utilius; si de sublimibus illis sanctimoniæ, ac beatitudinis fastigiis descendamus tantisper ad humilitatis latibulum, ibique intueamur vitam ipsius, tam sanctam, tam beatam, absconditam cum Christo in Deo. Filium Davidis, illustrissimorum Regum, Ducumque nobilissimam propaginem, ad infimam devolvi hominum sortem; intér opifices numerari; egenum, ignotum, & contemptum vivere, non tanti est: videbat Josephus Filium Dei eâdem conditione viventem, neque adeò ipsi difficile erat, abscondi cum Christo in Deo, & pompas, famamque, ac dignitates, tam spectabili exemplo, spernere. Majoris longè virtutis fuit, ita virtutum suarum ornamenta texisse, teste illo contentum, qui videt in abscondito; ut nusquam apud Evangelistas, vel vocula ab ipso prolata memoretur; nusquam titulo ullo honorifico ornetur, quàm vulgaribus illis, *Iusti, & Filii Davidis*. Ad duos omnino titulos, imò ad unum, cum Divis multis communem, tota Josephi vita divina, & spiritualis, restricta est. Actus interiores sublimissimi, elevatissimæ cogitationes, ardentissimæ & non interruptæ voluntates, unico justitiæ titulo obvolvuntur.

XIV. Vita eadem ipsius beata.

Jam quale fuit, sæculis multis, in Ecclesia de vita ipsius beata, quemadmodùm in Evangelio de vita spirituali, silentium? Abiêre sæcula Christiana duodecim, cum Magdalenæ, Augustini, Pelagiæ, Mariæ Ægyptiacæ, Cypriani ex magis Martyres memorabantur, de iis festi dies & cantus sacri fiebant: de Josepho vix ulla mentio. Donec Bernardo Deus eam mentem immisit; ut verbis ipsum, & scriptis, frumenti electorum custodem, anteferret Josepho alteri, qui frumenta Ægyptiacæ plebi partitus est. Mox Brigitta miram ipsius, in eventis omnibus, cum divina voluntate conformationem publicavit. Tum Divi Bernardinus & Vincentius sanctimoniam illius, ac gloriam, concionibus ac libris promulgavêre: idemque piè præstitit, ex ævi sui doctissimis, Cancellarius Gerson. Simul tota D. Francisci familia, postquam terni ea ex socii naufragi, tertio die de fluctibus ad litus à D. Josepho incolumes deducti sunt; jussique dolores septem ipsius, & gaudia totidem, sæpè animo revolvere. Secuti Religiosi ordines cæteri, & Ecclesia hodie universa. Sed tot antè sæculis mansit vita Josephi abscondita, cum Christo in Deo; beatitudo ipsius, & gloria, terris fermè incognita, intra cælos claudebâtur.

XV. Sanctitas æstimanda in recessu, & in abscondito.

Tantíne est, ô Christe, virtus tua; ut, illi docendæ, nutritium tuum, custodem, patrem, tamdiu latere volueris? Quid enim aliud caussæ est, cur Evangelia de Josepho tam parcè scripserint, Ecclesia tamdiu siluerit? Isto nimirum exemplo monendi eramus, laudes, existimationem, approbationem, etiam quæ à viris probis, & spiritualiter examinantibus, proveniunt, magnifacienda non esse. Curari non debere judicium, & gloriam, quæ cum tempore volvitur, sed quæ perstat cum ævo sempiterno. Vitam nostram cum Christo, cum Maria, cum Josepho, absconditam esse in Deo: nisi Deus publicatam illam, quàm absconditam, maluerit. Non id esse altissimum flumen, quod majori sonitu defluit; neque opulentius conchylium, cui striata meliùs cochlea, aut lævigata nitescit; neque illum ditissimum mercatorem, qui plus mercium exponit; nec magnificentissimum Principem, qui scalas, aut frontes palatiorum ornatiores habet: fluminis altitudinem ab alveo metiendam; pretium conchylii ab incluso margarito statuendum; mercatoris divitias attendendas in recessu; Principis magnificentiam in aulæ apparatu, pompaque, spectandam. Ita eos non esse sanctissimos homines, qui plus habent speciei & nominis, quorum facta oculos magis, & aures, feriunt: sed qui in interiore cordis homine, ubi Pater videt in abscondito, perfectiùs operantur.

XVI. Sicut Dei vita, & Angelorum abscondita.

Vita illa ad Dei exemplum easta est, cujus exteriôra opera, imago quidem divinitatis sunt; at interiora opera, sunt ipsa divinitas, tantoque illis præstant, quantò creatis creator potior est. Angelorum summi cælos non volvunt, raró ad Universi ministeria mittuntur: & quidquid in ista missionum, ac legationum, functione agunt, longè minoris est, quàm quod in obtegendo obtutu coram divinæ Majestatis splendore, & alis ad latera ventilando caritatis ardori agitandis, faciunt. Christus triginta fermè annos totos eximii nihil habuit. Virginem vitâ totâ vel unum miraculum patrâsse, non legimus, cùm ipsa tota prodigium esset. Quod de Josephi sanctimonia olim sciebatur, quantula sanctimoniæ pars erat? Jam Sol, & Luna, & stellæ undecim ipsum honorant: assidet Christo & Mariæ in cælis, eorumque affectibus & alloquiis æternis, inter Apostolos, fruitur: ab omnibus honoratur, qui nunc beati tamquam stellæ fulgent in perpetuas æternitates: ab universa Dei Ecclesia ubi communio Sanctorum, sicut ordines stellarum sunt, colitur. Jungamus illis Josephi cultoribus & nos venerationis nostræ, & quotidianæ invocationis, obsequium: qui adbuc sicut vagæ scintillulæ in arundineto mutabilis vitæ, non satis latentes, & absconditi, discurrimus: utinam viscosarum exhalationum, & fumosorum igniculorum instar, arundinibus fixi non hæreamus.

XVII. D. Aloysii Gonzagæ

Quod de D. Josepho diximus, idem cuivis alteri sancto ad ipsius exemplum abscondito, aptare licuerit. De B. Aloysio Gonzaga nostro

aliquando

vita corporalis, & civilis, in Deo abscondita.

aliquando aptavi. Benè vixit, qui benè latuit: optimè vixit Aloysius, qui optimè latuit. Vitam ejus corporalem fuisse in Deo cum Christo absconditam, testantur ignium, aquarumque pericula, quibus infans, puer, adolescens, ereptus est; postquam nondum natus mortis discrimina, in prægnantis matris discrimine, evaserat. Vitam civilem in Deo ipsemet cum Christo abscondit: contemptu dignitatis, nobilitatis, splendoris, laudum: principatum primogenitus ultro deseruit: cineres nobilium à plebeiis non aliter, quàm majori fœtore discrevit: detritas vestes magnificis, quamvis adhuc aulicus, prætulit: ad sua, suorumve præconia non secus, quàm alii ad probra, erubuit. Vita spiritualis triplici exstasi cum Christo in Deo fuit abscondita; exstasi intellectûs, voluntatis, operum; illâ per admirationem, istâ per amorem, hâc per actionem; illâ splendidiore, istâ ardentiore, hâc efficaciore.

XVIII. Vita spiritualis in oratione per exstases admirationis, & amoris, abscondita cum Christo.

Ternas hasce exstases explicavit B. Salesius Genevensis Episcopus lib. 7. de amore Dei: ante in se expressit Aloysius noster. Certe ipsum adhuc impuberem in domo paterna, intra conclavis sui latebras, coram Crucifixo introeuntem in potentias Domini; anno ætatis duodecimo horam totam manè, à meridie duas in oratione ponentem; adeò divinis intentum, ut nusquam mente vagaretur, neque evagationes omnes annuæ, in summam collectæ, spatium horulæ unius implere possint. Quid si intueare coram augustissimo Sacramento precantem, sacro ministrantem, Eucharistiæ participantem, seclusis curis cæteris, colloquiis, cogitationibus, intrantem in gaudium Domini sui, spiritualis dulcedinis delitias in suo fonte gustantem, in medio ardentem divinæ fornacis incendio: nonne vitam illius judicabis pietate, & amore, extra se abreptam, & immersam penitùs atque absconditam *in Deo cum Christo*, cujus in cruce *vultus* fuit *absconditus & despectus*; *cum Christo*, qui in Eucharistiæ latibulo *verè est Deus absconditus?*

XIX. Per continuum item exstasim operum heroicorum, & Angelicorum.

Qui sic latuit quàm benè vixit: sed quantò melius vixit, qui perpetuâ actionum exstasi extra se, supra se, supra terrena, humanaque omnia in Deo absconditus est? Dicebat de se Ezechiel cap. 8. *Emissa similitudo manûs apprehendit me, in cincinno capitis mei, & elevavit me inter terram, & cælum. Sic*, inquit Greg. 37. Mor. *sanctus in carne mortali positus plenè quidem ad superna non pervenit, sed tamen ima dereliquit.* Plus aliquid à sanctis adhuc mortalibus postulâsse videtur Paullus, cùm scripsit, *Conversatio nostra in cælis est.* Plus aliquid certè præstitit Aloysius, cùm in terris egit, quasi terram, nisi unico divinæ voluntatis ac necessitatis puncto, non tangeret: inter homines versatus est, quasi homo, nisi humanitatis exercendæ causâ, non esset: sic vixit, quasi mundo jam mortuus, dulcis vitæ bona non nôsset: sic mortuus est, quasi cælo jam donatus noxiæ vitæ mala nescîsset. In palatiorum delitiis, velut in tuguriorum duritie, abstinens: in pomparum spectaculis, velut in solitudinis adspectu, immotus: in teneri corpusculi tractatione, velut in robustorum pœnitentium cœtibus, acerrimus: in quotidianis peccatorum occasionibus, & exemplis, velut in virtutum corona, innocens. Virgo corpore & mente: visu, ore, tactu non Angelicus tantùm, sed Angelus: cælos sibi fecit, antequam in cælis esset.

XX. Quo pacto

Vides, Christiane, socie JESU, vitam Aloysii absconditam cum Christo in Deo: vides, quod quidam commodè ad ipsius laudes adduxêre, Benjaminum adolescentulum *in mentis*, voluntatis, operationis *excessu*. Ut ipsum, quà licet, imitere; ut mente excedas Deo, in Deum te oratione abscondas: fac quod ipse, vitæ lib. 2 c. 11. monuit, & ipsius exemplo B. Salesius, compone tumultus animi, neque enim in aqua inquieta vultus benè inspici potest. Ut in Deum amore excedas, & abscondaris; fac quod ipse prævivit, Dei bonitatem attende, beneficia cordi infige, & illud ipsius familiare verbum iterabis: *Quàm vellem tanto Dei amore flagrare, quanto tanta majestas digna est! Cor mihi mærore conficitur, cùm tam ingratos in eum Christianos esse video.* Ut operum excessu in Deum ferare, assuesce istud ejusdem monitum sequi, ex vitæ lib. 2. cap. 16. Christiano cuilibet idoneum: *Eò magis pius futurus, quò magis vitam tuam secundùm rationes æternas, minùs secundùm temporales gubernaris.*

imitandus Aloysius.

SECTIO QUARTA.

Iudiciorum humanorum contemptus.

I. Philosophiæ Stoicæ documentum, de spernendis populi judiciis.

AD vitam rectè ex ratione componendam, vix ullum olim præceptum philosophis commendatius fuit, quàm ut, conscientiâ rectè factorum contenti, laudes alienas, ac vituperia, pro parvo, aut pro nihilo ducerent. Primas inter illos in scientia morum facilè Stoici tulêre: inter Stoicos Latinos Seneca inprimis eminuit. Hic de se ipse lib. de vita beata, profitetur: *Nihil magis persuasi mihi, quàm ne ad opiniones vestras actum vitæ meæ flecterem. Solita conferte undique verba, non conviciari vos putabo, sed vagire, velut infantes miserrimos.* Quod ipse sibi persuaserat, amico Lucilio multis epistolis persuadere conatus est, septimâ præsertim, cujus initium hoc est, *Quid tibi vitandum præcipuè existimes, quæris? Turbam*: clausula: *Introrsum bona tua spectent.* In ea epistola cum Lucilio communicat, quæ ipsi occurrerunt egregiè dicta circa eumdem sensum tria: Democritus ait, *Unus mihi pro populo, & populus pro uno. Benè & ille, quisquis fuit, ambigitur enim de auctore, cùm quæreretur ab illo, quò tanta diligentia artis spectaret, ad paucissimos perventura: Satis, inquit, mihi sunt pauci, satis est unus, satis est nullus. Egregiè hoc tertium. Epicurus, cùm uni ex consortibus studiorum suorum scriberet. Hæc, inquit, ego non multis, sed tibi: satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. Ista, mi Lucili, condenda in animum sunt, ut contemnas voluptatem, ex plurium assensione venientem.*

II. Idem, monitum Philosophiæ Christianæ Patrum.

Apud Christianos philosophos idem præceptum in minori, quàm apud Stoicos, pretio non fuit. Audias passim monentes, ut quando vel vitam, vel vitæ partem, vel qualecumque opus, ex fidei, ac rationis regula instituerimus, contenti simus conscientiâ teste, ac Deo Judice; neque approbatione hominum nimis elati, neque improbatione umquam dejecti. *Beata esset nostra conditio*, inquit Paullinus epist. 33. ad Alethium, *si æquè Deo, ut hominibus, vel displicere timeremus, vel curaremus placere: si tantum præcepta Christi, quantum populi sibila vereremur: & si tanti laus, quæ ex Deo est, quanti iste de vulgo plausus emeretur.* Isidori, lib. de cont. mundi, forte & egregium verbum est: *In aliena lingua, conscientiam tuam interroga: discerne te tuo, non alieno, judicio: neque ex aliorum sermone, sed ex tua mente, te metire.*

O Nemo

Nemo magis potest scire, quid sis. Dicebat Augustinus concioni suæ serm. 50. de diversis, *Scio quantum vobis sit necessaria fama mea, nam mihi sufficit conscientia mea*: scribebat Secundino Manichæo, *Senti de Augustino, quod voles, sola me in conspectu Dei conscientia non accuset.*

III. *Et Angelorum.*

Sic locuti Patres omnes, præloquente Patrum Doctore ad Galatas cap. 6. *Opus autem suum probet unusquisque, & tunc in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero.* Ad Corinthios ipse sese pro exemplo proponit 1. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*, ac deinceps cap. 4. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die.... qui judicat, Dominus est.* Didicerat theodidactus Apostolus ab eodem magistro, quo usi antè Apostoli cæteri, cujus exemplis monitisque firmati, *non sunt deterriti à prædicatione salutis humanæ, tanto fremitu offensionis humanæ. Conversatio* ipsorum, quamvis in terra degerent, erat *in cælis*; atque adeò supra hominum dicta, & judicia eminebant; & sicut stellæ in custodiis suis dicebant, Adsumus, & lucebant cum jucunditate ei, qui fecit illas. *Quanta*, inquit Augustinus, *de ipsis luminaribus fingunt homines, & patienter ferunt; quomodò justi patienter debent ferre omnes de se, etiam falsas, criminationes. Hoc ipsum, quod jam dudum dixi, quia illa stella Mercurii est, & illa stella Saturni est, & illa stella Jovis est, convitia sunt stellis. Quid illæ, cùm audiunt tanta convitia? Numquid moventur, aut non exercent cursus suos?*

IV. *Sectanda nobis illorum vestigia.*

Non audiunt stellæ convitia; sed audiunt sancti, pii, sapientes homines, qui stellarum instar lucent in medio matutinæ nebulæ, & sicut luminaria in mundo. Isti sive laudentur, sive vituperentur, perinde tamen iter suum tenent, & motus suos explicant. Sic nobis, Apostolorum discipulis, Patrum sectatoribus, Christi filiis, divinæ sapientiæ studiosis, faciendum est: excitandusque animus noster, tum adeò illustris honestate virtutis, tum oppositi vitii turpitudine. Quemadmodùm enim fortis constantiæ est, excelsæ magnanimitatis, ingentis fiduciæ, dicta hominum ac judicia contemnere. Ita illis terreri, teneri ve solicitum, stultæ levitatis est, pudendæ pusillanimitatis, maximique periculi: quod postquàm consideraverimus, aliquid de agendo dicendi locus erit.

V. *Mutabilitas indicium stultitiæ.*

Sex indiciis stultum dignosci, Arabes aiunt. *Quod sine re irascatur; quòd loquatur inutilia; quòd fidat cuilibet; quòd mutet, ubi non est mutandum; quòd quærat, quæ ad se non attinent; quòd ab inimicis amicum non discernat.* Quartum indicium sapienti Siracidæ præcipuum visum est: *Stultus* enim, inquit, cap. 27. *ut Luna mutatur.* Vides hominem alium à se atque alium, variis formis sese induentem, nova in dies consilia sequentem? eum tu stultum non temerè, ex Sapientis oraculo, pronuntiabis. Quid autem eo homine mutabilius, quàm qui se rei mutabilissimæ accommodat? Quid enim ludibriis humanorum judiciorum varium magis, & inconstans, vel est, vel esse potest? *Etiam capillus unus habet umbram suam*, inquiebat olim Mimus: hominum nemo est tam tenuis & abjectus, cui judicium suum non sit; atque adeò pro capitum varietate varietas sententiarum nascitur.

VI. *Varietas judiciorum humanorum.*

Hi intellectu valent, illi languent: hi præjudiciis trahuntur, aut præcipitantur; illi in sua sese sententia obfirmant; his voluntas benè affecta calculum album suadet, illis nigrum malè disposita. Quam tu, quæso, tam diversa sententium sequeris in agendo? Imò da mihi, vel unum fermè istorum, qui sibi semper similia judicet? Heri tranquillâ mente rem contuitus, approbabat: hodie, incurrente animi motu perturbatus, condemnat. In eadem re idem judicium non est, quia non idem homo est. Fac tamen, eidem homini eamdem semper esse, de eadem re, sententiam: at quando feceris, ut tam diversi homines, tantâ intelligentiarum dissimilitudine, tantâ voluntatum dissonantiâ, idem semper sentiant? Si ergo placere omnibus voles, Proteum in momenta, & Vertumnum, agas oportebit. Quid sancti acturi fuerant, si sententiis de se per homines latis auscultâssent? Quotusquisque illorum non variis, imò contrariis notatus est? Quem dixêre homines esse filium hominis? *Alii Joannem Baptistam*, &c, alii laudabant, alii *deridebant eum.*

VII. *Insanum volentium omnibus placere.*

Iisdem quidam delectantur, quidam offenduntur, inquit Philo de temulentia. *Equidem casu theatrum ingressus, aliquoties adverti, ad unum carmen tragœdorum certantium in scena alios sic mulceri, ut non temperarent sibi, quin assurgentes clamarent, & applauderent: alios non magis moveri, quàm illos ipsos gradus saxeos, quibus insisterent: alios in tantum offendi, ut è theatro se proriperent; utràque manu compressis auriculis, ne quid ex eo sono reliquum molestiam crearet fastidiosis animis.* Simile varietatis inter judicia ludibrium expertus fuit pictor olim celebris, Apelles, an alius. Tabellæ suæ opus, ante supremam manum imponendam, publicæ censuræ & prætereuntium oculis dederat. Ille post tabellam excipiendis singulorum sententiis intentus, dissonas multas audiit, quæ risum moverent: unam novissimè, quæ bilem excussit, quando ineptus cerdo, non crepidæ modò vitium, sed vestium etiam, vultúsve, notare ausus est. Pictor es, Christiane: pro tabula tibi mens tua est; quæ instituto tuo, & fidei, convenienter agis, colores sunt; penicillus, voluntas; formæ, ac figuræ, sanctorum exemplorum imitatio. Si in pingendo censuras prætereuntium passim auscultas, & sequeris, nunc ducenda inducenda, nunc ducta induces; nunc lucem demes, nunc addes; nunc figuras vertes, nunc colores mutabis: denique produces vel nihil, vel monstrum.

VIII. *Fabella graphicè exprimitur.*

Faerni apologus est, de rusticano homine ætatis devexæ, qui cum adolescente filio pedite in urbem gradiebatur, ipse asino vectus. Occurrit viatori, qui vegetum senem commodè sedentem conspicatus, sequente lasso adolescente: non te, inquit, pudet, firmâ adhuc valetudine, adolescenti non satis firmo, vehendi commodum eripere? Censurâ perculsus senex de asino desiliit, eique filium imposuit. Mox in viatorem secundum incurrêre, cui adolescens vectus, ambulante sene, displicuit: illi ut placerent, asino uterque insêdera. Miseratus asellum, gemino sessore oneratum, viator tertius, inclamare, satisne seni esset, qui fatiscentem sub pondere bestiam oneraret? Dicto perculsi, desiliêre uterque in pedes, & quartum viatorem offendêre, effusè cachinnantem, quòd homines misericordes dorsuario jumento, ad verbera & onera nato, tam benignè parcerent. Non tulêre exprobrationem, &, postquam in omnes ambulandi modos sese verterant, desperatione viatoribus occurrentibus placendi, misellum asinum in præceps dedêre.

De

IX. Quomodò soli Deo placendum & sibi.

De te fabella ista narratur, quisquis, nimio hominibus placendi studio, nemini places, ne ipse quidem tibi. Quid enim agam, inquis, nullíusne omnino judicium curem, nulli penitùs placere studeam? Id non dico, hoc tantùm moneo; ut cùm semel aliquid ex recto, & benè perpensum, statueris, seu tuopte, sive alieno consilio, summopere caveas, ne inde dimoveare, vel tua vituperantium censuris, vel vocibus diversa laudantium. *Fidem tibi habeas*, inquit Seneca lib. de Tranq. *& rectâ via ire te credas, nihil avocatus transversis multorum vestigiis, passim discurrentium, & quorumdam circa ipsam errantium viam.* Meliùs multò & divinè in reg. breviùs disp. ad quæst. 33. *Quomodo quis convinci possit, quòd placere hominibus quærit? Si apud laudantes præ se fert studium, apud vituperantes lentescit. Si enim verè vult Deo placere, idem semper erit, & ubique, ut illud impleatur: Per ignobilitatem, & gloriam; per infamiam, & bonam famam*, &c. Inprimis tibi fixum sit, Deo placere, deinde tibi: si aliis placeas, accipe pro auctario; si displiceas, jacturam non magno æstima. Rem enim habes, & pretium appendiculam solummodò perdidisti.

X. Turpe est Christiano, homines timere.

Sed de isto mox viderimus: interim tibi persuade placebones, ἀνθρωπαρέσκους, non ridiculè solùm & fatuè inconstantes esse, sed turpiter abjectos, ac viles. Animos demittit timor, aspernabiles homines facit timiditas: eò plus, quò inanioribus percellitur. Qui Jerichuntinos muros ad clangorem tubarum corruentes vidêre, valdè ruinosos judicâssent, si miraculum nescîssent, sic sunt ingenia, & voluntates, quibus deficiendis sufficit aut clangor, aut clamor. Christus nos admonuit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Ex Christi monito Tertullianus exprobrat timidis lib. de fuga in persec. *Times hominem, Christiane: quem timeri oportet ab Angelis, si quidem Angelos judicaturus es: quem timeri oportet à dæmonibus, si quidem & in dæmones accepisti potestatem: quem timeri oportet ab universo mundo, si quidem & in te mundus judicatur.* Imò, Christiane, non hominem times, sed umbram hominis, vocem hominis, censuram hominis: quæ si contemnas, quid tibi nocuerint? *Verba volant*, inquit libellus de imit. Christi, *& lapidem non lædunt*, ne capillum quidem tangunt: noli sistere, noli retinere volantia; eò tibi minùs officient, quò longiùs provehentur. Quid si etiam proderunt? Multos enim, anteà ignotos, maledicæ linguæ commendavêre; &, dum deprimere volunt, in altum extulêre. Cogitaverunt homines de illis malum: Deus vertit in bonum.

XI. Quocumque illi gradu sint.

At enim, inquis, viri magni sunt, sapientes, divites, potentes, quorum judicia pertimesco. Fac qualescumque: de talibus tamen, æquè ac de cæteris, tibi responderit Augustinus lib. 5. de Civit. cap. 5. *Tolle jactantiam, & omnes homines quid sunt nisi homines?* Homo quid est? Job in semetipso expertus dixit cap. 25. *Homo putredo, & filius hominis, vermis.* Da archisynagogum: si filius hominis est, æquè vermis est, ac tibicen, & quivis de turba tumultuante ad exequias duodennis puellulæ. Da Cæsaris filium, da Jessidæ, da Tiberium, da Salomonem; si filius hominis est, vermis est. *Quis tu*, increpat Isaias cap. 51. *ut timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet?* Quisquis iste est, cujus dicta formidas, fœnum est, quod hodie manè virens, vesperè desectum, cras in clibanum mittitur. *Noli timere à caudis titionum fumigantium istorum*; quos si pede calcaveris, obtriveris, & molesto fumo in auras vanescente liberaberis.

XII. Nocere in te ulla magna non possunt.

Sed ab istius lingua pendet existimatio mea: ab illius judicio, & commendatione, dignitas ac fortuna. Quid autem ista sunt, mi homo? *Æstimemus*, ex Senecæ verbo ep. 95. *omnia famâ remotâ, & quæramus quid sint, non quid vocentur.* Fortunam, dignitatem, studium habebis? Quid ergo ista sunt? Externa bona, ab aliis non à nobis pendentia, non nostræ potestatis. Ista lædantur, convulnerentur, lanientur: tuúmne aliquid perdideris, verive ullius, ac solidi, mansurique boni jacturam feceris? Narrat Chrysostomus hom. 20. ad pop. Antioch. & ex illo Baronius ad ann. 324. Constantinum, lapidatâ per petulantes homines effigie suâ, cùm ad vindictam à suis inflamaretur, manu vultum suum palpâsse & dixisse; Equidem nusquam me percussum sentio: ad quæ verba incentores vindictæ erubuisse, ac tacuisse. Verba, ludibria, censuræ, effigiem tuam solummodò petunt, Christiane: manet integer mentis tuæ vultus, non perstringitur facies conscientiæ tuæ, imò pulcrior enitescit forma animæ, ac virtutis tuæ.

XIII. Deus dissipat ossa hominibus placentium.

Quid tulit potens nocens? inquit August. serm. 6. de verb. Dom. *Quid magnum tulit? Quod fur, quod effractor; ut multum sæviat, quod latro. Si ad ipsum corpus occidendum permissus fuerit, quid tulit, nisi quod latro? Honoravi, cùm dixi latro. Nam qualiscumque latro, homo est. Quod febris, quod scorpius, quod fungus malus. Ista tota potentia sævientium est, facere quod fungus malus.* Si propter istos tales officium tuum deseris, si de virtutis statione decedis, si consilia in pejus commutas: multò tibi graviora ab longè alio timenda sunt. Nam *Dominus dissipabit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Dominus sprevit eos. Non frustra dictum est*, inquit iterum Augustinus, *Deus confringet ossa hominum, placere volentium. Quid enim languidius, quid tam sine stabilitate, ac fortitudine, quod ossa significant, quàm homo, quem malè loquentium lingua debilitat?*

XIV. Erubescit Christus sese erubescentes.

Utinam infelix non abducatur Hierosolymâ Babylonem, sine fortitudine, ante faciem subsequentis. Timet arctari, fugit vituperari, & fugiendo transit à regno virtutis ad longinquam vitii regionem: unde vel numquam, vel difficillimè egrediatur, quia viam perdidit, ut Augustinus loquitur conc. 3. in psal. 30. *Vis vivere, ut Christianus? Vis sequi vestigia Domini tui? Objicitur tibi: erubescis, & erubescendo dimittis: viam perdidisti.* Jam quid illo fiet, qui rectum in cælum iter amisit, & sine duce exerrat; aut eos duces sequitur, qui sententiis inter se, & cum veritate pugnantibus, exerrant? Quid Adamo factum, quando costæ suæ in mulierem ædificatæ displicere noluit? Quid Aaroni, plebis vociferationes formidanti, & vitulum aureum molito? Quid Absalonis servis, heri in Ammonem irati offensam magis timentibus, quàm divinam? Quid Achabo, Jezabelis gratiam justitiæ & religioni præponere solito? Quid Pharisæis, gloriam ab sese invicem quærentibus, & gloriam, quæ à Deo est, negligentibus?

XV. Deum musicarum consulentes morte moneatur.

In tales sententiarum humanarum timidos auditores, & captatores, præjudicio jam pridem lata est sententia, & disertis ab ipso judice verbis dictata, Luc. c. 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua.* Consuluisti, quemadmodum

de cœnaculo lapſus Ochozias 4. Reg. 1. Beelzebub Deum Accaron, quaſi non eſſet Deus in Iſrael: dominum muſcarum, volaticorum verborum idolum, extimuiſti magis, quàm Dei juſſa, vel conſilia: falſa, ignota, anguſta, vilia, infirma, frivola judicia antetuliſti veriſſimis, notiſſimis, fructuoſiſſimis, immutabilibus, æternisque Dei judiciis. Ergo de lectulo ſuper quem aſcendiſti, & ubi te conquieturum ſperâſti, non deſcendes; ſed morte morieris. Hoc tibi non Elias per Ochoziæ nuncios, aut ipſe coram denuntiat; ſed judex univerſorum, à cujus ſententia non eſt quò appelles.

XVI. Vituperia humana neque admiratione, neque indignatione, neque obſequio, digna ſunt.

Abſit verò tantum à me infortunium. Scio quàm faquè judicia hominum nimis timeantur, quàm abjectè, quàm periculosè. Conſtitutum mihi deinceps eſt, ad illorum contemptum aſſurgere: ſed in ea mentis infirmitate, & reſpectuum attendendorum, ac curandorum, inolita conſuetudine, quonam id pacto præſtitero? Paucis & te, & me, docebo. Primum hoc ſtatuas, judicia, ac verba hominum de te ſiniſtra non mirâri, quia ſolita ſunt: multò minus illis commoveri ad indignationem, motúmve alium animi, quia in poteſtate tua non ſunt: longè minimè ob illa de recto mutare quidquam, quia ridenda ſunt. Nives, & pluvias, & cæteras aeris viciſſitudines, in hiſce regionibus non miramur, proptereà quòd aſſuevimus: ita ſunt vituperia, dicteria, ludibria in regionibus, urbibus, domibus fermè quibuſque. Da ſapientem, da ſanctum, qui evaſerit. Sancto ipſi ſanctorum non pepercere; Deo non parcunt: te intactum non præteriri miraberis?

XVII. Laudes hominum non nimis magni faciendæ.

Si humanas cenſuras non mireris: neque illis commovebere, contemnesque velut catellorum Melitenſium allatrationes, citra morſum moleſtas. Et, quò id ſecuriùs facias, aſſueſce humanis laudibus non nimiùm delectari. Monitum eſt Auguſtini 5. de Civ. 19. *Qui contemnit judicia laudantium, contemnit etiam ſuſpicantium temeritatem.* Thecuitis mulier 2. Reg. 14. cum Davide colloquens ait: *Sicut Angelus Dei, ſic eſt Dominus meus Rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur: unde & Dominus Deus tuus eſt tecum.* Maledictione non movetur David, quia benedictione nimis non tangitur: vituperia nihil pendit, quia laudes non magni facit. Filium Davidis contuêre, quando *deridebant eum* tibicines, & turba tumultuans, quia divinè dixerat, *Non eſt mortua puella, ſed dormit.* Spernuntur ab eo ludibria, quia laudes contemnuntur. Non vides, ejectâ turbâ, paucis teſtibus patrari miraculum, eóque patrato ſilentium indici; ut doceamur contemnere voluptatem, ex plurium aſſenſione venientem? Quod exemplo Chriſtus nos docuit, idem à Philoſopho nobis voluit commendari, lib. de Conſt. *Et honores, & injuriæ vulgi, iſt promiſcuè habenda ſunt: nec his dolendum, nec illis gaudendum. Alioquin multa timore contumeliarum, aut tædio, omittemus.*

XVIII. Attendendum Dei præſentis judicium.

Si autem nec benedictione, nec maledictione moveamur, non facilè de recto rerum, actionúmque, ſtatu mutabimus: quemadmodùm David, coram arca ſaltabundus, aut paralyticus Chriſti juſſu grabatum ſabbato bajulans; aut cæcus tantò contentiùs clamans, quantò magis compeſcebatur; aut Ezechielis animalia, quæ, impetu ſpiritûs provecta, non revertebantur, cùm ambularent. Hoc ſuadebat Anſelmus ep. 15. ad Priorem de linguis hominum nimis ſolicitum: *Numquam ad eos, ſed greſſus veſtros, forti ac ſecurâ mente attendatis.* Suadendum potiùs, ut Deum omniſcium, omnitenentem, omnipotentem, in agendo adſpiciamus. *Sic ſe exiſtimet homo*, inquit Bernardus in ſpec. Mon. *quaſi ipſe ſit ſolus, & Deus.* D. Baſilius in Reg. breviùs diſp. quæſt. 34. *Quomodò quis poſſit laudes contemnere? Si Deum*, inquit, *præſentem habeat, & illi ſtudeat placere. Nemo enim ſub heri oculis multùm cogitat, an conſervo placeat.* Auriga in circo plus de Cæſaris unius, quàm de plebis univerſæ, judicio, erat ſolicitus. Spectaculum factus es, Chriſtiane, Deo & hominibus: horum cenſuram, an illius approbationem attendes? Converſatio tua ſit in cælis, conſcius tuus ſit in excelſis: ambula dignè Deo per omnia placens: ambula coram Deo, & eſto perfectus. Ad ſapienter, pacatè, Chriſtianè, ſanctè vivendum, efficacius nihil eſt, quàm Deum in omnibus præſentem, & judicem attendere.

CAPUT QUINTUM.

ARGUMENTUM.

Antiocho Epiphane alteram expeditionem in Ægyptum adornante, spectantur Hierosolymis in aëre equitum armatorum turmæ, & galeatorum catervæ, concurrentes diebus totis quadraginta. Omen erat imminentium civitati, Iudaicæq; genti, calamitatum. Nam Iason, recuperandi Pontificatus avidus, intellecto de morte Antiochi falso rumore, Hierosolymam cum prompta militum manu invasit: sed elapso in artem Menelao, cùm spes dignitatis recipiendæ non esset, patratis indiscriminatim multis civium suorum cædibus, rediit in Ammonitidem: inde, persequente Arabum Principe, fugere coactus, in Ægyptum se recepit, dein Lacedæmonem, ubi impiam vitam infælici morte conclusit. Regressus ab expeditione Ægyptiaca Antiochus, suspicatusq; Iudæos novum aliquid adversùm se moliri, Hierosolymam ducit, &, vi captam, cædibus implet, trucidatâ civium parte magnâ, aliâ vinculis mancipatâ. Templum etiam, Menelao consultore, & ductore, profanat & diripit; Deo justè ob Solymæorum civium crimina permittente. Denique spoliis dives, fastu tumidus, Antiochiam revertitur; relicto ad atterendos civium cæteros Hierosolymis Philippo, in Samaria Andronico, & Menelao. Neque his contentus, Apollonium cum numeroso exercitu postmodum submisit, qui pacato agmine civitatem ingressus, & ad sabbatum usque quiete simulatâ, eo die nec opinantes cives oppressit, magnumq; numerum interemit. Inter hæc Iudas Machabæus, paucis comitibus, in desertum locum evaserat, herbisq; agrestibus vitam sustentabat, ne tot scelerum, & malorum, cogeretur esse vel spectator, vel particeps.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ỿ. 1. EODEM tempore Antiochus secundam profectionem paravit in Ægyptum. 2. Contigit autem per universam Ierosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aëra equites discurrentes, auratas stolas habentes, & hastis, quasi cohortes, armatos, 3. & cursus equorum per ordines digestos, & congressiones fieri cominus, & scutorum motus, & galeatorum multitudinem gladiis districtis, & telorum jactus, & aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum. 4. Quapropter omnes rogabant

rogabant in bonum monstra converti. 5. Sed cùm falsus rumor exisset, tamquam vita excessisset Antiochus, assumptis Iason non minùs mille viris, repentè aggressus est civitatem: & civibus ad murum convolantibus, ad ultimum apprehensâ civitate Menelaüs fugit in arcem: 6. Iason verò non parcebat in cæde civibus suis, nec cogitabat prosperitatem adversum cognatos malum esse maximum, arbitrans hostium & non civium se trophæa capturum. 7. Et principatum quidem non obtinuit, finem verò insidiarum suarum confusionem accepit, & profugus iterùm abiit in Ammanitem. 8. Ad ultimum, in exitium sui conclusus ab Areta Arabum tyranno, fugiens de civitate in civitatem, omnibus odiosus, ut refuga legum & execrabilis, ut patriæ & civium hostis, in Ægyptum extrusus est: 9. & qui multos de patria sua expulerat, peregrè periit, Lacedæmonas profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus: 10. & qui insepultos multos abjecerat, ipse & illamentatus, & insepultus abjicitur, sepulturâ neque peregrinâ usus, neque patrio sepulcro participans. 11. His itaque gestis, suspicatus est rex societatem deserturos Iudæos: & ob hoc profectus ex Ægypto efferatis animis, civitatem quidem armis cepit. 12. Iussit autem militibus interficere, nec parcere occursantibus, & per domos ascendentes trucidare. 13. Fiebant ergo cædes juvenum ac seniorum, & mulierum, & natorum exterminia, virginumque & parvulorum neces. 14. Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minùs autem venumdati. 15. Sed nec ista sufficiunt: ausus est etiam intrare Templum universâ terrâ sanctius, Menelao ductore, qui legum & patriæ fuit proditor: 16. & scelestis manibus sumens sancta vasa, quæ ab aliis regibus & civitatibus erant posita ad ornatum loci, & gloriam, contrectabat indignè, & contaminabat. 17. Ita alienatus mente Antiochus, non considerabat, quòd, propter peccata habitantium civitatem, modicum Deus fuerat iratus: propter quod & accidit circa locum despectio: 18. alioquin nisi contigisset eos multis peccatis esse involutos, sicut Heliodorus, qui missus est à Seleuco rege ad expoliandum ærarium, etiam hic statim adveniens flagellatus, & repulsus utique fuisset ab audacia. 19. Verùm non propter locum, gentem; sed propter gentem, locum Deus elegit. 20. Ideoque & ipse locus particeps factus est populi malorum: postea autem fiet socius bonorum: & qui derelictus in ira Dei omnipotentis est, iterùm in magni Domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur. 21. Igitur Antiochus, mille & octingentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus est, existimans se præ superbia terram ad navigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturum propter mentis elationem. 22. Reliquit autem & præpositos ad affligendam gentem: Ierosolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipso, à quo constitutus est: 23. in Garizim autem Andronicum & Menelaum, qui graviùs quàm ceteri imminebant civibus. 24. Cumque appositus esset contra Iudæos, misit odiosum principem Apollonium cum exercitu viginti & duobus millibus, præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere, mulieres ac juvenes vendere. 25. Qui cùm venisset Ierosolymam, pacem simulans, quievit usque ad diem sanctum sabbati: & tunc feriatis Iudæis, arma capere suis præcepit. 26. Omnesque qui ad spectaculum processerant, trucidavit: & civitatem cum armatis discurrens, ingentem multitudinem peremit. 27. Iudas autem Machabæus, qui decimus fuerat, secesserat in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus

cum

cum suis agebat : & fœni cibo vescentes, demorabantur, ne participes essent coinquinationis.

COMMENTARIUS AD CAPUT QUINTUM.

Altera Epiphanis in Ægyptum expeditio.

℣. 1. EODEM TEMPORE ANTIOCHUS SECUNDAM PROFECTIONEM PARAVIT IN ÆGYPTUM. De hac secunda Antiochi in Ægyptum expeditione vide dicta l. 1. c. 1. ad vers. 19. & sequentes. Tempus apparatæ expeditionis consignat Salianus anno 142. Græcorum, multosque affert pro sententia sua, nec video cur eam non sequamur. Expeditionem ipsam factam anno 143. idem Salianus existimat : frustrationem certè isto anno contigisse constat ex l. 1. c. 1. vers. 21. Vide nos ibi, & in serie historiæ.

Spectra aeriorum exercituum Hierosolymis visuntur.

℣. 2. 3. 4. CONTIGIT AUTEM PER UNIVERSAM HIEROSOLYMORUM CIVITATEM &c. Narrantur portentosa visa, quæ Interpres noster versu 4. *monstra* vocat, Græcè ἐπιφάνεια dicitur, id est visio seu apparitio; utrumque verè, ac rectè. Monstrosa enim apparitio fuit equestrium cohortium, & pedestrium cuneorum, in aëre inter se concurrentium : ita ut cursus, motusque, & splendor, colorque armorum, ac vestium adverti possent, velut ex propinquo : idque non semel, aut unica die, & à paucis, sed *per universam Hierosolymorum civitatem, diebus quadraginta.*

Per dies quadraginta interpolatè, non continenter.

Totósne verò quadraginta dies continuos, sine intervallo, & interpolatione ullâ, terrificum spectaculū oculis Hierosolymitarum omnium objectum est? Rectè hic Liranus notat, *non ita intelligendum, quasi diebus singulis fieret apparitio ista: sed quod infrà, id est intra, spatium quadraginta dierum pluries fuit visa : sicut Act. c. 1. dicitur, quòd Christus post resurrectionem suam per dies quadraginta apparuit discipulis suis, & tamen non apparuit eis singulis diebus.* Itaque, ut ex vero dicatur, quadraginta diebus horribile istud portentum aëriæ militiæ spectatum; sufficit sæpiùs eo spatio visum, & post quadragesimam diem videri desiisse.

Militia Quadragesimæ Christianæ.

Habes in ea militia non incommodam signatam Quadragesimæ Christianæ, cujus tempus diximus militiam esse, Excursu 1. ad caput 3. lib. 1. sect. 2. Convenit utrimque dierum numerus. Congruunt aëriis equitibus, ac peditibus, tùm Christiani, tum Christianorum hostes, quos D. Paullus vocat *spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Non abludunt saga militaria, quas *stolas aureas* appellat Hagiographus, *armorum* item *aureorum splendor*, aureæ caritatis symbolum; quæ temperantiam, abstinentiamque, ac jejunium Christianis indicit, & arma præbet adversùs vitiorum incursus. Nec loci nomen mysterio vacuum est, cùm visionem pacis sonet : quam pacem Ecclesia intuetur, inquirit, & exspectat à Christo patiente, & resurgente. Denique effectus consonat : ex ostento illo terror spectantium, pœnitentiæ motus, conversio & orationes ad Deum : ex Quadragesimæ Christianæ instituto sanctus Dei timor, peccatorum resipiscentia, precationes & supplicationes assiduæ, inter vestibulum & altare plorantibus sacerdotibus, & dicentibus; *Parce Domine, parce populo tuo.* Hoc unum interest, quòd Ecclesia per Quadragesimæ tempus multa impetrat, & flagella vindictæ divinæ plerumque avertit : Synagoga per horrendam illam ostentorum Quadragesimam, etsi *omnes rogabant in bonum monstra converti*, iram tamen Dei non avertit, quia peccatores non resipuêre, & suppliciorum imminentium caussam non sustulêre.

Præsignificare solet Deus urbium excidia.

Completa scilicet erat Mensura Hierosolymitanæ civitatis, & vicinarum urbium, nec communi, & satis seriâ pœnitentiâ delebatur. De ejus mensuræ modo, ac ratione, diximus, tum alibi sæpiùs libro 1. tum nominatim Exc. 2. ad cap. 16. sect. 1. In ea sectione lege, & huc transfer, quæ diximus, de solitis divinitus præsignificari cladibus, & exitiis, urbium ac nationum.

Ostenta quando à Deo?

Tres præsignificandi modos indicavimus. Tertius & maximè spectabilis est ab ostentis, si clara luce, si à multis, si diu cernuntur. Etsi enim ostenta istiusmodi non à bonis modò geniis, ac veracibus, Dei jussu formari possunt; sed etiam à malis, ac mendacibus, Dei permissu : numquam tamen Deus permittet talia per malos dæmones palàm, & diu, fieri, terrendis mortalibus, nisi quando verè terrendi sunt, gravibus in commune calamitatibus impendentibus; quas illius scientia in futurum sicut præsentes intuetur, horum naturalis sagacitas conjiciendo solùm potest attingere.

Portentosi in aere exercitus.

Ita ante Hierosolymorum supremum per Romanos excidium, vicesimâ primâ die Artemisii mensis, qui Aprili nostro respondet, sub solis occasum, visæ supra Hierosolymam acies discurrere, eamque obsidione cingere, teste Josepho l. 7. de bello Jud. c. 7. Cujus etiam prodigii meminit Tacitus lib. 4. Hist. his verbis: *Visa per cælum concurrere acies, rutilantia arma.* Potuit Josephus spectator fuisse horribilis illius prodigii. Eo certè tempore, maturâ ætate, ac judicio, in Judæa degebat : nec mentiendi, fingendique caussam habebat, fructúmve ullum sperabat : imò, si fingeret, ridendum se & explodendum præbebat, superstitibus plurimis, per quos falsi argui posset. Idem de Tacito dixero. Prorsus, ut si nusquam alibi de exercitibus ejusmodi aëriis mentio fieret, satis tamen hæc sola foret ad revincendos sectarios: quorum nonnulli divinam hujus libri auctoritatem convellere nituntur, ex ostenti istius incredibili, ut putant, magnitudine.

Ostenta ejusdem generis varia.

Eradant ergo ex Tertulliano l. 3. adv. Marc. verba ista : *Constat, Ethnicis quoque testibus, in Judea, per dies quadraginta, matutinis momentis civitatem de cælo pependisse, omni mœniorum habitu evanescente, de profectu diei, & aliàs, de proximo nullam.* Eradant ex historia Italica : visos in agro Aretino equites innumeros, cum terribili strepitu, tympanorum sonitu, & buccinarum clangore, per medium cælum transire, sub tempus expeditionis Neapolitanæ per Carolum octavum Galliæ Regem : apud Spond. an. 1494. Eradant ex historia Polonica, apud eumdem an. 1545. sub Aprilis finem horâ octavâ matutinâ, auditum illic tonitru horrendum, & cruces igneas tres Orientem versùs apparuisse : in earum una, quæ subtus alias erat, visum armatum, contra quem

ingens exercitus ad meridiem uſque pugnavit. Eradant ex hiſtoria Gallica, quod idem an. 1395. refert: in diœceſi Magalonenſi, Galliæ Narbonenſis, apparuiſſe ſtellam ingentem ſplendoris inſoliti, quam minores aliæ interdum cingentes videbantur invadere: cumque horæ dimidiatæ ſpatio conflictum, nunc receſſu, nunc acceſſu, exhibuiſſent, auditum de cælo clangorem, viſumque igneum hominem, equo aheneo inſidentem, qui ignivomâ lanceâ ſtellam confixit. Eradant ex hiſtoria Germanica, quod Lycoſthenes narrat: inſerere paſſim illic viſos armatos, funera, gladios, anno 1538.

Aliquando ludibria oculorum ſunt, aut luſus naturæ.

At, inquis, nonne conſtat, ſæpiſſimè iſtiuſmodi viſa eſſe mera oculorum ludibria, & figmenta imaginationis? Nonne ævo noſtro, ſub annum trigeſimum, rumor paſſim increbuit, viſas in Belgio, noctibus fermè vicenis continuis, pugnas aërias? Poſtmodùm tamen deprehenſum, eo tempore piſcatum halecum apud Batavos fuiſſe: qui piſces, quia cute ſunt oleoſâ & pingui, ſplendorem vibrantem & varium, quando è mari extrahuntur, emittunt: inde non vulgus modò, ſed doctorum nonnulli, ſibi finxêre velut lancearum impulſus, & gladiorum motus. Nonne in Peireſquii vita l. 3. narrat Gaſſendus, anno 1621. viſos noctu in Gallia vapores candidos, inſigni luce, multas horas tenuiſſe, Lunâ tamen ſilente: viſas etiam pyramides candidiſſimas, cùm merus eſſet naturæ luſus?

Non tamen ſemper.

Fateor, ſpargi non rarò falſa, fingique ab inſciis naturalium cauſſarum, aut terrore panico, præjudicióve occupatis. Meteora oriri poſſunt ex vaporibus, halitibusque terreis, ita diſpoſitis, ùt aliquid pugnæ non abſimile exhibere videantur, ſolito tamen naturæ curſu & luſu, citra ullius præſagii ſignificationem: quemadmodùm fortuito nubium concurſu videmus interdum quidpiam exprimi militibus non longè diſſimile, &, ut olim aiebant, pingi à Jove Centauros in nubibus. Fieri proculdubio iſta poſſunt, neque infrequenter fiunt: ſed an ſemper? An quia falsâ interdum imagine rerum deludimur, ſemper nos deludi credemus? Ordinarius fuerit in quibuſdam curſus naturæ, & luſus, meteora diverſiformia producentis: ſed an ejuſdem ordinis fuêre ſpectra tam manifeſta, tam expreſſa, tamdiu perſtantia, à tam multis notata, per tam ſerios, & ſapientes ſcriptores teſtata?

Meridiana militum ſpectra.

Vide plurima iſtius generis, vel apud Conradum Lycoſthenem heterodoxum, tractatu de prodigiis, & oſtentis. Quibus olim addetur, quod ſæculi noſtri anno circiter quadrageſimo contigit ad Leodienſis ditionis limitem. Spectati repentè poſt meridiem, lucido Sole, cunei militares de clivo deſcendentes: ex illis cuneis emiſſi, velut explorandi cauſâ, milites aliquot, ad pontem, rivo vallem interfluenti inſtratum, venêre, & prætentavêre tranſitum: & mox omnes, attonitis, qui ad aliam rivi ripam adverſumque clivum ſpectabant, ruſticanis, evanuêre. Paullò pòſt eodem clivo & ponte, Gallorum copiæ tranſierunt. Accepi id à clariſſimo viro Stephano Rauſſino Leodienſi Exconſule; qui mihi, cùm de hoc argumento quædam Namurci pro concione dixiſſem, ſæpiùs aſſeveravit, plurimis oculatis teſtibus id ſibi probatum, affirmatumque eſſe. Alia non pauca portenta, iſtis affinia, produci poſſent, cauſſam in conſueto naturæ ordine nullam habentia; adeoque iſti Providentiæ divinæ aſſignanda, quæ futurorum præſignificationem hominibus per genios dari vel jubet, vel ſinit.

Providentiæ divinæ peculiari, & bonis geniis, tribuendum, oſtentum hujus loci.

Huic Providentiæ tribuenda ſunt, tum viſa concurrentium per dies quadraginta aëriorum exercituum, ab Hagiographo noſtro relata; tum prodigium pendentis in aëre per dies totidem civitatis, à Tertulliano memoratum. Neque enim ſolitus naturæ curſus, luſúsve, tot dies conſtanter tenuiſſe potuit, aut per intervalla rediiſſe, eâdem ſpecie, ac ſitu; cùm vapores, & halitus, qui naturalium meteororum materia ſunt, agitatione perpetuâ atterantur, ac mutentur, & brevi evaneſcant; niſi fortè in globum unum denſati, ac ſpiſſati, lentè exardeſcant, cælique raptum ſequantur, quod aliquando in ſublunaribus cometis putatur contingere. *Equites* ergo iſti *diſcurrentes, & galeatorum multitudo gladiis diſtrictis;* pugnam in aëre cientium *dies totos quadraginta*, vel per bonos genios, vel per malos effecti ſunt: quamquam per bonos malim, cùm ad ſalubrem metum injiciendum, corrigendosque pravos mores, & vindictam divinam vitandam ſpectarent, quæ dæmonum cogitationes non ſunt.

Jaſonis exitus.

℣. 5. uſque ad 11. SED CÙM FALSUS RUMOR EXIISSET &c. Narratur Jaſonis irruptio Hieroſolymam, cædes patratæ, fuga, ut benè Serarius appellat, Cainica, mors infelix, ſepultura aſinina: dignus turbulento ingenio, crudeli magiſtratu, ſacrilego ſacerdote, execrando apoſtatâ exitus. In textu nihil obſcuri eſt, nonnulla tamén notanda ſunt, ad hiſtoriæ elucidationem, & in quæſtiunculas dividenda.

Unde Hieroſolymam irruperit?

Primùm; unde Jaſon movit ad invadendam Hieroſolymam? Superiore capite verſ. 26. dicitur *expulſus in Ammanitidem*, & hic verſ. 7. dicitur *iterum profugus abiiſſe in Ammanitem.* Unde conficitur, ex Ammonitide rectâ Hieroſolymam duxiſſe, *aſſumptis* ibidem *non minùs mille viris*; quos vel facinorum ſocietas conciliârat, vel odium Menelai adjunxerat, vel ſpes latrocinandi evocârat.

Cur jam id conatus, non antè?

Secundò: quam ob cauſſam nunc Jaſon movit? Cauſſa una redditur in textu, quod rumor ſparſus eſſet de morte Antiochi: de induſtria forſan confictus ab Ægyptiis, ad confirmandos ſocios ſuos ac finitimos, quos apparatus ingens novæ in Ægyptum expeditionis terruerat. Ad illam occaſionem primariam, ſecundariæ aliæ potuerunt acceſſiſſe: quòd prodigiis audiſſet conſternatam civitatem Hieroſolymitanam, ad vota & preces verſam, &, ut in illis ſolet, negligentiùs cuſtoditam: quòd credibile ſit, ab Antiocho militem multum de præſidio Hieroſolymitano deductum, ad expeditionem Ægyptiacam, idque Jaſonem non latuiſſe, qui etiam impunè totâ urbe graſſatus eſt, ut verſ. 6. dicitur: quòd à factionis ſuæ hominibus invitaretur, ſperaretque fore, ut ſuis ſignis conſpectis, illico multi convolarent; deſerto Menelao; Jaſoni enim Hieroſolymæ fautores ſuos, & factionem fuiſſe benè colligit Salianus, ex illis verbis verſûs 7. *Finem inſidiarum ſuarum confuſionem accepit.*

Cur capta civitate rurſum profugit?

Tertiò: cur captam civitatem deſeruit, iterumque ad Ammonitas profugit? Ratio in Scriptura non exponitur. Salianus exiſtimat, expulſum à multitudine conglobata. Sed mihi non admodùm videtur probabile, eum, cujus impetus frangi non potuit *à civibus ad murum convolantibus*, ab iiſdem deinde civibus de capta civitate pulſum fuiſſe. Dicat forſan aliquis, Menelaum, qui Jaſonis ſubitâ irruptione turbatus fugerat in arcem, collecto ibi ſpiritu, & viribus,

improviſum

improvisum Jasoni in civitate grassanti irruisse. Sed neque id mihi verosimile videtur, in arce tantum tunc præsidiariorum fuisse, ut relictis, qui eam tuerentur, educi possent eo numero, ut satis essent ad pellendum Hierosolymâ Jasonem, armatis stipatum, & factione suâ fultum. Itaque ultro ipsum recessisse arbitror, solâ ab Epiphane redivivo formidine. Audaciam ipsi fecerat rumor de ejus morte sparsus: quo inanitate suâ dissipato, crebrescente certâ famâ de illius vita, tutò se Hierosolymæ manere non posse, nedum Principatum obtinere, existimavit.

Cur apud Ammonitas, & Arabas non mansit?

Quartò: cur apud Ammonitas sese non continuit, quemadmodùm primâ fugâ, sed ad Arabiæ interiora se recepit? Ex Livio discimus, Antiochum alterâ in Ægyptum expeditione iter per Cœlesyriam fecisse, omnesque illi sese per Arabiæ deserta populos dedidisse. Jason itaque sibi meritò ab Antiocho metuens, apud Ammonitas non longè à Cœlesyria dissitos, Arabiæque finitimos, consistere ausus non est. Eâdem de caussâ arbitror, *in exitium sui conclusum ab Areta Arabum tyranno.* Non quòd aliquid in Aretam, familiare Arabiæ Regulis nomen, molitus, & ab eo in vincula conjectus sit, ut Salianus arbitratur, & suspicionem suam firmat ex eo, quòd Græca quædam habeant ἐγκληθεὶς *accusatum*, non ἐγκλεισθεὶς *conclusum.* Sed quod Regulus iste, ad demerendam Epiphanis regioni suæ propinquantis gratiam, exosum illi, à postremo præsertim in Hierosolyma conatu, hominem comprehendere, & veluti indagine claudere voluerit. At hic *fugiens de civitate in civitatem* elusit insequentes; &, cùm securo esse alibi non liceret, *in Ægyptum extrusus est.* Græca Sixtina pro, *ad extremum in exitium suum*, habent πέρας οὖν κακῆς ἀναστροφῆς, *ad ultimum mali reditûs*: alia habent καταστροφῆς, id est, *exitii.*

Cur in Ægypto sese non continuit?

Quintò: cur in Ægypto, regione Epiphani inimicâ, tamdem non mansit, uti postmodùm suus ex fratre nepos Onias? Verosimile est, quod indicat Salianus, bello Ægyptiaco finito veritum, ne Epiphanes eum à Ptolemæis ad supplicium reposceret: neque hi dedere recusarent hominem omnibus odiosum, cujus capite, & sanguine, pax recèns inita firmaretur.

Cur Lacedæmone sit tam malè acceptus?

Sextò: cur apud Lacedæmonios, de quorum cum Judæis cognatione diximus l. 1. cap. 2. tam malè acceptus est, ut mortuus sit ἀπένθητος *illamentatus*, & ἄταφος, ut quædam exemplaria Græca addunt, exprimiturque *insepultus* in Vulgata? Non malè Liranus conjicit, Lacedæmoniis cognita fuisse ejus facinora; adeoque occisum ibi fuisse, & cadaver elatum belluino funere. Sed de cæde videtur Hagiographus prætermissurus non fuisse, & non tantùm positurus, *peregrè periit*, sed, occisus est.

Simoniæ pœna.

Attexe hîc utilem appendiculam ad id, quod suprà de simonia diximus. Simoniacus Jason peregrè moritur, nec sepulturam meretur: hospitio caret vivus, caret mortuus: terra, hominum omnium mater, & corporum receptaculum, sinu suo impiæ mentis sedem, contaminatum cadaver, non accipit; qui sacrilegè sacrum honorem ambierat, ne profano quidem mortis honore dignus est. Sic & aliis simoniacis contigit. En tibi historiam relatu dignam, ex Nierembergii nostri fide, de Hispania sua loquentis, Stromate 11. c. 19. Ipsa ejus verba, tibi Lector, annumero.

Sepultura sacra indignus simoniacus.

Post mortem sancti Petri, Oxomensis in Hispania Episcopi, Pontificiam unus dignitatem comparavit Ioannes Tellez; sed ante Romani Pontificis confirmationem mortuus, juxta S. Petrum sepultus est. Sequenti tamen nocte mirâ hac visione aedituus Ioannes Anaya admonetur. Inter orandum, vidit sanctissimum Episcopum Petrum è sepulcro suo exire, Pastorali scipione, & Pontificio ornatu decorum. Deinde ad altare majus pronum orâsse. Inde ad sepulcrum Beltrani, ejusdem Ecclesiæ quondam Antistitis, accessisse, qui proprio nomine evocatus Pontificiis vestibus venerandus prodiit. Vterque mox accedens ad sepulturam Stephani Episcopi, in sortium advocârunt. Exivit utique Pastorali habitu indutus. Omnes tres in majori orant sacello. Deinde Stephanus, & Beltran, majoris ara candelabra arripiunt, &, medium sanctum Antistitem Petrum collocantes, ad sepulturam simoniaci pergunt. Ibi omnes tres baculis terram pulsantes, dicunt: Exi foras, quia indignus es hoc loco. Simoniacus, ululantis instar, respondebat se quidem exiturum. Ad tertiam advocationem prodiit tæter, horridus, & deformis. Nec sanctorum Episcoporum passus præsentiam, ejulans, & vociferans, per Ecclesiæ januam fugax elabitur. In profugientem Stephanus candelabrum jaculatus, infixit in portam, Capisculam dictam. Quod servatur simul cum candelabro altero Beltrani in Oxomensi Ecclesia. Suas deinde tres Episcopi sepulturas repetierunt. Inter hæc in tota civitate, præsertim in domibus ubi cognatio habitabat Simoniaci, hæc vox resonabat, Hinc me extrahite. Posterâ die, cùm per aedituus testimonium & sacerdotio, & populo, constitisset divina voluntas, suâ simoniacum sepulturâ extraxêre. Hæc Simoniaci merces, nulla sepultura, exigua vita.

Simoniæ & usuræ cognatio.

Nihil ad scriptoris verba adjeci, nihil mutavi, ne explicandæ quidem sententiæ caussâ, nisi quod ubi typographus mendosè posuerat, *par aditus*, reponendum existimavi, *per aditum.* Ex ea & Jasonis historia, vides consimilium vitiorum, simoniæ, & usuræ, consimilem in sepultura pœnam. Usura vendit caritatem: simonia nunc vendit, nunc emit religionem. Usura sese larvâ justitiæ contegit: simonia circumvolvit sibi gratitudinis pallium. Usura quolibet penetrat, etiam ad intima Principum conclavia: simoniæ clausum nihil est, ne ipsa quidem adyta Pontificum. Usura sacris ædibus, & cæmeteriis, proscribitur: templorum quies simoniam indignatur. Cognata vitia, caritati inimica, religioni adversa, finem ac pœnam non disparem inveniunt.

Provocatur adversùs Hierosolymitas Antiochus, suspicione defectionis.

℣. 11. His itaque gestis, suspicatus est Rex &c. Relata sunt procul dubio ad Antiochum, quæcumque Hierosolymis acciderant: eaque licèt de se magna, aucta tamen, ut fit, in majus. Ostenta, diebus quadragenis palàm spectata, ignorare nemo poterat, nedum administri Regii. Rumor de morte Antiochi sparsus, conatus Jasonis, irruptio, grassatio in adversarios suos, latè famam fecerant. Nuntios etiam de iis rebus ad Antiochum à Menelao missos, omnino credendum est: non ex Gorionide vani scriptoris, id conjectantis, testimonio; sed ex re natâ, & ex eo, quòd Antiochus ab Hagiographo dicatur Templum ingressus, *Menelao ductore.* Incenderat ipsum literis, & nuntiis, perfidus patriæ ac legum proditor; & adversùs factionem Jasonis concitârat; advenientem excepit, comitatus est, imò præivit ad scelera.

Et dolore frustratæ expeditionis.

Itaque caussa potissima, cur Antiochus Hierosolymam infestus petierit, illa fuit; quòd ex fama, & nuntiis rerum ibi gestarum, suspicaretur Hierosolymitas à se alienatos, & novandi cupidos, ad defectionem, forsan etiam ad Ægyptiorum

Regum

Regum auxilia, spectare. Accessit altera, ex dolore irritæ spei, & expeditionis in Ægyptum. Solent enim homines efferi, & impotentes, qualem Antiochum Epimanem fuisse constat, iram, quam in potentiores exercere vel non audent, vel non sinuntur, in imbecilliores effundere: sicut exundantia flumina, si ab alveo obicibus prohibentur, in vicina loca sese cum impetu, & damnis ingentibus, effundunt. *Et ob hoc profectus* Antiochus ex Ægypto *efferatis animis, civitatem quidem armis cepit.* Vide dicta ad cap. 1. l. 1. vers. 22.

Cædes Hierosolymis patratæ.

℣. 12. 13. JUSSIT AUTEM MILITIBUS INTERFICERE &c. Narrantur cædes, Antiochi jussu, Hierosolymis patratæ, ut in urbe vi captâ. Promiscuam fuisse cædem ex Hagiographi verbis colligitur. Dubitari tamen non debet, quin potissimùm in Jasonis fautores, si qui Hierosolymis supererant, sævitum sit, designante illos Menelao. Deinde conquisiti omnes avitæ religionis amantes, quibus sese exosum Menelaüs non ignorabat, Antiochus fidere non audebat.

Quis ex Græco textu cæsorum & captivorum numerus?

℣. 14. ERANT AUTEM TOTO TRIDUO OCTOGINTA MILLIA INTERFECTI, &c. Difficultas est in cæsorum & captorum numero. Non quia Josephus tantam, & tam disertè expressam ab Hagiographo multitudinem, ad decem omnino millia restringit. Sed quia Græcus textus aliud, quàm noster, videtur innuere: sic enim habetur. Ὀκτὼ μυριάδες, ἐν ταῖς πάσαις ἡμέραις τρισὶ κατεφθάρησαν, τέσσαρες μὲν ἐν χειρῶν νομαῖς, vel potiùs νομῇ, οὐχ ἧττον δὲ τῶν ἐσφαγμένων ἐπράθησαν. *Octo myriades totis diebus tribus perierunt: quatuor quidem in ipso manuum conflictu: non pauciores vero occisis venum iere.* Ita rectissimè exprimi Latinè potest, si verba & sententia Græcorum accuratè expendantur.

Quis ex Latino?

Quid ergo faciemus textu Vulgatæ nostræ, quæ numerum duplicat? Nam græcè habemus, octoginta omnino millia periisse, partim gladio, partim captivitate. Latinè autem dicitur, cæsa octoginta millia, totidem partim in captivitatem abducta, partim venumdata: id est, universim periisse partim gladio, partim captivitate, centum sexaginta capitum millia. Quæ multitudo valdè magna est, in civitate variis seditionibus exhaustâ, & factionibus dissectâ: præsertim cùm Menelaüs credendus non sit, in factionis suæ homines, & apostasiæ fautores, sævisse, aut sævientibus præivisse.

Græci textus sententia commendatur.

Liranus hanc difficultatem non vidit, Serarius non attigit. Salianus in scholio ad annum mundi 3885. Græcum textum explicat, & sequitur: sed difficultati, quam ex Latino movemus, non respondet. Lubens tamen ad illum accessero: tum quia sententia Græci textûs satis manifesta est, etsi nonnulli aliter explicant: tum quia ingens ille tum cæsorum, tum captorum, triduo tantùm, & in urbe unica, numerus non modicam habet difficultatem. Sed an mendo duo in Vulgatam irrepsisse dicamus, aut interpretem aberrâsse? Debuit enim sic reddidisse: *Erant autem toto triduo octoginta millia consumpti*, seu perditi: *quadraginta quidem millia cæsi, non minùs autem venumdati.* Consumi enim, & perdi, aut perire dicuntur, non solùm qui gladio cadunt, sed etiam qui abripiuntur in vincula.

Latini sententia quomodo retineri possit.

Si cui tamen non placebit, nec Bonfrerio nostro quantum memini placuit, ista Vulgatæ interpolatio: dicat textum Græcum aliter, quàm nos exposuimus, reddendum: neque istam centum sexaginta millium multitudinem mirandam in orbe populosissimo, ad quam ex vicinis locis, ad rumorem advenientis exercitûs, plurimi refugerant; quò etiam tunc forsan ex regionibus variis ad festi alicujus celebritatem Judæi convenerant, quomodò factum quando Romani Hierosolymam obsedêre. Textum verò Græcum, paullò convenientiùs Latino, quidam sic ferè expressêrunt: *Octoginta millia toto triduo periêre: quadraginta quidem manu capta: totidem autem venumdata.* Quamquam in hac ipsa versione video obvium sensum hunc fore: *octoginta millia capitum triduo absumpta, quorum quadraginta manu capta fuerunt*, sive id captivitatem significet, sive occupationem ad cædes, *totidem autem venum ierunt.*

Templi sanctitas.

℣. 15. 16. SED NEC ISTA SUFFECERUNT. Ab homicidiis, & liberorum capitum oppressione, transitur ad sacrilegia. Antiochus enim *ausus est etiam intrare Templum, universâ terrâ sanctius*, id est toto terrarum orbe sanctissimum, inquit Salianus; sed plus aliquid innuunt Scripturæ verba. Nec verò quidquam tunc fuit, per universum terrarum orbem, Hierosolymitano templo sanctius: imo totus universim orbis terrarum illi comparandus sanctimonia non fuit; cùm nusquam Numen præsentius sentiretur, nusquam alibi sacrificia legitima celebrarentur; nusquam alius locus cæremoniis veræ religionis, & cultui publico, divinitus destinatus esset. Quanta autem modò templorum Christianorum, præ illo, sit sanctitas, dicemus ad c. 10.

Ab Antiocho violatum.

Templum illud Menelao, *qui legum & patriæ fuit proditor, ductore*, ingressus Antiochus, *scelestis manibus contaminabat vasa sancta, quæ ab aliis Regibus, & civitatibus, erant posita.* Posita in Hierosolymitano templo donaria Regum, habetur Esdræ 1. & innuitur hujus libri c. 3. De civitatum autem donariis, nusquam alibi legitur in Scriptura: & in Græcis plerisque hoc ipso loco non habetur. Satis tamen, ex honore per Reges exhibito, intelligi potest exhibitus etiam, illorum exemplo, per civitates: tamquam, exemplo Cyri & Darii, à civitate Susana; exemplo Antiochi magni, & Seleuci, à civitate Antiochena, aliisque. Quod autem Hagiographus noster hic ait, contrectata indignè, & contaminata, seu versa in profanos usus vasa sancta, expressiùs l. 1. c. 1. vers. 23. & 24. dicuntur, capta, comminuta, ablata in Syriam.

Violata ipsa Sancti sanctorum reverentia.

Ad illum libri primi locum dicebamus, probabile nobis videri cum Serario, Antiochi superbiam ipsi Sanctuarii, seu Sancti sanctorum, reverentiæ non pepercisse. Nunc autem existimo plusquam probabile, & certo proximum: spectato primùm Antiochi, furibundi hominis, & sacrorum omnium contemptoris, ingenio, expensâ deinde Menelai, legum ac patriæ proditoris, insaniâ. Adde, id ab historicis profanis traditum, indeque apud Ethnicos, ad Judaicæ religionis ludibrium, vulgatam fabulam, de invento per Antiochum Illustrem, in sacratissimis Hierosolymitani templi adytis, asinino capite aureo, ut Appion jactabat: aut viri benè barbati asello insidentis lapideam statuam, quæ Mosen referre putaretur, ut Diodorus in eclogis retulit, non sine aliarum fabellularum, valdè insulsarum, ridiculo assumento.

Antiochus sibi summam felicitatem tribuit.

℣. 17. 18. ITA ALIENATUS, sive, ut in Græco habetur, *elatus mente Antiochus*, suíque impos præ superbia, quæ homines de statu mentis solet dejicere;

dejicere, *non considerabat*, unde ipsi obvenisset ista fælicitas, & potestas in Hierosolymitanam civitatem. Immolabat reti suo, sacrificabat sagenæ suæ. Viribus suis, ingenio, consilio fortunam suam tribuebat: neque arcanam illam summi Numinis providentiam attendebat, quæ peccata, quamvis piorum, interdum castigat per impios fælices.

Publicæ calamitates ob peccata immissæ.

QUÒD PROPTER PECCATA HABITANTIUM CIVITATEM MODICUM DEUS FUERAT IRATUS. Numquam à Deo publicas populis, aut civitatibus, calamitates immitti, nisi in pœnam peccatorum, ostendimus l. 1. c. 1. Exc. 5. sect. 1. & 2. Addi potest ad testimonia de Scripturis adducta, istud Hagiographi nostri, valdè disertè expressum: uti & in sequenti versu, ubi affirmatè dicitur, futurum fuisse ut Antiochus ad Heliodori exemplum à sacrilega Templi direptione prohiberetur, *nec despectio circa locum tam sacrum accideret, nisi contigisset, eos*, Judæos, *multis peccatis esse involutos.*

Modicum Deus hic irascitur.

Modicum autem *iratus* fuit Deus in Judæos, Id est, modicâ illos calamitate punivit: nam ira Dei aliud nihil est, quàm castigatio peccati. Sed an tot in civitate cædes, tam fœdæ in Templo profanationes, tanta religionis oppressio, tam libera impietatis & injustitiæ grassatio, modica fuêre calamitas? Omnino, si vel tempore cum aliis, vel materiâ, comparentur. Diuturna non fuit populi Judaici per Antiochum oppressio, paucis annis definita; non ad annos septuaginta protracta, quemadmodùm nuper Babylonica captivitas. Quid si cum æternis impiorum apud inferos suppliciis conferantur, non duratione solùm, sed materiâ pœnarum? Judicabit Fidelis, istam hujus vitæ castigationem amicam esse, nedum *modicam*, præ illa *castigatione inimici, castigatione crudeli.*

Templum profanatum ob peccata populi.

℣. 19. 20. NON PROPTER LOCUM Templi GENTEM Judaïcam Deus elegit: SED PROPTER Judaicam GENTEM, & ad ejus commodum spirituale ac temporale, Deus LOCUM istum Templo nominis sui, ac cultûs legitimi, destinavit. IDEOQUE ET IPSE LOCUS, Templi, PARTICEPS FACTUS EST POPULI MALORUM: sicut reorum ædes interdum ad majus criminis odium effringuntur, aut diruuntur; & ornamenta vestésve, ipsis detractæ, lacerantur, vel conculcantur.

Quando maximè suus Templo honor restitutus?

POSTEA AUTEM FIET SOCIUS BONORUM, ET ... CUM SUMMA GLORIA EXALTABITUR. In Græco habetur, *exaltatus est*, in præterito, non autem in futuro. Et verò, cùm isthæc Hagiographus scriberet, à Juda Machabæo, ac deinceps ab ejus fratribus, suus Templo honor, & gloria restituta erant. Nisi mâlis ex textu nostro dicere, Hagiographum ad tempora Messiæ spectâsse; qui præsentiâ suâ plus honoris Templo redditurus erat, quàm Antiochus, cæterique ante illum Tyranni, abstulissent. Quâ etiam sententiâ putatur propheta Aggæus dixisse c. 2. *Magna erit gloria domûs ejus novissimæ, plusquam primæ.* Adverte autem, quod initio Commentariorum ad caput primum ex Ruperto notavimus; quàm studiosè Hagiographus quærat occasiones Templi commendandi.

Quam summam, & unde, extulerit Hierosolymis Antiochus?

℣. 21. IGITUR ANTIOCHUS MILLE ET OCTINGENTIS ABLATIS DE TEMPLO TALENTIS, VELOCITER ANTIOCHIAM REGRESSUS EST. Commodè hic Salianus advertit, tantam summam non esse solùm pecuniæ signatæ; sed etiam vasorum sacrorum, quæ, ut suprà diximus, ab Antiocho comminuta sunt, & ablata in Syriam. Alioqui constat ex lib. 2. c. 3. vers. 11. paucis antè annis fuisse omnino in Templo argenti talenta quadringenta, auri ducenta. De qua summa nonnihil detractum fuisse credibile est, sacrilegiis Lysimachi, & Menelai, ante deprædationem Antiochi. Ut proinde iste octingentorum supra mille talentorum numerus de auro, argentoque, facto, & infecto, debeat intelligi.

Ejus fatua elatio.

EXISTIMANS SE PRÆ SUPERBIA TERRAM navigabilem facturum, mare calcabile; quasi humanâ sorte altior foret, & dominari in elementa posset, postquam Templum Domini elementorum violârat. Proverbialis est, & hyperbolica locutio, ad exprimendam significantiùs insanam *mentis elationem*: de qua Gabriel Angelus Danieli prænuntiârat c. 8. vers. 25. *Interficiet robustos, & populum sanctorum... & cor suum magnificabit.* De superbia, diximus ad cap. 4. suprà in Exc.

Philippus præfectus Hierosolymorum.

℣. 22. RELIQUIT AUTEM discedens Antiochiam, PRÆPOSITOS seu præfectos, AD AFFLIGENDAM GENTEM JUDAICAM UNIVERSAM. Hierosolymis præpositus fuit PHILIPPUS quidam PHRYX GENERE, seu natione: quod non de nihilo ab Hagiographo notatur, quia Phryges tunc admodùm viles erant, & despicabiles. Additur, fuisse MORIBUS CRUDELIOREM EO IPSO, A QUO CONSTITUTUS EST: talibus enim utebatur Antiochus; tum ut per alios absens perficeret, quod per se præsens non potuerat; tum ut, comparatione alienæ crudelitatis, minùs sentiretur sua.

Menelai nequitia, & crudelitas.

℣. 23. IN GARIZIM AUTEM ANDRONICUM, ET MENELAUM &c. Hic versus paullò aliter legitur in Græco, ut etiam advertit Salianus: *In Garizim autem Andronicum: & præter hos Menelaum*, &c. Intellige itaque, Menelaum non in Garizim relictum cum Andronico: sed hunc præpositum Garizitanis vexandis, uti Philippum Hierosolymitanis: Menelaum autem jussum, utrimque invigilare, ut Philippus & Andronicus strenuè mandata Regia urgerent, in sua uterque præfectura. Quod, pro execranda sua malitia, adeò cumulatè præstitit: ut Hagiographus dicat, ipsum *civibus* suis Hierosolymitanis, & Garizitanis affinibus, incubuisse *graviùs cæteris*, id est acerbiùs Philippo, quamvis crudeli, & Andronico, eorumque emissariis.

Andronicus Garizitanorum præfectus.

Andronici cujuspiam, sceleratì hominis, de purpuratorum Regiorum numero, pecuniâ per Menelaum redempti ad Oniæ cædem patrandam, extremoque, ob id facinus, supplicio affecti, meminit Hagiographus supra c. 4. Alius ergo ab isto fuerit oportet, qui Garizitanis vexandis præpositus est. Nec deerant in Asiatico regno cognomines multi è primoribus, ejusdemque ingenii, & ad omne scelus efficti, Regum suorum exemplo.

Cur Garizitani vexati?

Garizitanos vexandos curat Antiochus, veræ religionis odio. Etsi enim à Judæis abhorrerent, unum tamen Deum, statis Mosaicæ legis cæremoniis, colebant: præsertim ex quo Sanaballetes, Alexandri Magni ævo, in Manassis generi gratiam, templum excitârat, Hierosolymitano æmulum. Eam ob rem Antiochus, cui fixum erat Mosaicam legem exscindere, verumque omnem Dei cultum exstirpare, non Hierosolymitanos solùm, sed Garizitanos etiam vexandos curavit, præeunte utrobique ad persequendos Dei cultores impio Menelao.

Apollonius, Samariæ præfectus, missus Hierosolymam ab Antiocho.

℣. 24. 25. 26. CUMQUE APPOSITUS ESSET CONTRA JUDÆOS, cùm animum Antiochus obfirmâsset, ad Judaicæ gentis ac religionis perniciem: *misit odiosum principem Apollonium*, quem lib. 1. c. 3. vers. 10. Samaritidis præfectum fuisse diximus, & à Juda confectum singulari certamine. *Odiosus* autem dicitur, tum quia erat *princeps tributorum*, ex l. 1. c. 1. vers. 30. præfectura autem illa valde exosa esse consuevit: tum ob horrenda facinora Hierosolymis patrata, quæ mox narrabuntur. Ut istud hominis odium non sit necesse arcessere ex iis, quæ referuntur de Apollonio Tharseæ filio, suprà c. 3. vers. 5. & cap. 4. vers. 4. Tres igitur Apollonios facimus, Samaritidis præfectum unum: alterum Tharseæ filium, Cœlesyriæ, & Pœnici, præpositum: tertium Mnesthei filium, qui ab Antiocho missus est in Ægyptum, suprà c. 4. vers. 21.

Mandata accipit atrocia.

Venit Hierosolymam Apollonius, *viginti & duobus millibus* militum stipatus, acceptis ab Antiocho atrocibus mandatis, de cæde omnium *perfectæ ætatis* Judæorum, id est, qui virilem ætatem attigissent: *nam mulieres & juvenes* vendere jubebatur; forsan ut tum his, tum illis, insana Syro-Macedonum libido abuteretur, cùm pro mancipiis distracti essent.

Fraus Apollonii.

Ut infame & inhumanum præceptum faciliùs exequeretur, arte vires adjuvit. *Pacem* enim *simulans*, & novam forsan in Ægyptum expeditionem mentiens, aut verosimilem aliam in Arabas, vel Idumæos, *quievit usque ad diem sanctum sabbati: & tunc, feriatis* de more *Judæis*, nihilque hostile metuentibus, *arma capere suis præcepit: omnesque, qui ad spectaculum processerant, trucidavit.*

Quo spectaculo Judæi decepti?

Spectaculum istud Salianus interpretatur scenicos ludos, aut exercitationes athleticas, quales nuper ab impio Jasone, & asseclis, Hierosolymam inductas Hagiographus narravit suprà c. 4. Neque incredibile est, Apollonium, simulandæ paci, & contrahendæ curiosæ & otiosæ Hierosolymitarum multitudini, id genus ludos indixisse. Malim tamen non aliud spectaculum hic intelligere, quàm armilustrium, seu armatorum lustrationem, cui videndæ plebs numerosa solet concurrere. *Arma* igitur *suis capere* præcepit Apollonius, velut exercitum lustraturus: laxatis dein repentè ordinibus, spectatores promiscuâ cæde sterni jussit.

Quanta Hierosolymis cædes?

Neque istâ carnificinâ contentus, *civitatem cum armatis discurrens*, *ingentem multitudinem peremit*. Ab Jasone cædes multæ Hierosolymis patratæ fuerant, ab Antiocho plurimæ, non paucæ à Philippo, crudeli Antiochi emissario: supersunt adhuc qui cædantur in urbe populosissima, & quò Judæi undique, sabbatis præsertim & festis celebrandis, solebant confluere.

Sabbatis Judæi non repugnant.

Non repugnâsse Judæos, constat ex simili eventu l. 1. c. 2. & infra c. 6. vers. 11. Cur autem non repugnârint; an peccârint non repugnando; an martyribus accensendi, qui sic periêre, si religionis odio cæsi sunt? Eas quæstiones vide ad l. 1. c. 1. vers. 38. ubi etiam reperies, quid præter cædes Hierosolymis Apollonius patrârit.

Quomodò Machabæus dicatur decimus? An quia decimus Pontifex?

℣. 27. JUDAS VERÒ MACHABÆUS, QUI DECIMUS FUERAT. Difficultas est in eo *decimi* titulo, quem Hagiographus Judæ Machabæo tribuit. Rabanus nihil se invenire ait, nisi ut dicatur fuisse decimus Pontificum, ab inchoato Græcorum regno: numeratque decem omnino; sed aliquos falsi nominis, & adulterinos, eo numero complectitur. Liranus igitur, paullò commodiùs, eam Pontificum seriem incipit à monarchia Græcorum, & Alexandri Magni ætate, primumque ponit Jaddum seu Jeddoam. Aberrat tamen in eo, quòd Mathathiam non includat, adeoque non decimum, ut arbitratur, Judam faciat, sed nonum tantùm. Itaque, si cui placuerit hanc sententiam amplecti, neque Emmanueli Sa & Serario displicuit; Jaddum ejus numeri primum statuat, & exclusis Pseudo-Pontificibus, ac Mathathia incluso, inveniet Judam decimum. Vide seriem Pontificum tomo primo à nobis præmissam.

An quia cum decem sociis fugit?

Malunt alii *decimum* Judam dici, quia cum novem omninò comitibus sese furori Syro-Macedonum subduxit. Eam expositionem indicat Serarius, verissimam censet Salianus. Fulciri potest vulgari modo loquendi, quo dicimus ivisse, vel fugisse quempiam, *luy dixiesme*, decimum, id est cum sociis novem. Reperiturque eadem phrasis 2. Petri 2. ubi Deus dicitur custodisse *octavum Noë*, *justitiæ præconem*: neque enim Noë aliter octavus commodè appellari potest, quàm quòd *octo animæ salvæ factæ sunt* in arca, ipse cum uxore, liberisque, & eorum uxoribus.

An potiùs quia decurio Assidæorum?

Serarius tertiam expositionem affert, videturque maximè probare, ideò *decimum* dici Judam, quia decurio fuerit; Græcum itaque δέκατος poni pro *decadarchus*, seu decemvir, id est unus de primoribus decem. Favetque isti expositioni, quod Assidæi, sive Esseni, eosdem enim fuisse Serarius existimat, per decuriones seu præpositos decem regerentur. Principem autem Assidæorum aliquando fuisse Machabæum, colligitur ex eo, quòd ad ipsum adjuncta fuerit *synagoga Assidæorum fortis viribus*, & manifestius ex c. 14. hujus libri, ubi dicitur præesse Assidæis. Hanc sententiam, aliis tamen non rejectis, idcirco maluerim, quia in textu nostro habetur, *qui decimus fuerat* in præterito, non autem qui decimus est, vel erat. Quærendum ergo aliquid præteritum, cur decimus dicatur: neque aliud præteriisse potuit, quàm iste Assidæorum decurionatus, seu decemviratus, aut decanatus, sive Essenis iidem fuerint, seu secus.

Conjectura de vexillo Judæ.

In prolegomenis ad l. 1. sect. 1. num. 8. conjiciebamus Judam Machabæum potuisse cohorti alicui, aut turmæ, ob natalium splendorem, & virium præstantiam præfectum fuisse: adeoque etiam isto tempore signum aliquod militare proprium habere, cui sententia, *Quis similis tui in fortibus Domine*, inscriberetur, & Machabæi nomen inde duceretur. Habemus, quo conjectura illa nostra fulciatur, ex isto Assidæorum decemviratu seu præfectura.

Judas fugit in solitudinem. Quando?

Isque nobilis ille decurio Judas Machabæus, dum Hierosolymis persecutio ferveret, nioque illic nulli securo consistere liceret, *secesserat in desertum locum*. De fugæ hujus tempore dissidium est, idque in serie historica num. 19. attigimus. Serarius putat eamdem esse, quæ l. 1. c. 1. vers. 40. generatim describitur, aliam prorsus à fuga Mathathiæ de oppido Modin. Salianus mavult non aliam esse, quàm Mathathiæ, & hic per occupationem narrari; cùm tamen post Eleazari, & septem fratrum martyrium acciderit. Utramvis sententiam sequaris licet. Ego tamen ad Serarium potiùs accessero; quia hîc videtur narrari fuga Judæ ex urbe Hierosolymitana. Inde ergo, cum Assidæorum paucis, sese Judas proripuerit

in solitudinem: de solitudine ad patrem in montem Modin venerit: de monte Modin rursum, cum patre, sese in solitudinem proripuerit.

Cum inopia in solitudine.

Solitudinem illam censuimus l. 1. c. 2. esse in montanis Judææ, ac desertis Thecuæ, & Ziph: nec modò video, quid commodiùs dici possit. *Ibi inter feras vitam agebat* inclytus Heros *cum suis, & fæni cibo*, id est herbis ac radicibus, vescebatur: quod postmodùm ab insigni helluone, M. Antonio, factum in Alpibus, post Julii Cæsaris cædem. Idem à piis & impiis fieri potest, sed finibus longè diversis. M. Antonius cum suis ad ambitionem, & vindictam, fugâ & inediâ sese servabat. Judas, & sui, fugerant, vitamque inopem ac miseram tolerabant, *ne participes essent coinquinationis* impiorum idololatrarum, & ut aliquando possent, resumptis viribus, impios persecutores persequi.

Feriantes, & otiosos dæmon aggreditur.

In Apollonio, Judæos sabbato quiescentes aggrediente, Liranus non incommodè dæmonem adumbrari existimat, qui Fideles diebus festis impugnare consuevit, peccatumque geminare, ob spretam ac violatam sacræ diei reverentiam. Commodè etiam dicas; significari artem dæmonis, otiosos maximè aggredi soliti, ut in Davide meridiante, aliisque innumeris & quotidianis exemplis cernitur.

Judas exemplum pii Fidelis.

In Juda Machabæo Rabanus meritò Fidelem pium ac fortem exhibet; qui *decimus* dicatur, id est decalogum servet, illique servando delitias & pompas omnes contemnat, malitque abrenuntiare quidquid cupiditas amat, quàm particeps esse coinquinationis. *Nobis lectio actuum Judæ*, inquit, *ita solummodò proficit, si constantia ejus ac sobrietatis virtutes imitari voluerimus, nec præponamus delitias mundi, & pompas hujus sæculi, justitiæ ac veritati Dei.*

Item Christi figura, & bellatoris spiritualis.

Nos in Heroe illo Insignem Christi figuram ostendimus, tum l. 1. c. 3. ad vers. 1. &c. tum lib. eodem cap. 9. initio Excursûs. Addi ad ista potest: Judam, ne contaminationi participaret, & ut sese ad liberandum populum Israeliticum, & filios superbiæ contundendos, compararet, secessisse in desertum locum, & vitam egisse cum bestiis. Ita Christum, ductum à spiritu in desertum, fuisse cum bestiis, & sese ad prædicationis bellique spiritualis munus, adversùs spiritualia nequitiæ in cælestibus, jejunio ac solitudine præparâsse. Secessu à turbis ac tumultibus rerum, & abstinentiâ à delitiis ac voluptatibus, accingat se ad prælianda prælia Domini spiritualis bellator.

Solitariâ vitâ præparatur, ad regendum populum Dei.

Adverto etiam in Juda non absimilem Providentiæ divinæ ductum, atque in Moyse, ac Davide. Destinârat illum Deus, quomodò & hos, ad asserendum in libertatem, & regendum Israeliticum populum. Illum, uti & hos, præparat gubernandis hominibus, solitariâ cum bestiis vitâ. Moses, pascens oves in deserto, ad liberandos ex Ægypto Israelitas destinatur. David de post fœtantes accipitur, pascere Jacob. Philo existimat, ideò Mosen Dei consilio factum opilionem; ut regendis ovibus, pecudum mansuetissimis, disceret, quemadmodùm homo, mansuetum animale regendum foret.

Paupertate, ad liberandum.

Quid si prætereà Deus, quò spectabilius foret suum in liberanda Judæa auxilium, pauperem esse Machabæum voluit; & pecuniâ, quam belli nervum vocant, prorsus destitui? Quid si egestate animos illius exacuit: cùm inopia non scientiæ modò cos sit, & artium, sed etiam fortitudinis militaris? Quid si eò formidabiliorem hostibus effecit, quò pauperiorem: cùm ab hostibus nullis cavere magis oporteat, quàm à *fortibus & miseris*, quia, ut Satyricus ait, quantumvis *spoliatis arma supersunt*? Quid si, commodorum omnium privatione, curas simul Machabæo amputavit, ut tantò quietiori mente consilia de vindicanda libertate agitaret, quantò esset egentior? Sunt enim bona temporalia urticarum instar, eminùs virore placentium, cominùs puncturis coquentium.

Triplicis solitudinis commendatio.

Habes item hinc, quo illustres solitudinis encomia, à sanctis Patribus fermè omnibus commendatæ: luculentissimè à D. Eucherio epist. ad Hilarium. Magni certè viri solitudinem, & secessum à turbis, amavêre, quà licuit. Quamquam tria video esse solitudinum genera, corporis, intellectûs, voluntatis. Adhibendas illas monuimus Exc. ad lib. 1. c. 3. sect. 7. num. 4. quando cum Deo loquendum. Adhibendæ eædem, ut Deum loquentem audiamus: solitudo corporis interdum, sæpiùs solitudo mentis, semper solitudo voluntatis.

Solitudo corporis quæ, & quando quærenda?

Solitudinem corporis voco, non vitam in montibus, qualem egit Judas Machabæus; aut in deserto & silvis, qualem egêre Elias, Joannes, anachoretæ, quæ omnium non est: sed secessum ab hominum turbis, & quietem à negotiorum strepitu. Talem quæret interdum Christianus quilibet, ut Deo vacet, ac sibi. Quando autem quæret? Respondet Aug. lib. 29. de Civ. c. 19. quotiescumque negotiationi suadet caritas, *Otium sanctum quærit caritas veritatis: negotium justum suscipit veritas caritatis.* Alii explicatiùs dicunt, secessionem à tumultibus negotiorum servandam, quandocumque vel caritas, vel obedientia, vel necessitas officii aut vitæ, aliter non exigunt. Extra has caussas, occupatio negotiosa nihil erit, nisi *afflictio spiritus*, *eviceratio mentis*, *evacuatio gratiæ*, *aranearum tela*, ut Eugenium Bernardus monebat lib. 1. de consideratione. Quæris, ô sponsa, sponsum *per vicos & plateas*? Frustra, si tunc non vult se ibi quæri.

Qualis solitudo intellectûs?

Sed & frustra in *lectulo*, in quiete domestica, extra negotia quæres, si solitudini corporis non jungas solitudinem mentis, ut cogitationes tuas à vanis excursibus, supervacaneisque, & inutilibus studiis coërceas. Basilius eleganter c. 6. Const. vocat corpus φροντιστήριον mentis: in eo conclavi animam sibi vacare posse, etiam inter fori strepitum: in eodem posse nugis & turbis impediri & distrahi, etiam cùm est in secreto cellulæ. *Homo inordinatus*, inquit auctor vitæ D. Bern. *etiam cùm solus est, ipse sibi turba est*: contrà homo ordinatus, etiam in multitudine, extra turbam est. Narrant, Abbatem quemdam, cùm in monachum suum curiosissimum indagatorem, in claustris errantem incidisset, peniissetque, Adhuc ne ibi ipse? & monachus excusationes more suo texere cœpisset: dixisse, Viderìs, mi frater, accuratè servâsse, quod Christus suasit, ut simus *perfecti sicut Pater cælestis*: ubique enim est, & tu; scit omnia, & tu; peccare non potest, ita & tu culpam numquam agnoscis.

Quæ solitudo voluntatis?

Omissis ergo discursationibus supervacaneis, & cogitationibus vanis, atque inquisitionibus alienorum, intrò nos inspiciamus, nec simus *spiritus vadens* ad alios, *& non rediens* ad se. *Quid est in solitudine?* inquit Aug. hom. de ovibus; *Intus in conscientia. Magna solitudo, quam non solùm nullus hominum transit, sed nec videt .... Ibi*

interrogemus fidem nostram, interrogemus si est caritas intus, si est præcipua solitudo voluntatis, ot ad Deum omnia nostra referamus, exclusâ inutili turbâ desideriorum, tumultuantium in corde nostro. *Tota vita Christiani*, inquit Aug. tract. 4. In Joan. *sanctum desiderium est*. Solus est, qui solum in omnibus Deum desiderat: qui postquam, conscientiâ teste, Deo satisfecit, aliud nonquærit, nec laborat sibine aut aliis satisfecerit. Audivi de viro admodùm religioso ævi nostri; cùm, in legendo Sacro, Graduale frustra, ob Missalis libri remissiones, diu quæsisset, dixisse, *Fecimus, quod potuimus, Alleluia, alleluia, alleluia*. Posteaquam fecimus, quod potuimus, cantemus Alleluia; quia Deo satisfecimus: satis autem nobis sit, quod Deo satis est. Aliò voluntas Inquieta non evagetur. In uno studio divinæ voluntatis, sitâ est vera solitudo Christianæ mentis.

EXCURSUS

Ad cap. 5. v. 27. Iudas Machabæus, qui decimus fuerat, &c.

Christi, Domini ac Ducis nostri, varia encomia.

SECTIO PRIMA.

Christus Deus-homo ad divina Misericordiæ ac Iustitiæ, Potentiæq́, ac Sapientiæ gloriam.

I. Cur Deus-homo?

DIXIMUS in Commentariis, quemadmodùm Judas, de expressissimis & postremis Christi figuris & antecursoribus unus, in desertum locum secesserit, egeritque illic vitam in montibus: ita Christum ductum fuisse à Spiritu in desertum, & cum bestiis ibi aliquamdiu mansisse. Sed longè aliud in Filio Dei miraculum est, quòd filius hominis esse voluerit, & de visione pacis in deserti nostri miserias descendere, versarique cum mortalibus, belluarum vitam degentibus. Id modò spectabimus, & celeberrimam illam quæstionem attingemus, *Cur Deus-homo*: quantum satis esse videbitur ad populi captum, & instructionem. Deinde ad consequentia ex ea quæstione encomia Christi transibimus: quod sit Principium nostrum, & Finis, Magister, Medicus, Pater-familias, Pastor, Vinitor, Hortulanus, Legatus, Restitutor regni, Triumphator, Assessor Patris: prætermissis, quæ fini nostro sufficienter exposita sunt tomo 1. in Concionibus Adventûs, de titulo Judicis, Messiæ, Amici, Domini, Regis: iis etiam, quæ de Christo Duce nostro patiente, & resurgente diximus Exc. ad c. 9. & 13. libri 1.

II. Jucundissima quæstio est.

Ferunt D. Gertrudem, audità festo Annuntiationis concione, ubi multa concionator de D. Virgine dixerat, nihil de Verbo incarnato, valdè istud silentium miratam, & questam. Neque enim sanctæ illius plena Deo mens ignorabat, quàm jucundum Christianis & proficuum esse soleat, de suavissimo & utilissimo isto argumento audire, & cognoscere: quamque id ipsum Deo, mirandi illius operis architecto, gratum atque honorificum sit. Quid Deiparæ, dum in vivis ageret, jucundius fuit: quid beatæ, & inter beatos in cælo regnanti, lætius? *Conservabat* tunc *omnia verba hæc*, Verbum incarnatum tangentia, *conferens in corde suo*, & mente attentâ continenter retractabat: nunc veritatem oraculi, à dilecto Filio pronuntiati, experitur, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti, IESVM.* Nihil humanæ menti veritatis cognitione dulcius est: Christianæ menti nihil suavius est contemplatione divinæ veritatis, & sapientiæ incarnatæ.

III. Et utillima cognitio.

Quemadmodùm autem tabella picta benè inspici nequit, nisi ad eam lucem, cui ab artifice destinata est, opponatur: ita neque opus ullum, atque adeo nec Verbi incarnati miraculum, considerari ad perfectum potest; nisi, ante omnia cognito operis fine, in lumine suo collocetur. Ex cujus finis inquisitione, atque inspectione, non voluptas nobis solùm maxima, sed præcipua existet utilitas. Fodinæ enim instar inexhaustæ erit, unde quò plùs auri argentive decerpseris, eò ampliùs superesse deprehendes, magisque ac magis ad vestigandum excitabere: quam forsan ob caussam Paullus Ephesiis cap. 3. investigabiles divitias Christi memoravit. Certè in contemplando incarnati Verbi mysterio Angelici spiritus, & animæ beatæ, assiduam Deum laudandi amandique materiam inveniunt: eademque nobilissimorum actuum, & ad vitæ æternæ meritum utilissimorum, materies Christianis adhuc viventibus offertur.

IV. Deo item gratissima.

Nec mirum tantùm inde lucri provenire; quando id Deo longè acceptissimum est, quia honorificentissimum. Gratum facit artifici, qui ejus opera considerat, illisque sese delectari profitetur: maximè si præcipua ingenii & industriæ monumenta sunt, ex quibus magna de opifice concipiatur existimatio. Vidit Deus in creando Universo, cuncta quæ fecerat, & lætatus est in operibus suis. A nobis etiam gaudet videri, quæ fecit: & nos sibi de operum suorum pulcritudine gratulari, lætatur. Prorsus ut, qui tam eximiæ

eximiæ contemplationis studium negligunt, de illis, non sine acerba comminatione, apud Psalmistam, conqueratur: *Non intellexerunt opera Dei, & in opera manuum ejus. destrues eos, & non ædificabis eos.* Quod autem Deo-homine illustrius unquam opus immensa Dei magnificentia produxit; ut, ex illius attenta consideratione, summa nobis de supremo artifice ingeneretur opinio?

V. Fide, & humilitate, quærenda.

Verissima ista sunt quidem: sed de tam eminente mysterio quid aptum dicat Concionator Christianus, quid plebs Catholica intelligat? *Abyssus*, inquit Bern. serm. 2. de Ann. *impenetrabilis, inscrutabilis, Verbum caro factum, & habitavit in nobis: quis investigabit?* Investigabit, qui lucernam præferet pedibus suis verbum Dei; qui ambulabit in lumine fidei, ne exerret. Investigabit, qui timore Dei nixus, & spe suffultus, non superbâ curiositate extolletur ad scrutandam majestatem; sed submissâ pietate ad intuendam majestatis humiliationem, descendet, ne in præceps ruat. Retrogradum decem lineis ævo Ezechiæ Solem in speculo Babylonii astrologi spectavêre, quomodò nos spectamus eclipsi subductum. Ita nos *per speculum* fidei Deum infra Angelos retrogradum, & absconditum, intueamur. Qui bono fine, ac causâ, caussam & finem divinæ incarnationis inquiret; intelligere merebitur, quod Christiani omnes audiunt, quod credunt, ad cujus mentionem genua venerabundi submittunt, divinamque dignationem & misericordissimam humiliationem, capite in terram prono, adorant: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto ex MARIA virgine, & homo factus est.*

VI. Finis incarnationis redemptio generis humani.

Hunc autem incarnationis finem Ecclesia didicit à Gentium Doctore; ab Angelico ad Josephum, Christi nutritium, delegato; ab Angelo præcursore; ab ipsomet Dei Filio. Audiit isthæc, quæ nobis tradidit: *Venit Christus IESUS peccatores salvos facere, quorum ego primus sum. Ipse salvum faciet populum à peccatis eorum. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Venit filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat.* Multis ante sæculis præcucurrerat Josephi figura Gen. 37. à patre missi quæsitum fratres suos, inter pecora pecorinam vitam agentes. Interroga Christum, quid agat in Dothain, valle defectûs, quid in agris & pascuis mundi oberret? Idem dicet, quod Josephus: Paterno jussu *fratres meos quæro*, homines, qui cùm in honore essent non intellexerunt, & ipsi sese jumentis insipientibus comparavêre.

VII. Alia de causâ non venit in terras.

Nonne autem, inquit Theologus, Deum incarnandum fuisse, quamvis Adam non peccâsset, probabile est? Nonne id divinæ bonitati consentaneum doctissimi viri censuêre? Nonne id ipsum nos aliquando, infinitæ Numinis benignitati, & humanitati, ad plebem commendandæ, existimâsse visi sumus, & mox sectione quintâ indicabimus? Augustinus tamen ita censuisse non videtur serm. 8. *Alia caussa non fuit, quare venerit in mundum: Deum de cælo ad terram non merita nostra, sed peccata traxerunt.* Neque ita censuit serm. 9. *Magnus de cælo venit medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus.* Serm. item 10. *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est caussa medicinæ.* Quid quod Christus ipse, cùm Nicodemo disputans Joan. 3. pronuntiâsse visus est, sic dilectum à Deo mundum, ut illi Filium suum unigenitum daret, non aliâ utique causâ, quàm *ut salvetur mundus per ipsum?* Vide, si lubet, Doctorem Angelicum 3. p. q. 1. art. 3. Quidquid tamen istius quæstionis sit, cujus decisio suprema ad sanctuarium Dei servanda est: hoc saltem certissimè constat, etsi aliâ forsan de caussis, rerum ordine alio, Verbum caro futurum fuisset; aliâ tamen de causâ mortalem hoc rerum ordine non venisse, quàm ut centesimam ovem deperditam bonus Pastor requireret, hominemque redimeret, omissis in deserto nonaginta novem.

VIII. Cur homini, præ Angelo, sit misertus?

Si quæras, cur ergo ad liberandum suscepturus hominem non horruerit Virginis uterum: Angelos tamen, qui perierant, in æterna sortis suæ infœlicitate reliquerit? Respondebit D. Thomas 3. p. q. 64. art. 2. Id factum, quia Angelorum voluntas immutabilis est, humana mutabilis; quia hominem sensus, quo Angeli carent, ad peccandum impulerat: quia homines per alium peccârant universi, Angeli per se singuli: quia hominem dæmon ex odio mero, atque invidiâ, sollicitârat ad peccandum. Miserta est igitur bonitas Dei imbecillæ, mutabilis, fragilisque naturæ: vênit quæsitum, quæ alienâ culpâ perierat: amavit, quam dæmon oderat: ei sese æterno nexu conjunxit, quam æternùm abstrahere dæmon tentaverat.

IX. Debueritne Deus fieri homo ad justitiæ suæ satisfaciendum?

Finem incarnationis in humani generis salute, & divinæ misericordiæ manifestatione, invenimus: nondum tamen ad quæstionis finem pervenimus, imò in ipso adhuc fermè consistimus difficultatis principio. Nam si tam profusa fuit ad hominem liberandum divina benignitas; nonne sapientia divina alios isti caussæ expediendæ modos comminisci poterat, quàm ut tantâ sese indignitate in miseri animalis conditionem devolveret? Quid enim, si ultrò hominibus culpas suas misericorditer condonaret, &, clementiæ communi indulto, totum simul genus absolveret? Potuit omnino id fecisse, inquiunt; eâ tamen ratione justitiæ divinæ factum satis non erat. Tanta enim est vel unici letalis criminis enormitas: ut si virgo Deipara sese illo contaminâsset, æterni supplicii rea teneretur; quomodò dæmones aliquando, D. Birgittâ & Bosio testibus, clamavêre. Tam immenso itaque malo, ad justitiæ exactam rationem, expiando, & compensandò, immensis meritis opus fuit. Mereri autem nisi homo non poterat: immensè nequibat mereri, nisi Deus-homo. Eamobrem *Verbum caro factum est*, & in illo *misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt*, ut Psalmista præcinuit, sive ut Paullus loquitur ad Rom. c. 3. *proposuit Deus propitiatorem . . . ad ostensionem justitiæ.*

X. Honorificentior Deo Deus-homo, quàm Deus-Angelus.

Ita vulgò ratiocinamur: sed aliquis in altera ratiocinationis nostræ parte defectus est. Numquid enim mereri etiam Angelica mens non poterat? Numquid nequibat Deus-Angelus fieri, & infinitum mereri pariter ac Deus-homo? Ut quid igitur *nusquam Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit?* Prævenêre hanc difficultatem Angeli ipsi, nascente Christo accinentes gloriam Deo, hominibus pacem. Quæris, cur Deus humanum genus per hominem, non per Angelum, redemerit? Quia id divinæ gloriæ conducibilius erat, paci humanæ utilius. Par quidem ex Deo-Angelo ad redimendum hominem Misericordiæ, ac Justitiæ divinæ honor extitisset, atque in Deo-homine: at non par Potentiæ divinæ, sapientiæque gloria.

XI. *Potentiæ divinæ miraculum in Incarnatione triplex.*

Terna sunt Potentiæ in Verbo incarnato miracula. Primum, quòd cùm tres Personæ unus Deus sint, simulque ad efficiendum incarnationis opus concurrerint, secunda tamen duntaxat incarnata sit. Quomodò, inquit Bellarminus, si trium hominum medius splendidam vestem assumat, juvantibus duobus aliis: aut quomodò, inquit Aug. serm. 1. de Temp. in lyræ citharæve cantu, *ars dictat, manus tangit, chorda resonat, nec ars, nec manus sonum reddunt, sed cum chorda pariter operantur.* Alterum, quòd, quemadmodùm in Deo personæ tres naturam unicam possident, ita in Deo-homine personam unicam constituunt naturæ tres, *divinitas, anima, corpus*, ut ait Augustinus lib. 13. de Trin. Nec corpus, animámve, absorbet divinitatis immensitas: majori longè prodigio, quàm si pluvia stillula, fontanáve guttula, Oceano infusa, integram qualitatem suam, quod de Arethusæ fonte perhibent, conservet. Nec divinitatis immensitatem abjicit, minuitve dignitatem, corporis animæque societas: etsi excelsa nobilitas infimæ ignobilitati, sine detrimento maculaque, conjungi non soleat. Sed hic, inquit August. de doct. Christ. lib. 1. c. 13. sic se res habet, sicut quando verbum mentis nostræ *formam vocis, quâ se insinuet auribus, sine aliquâ labe, sive mutatione assumit*: & sicut vestis, corpori circumjecta, materiam figuramque suam, ex corporis qualitate, non mutat. Tertium, quòd in ea tam disparium, & tam longè distantium, naturarum conjunctione impermistâ, proprietates tamen invicem participentur; seu, ut in scholis loquimur, communicatio idiomatum fiat. *Propter personæ unitatem*, inquit Vinc. Lirin. *indifferenter, atque promiscuè, & quæ Dei sunt propria tribuuntur homini; & quæ hominis propria adscribuntur Deo.* *Sicut*, inquit Augustinus lib. de Agone Christ. c. 23. *Martyres passos, & mortuos dicimus, in corporibus, quæ portabant, sine animarum interfectione, vel morte: sic Filium Dei passum, & mortuum, dicimus, in homine, quem portabat, sine divinitatis aliqua commutatione, vel morte.*

XII. *Majus multò in Deo-homine, quàm in Deo-Angelo.*

Nonne autem, inquis, eadem in Deo-Angelo miracula extitissent? Nonne unica Trinitatis Persona Angelicæ naturæ conjuncta fuisset: aliis tamen æquè conjunctionem operantibus? Nonne Deo, ut ita dixerimus, Angelizato, impermistæ tamen naturæ mansissent? Nonne itidem consequeretur, inconfusis licèt naturis, proprietatum communicatio: ut, quæ Angeli sunt, Deo tribuerentur; Angeloque adscriberentur vicissim, quæ Dei sunt? Consequerentur isthæc omnino: sed non tanto, nec tantopere in oculos incurrente miraculo, atque in Deo-homine. Propiùs enim ad Dei naturam accedit intelligentia spiritualis, quàm mens in corpore concreta: & quamvis omnipotenti æquè omnia facilia sint, de se tamen facilius est, materiæ expertem immateriali, quàm materiali conjungere. Meritò igitur ad nuntiandum Incarnationis mysterium, non Michaël, Raphaëlve missus est, sed Gabriel: quia etsi in illo misericors ac justa *Dei Medicina* eminuerit, magis tamen eminuit *Fortitudo*, & fecit Deus potentiam in brachio suo.

XIII. *Triplex item Sapientiæ divinæ in isto opere miraculum, primum ex persona incarnata.*

Nec minùs spectabilis sapientia fuit, inventâ *difficillimi pretii*, non clementissimâ modò, ac justissimâ, sed etiam *decentissimâ solutionis*, sicut loquitur D. Thomas 3. p. q. 1. art. 1. *Quemadmodùm*, inquit August. lib. 1. de doct. Christ. cap. 14. *medici cum alligant vulnera, non incompositè sed aptè id faciunt, ut vinculi utilitatem quædam etiam pulcritudo consequatur: sic medicina Sapientiæ, per hominis susceptionem, nostris est accommodata vulneribus.* In ipsa, ut loquimur, mysterii substantia totidem Sapientiæ, quot Potentiæ, miracula deprehendo. Primum, quòd secunda Trinitatis Persona incarnata sit, non Pater, aut Spiritus sanctus: seu quia Filii appellatio magis humanæ naturæ cum divina conjunctæ conveniebat, quàm appellatio Patris, aut Spiritûs, quomodò ait Augustinus: seu quia decebat, ut Verbum ac Sapientia succurreret naturæ humanæ, ob nimium scientiæ desiderium pereunti, quomodò censet Damascenus: seu quia mediator Deum inter & hominem esse debuit, quod Mediæ Personæ meliùs congruebat, quomodò dicit D. Thomas: seu quia *Imago Dei ad eum, qui est ad imaginem, venit*, ut deformatum peccato gratiâ reformaret, quomodò scribit Ambrosius in psal. 18. præeunte Athanasio, idemque iterante, lib. 2. contra Gentes.

XIV. *Alia miracula duo in hominis, & omnis creaturæ, susceptione.*

Alterum Sapientiæ miraculum in ipsa cerno humanæ naturæ susceptione. Quid enim convenientius, quàm ut, quæ per hominem perierat, per hominem liberaretur? In arte medica vulgaris artis est, contraria curare contrariis: longè majori industriâ similia similibus persanantur. *Irruerat homini quasi pulvis in oculum*, inquit Aug. tract. 2. in Joan. *irruerat terra, sauciaverat oculum, videre non poterat lucem. Oculus iste sauciatus inungitur: terrâ sauciatus erat, & terrâ illuc mittitur, ut sanetur… De pulvere cæcatus es, de pulvere sanaris. Caro te cæcaverat, caro te sanat. … Verbum caro factum est.* Quid, quòd, in assumendo homine, mirabili sapientiâ Dei bonitas modum invênit, quo creaturæ omni jungeretur? Si Deus Angelus factus foret, soli spirituali naturæ sese intimè uniebat: homo factus, spirituali simul ac corporali, quæ sola duo in Universo genera sunt, connectitur, ac communicatur. Eâ ratione *recapitulavit Deus omnia, quæ in cælis sunt, & in terra, in ipso* Christo, quemadmodùm Græcè loquitur D. Paullus ad Eph. 1. ἀνακεφαλαιώσασθαι, ubi nos legimus, *instauravit*. *Communicavit se*, inquit D. Thomas, *Deus Christo homini, & per consequens generibus singulorum, in unitate personæ.* Creaturarum omnium velut summa, & compendium, Homo est: ultimo proptereà loco creatus, ut, quomodò Arithmetici in numerando solent, post partiales summas totalis colligeretur. Intelligunt Angeli, materiam habent elementa, vigent plantæ, astra splendent; volucres, piscesque, ac cæteræ animantes sentiunt. Post isthæc universa homo conditur, cui mens intelligentiâ pollens in corpus infusa est, ex elementis compactum, vegetum, oculis luminosum, sensibus instructum. Itaque in homine uno Deus invênit, quo pacto operibus omnibus suis artifex optimus, non artem duntaxat suam, sed ipsum sese infunderet, Personamque infinitam indissoluto nexu colligâret.

XV. *Incarnatio, miraculorum Oceanus.*

Quid jam, si mysterii accidentia, circumstantiásve, intueamur: quàm sapienter de Virgine nasci voluerit, deceptum à viragine hominem servaturus: quàm aptè Angelo ad Virginem nuntio usus sit, quia Angeli suasu virago peccaverat: quàm decenter assensus Virginis ad incarnationem postulatus sit, quia virago non nisi consentiendo peccârat? Isthæc, aliaque id genus, multiplex ad divinæ Sapientiæ laudem argumentum præberent, nisi, post tam contentam in tam

denso

denſo compendio, altiſſimorum myſteriorum indagationem, dandum eſſet aliquod reſpirandi ſpatium. Qui margaritas in Oceano Indico piſcantur, demergunt ſeſe ad maris fundum, ſaxo graves, veſiculâ ad reſpirationis auxilium ori obligatâ, fune tranſverſum corpus præcincti, cujus oram extremam piſcationis ſocii ſurſum in ſcapha retinent: ut ſi fortè urinatoribus, dum corbes conchis margaritiparis implent, halitus intercludi cæperit, ſuccuſſi funis indicio ſurſum illico retrahantur. Ita narrant oculati teſtes. Oceanus eſt, divinæ Incarnationis myſterium: *inveſtigabiles* illic *divitias Chriſti*, & immenſi pretii margaritas, quærimus, fidei fune adſtricti. Emergamus tamen identidem; & ex alto quæſtionum mari ad apertum aërem, reſpirandi, & in Deum adſpirandi gratiâ, emergamus.

XVI. Reſpiratur ad Miſericordiam, & Juſtitiam divinam.

Aperiatur os noſtrum ad ſuaviſſimam auram Miſericordiæ divinæ, & attrahat ſpiritum miſerationis; quo dilatatum pectus erúctet gratitudinis quotidianæ Canticum, à Verbi præcentore dictatum, *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Deinde poſtulet ejuſdem auræ, ac luminis, benignitatem ſedentibus adhuc in tenebris, & umbrâ mortis, *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto.* Sic tamen ex divinæ miſericordiæ fiduciâ reſpiremus, ut ſimul ſuſpiremus interdum timore juſtitiæ. *Miſericordiam enim & judicium*; ex æquo cantare cum Pſalmiſta oportet. *Deus*, inquit Baſilius proœmio in quæſt. fuſiùs diſput. *bonus eſt: etiam juſtus.... Deus miſericors eſt: etiam judex... Ne quaſo Deum media tantùm ex parte cognoſcamus, neque ejus erga nos bonitatem ad ignaviæ occaſionem convertamus... Qui Solem facit, etiam cæcitate multat: qui imbrem dat, etiam ignem pluit:* qui miſericorditer venit ſalvatum, etiam juſtè venit ſatisfactum: qui homo factus eſt, ut redimeret hominem; etiam Deus erat, ut redemptioni pretium infinitum perſolveret.

XVII. Adſpiratur ad Potentiæ, & Sapientiæ ductum.

Timorem juſti augeat timor Potentis, qui facit mirabilia magna ſolus, & ſub quo curvantur qui portant orbem. Simul ſpes de Miſericorde concepta, de Potente augeatur: qui ſicut magnitudine brachii ſui depoſuit potentes Angelos de ſede, quam invaſerant; ita, ſeſe abjiciendo, exaltavit humiles homines, quos peccatum proſtraverat. Accedat erigendæ fiduciæ noſtræ ſumma Sapientia, infinitæ Bonitatis adminiſtra: illa docebit ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus: illa errantes in ſolitudine, in inaquoſo, deducet in viam rectam, ad vitæ fontes aquarum: illa cæcorum oculos aperiet, ut videant lumen cæli, & ambulent in luce Dei noſtri: illa cauſſam noſtram aget. & accuſatoribus fratrum imponet ſilentium ſi ſeſe ipſi committant. *Si enim aliquando*, inquit Auguſtinus, *in hac vita committit ſe homo diſertæ linguæ, & non perit: committet te Verbo, & periturus es? Verè*, ô Verbum incarnatum, *tu es Deus abſconditus, & Salvator.* Revela te mihi, aperi menti meæ immenſitatem ſapientiæ tuæ, & ſupereminentem ſcientiæ caritatem tuam in homine redimendo: ut me tibi totum credam, totum reddam. *Hujus rei gratiâ, flecto genua ad Patrem Domini mei IESV Chriſti.*

SECTIO SECUNDA.

Deus-homo ad naturæ humanæ gloriam, & perfectionem.

I. Homini virtutis ſtimulus, alta de ſe opinio.

MAGNITUDO animi, excelſa de naturæ ſuæ atque indolis nobilitate opinio, ſanctáque, ſi loqui ſic licet, ſuperbia, plurimùm ad promovendam virtutem momenti afferunt. Aiunt, Catharinam Genuenſem dicere ſolitam, iis præſertim cælum patere, qui ſuam nôſſent æſtimare dignitatem: cui ſententiæ illuſtrandæ ſcriptor vitæ c. 14. affert iſtud ex Jacoponi Cantico:

Id quod cernis, non eſt;
Tam magnum eſt id, quod eſt.
Superbia in cælo eſt,
Damnatur humilitas.

Ut jam mirum non ſit à Seneca dictum ep. 105. *Magnanimos nos natura produxit, &, ut quibuſdam animalibus ferum dedit, quibuſdam ſubdolum, quibuſdam pavidum, ita nobis glorioſum & excelſum ſpiritum.* Fructuum optimi, qui altiſſimis ramis innaſcuntur; aquilarum generoſiſſimæ, quarum magis arduus volatus eſt: ita conſtat, vel teſte peſſimo Imperatore Tiberio, apud non optimum hiſtoricum Tacitum 4. Ann. *Optimum quemque mortalium altiſſima cupere.*

II. Vilis de ſe exiſtimatio fons vitiorum.

Contrà, vix quidquam magis animos ad vitia dejicit, & in illorum turpi conſuetudine defigit, quàm parva de ſe exiſtimatio. *Tantò enim*, inquit benè non bonus auctor ad Demetriadem, *ſe quiſque negligentiùs utitur, quantò ſe exiſtimat viliorem.* Vides Senatoris filium ſcurrarum liberis colludentem? Gradûs ſui ignorantiâ id facit: nondum novit, quantum præſtet ſcurræ Senator; etſi monetur, etſi caſtigatur, nondum tamen intelligit. Vides Chriſtianum Paganis, Judæis, Mahumetanis ſimillima cogitantem, & agentem, in compitis luxuriæ; in foris avaritiæ, in angiportis invidiæ? Vides hominem ad beſtias ſponte ſuâ damnatum, & brutis cupiditatibus ad leones, pardales, urſos, ſimias, moloſſos, ſeſe infami converſatione, & pluſquam amphitheatrali dedecore, addicentem? Neſcit, quo natus ſit loco, quâ dignitate, quâ ſpe: *Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

III. Hominis dignitas ex creatione colligitur.

Poterat ea conditionis, creationíſve, ſuæ apparatu dignitatem ſuam intellexiſſe. Cùm ſapientem architectum videris ſeriò de fabrica quadam inchoanda conſultantem; non dubitabis, quin magni moliminis, ac pretii, futura ſit. Quando domum ſaltûs Libani, Luparámve, aut Eſcuriale magnificè ſtructum, luculentè ornatum, opulentâ ſupellectile ſplendidum conſiderâris; Principi viro habitationem deſtinari conficies. Cùm in longo præcedentium ac ſequentium famulorum ordine, incedentem hominem ſpectaveris; vel inde conjicies, excelſo gradu eſſe. Conſultavit de creando ad imaginem, ac ſimilitudinem ſuam, homine, *artifex omnium Sapientia*. abſolutiſſimam illi, & elegantiſſimam, adſpectabilis Univerſi domum exſtruxit: omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, ut famulitii inſtar obſequerentur, ipſoſque Angelos fecit adminiſtratorios ſpiritus, in miniſterium miſſos. Iſthæc, ad intelligendam humanæ naturæ eminentiam, ſuffeciſſe poterant.

IV. *Intelligitur ex Incarnatione.*

Quia tamen ipsa sibi nihilominus viluerat, & de summo dignitatis culmine ad sordes sese infimorum animalium dejecerat: idcirco Dans homo factus est; ut, qui nondum nos agnoveramus ex creationis nostræ nobilitate, perspiceremus ea Incarnationis divinæ majestate. *Quam pretiosus sis*, inquit Eusebius Gall. hom. 1. de symb. *si Factori non credis, interroga Redemptorem.* Imminutus est Filius Dei paullò minùs ab Angelis; ut homines, quos gloriâ, & honore, coronárat creando, ad gloriæ fastigium eveheret redimendo. Istum Incarnationis finem indicavit D. Paullus 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos .. Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula, in gloriam nostram.* *Demonstravit nobis*, Inquit August. lib. de verâ relig. *quam excelsum locum inter creaturas habeat natura humana, in hoc, quod hominibus in vera homine apparuit.*

V. *Homines per Verbi incarnationem facti sunt fratres Dei.*

Quid excelsius de homine cogitari poterat, quàm ut Dei frater, filius Dei, Deus fieret? Illi nobis summæ dignitatis tituli ex divina Incarnatione obvenêre. Fraternitatis genera duo sunt, primum ex origine, alterum ea affectu. Qui ab eodem capite sanguinem trahunt, non tantum qui ea eodem patre progeniti, fratrum appellationem apud Hebræos obtinuêre. Inde dicti *fratres Domini*, quos illi consanguinitas aliqua jungebat. Sic Hierosolymitani Judæi fratres Ægyptiacos nominavêre. Altera fraternitas, priore sæpe potior, amicitiæ vel familiaritatis significatio est: quâ sententiâ David dixit, *Doleo super te, frater mi Ionatha*; & Hiram Salomoni, *Hæcne sunt civitates, quas dedisti mihi, frater?* Imò Angelus Raphael Tobiam, Gabelumque, fratres appellavit; illorum amans propter communis Domini obsequium: longè modò amantior hominum, ex quo communem Dominum hominem vidit.

VI. *Non affectu dumtaxat, verùm & sanguine.*

Et multò procliviùs nos fratrum suorum nomine dignaturus, ea quo Dei filium eâ nos appellatione dignatum audivit, Joan. 20. & Hebr. 2. Hominum omnium fratrem affectu, & caritate Christum esse, ambiget nemo, quisquis *ita pro liberandis omnibus* venisse ipsum sciet, *sicut neminem à reatu liberum reperit*, quomodò loquitur D. Leo serm 1. de Nativ. Qui D. Ludovicum, captivo militi redimendo, ingentes pecuniæ summas impendentem spectavêre, non dubitárunt, quin illum eximiè diligeret. Quid si sese ipse in lytrum obtulisset, si ergastulo clausisset, si compedes induisset: quomodò nobis Dei Filius fecit? Eaque re non amore modò, sed origine, ac sanguine, frater noster est. Adspiciamus unde, qualisque, nascatur, ac vivat. Producendorum hominum via quadruplex erat: ut sine viro, & muliere, nasceretur, quomodò Adamus: ut ex viro, sine muliere, quomodò Eva: ut ex viro, & muliere, quomodò Csuius, & Abelus: ut ex muliere, sine viro, quem sibi modum Filius Dei proprium decreverat. Natus itaque de fæmina est, ex eadem, quâ hominum cæteri, Noëmicâ & Adamicâ stirpe, eodem sanguine, eadem carne, sensibus iisdem, ejusdem conditionis animo, iisdem prædito facultatibus. Atque ideò, quemadmodùm eleganter Tertullianus lib. de Resurr. carnis, humanam carnem *Christi sororem* nominavit; ita humanum animum convenientissimè Christi fratrem appellemus: & quemadmodùm Deus olim de homine ironicè dixit, *Ecce Adam, quasi unus ex nobis*; ita hominibus verissimè jam dicere liceat, *Ecce Deus, quasi unus ex nobis.*

VII. *Quantæ dignitatis sit, esse fratres Christi.*

De qua familia Pontifex Maximus eligitur, eam non assurgere ad summos nobilitatis titulos cernimus. Prorex Ægypti Josephus patri, fratribus, nepotibusque deinceps, ac pronepotibus, honori maximo fuit. Generis universi gloris est inclytus quispiam bellicis facinoribus imperator: de celebri scientiis, artibúsve, viro sibi consanguinei gratulantur. Ex quo *Verbum caro factum est*, in stirpe nostra Pontificem Maximum & sacerdotem in æternum, Regem Regum & Dominum dominantium, Doctorem justitiæ & plusquam Salomonem, Angelorum caput & hominum numeramus. *Revera magnum, & admirabile*, ait Chrys. in cap. 1. ad Heb. *& stupore plenum est, carnem nostram sursum sedere, & adorari ab Angelis, & ab Archangelis, Cherubinis, & Seraphinis. Hoc ergo sæpius in mente versans, excessum patior, & magna de genere humano imaginor, magna quippe video.* Simili cogitatione defixus B. Rogerius Minorita, de quo Chronicon Minorum narrat to. 1. l. 4. dicere solitus fuit: ob Deum hominem factum, ita cum hominibus agere nos debere, ac si ne adspectu quidem ipsorum digni essemus; eamdemque ob caussam Angelos hominibus altiorem, quàm sibi, gloriæ gradum optare, quemadmodùm dæmones invideant. Imò tantam inde nobis provenisse dignitatem, ait B. Salesius lib. 5. ep. 38. ut si Angeli beati invidiâ tangi possent, eam præsertim ob caussam tangerentur.

VIII. *Inde consequitur nos esse Dei filios.*

Ea eo, quòd Christi fratres simus, difficile intellectu non est, etiam esse filios Dei. Hunc quidem eximiæ dignitatis titulum creatio dederat; per quam, vel teste apud Paullum poëta profano, *Ipsius & genus sumus.* At longè eminentiori ratione nobis tribuitur, postquam fratrem se nostrum fecit, qui naturâ Filius Dei est: postquam *unicum Deus misit in mundum, ut non esset unicus, sed fratres haberet adoptatos*, ut ait Aug. tract. 2. in Joan. Et ep. 120. ad Honoratum, *O homines, nolite desperare vos posse fieri filios Dei, quia & ipse Filius Dei, hoc est Verbum Dei, caro factum est.* Didicerat sapiens Doctor ab Evangelistarum sapientissimo, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Nec potestatem modò dedit, sed efficientiam: *Videte*, inquit idem Evangelista 1. 3. *qualem caritatem donavit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.* Eumdem in modum loquitur D. Paullus ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum . . . ut adoptionem filiorum reciperemus*: tum ad Rom. 8. *Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*, qui ultrò, ut ex S. Thomæ opusculo 61. alibi diximus, hæreditatem suam nobiscum, amore plusquam fraterno, partitus est.

IX. *Ad divinitatis consortium assumptus homo se magni faciat.*

Num parum vobis videtur generum esse Regis? inquiebat David 1. Reg. 18. Sed num parum vobis videtur filios esse Dei: imò parúmne est Deos esse? Deus enim ideo factus est *homo*, teste August. serm. 9. de Nativ. *ut homo fieret Deus. Ut nos insereret summis, se miscuit imis*, inquit Prosper carm. de ingr. Hautése sententiam suam ex ista D. Petri 2. 1. *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Unde etiam istud suum accepit Ecclesia, in aqua vino miscenda ad præparationem sacrificii: *Da nobis, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps.* Assurge mens Christiana, & teipsam æstima, quanta sis: cumque dignam conditionis tuæ excelsitate cogitationem conceperis, *Noli*, quod Pater Baltasar Alvarez monere consueverat, *degenerare*

degenerare à praexcelsis cogitationibus filiorum Dei. Cave indignum quidquam nobilitate tuâ, patre tuo, fratre tuo admittas. *Agnosce ô homo*, sic te magnanimus Leo alloquitur, *dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in pristinam vilitatem degeneri conversatione redire.* Quid agitat Claudius Nero Imperator inter histriones: quid Gordianus cum scurris? Quid facit Christianus, Dei filius, Christi frater, consors divinitatis, cum impudicis, cum raptoribus, cum contentiosis? Adspiret ad cælum, erigat se ad Dei consortium, *beata superbia, beata mentis elatio*: ut, apud Petrum Damianum, dicere solita fuit opusc. 56. B. Agnes Imperatrix.

X. Deus-homo hominibus vitæ perfectæ caussa omnis est.

Ista nobis dignitas, & animi ex dignitate magnitudo; non obtigisset, si pro nobis non hominem Deus, sed Angelum induisset. Sed neque tanta nobis provenisset utilitas ad perfectionem, consummationemque, virtutis; quantam utilitatem paucis verbis indicavit incarnati Verbi prædicator 1. Cor. 1. *Christus factus est pro nobis sapientia, justitia, & sanctificatio*; sapientia, docendo; justitia, veræ justitiæ materiam præbendo; sanctificatio, gratiam largiendo, gloriam dando, & augendo. Tantumdem fermè dixerimus, si, quomodò aliqui scholastico sermone locuti sunt, Deum hominem dicamus vitæ perfectæ caussas omnes esse complexum: ut illius formam in se præbeat, materiam de se offerat, efficientiam donet, finem proponat

XI. Formam sanctimoniæ præbet exemplis.

Tres docendæ virtutis modi sunt: primùm præceptis solis, quomodò Angelus, Dei legatus, Israelitas legem edocuit: deinde exemplo solo, sicut Jobi nec præsentis, nec loquentis, sanctimonia eosdem ad patientiam erudiit: denique præceptis monitisve simul, & exemplis, quâ ratione Moses populum ad divinæ religionis observantiam informavit. Sic nobis *apparuit gratia Dei Salvatoris nostri, erudiens nos*, tum præceptis divinis, tum humanis exemplis. Terruissent præcepta, si non accessissent exempla: si Deus-homo, quæ hominibus imperabat, vel suadebat, faciendo non præisset, nimis ardua videretur. At postquam *cœpit facere, & docere*; audiendis Evangelicis vocibus læti assurgimus, auditis acclamamus, *Gloria tibi Domine*, librumque gratulabundi osculamur. Hunc Incarnationis finem passim Patres attulêre: Eucherius serm. con. diver. vitia, *Propter hoc homo Deus factus est, ut homo Deum posset imitari*: Athanasius lib. 2. cont. gentes, *Sole sese Verbum induisset, si ad obtestationem venisset; hominem induit, quia ad docendum venit*: Basilius cap. 1. Const. monast. *Propter hoc naturam nostram suscepit, ut in se, velut tabulâ, pietatem proponeret*; & alibi, Christum ait venisse virtutis τύπον, ϗ πρόχαμμα, & αὐτόθεν ἀρχέτυπον, *formam, ac pradelineationem, archetypumq; in ipsa imagine.*

XII. In absolutissimo theandrico exemplari virtutes omnes Morales expressæ.

Consideres licet, quanta Christi fuerit humilitas, ac modestia, in summa generositate; quàm accurata obedientia, in summa majestate; quàm suavis mansuetudo, in exactissima justitia; quàm inteminata castitas, in perpetua conversatione; quàm absoluta temperantia, in communissimo victu. Ita, in omnibus sese præbuit *exemplum bonorum operum*; ut, quidquid excelsæ virtutis est, vel agendo, vel patiendo, vel abstinendo expresserit. Apud Augustinum lib. de agone Christiano cap. 11. *Sunt stulti, qui dicunt: Non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur ex fœmina, & à peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicimus*, inquit, *poterat omnino: sed si aliter faceret, similiter stultitia vestra displiceret.* Tum subdit, vitiosis displicere, quæ Christus fecit, quia vitia sua amant: tantam verò esse medicinam vitiorum ab exemplis Christi, ut superbia, avaritia, iracundia, impietas, timiditas, sanabiles non sint, quæ Filii Dei humilitate, paupertate, patientia, caritate, resurrectione non sanentur. Vide ipsum etiam lib. 7. de Trin. cap. 13. Enchiridii c. 108. Brevissimè serm. de Nativ. apud D. Thomam 3. p. q. 1. art. 2. *Homo sequendus non erat, qui videri poterat. Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* Quæ sententia veluti compendium est longæ & egregiæ ratiocinationis, quâ Lactantius lib. 4. Inst. ostendit, præcisam exemplis Christi tergiversationem hominum, ad quævis virtutum opera. Deum-hominem enim, eâdem qua nos carne indutum, exemplar absolutissimum in semetipso expressisse; ne erroribus nostris prætexere possimus, vel infirmitatem carnis, vel defectum exemplaris.

XIII. Deus homo fidei materia, & fundamentum.

Quomodò autem ipse, qui olim loquebatur, adfuit, ut moralium virtutum formam exhiberet: ita vênit, ut Theologicas excitaret, & præcipuam illarum de se præberet materiam. A D. Joanne Evang. eleganter vocati sunt *tenebræ*, qui Deum-hominem *non comprehenderunt*. Tot enim vaticiniis, tot miraculis, tot testimoniis conspicuus prodiit; ut non cæcos tantùm, sed cæcitatem ipsam esse oporteat, qui eum, post ista intellecta, non agnoscunt. Qui autem agnoscunt, in veritatis luce, & in claro fidei meridie versantur, nihilque in cæteris credendorum capitibus difficultatis habent. Eunuchus Candacis Æthiopum Reginæ Act. 8. docetur à Philippo Diacono Deum-hominem; Samaritani evangelizantur, & in JESUM credunt: mox illis facillimè Trinitatis mysterium, animæ immortalitas, corporum resurrectio, obmurmurante quamvis intelligentiæ infirmitate, persuadetur; & quidquid aliud ex incarnati Verbi mysterio factisve pendet: quid autem credendorum non pendet?

XIV. Spei, & fiduciæ sustentaculum.

Nec fides dumtaxat Deum-hominem agnoscenti difficilis non est, sed neque fiducia. Spei nostræ fulcimenta terna statuimus, Sapientiam, Potentiamque divinam, ac Bonitatem. De Sapientia, & Potentia, vix umquam infirmitas humana diffidebat; de Bonitate interdum suspicio nascebatur: non dubitabant homines, quin sciret Deus, posseque illorum infirmitati succurrere; ambigebant, an vellet. Ut dedecorosa tantæ Bonitati opinio deleretur, Deus factus est homo. *Ostendamus*, inquit Aug. lib. 13. de Trin. c. 10. *non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualiter subjacent: sed sananda nostra miseria convenientiorem alium non fuisse, nec esse oportuisse. Quid enim tam necessarium fuit, ad erigendam spem nostram, mentesq; mortalium conditione ipsius mortalitatis abjectas, ab immortalitatis desperatione liberandas; quam ut demonstraretur nobis, quanti nos penderet Deus, quantumq; diligeret? Quid verò hujus rei tanto indicio manifestius, atque præclarius; quàm quòd Dei Filius naturæ nostræ dignatus est inire consortium, &c?* *Erigat*, inquit idem lib. de agone Christ. cap. 11. *spem suam genus humanum, & recognoscat naturam suam, & videat, quem locum habeat in operibus Dei. Nolite vos ipsos contemnere viri: Filius Dei virum suscepit. Nolite*

vos ipsas contemnere fœmina : Filius Dei natus ex fœmina est.

XV. Caritatis fomes, & incentivum.

Erectâ spe nostrâ tantæ Bonitatis aspectu, inflametur & caritas; quam valdè languidam, imò emortuam, esse oporteat, si hic non exardescit: *Quæ enim major est caussa adventûs Domini,* inquit Aug. l. de catechiz. rud. c. 4. *nisi ut ostenderet dilectionem suam in nobis : ut si amare pigebat, saltem redamare non pigeat?* Eodem modo Ecclesia canit, per incarnati verbi mysterium novam mentis nostræ oculis lucem divinæ claritatis illuxisse; *ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.* Divinus anceps; ut avolantes hominum animas ad se pelliceret, volucris vocem & pennas induit, *habitu inventus ut homo.* Ignitus carbo inter extinctas prunas positus est, ut illas redaccenderet: Deus-homo habitavit in nobis, ut conglaciatæ mentes nostræ ignirentur. Piè admodum de isthoc argumento disserunt Ambrosius serm. 20. in ps. 118. & Bernardus serm. 20. in Cantica. Valdè piè loquitur scriptor Meditationum, Augustini nomine, Paulli sententiâ, dicentis anathema non amanti JESUM. O Deus, inquit, quicumque tuus ex toto non est, esseque vult, quia eum creâsti, damnationem ad inferos omnino merebitur. At qui tuus ex toto non est, esseque vult, quia pro illo hominem te fecisti, huic inferi novi parandi sunt; infernus, qui nunc est, non sufficit.

XVI. Gratiarum omnium scaturigo.

Verissimum illud quidem, amorem à nobis deberi Creatori, plusquam caritatem Redemptori. Sed quis debitum exsolvat sine divino auxilio? Quis, sine gratia operando, gratitudinem rependat diligendo? Eam itaque ob rem Christus, non tantùm formam nobis præbuit, materiamque virtutum; sed caussam etiam effectricem, ac gratiæ fontem. Profluxit quidem olim etiam fons iste divinus; &, ante Verbum incarnatum, *bibebant* Abrahæ filii *de consequente eos petra*, hauriebantque *ex plenitudine* Verbi incarnandi. Nam, ut ait D. Leo serm. 6. de Nativ. *nisi ad nos ille hac humilitate descenderet, nemo ad illum ullis suis meritis perveniret. At postquam venit plenitudo temporis*, venit simul plenitudo gratiarum, & fons parvus *crevit in fluvium magnum, & in aquas plurimas redundavit*; divinorum Sacramentorum fluentis, Eucharistiâ præsertim ubi sese Deus-homo præbet, per orbem universum derivatas. *Lex enim per Moysin, gratia & veritas per Christum*, Joan. 1. *& benedixit nos Deus omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*, ad Eph. 1. & *apparuit benignitas, & humanitas φιλανθρωπία Salvatoris nostri Dei ... ut justificati gratiâ ipsius, heredes simus secundùm spem vitæ æternæ.*

XVII. Beatitudinis æternæ merces.

Gratiæ scaturigo Christus est, gratiæque finis. Vitæ enim æternæ gratia semen est: *quæ autem est vita æterna, nisi ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti IESVM Christum?* Itaque in Deo-homine finem etiam, ac mercedem, bonorum operum habemus: non in Deo tantùm, sed in homine. Ita censuit scriptor Manualis ex Augustini nomine cap. 20. *Deus propter homines factus est homo : ut uterque sensus hominis in eo beatificaretur ; oculus cordis, in ejus divinitate : & oculus corporis, in ejus humanitate.* D. Cypriani, Cornelive Pontificis, serm. de Nativ. plùs habebit ponderis auctoritas, & sententia jucundiùs audietur. *Christus factus est homo, ut homo haberet in Deo, unde fieri posset plenè beatus : in anima, videndo divinitatem; in corpore, videndo humanitatem.* Inde D. Thomas opusc. 60. dignam colligit ingenio suo, ac pietate, nostro tanti mysterii compendio convenientissimam, conclusionem: *Es amicus hominis propter naturæ conformitatem, quia homo est. Ne in hoc præponderaret, & ideò præponeretur homo Deo, Deus factus est homo. Quare si amicus es hominis, qui tecum fit, vel factus est homo; potiùs ejus qui propter te factus est homo. Usque propter te redimendum, morte humanitatis; propter te nutriendum, Sacramento Corporis & Sanguinis; propter te erudiendum exemplis, & beatificandum dupliciter duabus naturis.* Obsecramus te, JESU, Fili Dei & fili hominis, Deus-homo, per adventum & nativitatem tuam, renascatur in nobis numquam moritura fides in te, fiducia de te, amor tuus hîc, & in æternum. Amen.

SECTIO TERTIA.

Cur Deus-homo infans?

I. Deus-homo potuit non esse infans.

EXEGIMUS quæstionem arduam, Cur Deus-homo: appendiculam addemus, quam Lectoris pietas, & facundia, facilè extendet, Cur Deus-homo infans? Potuit Deus misericorditer humano generi peccata, citra satisfactionem ullam, condonâsse: noluit, ut Justitiæ simul suæ, ac Misericordiæ specimen daret. Potuit Justitiæ ex æquo debitum solvisse, si Deus-Angelus fuisset, & in Angelica natura homines redemisset: noluit, ut Potentiæ suæ, ac Sapientiæ, conveniẽntiùs salutem in medio terræ Deus-homo operaretur. Quidni autem Deus-homo sic factus est, quemadmodùm Adam de limo terræ, in virum primo ipso vitæ momento formatus? Noluit, inquis, de limo terræ formari; quia convenientius fuit, ut de damnata per peccatum carne peccatores redimeret. Sed quidni de fœmina saltem sic ortus est, ut vir repentè, non infans, nasceretur: miraculo quidem, in speciem tamen congruo divinæ magnitudinis immensitati?

II. Quàm misera ætas infantilis?

Hanc ipsam quæstionem proponit Augustinus lib. de pecc. mer. & remiss. c. 37. *Dicet aliquis : Si hæc natura pura non est, sed vitiosa primordia, quia talis non est creatus Adam ; cur Christus longè excellentior, & certè sine ullo peccato natus ex Virgine, in hac tamen infirmitate, atque ætate, procreatus apparuit?* Capite deinceps 38. infirmitatem exaggerat infantilis ætatis, in animalium aliorum comparatione; tamquam, pullorum, qui, simul exclusi sunt, glocientis gallinæ vocem novêre; agnorum, qui, altero saltem ab ortu die, genibus, & labellis mammas matrum agitant, & balatum sequuntur. Infantes autem nusquam se commovent, nihilque nôrunt, nisi vagire. Sic Christus est, *pannis involutus*, non seipsum involvens: *positus in præsepio*, non seipsum reponens. *De rivulo suo*, inquit August. lib. de catechiz. rud. *fons magnus exoritur. Radix omnium de virgulto suo nascitur, & vitis vera palmites sui fructus efficitur. In sinu matris est Filius Patris : lambit ubera, qui regit sidera : tacet, & Verbum est.* Verbum infans mente quidem humanâ viget, quod ad scientiam spectat beatam, atque infusam, quarum actio obsequiis corporis non indiget: at scientiæ acquisitæ, sensuumque usu, ac ministerio, prorsus est velut *infans unius diei super terram.*

Creavit

III. *In ea ætate natus Deus-homo, quia misera est.*

Creavit Dominus novum super terram, fæmina circumdedit virum; elevatissimas illas, ac theandricas, animi operationes eodem perfectionis gradu producentem, atque in ætatis flore. Quidni Dominus novum istud perfecit super terram, ut fæmina, virum corpore pariter atque animo, circumdaret? Huic difficultati triplicem responsionem suggero: primam veritati, alteram mysterio, tertiam pietati convenientiorem. Quærebas modò, cur tam miserâ, vilique, ætate natus sit Deus-homo? Ob hoc ipsum talis natus est, quia vilissima & miserrima ætas erat: aliam electurus, si infirmior ulla, miseriorque fuisset. Dicebat Philosophus Romanus; à sapiente, quemadmodùm à sideribus, contrarium mundo iter intendi. Verissimè id de Sapientia divina pronuntiaverimus: quando incarnari, nascique voluit, elegisse sibi prorsus mundo contraria. Declamatoris Senecæ judicio, si hominibus nascituris conditionis suæ optio proponeretur, nemo non optimam deligeret: Deus-homo pessimam quamque conditionem optavit.

IV. *Pessima quæque sibi delegit Verbum incarnatum.*

Quæris, cur de Virgine nobili quidem, at paupercula, nasci maluerit, quàm de divite nobili, aut ignobili paupere? Responderint aliqui, illud maluisse, ut summam æquè & infimam conditionem complecteretur. Sed revera talem voluit; quia in nobili paupertas longè infælicior atque acerbior, quàm in ignobili est. Quæris, cur illo Judaicæ reipublicæ statu sacro, civilique, quo venalia, & alienigenis concessa omnia prostabant, advenerit? Dixerint aliqui: id factum, ut Messiæ desiderandi, expectatique, vota in plebe oppressâ magis excitarentur. Ex vero tamen elegit, quia calamitosissimus erat status, & ad sortem mancipiorum, libertate fermè omni extinctâ, depressus.

V. *Electi ab illo ad nascendum temporu, & loci, vera ratio.*

Quæris, cur tam incommodâ tempestate, & mensis natus? Existimârint nonnulli: sic voluisse, ut, quod Adam florifero frugiferóve tempore peccârat, Adami Redemptor hyeme lueret. At ratio illius eligendi potior non fuit, quàm quòd anni tunc esse incommodissima tempestas consuevit. Quæris, cur nocte potiùs, quàm interdiu, in lucem prodierit? Quia, inquiunt sic decebat exoriri Solem Justitiæ, & lumen ad revelationem Gentium, illuminaturum sedentes in tenebris, & umbrâ mortis. Revera tamen diurno tempori nocturnum præoptatum est, quia illo mense frigidius, ac durius. Quæris, cur Bethlemi in præsepio reponi voluerit? Conveniebat, inquiunt, panem mentium nostrarum exoriri in domo panis; hominis reformatorem, in animalium, quibus homo similem sese effecerat, habitaculo inveniri: locum illi non esse in diversorio, quia ad nos non divertebat, velut declinans ad manendum, postridie hospitium deserturus. Ex vero tamen, Bethlemum & præsepium idcircò nativitati suæ destinavit, quia vilissimum erat, in vicinæ præsertim civitatis comparatione, oppidulum, & incommodissima sedes.

VI. *Deus-homo infans figura peccatoris.*

Quæris jam, cur Deus-homo infans; & difficultati exaggerandæ omnia istius ætatis vitia congere, atque accumula. Dicam, eam ipsam ob rem infantem esse voluisse, quia vilissima ætas est, & imbecillima, & mendicissima, & alieni auxilii egentissima, & infra cæterorum animalium sortem, ad vermiculi fermè sensum, abjecta. Addo, idcirco etiam electam, quia peccatoris imago admodùm expressa est, cujus figuram Deus-homo expressum venerat. Hanc mihi rationem indicâsse, visus est Augustinus lib. de pecc. mer. c. 37. *Christus ideo talis, quia, ut de peccato condemnaret peccatum, natus est in similitudine carnis peccati.* Contemptissima, infirmissima, mendicissima, infra omnium animalium sortem abjectissima est peccatoris conditio, quemadmodùm ætas infantis: & quemadmodùm infans, grandiusculus licèt, ratione non agit, sed passionibus dumtaxat agitur; ita naturam humanam, peccato vitiatam, non ratio regit, sed affectus rapiunt.

VII. *Sapientissimi quique sese infantium similes agnovêre.*

Philo, Judæorum omnium post Hagiographos sapientissimus, hoc ipsum de se non erubuit confiteri, exordio libri de legat. ad Cajum: *Quousque nos, senes, erimus pueri: corpore quidem cani ob ætatem; animo verò ob inscitiam, δι᾽ ἀναισθησίαν, pueri, sicut in calculorum* vel officulorum *lusu, ὥσπερ ἐν πεττείαις negotia permutantes?* Talem etiam sese Romanorum sapientissimus Seneca fassus est ep. 4. *Auctoritatem habemus senum, vitia puerorum; nec puerorum tantum, sed infantium: illi levia, hi falsa formidant, nos utraque.* Ex ep. 115. *Tunc intelligere nobis licebit, quàm contemnenda miremur; simillimi pueris, quibus omne ludicrum in pretio est. Parentibus quippe, nec minùs fratribus, præferunt parvo ære empta. Quid ergo inter nos, & illos, interest, ut ait Aristo, nisi quod nos circa tabulas, & statuas, insanimus, cariùs inepti? Illos reperti in litore calculi leves, & aliquid habentes varietatis, delectant: nos ingentium maculæ columnarum &c.* Sapientissimus Christianorum Patrum Augustinus idem de se profitetur, postquam ludicra sua puerilia, ridentibus parentibus castigata, narravit 1. Conf. c. 9. *Majorum, inquit, nugæ negotia vocantur: puerorum talia cum sint, puniuntur à majoribus, & nemo miseratur pueros vel illos, vel utrosque.*

VIII. *Infantiles affectus.*

Idem de nobis ipsi pronuntiabimus, quacumque ætate, & sapientiâ, si mentis nostræ cogitationes intro scrutemur. Cupimus enim, metuimus, lætamur, tristamur, ut infantes, aut pueri. Ostende bracteolam sonoram infantulo, magis illam concupiscit, quàm refertum nummis marsupium. Larvâ vultum suum parentes obtegant; magis illos extimescit, quàm lucidum ignem, ad cujus flammas mox digitulum exuret. Da pomum, pyrúmve; magis illo gaudet, quàm hæreditate luculentâ. Tolle cerasa, vel pruna, & suibus objice, dolet magis, atque ejulat, quàm de optimæ matris jactura.

IX. *Quàm nostris consimiles?*

Quid nobis fit, post ratiocinationes fundatissimas, sermones speciosissimos, affirmatissimas voluntates? Promittitur nobis æterna beatitudo, videmus cum Stephano cælos apertos, vix movemur: affulget tenuula lucri bractea, toto illuc desiderio rapimur. Ostenditur ignis, qui non extinguetur, quamvis extinguendo Deus-homo infans sanguinem, & lacrymas, effuderit, vix tamen illum formidamus: irati larvam Deus sumit, terret nos malorum temporalium comminatione, mox clamamus trepidi, quod Tobias Angelo, *Domine, vult me devorare*; aut quod Apostoli Christo, *Salva nos, perimus.* Datur nobis pomum amicitiæ Principalis, favoris Regii, excelsæ dignitatis, & gaudio pectus impletur: Filius Dei fit filius hominis, ut fratres nos suos, ac Dei filios efficiat, vix lætitiâ titillamur. Tolluntur nobis caducorum bonorum fructus evanidi, & porcis Infidelibus objiciuntur: plùs istud damnum animos nostros afficit, quàm ipsa nostrorum,

nostrorum, alienorúmve, animorum pernicies. Ubi modò ratio nostra, Christiani? ubi fides? ubi desiderium æternorum, ne contristemur, *sicut & cæteri qui spem non habent?*

X. *Infans Verbum spem Christianam auget.*

Eam spem ut in nobis potentiùs excitaret, Deus non homo solùm, sed infans fieri voluit. Modò dicebamus, numquam fermè Christianis, quamvis modicæ fidei, contingere, ut dubitent, sciátne Deus, humanarum miseriarum articulos, eásque sublevare possit: sæpe evenire, ut dubitent, an velit. Increduli mortales, non jam vobis ostendero, uti Stephano, *cælos apertos, & IESVM stantem à dextris virtutis Dei*, ultróque ad opem vobis ferendam paratum. Non monuero, ut cum pastoribus audiatis canticum pacis, à bonæ voluntate divina vobis oblatæ. Unà subeamus antrum Bethlemicum, & videamus infantem positum in præsepio. Non dubitavêre pastores, quin Deo cari essent, quando illum invenêre qualem ab Angelo didicerant; magísque divinæ caritatis fiduciâ erecti sunt, cùm infantem vidêre, quàm si virum vidissent.

XI. *Emmanuel fiducia nostra.*

Ambigere adhuc potes, an te diligat Deus, & tibi velit benè, qui homo, & infans, & vermiculi instar, pro te esse voluit? Erigendæ Regis Judæi fiduciæ, potentius nihil habuit Isaias cap. 7. quàm ut, velut signo ad sperandum proposito, Virginem parituram & Emmanuelem præmonstraret. Christiane, ubi es? In synagoga Libertinorum, in nimbo lapidum, in odio proximorum, in mortis sinu? *Noli timere à caudis titionum fumigantium.* Fide Deo, fide homini, fide infanti. Ut suaviùs ametur Deus, infans est: ut fortiùs animetur homo, infantem videat. Nusquam in cælis, terris, abyssis potentius spei incitamentum reperies, quàm in Deo-homine, infante cùm natus est, crucifixo cùm mortuus. *Ecce Virgo concepit, & peperit filium, & vocatum est nomen ejus Emmanuel*, nobiscum Deus.

SECTIO QUARTA.

IESVS Dei-hominis proprium nomen.

I. *Deus anonymus, sive expers nominis.*

TRISMEGISTI, apud Ægyptios olim sapientiæ laude inclyti, sententia fuit, Divinitatem nomine non egere, neque ullo exprimi posse. Verba ejus recitat Lactantius l. 1. Inst. cap. 6. ὁ δὲ θεὸς εἷς ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδεῖται, ἔστι γὰρ ἀνώνυμος: *Deus autem unus nominis non eget, anonymus enim est.* Idem fermè scitum Dionysio Areopagitæ tribuitur, lib. de div. nom. cap. 1. *Divinitati proprium, & omnino convenient nomen non esse.* Quid ergo duodenis Dei nominibus, apud Hebræos jam olim celebratis, fecerimus? Quorum aliis attributa divina, res creatas respicientia, significantur, ut *Adonai*: aliis attributa absoluta, ut *Cados*. aliis actiones ad extra, ut *El*: aliis divinæ ad intra actiones, ut tetragrammato *Jehova*. Eorúmne vocabulorum nullum Deo aptum prorsus, & congruum est: ne istud quidem Angelis mirabile, hominibus ineffabile? Planè nullum, inquiunt, quia Dei natura, & quidquid illius naturæ assignatur, tantæ immensitatis & infinitudinis est, ut ne sermone quidem explicari possit, nedum significari nomine.

II. *Deo-homini nomen dando vocabulum nullum sufficiens est.*

Quod Trismegistus, & Dionysius, Deo tribuerunt, ut inexplicabilem & innominabilem dicerent: idem Deo-homini tribuero. Compositum istud divinum, naturam divinam & humanam, in Persona infinita junctam simul se subsistentem, aliter alii Prophetæ appellavêre: eloquentissimè Isaias, tum c. 7. ubi Emmanuelem vocat, tum præsertim cap. 9. ubi varia ejus nomina cumulat, *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Pro significando & compellando Deo-homini nomen unum idoneum non esse, vel hinc intelligere est; quòd à Prophetarum illuminatissimo tam multa, & tam variè significantia, tanto apparatu, congeruntur.

III. *Aptius illi nullum, quàm nomen JESU.*

Si tamen ulla Theandro nostro accommoda, ac propria, dici potest appellatio; non alia magis, quàm quæ divinitus prædefinita est, *priusquam in utero conciperetur*; quæ multis ante Isaiam sæculis prophetidi Sibyllæ cælitus significata, & acrostichis per illam versibus expressa, Augustino teste lib. 18. de Civ. cap. 23. Quamquam sunt, qui ab illa dicunt indicatam dumtaxat primam nominis JESU literam, in voce Græca ἰχθὺς: cujus vocis literæ singulæ initia sunt vocum quinque Græcarum ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ, *IESVS Christus, Dei filius, Salvator.* Theandrici autem istius, & augustissimi nominis JESU, Barradius noster prærogativas, excellentiásve viginti, ingeniosè & facundè in Commentariis suis exponit. D. Thomæ Aquinati satis fuit, Admirabile, Amabile, Laudabile, in quadam de illo conciuncula, dixisse: nec dissimilia 3. p. q. 37. art. 2. disputâsse. Totidem nobis, etsi paullò alia, encomia sufficient: nomen esse index majestatis, potentiæ, caritatis: deberi reverentiam majestati, potentiæ fiduciam, pietatem caritati.

IV. *Catholicæ Ecclesiæ erga illud reverentia.*

Honorem nomini JESU *fratres, qui sunt Hierosolymis*, omnes exhibent. Per universam ubique Ecclesiam Catholicam illo audito caput aperimus; ad illius imagines genua flectimus, oscula figimus; ejus memoriæ sodalitia instituimus, sacra facimus, officia precum horaria recitamus. Sed an rectè, inquiunt Ægyptii fratres? Judicet Deus, patrato nuper insigni prodigio, in Hiberniæ Comitatu Vestonidia, oppido Ballimorum, ut annuæ Hiberniæ anni 1651. usque ad 54. referunt. Arborem fonti JESU imminentem excidêre hæretici, ad abolendum sacri nominis honorem, & in frusta exurenda secuêre. Apparuit in frustorum omnium, quamvis minutorum, parte utraque, nomen JESU *affabrè sculptum a fabri Filio.* Et quò ad delendum prodigium minores particulæ scindebantur, eò plures nominis JESU figuræ visæ; quæ denique igne etiam non potuêre consumi. Miraculo fidem non habebunt Ægyptii fratres. Judicet ergo Apostolus Gentium, imò præjudicet, latâ jam olim sententiâ ad Philip. 2. *Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen*: etiam super illud tetragrammaton, ineffabile, quacumque tandem origine, significatione, voce efferatur. *Ut in nomine IESV omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.*

V. *Omne genu, etiam cælestium, flecti JESU nomini, unde Paullus didicerit?*

D. Bernardinus Sen. cui, præcipuas Italiæ urbes concionibus instruenti, maximè cordi fuit adorandi nominis cultus, in quadam ad istud Paulli concione, quærit: unde Apostolo cognitum fuerit in nomine JESU cælestium genua flecti? A terrestribus, in Ecclesiæ sinu, ex Apostolorum exemplis, & documentis, id passim factum vidisse. A dæmonibus, energumenorum corpora insidentibus, idem præstari, quamvis invitis, sæpiùs expertum. At cælestium genuflexiones,

flexiones, ut tam affirmatè pronunciet, ubi vidisse, aut unde didicisse, potuerit? Nescis, inquit, raptum ipsum fuisse usque ad tertium cælum? Eo in raptu, sive in corpore, sive extra corpus, Deus scit; cùm ad Christi sui gloriam admirabundus, JESU nomen, quod ipsi in ore quemadmodùm in calamo continenter versabatur, inclamâsset: D. Virgo filio assidens protinus in genua sese abjecit; mox idem à D. Josepho, &, si quorum aliorum Divorum corpora in cælo jam nunc beata sunt, factum; ab Angelis itidem, quorum multi vel corpora, vel imagines corporum, assumpsissent. Inde à Paullo tam asseveranter scriptum, ad JESU nomen genua cælestium flecti.

VI. *Ægyptiorum fratrum, adversus eam reverentiam murmura.*

Ut istud Bernardini pium magis, quàm verum sit: verissima tamen est ac certissima Paulli sententia: quam qui amanter terrestres inter amplecti noluerint, cum infernis horribiliter experiri cogentur. In iis fuit impius quidam Naperius Scoto-minister, & tenebrio merus: augustissimum nomen ausus comparare æneo serpenti, quem Ezechias comminutum ludibrio Nehustan appellavit: ausus item dignum illud Orco execramentum inserere libro, quem Angliæ Regi Carolo inscripsit, literas istas Ihs xps, characterem signúmve Antichristi fore. Pudet istius collegæ sui cæteros fermè fratres Ægyptios: obmurmurare tamen reverentiæ, sancto nomini exhibitæ, non desinunt, quasi debitæ soli Deo adorationi aliquid inde detrahatur. At nonne adoratio non Deo tantùm, sed etiam Deo-homini, debita est? Prorsus, inquiunt. Nonne cui honor debetur, ejus etiam nomini conveniens cultus deferri solet? Tamirlanis nomen, aureis literis scuto inscriptum, palamque exercitui sub conopæo Calendis Januariis expositum, sui ritu civili venerabantur. Id barbari Imperatori suo fecêre. Vos Principis Regisve nomini, si ad ejus salutem propinetur, caput illico nudatis; Regique ipsi, aut Principi, id fieri existimatis, id vos facere profitemini, ab aliis exigitis, si recusetur excandescitis. Civilis, inquiunt, cultus iste est: qualis nempe Principibus, Regibusque debetur. Atqui Christo adoratio religiosa debita est. Optimè illud quidem, in rem nostram, disputatis. Nam, si Regio nomini idcirco civilis reverentia exhibetur, quia talem Regia dignitas exigit: consequens erit, JESU nomini religiosam adorationem exhibendam, quia talem Dei-hominis majestas postulat.

VII. *Divina attributa Dei nomini tribuuntur in Scripturis.*

Non advertistis, scrutando Scripturas, eadem prorsus omnia divino nomini dari, quæ Deo tribuuntur? Immensus Deus est, sanctus, terribilis, admirabilis, laudabilis, excelsus: *magnum, sanctum, terribile, admirabile, laudabile, excelsum nomen Domini* dicitur. Spes nostra Deus est, & misericordia nostra: cum tamen obsecramus, ut nos liberet secundùm *multitudinem misericordiæ nominis* sui; & beatum pronuntiamus cum Psalmista, *cujus nomen Domini spes ejus. Deus refugium nostrum est & virtus, adjutor in tribulationibus*: eumdem in modum dicitur à Sapiente *turris fortissima nomen Domini.* Quidni ergo, Ægyptii fratres, magnum, sanctum, admirabile, laudabile, JESU nomen, ex isto sacrarum Literarum exemplo, prædicatis: cùm magnus, sanctus, admirabilis, laudabilis ille sit, cui inditum istud est *nomen super omne nomen?*

VIII. *Possitne in nomine JESU fiducia collocari?*

Non invitus quidem, inquit quispiam ex Onio civilior, cultûs religiosi aliquid nomini Regis Regum exhibuero, quando Regis mortalis nomini reverentia non negatur. Sed fiduciam in illo collocari, seu pronuntiato, seu picto, aut effigiato, id verò ferre non possum. Gestatur à multis, amuleti instar: ad domuum parietes, ad valvas equilium, ad laquearia vel culmina tectorum, adversùs veneficia suspenditur, vel figitur. Commendantur ad populum Laurentii Justiniani Protopatriarchæ Veneti verba: *In ardua, in periculis, in terroribus, in domo, in via, in solitudine, in fluctibus, ubicumque exstiteris, Salvatoris profer nomen.* Ecquidnam literulis, voculæve, virium est, ut ardua superentur: quid potentiæ, ut terrores nocturni diurnive, domestici vel externi, dissipentur?

IX. *Potentia Christi præstò est ad nominis sui invocationem.*

Tricaris, & argutaris, Oniane advena: neque enim Hierosolymitanorum fratrum ullus tam vecors est, ut literulis aut voculæ, vim inesse existimet aliam, quàm ab illius potentia, quem vocula literulæve significant. JESU fidimus, cùm nomini fidimus: gratamque istam sibi esse fiduciam, ipse quotidianis beneficiorum experimentis testatur. Urgebatur per magnæ ægritudinis molestias, majori cogitationum, adversùs Ven. Sacramenti fidem, molestiâ B. Franc. Salesius: semel tantùm JESU nomen, in mentis intimo recessu, formavit: protinus importunæ, & odiosæ cogitationes, evanuêre: Gregorius Turonensis ægri parentis pulvillo JESU nomen supposuit: mox ægro sanitas restituta. Rumualdum, Simeonem, Hilarionem, Antonium, ingentes dæmonum catervæ aggrediuntur: ad tremendi nominis unicam invocationem, illico terriculamenta omnia dissipantur. Meritò itaque à Chrysostomo hom. 8. in cap. 4. ep. ad Rom. vocatur *ἀοιδὴ πνευματικὴ*, *incantatio spiritualis*: & ab Origene, lib. 1. cont. Celsum, Christianis incantamenta objicientem, dicitur; Christianis aliam incantationem nón esse, quàm nomen JESU; quod ipse scilicet Origenes tam sæpè & amanter iterabat, *Dominus meus IESVS.*

X. *Experientiâ id compertum omnibus Ecclesiæ seculis.*

Existimavêre sacrorum interpretum non pauci, Moysis virgam, innumerorum prodigiorum instrumentum, tetragrammato nomine insculptam fuisse: inde tantam illi vim, ad magorum solvendas præstigias; omnemque naturæ facultatem miris operibus superandam. Experiri licet quotidie, inquit Justinus apol. ad Antoninum Imp., quantum sit nominis JESU in dæmones, & inferos omnes, imperium. Ad eamdem experientiam provocat Lactantii præceptor Arnobius lib. 1. cont. Gent. *Cujus nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit silentium vatibus, aruspices inconsultos reddit, arrogantium magorum frustrari efficit actiones*: Apostoli discipulis exemplo præiverant: Paullo energumena offertur Act. 16, & momento inimici hospitis consuetudine liberatur, ad sacrosancti nominis invocationem: quemadmodùm claudo restituta sanitas Act. 3. per Apostolorum Principem. Et eo continuatis ad ætatem usque nostram prodigiis, quorum ipsi nos aliquando testes adfuimus, firmata Christianorum in Christi augustum nomen fiducia, & accensa pietas.

XI. *JESUS misericordiæ, & suavitatis nomen.*

Perfidi Judæi, ubi in eorum libris JESU nomen occurrit, scalpant illud sacrilegis unguibus, & eradant; impactoque sibi ad execrationis testificationem colapho oblatrent. *Deleatur memoria ejus.* Non longè ab ea impietate discedant

Ægyptii

Ægyptii quidam, ad Cabalistica deliramenta, non ad Apostolica documenta, pietatem Catholicam amandare soliti. At nos cum Isaia dicimus: *Nomen tuum, & memoriale tuum, in desiderio animæ*, diligentis bonitatem & misericordiam tuam, Domine. *Oleum* enim *effusum nomen tuum: non vinum effusum, nolo enim ut intres in judicium cum servo tuo, sed oleum: quia coronas me in misericordia, & miserationibus.* Dei hominis amabilissima mansuetudo, & suavissima benignitas menti meæ occurrit, *cum insonuerit IESVS: inde facio confectionem, cui similem nemo medicorum facere possit*, inquit Bernardus serm. 15. in Cant. Ecclesiastico Siracidæ, *memoria Iosiæ est in compositionem odoris, facta opus pigmentarii, in omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria.* Quantò magis Ecclesiæ filiis *IESV dulcis memoria*; & salutis nostræ nomen, *mel in ore, in corde jubilus, in aure melos?*

XII. Sanctorum erga illud affectus.

D. Franciscus Assisinas, qui ad Domini vocabulum labra sibi velut melleo sapore condiri sentiebat; ad pronuntiatum JESU nomen *jubilo quodam repletus interiùs, totus videbatur exteriùs alterari.* Ita in ejus vita D. Bonaventura perhibet. Alteri è Societate nostra Francisco, Indiarum Apostolo, ita familiaris erat ac jucunda divini nominis commemoratio, ut etiam dormienti erumperet, *Mi IESV, dulcis IESV.* Illum pietatis affectum à sancto parente suo Ignatio didicerat: cui, quantum in amoribus JESUS esset, tota testatur isto nomine insignita Societas: qui ab octiduana illa Mauresana extasi sibi redditus, in has primum voces erupit, JESUS, JESUS. Quid Bernardini sursum meminerimus? Auditoribus hanc erga nomen JESU pietatem tam efficaciter commendantis, ut certatim illius imagines ab omnibus expeterentur, longéque ampliùs ex earum opificio lucri artificibus proveniret, quàm ante ex frequentissimo alearum mercimonio: quemadmodùm Spondanus narrat ad an. 1419. Idem commendandi in sacrum nomen affectûs D. Vincentio, è Dominicana familia, studium fuit: in qua etiam Henricum Susonem numerant, tam inflamati in JESUM amoris, ut ipsius nomen, quod corde gestabat, incisâ ad pectus carne insculptum gestare voluerit.

XIII. Primorum sæculòrum, & Apostolicorum, in illud pietas.

Vesustiora exempla volunt Ægyptiaci fratres, ipsi licèt ex novo Ordine recentissimi. Habeant itaque ex laudatissimis sæculis Paullinum, qui, quod ipse faciebat, de Severo suo scripsit ep. 1. *Mutescere voluisti mortalibus, ut ore puro divina loquereris, & pollutam causidicâ facundiâ linguam Christi laudibus, & commemoratione ipsâ pii nominis, expiares.* Quænam isthæc *pii nominis* commemoratio, expiandæ linguæ? Illa utique, quam Augustino plurimùm sapuisse discimus, ex lib. 18. de Civ. cap. 32. ubi questus in Cantico Habacuc prophetæ, in quo passim legebatur, *Gaudebo in Deo IESV meo*, à quibusdam repositum, *Gaudebo in Deo salutari meo. Nomen ipsum*, inquit, *non posuerunt; quod est nobis amicius, & dulcius, nominare.* Amicissimum fuit Apostolico Martyri Ignatio, & in ipsius cordis sinu intimo inscriptum, si Divis Thomæ Aquinati & Antonino credimus. Amicissimum fuit dilecto Christi discipulo, in cujus Evangelio vicies & ter supra ducenties scriptum invenitur. Amicissimum fuit posthumo Apostolo, in cujus quatuordecim epistolis decies ac novies supra ducenties repetitum est: ut non temerè quidam scripserint, ter ipsi ex ore, post abscissum caput, clarè pronuntiatum prodiisse, quod vivo in labris continenter, & in literis, fuerat.

XIV. Acatholicorum, & Catholicorum nonnullorum, irreligiositas.

Quid modò Apostoli isti redivivi Ægyptiacis fratribus dixerint, JESU nomini ita parcentibus; ut vix semel ab illis pronuntiari audias, cùm Christi appellationem millies audieris? *Ex abundantia nimirum cordis os loquitur*: & ex inopia cordis, os non loquitur. Quid autem Hierosolymitanis fratribus faciant, diaboli nomen ita frequentantibus, quasi linguam augustissimo nomini consecratam, & sale Christiano conditam, ab ipso sacri lavacri fonte, non habuerint? Pudet pravæ apud urbes quasdam Catholicas consuetudinis; pudet Leodiensis nostræ plebeculæ, apud quam, partémve illius non exiguam, adeò mos iste invaluit, ut nullus non sermo, imò nullum non encomium, illius nominis fusco colore pingatur. Petiit aliquando Ecclesiastes è Societate nostra, ab honesto Leodiensi cive, quid illa sibi vellet perpetua, & mutua, inter plebeios diaboli compellatio: cui ille, nescis, inquit, mi Pater, apud hoc genus, diaboli nomine dominum & amicum significari? Quod responsum pro concione paullò pòst retulit, cum leni auditorum risu: apud quos agebat de tollenda illaudabili consuetudine, & auferendis nominibus Baalim, de ore vulgi, intactam religionem Christianam venditantis.

XV. Vera in JESU nomen pietas, ex corde prodit in opera.

Plebeculæ labes ista est: honestiorum alia, quam Bernardus perstringit serm. 14. in Cant. ad istud sponsæ, *Oleum effusum nomen tuum. Quid facit oleum in vasis, si non sentias & in membris? Quid tibi prodest pium Salvatoris nomen lectitare in libris, nec habere pietatem in moribus?* Osculo venerare, lacrymis riga JESU nomen, quotiescumque tibi scriptum occurrerit: caput denuda, genua submitte, quando pictum sculptúmve videris: demitte cervices, corpus inclina, quando pronuntiâris, aut pronuntiatum audieris. Religiosè isthæc feceris, Ecclesiæ universæ, sæculorumque Apostolicorum exemplo. Parùm tamen fuerit, nisi religiosi & digni JESU mores accesserint. Sacrosanctum nomen infuso oleo non comparatur, sed effuso: effundendum est in cogitationes, in verba, in opera Christianorum, ut Christi bonus odor simus in omni loco. Colossenses Paullus monuit cap. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini IESV Christi.* Omnia, inquit, dicta, factaque, unguento nominis JESU spargite, ut sint sacrificium suavissimi odoris Domino: imagine nominis divini imprimite, ut proba moneta sint ad cæleste commercium. Sermones autem, & actiones, imaginem illam non præferent; nisi cogitationes eamdem antè prætulerint. Mens sincero ac forti in JESUM affectu imbuenda est, ut omnia nostra sint in nomine Domini JESU. Aiunt, si amygdalam integram nomine aliquo insculpseris, & nucleo reclusam plantâris; quotquot inde amygdalæ nascentur, idem nomen exhibituras. *Pone* JESU nomen, Christiane, *super cor tuum*: prodibit in operibus tuis, *ut signaculum super brachium tuum*; in verbis, ut signaculum super linguam tuam.

SECTIO QUINTA.

Deus-homo finis noster.

I. Christus α. & ω; principium, & finis.

APOCALYPSIS cap. 1. Christus ipse de se Joanni dicit: *Ego sum α & ω, principium & finis.* Rursus cap. 21. idem sibi encomium tribuit: *Ego sum α & ω, initium & finis.* Ultimo denique capite eamdem appellationem sumit, cum additamento: *Ego sum α & ω, primus & novissimus, principium & finis.* Ea verba piis multis Patrum, atque interpretum, explicationibus uberem materiam præbuêre, ad illius laudem, *qui primus erat, & propter nos se novissimum fecit: primus, quia per ipsum omnia; ultimus, quia per ipsum resurrectio*, ut ait Ambr. lib. de Inst. virg. Mihi videbatur, etsi aliter alii sentiant, tribus istis loquendi formulis, id solum à Christo significatum, quod tertiâ: ut α sit, & *primus*, quia *principium* nostrum est: & quia *finis* noster est, sit ω, & *novissimus*. Quid autem, si exeunte potissimùm anno nasci Christus voluit, ineunte circumcidi, ut cum nobis titulum suum, Principii ac Finis nostri, commendaret? Inde certè occasio nobis erit, edocendæ Christianæ plebis, ut Christum, pro annorum suorum fine simul ac principio, intueatur, si fælices habere vult: in eo Decembrem desinat, ab illo Januarium inchoet, à quo non omnis solùm oratio nostra, sed etiam operatio incipere debet, & cœpta finiri.

II. Finem intueri summa sapientia est.

Quærebatur olim, & magnis clamoribus disceptabatur, apud Græcos, quis verè sapiens esset: cumque inter sectas, amorem sapientiæ professas, de ea quæstione convenire nequiret, consulebantur interdum deorum oracula, & ipsorum pronuntiata celebri sermone vulgabantur. Sed frustra erant sciscitationes solicitæ, & disputationes clamosæ, de re in promptu posita, & in oculos omnium incurrente. Quis enim, si vel tantillum sapit, & hominis aliquid habet, non continuò dicturus est idem, quod Arabibus proverbio celebratur: *Sapientissimum hominum esse, qui fines respicit?* Quamquam in eo verbo vocula ista, *fines*, in *finem* mutanda est: fines enim medii multi sunt, unicus tamen ultimus, in quem intendere, quò sua referre, seque impendere, summa homini cuilibet sapientia est.

III. Vita universa illuc dirigenda.

Sed heu, quàm *pauci sunt, qui consilio se suaq; disponunt? Cæteri, eorum more, quæ fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur;* prout affectuum undæ, & negotiorum æstus, fluctuantem animum, suique incertum, rapiunt. Id de hominibus ævi sui Romanus philosophus querebatur, ep. 28. Epistolâ deinde 95. monebat, non fluctuandum nobis, sed enavigandum, aptandaque ad capiendum portum vela, & remigia, ac flectenda gubernacula. *Proponamus*, inquit, *oportet finem summi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum dictumq; nostrum respiciat: veluti navigantibus ad aliquod sidus dirigendus est cursus. Vita, sine proposito, vaga est.* Pudeat Christianum ignorare, quod Paganus non nescivit: finem unicum nobis esse debere factorum omnium, dictorumque, nedum vitæ universæ: eumque finem, non *boni* alicujus infimi, aut medii esse debere, sed *summi.*

IV. Omnia in Deum tendunt.

Ubinam verò finem illum, de quo philosophi non minùs inter se, quàm de sapientia concertavêre, deprehensum ibimus? Ipse nobis sese finis aperiet: *Ego*, inquit, *sum α, & ω, principium, & finis.* Christus Deus-homo finis noster est, quà *primus*, & quà *novissimus*; quà Deus primùm, deinde, quà homo. Quemadmodùm ab illo omnia, quà Deus est; ita ad illum omnia. Ex æterno isto essentiæ immensæ, & inexhaustæ, Oceano profluxêre, quidquid rerum creatarum est; in illum rursus, quomodolibet, & quacumque viâ, refluendo relabuntur. *Ad locum, unde exeunt, flumina, revertuntur.* Vitarum humanarum aliæ longæ sunt, & flexuosæ, ut fluvii; aliæ breviores, ut fontes, ac rivuli: quædam torrentium instar cœni multum trahunt, & cum obicibus ubique luctantur; inoffensæ aliæ, velut limpida flumina, per mollem herbam, aut obsequentem undis arenam, decurrunt. Vixêre quidam ad decrepitam ætatem, plures solam juventutem vidêre, multos pueritia abstulit: per prosperitatem aliquibus anni transiêre, quibusdam per calamitates erupêre. Omnes tamen vitæ ad Deum, à quo cœperant, redierunt: beatæ, quibus ad Deum redeundi non necessitas tantùm fuit, sed voluntas.

V. Deus omnia propter se operari debuit.

Velle enim debemus, quod Deus voluit, & quod nolle nequiit; *omnia propter semetipsum operatus*, quia necesse erat, ut sic operaretur. Laborare enim alteri, tamquam fini ultimo, non poterat: cùm finis ultimus nobilior esse debeat laborante, aut æqualis saltem; quia labor, alterius gratiâ impensus, subjectionis instar est. Atqui Deo æquale nihil est, nedum superius, nisi ipse sibi: unde consequitur, oportuisse omnino, ut propter semetipsum operaretur omnia. Hanc ratiocinationem attigimus tractatu de bona volunt. p. 4. sect. 1. num. 2. & 3. Prævivit mihi Augustinus lib. 83. quæstionum q. 30. ubi monet Deum, ejusque cultum, ad alia referendum non esse: *quoniam omne, quod ad aliud referendum est, inferius est, quàm id, ad quod referendum est.*

VI. Finis qui, & finis cui, in actionibus propositus.

Ut istud manifestius fiat, statuamus cum philosophis fines duos; è quibus, intentione conjunctis, unicus finis existit: finem *qui*, primum appellant; alterum finem *cui*: ille quæritur laborando, huic laboratur. In avaro, qualem Ecclesiastes cap. 6. depinxit, utrumque facilè deprehendimus. Finis enim, *qui* ab illo spectatur in negotiationibus, in vigiliis, in parsimonia, in sordibus, pecunia est: finis, *cui* in pecunia comparanda studetur, sola est voluptas insana possidendi. Nam, si ambitionis caussâ, aut luxuriæ, alteriùsve vitii, numos coacervat; non tam avarum dicere, quàm ambitiosum, aut luxuriosum oportet. Quod in vitio, idem in honesta exercitatione, idem in virtute, dicendum. Finis *qui* à venatore intenditur, præda est: finis *cui*, honesta corporis exercitatio, animique laxatio; quamquam homo Christianè agens, ipsam animi honestam relaxationem, nedum opera virtutum, & pietatis officia, ulteriùs ad Deum relaturus est, quomodò mox ex Paullo dicturi sumus.

VII. A Deo etiam in actionibus suis quæritur.

Similem in modum Deus liberè extra se operatus, cùm mundum condidit, & in suas formas ac genera dispertiit; cùm opera naturæ, gratiæ, gloriæve, produxit; cùm annos nobis novos largitus, sæcula dimensus, æternitatem beatam pollicitus, miseram comminatus: in iis actionibus omniscia Ratio, *in principio* habens *Verbum*, possidensque *in initio viarum suarum* sapientiam; necesse est, ut finem sibi aliquem operandi

operandi præfixerit. Finem autem, *qui* ab illa suprema & optima Ratione, spectatus est, bonum fuisse oportet. At *cui* bonum ultimò spectat, & quærit, nisi sibi: cùm ad aliud ultimò, quàm ad se, referre sua non possit; ne dignitati suæ & majestati faciat injuriam, seque infra res erectas creator omnium, illis laborando & obsequendo, abjiciat?

VIII. Quomodò Deus hominis gratiâ laboret?

Quid autem, inquis, extra se sibi Deus spectet, indigus nullo, sibi ipse sufficiens, seipso contentus, ac beatus? Ecquodnam boni additamentum à summo bono aliunde quæratur, & arcessatur? Præterea, nonne homini Deus Universum aspectabile produxit, & omnia subjecit sub pedibus ejus? Nonne ipsam Filii sui Incarnationem, operum omnium nobilissimum, fecit *propter nos homines*, & propter nostram salutem? Nonne Angeli, pastoribus ad cunas Dei-hominis invitandis, dixêre, *Natus est vobis Salvator mundi?* Finis ergo *cui* Deus, condendo Universo, singulisque ejus partibus, laboravit, homo est: finis, *cujus gratiâ* miraculorum omnium summum patravit, homo est. Quâ ergo ratione diximus sibi Deum operatum: finem *cui*, per liberas externasque actiones, intendit, ipsum sibimet fuisse?

IX. Tria homini in operibus proposita esse possunt.

Literati facillimè quæstiunculas istas dissolverint: sed etiam illiteratis loquor, aut loquenda scribo; sapientibusque juxtà, & insipientibus, debitor sum. Hos itaque moneo, ut Salomonem, ædificandæ domui *saltûs Libani* intentum, considerent. Potuit sapiens Princeps, & ex ratione tunc quidem omnia ordinare solitus, in ea substructione, vel commodum suum spectâsse, vel voluptatem, vel gloriam. Commodum extitere potuit, ex hortorum redditibus; voluptas, ex spectaculo; gloria, ex magnificentiæ regiæ ostentatione.

X. Deus voluptatem, aut commodum suum, operando non quærit.

A Salomone ad Deum oculos reflectamus. Mundi ædes condidit, omni ad usum, voluptatem, & gloriam supellectili instructas. Ecclesiæ domum, ordinibus distinctam, Sacramentis suffultam, gratiis ornatam ædificavit. Beatitudinis æternæ regnum, bonis spiritalibus corporeisque differtam, præparavit. In istis naturæ, gratiæ, gloriæque operibus, non voluptatem suam spectavit Deus: cùm voluptas interior sit; Deo autem interius ad voluptatem, ac beatitudinem, addi nihil possit, suipsius cognitione, & amore, contento. Neque inde utilitatis aliquid speravit: cùm nullius egeat, solâ sui possessione locuples; cumque illud Augustini lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 11. verissimum sit, *Dominationem Dei, non ipsi, sed homini utilem esse: Deus enim servitute nostra non eget, nos autem sine ejus dominatione esse non possumus.*

XI. Quærit gloriam extra se.

Superest itaque, ut, extra se operando, bonum item aliquod sibi extra se quærat. Aliud autem nullum est, quàm gloria: non interior illa, de qua nos alibi; sed exterior & adventitia, quam ab naturis intelligentiâ præditis, ex operum suorum cognitione, potest recipere. Ita Dei potentiam, & sapientiam intelligimus, ac laudamus, in conditione Universi: misericordiam & benignitatem, in redemptionis humanæ sacramento: liberalitatem, & magnificentiam, in æternæ beatitudinis mercede. Hoc fine gloriæ divinæ nati vivimus, vigemus, valemus, dies numeramus, annos annis adjungimus: frustra sumus, si ad alium finem enitimur; quàm cujus gratiâ sumus. Frustra Sol tempora emetitur, frustra sidera collucent, frustra tellus germinat & animalia pascuntur, si homini non serviunt: frustra homo est, si conditoris gloriæ, cujus unius causâ conditus est, sponte non servit.

XII. A nobis quærenda in omnibus gloria divina.

Quorsum in horologiis libramenta, funes, rotulæ, machinæ, si horæ non signantur? Quorsum tot animi facultates, tantum corpusculi artificium, tales naturæ dotes in homine, si ad finem summi boni dictum omne, factumque, non respicit? Non vita modò nostra universa, non anni tantùm, aut menses, non dies dumtaxat solidi, aut horæ integræ; sed momenta singula, à conditore ad gloriam suam nobis dispensata, illuc referri debent, quò conditor destinavit, destinâsseque omnino debuit. Quare Paullus Corinthios monebat, 1. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei.* Ipsas corporis animales occupationes, & officia, quæ brutis nobiscum communia sunt, ad Deum intendenda docet Apostolus; nedum sermones, cogitatáve, aut facta ex intelligentiæ consilio, atque arbitrio voluntatis. In istis quidem commodum nostrum ac voluptatem, non æternam modò sed temporalem, nobis honestè liceat intueri: sed honesta ipsa voluptas, ac commodum, ulteriùs in Dei gloriam referenda sunt. Ovis & equus sibi comedunt, & hero: nos *oves manûs* Dei, & jumenta apud illum, sic nobis manducemus, & bibamus, ut simul Deo obsequamur, &, quod utile jucundumque sentimus, ad Dei gloriam cedat.

XIII. Christus, non solùm quà Deus, sed quà homo, finis noster est.

Imò & ad Dei-hominis gloriam. Christus enim, etiam quà homo, finis noster est, si multos Theologorum audimus, Suarem inprimis 3. p. disp. 5. sect. 1. præeunte Ruperto lib. 3. de glo. Trin. & proc. Spir. c. 20. *Cavendum*, inquit hic, *ne tam pueri simus, ut existimemus, Deo nullum ante ruinam Angelorum de homine creando fuisse propositum. Rectiùs sanè dicitur, quia non homo propter Angelos, imò propter hominem Angeli quoque facti sunt, sicut & cætera omnia: testante Apostolo, Propter quem omnia, & per quem omnia.* Subdit deinde recantatam scholis sententiam: *Religiosè dicendum, reverenterq; audiendum est, quia propter hunc hominem, gloria & honore coronandum, Deus omnia creavit.* Et l. 4. de glo. Trin. *Si enim, quod sæpe dictum est, semperq; sciendum, non solum per ipsum IESVM Christum, verùm etiam propter ipsum omnia: quantò magis humana propter ipsum facta est creatura?*

XIV. Nobiliori ignobiliora subserviunt.

Hebræorum, apud Galatinum lib. de arc. eadem fuit opinio, res omnes à Deo conditas in Messiæ gratiam. Pluris mihi Hebræorum opinione Tertulliani sententia lib. de Res. carnis; ubi, narratâ Adami creatione, *Quodcumque*, inquit, *limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus*, & ad illum, velut ad perfectionis finem, creata cætera disponebantur. Æquum est enim, ut nobiliori ignobilius serviat: &, quomodò animalibus plantæ, animalia hominibus, ad usum destinata sunt; sic ad naturæ humanæ, consortio divino honoratæ, gloriam tum homines cæteri, tum Angeli ipsi, velut administratorii spiritus, ordinentur. Quod etiam Sapienti visum Prov. 8. multi putavêre, ubi Sapientia de se: *Dominus possedit*, seu ut 70. verterunt Hebræum *kana*, *creavit, me in initio viarum suarum.* Advertunt item nonnulli, à Regio propheta psal. 66. Christum appellari *fructum terræ*, & ab Isaia cap. 4. *fructum terræ sublimem*: quia tum terra omnis, tum Universi conditio, productionem Christi antecessêre

tempore,

tempore, ut fructum arbor, ejusque partes; ad illum tamen, tamquam ad finem, spectavêre consilio producentis.

XV. *Omnia propter Christum creata.*

Apertior multò est Divi Paulli sententia, de Christo loquentis, Coloss. 1. *Omnia in ipso condita sunt, universa in cælo & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum, & in ipso*, Græcè εἰς αὐτὸν, *creata sunt*: Iterum in epistola ad Hebræos, quæ tota fermè est de gloria Christi, c. 1. *Quem*, inquit, *constituit Deus heredem universorum*. & c. 2. *Propter quem omnia, & per quem omnia.* Quæ verba Rupertus, fulciendæ opinioni suæ, valdè commodè interpretatus, lib. 13. in Mat. dicit; idem fermè Deo curæ fuisse de humana Christi natura, atque Regi præpotenti de carissimo filio: ab hoc domum parari, ornari comitatum, instrui familiam, ex filii dignitate: ab illo productum Universum, conditos Angelos, creatos homines, velut domum, comitatum, familiam Christi.

XVI. *Actiones nostræ universæ ad illum referendæ.*

Si cui tamen illud vel assequi difficile fuerit, vel non placuerit: in solidissimo & indubitatæ fidei fundamento, quod præstruximus, hæreat, Christum, quà Deum, finem nostrum esse. *Loquitur psalmus, & auditu, In finem psalmus David*, inquit Aug. tract. 10. in ep. Joan. *Quid est in finem? Finis enim legis Christus est, ad justitiam omni credenti. Et quid est, finis Christus? Quia Christus Deus, & finis præcepti caritas, & Deus caritas.* Erigamus mentes, extendamus voluntates, impendamus vitæ partes universas, summo fini, & summè necessario. *Intentio dirigatur in finem*, inquit iterum August. in psal. 54 *dirigatur in Christum. Quare finis dicitur? Quia, quidquid agimus, ad illum referimus*: nempe ex monito D. Paulli Coloss. 3. *Omne quodcumque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini IESV Christi.* Rursum Augustinus hortatur in ps. 56. *Finis est Christus, non qui consumat, sed qui consummet. Aliter dicimus, finitus est panis; aliter finita est tunica. Finitus est panis, qui manducabatur; finita est tunica, quæ texebatur. Panis ergo finitus est, ut consumeretur, tunica finita est, ut perficeretur. Finis ergo propositi nostri Christus est, quia in illo perficimur, & ab illo perficimur, & hæc est perfectio nostra ad illum pervenire: sed cùm ad illum perveneris, ultra non quæris, finis tuus est. Sicut enim finis viæ tuæ locus est, quò tendis, quò cùm perveneris, jam manebis. Sic finis studii tui, propositi tui, conatus tui, intentionis tuæ, ille est, ad quem prætendis: ad quem cum perveneris, ultra nihil desiderabis, quia nihil melius habebis.*

XVII. *Cur quærendus nobis ultimus finis?*

Ad summi & ultimi finis assequendi constans, atque efficax, desiderium persuadendum, alii aliis argumentis utantur. Finium aliorum indignam humanâ conditione vanitatem, & insanam fatuitatem, Bernardus in declam. sub oculos ponat, eleganti parabolâ stultorum quinque: quorum primus arenam commanducat; alter, in lacum sulphureum pronus, fœtidas exhalationes avidè haurit; tertius scintillas de fornace exsorbet; quartus, in turris fastigio, ventos ore patulo excipit; quintus, ridendis illis intentus, ridendum ipse se præbet, membrorum suorum nunc hoc, nunc illud, exsugendo. Augustinus moneat, quietem nusquam nobis fore, nisi in centro: *Fecisti enim nos, Domine, ad te, & irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in te*: trepidabit semper rivulus, donec in Oceanum sese effuderit: nec divinæ auræ particula, mens nostra, moveri & agitari desinet, donec ad Deum redierit. *Magnum enim est*, inquit idem sanctissimus Doctor lib. 4. de Gen. ad lit. c. 17. *nobis ab illo extitisse, sed majus erit in illo requievisse: sicut ipse, non ideò beatus, quia hæc fecit; sed quia, etiam factis, non egens, in se potiùs, quàm in illis, requievit.*

XVIII. *Quia oportet & necesse est.*

Ego non aliud argumentum efficacius, excitandæ ad finem suum prosequendum voluntati, experior, quàm ex debito, & necessario. Infra sortem tuam te abjicies, ô Christiane, ô homo; si Deo non servis: deinde, *in omnibus requiem quæres*, et nusquam alibi moraberis, quàm *in hereditate Domini*: denique, sic natus es, ad hoc venisti, ut Deo servias, id sapientiæ Christianæ caput ab infantia didicisti, id tibi ratio persuasit, id fides imperavit. Assequere finem tuum voluntate, quem debes necessitate: finem certè suum de te Deus assequetur, velis nolis. Suaderi solet Christianis, ut ante decumbendum diurnas omnes horas remetiantur, & examinent. Sub anni exitum, Christianus quisque menses omnes, ac septimanas recogitet; videatque, quo fine laborârit, quantum ad Deum accesserit, quantum recesserit: assurgat deinde ad finem suum, & annum sequentem ex illo constituat, & ordinet. A Romano philosopho insigne ad eam rem monitum antè audivimus; audiamus iterum ex epist. 87. *Novum annum ego mihi faustum, & felicem, reddo bonis cogitationibus, & animi magnitudine: qui numquam major est, quàm ubi aliena seposuit, & fecit sibi pacem, nihil timendo; fecit sibi divitias, nihil concupiscendo.* Christianus nihil vehementer concupiscere, nisi possessionem summi boni; nihil timere, nisi ejus jacturam, consuescat.

SECTIO SEXTA.

Deus-homo principium nostrum.

I. *Mos longos annos amicis optandi, non illaudabilis.*

OLIM apud Romanos, superstitiosos Calendarum Januariarum inchoatores, & statarum ineuntis anni cæremoniarum observatores, solenne fuit, post munusculorum oblationem longos annos amicis comprecari. Nobis etiam id hodie moris est: etsi non ignoramus Sapientis pronuntiatum, de senectute venerabili, *non diuturnâ, neque annorum numero computatâ*: nec nescimus, vitarum nostrarum ac nummorum, parem fermè esse rationem: meliores non esse qui plus pendunt, & majores sunt, sed qui plus valent, aureumque unicum præstare æreis centum, argenteis decem. Quia tamen Deus longitudinem dierum aliquando suis pollicitus est, & longævitatem super terram pro particula mercedis obedientibus proposuit: eamobrem vituperanda non est Christianorum consuetudo, longiturnitatem pro aliqua fælicitatis portiuncula æstimantium, & exoptantium. *Inter beneficia Dei numeranda est & ipsa longævitas*, inquit Prosper ad 3. capit. Gal.

II. *Longi anni sub Sole nulli.*

Quamquam, si verè, non ex fide modò, sed ex ratione judicare, ac loqui volumus, longi anni nusquam sub Sole sunt. Apud Augustinum lib. 12. de Civ. c. 10. & lib. 15. c. 12. *Perhibentur Ægyptii quondam tam breves annos habuisse, ut quaternis mensibus finirentur*; aliàs ex Lunæ menstruo cursu annos dicuntur numerâsse: imò Vendelinus, ævi nostri eruditus inprimis astrologus, mihique nuper Tornaci familiaris, affirmabat;

deprehendisse se, ex Alexandri Magni historia, annos ipsis aliquando fuisse dimidiatæ Lunæ seu dierum quindecim. Istorum comparatione longi forsan anni nostri Solares videri queant: longior fuerit annus emendationis Julianæ, mundi octavus supra quater millesimum, dies quadringentos quadraginta quatuor complexus: longior multò annus Metonis Astrologi, nostris novemdecim admensus, ex certa notarum ad idem caput revolutione, cui Aureo numero nomen: isto etiam longior annus Saturnianus, ex ejus planetæ tricenario cursu compositus: longissimus, qui orbium omnium cælestium reditu ad caput suum, & ad positum quem principio habuêre, absolvetur, annorum millibus triginta.

III.
Temporum omnium brevitas præ æternitate.

Sed quantavis illa temporum mensura, quantula est, si æternitati comparetur? Ad illam nati sumus, ad illam tendimus: inde orti anni nostri, illuc revolvuntur. Ibi longiturnitas dierum à nobis quærenda est, quia nusquam alibi inveniri potest. Regius vates psal. 33. sciscitatur, *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Omnes volumus, inquit Aug. serm. 39. de ver. Dom. sed pauci volumus, ut velle oporteret: *Non quærunt homines, nisi dies bonos, & vitam volunt longam, quam hic habere non possunt.* Anni quilibet *pauci* sunt, & *mali*, quod de suis Pharaoni Jacob dicebat Gen. 49. *Fumus flatus est, in naribus nostris, vita nostra: fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet: vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.*

IV.
Anni nostri quomodò æquari possint æternitati?

Longa nulla vita est, bona nulla, nisi quam æternitas beata metietur, cujus transactæ fructus, & gaudium sempiterna erunt; quæ apud Deum reposita mercedem ævi numquam desituri exspectabit. Vis, Christiane, annos longos, vis æquales æternitati, vis semper duraturos? Benè illos inchoa, benè fini: ab illo incipe, qui est α, *primus, principium*: in illo desine, qui est ω, *novissimus, finis.* Anni, quorum initium à Christo duxerimus, quorum exitum in Christo posuerimus, pares æternitati erunt: quia de illis æternitate totâ gaudebimus, lætabimurque pro diebus, quibus Deus nos humiliârit, aut extulerit, annis quibus viderimus bona, & mala: quamcumque fortunam in istis annis, benè cæptis, benè conclusis, tulerimus, caussa erit & materia numquam cessaturæ lætitiæ.

V.
Deus-homo dupliciter principium nostrum est.

Liberè ergo, & ultrò, faciamus, quod de nobis etiam nolentibus fieret: annorum nostrorum in Christo statuamus principium, quemadmodùm defiximus finem. Uti enim finis noster est, tum quà Deus, tum quà homo: ita principium nostrum est; efficiendo, quà Deus; merendo, quà homo. Christi divinitas rebus omnibus, quas vel natura, vel gratia, vel gloria complectitur, dedit existentiam, durationem conservat. Christi humanitas, in terris agendo, nobis promeruit, quidquid in cælis gloriæ exspectamus ab adventu magni Dei; & quidquid divitiarum gratiæ ejus possidere possumus, ut ad illius adventum comparemur. Omnibus itaque rebus Christus est existendi, & promerendi, principium.

VI.
Quà Deus, est principium efficiens, per creationem.

A Christo, quà Deus est, condita universa, universa sustentari; ut sine ea sustentatione ad nihilum relaberentur, quomodò ex nihilo prodiêre, frustra probaverimus apud homines, quotidie invocantes *Deum factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium.* Neque enim, Christo gratiæ, in iis tenebris erramus, quas tam miserè cæci olim mortales patiebantur; ut, teste August. l. 19. de Civ. c. 17. *Crederent multos deos conciliandos esse rebus humanis, ad quorum diversa quodammodò officia diversa subdita pertinerent: ad alium corpus, ad alium animum; in ipsoque corpore ad alium caput, ad alium cervicem, & cætera singula ad singulos: itemque ipsis rebus, vitæ adjacentibus, ad alium pecus, ad alium triticum, ad alium vinum, ad alium oleum, ad alium silvas, ad alium nummos, ad alium navigationem, ad alium bella atque victorias, ad alium conjugia, ad alium partum, ac fæcunditatem, ad alios alia cætera.* Sic sentiebant illi, sedentes in tenebris & umbra mortis, donec oriens ex alto illuminaret mundum, per viscera misericordiæ Dei nostri: ut deinceps, apertis ad claram veritatem oculis, dicamus, cum Augustino l. 19. de Civ. c. 13. *Deus naturarum omnium sapientissimus conditor, & justissimus ordinator, qui terrenorum ornamentorum maximum instituit mortale genus hominum.*

VII.
Et per conservationem continuam.

Dicamus item cum eodem l. 22. de Civ. c. 24. non conditorem modò omnium Deum esse, sed conservatorem perpetuum, qui *efficacem potentiam suam si rebus subtrahat, nec progredi poterunt, & suis dimensis motibus peragere tempora; nec prorsus in eo, quod creata sunt, aliquatenus permanebunt.* Vides hoc loco conservatricem Dei potentiam, sive actionem conservativam ab Augustino concipi sustentationis instar, & fundamenti, quo subtracto res ad impotentiam, & omnino ad nihilum recidant: quem concipiendi, & explicandi modum rursus affert lib. 4. de Gen. ad lit. c. 12. *Neque enim, sicut structuram ædium cùm fabricaverit quis abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit.* Aliter, nec minùs significanter, conservationem proponit, adinstar influxûs in res creatas continui, quæ desinant esse, si vel momento Deus cesset influere: quemadmodùm rivus exarescit, fonte siccato; & dies desinit, Sole subtracto. Eum influxum in scholis appellamus, continuationem actionis creativæ; ut momenta singula sint, quasi renovata aut extensa creatio: quod etiam innuisse videtur Christus his verbis Joan. c. 5. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor,* ut Augustinus ibidem explicat. Tertium conservationis intelligendæ modum, in eodem Augustini loco reperio, ubi eleganter Deum appellat non tantùm *omnipotentem*, sed *omnitenentem*: quasi, ut propheta loquitur, cælos palmo contineat, & terras pugillo constringat, ne effluendo pereant, aut dissolutâ compagine dissipentur, quod Græci Patres *συσφίγγειν* vocant. Quarto denique modo, captui populari, uti & cæteri, primus præsertim, accommodo, conservationem concipiemus, suspensionis instar, ac libramenti; quo destituta res, in subjectam nihili sui abyssum labatur necesse est: quemadmodùm si Angelus prophetam, quem cincinno suspensum portabat, destituisset, solo præcipitem allisisset.

VIII.
Christus, quà Verbum, est caussa exemplaris rerum omnium.

Quid autem peculiare dicimus de Christo, quà Deus est? Nonne Pater, & Spiritus sanctus, principium sunt creandi, ac conservandi, æquè ut Filius? Nonne scholarum vox detrita est, *Opera Trinitatis ad extra esse indivisa?* Verissimum istud quidem: habet tamen hoc singulare Filius, quod Verbum est mentis æternæ, proceditque à Patre per intellectionem, non essentiæ modò divinæ, sed rerum etiam omnium, quas per

potentiam

potentiam essentia divina respicit: adeoque rerum omnium idea est, & caussa, ut loquimur, exemplaris. Id volebat Joannes admirabili suo isto, *In principio erat Verbum &c. quod factum est in ipso vita erat.* Sive enim, ut communior ac verior lectio habet, istud, *quod factum est*, conjungas cum, *in ipso vita erat*, sive sejungas: utrâque tamen lectione significatur, vitarum omnium in Verbo esse originem, ibique vivere omnia, sicut in architecti mente substructionum suarum idea vitalis est.

IX. Adeóque peculiariter principium.

In eamdem sententiam Augustinus, tum libro imperfecto de Gen. ad literam, tum lib. 1. perfecto, explicari posse censuit, *In principio creavit Deus cælum & terram*: id est, inquit, vel *ante omnia*, vel *initio temporis*, vel *in Verbo*. Eam etiam ob rationem Christus ipse sibi nomen Principii videbatur tribuisse Joannis 8. quando interrogantibus Judæis, quis ergo ipse foret, respondit, *Principium, qui & loquor vobis*. Sic certè Patres nonnulli intellexêre, in his Prosper, sapienti illâ, & piâ clausulâ libri contra Collatorem: *In omnibus cogitationibus, in omnibus voluntatibus, in omnibus sermonibus, atque actionibus nostris, ipse teneat primatum, qui se dixit esse principium; quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum.*

X. Christus est caussa meritoria vitæ nostræ spiritualis.

Meritò primatum in nostris omnibus teneat, qui principium nostrum est, quà Deus; principium, quà Verbum est; principium, quà homo est. *Verbum* enim *caro factum, plenum gratia & veritatis*, effudit in nos divitias bonitatis divinæ, & in illo Pater cælestis *benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus* 1. Eph. 3. Fons omnis gratiæ Christus est, omnis meriti principium: ab illo, velut caussâ meritoriâ, virtutes omnes, & virtutum præmia, profluxêre. Quod ipsemet apertissimè dixit discipulis suis Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere*; & palmitis similitudine expressit, *qui non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite.* Divus Paullus, ardentissimus gratiæ Christi commendator, comparat illum fundamento, 1. Cor. 3. præter quod *aliud nemo potest ponere.* Idem scala Jacob, à terra pertingentibus ad cælos, adumbratum fuisse, Rupertus, aliique Doctores, passim existimant. In admirando itidem Isaiæ viso, cap. 6. ubi *ea quæ sub ipso* Deo *erant*, id est vestimenti divini fimbriæ, *replebant Templum.* vestis autem, & velamentum divinitatis, est sacratissima Christi humanitas, cujus vestimenti fimbriæ, id est gratiarum effluxus, Ecclesiam virtutibus, & virtutum præmiis, implent.

XI. Significatum istud ab Isaia titulis Messiæ.

Id ipsum nominibus, quæ Messiæ nascituro Isaias tribuit, innuitur. Admirabilem vocat, Consiliarium, Deum fortem, Patrem futuri sæculi, Principem pacis. Meritò *admirabilis*, ex tam magno tam pusillus; ex tam pusillo rursum tam magnus. Optimè *Consiliarius*, à quo, quamvis infante, divina præcepta, saluberrima monita, sanissima consilia. Verè *Deus fortis*, qui infirmissimam ætatem, ad edomandas rebellium hominum voluntates, elegit, eò validior, quò debilior. Commodissimè *Pater futuri sæculi*, qui prædestinatorum omnium ad vitam immortalem gratiâ parens est; uti Adam hominum omnium naturâ genitor ad vitam mortalem: nec *Pater* modò, sed *Princeps pacis*, id est auctor bonorum omnium, quæ apud Hebræos pacis appellatione veniunt.

XII.

D. Cyprianus, epistolâ ad Moysen & Maximum, eleganter Christum comparat Soli, quatuor anni tempestates accessu, recessuque, non signanti tantùm, sed etiam facienti. Ita Christum spirituales in animis Martyrum, ac Confessorum suorum, tempestates efficere: hyemem sancti timoris; ver serenæ spei; æstatem fervidæ caritatis; autumnum fæcondæ, & bonorum fructuum operibus opulentæ, fidei. *Sic apud Dei servos annus evolvitur*, inquit Cyprianus, cui nonnihil de meo addidi. Addo etiam quemadmodùm Sol, dies quotidianâ revolutione, menses transitu signorum, annos curriculi totius absolutione, metitur: ita dies nobis nostros, mensesque, & annos, Christi luce metiendos. Ab illo dies incipiat, ab illo mensis inchoetur, anni ab illo ducant initium; *a quo nobis* ut de Deo Platonici philosophi Christianè censuêre, apud Aug. l. 8. de Civ. c. 9. *& principium naturæ, & veritas doctrinæ, & felicitas vitæ.*

Christus Sol noster.

XIII. Quomodò incipiendi dies.

Commendari solet Christianis, ut, statim atque evigilârint, sese ad vitæ ac salutis auctorem brevi oratione convertant. Quam orationem aliqui in capita tria partiuntur, gratiarum actionem, oblationem, postulationem: Debentur enim gratiæ Deo de vitæ momentis, continuatâ toties creatione, donatis: debentur de animi salute, per gratiam mediatoris servatâ. Debetur deinde Deo quidquid die reliquo fiet, ut ad originem suam referatur: ideoque, apud Blosium in Monili, Christus D. Gertrudem monuit, ut manè verba omnia, characteres, passus, cuncta denique diei istius agenda qualiscumque, particulatim dedicaret. Debetur denique bonorum omnium largitori fiduciæ plena postulatio, qualis ab Ecclesia ad horam primam recitanda proponitur.

XIV. Anni quomodò inchoandi?

Simili formulâ piè admodùm, & utiliter, annum inchoaverimus. Fugit præteritus noctis instar, & somni, nihilque nobis ampliùs superest de mensium duodecim decursu, quàm transactorum recordatio; sicut evigilanti nihil restat, nisi memoria somniorum. Quomodò autem somniorum alia læta sunt, alia tristia; ita temporum. Arbores cæsas, statuas comminutas, boves devoratos, videre sibi videntur in somnis Babylonii, & Ægyptii, Reges. Solem lucidum, stellas propitias & obnoxias, lætam victoriam, Josephus, & Mardochæus, dormiendo contuentur: Angelus Sponso Mariæ nunc fugam, nunc reditum, in somnis denuntiat. Sic anno præterito aliorum alia fortuna fuit, & hoc futura est: dissipanda denique *velut somnium surgentium. Fratres, hora est jam nos de somno surgere.* Aurora primam hujus anni *lucem provehit. Cum luce nobis prodeat, In Patre totus Filius, Et totus in Verbo Pater.*

XV. Gratiæ Deo agendæ.

Experrectâ mente, evigilante fide, adoremus primum dierum & annorum Principium, gratiasque illi immensas habeamus de tot vitæ momentis, quot anno toto effluxêre, donatis. Toties nos creavit, quoties conservavit: toties autem conservavit, quot momenta viximus: ut si de creatione gratias unas debeamus, de conservatione debeamus innumeras. Quid si prætereà vitam nobis spiritalem, inter tanta moribundorum & morientium agmina, sustentavit? Si plurimis in crimina ruentibus, multis ad inferos præcipitantibus, tenuit ipse manum nostram, ne caderemus? Quid si lapsos erexit, firmavit, deduxit in viam rectam? Quid si, torrentem pertranseuntes, non permisit incidere in aquam

intolerabilem? O quanta in tot, tantisque beneficijs, materia gratiarum, si fœlicitatem nostram cum aliena infœlicitate comparemus?

XVI. Referenda item gratiæ oblatione obsequiorum.

Quàm multiplex caussa cum Psalmista iterandi: *Benedic anima mea Domino*, non linguâ solùm, sed medullæ omnes, & intimæ mentis sensua, affectusque; *& omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus:* absit à te tam detestabilis ingratitudo, ut immemor illius vivas, de quo vivis, & reviviscis in momenta. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas*, & quotidianas tuas contritiones alligat, infundens vinum amoris, & oleum clementiæ. *Qui redimit de interitu vitam tuam* utramque, naturalem, ac supernaturalem; illam efficaci potentiâ sustentando, hanc suavi gratiâ nutriendo. *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus* perpetuis, coronandus ipse continuatis obsequiis. Neque enim gratias egisse sufficiet, nisi referamus. Reddenda sunt benefactori liberalissimo quæcumque accepimus: consecranda vita, offerendæ ejus partes omnes, dedicanda momenta: ut *in principio* cogitationum omnium nostrarum, verborum, operationum, sit *Verbum*. Subtrahamus illius obsequio licebit diem, horámve, quam ab ipso non acceperimus: si autem singulas donabit, singulas redonemus; nihilque de tam manifesto debito subducamus.

XVII. Petendum à Deo auxilium.

Sed quia neque hoc ipsum, quod debemus, reddere sine novo auxilii divini beneficio possumus: ad te prono vultu, mente supplici, convertimur, ô α, & ω, prime, & novissime; principium, & finis, Deus-homo Christe. *Apud te rerum omnium instabilium stant caussa, & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines: & omnium irrationabilium, & temporalium, sempiternæ vivunt rationes* (Aug. l. 1. Conf. c. 6.) Regantur sapientiâ tuâ irrationabiles motus affectuum meorum. Desinat in te defixa vertibilis mutabilitas mentis meæ. Stet in te, velut in centro suo, immota instabilitas voluntatis meæ. Constanter velim esse, quod nunc volo: semper sim, quod esse debeo. Tuum me fecisti, tuum me fac. Talem me hic annos videst, qualem cupis; talem habeat æternitas. Istiusmodi gratiarum actiones, obsequiorum oblationes, postulata, quotidie seriò iteremus; ita dies, & annos, æternitate beatâ mutabimus.

SECTIO SEPTIMA.

Christus magister.

I. Christus magistri nomen non recusavit.

SUMMA Christi modestia, & humilitas, quæ titulos appellationesque honorificas fermè omnes aspernata est, numquàm tamen *Magistri*, *Præceptoris*, *Rabbi*, *Rabboni* nomen respuit. Rex erat: Rex tamen nominari, nisi forsan in morte, noluit. Pontifex erat; Pontifex tamen numquam dictus est. Bonus erat, etiam quà homo, plenus divinæ bonitatis, uti & gratiæ ac veritatis: ab aliquo tamen compellatus, *Magister bone*, magistri titulum admisit, boni recusavit. Quid, inquit, me dicis bonum? *Nemo bonus, nisi solus Deus.* At nonne, itidem, nemo magister nisi solus Deus? Nonne ipse omnis sapientiæ scaturigo est, quomodò fons universæ bonitatis? Sed, encomii istius recusatione, volebat testificari Christus, quàm sibi præ cæteris placeret adjuncta magistri appellatio.

II. Imò vendicavit tamquam proprium.

Et quidem ita placuit, ut præcipuam sibi ac singularem videatur esse voluisse. Nam Matt. 23. edixit discipulis, *Ne vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus.* Non quòd ab Ecclesia sua omnem prorsus magistri appellationem proscripserit: aut quòd nefas sit, præceptorem ullum, Doctorémve nominari. Peccarent alioqui Academiæ, ubi adeò tituli isti vulgantur. Peccâsset Cyprianus, qui, Tertulliani codicem à famulo postulans, dicere solitus fuit, *Da magistrum.* Peccâsset Paullus, qui de se ipse 1. Tim. 2. ait: *Positus sum ego prædicator & Apostolus; veritatem dico, non mentior; Doctor Gentium in fide, & veritate.* Sed eâ loquendi formulâ indicatum Christus voluit, tam sibi proprium esse Doctoris titulum, quàm Salvatoris. Vênit Christus salvare pereuntes, & docere ignorantes: vênit filius Dei ignem mittere in terram, qui voluntates inflamaret, intelligentias illustraret. Vênit, qualem Deus promiserat c. 30. & 55. Isa. *Doctorem, testem, ducem, præceptorem Gentibus.*

III. Ob quas rationes illi præcipuè conveniat.

Propriè omninò, ac præcipuè, &, quomodò in scholis loqui solemus, antonomasticè doctor est: primùm, quia est Verbum Dei caro factum, Sapientiaque incarnata, unde magisterium omne, & doctrina derivatur; uti à Patre nominatur omnis in cælo, atque in terra, Paternitas. Deinde, quia magistratus ipsius, ac disciplina, homines universos complectitur, quamvis ingenio eminentes, & doctrina eximios: imò & Angelicæ intelligentiæ multa habuêre, quæ per Deum-hominem docerentur: ut videre esset, quemadmodùm ait Salv. l. 1. de Prov. *discentem populum, docentem Deum, mistu penè hominibus & Angelis, unam cæli ac terræ scholam.* Præterea, quia semper magister fuit, ab ipso vitæ ac conceptionis exordio, numquam fuit discipulus: meritoque mirabundi sapientiam Judæi inter se petebant, *Quomodò hic literas scit, cùm non didicerit?* Denique, quia omnes in se absolutissimi magistri conditiones collegit: ut alii sub ipso hypodidascali, *qui ad justitiam erudiunt multos, sint velut stellæ in perpetuas æternitates*; ipse verò, Solis instar, undique radios divinæ disciplinæ evibret, & Universum collustret.

IV. Tres magistri justitiæ qualitates.

Tria perficiendo justitiæ doctori, ac virtutis magistro, necessaria sunt, doctrina, eloquentia, vita: quorum unum si desit, consummatus dici non poterit. *Quippe*, ut Sacchinus noster loquitur lib. 3. vitæ P. Petri Canisii, *sciunt multi, multi dicunt, neutriq faciunt, & peccatum est eo. Faciunt quidam, sed scientia eos aut eloquentia destituit, & damnum est proximus.* Doctrina metallum nummi est, eloquentia figura, vita pondus: *Sicut in numismate*, inquit Isidorus lib. 3. sent. c. 36. *metallum, figura, & pondus inquiritur; ita in omni Doctore Ecclesiastico quid sequatur, quid doceat, quomodò vivat.* Doctrina pugillarium instar est, eloquentia scriptionis, vita sigilli. Doctrina thesaurus est, eloquentia thesaurum recludit, vita dispensat. Eas qualitates in Christo inimici ipsi agnovêre, & laudavêre Matth. c. 22. *Magister*, inquiunt, *scimus, quia verax es*, en doctrinæ fundamentum, in cognitione veritatis: *& viam Dei in veritate doces*, en docendi modum, & eloquendi facultatem: *& non est tibi cura de aliquo*, en voluntatis constantiam, & integritatem vitæ, timori nulli cedentem, judiciorum humanorum respectui nulli obnoxiam. Erat

ergo

ergo in Christo clarissima veritas in cognitione, potentissima veritas in sermone, constantissima veritas in operatione.

V. *In Christo absolutissimæ.* Cognoscebat lucidissima Christi mens res humanas, divinasque, prout erant: adeoque intellectio rebus perfectâ conformatione respondebat. Eloquebatur Christi facundia res, prout erant in mente, & pro audientium captu: adeoque cognitioni sermo exactissimè congruebat. Agebat Christi virtus, prout facundia loquebatur, linguæ consonabat manus; & exemplis documenta signabantur: atque adeò conformis erat sermoni operatio, & tres inter se veritates, numquam interruptâ harmoniâ, consonabant. Quæ licèt Christiano cuilibet certissima, & manifestissima sint: non frustra tamen fuerit paullò latiùs diducere; ut populus Christianus commemorandis Christi laudibus delectetur; & discipuli, recognitâ sæpiùs divini magistri magnitudine, ad obediendum magis ac magis stimulentur: nam obedientia discipuli auctoritas est magistri.

VI. *Quotuplex in Christo scientia.* De scientia Christi loquitur Joannes c. 1. ubi dicit visum esse, & cum hominibus versatum, *plenum gratiæ & veritatis.* De eadem loquitur Paullus ad Col. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ, absconditi.* Istis Scripturæ sententiis explicandis, Theologia quadruplex in Christo scientiæ genus distinguit, Divinam, Beatam, Infusam, Acquisitam. De divina hîc non agimus, quia Christum contemplamur Doctorem nostrum, quà homo est: quà homo autem omniscius esse nequiit, neque universa nôsse Deo cognita; quod quidam, olim à Basileensi Concilio damnatus, opinabatur. Prætereo etiam scientiam beatam, in lumine gloriæ arcana divinitatis intuentem: quia Christus magister hominum fuit, non quà comprehensor, sed quà viator. Neque acquisitam scientiam considero: etsi pro ingenii vivacitate, judicii firmitate, memoriæ tenacitate, tantam fuisse constet, quantam ulli umquam mortales, quantovis studio ac tempore, compararint.

VII. *Qualis, & quanta divinitus infusa.* Sola divinitus infusa scientia, deessent licèt cæteræ, satis erat: ut orbis universi, in quavis rerum supernaturalium naturaliúmve disciplina, in præteritorum ac futurorum juxta & præsentium cognitione, magister diceretur. Talem optabat Socrates in Phædro: ut, citra laborem, ex uno capite in alterum fundi posset rerum intelligentia, quemadmodùm ex alio cyatho in alium liquor. Talem Theodidacti homines miraculo interdum accepêre: in his Salomon, quem nox una Sole sapientiæ implevit. Neque Adamo defuisse credenda est, quando Deus illi animalia stitit, ut videret quæ nomina illis convenirent: cui etiam in sopore suo, & exstasi, Rabbini posteros omnes, eorumque sortes, ac nomina; cælitus ostensa esse, affirmant. *Ecce plusquam Salomon hic*; ecce plusquam Adamus hic; ecce longè plusquam omnes theodidacti hic. Cujus menti tantum sapientiæ Deus infudit; ut nec materni uteri tenebris impedita, nec corpusculi angustiis constricta, nec somni spatio interrupta, nec phantasmatum sensuúmve obsequiis indigens, cognitionis suæ lumen quaquaversum diffunderet, abdita omnia naturæ scrutaretur, quæ supra naturam sunt aperiret, sæculorum lapsu obvoluta detegeret, generalia & communia pervideret, singularia & singulos homines eorumque sortes ac mores prospiceret. *Quomodò*, inquit Aug. l. de agone Christ. c. 20. *anima totum corpus animat, & vivificat: sed in capite & videndo sentit, & audiendo, & odorando, & gustando, & tangendo, in cæteris autem membris tangendo tantùm: & ideò capiti cuncta subjecta sunt ad operandum, illud autem supra collocatum est ad consulendum; quia ipsam animam, quæ consulit corpori, quodammodò personam, sustinet caput ... Sic universo corpori Sanctorum caput Christus ... Et ideò sapientia Dei assumpsit eum multò sublimiùs.*

VIII. *Evangelicæ doctrinæ sanctitas, & sublimitas.* Voluitque, ut, post actam in modesto silentio ætatis partem maximam, scientiæ suæ arcana patefaceret, sanctissimis ad mores, sublimissimis ad intelligentiam, familiarissimis ad captum, potentissimis ad motum documentis. Quid Evangelio sanctius, ubi nihil proscribitur, nisi vitiosum; nihil commendatur, aut præcipitur, nisi honestum, ac perfectum? Procius ut, idololatris ipsis admirationem & amorem Christi impresserit sanctimonia præceptorum; & impuro Mahumeto confessionem veritatis expresserit, quando Evangelium in Alcorano suo nominat amoris legem, ad illud forsan spectans Deut. c. 33. *In manu ejus ignea lex.* Quid Evangelio sublimius, in quo divinitatis secreta, Trinitatis abscondita, æternitatis infinita, *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit?* *Inter omnes*, inquit Aug. l. 1. de cons. Evang. c. 1. *divinas auctoritates, quæ sacris literis continentur, Evangelium meritò excellit*: adeò ut Maldonatus noster, in uno Joannis Evangelio, nova semper sibi in dies occurrere affirmaret; velut in altissimâ, & numquam exhauriendâ, mysteriorum fodinâ. De hoc argumento pluscula vide infrà Exc. ad c. 9. sect. 2.

IX. *Familiaritas item, & efficacia.* Quid Evangelio familiarius, & captui quamvis imbecillorum ingeniorum accommodatius, seu parabolarum expositione, seu sententiarum claritate? Ut in illo quilibet, velut in speculo, sese commodissimè possit intueri, quemadmodùm Bernardus loquitur serm. 1. de septem panibus: *Evangelium speculum veritatis, nemini blanditur, neminem seducit.* Ut ad illud hauriendum cuilibet facilis accessus pateat; velut ad publicum fontem, de ardui montis vertice in aprica vallis amœnæ decurrentem: quomodò Augustinus dicit, ad ista psal. 103. *Inter medium montium pertransibunt aquæ.* Quid Evangelio ad voluntates flectendas potentius, ad componendas affectiones validius, ad persuadendam, quamvis obduratis ad mala, virtutem efficacius? Vide concionantem, sequentes populos, acclamantes turbas, plorantes peccatrices, dimissis retibus occupationum, & disruptis vitiorum laqueis, pœnitentes publicanos, ac peccatores. Nonne ipsi hodie experimur, unicâ Christi sententiâ percuti altiùs mentes nostras, quàm longis oratorum sermonibus? Dicebat Severo Paullinus epist. 1. *Piscatorum prædicationes Tullianis omnibus prætulisti*: nobis piscatorum magister pluris est, quàm quidquid usquam eloquentium fuit: plùs nobis unicus ejus sermo profuit, quàm scripta, dictáve, oratorum & philosophorum universa.

X. *Exempla Christi juncta doctrinæ.* Maximè cùm sermoni junxerit fortissimam exemplorum exhortationem. *Cæpit enim IESUS facere, & docere*: priùs fecit, quàm docuit; pictoris aut scriptoris instar, qui discipulo proponit exemplar, & imitationem illius novis calami, aut penicilli, ductibus corrigit. *Illa enim demum est*, inquit Chrys. l. 4. de sacerd. *consummata docendi ratio, cùm verbo & exemplo alios ad beatam vitam excitamus.* Vis scire, quid Christus egerit? Vide, quid dixerit. Vis scire, quid Christus

 dixerit?

dixerit? Vide, quid agere[?] [illegible] *vita ejus*. ut Bernardus de obitu Humberti loquitur, *erat ſermo ſaltitius*. Quid ſuaſit, quod ipſe non ſit amplexus? Quid diſſuaſit, quod ipſe non fit averſatus? Neque enim de iis erat, qui alligant onera gravia, & digito nolunt movere: nec de iis, qui in multa meſſe operarii non ſunt, ſed rabulæ: nec de iis, qui, Mercuriorum more, viam demonſtrant, non præeunt: nec de iis, qui, cinctuum arcuatorum inſtar, fornicem fulciunt, & deſtituunt.

XI. Ubique diſcipulis propoſita. De Caniſio magnificè dixit Sacchinus lib. 5. vitæ. *Cauſſo ſcientia erat norma vivendi, vita docendi. Non enim præclariùs ſcivit, quàm ſanctiùs vixit; nec dixit majora, quàm fecit.* De Baſilio idem affirmavit Greg. Nanz. in oratione funebri; de Malachia, Bernardus; de Franciſco, Bonaventura, qui libro de ſex alis c. 6. in hanc rem præclarè: *De correctu exemplaribus correcta ſcribuntur, de corruptis corrupta. Tenacius inhæret doctrina operum, quàm verborum. Nam cujus vita deſpicitur, reſtat ut ejus prædicatio contemnatur.* Audiſti Chriſtum prædicantem, legiſti docentem? Specta operantem, cum Auguſtino lib. de vera religione c. 16. *Satellites voluptatum divitias perniciosè populi appetebant: pauper eſſe voluit. Honoribus, & imperiis inhiabant: Rex fieri noluit. Amarè filios ſuos magnum bonum putabant: tale conjugium, proleſmq, contempſit. Contumelias ſuperbiſſimè horrebant: omne genus contumeliarum ſuſtinuit. Injurias intolerabiles eſſe arbitrabantur: quæ major injuria, quam juſtum innocentemq, damnari? Dolores corporis exſecrabantur: flagellatus, atque cruciatus eſt. Mori metuebant: morte mulctatus eſt. Ignominioſiſſimum mortis genus crucem putabant: crucifixus eſt. Omnia, quæ habere cupientes non rectè vivebamus, carendo vilia fecit. Omnia, quæ vitare cupientes, à ſtudio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit.*

XII. Quanti faciendus à nobis tantus doctor! Omitto, quæ in eamdem ſententiam ſuprà retulimus, & in pauca confero, quæ tali magiſtro diſcipuli debemus. Varia Chriſtianorum olim nomina fuêre, Fratres dicebantur, Sancti, Fideles, Credentes, ut eſt apud Baronium an. 43. Sed primam omnium conſtat fuiſſe diſcipulorum appellationem ex cap. 11. Actorum, ubi dicuntur *diſcipuli cœpti Antiochia vocitari Chriſtiani.* Meritò diſcipuli, qui in Eccleſia, velut in Chriſti ſchola, ad omnem virtutem erudiebantur. *Chriſtus eſt, qui docet*, inquit Aug. lib. de diſc. Chriſt. ſub finem, *cathedram in cælo habet... Schola ipſius in terra eſt.. Caput docet membra ſua: lingua loquitur pedibus ſuis.* Audimus Jacobum Patriarcham Melchiſedecho doctore uſum, Ægyptios proceres Joſepho, Moſen ſapientibus Ægyptiis. Saba Regina ad Salomonis ſapientiam de finibus ſuis evocatur. Philoſophi ad Origenem auſcultandum undique advolant. Auguſtinus ab extremis uſque imperii Romani finibus conſulitur. Ex Sicilia virgunculæ ad Platonem, Plato ad Gymnoſophiſtas proficiſcitur. Tantis impendiis & laboribus opus non eſt, ut Chriſtum divinum præceptorem audias: ad aures eſt, in manibus verſatur, in oculos incurrit.

XIII. Quàm amanda, & ſequenda doctrina! Sit etiam in pectore, & in cordis intimo. Ametur ſanctiſſima ejus doctrina, ſuſpiciatur altiſſima, frequentetur familiariſſima, exerceatur efficaciſſima. Perhibent Divo Barnabæ contumulatum fuiſſe, & pectori impoſitum, Evangeli exemplar. De D. Cæcilia, & D. Epiphanio conſimile aliquid narratur: idem fermè de S Theophilo refert Baronius ad an. 301. De Carolo Magno ex hiſtoria Leodienſi, aliiſque, diſcimus; cum fornix ſepulcralis Aquiſgrani, ad annum milleſimum, effoderetur, inventum in ejus manu Evangeliorum codicem, quem ipſe manu ſua aureis literis exarârat, aut correxerat. Evangelium in corde geſtemus, manu præferamus: quod jam annos tot didicimus, diligamus, & operemur. *Sinite me fratres*, inquiebat, teſte Bernardo, D. Malachias, diſſuadentibus ſuis quidpiam honeſti periculoſi, *ſinite me imitari magiſtrum meum: ſine cauſſa enim ſum Chriſtianus, ſi Chriſtum non ſequor.*

SECTIO OCTAVA.

Chriſtus Medicus.

I. Amor transformat voluntatem, & hominem. AMORIS in amante mutando, atque in omnes formas vertendo, miranda vulgò vis eſt. Quamquam uſqueadeo mirari non oportet: cùm voluntas hominem formet, ac reformet; amor voluntatem. Itaque priſci, ut iſtam amoris vim indicarent; fabulas multas commenti ſunt, quas pueri didicimus: & ſimul edocti ſumus, quanti interſit benè amare, quandoquidem brutè amans obbruteſcat, humanè amans homo ſit, divinè amans Deo ſimilis fiat. Non vides picturam Jovis bovis, cygni, auri? effigiem opinionis Apollinis: ancillulæ Veneris: piſcis Atargates: Oſiridis ſcarabæi: Iſidis ruſticanæ: Nanceæ ſimiæ? Iſti miſeri idololatræ confinxêre, ut profani amoris vim, in omnigena formarum varietate inducenda, exprimerent. Tantum poteſt humanorum affectuum craſſiſſimus, & infimus: quantum poterit ſummus, & puriſſimus? Tantum amor potuit; quantum poterit caritas?

II. Caritas hominem efficit omnibus omnia. Potuit Apoſtolum omnibus omnia facere: ut, hominibus ad Deum adducendis, nunc pater eſſet, nunc mater, nunc nutrix; poſſetque aliàs dicere, *Per Evangelium ego vos genui*; aliàs, *Filioli, quos iterum parturio*; aliàs, *lac vobis potum dedi, non eſcam*. Cum Phariſæis Hieroſolymæ Legiſperitum agit: Athenis, inter philoſophos & poëticæ amatores, diſputat, & poëticè loqui non dedignatur: opifices inter profitetur opificem, & arte ſcenofactoriâ duratas manus oſtendit: Græcis Græcanicus, Judæis Hebræus, Romanus Latinis eſt: flet cum flentibus, gaudet cum gaudentibus. Id Paullo fecit caritas: id Matthæo, qui inter Æthiopas cælum, ſolum, linguam, colorem, vitam denique morte mutabat: idem Apoſtolis cæteris, & Apoſtolicæ caritatis ſectatoribus. De noſtris certè, qui ad ſemota Indiarum regna, non aurum ſed animas quæſituri, navigant, accipimus: Paſtores ipſos eſſe, concionatores, agricolas, manſuefaciendis ad ſoli cultum barbaris; fabros lignarios, ac cæmentarios, ſacris ædibus excitandis; ferrarios, conflandis inſtrumentis; chirurgos ac medicos, curandis ægrotis: docente ad omnia, & informante caritate.

III. Chriſtum multiplices transformavit caritas. Præſtiſti ipſa, ô Chriſte, quando, qui in forma Dei eras, formam ſervi induiſti: mox in formâ fabri factus, quando fabri filius videbare, & eras ſubditus illi. Duodennis, inter Doctores egiſti Theologum: annos natus triginta, inter ſcribas egiſti Legiſperitum; inter corporis, & mentis

mentis ægros, medicum. In ſermonibus tuis, ipſe te pinxiſti, modò ut agricolam, qui terræ ſubactæ ſemen committit: modò ut vinitorem, vites plantantem, palmiteſque, & pampinos, diſtringentem: modò ut hortulanum, arbores frugiferas ponentem, ſteriles exſcindentem: modò ut patrem-familias, filios educantem, ſervos conducentem, amicos colligentem. Medicum jam videamus, qualis nobis ſit, quales nos habeat.

IV. Medico neceſſaria multiplex ſcientia.

Medico perficiendo neceſſaria duo, ſcientia, & caritas: illa, ut curare nôrit, ac poſſit; hæc, ut velit. Scientiam multiplicem eſſe oportet, ſubjectorum, morborum, remediorum. Pro ſubjectis, ſeu materiâ medendi, ſunt corpora humana: quibus particulatim inſpiciendis, & pernoſcendis, jam olim operam diu conſumpſit *Herophilus ille*, apud Tertull. l. de anima, *medicus, an lanio, qui ſexcentos exſecuit, ut naturam ſcrutaretur; qui naturam odit, ut noſſet.* Secuti Herophilum deinceps multi, medicinam ſcriptis anatomicis illuſtravêre: quorum poſtremus à ſe fatetur, diſſecta, anthropographiæ concionandæ, cadaverum humanorum facilè millia duo. Si tanta eſt noſcendi corporis, partiumque illius ſingularum, difficultas; major eſt multò ſciendorum morborum, qui ſingulis membris proprii, quive corpori univerſo moleſti ſunt. Nam præter generales hoſce, alii ſunt particulares fermè innumeri: prorſus, ut ſupra ducentos, oculis infeſtos, quidam recenſuerint. Perſpectâ morborum naturâ, cauſſiſque, & effectis, remediorum neceſſaria eſt cognitio: quorum alia ſimplicia, alia compoſita. *Medicorum eſt opus*, inquit Ambr. l. 3. Hexam. *herbarum poteſtates noſcere:* quidni plantarum cæterarum? Quidni metallorum? quidni liquorum? quidni & lapidum? quidni & animalium? Vix enim aliquid eſt in rerum natura tractabile, quod in uſum medicinæ non veniat, nunc ſociatum aliis, nunc impermiſtum: ut vel propterea meritò Hippocrates dixerit, *Ars longa, vita brevis:* vita finienda, infinita remedia.

V. Experientia, conſummatio ſcientiæ medicæ.

Poſteaquam verò medicus vim remediorum calluerit, ultimum ſupereſt ſcientiæ culmen ab experientia. *Medicina* enim, ut Plinius ait, lib. 23. *præcipue efficaciſſimus magiſter uſus:* & Ambroſio præf. ad pſal. 37. *Ipſa eſt prima & valida ſecta medicinæ, quam experientia, non conjectura, formavit.* Ideoque in Academiis plerîſque Experientiſſimorum titulus medicis tribuitur; meliùs longè, quàm in quibuſdam, Excellentiſſimorum. Nam experiendo ſcientia exercetur, & exercendo firmatur: diſciturque, quod in medendo ſummum eſt, temporibus, cælo, regionibus, ætatibus, viribus attemperare remedia. Ne, quod ep. 5. ad Marcellinum de Vindiciano medico refert Auguſtinus, aliis etiam uſu veniat; ut, cùm ægro juſſerint adhiberi, quod tempori congruit, præſenſque eſt, alio tamen tempore eidem morbo adhibitum, nihil efficiat.

VI. Caritas, vel ſimilitudo caritatis medico opus eſt.

Sed fruſtra fuerit experientia, & ſcientia quantalibet, ſi caritas deſit, quæ ſcientiam, quâ maximè oportet, ratione impendat: aut ſaltem ſi ſpes quæſtus non adſit, quæ caritatem imitetur, ſolicito affectu, patientiâ longanimi, ſuavi affabilitate. Eam caritatis ſpeciem in multis effinxit lucri cupiditas: viſique, eo reſpectu, qui ſeſe ad tæterrimas ægrorum ſordes abjecerint: imò nuper apud nos quidam eaſdem ægroto potiones, valens licèt ac vegetus, reluctanti ſtomacho ingerere non recuſavit, quia certus erat præmii juxtà, & faſtidii. Apud Chriſtianos non pauci, ſepoſitâ omni ſpe quæſtûs, ſolâ ſeſe caritate in curandos ægros impendêre: uti *Lucas medicus* Paullo *cariſſimus*, Hermolaüs, Pancratius, Coſmaſque, & Damianus, quorum, ante Leodienſis urbis fundamenta, honor Leodii fundatus eſt.[a]

VII. Chriſtus ſcientiſſimus medicus.

Ex iſtis animo jam præceperis, mi Auditor & Lector, quid de Chriſto, medicorum optimo ac ſcientiſſimo, dicturus ſim. *Ipſe novit figmentum noſtrum*, & corporis lutei infirmitatem, ac corruptionem, quæ aggravat animam, & deprimit ſenſum. Neque extima modò novit, ſed intima omnia: non eſt occultatum ab illo os noſtrum, quod fecit in occulto; *ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Diſſectionibus ipſi opus non fuit, ad perſpiciendas cogitationum & intentionum humanarum fibras: *ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine*. & ſingula mentis arcana diviſerat, *penetrabilior omni gladio ancipiti. Omnia nuda ſunt, & aperta oculis ejus*, ſicut victimæ cadaver exſectum, & eviſceratum, inquit Theodoretus ad eum Paulli locum.

VIII. Novit innumeros animorum morbos.

Et in iſtis animi noſtri, ſi ſic loqui fas eſt, partibus, & membris, innumera novit morborum genera poſſe graſſari. Vexatur memoria per imagines rerum: intellectus per ignorantiam, ſcientiamque ipſam boni & mali, diſſipatur: voluntas perpetuis motibus, velut febrium agitationibus, concutitur. Habet mens repletionum ſuarum onera, habet exinanitionum debilitamenta: exceſſu aliquando laborat, interdum defectu. Nam quomodò ſanitas inter plenum, ac tenue, media eſt: ita virtus, & bona mentis habitudo, medium tenet inter extrema, ſurſ deque vergentia. Religionem inde impietas, hinc ſuperſtitio invadit. Spem hinc præſidentia, inde dejectio, aggreditur. Liberalitatem inde prodigalitas, hinc avaritia laceſſit. Temperantiæ hinc menſarum ſordes, inde conviviorum profuſiones, adverſantur. Quid aliqua vitia recenſeo? Citiùs morbos omnes corporis in genera ſua digeſſerimus, quàm attigerimus partem aliquam vitiorum. *Pravum enim eſt cor hominis, & inſcrutabile*, noviſque in dies mutationibus obnoxium: *quis cognoſcet illud*, ægritudineſque omnes ſcrutabitur, niſi qui fecit, & reficit?

IX. Aptiſſima remedia applicat.

Nam conditor animarum, & cognitor morborum, idem & remediorum præbitor eſt. Simplicibus aliquando medicamentis utitur, aliquando compoſitis. Contrariis interdum curat contraria, interdum ſimilia ſimilibus, qui *mos medicinæ eſt*, ut ait Greg. 24. Mor. c. 2. *Summus unguentarius*, inquit Paullinus ep. 27 ad Victricium, *qui, ad remedia ſalutis noſtræ, conficit varias unguentorum ſalutarium atque virtutum ſuavitates, medicamentum vitæ noſtræ non ſolùm de effuſione ſpiritûs ſui, ſed etiam de aſſumptione corporis noſtri confecit.* Quamcumque demûm medendi formam adhibeat, eam ingeniis, ſtudiis, temporibus ita contemperat, ut effectum ſuum ſortiatur cum obſequio liberæ voluntatis. Unicâ Chriſti voce, laborantes & oneratos ad ſe evocantis, Magdalena convaluiſſe dicitur, moxque ad medici pedes accurriſſe. Vocibus multis, & orationibus opus fuit, ut Auguſtini voluntas ſanaretur. Malè amantes Pelagia, & Thaïs, hæc meliori amore, illa utili timore, curatæ ſunt. Non pridem Franciſcanus ſacerdos, cui per hyemem iter agenti pedes ac tibiæ omnino congelârant, immiſſis illis in frigidiſſimam aquam, revaluit: & nuper

nuper è Societate noſtra quiſpiam febri ardens, pota generoſiſſimi vini ſanitatem recuperavit. Ita Chriſtus calorem libidinis, in iſtarum pectoribus æſtuantem, conſanavit frigore timoris, aut calore caritatis: pigritiæ frigus in aliis curaturus, vel immiſſo metu pœnarum, vel accensâ ſpe præmiorum.

X. *Chriſti erga ægros caritas.*

Caritatem medici illius cæleſtis ſpe lucri nullâ excitatam, ſolo beneficentiæ deſiderio inflamatam, nulli neſciunt, niſi qui ipſum ignorant. Venit ipſe ultrò ad ægrotos: quæſivit, quos ſanaret: circuivit *ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo*, quomodò ait c. 4. Matthæus; *ideirco corporis ægritudines medicatus, ut animis mederetur*, quomodò ibi loquitur Chryſoſtomus. Neque ægros quæſiſſe, & indagâſſe contentus, *ad vulnera noſtra deſcendit*, inquit Ambr. lib. 5. in Lucam, *ut uſu quodam, & copiâ ſua naturæ, comparticipes nos faceret eſſe regni cæleſtis*. Ad vulneratum, & ſemianimem viatorem, viator ipſe advolutus eſt, ut de proximo plagarum ſinus pertentaret, & expurgatos obligaret. Ipſe denique de ſuo medicinam deprompſit, ipſe ſeſe medicamentum fecit, ipſe ſanguinem & corpus ſuum vini & panis colore veſtivit; ut intrò ab ægris, ad morborum omnium curationem, ſumeretur. *Deus*, inquit Aug. ſerm. 13. de ver. Ap. *miſit medicum, miſit Salvatorem, miſit eum qui gratis ſanaret. Parùm eſt qui gratis ſanaret, qui ſanatis etiam mercedem daret. Nihil addi ad iſtam benevolentiam poteſt. Quis eſt, qui dicat; Sanem te, & do tibi mercedem?* Da tamen medicum, qui operam gratis impendat, qui pecuniam de ſuo addat, qui mercedem ægro dependat, qui etiam vitam diſcrimini objiciat, ut ægroto benè ſit: ſed nullum dabis, niſi Chriſtum, qui ægroti ſimul medicamentum ſit, & medicus.

XI. *D. Matthæus æger à Chriſto videtur, viſitur, ſanatur.*

Scientiam & caritatem ipſius in ægroto aliquo inſigni ſpectemus: in Matthæo, publicano antequam medici opem experiretur; Evangeliſtâ, & Apoſtolo, poſtquam ab illo curatus eſt. *Detentiùs ſedebat*, inquit Chryſologus ſerm. 30. *in telonio publicanus ille, quàm paralyticus jacebat in lecto. Nam*, ut idem ait, *divitiæ cupiditates ſic eum alligabant vinculis cautionum, ſacculorum ponderibus ſic premebant, ut levari ad innocentiam, ad juſtitiam ſurgere, ad virtutem progredi non valeret: unde & ſedere ejus, jam erat ſubſidere.* Et ſerm. 29. *Sedebat utique, quia ſtare non poterat, pondere cupiditatis oppreſſus, & totus conſcientiâ fraudis inermis.* Non diſcepto, fueritne D. Matthæus in officio publicani fænerator, ut eâ pleríque ætate: ſatis mihi eſt, eâ cupiditatis inſatiabilis valetudine fuiſſe tentatum, à qua maximum eſſe periculum, fontemque triſtitiæ omnisque perturbationis, Galenus affirmat. *Vidit* illum Chriſtus, *ſedentem in telonio*, eumque videndo pravam ipſi concupiſcentiam oculorum in meliorem mutavit. *Vidit*, inquit Chryſol. ſerm. 30. *illum Deus, ut ille videret Deum: vidit illum Chriſtus, ut ille pecuniæ latebras ampliùs non videret.* Neque illum vidit modò, ſed inviſit, non dedignatus cum peccatoribus & publicanis manducare: *venit ad languentes medicus, ut reficeret conveſcendo defeſſos*, & ſe medicum ſpiritualem diſertis verbis profiteretur.

XII. *Ex ægro fit medicus.*

Deinceps Matthæus ex ægro ſanus, ex ſano medicus, mittitur ad Æthiopas, ut ſanet gentem univerſam. Evangelium ſcribere jubetur, ut verba ipſius medicinam Fidelibus omnibus faciant, &, liber pectori ac cordi applicitus pro amuleto ſit, quod à D. Barnaba factum. Apoſtolum Matthæum Æthiopia medicum cæleſtem experta eſt. Evangeliſtam Matthæum Chriſtianus orbis univerſus medicum divinum experitur. Illic prædicando profuit, ubique ſcribendo. Vox & calamus ſaluberrima fuêre: transfundente vim medicam medicorum principe; qui poſtquam deſiit vivere, numquam mederi deſiit. Sed quamvis Matthæi vox & calamus ſiluiſſent; non tamen ſiluiſſet exemplum. Quis ægrorum deſperet, quando iſte ſanatus eſt? Quis ad iſtas manus non adſpiret, quando tam amantes, & tam potentes, intuetur?

XIII. *Æger ſpiritualis quomodò erga Chriſtum gerere ſe debeat.*

Paucis te alloquor, mi frater: in hoſpitali es, cùm in mundo es: ex letali morbo decumbis, cùm mortale peccatum admiſiſti: commotionem ſanitatis pateris; cùm venialem noxam patrâſſe non pœnitet. Sed ſive morbus eſt, ſive morbi periculum; age, accurre ad medicum, ſcientem omnia, potentem omnia. Quid celas: quid tergiverſaris? *Si vis curam, agnoſce languorem. Si vis miſericordiam, confitere peccata*: ita te Chryſologus monet. Clama quantum licet ex imo pectore, *Sana*, ô Chriſte, *animam meam, quia peccavi tibi*. Agnoſces medicum, ſi te agnoveris ægrotum. Quando ipſius ſcientiæ iſtud dederis, ut morbum non celes: da etiam ipſius caritati, ut fidas amanti, & redames amantem. Sorbe, quod præbet; patere, quod facit: ſint amara medicamenta, an dulcia; ſint aſpera, ſuaviáne remedia, ne dubita quidquid iſtorum eſt, tibi profuturum, ſi tractari te ſinis. Certam habet ſanitatem, quiſquis ægrorum quamlibet talis medici curationem admittit. Poſtquam autem ſanatus fueris, oſculare medici manum, gratam beneficii memoriam ſerva, vitam dona factori, valetudinem conſecra curatori; &, ne rurſus periclitetur, ex illius præceptis vive.

SECTIO NONA.

Chriſtus Pater-familias.

I. *Gratiſſima paſtoris parabola.*

PASTOREM Chriſtum mox dabimus; jam, ſub elegantiſſima paſtoris parabola, patremfamilias. Habet paſtoritiæ vitæ imago, ſeu in ſcenis exhibita, ſeu parabolis ac ſermonibus expoſita, ſeu picturis adumbrata, ſuave præ cæteris quidpiam, & humanæ menti accommodatum. An quia originis noſtræ meminiſſe delectat, & ad primordia converſationis, actioniſque humanæ, cogitatione revolvi? Quicumque enim, & quocumque loco ac gradu ſumus, à ruſticanis parentibus ortum ducimus, quos folia primùm, deinde ovium pelliculæ texêre. An quia opilionum ars innocens eſt, & innoxii prorſus animalis curam exercet? Nihil autem eſt innocentiâ dulcius: quia hominum prorſus nemo noceri ſibi vult, etſi aliis nocere velint non pauci: optamusque ovium inſtar nobis eſſe cæteros, cùm ipſis lupi interdum ſimus.

II. *Paſtores furtivi.*

Sed quacumque demum ex cauſſa, placere tamen experimur paſtoritiæ vitæ imaginem: & in ipſis Chriſti parabolis vix ullam eſſe gratiorem, ne illas quidem, quæ cætera ruſticandi officia, in ſerendo, plantandóve, depingunt. Partes duas habet paſtoris parabola. In priore, quam feſtis Pentecoſtes Eccleſia prælegendam curat, ſpectantur paſtor, ovile, grex, oſtiarius, oſtium, fur, & latro: ad paſtorum Eccleſiaſticorum vocationem, ac miſſionem legitimam, pertinentia.

Qui

Qui enim ritè, & ordine ad magiſtratus ſacros, prælaturásve non evehuntur, ſed artibus pecuniariis ſordidisve aliis, ii non intrant per oſtium, ſed per parietem effoſſum invadunt. Talem ſe apud Spondanum an. 1376. profeſſus, inſigni pœnitentiæ & humilitatis documento, Jaroſlaüs Gneſnenſis in Polonia Archiepiſcopus; qui, poſt adminiſtratam laudabiliter Eccleſiam, centenarius ſenex, paullò ante mortem juſſit, cadaver ſuum in baſilicam ſepeliendum inferri, non per oſtium, ſed per parietem pertuſum, quòd ſe Archiepiſcopum viâ, & ratione legitimâ, factum non eſſe dicéret.

III.
Boni paſtoris officium.

Alterâ parabolæ parte, quam Dominicâ ſecundâ poſt Paſcha prælegimus, prodeunt paſtor, mercenarius, lupus, oves cum ovili. Commodiſſimè opponuntur paſtori mercenarius, ac lupus: ut eò meliùs, ex contrariorum oppoſitione, eluceſcat boni patris-familias officium. Mercenarius omiſſione peccat, lupus commiſſione: hic diſpergit oves, & rapit; ille deſerit, & fugit. Pater-familias ovibus ſuis nec pereundi cauſſa eſt, neque occaſio: neque illis in commodum ſuum abutitur, neque illas ſine auxilio perituras deſtituit, quia eas novit. De ſe Chriſtus aiebat, *Cognoſco oves meas:* quiſquis idem de ſe verè pronuntiârit, totum expleverit boni patris-familias officium.

IV.
Quomodò oves debeat cognoſcere.

Triplex haberi poteſt de ovibus cognitio. Prima eſt theorica ſolùm, ac merè ſpeculativa, nihilque ad regendum paſcendúmve gregem, attinens: tamquam, ſcire, cur olim oves præ cæteris animalibus Dei juſſu ad ſacrificia adhibitæ. Altera cognitio eſt practica, refertúrque ad agendum, &, quidquid benè regendo gregi neceſſe eſt, complectitur. *Diligenter*, inquit Sapiens, Prov. 27. *agnoſce vultum pecoris tui*; & ex vultu diſpice, quâ ſit habitudine, quibus paſcuis egeat, quæ medicamenta poſtulet. Accedat iſti cognitioni tertia, quam affectivam nominare poſſumus: ut opilio, quod gregi neceſſarium novit, aut utile, mox prono affectu adhibere conetur. *Novit*, inquit idem Sapiens Prov. 12. *juſtus jumentorum ſuorum animas: viſcera autem impiorum crudelia.* Sic juſtus fuit Jacob Gen. 31. nocte ac die ovibus gubernandis intentus: & David 1. Reg. 17. pro tuendo grege, urſis leonibusque congreſſus.

V.
Ars regendorum hominum difficillima.

Compendio retulimus quidquid patri-familias perficiendo exigitur. Speculativam cognitionem neceſſe non eſt, ut habeat. Quid enim matris ſeptem Martyrum, ſupra modum mirabilis, intererat ad familiæ gubernationem, didiciſſe, qualiter filii in utero ſuo apparuiſſent? Nôrit ergo ſuos pater-familias practicè; nôrit affectivè. Gubernandorum hominum rationem ſciat, artem omnium difficillimam. Facilius enim fuerit Sapienti, Prov. 30. nôſſe *viam aquilæ in cælo*, nubes ſecantis; *aut viam ſerpentis, ſupra petram* ſinuoſos flexus trahentis; *aut viam navis, in medio mari* fluctuantis: quàm *viam viri*, non in *adoleſcentia* modò, ſed in quavis ætate. Eſt homini mens ſublimis, & ardua, ſupra volatus, & giros aquilarum: eademque inſtabilis, ac varia, nunc ſublimè pendens, nunc deorſum ad prædæ illectamenta præcipitans. Eſt appetitus, & concupiſcentia, reptilis; innumeriſque, & in ſe replicatis flexibus, ad deſideria fruenda excurrens. Eſt imaginatio, ventorum omnium impulſibus vertibilis, & inter ſenſuum undas, æſtuſque reciprocos, fluctuabunda. Itaque meritò Naz. orat. 1. apol. dixit, *cùm difficile ſit parêre, multò difficilius eſt hominibus imperare:* quorum ingenium aquilâ mobilius eſt, ſerpente tortuoſius, nave agitatius, *πολυτροπώτατον τῶν ζώων καὶ ποικιλώτατον, animalium omnium maximè varium, ac multiforme.*

VI.
Diſci debet in amoris ſchola.

Vis tamen artem iſtam, quam ægrè longa experientia doceat, compendio didiciſſe? Vade ad ſcholam amoris: habe cognitionem affectivam, habebis practicam. Benè homines reget, qui benè amabit. Bonus paſtor præit oves interdum, aliàs ſequitur; modò canum, modò latratu colligit; nunc ad læta paſcua ſibilo vocat, nunc pedo à noxiis abſterret: iſthæc omnia facit, quia gregem amat. Eumdem in modum paſtor hominum nunc lenitatem regendo adhibeat, nunc ſeveritatem: ſed ſive hac, ſive illa utatur, amore utramque temperet, referatque ad bonum ſubditorum, quos ad virtutem trahere debet in funiculis Adam, & à vitiis retrahere in vinculis caritatis.

VII.
Fugiendus amor nimis remiſſus, ac mollis.

Amabat Ammonem David, ſed malè, quando *noluit contriſtare ſpiritum* ejus. Amabat itidem malè liberos Pontifex Heli, quia non reprehendit eos aliquando; aut ita molliter reprehendit, ut probanti fermè videretur, quam improbanti, ſimilior. Quare ab illorum exemplo ſapienter monuit Auguſtinus, in pſ. 50. *Valdè inutiliter ſentiet filius patris lenitatem, ut poſteà Dei ſentiat ſeveritatem.* Molles iſtiuſmodi, ac remiſſi paſtores meritò ad mercenarios aggregentur, qui curam ovium lupo veniente deſerunt. Neque enim idcircò mercenarius vitupério dignus eſt, quia ejus non ſunt oves propriæ: cùm nec Jacob oves proprias paverit, ſed ſoceri; nec David ſuas, ſed patris; nec Petrus ſuas, ſed Chriſti, à quo audivit *Paſce oves meas*, non tuas. Neque ideò mercenarius damnatur, quia fugit: cùm Chriſtus ipſe fugiendum aliquando *de civitate in civitatem* docuerit; &, ex eo documento, Sanctorum multi, ac magni, perſequentium ſeſe furori ſubduxerint; & damnata ſit Tertulliani durities, auſi contra id exemplum ſcribere.

VIII.
Qui paſtores mercenarius ſimiles, & idolis?

Proprium itaque mercenarii indicium, ac vitium eſt; quòd lupo veniente dimittit oves, *quia non pertinet ad eum de ovibus*, & periculo ſuo, aut damno, illis cavere non vult. Eumdem in modum flaccidus ille, & nimiùm indulgens, pater-familias irruenti in ſubditos pravæ conſuetudini non occurrit; quia ipſos non audet offendere, & plùs quieti ſuæ ſtudet, quàm illorum ſaluti: atque adeò ſic ſe gerit, quaſi non pertineret ad eum de ovibus. Cui, vaſa paſtoris ſtulti aſſumenti, ſuum illud Zacharias propheta, ex cap. 11. objiciat, *O paſtor, & idolum, derelinquens gregem.* Verè idolum, qui os habet, & non loquitur, quando errantes corripiendi ſunt: qui oculos habet, &, quando ipſo ſpectante flagitioſa patrantur, ſic ſe habet quaſi non cerneret: qui aures habet, audire tamen non videtur, quando ſubditorum ipſi peccata narrantur: qui manus habet, & animadverſione, ac caſtigatione dignos, non percutit: qui pedes habet, & non ambulat, ad viſitandum inſpiciendumque gregem: qui non clamat in gutture ſuo, ſed glutit & vorat, eſtque ex illorum numero, quibus occinebat Ezechiel cap. 34. *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos.*

IX.
Quinam lupis comparandi?

Mercenariis ergo ſimiles illi ſunt, qui defectu debitæ ſeveritatis peccant: qui tamen lenitatis ac clementiæ prorſùs obliti in contrarium currunt, ii lupis

ii lupis meritò comparentur. Lupus enim animal est cani simile, cujus etiam vocem aliquando effingit: ita feri isti & inhumani pastores prudentibus monitoribus, aut correctoribus, similes videri volunt. Sed, quemodò *lupus visu oves terret*, incursu *dispergit*, aviditate *rapit*: ita isti subditos exagitant, conturbant, & dissipant. Videas pusillanimes, mæstos, trementes, ad omnia pavidos, nihil audentes, velut imminente in momenta singula tempestate. *Vigilant, & latrant*, inquit Aug. ep. 69. *boni canes*, id est sapientes monitores, *& pro domo, & pro domino; & pro grege, & pro pastore*: nec advigilant ovibus solùm, & allatrant; sed eas interdum leniter admordent, ut in gregem cogant. Vigilantium instar sunt, ac latrantium, lupini ac ferini pastores: mordent interim, altéque dentes infigunt, & sanguinem viscesque omnes ovium exsugunt. *Principes ejus*, inquit Sophonias c. 3. *quasi leones rugientes: judices ejus lupi vespere, non relinquebant in manè.*

X. Christus boni pastoris exemplar.

Tenendum bono pastori medium iter est: ut neque ad dexteram deflectat nimiæ lenitatis, neque in sinistram transiliat immodicæ severitatis. Præivit exemplo Christus, *Pastor bonus*: à D. Petro 1. c. 5. nominatus *princeps pastorum*: à D. Paulo Hebr. 13. *magnus ovium pastor*. Qui apud Joan. c. 21. postquam Petrum Præpositorem suum, vicariæque in gregem suum curæ administratorem dixit verbis istis, *Pasce agnos meos, Pasce oves meas*: mox subjecit, *Sequere me*. *Simul*, inquit Theophylactus, *cunctorum Fidelium Prælatum instituit; simul voluit, ut se verbis, & operibus, sequeretur*: dedit regendorum hominum curam, & præbuit formam.

XI. Cognitio ipsius practica in regendo.

Dicebamus, practicam cognitionem pastori necessariam esse. Illam in Christo inspice. Qui cùm à primo vitæ momento plenus esset gratiæ, & veritatis: crescere tamen externâ specie voluit; ut, quam scientiâ nôrat subditorum sortem, experientiâ disceret. Qui discipulos antè vidit, quàm vocavit, & adscivit in suos: quia pervideri, quantum potest, & pernosci à superioribus subditos, antequam illis imperetur, oportet. Qui adlectis in familiam suam discipulis onera pro viribus, occupationes pro ingenio, dignitates pro animi præparatione partitus est, & divisit unicuique talenta secundùm propriam virtutem. Qui rebus agendis ita consilium adhibuit, ut ne ipsas quidem discipulorum suorum sententias dedignaria sit exquirere, *admirabilis Consiliarius, & magni consilii Angelus.*

XII. Cognitio affectiva erga suos.

Pater idem *futuri sæculi*, summâ erga suos & constantissimâ caritate: quam expertus Joannes dicebat c. 13. dilectos ab illo *suos usque in finem*. Quid enim excelsius, quàm quod ipsimet discipulis affirmavit, *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos?* Quid benigniùs, quàm quod discipulis fecit, cùm misit aquam in pelvim, & lavit pedes illorum; ut lavacro sanguinis, pro stridit profundendi, præluderet? Quid majus, quàm quod moriturus noluit perdere ex suis quemquam, &, ne perderet, mori voluit? Congerantur licèt alia quæcumque ardentissimi in illo erga suos amoris indicia: quòd omnia, quæ audivit à Patre, nota illis fecerit, & secreta cælestia communicârit: quòd pares sibi fecerit, *Ubi sum ego, illic erit & minister meus*: quòd quasi alterum se haberi voluerit, *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*: quòd Patrem pro illis impensè & continenter, etiam inter imminentis mortis angustias, oraverit, ne deficeret fides eorum; quòd assiduâ curâ, quidquid ipsis necessarium erat, providerit, ut ipsimet fassi fuerint, nihil sibi defuisse, quando missi sunt sine sacculo & pera. Unum præ omnibus consumantissimæ caritatis signum est, sanguinem suis & vitam impendisse. Pavit oves suas bonus pastor, duxit, reduxit, defendit, curavit: sed numquam manifestiùs, quantum amaret, testatus est, quàm dando pro illis animam suam.

XIII. Lenitas in regendo adhibita in tempore.

Quid jam mirum, si tam incensa caritas, procurando subditorum bono, sapiens lenitatis ac severitatis temperamentum miscuit; ut Samaritanus, viatori sanando, vinum & oleum? Unicus demonstrandæ lenitati Judas Iscariotes sufficiat. Accumbenti apud Simonem Leprosum Domino caput irrigârat Magdalena, unguenti pretiosi profusione. Judas de tam benefica largitate indignatus, iræque continendæ impotens, alios etiam ad murmurandum concitavit: quamquam ille ex avaritia, & rapacitate, hi ex pauperum curâ murmurârunt, ut Augustinus observavit lib. 2. de cons. Evang. c. 69. Audiebat Christus murmura, caussam intuebatur: nihil tamen Judæ acerbum dixit, generatimque placidis verbis omnes monuit; ut unus se potissimùm corripi intelligeret, eoque se promiùs corrigeret, quò amantiùs monebatur. In ultima cœna *pessorum exitia*, ut August. loquitur tract. 55. in Joan. *præmisit obsequia*; pedes proditoris extersit, ut animi eluendi memorem faceret: assidenti panem præbuit, ut consilia sua patere intelligeret: proditionem accumbentibus enuntiavit, noluit tamen nominare proditorem, ne detecti palam facinoris pudor iram potiùs, quàm pœnitentiam, excitaret: silenti & indurato extremam prædixit perniciem, & *væ* horrendum, tacito adhuc ejus nomine, intentavit; ut intelligeretur, quantum ipsius saluti consultum vellet, qui sic honori ac famæ parceret. Denique in horto manifestum proditorem amici tamen nomine dignatur, osculo salutat, blandâ interrogatione monet, ut sui meminerit; supremumque impendit, quamvis ad pereundum obstinato, suavissimæ benignitatis officium.

XIV. Item tempestiva severitas.

Contrà, Christus in Petro, quem tamen Ecclesiæ suæ petram destinârat, statuit paternæ severitatis exempla: quis sic ejus esse ingenium nôrat, ut corrigendo durior interdum increpatio desideraretur. Aspera certè ista fuerunt, Mat. c. 16. *Vade post me, Satana, scandalum mihi es: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* In supremo accubitu, quando honori ac nomini proditoris pepercit, Petro tamen nominatim abnegationem tertiò repetendam denuntiavit: ac deinde, inter satellitum illudentium manus, adspectu ipsum percussit, ut denuntiationis meminisset. Post resurrectionem, curâ ovium illi demandatâ, & de condiscipuli sorte curiosiùs sciscitanti, severè & cum exprobationis nota dixit, *Quid ad te? Tu me sequere.* Deinceps, quando ascensurus ad Patrem *recumbentibus undecim exprobravit incredulitatem, & duritiam cordis*, Petrum in illis unum adspiciebat, & primum. *Audis*, inquit Bern. serm. 1. de Asc. *Christum discipulos increpantem; imò, quod durius est, etiam exprobrantem? Nec quandocumque, sed eâ horâ, quâ eis corporalem præsentiam subtracturus, videri poterat magis ab increpatione parcere debuisse.* Tanti erat docere, nihil à Pastoribus in grege prætermitti debere incorrectum: &, quovis

etiam

etiam tempore, ubi postulat emendationis necessitas, increpatione, imò & exprobratione, utendum.

XV. *Quale debeat esse boni Pastoris regimen?*

Voluit omninò Christus Propastorum suorum gubernationi plus suavitatis multò esse, quàm asperitatis; ut decet ἐπιεικεστάτην ποιμαντικήν, *benignissimam pastoritiam*, quomodò Dionysius loquitur ep. 8. Et verò satis de se acerbum est homini libero alterius hominis imperium: neque aliunde quidquam isti jugo acerbitatis addendum est, ex aspera imperandi ratione. *Nullum enim animal morosius est* homine, ut inquiebat Sen. l. 1. de Clem. *nullum majore arte tractandum*; cavendumque, ne, si nimis urgeatur, frænos abrumpat, seque cum sessore præcipitet. Ita tamen moderanda est lenitas, & prudenti ac tempestivâ severitate condiri debet; ut remissioni, quàm clementiæ, propior non sit. Verbis id D. Gregorii audiamus Past. p. 1. c. 6. *Miscenda est lenitas cum severitate; faciendum quoddam temperamentum ex utroque: ut neque multâ asperitate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate solvantur... Sit itaque amor, sed non emolliens; sit vigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderatè sæviens; sit pietas, sed non plùs, quàm expediat, parcens.* Misturam illam in Timotheo suo, ac Tito, D. Paullus exigebat; quando illum hortatus est, ut argueret, increparet, obsecraret, *cum omni patientia*, seu, ut Græcè est, μακροθυμίᾳ *longanimitate*: hunc autem monuit, ut loqueretur, & argueret, *cum omni imperio*. Quid est, inquit Greg. Past. p. 3. Adm. 7. quòd, *non diversâ caritate prælatis, diversa tamen adjutoria prædicationis impendat? Quid est, quòd doctrinam suam tantâ arte dispensat, ut, in hac exhibenda, alteri imperium, atque alteri patientiam, proponat? Nisi quòd mansuetioris spiritûs Titum, & paullo ferventioris vidit esse Timotheum. Illum per æmulationis studium inflamat; hunc per lenitatem patientiæ temperat. Illi, quod deest, jungit: huic, quod superest, detrahit.*

XVI. *Ars gubernandi ad patres-familias pertinet.*

Quibus verò ista scribimus, & dicimus? Regibúsne, ac Principibus, quos sacra omnis, ac profana antiquitas, Pastores populorum appellavit: quibus suum illud, *Væ pastoribus Israël* &c. Ezechiel interminatus est? Episcopisne ac Pontificibus, quibus dictum ab Apostolo, *Pascite, qui in vobis est, gregem Christi?* Illis certè, si nostra legere, vel audire dignabuntur, & scribimus, & loquimur. Sed vobis etiam patres-familias, in quamvis pusillo grege, in quantulocumque domicilio, aut gurgustiolo, præcepta dictamus, vel potiùs ab aliis dictata proponimus. Neque enim quinqueremibus tantùm regendis ars, & industriâ, opus est: sed celocibus etiam, & scaphis. Nec numerosi tantùm greges; quales Abrahamo & Jobo fuêre, pascendi sunt: sed etiam exigui pauperculorum rusticanorum greguli. Imò, si Augustinum audimus, paterfamilias nullus est, cui Episcopale munus non incumbat. *Episcopus*, inquit serm. ult. de San. *inde appellatus est, quia superintendit, quia intendendo curat. Unusquisque ergo in domo sua, si caput est domui suæ, debet ad eum pertinere Episcopatûs officium, quomodò sui credant*, &c.

XVII. *Quomodò autem illam erga suos debeat exercere?*

Ergo, quisquis es pater-familias, pastoralem curam exerce, cognosce oves tuas. Da operam, ut filiorum tuorum, subditorum tuorum, ingenia, mores, propensiones noveris: ut exinde aptes consilia, nocitura submoveas, profutura proponas. Cave, quod quidam non pastores, sed mercenarii, faciunt; ut liberorum salutem præ familiæ splendore obliti, eos ad vitæ genus, incongruum indoli, moribus alienum, inquietudinis perpetuæ caussas ministraturum, forsan & sempiterni exitii occasiones daturum, impellant. Mercenarios illos pastores vocavi: lupi sunt, dispergunt, rapiunt, aut dispergendas ac rapiendas oves præbent. Tu sapientior esto: &, ut sapientior sis, esto amantior. Ovium tuarum saluti nihil præpone, nisi salutem tuam. Vitam ipsam illi oppignerare, & prodigere, ne dubita: nedum divitias, nedum familiæ splendorem. Præi exemplo ad virtutem, ne ad vitia euntem grex sequatur. Frustra cancer olim natos suos dicitur monuisse, ne retrogradi reperent, quando ipse retrorsùm ferebatur. Frustra parens liberos ad honestum verbis advocet, si avocet exemplis. Dic ergo, & fac; ut dicentem audiant, sequantur facientem. Insta, increpa, obsecra, argue, *cum omni patientia* quando expediet; & *cum omni imperio*, quando spes profectûs, & ratio temporis, atque ingenii, postulabit. Monuit te Sapiens Eccl. 4. ut nolis *esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi.* Monuit te Propheta, ut non sis in domo tua *pastor, & idolum*; sic videns, & audiens, quasi non sentias; sic palpans, quasi ferire non audeas. Sed sive tempestivâ lenitate utaris, seu opportunâ severitate: sic puni, sic blandire, ut tui intelligant, aut intelligere queant, te semper uti caritate.

SECTIO DECIMA.

Christus bonus Pastor.

I. *Providentia Dei erga Israëliticum populum.*

Mira omninò fuit erga Israëliticum populum, rebellem quamvis & intractabilem, Providentia summi Pastoris, nunc amore illum trahentis, nunc terrore compellentis ad officium. Expressit Deus ipse utramque suam regendi rationem, Zachariæ cap. 11. hisce verbis: *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi decorem, & aliam vocavi funiculum, & pavi gregem meum*: nunc blandam adhibui, nunc severam gubernationem, pro rerum exigentia. Idem virgæ, Mosaica, & Aaronica, significavêre: nam diversas fuisse colligitur ex Epiphanio l. 1. con. 9. sec. Samarit. Aaronis virga florida Num. 17. exhibet beneficæ, ac suavis gubernationis florem. Mosis virga Exo. 4. in serpentem versa, Ægyptiis, ipsisque adeo Israëlitis terrifica, durum ac severum imperium exprimit.

II. *Quàm amans, & benefica?*

Vulgò dicimus, datam à Mose Israëlitico populo legem timoris: timore plerumque, ac formidabilibus portentis, Deum illi gubernando uti solitum. Prorsùs, ut eam ob rem Manichæi sibi insanè finxerint, alium fuisse veteris Testamenti Deum, alium novi. Quid autem si dixero, legem Mosaicam amoris legem fuisse: & Deum moribus suis, id est beneficentiâ, & affectu, in Israëlitas dominatum? Dicat ipse potiùs. Exodi cap. 4. populum istum filium appellat, *Filius meus primogenitus Israël*: Psal. 44. filiam, *Audi filia, & vide*: Cant. 5 sororem, *Aperi mihi, soror mea.* Nunc pro patre se gerit, nunc pro matre, nunc pro nutritio, nunc pro gerulo: 2. Reg. 7. *Ego ero ei in patrem*: Is. 66. *Quomodò si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos*: Osee 11. *Ego quasi nutritius Ephraim*: Is. 66. *Ad*

ubera portabimini, & super genua blandientur vobis. Fert illum, ut rem pretiosissimam, in manibus; ut necessariam sarcinam, in humeris; ut ornamentum, in capite; ut delitias, in oculis; ut amorem, in pectore: Isa. 49. *Ecce in manibus meis descripsi te*: Deut. 32. *Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis*: Is. 62. *Eris corona gloriæ, & diadema regni*: Deut. 32. *Circumduxit illum, & docuit, & custodivit quasi pupillam oculi sui*: Ex. 28. jubetur Pontifex in rationali ponere singularum tribuum nomina, ut indicetur pectori divino inscripta esse.

III. Quantò magis amet Christianos?

Cùm autem Deus tam benignè, & propensè, se gesserit erga miserandas fæces Israel, sterquilinio denique, & cloacis, destinatas: quantum curæ, & amoris, impendet Ecclesiæ suæ, cum qua manebit usque ad consummationem sæculi? Nonne Ecclesiæ liberos pro filiis habebit, & fratribus; eritque nobis pro patre, matre, nutritio, gerulo: quos in manibus, lato vulnere perfossis, descripsit; in humeris cum cruce portavit; capiti, cum spinis, infixit; in oculis, sanguine & fletu natantibus, tulit; in imo pectoris incisi sinu collocavit? Sufficiat modò, ad singularem Dei de Ecclesia sua, ejusque filiis, curam, ac paternam solicitudinem demonstrandam, titulus ille suavitatis plenus, quem sibi Salvator ipse tribuit, *Ego sum Pastor bonus*, ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, quemque Ecclesia commemorat Dominicâ proximè sequente Resurrectionis annuam memoriam.

IV. Titulus Pastoris boni convenit Christo resurgenti.

Athenæus de Evalo quodam, militiæ præfecto, narrat: ad virginis naufragantis salutem in mare desiluisse: diu cum illa sub fluctibus latuisse; emersisse denique, & evasisse cum eadem ad litus, ibique spectatoribus ostendisse, quem simul è mari extulerat, scyphum, aut pocillum aureum, literis undecim in labri ambitu inscriptum, Διὸς σωτῆρος, Jovis salvatoris. Fabulosam, per me licet, eam narrationem existimes: at non absona naturæ humanæ, & Christi, imago est: Mergebatur hominum progenies universa mari miseriarum, dixisseque cum Jona poterat, *Abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum, terræ vectes concluserunt me*: & cum Psalte, *Intraverunt aquæ usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi*. Vidit Christus, & miseratus naufragantem in easdem sese miserias immisit, *pro similitudine absque peccato*: &, post aliquem in undis vitæ hujus natatum, haustus est fluctibus per mortem, triduoque latuit: sed mox emergentem vidimus, secumque salutis nostræ symbola efferentem, in florido & aureo corpore, cum perpetuo elogio Χριστοῦ σωτῆρος *Christi Salvatoris*: & cum hodierno, undecim in utraque lingua literarum, *Pastor bonus*. Cur Pastor Christus? Quomodò bonus? Quales nos oves esse oportet?

V. Est Pastor, quia Rex & Pontifex.

Ut Christum probemus meritò dici Pastorem, necesse non est ad Regis titulum recurrere: etsi Christus Rex est, &, Reges esse pastores subditorum, non ex poetis solùm discimus, appellantibus ποιμένας λαῶν, sed ex Prophetis, nominatim ex Ezechiele cap. 34. ubi invehitur in *pastores Israël, qui pascebant semetipsos*. Neque opus est Pontificis titulum adducere: quamquam Christus Pontifex est in æternum, & Pontifices sunt populorum pastores: *Pascite, qui in vobis est, gregem Christi*: *Pasce oves meas*. Nec longè ab initio sæculorum figuras Christi arcessamus oportet, quorum maxima pars pastoritiam vitam coluêre: *Adam exemplum ab adolescentia mea*: Abel obtulit de primogenitis gregis: Abraham, Isaac, Jacob, & filii, *pastores ovium* fuerunt, *uti & patres* ipsorum: Moses *pascebat oves Iethro soceri sui*: Deus *depost fœtantes accepit Davidem, pascere Iacob servum suum*.

VI. Habitu Pastoris pingitur a Prophetis.

Certiora longè testimonia ex Prophetis adduci possunt, qui uno sermè ore singuli Messiam habitu pastoris pinxêre. Expressissimè omnium duo, David, & Isaias. Ille ps. 22. pascua, aquas, gubernationem, virgam, baculum commemorat; ut videatur eclogam bucolicam, aut opilionis, Christo venturo præcinere voluisse. Hic cap. 40. post inclamatum populo Hierosolymitano solatium, & prædicatam præparationem viarum Domini; *sicut pastor*, inquit, *gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo fœtas ipse portabit*.

VII. Christus disertè pastorem se nominat.

Sed quid egemus testibus? Ipsi enim audivimus ex ore ejus. Ego, inquit, *sum pastor bonus*, idque bis térve repetit: ut nunquam ullum sibi titulum denotatiùs tribuisse, in Evangeliis, reperiamus. Messiam, & Regem ab aliis sese vocari probavit, illo suo verbo, *Tu dicis*. Magistrum, & Dominum, semel omnino se apertè nominavit, lotis Apostolorum pedibus. At Pastorem disertè, & palàm, nec vice simplici, professus est, quasi carior ipsi titulus nullus esset, quomodò vix nobis ullus suavior: ideoque olim in ipsis exprimi solitus calicibus sacris, impressâ Christi effigie, pastoris habitu ovem gestantis, ut refert Tertullianus lib. de Pudicitia.

VIII. Pastoris titulus gratior Agni nomine.

Præcursor Christi Agnum ipsum appellavit: eaque appellatio Ecclesiæ universæ adeò placuit, ut Agni effigies passim picta occurrat, & à singulis sermè Christianis pectori appressa gestetur. Sed si inter Agni titulum, & Pastoris elogium, comparatio fiat; hoc illi prætulerim. In illo enim suavitas tantùm, & mansuetudo Christi significata delectat. In hoc memoratur, & amatur, Pastoris mansueta benignitas; &, quæ Agni nomine non exprimitur, cura benefica, providaque solicitudo. Est enim non Pastor modò, sed & Pastor bonus.

IX. Bonus Pastor Christus oves cognoscit.

Bonitatis suæ, ac curæ, indicia tria Christus in Evangelio hodierno paucis verbis exposuit: *Cognosco oves meas*: *Oves oportet me adducere*: *Animam meam pono pro ovibus*. Cognoscit oves, non ex voce tantùm, aut ex lineamentis, aut ex notis appictis, quemadmodùm vulgò opiliones solent: sed intimè, & ad minimarum usque fibrarum, id est cogitationum, & necessitatis radices. Novit non intellectu tantùm, sed affectu: quomodò pater filium Prodigum, quamvis squalidum & emaciatum: quomodò mater filiam, febri decolorem, pustulis deformatam, nec pristinæ pulcritudinis quidquam, aut lineamentorum paternorum, retinentem. Ita Christus novit, & amat, oviculas suas, quamvis macie confectas, quamvis fugitivas, quamvis *alias, quæ non sunt de hoc ovili*. *Et illas*, inquit, *oportet me adducere*. Cur autem *oportet*, ô Christe? An quia illarum possessione ditior eris, lætiórve, aut honoratior? Sola tua cognitio, & benignitas, eam tibi necessitatem imposuit, & istud *oportet* amori tuo præscripsit.

X. Ducit officio multiplici.

Adducendi officium multiplex est, & varia complectitur, quæ tum hìc, tum in aliis Evangelii locis, Christus exposuit. Primùm *ante eas vadit*, more Orientalibus maximè consueto præit ovibus opilio: præivit nobis Pastor bonus, *ut sequamur vestigia ejus*: nusquam ibimus ad

semitas

ſemitas virtutum quò ipſe non præceſſerit, ad humilitatis convalles, ad ardua patientiæ, ad manſuetudinis plana, ad dumoſa & ſenticoſa obedientiæ. Opilio præterea *proprias oves vocat nominatim*, non ſibilo tantùm communi, pedi jactu, canis latratu vel morſu, viridiſve rami illiciis: ſed etiam ſingulari aliquo vocabulo, vel accentu, cui aſſueverint. Chriſtus *oves* ſuas *vocat*, nunc communi voce naturæ, nunc proſperitatis ramo, nunc adverſitatis pedo, nunc monitorum hortatu, nunc conſcientiæ morſu: *nominatim* frequentiſſimè compellat illuſtrationibus intellectûs, voluntatis inſpirationibus. Opilio de paſcuis ſatagit: qui Chriſtum paſtorem ſequetur, cæleſtia *paſcua inveniet*; in myſteriis fidei, in excelſis montibus divinitatis, in valle humanitatis Chriſti, in planis Evangelicæ doctrinæ, in epulo Euchariſtico, ubi *proprio oves alit cruore* Paſtor amantiſſimus gregis.

Divina cujus caritas
Sacrum propinat ſanguinem,
Almaq; membra corporis
Amor ſacerdos immolat.

Denique opilio oves perditas requirit: Paſtor noſter venit quærere, & ſalvum facere, quod perierat; hic ejus labor fuit à primo vitæ momento, quando *Palam factus paſtoribus Paſtor, creator omnium*; nec deſiit labor, niſi cùm vita in Cruce deſiit, & bonus Paſtor animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, pretioſiſſimam pro vilibus, curâ tamen & amore numquam deſituro.

XI. Gratitudo noſtra erga bonum paſtorem.

Tali Paſtore, quales nos oves erimus, quid tantæ benignitati rependemus? Proponebat iſtud Severo Paulinus epiſt. 4. *Quid ergo illi pro malis meis, quæ pertulit; quid illi pro bonis ſuis, quæ contulit, referam? Quid pro ſuſcepta carne, quid pro alapis, pro opprobriis, quid pro flagellis, pro cruce, obitu, ſepulturâ rependam? Eſto, reddamus crucem pro cruce, funus pro funere: numquid poterimus reddere, quod ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo habemus omnia, & ipſi qui habemus ſumus? Ipſe enim fecit nos, & non ipſi nos, & anima noſtra ſemper in manibus ejus. Reddamus ergo amorem pro debito, caritatem pro munere, gratiam pro pecunia. Væ enim nobis, niſi dilexerimus.*

XII. Cognoſcamus, ut cognoſcimur.

Sed ut in Chriſti ſimilitudine maneamus; ad teſtandam ac probandam bono Paſtori gratitudinem noſtram, demus etiam operam, ut ſimus bonæ oves. Cognoſcit nos: agnoſcamus eum, non fide ſolùm, ſed fiduciâ, & caritate. Sciamus nos eſſe *oves paſcuæ ejus*, aut, ut alia verſio habet, *oves manus ejus*, ab eo creatas, ab eo redemptas. Paſtorem, quocumque habitu ſit, blando an ſevero, triſti an læto, ſemper intueamur: neque ignoremus illum, qui ſine ſumma ingratitudine ignorari non poteſt, nec ſine æternæ jacturæ manifeſto diſcrimine. nam *qui ignorat, ignorabitur.*

XIII. Ductui nos accommodemus.

Duxit nos Paſtor bonus: ſequamur præeuntem. Salvianus l. 6. de Providentia, expendens iſtud Petri, quod hodie lectum eſt: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis: vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus: Videlicet*, inquit, *veſtigia ejus ſequimur in circis, veſtigia ejus ſequimur in theatris.* Quid dicat ille modò, ſi Chriſtianos in odiis, in ſultris, in ganeis videat, ſpreto Chriſti ductu? Vocat nos: audiamus vocantem, etſi calamitate allatret, dolore admordeat, pedo pulſet, audiamus tamen, neque enim tangit, niſi amanter: *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Nutrit nos, *in paſcuis uberrimis, in montibus Iſraël,* *in herbis virentibus*: æſtimemus alimenta, accipiamus, vertamus in ſuccum noſtrum: nam ſi illis non alimur, ægreſcere nos, & mori denique exſuccos, neceſſe eſt; præterquam quòd, citra inſignem injuriam, contemni Paſtoris noſtri larga ſolicitudo non poteſt. Requirit perditas: *Converſi eſtis*, inquit Petrus 1. 2. *ad paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum*, cavete ne iterum ſitis, quod fuiſtis *aliquando oves errantes*: manete intra ſepta Eccleſiæ, intra ſui quiſque ſtatûs cancellos, ſub curâ vigilis Paſtoris, & dicite ſecuri, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.*

XIV. Vitam & amorem rependamus.

Ad extremum, *dat bonus Paſtor animam ſuam pro ovibus ſuis.* Quid nos pro Paſtore? Hic Paulinus ſuum illud iteret, parùm nos omnino facturos, ſi reddamus *crucem pro cruce, funus pro funere.* Eleganter Bernardus ait ſerm. de diligendo Deo, benigniſſimum creatorem producto homine, veluti rerum omnium compendio, obſequium ab illo exegiſſe: ad id cogere noluiſſe, ne beſtiæ inſtar ageretur, non hominis: itaque intonuiſſe judicia ſua, ut timor eſſet magiſter officii: deinde, cupiditate bonorum objectâ, ſpem excitâſſe: cùm iſta non ſufficerent, hominem induiſſe; ovinâ ſeſe pelle, ut opiliones interdum ſolent, veſtiſſe; oves paviſſe; pro illis occubuiſſe, ut, quod timor & ſpes non obtinuiſſent, amor obſequium impetraret. *Amemus* ergo, inquit Bernardus, *redamemus, amplectamur vulneratum noſtrum.* Cognoſcit nos Paſtor, ducit, vocat, timore, ſpe: non movemur? Requirit, dat animam pro nobis: non movebimur? Sed ſi amor nos tangit, in affectu non hæreat, prodeat ad effectum, ſervet Chriſti mandata, ſequatur conſilia. *Qui non dat pro ovibus ſubſtantiam, quomodo dabit pro his animam ſuam?* inquit Gregorius. Dicamus nos: *Qui non dat pro paſtore ſubſtantiam ſuam, quomodo dabit pro illo animam ſuam?*

XV. Ordo religioſus peculiare Dei ovile.

Diximus de Eccleſia, & Chriſtianis generatim: adjiciendum quidpiam particulatim de religioſis: & in eadem parabola advertendum, quid ipſis religio conferat, quid ipſi eſſe in religioſo ordine debeant? Septum eſt Eccleſia univerſa, *unum ovile* Paſtoris unius: ſed in eo ſepto, quia amplum & latè univerſo orbe fuſum eſt, ſepta minora multa & ſeparata ovilia ſunt, alia meliùs aliis concluſa. Circumſeptum eſt Eccleſiæ totius ovile præceptis Domini: quæ cùm à Judæis laxata eſſent futilium interpretationum ouganientis, Chriſtus de novo aſtrinxit, ac firmavit; neque enim venit *ſolvere legem, ſed adimplere.* At in religioſorum ovilibus, ſupra id exterius & commune ſepimentum, aliud à Chriſto additum eſt Evangelicorum conſiliorum: quò non ſolùm modò, & mortalia peccata arceantur, ſed etiam caveantur occaſiones minimarum quamvis noxarum, excluſo terrenorum amore, ipſiusque adeò voluntatis ſuæ. Adde regularum ſepta, cuique ordini propria; quæ ubi magis integra ſunt, & integrior ordo eſt.

XVI. Peculiaria habet paſcua.

Non omnes capiunt verbum hoc, inquit Chriſtus, *ſed quibus datum eſt.* Itaque ſingulariter poteſt religioſus dicere, quod ex Pſalmo 22. Chriſtianorum omnium nomine canit Eccleſia: *Dominus regit me*, curâ diligentiore, & majore affectu: ideo *nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocavit.* Paſcua Eccleſiæ lætiſſima, & uberrima, attigimus. At ubi fæliciùs aſſurgunt, quàm intra domos religioſas? Ubi quietiùs, ac ſecuriùs, fæcunditate cæleſtium donorum oviculis frui

licet, à strepitu ac terrore semot[illegible] Ubi plùs, ad nutriendam libris piis, meditationibus, orationibus, Sacramentorum usu animam temporis ponitur?

XVII. Et aquas refectionis.

Addamus & istud: *super aquam refectionis educavit me*, id est super aquas ref[illegible] id autem aquæ illæ? Occurrunt primum [illegible] quas Regius psaltes ait sibi fuisse *pan[illegible]*: & illæ, quibus Augustinus, in lacr[illegible] rum cantu, diffluebat, & *bene ipsi er[illegible]* Aquæ illæ sunt compunctionis irrigantes conscientiæ: istæ sunt aquæ devotionis [illegible] cei concupiscentiæ ardorem, & ciborum spiritualium succum distribuentes, in se[illegible] frigitorum ac poenitentiarum alimenta. Quid deinde, si tandem illum interpretemur aquam, & sanguinem de latere Christi fluentia? *Terra, pontus, astra, mundus, quo lavantur flumine*: maximè tamen ordines religiosi, ubi copiosiores gratiæ, amplior indulgentia; & certior, occasionibus peccandi seclusis, peccatorum remissio.

XVIII. Anima religiosi quomodo convertatur.

Animam meam convertit. Istorum fontium aspectu, & potu ita me mutavit, ut alius sim. Genesis c. 30. oves, ad variarum virgarum in aquando aspectum, agnis suis varios colores, imaginationis vi, imprimunt. Adspectu fontis, quem bonus Pastor e latere suo scaturire voluit, oves Christianæ sibi ipsæ imprimunt colorem caritatis purpureum, & animas suas convertunt, habituque exteriori mutationem interiorem profitentur. Olim religiosi omnes dicebantur Conversi; *ad Pastorem* scilicet *conversi atque Episcopum animarum*: qui titulus paris tantum familiarum istarum hodie tribui solet: res tamen apud omnes manet, nec religiosi ulli verè dici possunt, qui Conversi non sint, hominemque veterem exuerint, & induerint novum, id est Christum.

XIX. Et deducatur super semitas justitiæ.

Religiosus, sic conversus, deducitur *super semitas justitiæ, propter nomen* Dei; benedictionem dante legislatore, ut de virtute in virtutem, quia passus ejus singuli ex Dei voluntate fiunt, donec videatur Deus Deorum in Sion. Quantum animæ religiosæ solatium, quæ fiducia, cùm sese, & opera omnia sua contuens, nihil usquam conspicit nisi Dei voluntatem? Quæ semitæ justiores, quàm ab ipsa justitia complanatæ? Quæ rectiores viæ, quam ipsi divinæ rectitudini coaptatæ? Quid autem in religiosa familia majoris, quàm virtus, pretii est? In urbium vicis, forma, opes, dignitas, nobilitas, spectantur. Intra domuum religiosarum jannas sanctimonia omnibus anteponitur: præ laxis itineribus, actibusque jumentorum, & viis curruum, amatur & colitur angusta justitiæ semita: in illis hærent ungularum vestigia & orbitæ essedorum; hanc pertransit pes pauperis, gressus egenorum, beati pedes evangelizantium bona. Quaternis itaque prærogativis eminere debet religiosa familia: regulis benè circumsepta sit; de alimentis spiritualibus largè provideat; pristinis moribus suos exuat, induat novis; ante omnia virtutem ponat.

XX. Religiosus non sit mala ovis.

Tot beneficiis à bono Pastore obstricta religiosa mens, redhibendæ gratitudini id saltem præstet, ut bona ovis sit. Deine autem, oves ullæ malæ sunt? Planè, cùm Christus affirmet esse sibi *alias oves, quæ non sunt ex hoc ovili*: cùm Psalmista dicat, sese erràsse, sicut ovem quæ periit, & peccatores positos *sicut oves in inferno*. Quaternis defectibus ovis laborat, qui apprimè peccatori conveniunt. Primùm, si periit, ipsa errorem suum corrigere non potest, quærenda est à Pastore: nec peccator de se peccatum valet corrigere, clamare debet cum Psalte, *Quære servum tuum*. Deinde, pro corporis sui portione, animalium omnium maximè debilis est: a peccatore quid debil[illegible], cujus voluntas finem suum, Dei obsequium, assequi nequit, creatis rebus universis ad finem suum vehementissimo nisu, per quævis obstacula, tendentibus? Præterea, vorax est ovis, &, nisi à pastore prohibetur, ple[illegible]que ultra satietatem ad morbos usque, & ad [illegible] em, edit: voracissima est peccatoris ingluvies, & numquam dicit, sufficit, quidquid ingeras. Denique ovis timidissima est, nec noxia modò formidat, sed etiam profutura; non lupos tantùm fugit, sed canes: peccator canes magis, quàm lupos, metuit; monitores fugit, non corruptores; ipsos conscientiæ suæ latratus, & morsus exhorret.

XXI. Sit socialis.

In Christianorum grege confuso multi sint ejusmodi; at non in selecto religiosorum. Habeant hi, quæ in ove laudantur, quaterna. Primum est, quòd animal sit sociale, quasi [illegible] imbecillitatis suæ; aut ex propensione potius, quam auctor naturæ impressit. Hæc prima religiosi ordinis conditio est, socialitas, & communis vivendi ratio, privatas utilitates & commoda, omnique singularitatis genus exosa, nisi postulet necessitas, aut caritas. Gregorius homilia 8. in Ezechielem, illa psalmi 150. explicans, *Laudate eum in tympano, & choro*, dicit: *tympanum*, è corio duro confectum, significare fructus dignos pœnitentiæ; *chorum* autem, seu vocum musicarum consonantiam, significare concordiam & harmoniam actionum, sine qua frustra sit qualibet & quantalibet austeritas. Anachoretica olim vita tympani instar fuit, in solitudine pœnitentiam sonantis. Accessit chorus religiosæ & communis vitæ, seu cœnobiticæ. Tympani raucus sonus Dei auribus placere vix potest, nisi chori suavitate temperetur: nec chori suavitas placet, si dissonantiâ cujuspiam privata sectantis, communia negligentis, turbetur.

XXII. Pacatus.

Sunt & alia præter ovem animalia socialia. Habebat Job non greges ovium modò, sed boum, asinarum, camelorum. Canes item interdum gregatim vivunt; ut capras silesm, & hædos, quod animal ovi simillimum est. Adde sues, quamvis feros, quique ideo *singulares feri*, & *μόνοι ἄγριοι*, in Scriptura vocantur. Adde elephantos, & belluas multas non mansuefactas. Sed hoc inter illos interest, quòd oves do pascuis inter se non pugnant, alia alii comedenti non incommodat: dentibus, cornibus, calcibus animantes cæteræ de pabulo decertant, etsi ante pabulum pacatæ; in peregrinas maximè sæviunt. Audiantur, in Christianorum vulgo, alienationes ab exteris; audiantur rixæ & contentiones de vitæ commodis, de honore, de dignitate: sed à religiosis familiis absit omnis ejusmodi contentionum suspicio, neque obturbetur chori harmonia insanis cupiditatum vociferationibus, aut inconditis ululatibus.

XXIII. Patiens.

Tertia ovium laus est à patientia: unde etiam ab Isaia c. 53. patienti Christo comparatio ducta, *sicut agnus coram tondente se obmutescet*. Medicinam pastor ovi faciat, lanam tollat, pellem distringat, cultrum gutturi admoveat, balatum non audies: tantum abest, ut aliæ ejusdem gregis oves indignationem prodant. Equi me[illegible] m calcibus

calcibus petunt, boves obnituntur trahenti, & jugum excutiunt; sues ad unius clamorem excitantur, & in subulcum involant. Sic agant rebelles, seditiosi, murmuratores, indisciplinati de Christianorum vulgo. At religiosus dicat pastori suo, cum Psalte Regio: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Neque ista solùm verbera, ex amore inflicta, toleret amanter, sed etiam quæ injustè inferuntur: putetque sibi dictum à D. Petro 1. 2. *Quæ est enim gloria, si peccantes & colaphizati suffertis? Sed si benè facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.*

XXIV. Obediens.

Faciat denique religiosus ex virtute, quod ovi convenit ex natura, ut sit obediens. Nisi ovis regatur, vivere non poterit, pascua non inveniet, injuriis temporum obruetur, incursibus luporum non resistet. Et hoc nobis persuadeamus, sic nos à natura factos, & ab auctore naturæ destinatos, ut regi nos oporteat. *Excelso enim excelsior est alius: insuper universæ terræ Rex imperat servienti.* Quomodò in orbibus cælorum, inferiora à superioribus trahuntur; superiora ab intelligentiis motrice, aut ab impulsu, quem Creator impressit, Ita in Ecclesia universa, in Ordinibus præsertim religiosis, subditi à superioribus gubernandi sunt: superiores ipsi ab aliis eminentioribus: qui, si ita emineant, ut supra se nullum habeant, nisi Deum; ad omnia saltem dicere debent, *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* Cui autem, quamvis supra mortales omnes eminentissimo, mortalis etiam consilium, & directio, opus non est? Cùm cuilibet dici verissimè possit, quod uni Ogero Canonico regulari scripsit Bern. ep. 84. *Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.*

SECTIO UNDECIMA.

Christus vinitor.

I. Prophetæ Christum pastorem, & vinitorem prævidère.

DICERES, lecto psalmo 22. Davidem, non Christi modò venturi, præcipuorumque vitæ ipsius ac mortis mysteriorum, præscium fuisse; sed etiam particulatim ac distinctè prævidisse, futurum ut Christus Boni Pastoris figuram indueret; & Christianos ovium similitudine; Ecclesiam ac Sacramenta, ovilis, pascuorum, aquarum similitudine exprimeret. Compara parabolam Christi, & Psalmum Davidis: præcipuas quasque partes inter se respondere invenies. Quod autem de Davide, & pascuis, conjicimus: id de Isaia & vinea certum est, præcognitam ipsi fuisse vineæ ac vinitoris imaginem, à Christo sumendam, cùm adeò disertè pronuntiârit cap. 5. *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei*, Christi ex Davide abavo consanguinei mei, *vineæ suæ.*

II. Synagogam exprimit vinea.

Bis Christus de vinea parabolam sumpsit, Mat. c. 20. primam, alteram c. 21. In illa dominus est vineæ, & operarios conducit; alt procurator domini est, & operariis mercedem exsolvit: in hac filius est patris-familias, ad agricolarum opera urgenda, & fructus colligendos à patre missus, ab impiis servis occisus. De hac primùm quidpiam, tum de illa dicamus. Constat, uti Isaiam, ita & Christum, de Synagoga locutos; ac primùm beneficia Judæis præstita adumbrâsse, deinde eorum ingratitudinem, denique supplicium, quod à nobis ultimo tomi 1. Excursu sect. 2. explicatum est. Itaque nunc sola Dei erga synagogam beneficia considerethus: Ecclesiæ deinde, tum ordini religioso applicanda.

III. Quomodò à Deo electa, & posita.

Homo pater-familias plantavit vineam. Cui vineam parandi consilium est, ante omnia solum idoneum eligit: neque enim *omnis fert omnia tellus: Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ.* Designatum deinde solum diligenter expurgat; purgato, vites ponit ac pangit: ita de colle inculto, aut lapidoso agro, fit vinea. *Pater-familias* Deus Israeliticum populum elegit, & eligendo fecit vineæ suæ idoneum: neque enim antè cæteris populis dignior erat, vel numero, vel doctrinâ, vel viribus, vel virtute: dicique de omnibus illius conditionibus potest, quòd de multitudine dictum est, Deut. cap. 7. *Non quia gentes cunctas numero vincebatis, vobis junctus est Dominus, cùm sitis omnibus populis pauciores.* Electum populum expurgavit idololatriæ sordibus, Ægyptiorum consuetudine adimissis: *lapides elegit ex ea vinea*, inquit Isaias, id est idola lapidea, ut commodè explicat Glossa interlinearis. Populo expurgato, & ab Ægyptiis separato, vites depanxit, id est præcepta decem, quæ fidei ac religionis præcipuum caput, & velut essentia, fuère. At nonne præcepta ista lumine naturæ cognita, rationique impressa habuêre, antequam à Moyse promulgarentur? Habuisse debuerant: sed consuetudo cum Ægyptiis, & pravi mores, rationis lucem obfuscarant, obruerantque naturæ vim, & conscientiam.

IV. Quomodò circumsepta.

Sepem circumdedit ei, id est Providentiam divinam, inquit Origenes. Etsi enim populorum omnium Deo cura sit, ut Excursu ad c. 14. tomi 1. satis luculentè ostendimus: singularis tamen fuit de Israelitica gente solicitudo. *Dominus*, inquit Psalmista ps. 124. *in circuitu populi sui*, *Pars autem Domini populus ejus, Iacob funiculus hereditatis ejus*, inquit Moses Deut. 32. Vide item dicta sect. sup. num. 2. Ambrosius sepem ait esse, Angelorum custodiam. Et verò Angeli populo præivêre, apparuêre Josue, Gedeoni, Manue, Davidi, Elizæo, Machabæo: Templo denique, ante Hierosolymitanum excidium, excessêre. At nonne populis singulis Angelorum custodia contributa est? Idem Ambrosius responderit, quod nos de Providentia. Basilius sepem interpretatur, cæremonias legis; quibus præcepta decem vallata fuère, & Israeliticus populus à cæteris secretus, ac distinctus. Quomodò enim seps vineam ab alia humo disterminat, & adversùs irruptiones hominum, bestiarúmve, defendit: ita Judæi à Gentibus disterminati sunt, non decalogo, qui hominem quemlibet obstrictum tenet, sed circumcisionis aliarumque cæremoniarum observantiâ; eademque observantiâ à vitiis, ac præsertim à sacrilegis sacrificiis, ad quæ Ægyptiorum exemplo ferebantur, prohibiti.

V. Quod in ea torcular?

Posuit in ea torcular. Id ab Hieronymo pro Tabernaculo, Templóve, sumitur; &, ni fallor, aptissimè. Quemadmodùm enim ex omnibus vineæ partibus collectæ uvæ deferuntur ad torcular, ibique ex illis mustum exprimitur. Ita undique ex duodecim tribuum sedibus, seu in solitudine errantibus, seu in Palæstina defixis, seu ad exteras provincias translatis, hostiæ ad Templum mitti solitæ, & legitima Deo sacrificia oblata; effluente totos dies sanguine victimarum, velut succo uvarum. Adde, lætificari solitos Judæos *in domo orationis*, teste Isaia: datamque ibi siceram mærentibus, *& vinum his, qui amaro sunt corde*: teste Anna Samuelis matre,

quam, in Tabernaculo orantem, pro ebria Helî Pontifex habuit.

VI. *Quæ turris, qui agricolæ?*

Turrim vineæ inædificatam, Auctor imperfecti operis percommodè interpretatur Prophetiam, longè ventura proſpicientem, velut de quadam mentis ſpeculâ, & Iſraelitas de avertendis imminentium malorum periculis præmonere ſolitam. *Utinam*, inquiebat Moſes moribundus, *ſaperent, & intelligerent, & noviſſima providerent.* *Agricolas* Hilarius exiſtimat eſſe Judæorum præcipuos: Hieronymus Iſraëlitas omnes; quia non optimatibus ſolùm aut ſapientibus, ſed infimis quibuſque & indoctiſſimis Iſraelitarum, præcepta Domini excolenda fuêre.

VII. *Vinea Eccleſiæ, & ejus partes.*

Eâdam imagine fecit Eccleſiæ ſuæ Chriſtus, quâ Deus Synagogæ: longè tamen inſigniùs & amantiùs Gentes elegit, ſpretum & conculcatum populum: eas idololatriâ perpurgavit: præcepta vitiis obliterata dedit, neque enim vênit *legem ſolvere, ſed adimplere*: fidem neceſſariò credendorum cuilibet & diſcendorum aperuit, velut vites ordine poſitas. *Sepe* Evangelicorum conſiliorum, cæremoniarum, & legum Eccleſiaſticarum, circumdata eſt religioni Chriſtianæ, eamque ab Infidelibus Paganis, Judæis, Hæreticis diſcernit, tueturque ab incurſibus vitiorum. Adde ſepem Providentiæ divinæ ſingularis, quæ non deerit *uſque ad conſummationem ſæculi*: adde intentam ubique Angelorum cuſtodiam conſervorum noſtrorum. *Torcular* Sacramenta Evangelicæ legis ſignificat; Euchariſtiam præſertim, quâ ſacrificium eſt, omnia veteris Teſtamenti ſacrificia complectentem, & in Templo Dei vivi exſtillantem muſteâ ſuavitate, quæ lætificat cor hominis, & profuſione Spiritûs ſancti inebriat, ut dicatur, *muſto pleni ſunt iſti.* *Turrim* interpretor Epiſcopos, deſuper ſpeculantes, qui poſiti ſunt regere Eccleſiam Chriſti, quam acquiſivit ſanguine ſuo: *agricolas* manifeſtum eſt plebem omnem Chriſtianam complecti, quia omnes poſiti ſunt in paradiſo Eccleſiæ, ut operentur, & Deus illos cuſtodiat.

VIII. *Vinea eſt Societas JESU.*

Similem in modum de ordine quovis religioſo, ubi diſciplina religioſa ſervetur, dicere liceat. Exemplum ſit in Societate JESU. Plantavit eam vocatio D. Ignatii & ſociorum ſingularis, in ipſo hæreſeon exordio, io magna orbis totius, ſententiis ac moribus depravati, perturbatione. Epiſcopum Apameenſem velim potiùs, quàm me, audias de Societate noſtra loquentem, ad an. 1539. poſt narratum Henrici 8. ſchiſma: *Quam*, inquit, *cladem reparavit Deus hoc ipſo anno, inſtitutione florentiſſimæ Societatis, quæ terrori eſſet inferno, conſolationi orbi, directioni animis, fulcimenta fidei, firmamenta Eccleſiæ.* Deo, bonorum omnium auctori & largitori, gratiæ, qui Ignatio mentem aperuit, ſociis obtemperandi ſtudium immiſit, poſteris contulit imitandi voluntatem. *Nam neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*, & Chriſtus ejus. Fruſtra operam in Societatis vinea poneremus, ſi JESU abeſſet auxilium: quemadmodùm in vanum laboret vinitor, ſi laborem non proſperet creator. *Quivis volens hodie vineam paſtinare*, inquit Optatus Milev. l. 4. con. Parm. *operarium placitâ mercede conducit, qui ... ſinus terræ faciat, ubi deponat electa plantaria, & aquam calcatis ſcrobibus ſuperducat. Scrobem fodere, & plantaria ponere poteſt, aquam inducere poteſt: imperare ut pullulent, gemmaſcant, aut floreant non poteſt. Eſt enim ſolius Dei, de medullis palmitum producere radices coaleſcentes in terram, gemmantes oculos, incrementa frondium provocare.*

IX. *Quæ illius ſeps?*

Circumjecta Societati *ſeps* eſt, ſingularis Providentiæ divinæ, à qua Ordines omnes religioſi fundantur, & reguntur; ut cum Laine, ſocio ſuo, olim diſputabat Ignatius. De Ordine ſuo iſtud, ex certa conſcientiæ ſuæ teſtificatione, affirmare poterat: quandoquidem divinitus Conſtitutionum ſuarum præcipua, tum in Manreſana ecſtaſi, tum poſtmodùm acceperit. Acceſſit Angelorum cuſtodia, Ignatio parata, Xaverio familiaris, Angelico Aloyſio propria. Adde Conſtitutionum ac regularum, Inſtituto noſtro propriarum, ſepimentum, quo vitia omnia arcentur, & Inſtituti caput ſubſtantiáve defenditur.

X. *Quod torcular, turris, agricolæ?*

Torcular orationes, meditationes, Exercitia S. Ignatii interpretor, præeunte eximiæ virtutis Patre Ignatio Balſamo: qui Autumnalibus feriis, ad ſcholaſticorum noſtrorum Exercitia ſpiritualia deſtinatis, *adeſſe*, aiebat, *vindemiam ſancti Patris noſtri.* *Turris*, eſt pervigil ſuperiorum cura; mutua item ſociorum inter ſe cum caritate cuſtodia, tentationibus occaſionibuſque peccandi, & irritamentis arcendis. Vulgò dicunt, *Per tria St. Sol. Vi. Carthuſia permanet in vi*: id eſt ſilentio, ſolitudine, viſitatione ſervatur. Societatem Vigilantia, Deo propitio, ſervabit uſque ad conſummationem ſæculi. *Agricolæ* ſunt ſocii omnes, gradûs cujuſlibet: vocati enim ſunt ad operandum; nec quietem, aut vineæ fructum, niſi in cælo exſpectant. Appoſitè nobis quadrat iſtud Senecæ de Otio Sapientis: *Certè Stoici veſtri dicunt; uſque ad ultimum vitæ finem in actu erimus, non deſinemus communi bono operam dare, adjuvare ſingulos, opem ferre etiam inimicis, ſeniti manu. Nos ſumus, qui nullis annis vacationem damus: &, quod ait ille vir diſertiſſimus, Canitiem galeâ premimus. Nos ſumus, apud quos uſque eò ante mortem nihil otioſum eſt: ut, ſi res patitur, non ſit ipſa mors otioſa.* Iſtud etiam indidem nobis quadrat percommodè: *Hoc nempe ab homine* Societatis *exigitur, ut proſit hominibus, ſi fieri poteſt multis; ſi minùs, paucis; ſi minùs, proximis; ſi minùs, ſibi.*

XI. *Futurane fuiſſet dominatio & ſervitus in ſtatu innocentiæ?*

De labore agricolarum in vinea Domini, tota eſt parabola Mat. 20. Etſi enim alii aliter eam vineam intelligunt, uti apud interpretes paſſim videre eſt: nulla tamen explicatio magis partibus omnibus congruit, quàm quæ generatim obſequium divinum, laboremque Chriſti Domini noſtri ſervitio impenſum, commendat. Diſputatur, an in ſtatu innocentis naturæ futuri fuiſſent domini ac ſervi. Miſeram enim eſſe dominationem, ac multò magis miſeram ſervitutem; miſerias autem omnes ab eo ſtatu abfuturas fuiſſe. Prætereà, ſubjectionem pœnam eſſe peccati, teſte Iſidoro l. 3. ſent. c. 47. ſent. 1. *Propter peccatum primi hominis, humano generi pœna divinitus illata eſt ſervitutis*: ipſique adeo primæ mulieri, ob prævaricationis noxam, denuntiatum eſt, *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Ita ratiocinantur quidam. Alii contrà aiunt: ſervitutem poſt peccatum pœnam eſſe peccati; ante peccatum futuram fuiſſe ſocietatis civilis ornamentum, & vinculum: neque enim, ſine imperandi, obediendique viciſſitudine, conſtare poteſt humana ſocietas: neque homines ulli ſine domino errant, niſi qui, ferarum inſtar, tres literas ignorant F. L. R. fide, lege, Rege deſtituti. Deinde ex ſervitute ante peccatum fructus alter exſtitiſſet, quem nunc etiam poſt peccatum

experimur:

experimur: ut, comparatione dominationis humanæ, impensiùs ametur Dei dominatus. *Servient ei*, Regi Ægyptio, inquit Deus 2. Paral. 12. *ut sciant distantiam servitutis meæ, & servitutis regni terrarum.*

XII. Quanti sit servum esse potentis? Excitemur ad serviendum Christo, ad laborandum in vinea Domini, tam dispari comparatione dominationis, seu dominus spectemus, seu imperii materiam & rationem imperandi, seu remunerandi modum. Quod primum in obsequiis deferendis attenditur, conditio domini est. *Quomodò*, inquit non bonus auctor elegantis ad Demetriadem epistolæ, *si velis fint domini, etiam ab ultimis servis sentemnuntur: ita si magni sunt, optant jubere. Pro dignitate præcipientis, servitium beneficii loco ducitur.* Id ipsum ex Ambrosio breviùs refertur: *Dignitas est servum esse potentis.* Cujusnam autem potentis? Salomonis, cui *sexaginta fortes* lectulum ambiunt: Davidis, cui triginta tres fortissimi militant: Theodosii, cujus famulatum præcipua orbis capita ambiunt? Viceriam illi à Deo potestatem habuêre; habent Reges, Principes, domini: atque adeò, ex monito Paulli, servimus illis, *sicut Domino, & non hominibus.* Sed augustum illum Vicariatûs divini characterem omittamus: ipsos in se Principes viros, ac fœminas, intueamur. *Ego dixi Dii estis. . . . Verumtamen sicut homines moriemini.* Istis tamen qualibuscumque servire, tanti ducitur; ut in titulis non prætermittant homines, posteritatis memoriæ consulturi, Legatum Cæsaris, Ministrum Regis, Consiliarium Principis, Eleemosynarium Reginæ: ne isti quidem prætereuntur, Concionator, Confessarius, Typographus, Medicus, imò Hortulanus & Sartor Ducis.

XIII. Quanti ergo esse Dei servum? Isthæc tanti æstimantur: quanti ergo fuerit ex vero dicere: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & Dispensatores mysteriorum Dei?* &, *Pro Christo legatione fungimur?* Posse ex animi sententia sese habere pro Consiliario, & Eleemosynario Dei: id est, consilia, & stipem distribuere, ex Dei legibus? Sic scientias & artes tractare, ut Dei servos & ancillas decet? *Servire Deo*, inquit Philo libro de Cherubim, *maxima est gloriatio; non modò libertate major, sed & divitiis, & Principatu, & omnibus rebus, quas mortales mirantur, pretiosior.* Generosiùs D. Agatha, exprobranti servilem Christianorum vitam Præsidi, respondit: *Melior est Christiana servitus Regum opibus, & superbiâ.* Eodem animo D. Ludovicus, Regum Francorum sanctissimus, litteris suis subscribere solitus, *Ludovicus de Possiaco, humilis servus IESV Christi.*

XIV. Domini temporales quomodò imperent? Itaque Christi obsequium incomparabiliter illo quovis honoratius est, si dominum attendamus: si modum imperandi consideremus, incomparabiliter suavius. Omitto Pharaones, Roboamos, Pharisæos, operibus luti, & lateris, jugoque intolerando, subditorum capita opprimentes, & alligantes onera importabilia, quæ digito suo nolunt movere. Nec recentia tyrannorum execramenta, aut durorum dominorum odia, commemoro. Eos sumamus, qui humanissimè usi sunt potestate dominandi. Imperavêre tamen plerumque non servo utilia, sed sibi. Sic imperavêre, ut rogantis speciem non induerint. Laborantî servulo vires non suffecêre.

XV. Quo pacto Deus? Aliter longè in Deo res habet. Imperat non sibi necessaria, aut utilia, sed servulo. *Falluntur*, inquit Aug. ep. 5. ad Marcellinum, *qui existimant hæc, judicia desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum, Deum jubere causâ sua utilitatis, vel voluptatis. Nihil enim Deus jubet, quod sibi prosit; sed illi, cui jubet. Ideóq; verè est Dominus, quia servo non indiget, & quo servus indiget.* Præterea sic imperat, & tam instanter, ut rogare videatur. *Quis perspicere, aut enarrare possit, per quot affectus visitatio Dei animum ducat humanum?* inquit Prosper con. Coll. c. 14. Vocat pater-familias quinis horis varios operarios, & mittit in vineam. Totidem horis homines ad obsequium, sed multiplici vocatione, Christus solicitat. Apud Marsilium Ficinum, lib. de san. stud. invenio elegantem ævi humani partitionem in quinarium. Prima ætas sensu utitur, non ratione: altera sensu magis, quàm ratione: tertia sensu pariter, ac ratione: quarta ratione magis uti debet, quàm sensu: quinta ratione, non sensu. En horas quinque diei nostræ; quibus continenter à Christo ad bona solicitamur: baptismo infantes, exemplis pueri, educatione adolescentes, conversatione viri, usu rerum atque experientiâ senes. Deinde vocatos, secutos, operantes adspicit Christus, animat, vires suggerit: neque enim solius arbitrii facultatem in obsequia divina impendimus, sed *gratia Dei* nobiscum. Deus operationi nostræ naturali concursum suum attemperat, gratiam supernaturali: otiosi utrobique sine Deo simus.

XVI. Quomodò servi ab hominibus compensentur? Labore impenso ecquidnam ab homine mercedis servulus exspectat? Deest illi aliquando remunerandi voluntas, interdum facultas. Laban voluntate caruit, eùm mutavit mercedem Jacobi *decem vicibus.* Facultas defuit Josiæ, cùm præmatura mors fidis illum famulis eripuit: deest illis, de quibus Job dicebat c. 22. *Gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis*; id est, maximi hominum gemunt sub onere miseriarum, & *sub ponderibus populorum*, ut ait Greg. l. 17. Mor. c. 12. Sed demus, nec voluntatem domino tuo, nec facultatem deesse: quid denique accipies? *Denarium diurnum*, dignitatis aliquid, tituli vocabulum quadrisyllabum, stipendii pauxillum, & quidem forsan *cum serò factum* erit. *Nōrunt*, inquit D. Paullinus Licentio, *eunuchos, & magnâ palatia passi,*

Et quisquis Romam sponte miser patitur:
Quanto sudoris pretio, damnoq; decoris,
Constet ibi chlamydis, hic honos officii.

XVII. Quomodò Deo? Cis mortem ista: post mortem, quid dabitur? Apud Vincentium Bellov. miles nobilis, extremo morbo decumbens, à Principe suo, qui solatii causâ ipsum visebat, &c., quidnam à se expeteret, sciscitabatur: Proroga, inquit, vitam. Neganti Principi id suum esse: At tu saltem, inquit, sponde pro me apud Judicem, quem forsan in gratiam tui offendi. Cùm neque id suum esse Princeps respondisset: Me ergo, inquit, miserum, qui tam impotentem dominum omnipotenti prætuli. Et nos miserrimos, si Christum non audimus increpantem: *Quid hic statis tota die otiosi? Ite & vos*, quocumque gradu fuis, *in vineam meam, &, quod justum fuerit, dabo vobis.* Ostenditur denarius imagine Dei impressus: promittitur vita æterna labori temporali servis inutilibus, qui quod facere debuerint, fecerint, exsolvitur tamquam debitum, quod merito quantovis majus est *Conventione factâ* cum tam magno, tam benigno, tam largo domino, Juremus, & statuamus, custodire judicia justitiæ divinæ.

XVIII. Christus vi- Christum dedimus vinitorem: si & vitem, quomodò sese ipse appellavit, habere placuerit, dupliciter

tis in Paſſione.

dupliciter dedero, in vita primùm mortali, Paſſionis præſertim tempore; tum in vita Sacramentali. Prioris comparationis multa Bernardus ſuggerit ſerm. 11. de Paſſ. Ego attulerim capita ſedecim. Vitis transplantatur: Chriſtus in mundo transplantatus: etſi regnum ejus non eſſet de mundo. Reciditur vitis: Chriſtus circumciſus, & ab amicis deſertus. Colles amat vitis: Chriſtus Olivarum & Calvariæ montem. Adſtringitur vitis: Chriſtus caritate colligatus, antequam vinculis. Palo vitis ſuſtentatur: Chriſtus ad columnam vinctus. Vitis aliquando ſurrigitur in cancellos, & diſtenditur: Chriſtus in cruce exaltatus. Clavis vincula vitis firmantur: Chriſtus clavis confixus. Lignum vitis informe eſt: Chriſto patienti non fuit ſpecies, neque decor. Vitis ſudare & lacrymari dicitur: ſudavit, & lacrymatus eſt JESUS. Pampini vitei æſtus arcent: Chriſti crucifixi umbra ipſos etiam crucifixores texit. Vineæ florentes dant odorem ſuum: Chriſtus *Nazarenus* & floridus cruci inſcribitur. Odor vineæ ſerpentes fugat: Chriſti patientis odor dæmonem, & peccata. Fructus vitis uva eſt: Chriſtus eſt botrus Cypri in vineis Engaddi, & terræ promiſſæ pignus ac ſpecimen, ut uva Num. 13. Exprimitur uva in torculari: Chriſtus calcavit torcular, & calcatus eſt. Comeditur uvæ ſuccus, & bibitur: Chriſti Paſſio cibus mentis, ac potus eſt. Succus uvæ roborat, exhilarat, animat, ipſos etiam 1. Mach. 5. elephantes: ſideine habet ac vitæ ſcintillam, quem non excitat, & delectat Paſſio Chriſti?

XIX. Item in Ven. Sacramento.

Facilia, inquis, & obvia ſunt iſthæc comparationis cum Chriſto patiente capita. Nec difficiliora, aut detortiora tibi videbuntur quindena cum Ven. Sacramento. Transfertur vitis: ſacerdotis voce Chriſtus de cælo in terram devocatur. Putatur vitis: Chriſto Euchariſtiâ velato majeſtas ſua velut reciſa eſt. Montoſis delectatur vitis: Euchariſtia mentes elevatas amat, & venit tranſiliens colles. Palo adſtringitur vitis: Chriſtus ſpeciebus alligatur. Vile vitis lignum eſt: contemptæ ad ſenſum ſpecies Sacramentales. Sudat vitis: Ven. Sacramentum ſæpè ſudâſſe legimus. Floret vitis: efflorefcit in Ven. Sacramento Nazareni gloria. Pampini umbram præbent: Chriſtianos, in publicis privatiſque calamitatibus, Ven. Sacramentum protegit. Odor vitis ſerpentes pellit: Euchariſtiæ odor peccata effugat. Uva bibitur, & comeditur: Ven. Sacramentum cibus & potus eſt. Uvæ liquor exhilarat: Euchariſtia lætificat juventutem, & ſalutis pignore animos exſuſcitat. Vinum inebriat: Noemus noſter Chriſtus, Euchariſtiâ ſumptâ, nudus pependit in cruce; vino iſto animati Martyres contempsêre quidquid vitæ hujus timendum eſt. Vitis latè palmites diffundit: Euchariſtia palmites extendit ad mare, & uſque ad flumen propagines ejus. Vitem exterminat aper, & ſingularis ferus depaſcitur: Calvinus & Lutherus Ven. Sacramentum lacerare conati ſunt. Vinea, benè culta, cultoribus theſaurus eſt, qualem ad vitium ſuarum radices defoſſum ſenex moribundus filios monuit: divina vitis à nobis, palmitibus ſimul & cultoribus ſuis, diligenter exculta theſaurum dabit indeficientem in cælis.

SECTIO DUODECIMA.

Chriſtus hortulanus.

I. Eccleſia hortus & paradiſus terreſtris.

ECCLESIÆ cum horto comparatio floridior, & amænior non eſt, quàm vetuſtior. En Canticis Canticorum depromitur: ubi ſponſam amor divinus invitat ad pomarii ſui ſpectaculum, ut videat mala punica, poma decerpat, hortum mecum inambulet, ſub umbra deſiderati ſui conſideat. Imò ab ipſo uſque mundi exordio, ac paradiſo terreſtri arceſſitur. in quo aquis irriguo, arboribus inumbrato, floribus læto, fructibus opulento, poſitus eſt Adam, *ut operaretur*, & delitias ſimul atque honeſtam occupationem, illius culturâ, inveniret. *Quid abhorret à vero*, inquit Auguſtinus lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 8. *ſi credamus hominem ita in paradiſo conſtitutum, ut operaretur agriculturam, non labore ſervili, ſed honeſtâ animi voluptate? Quid enim hoc opere innocentius vacantibus, & quid plenius magnâ conſideratione prudentibus*; qui creatorem in ſeminibus, ſurculis, ramis, florum frugumque varietate nôrint intueri? Idem iterat lib. eod. cap. 10. Adamum illic collocatum, *ut operaretur paradiſum per agriculturam, non laborioſam, ſed delitioſam, & mentem prudentis magna atque utilia commonentem; cuſtodiret autem eumdem paradiſum ipſi ſibi, ne aliquid admitteret, quare inde mereretur expelli.*

II. Arborator ... & operator Chriſtus.

Pulſo inde Adamo, oppoſitaque ad januam *romphaâ janitrice*, ut Tertullianus loquitur, terra fermè inanis manſit, & vacua, & tenebræ incubuerunt ſuper faciem abyſſi: donec erumperet fructus terræ ſublimis, & à Chriſto plantaretur *Eccleſia, hortus delitiarum, & paradiſus ſpiritualium charismatum*: quomodò ait Petrus Dam. de Inſt. Eccl. c. 2. magnorum Principum mos eſt, ad delitias viridaria conſerere, alienis plerumque manibus, interdum ſuis: celebraturque apud ſcriptores vox Perſici Regis, omnium pomarii ſui arborum ſationes, vel inſitiones, à manu ſua eſſe. In Eccleſiæ horto Adamus novus, Rex ſummus, non delitiatur tantùm, quia delitiæ ejus ſunt, eſſe cum filiis hominum: ſed operatur, & arborator, ſatorque plantarum, atque inſitor eſt; educator deinde naſcentium, curator adultarum, ſeneſcentium cuſtos, & expurgator.

III. Colit tum per alios, tum per ſe.

Alienis quidem nonnumquam manibus utitur, & multos ſub ſe habet culturæ adminiſtros. Parentes enim hortulani filiorum ſunt, ut de matre ſuâ ſcribit Auguſtinus lib. 2. Conf. *Præcepta vitæ, quæ in animo plantaverat verbo, rigabat lacrymis, alebat exemplis.* Magiſtri arboratores ſunt, vel philoſopho teſte lib. 2. de Clemen. *Sapiens agricolas bonos imitabitur, qui non tantùm rectas bonaſque arbores colunt: ſed illis quoque, quas aliqua depravavit cauſſa, adminicula, quibus regantur, adminiſtrant. Alias circumfodiunt, ne proceritatem rami premant: quaſdam infirmas, vitio loci, nutriunt: quibuſdam, alienâ umbrâ laborantibus, cælum aperiunt. Secundùm hoc videbit perfectus ſapiens, quod ingenium quâ ratione tractandum ſit, donec in rectum prava flectantur.* Eccleſiæ cultores, & operarii, ſunt Eccleſiaſtici omnes, Prælati præſertim, ut præclarè dixit in Lateranenſi Concilio ad annum 1500. de cauſſis corruptorum morum diſputans Ægidius Viterbius, princeps concionatorum ejus ævi, Auguſtinianorum

stinianorum Eremitarum Præpositus Generalis: cujus concionis compendium refert Mariana lib. 30. Hist. cap. 10. Arboratores Angeli sunt, eo servo indicati, quem dominus Lucæ 13. sterili arbori triennalem curam permisit impendere. Hos inter Christus, hortulanorum princeps, quomodò princeps pastorum; sic cultorum omnium laboribus adest, ut nulla non arbor viridarii sui ab ejus manu sit. Frustra enim plantet Paullus, Apollo irriget, Petrus Andreásve inserat, inoculet, cædat; nisi Christus dederit incrementum.

IV. *Arbores nullas infrugiferas patitur.*

Itaque Ecclesia Regum plantariis, & terrestri paradiso, non eò tantùm similis est, quòd ad delitias crescit, quodque ab operis multis excolitur: sed etiam, quòd Regiam manum exercet. Hoc unum illam inter, & ista, interest: quod tum in paradiso terrestri, tum in hortis Regiis steriles multæ arbores, oblectationis solius caussâ, ad umbram adspectúmve, amantur. At in Ecclesia sua Christus infrugiferas nullas patitur. Indicatum illud est Gen. 1. ubi jubetur terra germinare *herbam virentem, & lignum pomiferum, faciens fructum juxta genus suum.* Sterilium arborum, nec pomiferarum, genera jam tunc condita fuisse, indubitatum est; spinosas etiam plantas progerminâsse, Basilius & Procopius affirmant; neque ambigunt non pauci, quin venenatæ taxi, aliæque infaustæ ac virosæ arbores surrexerint. Ut quid ergo Scriptura solorum meminit pomiferorum lignorum: & tam destinatò quidem, ut adjiciat, facientia fructum secundùm genus suum? Alias alii rationes afferant: ego ita scriptum dixero, ut vel inde intelligeremus, in Ecclesiæ horto arbores nullas tolerari, quàm quæ ex genesis sui modo fructificent. Manifestè id summus arborator Christus significavit, parabolâ infructuosæ ficus Luc. 13. & historiâ ficûs alterius arefactæ, quòd fructus in illa inventi non essent. Jam edictum istud, terribilius flammeo Cherubini gladio: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

V. *Nec tolerat feraces non bonorum fructuum.*

Frugiferam esse non sufficit: benè frugifera sit, necesse est. *Arbor* enim *bona* non tantùm *fructus*, sed *bonos* facit. Sunt enim arbores frugiferæ, quæ fructus edules non proferunt: ut silvestres mali, quarum poma porcis nascuntur. Sunt aliæ pulcris in speciem tantùm extimam fructibus oneratæ, quales ad lacum asphaltiteo spectari dicuntur, cute coloratâ, intus cinerei. Aliæ item sunt, quæ pomis abundant densis, & carnosis, sed verminosis. Omne istud genus de paradiso suo proscribit hortulanus noster, & cultam Ecclesiæ terram diu occupare non sinit. Non venenati solummodò fructus, id est mala & vitiosa opera, in Christianis non tolerantur: sed neque illi in speciem tantùm producti, id est virtutum opera, recto fine modóve carentia. Si virtus simulata est, & ad solos hominum oculos facta, Pharisaicæ sanctimoniæ instar: soli porcorum, ac dæmonum, ingluviei satiandæ subserviet, ut poma silvestria. Si honesti tantùm gratiâ, & rationis sequendæ, innocentiam complecteris: philosophi instar ea, morale duntaxat rectum possides: sola extima pellis dies aliquot placebit: quando fructus morte decerpentur, intima vanescent in cineres, ac fumum; nihil ex istis operibus mercedis dabit æternitas. Si ad Dei quidem obsequium, & ex ejus voluntate rectum operaris; sed nimis reflexo ad commoda, honorémve, aut voluptatem tuam intuitu: verminosa poma sunt, & ad principis hortulani mensam non inferentur, sed mediastinæ famulorum ancillarúmve turbæ apponentur.

VI. *Bonorum fructuum genera tria.*

Malorum itaque à bonis arboribus fructuum genera tria numerantur, aliorum aliis deteriorum: bonorum totidem sunt, aliorum aliis meliorum. Præcoces quidam, ac temporis verni, à teneritudine commendantur: æstivi alii, & calido Sole percocti, ad perfectum maturescunt, & perdurant: hiberni alii, austero succo, carne lapidosâ, arte maturandi. Virtus in teneris annis pergrata est: quæ in virili demum ætate perficitur, constantior esse consuevit: durior est, quæ, post annos per vitia exactos, in senio demum producitur. Utcumque tamen istæ arbores fructificent, viridario Christi aptæ sunt; longè gratiores futuræ, si aurearum malorum instar, quolibet anni tempestate foliis vernent, floribus rideant, fructibus ditescant. Christiani officium illud esse, aiebat B. Salesius Episcopus Genevensis: ut quovis tempore cogitationes suas aleret, velut viridantia folia: sanctorum desideriorum amænitate gemmasceret, ut jucundis floribus: operum bonorum opulentiâ splenderet, sicut tempestivis fructibus. Ævi enim omnia ac diei opus est, ad Deum cogitatione converti, desiderio anhelare, manibusque ac pedibus conniti.

VII. *Alia eorumdem terna genera.*

Terna laudabilium operum genera, eâdem fructuum imagine, aliter partiri possumus. Sunt enim, quos timor æternorum suppliciorum, securi fenntè jam ad radicem positâ, profert: eos D. Joannes appellabat *fructus dignos pœnitentiæ*, hibernos, austeros, & nonnisi admodùm tardè mitescentes. Sunt istis gratiores, ac teneriores, qui ad bonorum æternorum spem, quasi ad vernæ temperiei auram, pullulant. Sunt, qui Solis radiis excalefacti, & ad maturitatem ardore divinæ caritatis perducti, ætatem ferunt. Quacumque demum ex istis caussâ virtutes Christianæ progerminent, Christo gratæ sunt; qui non caritatem modò, sed spem, ac timorem, nobis sæpissimè commendavit. Placent tamen illæ potissimùm, quæ caritatis æstu tempestivo maturuêre. *Sicut enim plures sunt, quos corrigit timor, & spes: ita meliores sunt, quos corrigit amor.*

VIII. *Prima caussa cur Christiani bonos fructus non ferant, à solo est.*

Timor divinus Christianis omnibus cum fide congenitus est, spes innata, insita caritas. Quinam ergo fit, ut, cùm omnes sint arborum bonarum instar divinis manibus plantatarum: fructus tamen vel tam paucos, vel tam raros, vel tam tardè proferant? Totidem de caussis, quot caussæ sunt, cur arborem fructus speratus, debitúsve, deficiat. Prima est, si arboris indoli ingenium telluris non respondet: si soluta terra est, ubi densa desideratur: si pinguis, ubi macram esse oporteret: si arenosa, vel saxosa, ubi argillaceâ opus est. Ita Christianus, si in congruum sibi solum depactus non est, si alio loco positus, aliud institutum amplexus, quàm genio illius expediret; si hortulani judicio, & manui, non obsecutus, alibi sese ipse defixit, quàm indoli suæ expediebat, mira non est in illo bonorum fructuum, operumque, vel sterilitas, vel paucitas. A Deo ad religionem vocabaris, matrimonio te illigâsti: indoles tua matrimonium postulabat, pingue Beneficium maluisti. Concessisti absurdum unum, sequuntur multa absurda. *Impossibile* enim *est*, quod philosophus, etiam in Politicis, monuit, *ex errore commisso in principio*

non

non evenire ad extremum aliquid mali.

IX. Prudenter cuilibet de vitæ genere deliberandum.

Meritò itaque commendari à Sapientibus solet, ut adolescentes, non jam in bivio virtutis, vitiique, sed in variorum institutorum plusquam quadrivio, seriò circumspiciant ac deliberent, quæ ipsis vitæ reliquæ semita ingredienda sit: & si per sese ipsi commodorum, atque incommodorum, cum ultimo fine comparandorum, disquisitioni non sufficiant; prudentes ac benevolos adhibeant consiliatores, ante omnes magni consilii Angelum. Si peregrinam arborem plantandam habes, neque ejus indolem nôsti, adeoque, cui solo congruat, perspicere non potes: periti arboratoris sententiam inquiris, & sequeris. Tu te ipse si nondum satis nôsti, si terrarum, ubi depangi potes, ingenia non pervides; illum consule hortulanum, qui scit, quid sit in homine, qui areolas omnes Ecclesiæ distinxit, & excoluit, cui nihil non in horto suo cognitum. Adhibe præterea in consilium, quos ipse culturæ suæ administros adscivit. Nithardus es? Adi Bernardum. Xaverius es? Ausculta Ignatio. Hubertus es? Obtempera Lamberto. Timotheus, aut Titus es? Audi Paullum. Philothea es? Accede Salesium.

X. Quomodò corrigendus error in deligendo vitæ genere admissus.

Quid verò, si Christianus, non consilio, sed impetu, vitæ genus delegit, aliudque intendit, quam quò divinitus destinabatur? Si mutare non licet, quia vincula vel maritalia, vel dominicalia, vel principalia, vel si quæ alia constrictum tenent: idem remedii erit admovendum, quo arborator ad plantam inconvenienti solo radicatam utitur, quando sine periculo inde transplantari nequit. Tempestivâ irrigatione, stercoratione opportunâ, commodâ circumfossione, aliisque adjumentis, satagit telluris compensare defectum. Ita tu, qui incongruum institutum delegisti, incongruitatem illam repara, quà potes, studiis pietatis, & animi culturâ diligenti, atque assiduâ. Hac arte non pauci, qui initio jejunis radicibus penè exaruerant, postmodùm reviruêre, & tantumdèm in aliena terra tulêre fructuum, quantum in sua. Neque enim unam dumtaxat benedictionem habet Isaacus noster: neque ita salus, & perfectio, Christianorum ab uno vitæ genere pendet; ut, si fortè in aliud impingant, & in isto patiantur hortulani nostri cælestis culturam, ad virtutum summum, compensato bonis operibus primo errore, non evadant. Vidimus, quos ad religiosam domum, quantum quidem humanitus cognosci potest, Deus evocârat, ipsi tamen sese in matrimonium conjecerant: posteà ita egisse, ut non ipsi modò essent sicut oliva fructifera in domo Dei; sed filii eorum, sicut olivæ baccis fætæ, virescerent in circuitu mensæ eorum, præberentque insignia familiis Christianis sanctimoniæ constantis exempla.

XI. Altera sterilitatis, & malorum fructuum caussa, ex aura.

Arborum labes altera ab aura est: si arboribus, humorem sitientibus, nimis sicca, aut congrà: si pruinæ, venti, gelu, nimbi, æstus, intempestiva ingruunt. Sicut enim non omnis fert omnia tellus: ita non omnis aura ferendis omnibus commodat. Ab ea caussa, hoc ipso quo ista meditor, anno sexagesimo primo, frugiferæ penè arbores universæ totâ ditione Leodiensi, vel steriles fuêre; vel paucos tulêre, eosque ferè evanidos, fructus. Aura Christiano conversatio est; adeoque ex ea similitudine vulgò dicimus, hauriri auram academiarum, aularum, exterarum ditionum, ab iis qui ista frequentant; & heu, sæpe nimis eo haustu, non vitam, sed pestem sugunt. Quàm multi, quibus adolescentia lætis virtutum floribus, sapidisque fructibus, turgebat; postquam palatinæ auræ tepore percussi sunt, aut exlis academici æstu exinaniti, aut gelû peregrinorum populorum usti, aut pruinâ civilium domesticorúmve consortiorum contracti, marcuêre, nihilque amplius progerminavêre proficuum. Quare Regius vates, conversationis utilitates ac damna expertus, in ipso psalmorum initio accinuit: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit .... Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet*, ne una quidem ipsius cogitatio erit inutilis.

XII. Tertia, ab hortulanorum negligentia.

Tertiam vitiatarum arborum caussam adscribimus hortulano. Quod enim de agricola Sapiens ait, se per agrum hominis pigri transisse, & totum vidisse urticis ac sentibus scatentem: idem de hortulano dixerimus. Si aquam radicibus nondum coalitis non affundat: si spinis adolescentem truncum non muniat, adversùs animalium arietationes, aut morsus: si densatis nimium ramis cælum non aperiat, cæterisque desit seduli arboratoris officiis. Hortulanum Ecclesiæ Christum descripsimus, cui in cultura administri varii sint. Illius certè culpâ evenire arborum suarum vitium non potest: quid enim potuit facere vineæ suæ, viridario suo, & non fecit illi? Plantavit Ecclesiam sanguine suo, irrigavit lacrymis, exemplis formavit, gratiis fovit, Sacramentis aluit. Labruscæ, & poma silvestria, à tali cultura non nascuntur. Aliunde itaque culpa est: ab vicariis utique cultoribus, qui principis sui studiis, votisque, curâ non respondent.

XIII. Pastorum præsertim & Prælatorum erga plebem.

Deberent utique sedulitate summâ tantum munus exequi; & affectu, ac diligentiâ majore, plantatas à Domino arbores excolere, quam, quæ olim Sanctorum magnorúmve virorum manibus satæ, ad eorum memoriam conservantur. Parùm novit, quanti ipse sit, qui humanæ animæ pretium non novit. D. Carolus Borromæus Cardinali Episcopo dicenti, diœcesin suam angustis esse limitibus, facileque à se per alios curari; atqui, inquit, vel unicus homo tanti est, ut magni Episcopi solicitudine, ac præsentiâ, dignus sit. Id sanctissimi Præsulis, & Dei ipsius, judicium pluresne ævo nostro, quàm D. Bernardi ætate, Pastores sequuntur? Si reviviscat ipse, iteret forsan illud suum libri 4. de Consid. *Patentius ferimus Christi jacturam, quàm nostram. Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio, & continua Dominici gregis detrimenta nescimus. De pretio escarum, & numero panum, cum ministris quotidiana discussio est: rara admodum cum presbyteris collatio est de peccatis populorum. Cadit asina, & est, qui sublevet: perit anima, & nemo est, qui reputet.* Putas nusquam hodie Jasones sunt, eorumque administri, palæstris & disco magis intenti, quàm altarium & animorum obsequiis? Quibus conveniat Clerici Galli ad conventum Episcoporum Parisiis habitus sermo, ex præscripto dæmonis, Dei ut aiebat jussu mandantis: *Principes infernalium tenebrarum principes Ecclesiæ salutant. Læti nos omnes gratias eisdem referimus: quia cum ipsis nobis eorum afferuntur subditi, & per eorum negligentiam ad nos devolvitur totus pariter ferè mundus.* Ita refert Spondanus Episcopus ad an. 1248.

an. 1248. ex Cantipratano itidem Episcopo, qui concioni interfuisse potuit. Non absimile quidpiam narrat anno 1351.

XIV. Parentum amor erga liberos.

Ut tam illustri salutatione hodie pastores nulli digni sint: quotus tamen ipsorum quisque ejusdem sententiæ ac mentis est, cujus trecenti Catholici Episcopi Africani, Carthagine cum Donatistis Episcopis collocuti? Augustino teste, eorumque verba recitante ad plebem Cæsariensem, in Coll. cum Emerito Donatista: *Se ad bonum populi esse Episcopos, & ad bonum ejusdem debere Episcopatum deserere, uti & gererè.* Sic pastores de officio erga subditos suo sentiant: sic parentes de suo. Illi ad plebis bonum præfecti sunt: hi ad vitam, salutemque, filiorum. Melius enim foret non genuisse mortales, quàm ad immortalitatem non regenerâsse. Poteras exemplis, ac documentis, formâsse filium pater, filiam mater: virgultum erat flecti facile, si laboris tantùm aliquid atque industriæ adhibuisses. Excrevisset trunco erecto, comis cælum spectantibus, in arborem vitæ. Negligentia tua curvo ligno est, capite deorsum pendente, infæcunda, igni damnanda. Audivi ex viro fide digno, Mediolanensem è primariis civem, ætate nostrâ, filio suo tantum indulsisse, reclamantibus licèt consanguineis; ut post varia facinora homicidio denique insigni patrato exul, proscriptorum Banditorúmve turmæ sese aggregârit. In eam turmam cùm pater aliquando incurrisset, agnitumque filium attonitus rogâsset, Quid ipse illic rerum? Ago, inquit filius, quod me docuisti. Simul illum ad proceram, & annosam arborem ducit, hortaturque, ut truncum flectat: excusanti, teneram & humilem arbusculam ostendit, monetque, ut illam ergo flectere conetur. Quod cùm de facili fecisset: Sic nuper fui, inquit filius, quando ad rectum me inflectere neglexisti: nunc indurui in corvum culpâ tuâ. Cum dicto patrem occidit; seque ipse mox, facinorum suorum odio, Mediolanensi Senatui stitit, & meritò plexus est.

XV. Caussa quarta ab arboris ipsius vitio.

Ut historia illa non acciderit, quam ego tantùm auditione accepi: accidisse tamen potuit. Neque enim infrequens est, ut filii, indulgentiâ patrum in exteros contumeliosi, in ipsos denique parentes, justâ Dei vindictâ per quæ quis peccat per hæc puniente, insaniant. Injuriâ tamen mali liberi omnem vitiorum caussam pravæ educationi adscribunt; quando potissima noxa est à pravitate voluntatis. Quare *mala arbor malos fructus facit?* Quia mala est, & putris, σαπρὸν δένδρον. Inde vitiantur poma, quia vel radix, vel medulla vitiata est; aut truncus, ramive, rupto cortice succum non continent, muscoque aut glutino exhauriuntur. *Percussus est Ephraim*, inquit Oseas cap. 4. *radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient.* Non sentis, Christiane, visco te voluptatum exinaniri; musco commodorum & honorum radicitus, ad extremas usque cupiditatum fibras, arescere; medullitus in intima mente, & reconditissimo sinu voluntatis, putrem esse? Hinc bonorum operum poma tibi vel putria germinant, vel nulla.

XVI. Putres & pravæ cupiditates.

Caussam solo, auræve, aut cultori, ne tribue. Faciunt quidem isthæc aliquid ad vitium: nihil tamen efficiunt, nisi voluntas tua mala sit, *nemo enim læditur, nisi à seipso.* Quod solum pejus, quàm barbaricum: quæ deterior, quàm captivi, mancipiique, conditio? In illa virtutem coluit Ezechiel. Quæ conversatio pejor, quàm Babyloniorum? Inter illos Daniel, & socii, succrevêre. Qui parentes idololatris vitiosiores? Inter illos adolevit Abraham. Contrà, in optimo statu sacerdotali, Ophni & Phinees periêre: in sancti, aut pœnitentis, parentis oculis Absalon: in Dei-hominis conversatione, & complexu, proditor Judas. Tanti interest, putrem radicem, aut medullam, arboris non esse: nec corruptam hominis cupiditatem, aut voluntatem. Monuêre concionatores egregii duo, Chrysostomus, & Augustinus, ille ex Paulli, hic ex Joannis, Apostolorum magistrorum suorum sententiâ. Ille, serm. de malis evertendis: *Si infecundæ arboris superiora circumcideris, eâdem novos edente ramusculos, nihil videberis radicibus altè condentibus effecisse. Quid autem malorum sit radix, edisce ab optimo agricola... Radix omnium malorum est cupiditas,* Hic, tract. 2. in ep. Joan. *Quasi agrum invenit.* Joannes Evang. *corda hominum. Sed quomodò invenit? Si silvam invenit, exstirpat: si agrum purgatum invenit, plantat. Plantare ibi vult arborem, caritatem. Et quam silvam vult exstirpare? Amorem mundi. Audi exstirpatorem silvæ: Nolite diligere mundum.* Ut adolescas, Christiane, ut fructifices, ut transplantari denique merearis in terram viventium: fac in mente hæc radicet voluntas, ante omnia Deo obtemperare, Deum numquam offendere. Eam radicem firma denso solo timoris, ne aliquando excidare, & in ignem mittare: riga suavi liquore spei, & fiduciæ, in hortulanum tuum, qui numquam deseruit sperantes in se: fove tempestivo calore caritatis erga tam amabilem, & tam benè de te meritum, meriturumque in æterna vita, agricolam.

SECTIO DECIMA-TERTIA.

Christus legatus Patris, ad illa Ioan. 16. Vado ad eum, qui misit me.

I. Christus vadit ad Patrem, & manet in Patre.

CHRISTUS ex pastore, vinitore, hortulano, Legatus Patris de se Joan. cap. 8. dicit: *Qui me misit, mecum est.* Et in ipso capite, unde thema desumpsimus, *Pater*, inquit, *in me est.* Quo ergo pacto vadit ad eum? Nam nemo it, nisi moveatur; non movetur, nisi, qui de termino per viam mediam transit ad terminum: ad terminum non transitur, si semper in illo manetur. Quomodò itaque Christus transit ad Patrem, à quo numquam discessit? Difficultas illic aliqua est in speciem; at in rem nulla, si intelligamus, quâ ratione Christus à Patre sit missus: unde conficiemus, quomodò ad Patrem redierit, & quâ formâ Christiani à Deo mittamur, ad Deum redire debeamus, discemusque, quod Augustinus Macedonio scribebat ep. 51. *Tantò nobis melius est, quantò magis in illum imus, quo nihil melius est: imus autem non ambulando, sed amando.* In hac itaque brevissimâ sententiâ, *Vado ad eum qui misit me*, compendio describitur primùm vita, & mors Christi, deinde vita, & mors Christiani.

II. Tripliciter missus à Patre Christus, quà homo.

Omissis, quæ de missione Personarum divinarum per productionem primùm æternam, tum per invisibiles spiritualésve effectus, aut per visibiles seu corporales, tradit D. Thomas p. 1. q. 43. præeunte D. Aug. lib. 2. de Trin. & rursum, post varios excursus, lib. 4. c. 19. 20. &c. Invenio Christum, quà hominem, tripliciter dici posse

posse missum à Patre: quemadmodùm tripliciter dicere possumus, nobilem quempiam, aut clarissimum virum, ad legationem mitti à Principe, seu tria ad eam missionem concurrere. Primùm enim Princeps animo illum designat, & destinat; vel ex affectu, & favore voluntaris; vel ex sententia judicii; vel ut idoneum rebus faciat; vel quia jam idoneus est. Deinde, jam designato, de necessariis providet, ad itineris commodum, & officii dignitatem: nominatim dat ipsi officii, ac fidei, testes literas, seu credentiales, ut vocant. Denique mandatis ipsum instruit, & res agendas, tractandásve committit. Ita Christo à Patre factum est.

III. *Ab æterno legatus designatur.*

Æterno consilio Deus eamdem naturam humanam, idem corpus, animum eumdem, quibus Verbum divinum modò unitum est, isti theandricæ conjunctioni destinavit. Sive ea designatio permittendi peccati decreto antecessisse dicatur, ut Theologorum nonnullis placuit: seu isti decreto subjuncta est, ut Doctorum plures sensêre. Seu Filius Dei conversationem humanam ultrò, etiam cura expiandi communis peccati necessitatem, amplexurus fuisset, non aliâ quàm testificandæ benevolentiæ causâ. Seu, ad solius peccati remedium, *Verbum caro* fieri voluerit, quâ de re quidpiam sect. 1. & 5. dictum est. Constat tamen, *ante tempora sæcularia* Deum cogitâsse de nobis *cogitationes pacis, & non afflictionis, in principio,* in quo *erat Verbum.* De sempiterna illa mittendi ad nos, & pro nobis, Christi designatione, intelligo ista Paulli ad Rom. cap. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* Etsi enim quidam aliter explicant; Græca tamen vox ὁρισθέντος, *definiti*, prædestinationem, seu designationem æternam, manifestè mihi significat.

IV. *Necessariis ad eam legationem instruitur.*

Neque idcircò Christi natura humana huic officio destinata est, quia cæteris futura erat magis idonea: sed ideò facta est magis idonea, quòd tanto muneri designaretur. Solus illam propensus favor divinæ voluntatis elegit: sola Dei benevolentia convenientibus prærogativis electam instruxit. *Quando ergo venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege*, inquit D. Paullus ad Gal. 4. Perfectissimo corpusculo absolutissima mens animi infunditur, & Verbo divino conjungitur: tantam conjunctionem decentia intellectûs, & voluntatis ornamenta accipit: donatur necessariis ac commodis, peragendo triccennali itineri, & implendo legationis officio: accipit testimonium missionis suæ, non à Prophetis modò, & Joanne plusquam Propheta; sed a Patre suo per miracula, de quibus illud Paulli ad Rom. 1. quidam interpretantur, & hoc Christi certum est intelligi, *Hunc Pater signavit Deus.*

V. *Accipit mandata.*

Simul mandatis instruitur agendorum, & patiendorum. *Venit enim Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat. Missus est ad oves, quæ perierant.* Hæc summa est legationis tam admirandæ, salus perditorum, redemptio captivorum, vita mortuorum. *Veni*, inquit ipsemet, *ut vitam habeant, & abundantiùs habeant. In hoc*, inquit Joannes 1. 4. *apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est caritas: non quasi nos dilexerimus Deum; sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Christus Apostolis, id est nuntiis, ac legatis, seu prolegatis suis, dixit Joan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Misit Apostolos Christus, ut docerent omnes gentes, & illarum saluti consulerent. *Misit* Christum *Deus* Pater Doctorem justitiæ, & Operatorem salutis, Filium suum, *non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.*

VI. *Redit ad Patrem obediendo totius vitæ tempore.*

Sic missus à Patre cum mandatis Christus, ad illum perpetuò redit, amoris atque obedientiæ passibus, & numquam interruptâ mandatorum executione, sive in agendo, sive in patiendo. Neque enim egit, passúsve est, quæ ipse voluit, sed quæ voluit Deus: neque ad se, suáve commoda, sed ad Deum, ejusque gloriam, in omnibus intendit. Si docet: *Mea*, inquit Joan. 7. *doctrina, non est mea; sed ejus, qui misit me.* Si miracula patrat: *Non quæro*, inquit Joan. 5 *voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Si peccatores ad meliorem vitam adducit, si Dei obsequio & honori mancipat: *Ego*, inquit Joan. 17. *te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.* Si ad patiendum accingitur, & in comitatu discipulorum de cœnaculo procedit: *Ut cognoscat*, inquit Joan. *mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.* Si luctâ interiore, & voluntariâ affectuum compugnantiâ, certamen supremum inchoat: *Pater mi*, inquit, *non sicut ego volo, sed sicut tu.*

VII. *Redit moriendo, resurgendo, ascendendo.*

Jam quando in Cruce pendens, exhaustis viribus, fatiscente corpusculo, animâ exituriente, dixit, *Consummatum est*: quid aliud voluit, quàm completam esse legationem suam, & perfecta universa, quæ à Patre acceperat, agendi patiendíve mandata? Itaque moriens exclamavit, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*: quasi dicat, redit ad te, functus omni officio suo, animus, quem misisti: excipe revertentem, amplectere obedientem, munerare promerentem. Mox reddetur corpori, eique suam, in qua crescere potest, beatitudinem communicabit. Tunc dicam, *Vado ad eum, qui misit me*, non animo solùm, sed corpore: post hebdomadas aliquot, salutatis Apostolis, & indubitatâ Resurrectionis meæ fide firmatis, ascendam in cælum, ibique ero ad dexteram virtutis Dei in excelsis, semper vivens ad interpellandum pro vobis, sectatores mei, filii mortis meæ. Legatus fui ad vos pro Patre, usque ad consummationem vitæ: legatus ero pro vobis ad Patrem, usque ad consummationem sæculi; & non dico, quia rogabo Patrem pro vobis, quia id satis ex officii mei ratione cognitum est.

VIII. *Quomodò nos ab æterno Deus misit?*

Audivimus, quo pacto, missus à Patre Christus, ad Patrem redierit: at quomodò Christiani? Primùm ab æterno Deus nos legationi suæ destinavit: *Elegit nos in ipso*, Christo, *ante mundi constitutionem*, inquit Paul. Eph. 1. & *prædestinavit nos in adoptionem filiorum*. Elegit ad gratiam, ac fidem, prorsus immeritos, relictis innumeris, uti & nos immeritis, æquè ac nos gratiæ idoneis, aut non minùs ineptis. Elegit ad gloriam merituros, operaturos, gratiam Dei non recepturos in vacuum. Electio prior ex sola processit faventis voluntatis divinæ propensione. Electio posterior ex voluntate simul prodiit, & judicio. Sed tantúmne de nobis sentire possumus, ut nos credamus esse de numero electorum ad gloriam? Dixi aliàs ad cap. 11. lib. 1. Excur. sect. 1. num. 18. non solùm id nobis persuadere nos posse, sed debere: ut fidenter ambulemus in viis Domini, & cantemus, quia magna est gloria, & bonitas Domini; qui dignum duxit

super

super hujuscemodi aperire in specula immensitatis oculos suos, & adducere eum secum in judicia in misericordiæ æternæ.

IX. Quomodò misit in tempore?

Electos Deus misit per corporis efformationem, & animæ creationem, in tempore placito: illisque imaginis suæ illustrem characterem, velut servitii & legationis suæ signum, impressit. Corpus membris, ac sensibus, animum facultatibus fungendo muneri suo necessariis, instruxit: intelligentiam veritatis capacem, voluntatem bono nullo præterquam summo satiabilem, dedit: linguam, quâ mentis suæ intima sensa exprimere, & legationis suæ officium explere posset, ori inseruit. Quamquam homo etiam mutus, & elinguis, imo inscius, atque invitus, Deum ejusque gloriam, conditionis suæ nobilitate, eloquitur. Quemadmodùm legatus, aut nuntius, quamvis tacens, ne literis quidem productis, expositisve mandatis, apparatu tamen, & comitatu, magnitudinem Principis sui, vel Regis majestatem, commendat. Sed ista hominibus omnibus communia sunt. Christianis autem, qui *pro Christo legatione fungimur*, præter illas naturæ dotes impressus est character baptismi, literarum credentialium instar: data sunt supernaturalia fidei, & gratiæ dona, ad illustrandam intelligentiam, voluntatem roborandam. *Benedictus Deus, per quem vocati sumus in societatem Filii ejus*, ut ei simus legationis suæ asseclæ, aut prolegati.

X. Quomodò instruxit mandatis?

Instructis, mandata scripta sunt in tabulis cordis, in lege naturæ. Non est, quem scientia horum præceptorum fugiat, si conscientiâ non caret. Præceptum posuisse dicitur Deus rebus inanimis. nec prætereundum: dicuntur grando, nix, glacies, facere verbum ejus: audio ex Guilielmo Parisiensi, araneam nasci *cum lege, libro, & lucerna*. Tam vilia animalcula; tam insensibilia meteora, lege non carent, quia vel motum, vel instinctum, ab auctore naturæ acceperunt. Non habeat legem mens hominis, quando intelligentia sola capax præcepti est? Christianis accessit lex Evangelica caritatis, præcepta Domini, verè dulciora super mel & favum, illuminantia oculos, & sapientiam præstantia parvulis; neque aliò tendentia, quàm legatio Christi. *Quæ est enim voluntas Dei? Sanctificatio vestra.* Venit Christus jussu Patris, *ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Venimus nos Dei voluntate, ad vitam rationis, ac fidei, ut simus pars populi acceptabilis, opera bona sectemur; &, quantum in nobis est, hæc loquamur, & exhortemur, in Christo JESU.

XI. Omnia vadunt.

Ista missio à Deo nostra est: quis autem noster ad Deum reditus? Imus omnes, imò currimus, & avolamus, cum volubilitate temporum. *Generatio* enim, inquit Ecclesiastes c. 1. *præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum stat.* Hominum sibi succedentium ætates alibi cum theatri spectaculis, ex vulgari similitudine, comparavimus. Non minùs commodè conferri possint, longæ ordinum omnium per plateas Christianæ civitatis procedentium supplicationi. Præfert crucem Adamus, postquam ipsi denuntiatum, *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo.* Sequuntur longâ serie, ornatu vario, gestu, specie, filii Dei, & filii hominum: quomodò in supplicatione ad eumdem finem tendunt, neque eodem exemplo gradiuntur: ita non hominum modò, sed etiam Christianorum, eamdem viam universæ carnis euntium, diversis prorsùs finibus agitur intentio.

XII. Soli boni vadunt ad Deum.

Mali, relicto Deo, in se feruntur, sua commoda, honorem, voluptatem spectant. Boni vadunt ad eum, qui misit illos, ejusque voluntatem & gloriam, in agendo, constanter intueri conantur. Illi à Zach. cap. 7. dicuntur *avertere scapulam recedentem*, fugientes dominum suum. De his dicit Deus Zach 9. *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi, euntes, & revertentes.* Similes sunt fulminibus, de quibus apud Jobum c. 38. *Numquid mittes fulmina, & ibunt, & revertentia dicent, Adsumus:* aut, ut aliæ versiones habent, *dicent, Quid est? Dicent, Quidnam est quod optas facere? Stellæ dederunt lumen in custodiis suis*, Baruc, c. 3. *& lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt, Adsumus, & luxerunt cum jucunditate ei, qui fecit illas*: illæ utique stellæ, quas Christus Apoc. c. 1. habet in manu dextera sua: illæ, de quibus Daniel prædixit futurum, ut luceant *in perpetuas æternitates.* Cælum, quod philosophis & astrologis dicitur primum mobile, ab Oriente per Occidentem in Orientem volvitur: at cæli inferiores, si tamen plures sunt, aut diversi saltem in eodem cælo planetæ, motu proprio feruntur ab Occidente per Orientem in Occidentem. Motum illum, rationalem astrologi vocant; hunc, irrationalem. Hic enim motibus improborum similis est, qui ex se omnia incipiunt; & quamvis per Orientem moveantur, Deo concurrente & cooperante, motum tamen omnem in se reflectunt. At boni, ex ratione & fide, satagunt, ut omnis sua operatio à Deo incipiat, & in Deo finiatur. Similitudo familiaris, & vulgaris, peti solet ex Gen. c. 8. à corvo, ad Noemum non revolante, columbâ revolante. Pete ab impio: Quò vadis? Respondebunt tacitæ ipsius cogitationes: Ad fœtidum cadaver luxuriæ, intemperantiæ, avaritiæ, ambitionis. Pete à veri nominis Christiano, quidlibet agente, in quibuslibet *suis custodiis* lucente: Quid agis? *Quo vadis?* Dicet: *Vado ad eum qui misit me. Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Quæro, non voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. Opus consummo, quod datum est mihi, ut faciam.* Multò magis, si id à Religioso homine Apostolicæ professionis; cujusmodi in Societate esse nos oportet, perpetuâ pro Christo legatione fungentes; ad id vocatos, ut non saluti modò nostræ & perfectioni, sed etiam alienæ impensè studeamus: si ergo à tali petas, *Quò vadis?* Respondere debet ad singula, *Vado ad eum, qui misit me*, insisto Christi vestigiis, qui est viator, & via.

XIII. Pii moriuntur læti.

Vitâ sic exactâ in semitis Dei, quàm securo animo, & lætâ voce, dicet moriens, *Vado ad eum, qui misit me?* Redeunt omnia denique ad principium suum. *Lustrans universa in circuitu pergit spiritus*, seu Solem intelligas, seu ventum, *& in circulos suos revertitur. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur.* Ita omnes hominum vitæ præcipitantur in Oceanum æternitatis divinæ, unde profluxêre. Revertitur pulvis in terram suam, & spiritus redit ad eum, qui dedit illum. Sed si iste spiritus, in carnem & temporalia immersus, æternitati & Deo non vixit, tremens exit è corpore, velut ingressurus in carcerem; dicitque, uti infælix Cæsar Adrianus moriens. *Animula pallidula vagula, ... Quænam hinc abibis in loca!* Si Deo servivit, si longè futura prospexit, egreditur de corpore velut de ergastulo, acciniique Deo, *Dirupisti vincula mea.* Captivi duo Gen. c. 40. de carcere educuntur, ad

ministerium aulicum unus, alter ad patibulum; tam dispari vultu, quàm sorte. Legatorum unus, re benè gestâ, redit ad Principem: alter ad illum trahitur, proditâ republicâ, consumpto ærario. Sic est exitus proborum, & improborum: horum tristitia cor implevit: horum gaudium est plenum, quia *ibi fixa* habuerunt *corda, ubi vera sunt gaudia.*

XIV. Christianus aspiciat terrena, ut relinquenda.

Quod de isto themate diximus, *Vado ad eum, qui misit me*; isti etiam aptari commodissimè potest, *Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Si tamen alia dicere placuerit, expende istud, *Relinquo, & Vado.* Quid vitâ universâ homines faciunt? Post se, momentis singulis, relinquunt tempora: ante se habent æternitatem, ad quam contentis passibus ambulant. A puero relinquitur infantia, & crepundia: ab adolescente pueritia, & innocentia: à juvene adolescentia, & libertas: à viro juventus, & agilitas: à sene virilitas, & vires: à moriente quid non relinquitur? Istis relinquendis tu inhæreas, fortunate Christiane, *& ipsa gestatio vehiculorum, & amœnitas itinerum*, ut Aug. loquitur lib. 4. de doctr. Christ. te alienet à patria, & affectu in peregrinatione detineat? Aut tu, infortunate viator æternitatis, quia salebrosam lutosámve viam incurris, relinquendam tibi illam non cogitas; & gemis, quasi semper in illa sit manendum? Sursum cor, ô Christiani, in quavis fortuna: eò nos vocabit mox Christi Ascensio.

SECTIO DECIMA-QUARTA.

Christus Restitutor regni Israël, Triumphator, Assessor Patris.

I. Judæi temporale Messiæ regnum exspectavère.

IUDÆOS, qui apud Osee c. 14. Amos c. 9. Abdiam, aliosque, legebant promissam Israëlitico populo libertatem, opulentiam, dominationem, gloriam, cum Messiæ adventu; neque illa in spiritualium bonorum figuram promitti intelligebant: eos ergo hebetis ingenii, & terreni affectûs homines, mirum non est, à Christo temporale regnum exspectâsse. Sed discipulos, tot de regno Dei, de regno cælorum, de vita æterna, ex ore ejus divino sermonibus edoctos, crassis illis Judæis consimilia sperare, quis ferat? Peregrinatores duo Emmaüntem, longè abeuntes à veritate, *Nos*, inquiunt, *sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël.* Non audistis, *ô stulti & tardi corde*, quid Pilato interroganti responderit, *Regnum meum non est de hoc mundo?* Nescit fides vestra, ignorat spes vestra, quod ipsa non nescit desperata infidelitas?

II. Et Apostoli ipsi.

At ecce longè minùs tolerabilis, non jam discipulorum duorum, sed Apostolorum omnium oscitantia. Redivivus Christus, *per dies quadraginta apparens eis*, locutus fuerat *de regno Dei.* Ascensurus in cælum, progreditur ad montem Oliveti, in eorum comitatu. Cùm defixas in æterna cogitationes, & voluntates habere deberent, interrogant tamen: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël?* Populóne Israëlitico, τῷ ἰσραὴλ, ô dominator omnium, reddes dominationem suam, depulsâ alienigenarum tyrannide? Jámne reddes *in hoc tempore*, quo Romanorum, & Herodianorum, durissimo jugo premimur? Ita isti, excæcatum adhuc habentes cor, & temporalem fælicitatem somniantes. Meritò itaque à Christo audiunt: *Non est vestrum nosse tempora &c. Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos*; qui spirituales de animalibus efficiat, & in alta sustollat, doceatque regnum meum non esse de hoc mundo.

III. Excusari potest eorum interrogatio.

Quidam, ut Apostolis tam crassæ ignorantiæ labem abstergant, dicunt, idem ipsis accidisse, quod D. Petro in monte Thabor, quando, præ gaudio *nesciens quid diceret*, petiit, an tria tabernacula illic struenda essent: ita hic Apostolos, variis in discessu Christi affectibus agitatos, interrogâsse, nescientes quid dicerent. Augustinus, epist. ad Hesychium, existimat, Apostolorum interrogationem fuisse de judicio extremo, & altero adventu Christi: favetque opinioni Augustini, quòd Angeli, sublato in cælum Christo, astiterunt in vestibus albis, & Christi adventum ad judicium commemoravèrunt. Quid si dicamus, etsi Salmeroni non probetur, Apostolos de regno Israëlitico, & Christiano, spirituali interrogare voluisse, de quo per dies quadraginta audierant? Quomodocumque Apostoli intellexerint, nos saltem istorum verborum occasione dispiciamus, quo pacto Christus spirituale regnum suum in cælo, & in terra, restituerit, ascendens in cælum: deinde, quomodò nos ipsos illud in nobis restituere oporteat.

IV. Christus cum Apostolis locutus de duobus regnis Dei.

Christus per dies quadraginta post Resurrectionem apparens Apostolis, locutus est eis de regno Dei: at de quo regno? De utroque, tum quieto Ecclesiæ triumphantis, tum laborioso Ecclesiæ militantis. Ita passim censent interpretes, & obvia ac certa explicatio est. Edisseruit Christus Apostolis, quæ nusquam distinctè in Evangeliis docuerat, de æternæ beatitudinis conditionibus: quod illius præcipuum caput, & essentia: quæ virtutibus heroicis destinatæ aureolæ: quæ dotes animi, quæ corporis: qui gradus, & ordines Angelorum, ac Beatorum. Tradidit præterea explicatè, quidquid jam inde ab Apostolicis temporibus Catholica Ecclesia credit, & usurpat, etsi in Evangeliis particulatim non descriptum: de Sacramentorum numero, materiâ, formâ: de baptismo parvulorum: de sacrificii partibus, & effectis: de ordinibus Episcoporum, Sacerdotum, Ministrorum: de hierarchia Ecclesiastica universa: de miraculis, & persecutionibus, crescentis Ecclesiæ.

V. Prælia duo regnum cæleste depopulata.

Eadem regna Dei, quæ post Resurrectionem Christus descripserat, Ascensione *restituit.* Aptat illi Paullus Eph. 4. istud Psalmistæ: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Prima ejus versûs parte indicatur, quomodò Christus restituerit regnum Ecclesiæ triumphantis: alterâ, quomodò regnum militantis. Erant annorum millia quatuor, ex quo factum fuerat bellum in cælo, & draco pugnaverat, & Angeli ejus, nec locus eorum inventus erat amplius in cælo; detrusis inde ad inferos innumeris intelligentiarum rebellium legionibus. Superbiæ id prælium fuit, vel invidiæ, aut utriusque potiùs. Secutum alterum, serpentinâ invidiâ excitatum; superbiâ, inobedientiâ, curiositate, intemperantiâ commissum: quo genus humanum omne in parentibus primis corruit, ac periit; exindeque mortalium, quamvis piorum, & cælis dignorum; animæ ad proximos inferis carceres detrusæ. Liberator Christus advênit, quando descendit ad inferos: eduxit vinctos de lacu, in quo non erat aqua: per dies quadraginta colloquia

cum

cum Diva Matre, cum Apostolis, cum discipulorum reliquis, in terra secum detinuit. Denique *ascendens in altum, captivam duxit captivitatem*: eos, qui capti fuerant, liberos secum deduxit ad proprium beatitudinis locum. *Utinam & me*, inquit Orig. hom. 18. in Num. c. 14. *captivum habeat semper Christus IESVS, & me ducat in prædam suam, & teneat ejus vinculis alligatum. ut & ego dici merear vinctus Christi IESV, sicut Paulus de seipso gloriatur.*

VI. Rex cælo per Ascensionem datus.

Certamina duo cælesti regno vastitatem intulerant: populum illi suum, simul & Regem, ascendens Christus restituit. Rex ipse fuit à primo vitæ momento; pro Rege ab Angelis habitus, quorum legiones è cælis ad obsequium suum, cùm lubuisset, evocare poterat; Rex item à Magis, & à Pastoribus adoratus. Regio tamen ornatu, & comitatu, nondum processerat. Jam nube susceptus, trans cælos devectus, prævolantibus Angelis, stipantibusque, subsequente gloriosâ captivitate, Rex non salutatur obscurè, ut intra Bethlemici præsepis angustias; non inauguratur occultè, ut intra materni uteri latebras: sed adoratur in cæli empyrei lumine, acclamatur ab omnibus Angelorum ordinibus. Videor mihi audire voces lætantium, & iterantium, non ista vulgi, *Vivat Rex*; sed ista Psalmistæ: *Tollite portas principes vestras, & introibit Rex gloriæ*: aut ista, *Psallite Deo nostro, psallite, psallite Regi nostro, psallite: Quoniam rex omnis terræ Deus*: aut ista potiùs Gabrielis Angeli, cum Virgine colloquentis, & Ecclesiæ Angelo succinentis, *Regni ejus non erit finis*: aut ista denique Angelici Apostoli, *Rex Regum, & Dominus dominantium.*

VII. Redditus item populus.

Collocatus in gloriæ throno, amictus lumine sicut vestimento, Regiam potestatem exercet, distribuendis gradibus & ministeriis Beatorum:

Soli poliq; patriam, inquit Fulbertus hymn. de Asc.
Unam facit rempublicam.

Jam inde à victoria, de dracone reportatâ, suis Angelos quosque locis Deus ordinârat: Beatis hominibus ordo ad Ascensionem Christi servabatur. Collocandi erant inter Angelos Israëlitæ innoxii, aut pœnitentes, quos cura tantùm sui aut paucorum salvandorum tenuerat: tamquam Innocentes pueruli; Judæi, quos Babylone aut Ninivæ vitam ex virtute agentes, mors in exilio oppresserat. Archangelis & Dominationibus attributi, qui familiarum curam, urbiumve gesserant, Mardochæi, Nehemiæ, Esdræ, Zachariæ. Ad Potestates aggregati, & ad Principatus, Duces populi, ac Reges, vitâ sanctè exactâ celebres, Josaphati, Ezechiæ, Josiæ, Mathathiæ, Simones, Jonathæ. Virtutum numero sociati, quos præter sanctimoniam miracula commendârant, Elisæi, aliique plurimi, de cœtu Prophetarum. Adlecti ad Thronos, quibus imperturbata in calamitatibus quies constitit, Jobi, Tobiæ, Isaaci, Jacobi, Noëmi. Inter Cherubinos recepti, qui scientiâ divinâ claruerunt Prophetæ primarii, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel. Seraphinorum ordini accensiti, & vacuis sedibus locati, quos ardens virtus ad summum evexerat, Joannes Baptista, Josephus uterque, Patriarcha, & maritus Virginis, Abrahamus, Moses, Judas noster Machabæus.

VIII. Gradus & coronæ distribuuntur.

In ipso Christi ad limbum descensu, sanctis illis animabus lumen gloriæ communicatum fuisse non ambigo, datamque, ut loquimur, beatitudinem essentialem. At distributio illa graduum, & ordinum partitio, ad Ascensionem usque servanda fuit: ne Regiæ familiæ ministeria, ante Regis ingressum, disponerentur. Eodem tempore, datæ merentibus aureolæ. Martyrii coronam Abel accepit, Providentiæ Martyr: accessêre Eleazarus, septem fratres cum matre, Judæique alii, in religionis odium à Philippo exusti; forsan & Machabæus noster, aliique fortiter pro religione in prœliis mortui. Doctorum insigni ornati Prophetarum plerique. Virginitatis præmium pauci ante Christum accep[erunt], Joannes Baptista, & Josephus Virginis maritus: de Elisæo, ac filiis Prophetarum, & de filia Jephte, arbitrantur quidam, ego nihil assero.

IX. Quo loco nos?

Quo autem loco Davidem pœnitentium sanctissimum, Regum celeberrimum, Prophetarum nobilissimum, reponamus? An Thronos inter ob mansuetudinem, inter Cherubinos, ob scientiæ divinæ lumen; inter Seraphinos, ob pietatis ardorem? Ubicumque tandem amabilis vates fuerit, identidem illud suum, ad suavissimi spectaculi miraculum, accinuit: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum? Concupiscit, & deficit anima mea, in atria Domini. Melior est dies una, in atriis tuis, super millia.* Quo autem loco nos erimus? Nonne & Christus in cælum abiit, *parare* nobis *locum*? Nonne, quamvis absentibus, quamvis longè post futuris, officia sua designavit, & ordinem præfinivit? Sumúsne nos in beato isto numero præscitorum? Ausimúsne dicere: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini!*

X. Christus ascendens restituit regnum Ecclesiæ militantis.

Cupere omninò, & sperare possumus, ac debemus: &, quò certiùs illud audeamus, antè dispicere, quem nos in Ecclesia militante locum nacti simus, ac tueamur. Neque enim gradus in cælo immeritis præfiniti sunt: nec coronabitur quisquam, nisi, qui legitimè certaverit. D. Paulus ad Eph. 4. postquàm dixit, Christum in cælos ascendentem dedisse dona hominibus, paullò pòst subdit; Apostolos ab ipso Prophetas, Evangelistas, Pastores, Doctores factos, *in consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem Filii Dei.* En restitutionem regni Israel, distributionemque omnium in Ecclesia militante munerum, ac graduum, factam in Ascensione Christi. Et ne quis ex pauperioribus, & indoctioribus, sibi locum non esse inter tanta nomina existimet: advertendum, cum quo hominum genere agat Paullus, & repetendum, quod ante generatim posuerat: *Unicuique data est gratia, secundùm mensuram donationis Christi*: non Apostolis solùm, aut Doctoribus, sed *unicuique*. Ascendens ergo Christus, *elevatis manibus benedixit* discipulis, & Ecclesiæ universæ: aperuit manus suas, & implevit omnes Christianorum gradus benedictione congruâ; ut spiritu viventes singuli, spiritu ambulent, convenienter professioni suæ.

XI. Spiritûs sancti dono firmata Ecclesia.

D. Petrus Act. 2. cum Israelitis agens, *Dexterâ*, inquit, *Dei exaltatus* Christus, *& promissione Spiritûs sancti acceptâ à Patre, effudit hoc donum, quod vos videtis, & auditis.* Prædixerat Christus fore, ut, si abiret, Paracletum mitteret: & subtracto corporis sui adspectu, Spiritum infunderet. Accepistine illum, Christiane, secundùm mensuram donationis Christi? Si accepisti, an servâsti? Si servâsti, an auxisti? Quid cogitas,

quid agis, quid loqueris, in Ecclesia Dei? Gerisne te, ut Evangelica præcepta docent, ut exigit sanctitas Sacramentorum, ut ab Apostolis traditum est, ut postulat continentiæ votum, honestas matrimonii, viduitatis propositum, clericatûs sanctitas, dignitatis exemplum? Meretisne esse in opere ministerii, aut saltem in ædificatione corporis Christi? Ad triumphale regnum adspiras, an strenuè versaris in militari? Dari tibi sedem inter Beatos Israelitas velis, an ipse in corde tuo restituis regnum Israel?

XII. Singuli restituant in se regnum Israel.

Cancellarius Parisiensis Gerson, coram Alexandro V. Pontifice dicturus, ab hoc themate cœpit: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel*, Ecclesiam schismate laceratam, vitiis oppressam, ignorantiâ fœdatam? Id nos à Pontificibus, à Regibus, à Pastoribus, à magistratibus non petamus: suos ipsi habeant monitores. Interrogemus nosmetipsos, & scrutemur, an restituamus in nobis ipsis regnum Israel, & Dei. Quis dominatur in imaginatione & sensibus nostris? Quis in cogitatione, & intellectu? Quis in voluntate, & desideriis? Herodéane, & Romani; an Judæi, & confitentes? Herodias, an pietas? Vitiáne, an virtutes? Pilatus, an Christus? Hoc inquire, hoc rimare, quisquis es, quocumque gradu, & ætate: fac, quantum potes, ut de te verum sit istud Christi, *Regnum Dei intra vos est*: regnet hic Christus in nobis, ut ibi regnemus cum Christo.

XIII. Omnes ascendere desideramus.

Philosophus pro indubitato in Metaphys. hoc ponit, *Omnis homo naturaliter scire desiderat*. Non minùs indubitatum, imò evidentius istud, *Omnis homo naturaliter ascendere desiderat*. Ad aulas, curias, exercitus tribunalia te non duco; ubi invenias cui Lucanus illud suum de Cæsare aptet:

Impellens quidquid sibi summa petenti
Obstaret, gaudensq́, viam fecisse ruinâ.

Non ostendo Academias, fora, officinas: ubi studiis, artibus, opibus, paupertate, vitiis ipsis, imò & virtutibus, celsior gradus quæritur. Generatim, de quibusvis Bernardus pronuntiavit serm. de Ascens. *Cupidi sumus ascensionis, exaltationem concupiscimus omnes: nobiles enim creatura sumus, & magni cujusdam animi, ideoq́, altitudinem naturali appetimus desiderio.* Sed in ea cupiditate cæci, non dispicimus plerumque quò, & quà ascendendum sit, aut certè dispicere nolumus: cùm nobis idem objicere Christus, quod discipulis possit, *Quò vado scitis, & viam scitis.*

XIV. Quàm inanes mortalium ascensus.

Intueamur saltem hodie utrumque in Christo ascendente, Paullo monstrante, cap. 4. ad Eph. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos.* Rex gloriæ Christus, triumphator hodie super omnes cælos ascendit, quia infra omnem terram descendit. Christi humilitas superbiam vicit: altitudo Christi de superbia triumphavit. En viam tuam, Christiane, en terminum viæ. Quò Christus provehitur? *Super omnes cælos.* Motúne composito; an simplici, ut sagittæ? Transitne cælos divisos, an penetrat dote subtilitatis? Hæretne intra cæli empyrei substantiam, an extra totus emergit, Universo superior cujus dominus est? Sufficiat nobis istud, ascendisse *super omnes cælos.* Miseri mortales, postquam totis viribus enisi sunt, ad quam altitudinem denique pervenêre? Pueri interdum spectavimus supercilia montium, velut cælo minantia; putavimusque, si illic daretur consistere, stellas nobis sub pedibus, in manibus certè futuras. At postquam magno labore culmen anheli attigimus, tunc demum spei nostræ inanitas apparuit. O quoties, postquam adolevimus, imò postquam senuimus, similia pueris figmenta ridicule imaginamur? Dignitatum, opum, voluptatum, montes eminùs intuemur: sideribus caput videntur intulisse, qui illuc erepserunt. At postquam mille forsan indignitatibus ad dignitatem evasisti, postquam malis forsan artibus opes comparasti, postquam vitiis voluptatem junxisti: tunc demum sentis, quàm vile & abjectum sit cominùs spectanti, quod eminùs adspicienti tam excelsum videbatur.

XV. Tubercula rerum humanarum.

Non montes sunt isti, sed colliculi, sed tubercula talparum, à cæcis mortalibus effossa, & in regnis ac provinciis, velut in pratis, prominentia. Si in ejusmodi tuberculo videas puerulum stantem, & de altitudine gloriantem: idem dicas à glorioso juvene, & venditatore viro fieri. In monte putas te stare, quia Comes es, Dux, Princeps: tuberculum est; in altiori stetit Roboam. Ad excelsum verticem pervenisse tibi videris, quia famâ clues, ingenio polles, judicio vales, consilio utilis es, pro oraculo haberis: tuberculum & istud est; in excelsiore fuit Achitophel; ut Luciferum tibi, asseclasque omnes deturbatos, non ostendam. Gigas, in valle quamvis, gigas est: pygmæus, quamvis in monte, pygmæus est, quid jam in tuberculo?

XVI. Super Cherubim, ventos, & Lunam ascendendum.

De Deo agens Psalmista, *Ascendit*, inquit, *super Cherubim, & volavit, volavit super pennas ventorum: Ascendit super occasum, Dominus nomen est illi.* Nusquam, ô homo, progressus es, donec ascenderis super Cherubim: non super sensus modò, & imaginationem, sed etiam super intelligentiam quamvis, ac scientiam, fide non illustratam. *Ascende* quantum potes, *donec saculum, & rerum videas infinitudinem.* Nihil profecisti, donec eò perveneris, ut evoles *super pennas ventorum.* Impii rapiuntur sicut pulvis à facie terræ, passionibus agitantur, desideriis inquietantur, intra pennas ventorum sunt: eò nitatur pius, quò venti & mutationes non adspirant, ut de Olympo olim credebatur, neque Augustinus neglexit 1. de Gen. con. Manich. cap. 15. Frustra tibi de celsitudine blandiris, si nondum evasisti *super occasum*, si consistis sub Luna; ubi, quæcumque oriuntur, occidere aliquando necesse est: sola semper oritur, numquam occidit, æternitas, sita *super cælos cælorum ad Orientem.*

XVII. Et super omnes cælos.

Fac te super Lunam ascendisse, perpetuò mutabilem; fac supergressum orbi Solis, qui *oritur, & occidit*; fac videre te sub pedibus stellas fixas, æquè ac sidera erratica, sicut Daphnidem poeticum: nondum tamen ad veram felicitatem pervenisti, donec cum Christo ascenderis *super omnes* omnino *cælos*, & transieris atque calcaveris quidquid mortali magnum est, exiguum immortali. Hærens in cælo Lunæ *stultus, ut Luna mutatur.* Consistens in orbibus planetarum, ut cælos nominare non placeat, vagatur cum vagis, volvitur cum errantibus: Martem militiâ, Mercurium prudentiâ, Venerem formâ, Solem honore, Jovem fastigio, Saturnum judicio sequitur, & perit. In Cassiopœa, & Orione, & Via lactea, & Ariadne, & Cygno labente, & Berenices capillitio imaginaria bona sectatur, ut constellationes imaginarias. Tam vanis, & insanis capto inclamat Christus præiens, & ascendens, *Amice*, Christiane, *ascende superiùs*, donec Deum videas apertè, & ames imperturbatè. *Quotidie*, inquit Prof. de

prom.

prom, & præd. p. 1. c. 3. *monendos nos per sacerdotes censuit divina clementia, cor sursum erigere.* Clamat Christus ipse summus Pontifex, *Sursum corda.* Hic est fælicitatis terminus, & viæ scopus.

XVIII. Christus ascendit, quia descendit.

Cujus autem viæ? Qui signavit terminum, idem viam monstravit: *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit, primùm in inferiores partes terræ?* Descensus Christi, iter fuit ad ascensum? Ideò summus evasit, quia infimus fuit. Piè advertit Osorius noster, vocem quæ ultima paginæ adversæ est in libris editis, primam esse paginæ aversæ. Christus in hujus vitæ pagina ultimus, ac novissimus virorum, in altera primus est. *Humiliavit semetipsum Dominus IESVS* &c. *Propter quod & Deus exaltavit illum. Vultis ejus saltus cognoscere?* Gregorius percurrit hom. 29. in Evang. *De cælo venit in uterum Virginis: de utero venit in præsepe: de præsepio venit in Crucem: de Cruce venit in sepulcrum: de sepulcro rediit in cælum.* Transdit multa Gregorius, compendii caussâ: nominatim, quòd de sepulcro venerit *in inferiores partes terræ*; ad infima proximè receptacula inferorum. Inde in sepulcrum rediit, ex sepulcro in cælum. Fontium artifices, quò aquam altiùs de syphone volunt exprimere, eò profundiùs de excelsiori loco demittunt. Fons aquæ vivæ de Patris æterni sinu erumpit in Mariæ gremium: inde, à tricennali per terram fluxu, abditur in subterraneam abyssum: ex abysso emergit in cælum, ex inferioribus mundi partibus ad supremas exsilit.

XIX. Descende, Christiane, ut ascendas.

Viri Galilæi, quid statis adspicientes in cælum, Christum oculis sequentes, mente & corpore sequi desiderantes? Standum hic non est; descendere oportet, si cupitis ascendere: quoque altiùs vultis ascendere, eò profundiùs descendendum est. Christiane, Galilæe, homo affectu mutabilis, vertibilis voluntate, quid modò stas, modò curris, modò recedis? Descende. Ad ascensum iter aliud nullum est. Augustinus serm. 47. de diversis: *Omnes*, inquit, *delectat celsitudo: sed humilitas gradus est. Quid tendis pedem ultra te? Cadere vis, non ascendere: à gradu incipe, & ascendisti. Istum gradum non videbant discipuli, qui dicebant: Domine, dic, ut sedeant* &c. *Dominus autem ostendit gradum: Potestis bibere calicem* &c. *Quæritis apicem sublimitatis: potestis bibere calicem humilitatis?* David, postquam in vallibus delituit, de se tandem locutus est 2. Reg. 23. *Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob.* Hebræa habent *dixit vir excelsus.* Alii legunt, *dixit vir, quem suscitavit Dominus*: Hieronymus in quæstionibus Heb. legit: *dixit vir, cui constituta est scala*, cujus pes quia in valle est, idcirco capite cælos tangit. *Beatus vir, cujus est auxilium à Deo, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum?* Ascensionem suam Christus incæpit ex monte Oliveti, ad cujus pedem cæperat Passionem suam, velut in valle lacrymarum. Inde fælix ille eques, de quo D. Bernardinus, & post illum Episcopus Genev. l. 7. de Amore Dei c. 12. inde ergo, id est de Oliveti monte, Christum subitâ morte ad colles æternos secutus est. *Ad Deum ascendit volando, qui ascendit amando*, inquit Aug. in ps. 121. Sed Deum non amat, qui dilecti Filii humilitatem non imitatur.

XX. Cur Christus sedere dicatur ad dexteram Patris?

Christi ascensionem sequitur sessio ad dexteram Patris, de qua quæruntur duo: Cur sedere dicatur, cùm stare sit magis conveniens corpori beato? Cur ad dexteram Patris esse dicatur, cùm dexteram Pater non habeat? Primæ quæstioni satisfacit Augustinus lib. de fide & symb. *ubi, & quomodò, sit in cælo corpus Dominicum, curiosissimum & supervacaneum est quærere, tantummodo in cælo esse credendum est...* Sessione autem dicit significari *potestatem judiciariam.* Et lib. 1. de symb. ad Catech. sedere dicit poni, pro habitare, uti & Latinè *habitationes sedes dicuntur.* Ad alteram quæstionem sic respondet c. 26. de Agone Christiano: *Dextera Patris est beatitudo æterna... spes nostra ibi est. Propterea & ipse Dominus, post Resurrectionem, jussit discipulis, ut mitterent in dexteram navigii rete.* Augustinum secutus Isidorus l. 1. sent. sent. 18. *Sedet Christus ad dexteram Patris, non ut dexteram corpoream habeat Pater: sed dextera Patris beatitudo est, sicut sinistra miseria.*

XXI. Ut nos in dexteris & æternis discamus quiescere.

Breviter nos dixerimus: sedere Christus dicitur à dextris Dei, sitque *assessor Patris*; ut spei nostræ, ac desideriorum discursatio, ad dexteram Dei discat conquiescere. Vias, quæ à dextris sunt, novit Dominus: perversæ autem sunt viæ, quæ à sinistris sunt. *Longitudo dierum æternorum in dextera ejus: in sinistra autem divitiæ, & gloria,* & quidquid aliud temporale est. Quare inquietus es, ô Christiane? Quis curris ad lævam, ad temporalia vagas cupiditates mittis. Audi Aug. serm. 2. de Asc. *Salvator noster, dilectissimi fratres, ascendit in cælum, non ergo turbemur in terra. Ibi sit mens, & hic erit requies. Ascendamus cum Christo interim corde: ut, cùm dies promissus advenerit, ascendamus & corpore. Scire tamen debemus, quia cum Christo non ascendit superbia, non avaritia, non luxuria... Dirumpamus vincula eorum, ut securi possimus dicere, Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

XXII. Ut spes nostra quiescat in cælis.

D. Leo serm. 2. de Ascensione, censet Christum ideò oculis mortalium subtractum, *ut mirabilior fieret gratia Dei, cùm remotis à conspectu hominum, quæ meritò reverentiam sui sentiebantur indicere: fides non deficeret, spes non fluctuaret, caritas non teperet.* Perficitur certè fides nostra, quando invisibilem, quasi videns, sustinet. Augetur caritas, & amor accenditur, absentiâ: latente dilecto post parietem, & prospiciente per cancellos, donec adspiret dies, & inclinentur umbræ. Spes tamen præsertim assurgit, & extenditur: quia *Christi ascensio, provectio nostra est; &, quò præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis.* Attollite capita, O *curva in terras animæ, & cælestium inanes*: en quò Christus nos provocat. *Descendit, ut ascenderemus: mortuus est, ut viveremus: resurrexit, ut resurgeremus: ascendit in cælum, ut terrena contemnere, & cor sursum erigere disceremus. Denique, ut levaret post se spem nostram, levavit primò carnem suam.* Ita August. serm. 54.

XXIII. Christus nos volatum docuit prævolando.

Numquam vidisti aviculam pullis sæpiùs prævolantem, & docentem, ut è nido prosilire audeant? Sic Christus sæpiùs Apostolis per varias apparitiones prævolavit, *loquens de regno Dei.* Novissimè, *cernentibus illis est elevatus in cælum, ut nos divinitatis suæ tribueret esse participes.* In Nativitate Christus habuit faciem *hominis*: in Passione faciem *vituli* pro nobis immolati: in Resurrectione faciem *leonis*, quia requiescens accubuit ut leo: in Ascensione habet faciem *aquilæ, desuper ipsorum quatuor. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos*; ita Apostolis facit, & nobis. Quid adhuc in nidulis nostris, paleâ lutoque contextis, plumâ & spinâ fartis, hæremus affectu? Quis dabit nobis pennas spei, & desiderii,

sicut columbæ, & volabimus, & requiescemus?

XXIV. Præivit nos ad patriam.

Ibi sit spes, & hic erit requies. Numquam erit quies, quamdiu ibi spes non erit. Increpat Angelus stantes Apostolos, & adspicientes in cælum: quantò magis increpet Apostolorum discipulos, non stantes, sed in circuitu ambulantes, trochorum instar, inquit Greg. Naz. proficiscentes non proficientes, inquit Bernarduat verè Galilæos rotabiles; neque aspicientes in cælum, sed in terram. Natalis soli dulcedo ea est, ut ne Ithacæ quidem oblivio decennalem peregrinum, inter victorias & voluptates, subeat: & quotidie videmus aviculas, postquam de cavea, quamvis pulcrâ ac delicatâ, in silvas natales evolavêre, dulciùs longè canere, quàm antè solerent. Quæ patria nostra est, Christiani, postquam pater animarum nostrarum rediit ad patrem suum? Dicebat apud Boëthium philosophia,

Sunt pennæ volucres mihi,
Quæ celsa conscendant poli.

Pennas illas nobis aptemus, spem, & desiderium: & transvolatis sphæris omnibus, ad sedem usque Christi, & dexteram Patris, animus noster conquiescens,

Hac dicet patria est mihi:
Hinc ortus, hic figam gradum.

O Deus, concede, ut, qui credimus Unigenitum tuum ascendisse in cælos, *etiam ipsi mente in cælestibus habitemus.*

XXV. Assessor est Patris, & interventor.

Quod si conscientia peccatorum tuorum spem tuam debilitat, alasque illi cycumcidit; ut non audeas beatitudinem æternam tibi promittere, quià non mereris: etiam hic Christus sedet à dextris, & est *assessor Dei*, ut Augustinus loquitur tract. 7. in Joan. ad erigendam spem tuam. Damnaret te Deus, & à Filio suo lequando prohiberet, nisi Filius ipse intercessor assideret. Idcirco enim ascendit in cælum, *ut appareat vultui Dei pro nobis*: ideoque, inquit Paullus Hebr. 9. *non in manufacta introivit IESVS exemplaria verarum: sed in ipsum cælum.* Assidet judici Jurisperitus: assidet Deo juris divini peritus, humani expertus, Deus-homo. Judicem placat Jurisperitus: apud Deum intervenit pro nobis Deus-homo Christus: excitat assidens Patri desiderium nostrum, evocat cor nostrum ad thesaurum suum: spem fulcit per advocationem, & patrocinium suum.

XXVI. Congregationes duæ à D. Luca descriptæ.

A tam dulci spectaculo tantisper oculos avocemus: à cælo cogitationem reflectamus ad terras. Historicus & pictor Virginis D. Lucas in sua Actorum historia c. 1. duas nobis illustrissimas Congregationes, seu Sodalitia, proponit, in cælis primum, alterum in terris. Primum jam vidimus, ubi præsidet Christus, Virgini locus designatur, ordines singulis sui distribuuntur. Alterum his verbis describit: *Erant unanimiter perseverantes in oratione, cum ... Maria matre IESV.* In hoc mihi videbatur expressum valdè absolutum exemplar Congregationum, vel Sodalitiorum, aut Confraternitatum D. Virginis, seu quo alio nomine vocentur, pro regionum & Ordinum religiosorum varietate: nam apud omnes fermè Ordines religiosos moris est, cætus ejusmodi diversis appellationibus colligere. De iis verbulo dicemus, quæ à Patribus Societatis nostræ congregari solent: ubi consimilia cætui Apostolico tria reperio, personas, actiones finem.

XXVII. Sodalitia adumbrata cætu Apostolico, præside Virgine.

Simul sunt discipuli variâ ætate, & conditione permistim: docti cum idiotis, nobiles cum plebeiis, viri cum juvenibus, imò cum adolescentibus. Nihil enim est, cur prohibeamur D. Martialem in eo numero censere. Præses omnium istorum est Maria, Sodalitatum omnium domina, patrona, advocata. Originem Congregationum D. Virginis alii D. Dominico, illius amantissimo adscribunt: quidam altiùs D. Annoni Archiepiscopo Coloniensi. Nonnulli à D. Gregorio, & Litaniis ejus, seu supplicationibus ad Divæ Matris ædem, arcessunt. Malunt aliqui repetere à cætu Episcoporum, seu Doctorum qui Theodosii Magni ævo Hierosolymis ad laudes Virginis, Apostolorum instar declamandas convenêre, ut narrat D. Dionysii Areopagitæ discitus, & sapiens istâ ætate, imitator. Ad D. Jacobi, sacellum Virginis adhuc viventis ftruentis; aut D. Joannis, eam in suam accipientis, imitationem alii referunt. Ego insignius nullum exemplar video, quàm Apostolicum Mariâ præside Sodalitium. Neque aliud, opinor, magis intuebatur Joannes Leonius, Leodiensis è Societate nostra, à quo Romæ cœpta Sodalitas, mox in orbem universum propagata est.

XXVIII. Quid in cœnaculo egerint Apostoli?

Quid enim agunt Apostoli? Sunt *unanimiter perseverantes in oratione.* Meminerant verborum Christi; *Vbi sunt duo, vel tres, congregati in nomine meo, ibi in medio illorum sum.* Jurisconsultus ait, tres Collegium facere. *Iurisperitus noster tales*, sic Christum vocat Augustinus tract. 7. in Joan. duobus vel tribus pro Collegio suo contentus est; multò magis, si plures sint. Meminerant præterea Apostoli, quid de duorum unanimi oratione, idem divinæ liberalitatis ac veritatis sponsor, & fidejussor, promisisset. Neque ignorabant corpus, & domum, sine unione stare non posse, nec placere auctori pacis, & prædicatori caritatis. Itaque erant *unanimiter*, non die uno, sed pluribus, sed ad mortem usque *perseverantes*, quâ per varias missiones licuit, *in oratione.* Neque oratum modò illic, sed concio per Petrum habita, sed electio Mathiæ facta, sed Sacramenta percepta.

XXIX. Quid in cætu suo Sodales?

En tibi Sodalium actiones ad vivum expressas. In cætibus eorum oratur, legitur liber pius, fit stati & conditioni audientium apta exhortatio, eliguntur quotanis super quos fors cadit, sacrificia celebrantur, Sacramenta suscipiuntur, proscribitur quidquid paci & caritati alienum est, animi sincerâ concordiâ junguntur, &, quod caput est, perseveratur, post solenne promissum de Virginis obsequio numquam derelinquendo. Obiit ævo nostro, id est Anno hujus sæculi vicesimo quinto, Martyr illustris Joannes Chiemon Japonius, unus è triginta duobus lento igne exultis. Illi, cùm ad palum assandus stringeretur, de sinu excidit scheda, manu ipsius exarata, quam mox adstantes Christiani sustulêre, & hanc invenêre sententiam. *Ora tu, Virgo Mater, ut à Filio tuo mihi impetres, ne ego, aut mei, umquam ad inferna descendamus: non quia præ Dei gloria ardere timea, sed quia Deum æternùm amare cupio. Ob eumdem finem impetra mihi perseverantiam in tormentis: commendatam habe familiam meam, Congregationem tuam, Ecclesiam Iaponum universam, & Societatis Patres, qui eam plantavêre, & rigavêre.* Illustri Martyri ita Congregatio cara fuit, ut jam jam morituro ad pectus appressa hæreret, morientique hæsisset, nisi schedam Deus voluisset servari, ad perenne Sodalibus

Marianis

Marianis perseverantiæ testimonium, & exemplum.

XXX. Finis cætûs utriusque.

Caussa conventûs Apostolici fuit, ut exspectarent promissionem Patris, quam audierant per os Christi: ut manerent, donec induerentur virtute ex alto: ut communibus precibus, officiis, caritate, gratiam Spiritûs sancti ampliorem impetrarent, interveniente præsertim sanctissimâ præside Mariâ, Spiritûs sancti sponsâ. Neque exspectatio sua illos fefellit, inundantibus eos cælestibus donis,

Deno dierum circulo,
Qua lege fit remissio.

Iidem cætuum Marianorum fines sunt: ut gratiæ uberiores è cælo impetrentur; ut spiritualis vita discatur: ut largiores noxarum indulgentiæ, quinquagenario numero adumbratæ, impetrentur: ut virtus ex alto adsit, & allaboret, operantibus in obsequio Domini. Respondet sanctæ spei fælix eventus. Videmus quotidie, quis fructus pietatis, & bonorum operum, in Sodalitiis Marianis colligatur. Vident Angeli, & Beatorum animæ, quot ex illis ad cæleste Sodalitium, & dilecta tabernacula Domini transeant. De cætu priscorum in Synagoga servorum Dei canebat Psalmista: *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in sæculum.* Longè ampliores, & efficaciores, cætibus nostris benedictiones divinitus mandantur: postquam Christus *elevatis manibus benedixit eis*, discipulis suis, eorumque imitatoribus; *&, dum benediceret eis, ferebatur in cælum*, Matri suæ, & ejus interventu, piis Sodalibus locum designaturus.

SECTIO DECIMA-QUINTA.

Socius IESV *Ignatius, Machabæus alter laudatur ad ista ps.* 106. Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum.

I. Sanctimonia Ignatii miranda plebi pariter, & primoribus.

DECIMVM Judam Machabæum dici existimant quidam, quomodò in Commentariis annotavimus: quia cum sociis secessit omnino novem. En ipsum sociorum Divi parentis mei Ignatii numerum, à turba secedentis, ordinem novum Assidæorum meditantis, ad spiritualem sese militiam præparantis. Deus, qui, ad majorem sui nominis gloriam propagandam, novo per illum subsidio militantem Ecclesiam roboravit; qui glorificantes se glorificat, & in Sanctorum suorum honoribus honoratur: meam filii erga patrem optimè meritum gratitudinem acceptam habebit, ultroque concedet, ut ad ipsius laudem istud suum ex psalmo 106. accommodem: *Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum.* Miranda planè & extollenda, apud vulgum & coronam, *in Ecclesia plebis*, Ignatii nostri sanctimonia: excelsa & laudanda, apud primores & sapientiores, *in cathedra seniorum*. Sive Ignatianam virtutem ab externis indiciis, quæ vulgò admirationem pariunt; sive ex propriis actibus, ut oculatiores solent, æstimâris: eximiam ubique invenies. Huic fini, rerum Ignatii multa nobis contrahenda, & sub adspectum unum ponenda, erunt: quomodò in regionum tabulis mos est, ubi ad folii angustias laxa terrarum spatia compingnntur.

II. Elegans sanctitatis descriptio.

Si Heroa ille noster, qui veræ, solidæque virtutis studium filiis toties, ac tam seriò, commendavit, absolutumque ejus exemplar ad posteros dictis factisque transcripsit; elegantem vobis cõpendio tradere statuisset descriptionem, excelsæ istius qualitatis, bruta in hominum conditionem, homines in Angelorum sortem, Angelos ad Dei similitudinem transformantis; quæ ipsum, de Regio milite, Christi commilitonem effecit, de cohortis pedestris ductore copiarum cælestium ducem, de urbis terrenæ propugnatore regni cælestis triumphatorem. Divinæ istius sanctimoniæ encomium luculentius simul, ac brevius, nullum afferret, quàm ex divini poëtæ verbis. Psal. 44: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Præstans Regiæ Principis forma mente potiùs licèt, quàm oculis spectanda est; convenientem tamen habet decori vestitum, quo oculos pascat, auro fulgentem, gemmis divitem, materiâ conspicuum, coloribus splendidum.

III. Est Regis æterni filia primogenita, & hæres.

Sanctimonia, Regia filia est, jure, tituloque præcipuo: Regis utique illius, cui regere æternum, dominari naturale. Generis nobilitas, fortitudo militaris, ingenii vigor, judicii firmitudo, formà imperio digna, aliaque naturæ decora, quibus Ignatius noster excelluit; Dei etiam progenies ac filiæ sunt. *Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum*: quidquid uspiam amabile laudabileque in hominibus, totoque adeò Universo cernitur, Deum, amore omni ac laude dignissimum parentem, agnoscit. Humanæ itaque qualitates, & ornamenta mortalium, filiæ itidem Regiæ sunt, sed natu ac dignitate minores: quibus in dotem, admirationis aliquid, benevolentiæ, opum, famæve, aut gloriæ apud mortales, pensionis instar vitalitiæ, addicitur. At sanctitati, Regiæ Principi natu maximæ, paterna destinatur hæreditas, regnique æterni numquam desitura possessio.

IV. Gloria ejus interior est, in mentis arcano.

Omnis gloria ejus ab intus est: quia genuina & intima sanctitas in mentis intimo penetrali sedem sibi collocavit. Linguæ quidem, si honesta eloquatur; oculis, si religiosa intueantur; manibus, si justa operentur; pedibus, si ad sacra festinent, sanctitudinis appellatio quædam conveniet. Sed, ut ex vero æquoque tribuatur, cor ante omnia sanctitate imbuendum est. Nam ex ipso tam vita gratiæ procedit, quàm vita naturæ; & virtus qualiscumque, nisi vivâ mente cordéve animetur, non virtus dici debet, sed cadaver virtutis, statuáve ad virtutis speciem efficta; quomodò Tertullianus cadaver humanum statuam titulo hominis incisam nominavit. *Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.* Unde ista sapiens viri boni meditatio, & justa locutio? quia *lex Dei ejus in corde ipsius*: nec lingua judicium loqueretur, neque os meditaretur sapientiam, si lege Domini cor inscriptum non esset.

V. Progreditur tamen interdum in fimbrias aureas exteriorum indiciorum.

Ex sacris illis animi recessibus, adytisque divinis, prodibit aliquando sanctitas, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus: tantæ lucis conspicienda fulgore, ut oculos intuentium, si non assuevêre, perstringat. Erit videre corporis afflictationes horrificas, audire visorum cælestium oracula, palpare & contrectare effectorum prodigiosorum miracula. Talibus plebis judicia perculsa sistent in limine, neque intrò ad

veræ virtutis æstimationem penetrabunt. At qui ex re, non ea specie, statuenda nôrunt; spectatis tantisper quæ ad apparatum circumstant, ornamentis; introspicient diligenter, & consideratè perpendent, quod latet. Porrige homini gemmarum ignaro adamantem eximium, in eatimæ lucis, ponderis, sectionis, figuræ admiratione hærebit. Eumdem da gemmario: fibus inspiciet, partesque in omnes versabit, ne fortè lua illa ex vitro emicet crystallóve expolito, lamellâ forsan adamantis substrato, ut fulgorem illius toto corpore mentiatur; quomodò apud Cardanum falsarius quidam gemmarius fecisse perhibetur.

VI. Afflictationes corporis Ignatio initia virtutis.

Demus istud judiciis omnium, ut Ignatii nostri virtutem, tum ab exteriori specie, tum ex interiorum momento æstimemus. In oculos vulgi primùm ista solent incurrere, quæ ad corporis castigationem faciunt. Cùm enim carnem suam oderit nemo, sed amet ac foveat: supra communem virtutis gradum eminere videtur, quisquis illam videtur odisse: Atqui gradus ille Ignatianæ virtutis infimus fuit: ibi pedem cæpit figere, ubi culmen ab istis ponitur. *Cum leonibus*, ut de Davide Siracides ait cap. 47. *lusit quasi cum agnis, & in ursis similiter fecit, sicut in agnis ovium à juventute sua.* Mendicitatis vilitas, jejuniorum asperitas, catenarum ferreagum, & hispidorum ciliciorum rigor, monstra sunt visu formidabilia, contactu horrida: cum illis lusit Ignatius velut cum agnis ovium à juventute sua, ab ipso exptæ perfectioris vitæ principio.

VII. Ejus inediæ, jejunia, flagellationes.

Quando inter medicorum manus ex tibiæ vulnere decumbebat, divino medico vulneribus aliis medicinam apparante, legit fortè vitas Sanctorum: in iis Hilarionis cilicia, Simeonis jejunia, egestatem Alexii. Pronus generosi spiritûs miles, ad imitandi studium accensus, cilicium induit, catenâ ferreâ præacutâ lumbos adstringit, capite derecto, nodo pedum uno, altero, cujus tibia nondum benè consanata erat, malè recto, cannabino sacco potiùs, quàm veste amictus, fune præcinctus, in vicis & agris tempestate qualibet, stipem flagitat: ad hospitalia inter mendicabulorum sordes divertit: ad fætidissimorum ægrorum obsequia sese abjicit: labra ulceribus fœdè manantibus osculabundus admover, pusque adeò ipsum, ac saniem exsorbet, quod ante ab Divis Eleazaro, & Catharina Senensi factum, Divus Franciscus Xaverius imitatus est. Diu in obscura specu abditus, pane vitam & aquâ traxit, ut canis instar esset in domo Dei, quomodò de Divo Carolo Borromæo Panigarola postmodùm dixit, olim de Divis Paullo & Antonio ad fontem convescentibus dici potuit. Triduum sæpè, non rarò quatriduum, totam semel septimanam jejunus omninò, impudenti quidem mentis ardore, excusabili tamen inter vitæ melioris nondum ordinata initia. Somno delibando potiùs, quàm capiendo, jacentem humus excipiebat. Ter in diem sese flagellis acriter diverberabat: D. Dominici æmulus, cui id noctibus singulis solemne fuit, ut sibi unam, peccatoribus alteram, tertiam purgatorii carceris captivis flagellationem addiceret. Eò denique militiæ cælestis inexercitatum tironem asperitas nimia deduxit; ut bis semianimem præ virium defectu, semel gravi morbo prostratum, via Christiana caritas reficere, ac pristinis laboribus reddere potuerit: itidem inclamantem, finite modo, ut exigua isthæc salutis æternæ gratiâ tolerem.

VIII. Asperitas & difficultas itinerum.

Ad corporis castigationem adjungenda est Hierosolymitana peregrinatio, inter inopiæ & valetudinis incommoda, & ingentes à petulantibus nautis molestias, inhumanisque illis flagriotibus, qui sacra in Olivetano monte loca obeuntem, malè mulctavêre. Itinera deinde Belgica, & Britannica, conquirendæ stipis causâ, cùm Parisiis studeret suscepta; Hispanica deinceps & Italica: quæ omnia, quamvis adversâ valetudine ac tempore, pedes semper confecit; alioque viatico nullo, quàm Christianæ caritatis, & divini præsidii fiduciâ, instructus. Multùm quidem postmodùm usu, annisque provectior, remisit de tam aspera ratione vivendi, seque ad communem hanc efformavit, Societati nostræ, non sine divino consilio, post serias deliberationes, præscriptam. Non adeò tamen illam intermisit, ut in extrema quamvis vita, laboribus magis ac morbis, quàm senio fractus, dicere cum Paullo non posset, *Quotidie morior, & castigo corpus meum, & in servitutem redigo.*

IX. Visiones & revelationes Domini Ignatio factæ.

Veniam itidem cum Paullo, *ad visiones & revelationes Domini.* Numerari in illis poterant, rerum longè temporibus, ac locis dissitarum vaticinia; tamquam, quòd Hispano mercatori Antuerpiæ, antè inchoatam, nedum stabilitam Societatem, prædixit fore, ut Collegium ordini suo poneret: arcanorum mentis humanæ inspectio, & motuum compositio; tamquam, quod Balduino ab Angelo contigit, Societatem deserere, ob nimiam de nepotulo Leodii relicto curam, cogitanti: secretorum vitæ alterius manifestatio; tamquam, quòd animas suorum alibi fatis functorum, in cælum evehi viderit: beatorum Angelorum singulare præsidium; tamquam, quòd ab illis moniti de ejus egestate ac solitudine sublevanda opulenti homines, contumeliosi aliqui prodigio puniti. Multis mirisque non paucis istiusmodi præteritis, ad alia transeo, quæ supra omnem ferè admirationem esse videbuntur; non erunt tamen supra fidem, datis doctorum nostrorum, & interpretationum, fidejussoribus idoneis.

X. Quomodò D. Paullus raptus in tertium cælum.

Quòd Paullus in altera ad Corinthios epistola cap. 12. inter visiones ac revelationes Domini, præcipuè, atque unicè commemorat, *raptum se se usque ad tertium cælum*: istud D. Augustinus lib. 12. de Gen. ad litteram c. 28. de visione intellectuali interpretatur. Tria enim visorum esse genera, quæ divinitus objici possunt: primum oculis corporeis cerni; alterum, imaginationi quam spiritum Paullus appellat, exhiberi; tertium intellectu, seu mente conspici. Augustinum D. Thomas 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 4. sequitur: nos exempla statuamus ex nostra ipsa Machabæorum historia. Visum corporeum luère, equites cælestes Judæicis agminibus, præeuntes: imaginarium, in somnis à Machabæo Jeremias & Onias spectati, atque auditi: intellectuale, vaticinatio de fœdo Antiochi exitu, cujus præcognitionem menti moribundi Mathathiæ divinitus impressam fuisse, arbitramur. Ea hac doctissimorum Patrum, ac Theologorum, de visis sententia, dispiciamus; quàm aptè & verè dici de Ignatio, ut de Paullo possit, *raptum* non ad primum dumtaxat, & secundum, sed etiam *usque ad tertium cælum.*

XI. Visa corporea.

Primi cæli instar fuerit, D. Petri ad solandum & curandum, quando ex vulnere decumbebat, adspectus: mox Virginis, castitatem ipsi & caducarum

primus ad primum cælum Ignatius.

carum rerum omnium contemptum suadentis: post aliquot deinceps annos, Christi crucem bajulantis, & Romam proficiscenti spondentis, se illic ipsi fore propitium. In quodam vitæ Ignatianæ compendio, Italicè sæpius & Latina linguâ variis locis recuso, Leodii alibique Gallicâ, perhibetur: Christum illi & Matrem plus tricies conspicuos apparuisse, præsertim quando Societatis Constitutiones scripsit; idque ab ipsomet hisce verbis indicatum est, in rerum suarum diario: *Venerunt mediatores.* Meritò itaque possimus in Domino gloriari: quomodò D. Pachomio ab Angelis regulam suam traditam discipuli affirmavêre; ita Ignatio Regem Angelorum, ac Reginam, præcipuis instituti sui capitibus dictandis adfuisse. Et verò ipsemet doctissimo sociorum suorum Laini, existimanti Ordinum Religiosorum Fundatoribus institutorum suorum peculiarem normam, & velut essentiam divinitus traditam, dixit, prorsùs ita sibi videri.

XII. *Imaginarius, & prius ad secundum.*

Sed hoc colloquium postremis vitæ annis contigit: medius, id est sub initia perfectioris vitæ, accidit; ut manè oranti Deus, figuris quibusdam ac visis imaginariis, pingeret augustissimum immensæ Trinitatis arcanum, adeóque ad illius captum accommodatè, ut homo scientiarum inexpertus, & à militia recens, libellum inde sibi descripserit. Aliàs sedenti ad fluminis ripam, quemadmodùm Ezechieli secus fluvium Chobar, multa non divinarum modò, sed naturalium rerum abdita cælitus patefacta sunt: ut in illarum cognitione ipsius mens, velut manifestæ veritatis conscia, penitùs acquiesceret. Quanquam hoc cognitionis genus ad tertii cæli gradum forsan aptiùs referemus: sicut etiam illuc videtur pertinere, Sacrum aliquando audienti data præsentis in Eucharistia Christi adeò manifesta intelligentia, ut de illa dubitaturus numquam esset, etsi alia credendi argumenta universa deficerent.

XIII. *Intellectualibus raptus ad tertium cælum.*

Infusam illius menti divitiis spiritualium, ac divinarum, rerum scientiam, ut alia desint, tum ex libello Exercitiorum cernere est, tum ex octiduana exstasi Manresana. Illum enim librum, sensis cælestibus plenum, sapientissimis quibusque & divinarum expertissimis admirandum, innumeris utilitatibus commendatum, in ipso tirocinii spiritualis exordio scripsit. Exstasim sub idem tempus passus est, mortuo totos illos dies, quam vivo similior, respiratione vix ulla & palpitatione perceptibili: inde ut primum sibi reddi cæpit, in has protinus voces, cognitorum per exstasin testes, erupit, *O bone IESU.* Tunc enim ipsius menti divinitus designata & impressa existimamus, quæ ad boni JESU amorem propagandum, Societatemque condendam & amplificandam, æterni Numinis providentia destinârat. Jam verò, si tanta cælestium arcanorum cognitio infanti spirituali data est; quanta postmodùm adulto concessa? Quando, post rem divinam peractam, per horas duas oranti, vultus semper radiare visus est, à Patre Ludovico Consalvo, apud Lancicium. Quando, iisdem auctoribus, comedenti, loquenti, negotia tractanti, per urbis vicos incedenti, Christus Solis imagine cernebatur? Quid quòd de sese ipse, tantæ modestiæ vir, in diario scripsit, *visum à se non semel divinum esse, divinam ipsam essentiam:* nonne unicum plus satis fuerit, ut cum Paullo dicatur raptus usque ad tertium cælum?

XIV. *Miracula Ignatii dum in vivis esset.*

Quo autem id modo fieri potuerit, an momentaneâ quapiam beati luminis communicatione, an elevatissimæ alicujus scientiæ infusione, Theologi disceptent: ad miracula interim admirationi augendæ transibimus. Aiebat Evangelicus Centurio, ut summum esse Christo in morbos imperium significaret, subesse sibi milites tam morigeros, ut voculæ unicæ auditu jussa protinus exequerentur. Quem habuit, habetque Christus in mala corporis animique dominatum: cum Evangelico suo Centurioni Ignatio, videatur communicasse. Dicit hic languori tabescentis ægroti, *Vade, & vadit:* dicit vitæ & serenitati mentis, atrâ bile ac suspendio ejectæ, *Veni, & venit;* dicit arenti mulieris brachio, & siccæ manui, *fac hoc, & facit.* Literis suis dæmones, domunculidam terriculamentis quotidianis infestos, abigit: amplexu febricitantes persanat: oculorum luce periclitantes liberat: præsentem se, & adspectabilem absentibus sistit.

XV. *Plurima post mortem ad ejus invocationem patrata.*

Sed ista, quamvis multa, magnaque prodigia ab Ignatio superstite patrata; nihil sunt ad ea, quæ à mortuo in sanctimoniæ indubitatæ testimonium accidêre. Apostolis animandis dicebat Christus, *Capillus de capite vestro non peribit.* Etiam Domine, non capillus modò non perit de capite Sancti tui; sed capilli unius segmentum prodigiosa, te volente, operatur. Phreneticis, malo dæmone infessis, veneficiorum lue afflatis ac tabescentibus, admota ossiculi Ignatiani particula, imò crinis unus, imò nomen ipsius manu exaratum; imò chartacea imaguncula, aut numisma ejus vultu effigiatum, rabiem compescuit, dæmones abegit, venena detexit ac fregit. Innumera spectata sunt id genus, ubique terrarum. Vidi ego adolescentis, quem veneficia infecerant, & tabe lentâ exedebant, inscii lateri numismate applicato, detectum mox corporis totius horrore virus latens, & malefícii signa intra culcitram deprehensa. In Paraquaria imagine unicâ Divi Ignatii chartaceâ, facilè septuaginta duo brevi spatio patrata miracula, perhibent narrationes annorum vicesimi sexti ac septimi. Monebregæ, Aragonum oppido, ad annum vicesimum tertium, mensibus Aprili ac Maio, ad D. Ignatii tabellam mortui duo ad vitam revocati, manci & claudi octo curati, cæcis sex lumen redditum; igne sacro, paralysi, tabe, morbisque omnis generis ægri tot levati, ut, septimanis quatuor, supra centum miracula ritè testata, & à scribis sex publicis excepta sint: liquore interim odorifero, & salutifero de tabella identidem exstillante. Manresanæ specûs oleo, lapidibus, pulvisculo, non plurima modò, sed omnino innumera miracula contigisse, multi scriptores affirmant. Ut, quod aliqui dixêre, à Sanctorum nullo tot patrata, quot ab Ignatio, miracula, ampliùs non mirer, etsi non laudem: neque enim Sanctorum inter se per mortales comparatio laudabilis est; nec miracula Sanctorum opus sunt, sed Dei, qui facit mirabilia magna solus.

XVI. *Humilitatis actus in Ignatio magni & ardui,*

Cæterùm, qui sanctimoniæ gradus ex illis metiuntur, habent abundè, unde Ignatium æstiment, & *exaltent in Ecclesia plebis:* habebunt etiam unde *laudent in cathedra seniorum.* Etsi enim decor aliquis sit, *in fimbriis aureis* asperæ vitæ, *in varietatibus* visorum ac prodigiorum: *omnis tamen gloria ejus ab intus* est. *Malogranatum inveni,* inquiebat quispiam in Rabbinorum sententiis, *corticem abjeci, interiora comedi.* Quæ adhuc narravimus, cortex sanctimoniæ Ignatianæ sunt; gustemus interiora virtutum. Quantæ, in altorum spirituum homine, demissionis

fuit,

fuit, inter mendicabula versari: in ætatis maturæ, ac solidi judicii viro, inter puerulos Latinè balbutire: in optimè merito Societatis Patre, inter subditos latere velle, moderatoris munus deprecari, & abdicationem denique moliri: in tam oculato & divinorum sciente, inter infimos proborum sese deputare, eorum, quibuscum egisset, nemini non sese postponere. in animo, prudentiæ, magnitudinis, fælicitatis ad aggredienda, agenda, consummanda perruptis obicibus quibuscumque, negotia, supra modum præstantis; sic tamen esse compositum, ut consiliorum omnium suorum, ac cônatuum, ipsiusque adeò Societatis, tanto molimine stabilitæ, subversionem tranquillè pati posset.

XVII. Obedientiæ promptitudo.

Nec mirandum minùs, ac difficile, in tanti judicii, tàm consummatæ sapientiæ viro, studium obtemperandi, ac promptitudo. Qui regulas eligendarum rerum jam olim præscripserat, divinæ prudentiæ plenas; qui inspiciendorum animorum, & discernendorum spirituum usu pollebat; qui consulentibus non responsa reddebat, sed fundebat oracula: idem de rebus quibuscumque aliena consilia exquirebat solicitus, audiebat propensus, promptius sequebatur. In animi sui negotiis, directori, & Confessario non secus acquiescebat, quàm medico, in corporis valetudine. Quo in genere celebratum pridem istud, & semper celebrandum est: cùm quadragesimale jejunium abstinentiâ consuetâ exegisset, ipso patientis Christi anniversario die carnibus vesci à medico jussum, sine tergiversatione ullâ obedisse. Eam quidem obedientiam de vulgo forsan aliqui non magni facient: at sapientes virtutum æstimatores non minoris esse ducent, quam, quod sibi indixerat ad summi Pontificis jussa, obsequium, licèt, sine viatici ullius præsidio, in exarmata navi solus, ad barbaras nationes mitteretur. Quid jam de humanæ salutis studio exequar, cujus opus est universa Societas? quid de mansuetudine, quâ ingratissimos homines, famæ, vitæque suæ imminentes, beneficiis obruit? quid de mentis puritate, quam ne umbrâ quidem veniabilis culpæ, alieno errore pluribus quàm oportebat declarato, maculatam esse patiebatur? quid de patiendi studio, laboribus assiduis, morbis tricennalibus continuis, calumniarum quotidianarum incursibus, infracto? quid de fiducia in Deum erecta, ardentique amore, per quem *unus erat cum Deo spiritus in caritate?*

XVIII. Sanctorum de Ignatii sanctimonia judicium.

Paucis plurima depropero: ut *seniorum* de Ignatii sanctimonia *in cathedra* pronuntiantium sententias audiatis, comparetisque cum vestra. Eloquentium de facundia, militum de fortitudine, Sanctorum de sanctitate, judicium est. Quis vir fuit D. Franciscus Xaverius? Nominâsse, prædicâsse est. Ille vir tantus Ignatium tanti faciebat, ut genibus flexis ad illum literas exararet; ut, *sancto meo patri, vero meo parenti*, inscriberet, ut nomen ipsius de epistola accepta desectum in reliquiaria theca gestaret: vivus vivo ista detulit, quid delaturus si superstitem esse contigisset? Hæc, inquis, filius patri fecerit; ecquid alii? Etsi *Sanctorum*, ut ait Chrysostomus hom. 1. ad pop. *judicia, neque ad gratiam fiant, neque ad odium*, alios tamen adducemus. D. Philippus Nerius, cujus me panegyristen aliquando fuisse, modò scriptorem esse gaudeo, Ignatii mentem tant divinæ lucis pulcritudine splendere aiebat, ut promicantes de vultu radios ipse conspexerit. Beati Joannes Miconus & Aloysius Beltramus, de D. Dominici familia, Ignatii filios ob ipsius virtutem amavêre, juvêre, coluêre. D. Thomas Villanovanus, Augustiniani Ordinis decus, postquam Ignatii virtutem inspexit Societatem amplecti ac fovere non destitit. B. Joannes de Texeda Franciscanus aiebat, Ignatii conspectum esse mæstorum solatium; mentem, templum pacis. B. Magdalena Pazzia Carmelitana virgo, Ignatium, nondum licèt Beatis adscriptum, invocare solita, cum D. Angelo, conditore an restauratore Carmelitani Ordinis, vidit conspicuum. D. Teresia de Ignatio, & de Societate tam magnificè sensit, ac scripsit, ut nonnulli, laudis alienæ impatientes, isthæc de vita illius erasêrint; quod ægerrimè sese ferre Congregatio Carmelitana ad hujus sæculi annum quinquagesimum primum testata est, truncasque ejusmodi vitas servari à suis, legique vetuit.

XIX. Magnorum virorum & nostrum.

Si magnorum virorum sententiam, bonâ sanctorum veniâ, adscribere licuerit: omissis Benedictini Ordinis Præsulibus, quorum, *si tacuerint*, adversùs Ignatium ac suos benevolentiam *lapides clamabunt*: præteritis Regum, Cæsarum, Cardinalium, ipsorumque adeò summorum Pontificum judiciis: in ò tacitâ etiam Gregorii XV. qui onus pro laudantium populo esse potuerit, publicè pronuntiatâ & in orbem omnem vulgatâ sententiâ: solum ejus adducam nepotem Ludovisium Cardinalem. Is Bononiæ in æde summa, sacello ad Ignatii memoriam consecrato, Latinè ad concionem de laudibus ipsius luculentè dixit: tibi, congesto ad unum & coacervato, quidquid virtutis eximium Sancti alii habuêre, hisce ad extremum verbis orationem claudit: *Opto, ac vehementer oro cunctos, & hortor, ut communem orbis terrarum thesaurum Ignatium in suo quisque corde, amantissimo pietatis sensu amplectatur.* In nostro quisque corde, ubi sincera pietas est, complectamur Ignatium; Ignatium in corde nostro, ubi vera sanctitas est, effingamus, & ad illius exemplum virtutem efformemus, non *coram populo*, sed *coram Domino*. Genuina sanctitas mel & ceram apis instar tacita conficit, in abscondito cordis homine; fucata sanctitas, quemadmodùm fucus, multùm foris strependo, nihil intus conficit. O Deus amator & glorificator Sanctorum tuorum, Ignatii tui interventu da panegyristæ, da auditoribus, ut illius imitatione *in vera sanctitate & justitia* omnibus diebus nostris tibi serviamus: & tu sis *Deus cordis mei*, non linguæ tantùm loquendo, & manus scribendo, sed cordis amando, *& pars mea Deus in æternum.*

SECTIO DECIMA-SEXTA.

Socius IESV & Ignatii, Machabæi comes & frater, Franciscus Xaverius exhibetur illis Ioan. 1. Vox clamantis in deserto.

I. Joannes cum uno ... ac commodum.

Q*VID existis in desertum videre* Xaveriani amatores? An Judæ Machabæi, Christianam religionem ac libertatem asserturi, fidelissimum ac fortissimum de novenis comitem, orationis solitudine, nosocomiorum paupertate, Europæorum itinerum difficultate, demississimis ægrorum obsequiis, acerbis corporis castigationibus, ad præliandα in extremis orbis finibus prælia

Domini

Domini ſeſe comparantem? An Joannem alterum, antecurſorem Domini, præeuntem parare vias ejus, in deſertis, deſtitutiſque Chriſtianæ caritatis auxilio vaſti Orientis regionibus? *Vox* illic fuit Xaverius, verbi divini præco & interpres: *vox clamantis* intrepidè, conſtanter, vehementer: *vox* non ſua, ſed *Domini*, cujus gloriæ unicè ſtudebat, commodorum ſuorum prorſus immemor, laudis oblitus. Patiêre, patrone mi, Joannes Baptiſta, ut encomium illud tuum ad alterius patroni mei, Franciſci Xaverii, laudem transferam: ſub id tempus, quo non ſine Numinis providentia, recolitur ſimul Xaverii mors, & accinitur *vox clamantis*. Ades clientis tui laudibus, quæ ſemper laboribus adfuiſti, hiſce vocibus Meliaporæ nominatim inter dæmonum incurſus advocata, *Domina, adjuva me.*

II. *Tonitrui deſcriptio ad Joannem & Xaverium ex Pſalmiſta transfertur.*

D. Baſilius, ingenio, facundiâ, & virtute magnus, honori Joannis Baptiſtæ modeſtum iſtud encomium, *vox clamantis* hom. 17. ſpiſſimè exponit, traductis illuc poeticis tonitrui deſcriptionibus, ex Regii vatis Pſ. 28. *Vox Domini ſuper aquas. Vox Domini in virtute: Vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros. Vox Domini intercidentis flamam ignis. Vox Domini concutientis deſertum. Vox Domini præparantis cervos.* Præcurſor Verbi divini, fuit *vox Domini ſuper aquas* Jordanis, ubi in pœnitentiæ ſymbolum, & in peccatorum remiſſionem, corpora abluebat. Simul fuit *vox in virtute, & magnificentiâ*, efficacibus ad auditores monitis: *Vox confringentis cedros*, duris ad ſuperbos increpationibus: *Vox intercidentis flamam ignis*, ardentibus ad peccatores exhortationibus: *Vox concutientis deſertum*, & in ſolitudine multitudinem, affluentium frequentiâ, facientis: *Vox præparantis cervos*, & diſcipulorum mentes præparantis, ut toto affectu in occurſum advenientis Domini, quod ipſe jam olim fecerat, exilirent. Ita ferè de Joanne Baſilius. Nos, ejus exemplo, eadem, paullò tamen aliter, ad Xaverii noſtri prodigia, partim in externis, corporeiſque rebus, partim in ſpiritualibus interniſque patrata, transferamus.

III. *Xaverius vox Domini ſuper aquas.*

Cordis animive humani, affectuum ventis agitati, cum procelloſo mari comparatio ab Auguſtino inſtituta, apud alios, Auguſtinum ſecutos, communis eſt. Illum cordis ſui Oceanum Xaverius, inter initia melioris vitæ, Ignatii diſciplinâ & exemplo ita edomuerat, ut motus omnes ad rationis imperium vel ſurgerent, vel quieſcerent: animi inter incurrentia quælibet imperturbatâ tranquillitate. Naturalem aſperorum, fœdorum, vilium, horrorem voluntati obtemperare docuerat, ſpretis, quæ natalium & ſpirituum nobilium juveni oſtentabantur de proximo, honorum illecebris; admotis ad putrium ulcerum ſaniem labris, & pure ipſo in obluctantem ſtomachum deglutito, delicati corporis teneritudine, adſtrictis ad coxendices immerſorum in carnem funium nodis, longæ inediæ, itinerum, vigiliarum laboribus, afflictâ. Subitas corporis ſeditiones, & imaginationis rebelliones, in ipſis etiam ſomnis extinxerat, copioſo ſanguinis, de naribus ad exoſarum imaginum ſpeciem erumpentis, profluvio. Cui venti paſſionum, & cordis ſui mare, ad recti arbitrii nutum obediebant, qui cupiditates omnes & fugas habebat in animi poteſtate: cum Oceano & tempeſtatibus imperâſſe, & vocem Domini fuiſſe ſuper aquas, vaſto terrarum ſpatio interjectis, non eſt cur admodùm demiremur.

IV. *Quomodò tempeſtatibus, & fluctibus, imperârit.*

Supra ſex horariarum leucarum, milliariúmve octodecim millia, navigando confecit, in illo horrendæ profunditatis & latitudinis Oceano, innumerarum claſſium naufragiis infami, perpetuis ventorum adverſorum prœliis agitato, & rabiem frementibus undis deſpumante. In tanta longitudine & varietate navigationum, ſecurus ſemper ſui, quaſi graderetur in ſolido. Neque inter fluctuum iratorum hiatus, quàm in litorum Indicorum amœnitate, inquietior. Tremebant expertiſſimi vectores, inter nubium noctem, tonitruum fragores, fulminum tela, undarum ululatus, quaſſis navium lateribus, diffractis velis, arte omni ſuperatâ, ſalute deſperatâ: intrepidus Xaverius, tamquam de alienæ ſolùm vitæ, non de ſuæ, diſcrimine ageretur, terræ ac maris Dominum orabat, & in ſpem contra ſpem erectus, prænuntiabat certæ ſerenitatis lætitiam. Vehebatur aliquando navi bellicâ; cujus ſcapham vis ventorum abrupto rudente longè abſtulerat: de ſociorum, in ea ſcapha periclitantium, ſalute ſollicitos nautas certâ redituræ ad matrem filiæ aſſeveratione animavit, ſimulque ipſis periclitantibus ſolatio fuit, duplicatâ prodigiosè præſentiâ ſuâ. Chriſti Cruci affixi effigiem, cujus aſpectu, in ejuſmodi periculis, vectorum fiduciam excitare ſolebat, aliàs flatûs repentini vehementiâ ereptam, abſtulerat in fluctus: ſed mox illam cancer marinus, forcipibus prehenſam, revexit ad litus, & exſcendenti Xaverio, velut temerarii facinoris à vento patrati tacitus deprecator, reddidit; ſuavibus piarum lachrymarum aquis abluendam. Ad Sancianum inſulam maria, formidabili turbinis aſſidui rotatione agitata, præſens tranſnavigantibus diſcrimen intentabant, poſtquam illac ſemel Xaverius vectus eſt, vento deinceps ſilente, minas diu, ſtupendis mutationem nautis, poſuêre; ut quod de Numine Siracides ſcribit Eccl. 43. de Numinis famulo diceretur, *In ſermone ejus ſiluit ventus, & in cogitatione ſuâ placavit abyſſum.* Nec vivo illud dumtaxat, verùm etiam mortuo tribui potuit: quando corpus, inter vivæ calcis edaces cumulos prodigio incorruptum, quaſſâ & lacerâ navi ſecurè Goam revectum eſt, an navem potius vexit; quando brachium dextrum à corpore avulſum, ut Romam deferretur, imminente naufragii manifeſto diſcrimine, undis furentibus adnorum, tempeſtatem illico ſedavit: quando nautis inter Indica freta tot mortis pericula, quot fluctus, cernentibus, imploratus affuit, & inexpectatam tranquillitatem, & deſperatum litus oſtendit: quando recèns in Belgico mari, per horrendam tempeſtatem, imagunculâ ipſius voto concepto in fluctus projectâ, protinùs ſerenum redit, & navis, de cujus ſalute conclamatum erat, portum proſperè tenuit.

V. *Miraculis fuit vox Domini in virtute, & magnificentia.*

Magnificè de Moyſe, in ejus vita, Philo pronuntiavit, *Elementa ipſi obediſſe, ut Domino, & ad juſſum ipſius, naturam ac vires vertiſſe.* Idem elementis fuit Xaverius, & elementorum domino, ac compendio, humano corpori; depulſis omnigenis ægrimoniis, redditaque ſanitate, ac vitâ, ut ſimul fuerit *vox Domini ſuper aquas, & vox Domini in virtute & magnificentia.* Imitandi nobis hìc eruot pictores, qui numeroſos exercitus in tabellæ anguſtias, exhibitis ſolùm paucis hominibus, latentibus fermè cæteris, cogunt. Xaverii miracula annis vitæ decem, ſæculo poſt mortem patrata, ſæculorum centum admirationi ſuffectura, in momenti unius narrationem, contrahemus.

contrahemus. Vix Indiam attigerat, & Apostoli munus implere cœperat, quando, crescente prodigiorum famâ, Malacensis Vicarius ea ritè testata describere, aut annotare jussus est: sed cùm brevi intervallo octingenta inveniret, plusque sibi laboris in numerandis quàm Xaverio in patrandis fore experiretur, cœptum omisit.

VI. *Absens, & mortuus, plurima patravit miracula.*

Vicarium Episcopus Xaverianorum miraculorum exscriptorem delegârat: vicarios sibi Xaverius constituit miraculorum patratores, quando per locorum distantiam, temporisve majoribus occupati angustias, adire ad ægros non licebat. Mittuntur, qui ad cæcos, leprosos, febrientes, malis generis infessos, Xaverianum rosarium flagellúmve deferant Christiani pueri, imò Catechumeni; morbi & mors ipsa, legatorum præsentiam verentur, & jussis obtemperant. Mortuos quinque supra viginti à Xaverio suscitatos, passim numerant, nonnemo septem supra viginti recensuit. Quamquam istorum quædam accidêre; tum in Oriente, ubi magni miraculi instar est, si quando vel exiguo tempore miracula ad ejus exuvias, aut invocationem fieri desierint: tum in Occidente, ubi honorem servi sui Dominus, mirabilium patrator, primis Ecclesiæ Heroibus exæquatum voluit. Quædam Neapoli & Potami facta retulimus Excurs. ad cap. 1. sect. 4. num. 20. Recentissima & proxima sunt Mechliniæ, ad particulam ossis de brachio dextro, in templo Societatis nostræ publico cultui propositam: quæ legitimis testimoniis probata, judiciis examinata, Archiepiscopi permissu Patres nostri eo ipso, quo ista scribimus, anno sexagesimo secundo typis vulgavêre, plaudente Mechliniensi urbe universâ, & illustri Senatorum Consilio: quorum unus in periculosissimo morbo eamdem opem expertus est, & gratitudinem publicâ scriptione testatus.

VII. *Christi signa conveniunt Christi servo Xaverio.*

Apostolatûs Xaveriani signa Christus eadem, quæ sua, esse voluit. *Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*, Evangelium audiunt, Evangelium prædicant, Evangelica prodigia patrant; *& beatus, qui non fuerit scandalizatus in me.* Idololatris & Mahumetanis, in universa quàm latè patet India, Indicisque insulis, admirationi erat; quemadmodùm hodie venerationi est. Bonziorum arrogans genus, multitudine suâ & Principis sui Ficarondoni scientiâ fretum, disputando fregerat; & apud Japonas, externarum nationum & rerum contemptores, benevolentiam sibi, ac reverentiam conciliârat. Tam inhumanus ac barbarus inter Insideles vix ullus fuit, qui agnitum non amaret, aut suspiceret, aut timeret. Dæmones ipsi, de profanis delubris, & corporibus humanis expulsi, quem amare non poterant, vereri sese fatebantur, clamoribus inconditis, Francisce nos uris, Francisce de veteri nos possessione depellis. Formidabilem dæmonibus, amabilem barbaris Xaverium, Christianus homo neque extimuit, nec dilexit, invehendæque ad Sinas religionis consilium, lucro magis suo civilique rei, quàm divino honori intentus, disturbavit.

VIII. *Fuit vox Domini confringentis cedros, homines impios.*

Præfectus is fuit Malacensis, beatior multò futurus, si non fuisset scandalizatus in Xaverio. Nam hic justo dolore commotus, & defendendæ caussæ divinæ ardore succensus, sacris illum, pro sua Nuntii Apostolici potestate, submovit: omnes Societatis nostræ homines de finibus Malacensis præfecturæ jussit excedere: pulverem pedum ex Evangelico Christi consilio, adversùs Evangelii promulgandi interversorem excussit: ut Episcopi excommunicationis sententiam à se latam firmarent, effecit. Quam etiam Deus, non multò pòst ratam habuit, amoto scandalo, & horrendâ morte sine ullis resipiscentiæ indiciis, sublato. Cedrum Libani infelicem illum hominem, dignitate sublimem, opibus umbrosum, potestate erectum; sui arbitrabantur. Sed *vidi impium superexaltatum sicut cedros Libani*, perniciosumque, excindendæ Xaverii constantiæ, generosam propagandæ religionis cogitationem impedire. Mox *transivi, & ecce non erat, & non est inventus amplius locus ejus*. radicitus illum vindicta Numinis, & Xaveriana *Vox Domini confringentis cedros*, evulserat.

IX. *Victoriam ultimam adversus Acenos vaticinatur, & obtinet.*

Quod aliàs in eadem Malacensi civitate contigit, suavius est, quia Infideles spectavit; majus, quia plurimos. Aceni barbari cum auxiliaribus Turcis, numerosam classem, ad rei Christianæ in oris istis exitium, instruxerant, primoque belli impetu Lusitanis munimentum unum eripuerant, ad alia progressuri, nisi brevi occurreretur. Prælii discrimen plerique dissuadebant humanæ rationes: paucis enim cum ingenti barbarorum multitudine, & cum manu non inexercitatâ Turcorum, pugnandum fore. Si perirent, simul spem omnem illico perituram, non sine insigni ad posteros temeritatis nota. Prudentiùs longè ac securiùs expectari, quàm occupari, periculum. Contrà Xaverius, erectâ in Deum fiduciâ, cui difficile non est servare in multis, vel in paucis, ad audendum hortabatur, ne hostes morâ convalescerent: adfuturum ab illo, cui militarent, præsidium. Tam affirmatè loquenti, & audenter hortanti, fidem, numquam anteà in ipsius verbis malè collocatam, habuêre. Navibus paucis milites, omnino ducenti triginta imponuntur, rectaque in hostem itur. Dicebat Malacæ pro concione Xaverius, quando in alto mari concursum est, ducentis inde circiter horis itineris. In ipso ardore dicendi, conjectis in Christi cruci affixi effigiem oculis, velut impos sui, abrupto repentè argumento, certamen obscuris verbis describere, deinde exclamare: Mi JESU, sanguine tuo redemptos, & tibi militantes ne desere. Post aliquot id genus exclamationes, deposito in pulpitum vultu, quasi ad interquiescendum, hæsit tantisper, attonitis ad rei novitatem auditoribus, & ad exitum suspensis. Mox erecto ac læto vultu: Macti animis, inquit, vicimus, tres duntaxat de nostris desiderantur, reliquos intra triduum, gloriâ & spoliis opulentos, recipietis. Rediêre ad eam diem ducenti viginti septem victores, cæsis aut demersis barbarorum millibus quatuor, captivis plurimis, cum ingenti prædâ & immensis Xaverii, quem in ipsa prælii ac victoriæ horâ vaticinatum comperêre, præconiis.

X. *Illustriora Xaverii miracula erga animas, quàm erga corpora.*

Accinebatur illi triumphus in terris ob barbaros superatos, at longè augustior decernebatur in cælis, ob animas Deo conciliatas. Nam si pluris est, animæ suæ detrimentum non pati, quàm universum mundum lucrari: quantò pluris fuerit & suam, & plurimas aliorum animas, lucri fecisse, quam victorias de barbaris reportâsse, valetudinem & vitam prodigio restituisse, compositis ventis & fluctibus periclitantem corporum salutem asseruisse. Illo hominum à vitiis avocandorum, ad virtutem excitandorum, ab æternæ mortis præcipitiis ad vitæ beatæ iter deducendorum,

deducendorum, indefesso assiduoque studio, Xaverius fuit, *vox Domini intercidentis flamam ignis*, *vox Domini concutientis desertum*. Intercîdit flamam ignis, quando ignito vehementer eloquio Domini, publicè & privatim, conglaciatas Christianorum mentes, ad divinæ caritatis ardorem, inflamavit. Concussit desertum, quando Infidelium animos, per avia palantes, duce destitutos, in terra invia & inaquosa tabescentes, nunc timoris divini fragore compulit, nunc beatæ spei clamore invitavit ad tertam rectam, ad locum habitationis, ad Ecclesiam Christi.

XI.
Fuit vox intercidentis flamam ignis caritate erga Christianos.

Quæ tum Vicentiæ gessit, cùm sese ad sacerdotium compararet; tum Romæ, cùm itineris Indici labores divinitus ipsi præparabantur, præludia & specimina fuêre profundendæ postmodùm ad animarum commoda caritatis. In vicis compitisque ad obvios auditores verba faciebat, tanto fructu, ac mutatione morum, ut sapientia videretur clamare in plateis: eò efficaciùs, quòd exempla verbis adjungeret, & de vicis ad ægrotorum hospitales domos ingrederetur, ut corporum obsequio animis medicinam faceret. Eadem fuêre Ulyssippone, dum navigandi opportunitas expectatur, publicè privatimque caritatis officia: tantâ Regis, Procerumque, ac populi admiratione, atque utilitate, ut Lusitania Indiæ, Occidens Orienti Apostolum pænè suum eripuerit; Apostolorumque exinde nomen ad omnes Societatis nostræ Patres transmiserit. Navi conscensâ, sic vitam suam & sermonem composuit, ut nautis vectoribusque ad statas precationum horas, ad pœnitentiæ actus, ad verbi divini auditionem assuefactis, classiaria turba religiosæ instar familiæ videretur: neque ad Indicum magis litus venti propini flatu, quàm ad cælum sancti Spiritûs impulsu, tenderetur. Meliaporam appulsus, Divi Thomæ insulanos, à multis retrò sæculis nomine tantùm tenus Christianos, & ex veteris oraculi fide in marmor incisi novum religionis Doctorem exspectantes, ad Apostolicæ Ecclesiæ formam restituit. Lusitanos Indiarum regionum advenas, vel indigenas, probrosis plerosque moribus, avitæ virtutis prorsus immemores, subactorum populorum vitiis fœdè subjugatos, ad vitæ anteactæ detestationem, sanctumque odium sui, ardentibus concionibus accendit.

XII.
Quàm varia crimina sustulerit, quâ industriâ?

Dici non potest, quantum tantillo tempore juramentorum & sartilegarum imprecationum, homo unicus, exstirpârit; quantum fœnoris, lucrorumque injustorum, ac furtorum, expurgârit; quantum projectæ in concubinas licentiæ, & velut legitimi vulgatâ consuetudine pellicatûs, Christianarum nuptiarum honestate mutârit. Imò quàm variâ industriâ, quàm assiduis laboribus, tantam repentè mutationem fecerit, dici vix potest. Publicis ad populum sermonibus, Christianæ doctrinæ ad plebem enarratione, excipiendis frequentissimorum pœnitentium confessionibus, non contentus; privata cum quibusvis ambiebat colloquia, in pessimorum ac perditissimorum quorumcumque familiaritatem sese insinuabat, omnibus omnia factus pro similitudine absque peccato, ut omnes, si posset, Christo lucri faceret. Ad libidinosorum, & concubinas gregatim alentium, mensas accumbere, castissimus non dedignabatur; ad rapacium, & malè partis opibus infamium, convivia sese ultro, etiam non invitatus, invitabat: ut inter epulas Zacchæi & Magdalenæ renascerentur. Obmurmurabant interim Pharisæorum quidam, *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis*. at ipse non nescius, rectè nil fieri posse, quin obliquis alicunde oculis adspiciatur, Deum inter ista judicem unicè attendebat, & conscientiam testem.

XIII.
Eximia & felix in peccatorem induratum caritas.

Ex facinoris unius nobilissimi specimine cætera æstimemus: quando duello conflixêre mirando hinc Xaverii caritas, inde obstinati peccatoris duritiea. Annos octodecim totos peccata sacerdoti fassus non fuerat, militaris forsan vitæ licentiâ: & monita omnia Xaverii, obtestationesque, aure surdâ respuerat. Ad vicinam quandam urbem naviganti Xaverius, velut aliud agens, adest itineris marini socius, ut viæ cælestis dux esse possit. Exscendenti in litus, captandæ, ut fit, quietis & ambulationis causâ, dat se comitem, & mentione de animi rebus nullâ, inter varias confabulationes ducit ad palmetum. Ibi mox abjectus in genua, nudato tergo, flagello exerto, acriter sese diverberare, cum dicto, non desiturum sese Dei judicis iras adversùs peccatorem placare, donec ipse peccare desineret. Attonito ad spectaculum homini, durum fuit contra stimulum, aliena latera fodientem, calcitrare. Non potuit adamantinum pectus, innoxii sanguinis rivo non emollescere. Exsurgit Xaverius, procidit peccator, redditurus sanguini lachrymas, pœnitentiam caritati: &, post anteactæ vitæ expiationem, prædicaturus, amore virtutum, vocem Domini intercidentis flamam ignis.

XIV.
Vox concutientis desertum insidelitatis & vocantis ad fidem.

Parentis sui Ignatii, ad revocandum à flagitioso consilio hominem in aquam glacialem immersi, imitator, an victor Xaverius, in sanguinis sese sui balneum immersit; ut hominem unicum Christianum à pereundi consilio deterreret. Quis autem enumeret, quot homines Infideles, sedentes in tenebris & umbra mortis, quibúsve rationibus ingeniosæ ac laboriosæ caritatis, ad Christianæ fidei, & aperti cæli lumen adduxerit; verè Apostolica *vox Domini, concutientis desertum* illud vastissimarum ad Orientem plagarum? Satius fuerit uno verbo dixisse, quemadmodùm de D. Paullo Chrysostomus, *Franciscus exiguo concionatus tempore*, vix annos decem totos, *orbem universum religioni mancipavit*; spatiosas illas ac populosas orbis instar regiones. Trimestri apud Japonas discursatione, celeberrimam, & fortissimorum Martyrum matrem, fundavit Ecclesiam, quingentis in una Nangasacana orbe capitibus ad Christum aggregatis. Malacæ, & in Moluccis insulis, post dies totos concionando, catechizando, hortando, confitentes audiendo, baptizando, exactos, ad vocis usque brachiorumque defectum: bonam noctis partem, ut ipse in epistolis narrat, circumeundis vicis transigebat, ut homines ad orandum pro defunctis, ac peccatoribus, sonitu nolæ & voce excitaret. Piscariam, Amboinum, Comorinum, Mauricas, aliasque Indicas insulas, ac litora, continuatis concionandi, docendi, confessiones excipiendi, laboribus peragravit: vix horâ plerumque, duabúsve somno concessis, spatio ad reparandas cibis obviis vires vix ullo: reliquo post ardentes ad Deum orationes, & quotidiana, cùm licebat, sacrificia, tempore Apostolicis omnibus muniis impenso.

XV.
Orbe converso, orbem alium quærens, moritur.

Fidem superaret, nisi testatissimum foret, quod de ipso passim affirmatur: post tot alias ex alus in bonum animarum contentas occupationes, unius manu baptizata decies centena capitum

capitum millia, in his infantium aliquot millia fælici momento calis transcripta. Ut meritò dici possit, *exiguo tempore orbem universum convertisse*, qui multitudinem, orbi fermè implendo parem, ad Christi cultum adduxit. Nondum tamen istis expleta Xaveriana caritas, orbem alium cogitabat; orbe certè toto à nobis sejunctos, & divisos moribus Sinas. Nondum exhausta *Vox Domini concutientis desertum*, numerosissimæ nationi, multis retrò sæculis fide destitutæ, religione desertæ; Christi nomen publicare gestiebat. Nutabant tremore deserta infidelitatis; catulique leonum, ac dæmonea quærentes escam sibi, instantis tonitrus formidine dissipabantur. Sed Christo aliter visum. Portus cælestis Xaverio, non Sinensis, destinabatur. Fixa erat in cursu meta, requies in labore. Appulsâ ad desertam insulam Sancianum, quâ vehebatur, navi, ardente pestiferâque febri corripitur. Carissimo Patri inopa nautica turba, pro diversorio, extemporaneum mapale excitat. Palea pro lecto est; aquæ pauxillum, & farinæ, pro alimentis & medicamentis; orationes, pro Sacramentorum solatiis. Ingravescente morbo ad extrema brevi deductus, Christi cruci affixi effigiem, laborum comitem individuam, vitæ & mortis sociam, sumit in manus, pectori apprimit, labris admovet, lacrymis rigat, & repetitis singultibus ac suspiriis beatam animam in illius amplexus emittit; ut qui fuerat adhuc *vox clamantis in deserto*, fieret æternùm *vox amantis in cælo*.

XVI. *Post mortem tu vox Domini præparantis cervos.*

Magne Orientis Patriarcha, Japonum Apostole, Evangelista Indorum, Tuba Dei de cælo insonans terris; *vox Domini præparantis cervos*: Xaveri, qui posteaquam vivere desisti, non desisti docere, Apostolicarum epistolarum instructionibus, monitorum cælestium consiliis, efficacissimis exemplorum exhortationibus. Qui non verborum modò tuorum, & factorum memoriâ; sed etiam quotidiana miraculorum novitate facis *pedes* sociorum tuorum *velut cervorum*, & super excelsa caritatis constitutos excitas ad currendas vias Evangelii pacis, per obstantia qualibet fluminum, fretorum, tempestatum, dolorum, suppliciorum; frustra erroribus vitiisque omnibus, usque adeò inferis, obnitentibus. Qui Sinarum, Tumquinensium, Abyssinorum, Mogorum regna discipulis tuis mortuus aperuisti: Brasilorum, Canadensium, Peruvianorum, Mexicanorum, Paraquariorum urbes, tesqua, nemora, nomini & Societati JESU consecrâsti. Eximie plusquam Propheta, qui, Eliæ instar, igneo amoris divini vehiculo terris ereptus, Elisæos pallio & spiritu tuo duplici induis, facisque prophetas successores post te: &, quod ipse votis ardentibus concupiscebas, assecutus tamen non es; facis martyres plurimos in utrisque Indiis, & in ipsa Europa nostra Britannica, successores pro te. Qui nuper ad annum tricesimum quartum, viso & curatione prodigiosâ, Marcellum Mastrillum vicarium tibi viatorem & Martyrem delegisti: fecistique etiam ipsum vocem Domini super aquas, in virtute, in magnificentia, intercidentis flamam ignis, confringentis cedros, concutientis desertum: sedatis reliquiarum tuarum objectu procellis, tormentorum bellicorum ignibus & impulsibus oppositu imaginis tuæ dissipatis, prostratis barbarorum Christianos invadentium agminibus, morte denique apud Japonas, in propagandæ religionis generosis conatibus, obitâ. Sancte Francisce, potentium precum tuarum interventu, impetra sociis tuis, auditoribus meis, clientibus tuis: ut quisque pro modulo nostro simus ad JESU nomen, & Dei gloriam, *vox clamantis in deserto* hujus vitæ, postmodùm tecum *vox amantis in cælo*.

CAPUT

CAPUT SEXTUM.

ARGUMENTUM.

Senex quidam Antiochenus ab Epiphane in Iudæam mittitur; qui Iudæos cogat ad deserendam avitam religionem, templaq́ Hierosolymitanum, & Garizitanum, Iovi sacrilegè consecret. Contaminatur illud omni sacrilegiorum genere, abolito Dei cultu, sarcitaq́ idololatriâ, ut Iudaïcam legem profiteri nemo auderet. Edictum per finitimas alienigenarum urbes circumfertur, de adigendis ad idola colenda habitantibus illic Iudæis. Mulieres duæ, de circumcisis infantibus accusatæ, plectuntur. Quidam, sabbatum clam in abditis cavernis celebrantes, cremantur. Desertum à Deo populum suum diceres; nisi nota esset consuetudo supremæ illius justitiæ, suos misericorditer hîc corripientis, & ad meliora servantis. Eleazarus nonagenarius senex urgetur, ut carnes suillas edat, aut edere saltem se simulet; infamemq́ obedientiam, ac simulationem generosè detestatus, inter verbera moritur, immortali ad posteritatem de servandis divinis legibus exemplo.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

℣. 1. SED non post multum temporis, misit rex senem quemdam Antiochenum, qui compelleret Iudæos, ut se transferrent à patriis & Dei legibus: 2. contaminare etiam quod in Ierosolymis erat templum, & cognominare Iovis Olympii: & in Garizim, prout erant hi, qui locum inhabitabant, Iovis hospitalis. 3. Pessima autem & universis gravis erat malorum incursio: 4. nam templum luxuria & comessationibus Gentium erat plenum, & scortantium cum meretricibus, sacrarisque ædibus mulieres se ultrò ingerebant, intrò ferentes ea, quæ non licebat. 5. Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur. 6. Neque autem sabbata custodiebantur, neque dies solennes patrii servabantur, nec simpliciter Iudæum se esse quisquam confitebatur. 7. Ducebantur autem cum amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia: &, cùm Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hederâ coronati Libero circuire. 8. Decretum autem exiit in proximas Gentilium civitates, suggerentibus Ptolemæis, ut pari modo & ipsi adversùs Iudæos agerent, ut sacrificarent: 9. eos autem, qui nollent transire ad instituta Gentium, interficerent: erat ergo videre miseriam. 10. Duæ enim mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse: quas, infantibus ad ubera suspensis, cùm publicè per civitatem circumduxissent, per

mutos præcipitaverunt. 11. Alii verò, ad proximas coëuntes speluncas, & latenter sabbati diem celebrantes, cùm indicati essent Philippo, flammis succensi sunt, eò quòd verebantur, propter religionem & observantiam, manu sibimet auxilium ferre. 12. Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus, sed reputent, ea quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri. 13. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. 14. Non enim, sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas, cùm judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat: 15. ita & in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet. 16. Propter quod numquam quidem à nobis misericordiam suam amovet: corripiens verò in adversis, populum suum non derelinquit. 17. Sed hæc nobis ad commonitionem legentium dicta sint paucis. Iam autem veniendum est ad narrationem. 18. Igitur Eleazarus unus de primoribus scribarum, vir ætate provectus, & vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare. 19. At ille gloriosissimam mortem magis, quàm odibilem vitam, complectens, voluntariè præibat ad supplicium. 20. Intuens autem, quemadmodum oporteret accedere, patienter sustinens, destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem. 21. Hi autem, qui astabant, iniquâ miseratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secretò rogabant afferri carnes, quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducâsse, sicut rex imperaverat, de sacrificii carnibus: 22. ut, hoc facto, à morte liberaretur: & propter veterem viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem. 23. At ille cogitare cæpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ conversationis actus: & secundùm sanctæ & à Deo conditæ legis constituta, respondit citò, dicens præmitti se velle in infernum. 24. Non enim ætati nostræ dignum est, inquir, fingere: ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: 25. & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur; & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram. 26. Nam, etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar; sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam. 27. Quamobrem fortiter vitâ excedendo, senectute quidem dignus apparebo: 28. adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo, ac fortiter, pro gravissimis ac sanctissimis legibus honestâ morte perfungar. His dictis, confestim ad supplicium trahebatur. 29. Hi autem, qui eum ducebant, & paullò antè fuerant mitiores, in iram conversi sunt, propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur. 30. Sed, cùm plagis perimeretur, ingemuit, & dixit: Domine, qui habes sanctam scientiam, manifestè tu scis, quia cùm à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundùm animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior. 31. Et iste quidem hoc modo vitâ decessit, non solùm juvenibus, sed & universæ genti, memoriam mortis suæ, ad exemplum virtutis & fortitudinis, derelinquens.

COMMEN-

COMMENTARIUS AD CAPUT SEXTUM.

Delegatus Antiochi qui Seneca dictus?

℣. 1. SED NON POST MULTUM TEMPORIS paullò pòst quàm Hierosolymis Apollonius desævierat, MISIT REX SENEM QUAMDAM. Liranus putat eum *senem* fuisse sacerdotem idolorum, quia Græcè senex vocatur presbyter: quasi quotquot Græcè vocantur presbyteri, sacerdotes dicendi sint; quia jam apud Catholicos inolevit, ut sacerdotes vocentur presbyteri. Meliùs multò alii putant *senem* illum fuisse Senatorem, sive ex ordine senatorio: nam *A senibus nomen mite Senatus habet*.

De quâ esset civitate?

Cujus autem civitatis Senatorem illum faciamus? In Vulgatâ dicitur fuisse missum à Rege *senem Antiochenum*. In Græcis verò non habetur Antiochenum, sed Ἀθηναῖον *Athenæum*, sive Atheniensem. Misitne Antiochus Hierosolymam Senatorem, aut senem Atheniensem, ex urbe, sibi non subditâ? Serarius, & Salianus existimant, *Athenæum* eum senem dici nomine proprio, *Antiochenum* autem à patriâ. Sed conjectura infirma est; mihique est magis probabile, in alterutrum textum mendi aliquid irrepsisse. Utrius autem vitium esse dicamus? Potuit enim Atheniensi cive Antiochus uti ad sacrilegia, qui Græcis passim ad vitiorum societatem utebatur. Decuit tamen magis Antiochenum ad Hierosolymitas urgendos deligi, linguâ, & moribus, quemadmodùm & regione non tam longè dissitos. Itaque in Græco potiùs Antiochenum restituendum pro Atheniensi.

Urget mandata.

℣. 2. usque ad 7. Exponuntur mandata, quæ senex ille, inveteratus dierum malorum, ab Antiocho accepit, & non seniliter ursit, Hierosolymis præsertim: prorsùs ut non Judaicam modò religionem, sed neque originem, quisquam fermè auderet profiteri. Vide dicta lib. 1. cap. 1. ad vers. 46. &c. satis enim ista sunt ad horum explicationem. Si de Jovis Olympii statuâ plus aliquid scire placuerit, consule Pausaniam in Eliacis, & Plinium lib. 34. c. 8.

Cur Jupiter Hospitalis datus Samaritanis?

Garizitanis dandum curavit pro præside Jovem ξένιον, id est *Hospitalem*, seu Peregrinum, non autem Ἑλλήνιον *Græcanicum*, ut Josephus: neque enim Jupiter Græcanicus, aut Græcus appellari usquam solitus; Hospitalis autem dictus non infrequenter. Deinde nomen idolo datum, *prout erant hi, qui locum inhabitabant*: ii autem erant hospites, seu peregrini in Judæâ, Samariam à Babyloniis Regibus traducti; ut commodè illis ab Antiocho daretur præses Jupiter Hospitalis, natioŋi in Palæstinâ hospiti. Ultrò à Garizitanis solicitatum Antiochum, ut templo suo nomen novum, ac dedicationem indiceret, scribit Josephus l. 12. c. 5. An id ex vero scribat, an ex odio nationis Judæis æmulæ, & infestæ, non definio: etsi hoc mihi credibilius est; cùm superiore capite vers. 23. Andronicus jussus sit Garizitanos vexare, ad qualemcumque suam religionem descendam, & Andronico Menelaüs in eumdem finem adfuerit.

Natales Regum celebrati.

℣. 7. DUCEBANTUR AUTEM, CUM AMARA NECESSITATE, IN DIE NATALIS REGIS. Natales Regum solenniter celebratos constat, vel ex Gen. 40. vers. 20. de Pharaone: & ex Matth. c. 14. vers. 6. de Herode; et profanos scriptores Josephum, Plutarchum, Herodianum, Athenæum, aliosque passim ad illa Scripturæ loca ab interpretibus adductos, præteream.

Coguntur Judæi ad Antiochi natalem.

Ex eâ consuetudine, cum natalitios Antiochi dies publicâ lætitiâ, ob publici scilicet mali exortum, celebrarentur, miseri Judæi *ducebantur*, imò trahebantur quamvis inviti, *ad Paganica sacrificia*, Græcè σπλαγχνισμὸν *visceratiorem*. Sacrificiis peractis, viscera hostiarum cremata præbebantur adstantibus, vorabanturque ab illis sacrarum carnium instar. Aut viscerationis nomine intelligi hic possit epulum solenne, de carnibus immolatis præberi solitum, natalitiis præsertim festis. Ita olim dicebatur, esse *lupi vita sine amico visceratio*, id est comestio, prandiumve, aut cœna.

Et ad sacra Bacchi.

ET, CÙM LIBARI SACRA CELEBRARENTUR, COGEBANTUR HEDERA CORONATI LIBERO CIRCUIRE, πομπεύειν, Græcè, id est pompatim, seu cum pompâ, supplicantium instar, incedere. Syro-Macedonibus Liberum patrem, seu Bacchum, in cultu præcipuo fuisse mirum non est, ab exemplo Alexandri, intemperantiæ ad insaniam usque dediti, ut lib. 1. c. 1. vers. 6. dictum est. Qui etiam *coronato hederâ exercitu ex Indiâ rediit, exemplo Liberi patris*, ut Plinius l. 16. c. 34. refert, aliique. Hederam Baccho sacram fuisse opinantur, quia illius arboris *natura fit cerebrum ab heluco*, seu ebrietatis assultu, *defensare*; ita Tertullianus loquitur, ex Paganorum sententiâ l. de Cor. militis. Liberalium, seu Bacchanalium festorum, insaniam describunt ex antiquis Athenæus, Clemens Alex. Arnobius: ex recentioribus Giraldus, Pithæus, Rodiginus, & novissimè Serarius ad hunc locum. Utinam Christianorum multi, cogente nullo, nisi insanæ voluptatis amore, aut stulto timore helluonibus displicendi, Bacchanalia hodie non celebrent; & Libero patri, non circumeant aut pompam ducant, sed turpiter labantur, & procidant adorabundi. De ebrietate abundè diximus ad lib. 1. c. 1. Exc. 3. sect. 3.

Edictum de superstitione Paganicâ.

℣. 8. usque ad 12. DECRETUM AUTEM EXIIT &c. De iis Antiochi literis habetur etiam lib. 1. c. 1. n. 43. Hic Sacer scriptor ait factum id *decretum*, de unica Paganicâ superstitione ubique observandâ, *suggerentibus Ptolemais*: eodem numero efferunt Sixtina Græca, sed in aliis plerisque Græcis habetur in singulari, *suggerente Ptolemæo*; illo scilicet, per quem Menelaüs obtinuerat, ut à cæde Oniæ absolveretur: Quamquam & alii fuerunt esse in Syriâ cognomines Ptolemæi, quorum consiliis usus sit Antiochus. Ne ergo intelligas, suggerentibus Ptolemæis Philopatre, & Philometore, id ab Antiocho decretum promulgatum. Neque enim tam benè illis cum isto conveniebat, ut adversùs Judæos conspirarent. De suppliciis matrum, quæ liberos circumciderant, vide libro 1. c. 1. vers. 63. & 64. Advertit Nobilius in Græcis quibusdam haberi ἀνηνέχθησαν, *delata sunt*: in aliis ἀπήχθησαν, *adducta sunt*. De successis per Philippum intra speluncas Judæis, ob sabbati religionem non renitentibus, vide l. eodem c. 2. vers. 29. &c.

Admonitio Scriptoris sacri de moribus

℣. 12. usque ad 17. habetur pia, & sapiens admonitio Hagiographi ad lectorem de moribus Dei in castigatione suorum. Quâ de re abundè à nobis

Providentiæ Divinæ.

à nobis dictum est variis locis ad lib. 1. tum in Commentariis, tum in Excursibus, Excursu præsertim ad caput 8. Quod autem ait scriptor Sacer, istam Antiochi in Judæos rabiem non fuisse *ad interitum, sed ad correptionem, generis* Judaici, ipse eventus ostendit. Servabatur nimirum infortunatæ gentis interitus ad desperatiora tempora, quando impleturi erant abnepotes mensuram patrum suorum: de qua vide Exc. 2. ad cap. ult. lib. 1.

Transitus ad singularem narrationem.

℣. 17. JAM AUTEM VENIENDUM EST AD NARRATIONEM. Græcè habetur δι' ὀλίγων δ' ἐπανιτέον ἐπὶ τὴν διήγησιν, *per pauca autem veniendum est ad narrationem*: id est, nunc verò breviter nobis narratio quædam singularis pertexenda est. Advertit Nobilius, in quodam Græco codice haberi, λοιπὸν, post, δι' ὀλίγων: quod etiam forsan interpres noster legit, & idcirco istud, *pauca* junxit cum præcedenti versu: versum autem 17. incæpit à voce *jam*, pro, *quod superest*.

Eleazaro obtruditur caro porcina.

℣. 18. IGITUR ELEAZARUS, UNUS DE PRIMORIBUS SCRIBARUM, sic jam tunc vocabantur homines periti Legis, de quacumque tandem tribu essent: *vir ætate provectus*, qui sese mox ipse nonagenarium profitetur: *& vultu decorus*, qui, etiam in decrepitâ senectute, formæ decus, & oris venerandam majestatem præferret. Is ergò vir scientiâ, gradu, annis, vultu venerandus, *aperto ore, hians, compellebatur carnem porcinam manducare*, lege utique vetitam Judæis, adeoque in contemptum legis.

An etiam esset immolatitia?

Addit Josephus, lib. περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ, carnes illas impio sacrificio oblatas fuisse: eumque sequitur Rupertus lib. 10. de vict. verbi cap. 30. Ut duplex scilicet ab Eleazaro exprimeretur legis contemptus, si porcinas carnes, easque immolatitias, palàm manducaret. Sed istud de carnibus immolatitiis, etsi incredibile non est, non est tamen necesse ut credamus ad martyrii caussam: nisi quòd infrà vers. 21. dicatur Rex Antiochus imperâsse, ut manducaretur *de sacrificii carnibus*. Sues autem diis immolari apud Gentiles solenne erat: inde etiam Romanis festum Suovitaurilia, quando sus simul, & ovis, & taurus immolabantur.

Cur porcina Eleazaro obtrusa?

Antè quàm ulteriùs progrediamur, pauca nobis quærenda sunt: primùm, cur, ad legis Mosaicæ contemptum, porcina potiùs, quàm alia de vetitis carnibus, Eleazaro intrusa fuerit? Quia, ut mihi quidem videtur, nihil fermè inter Judaicas cæremonias magis ludibrio apud exteros erat, quàm prohibitam esse carnem sapidam, ac promptam, utilis admodùm, & fœcundi animalis. Ideòque in declamatione suâ Josephus Antiochum inducit, cum Eleazaro, de præcepti illius inanitate, & porcinæ carnis suavi[illegible], disceptantem. Et hodie petulantiores Christianorum, Judæis vexandis, sues potiùs, quàm alia immunda ex legibus Mosaicis animalia, in vicos, aut ædes Judæorum adigunt.

Cur Deus eam vetuit Judæis?

Cur autem Deus carnem illam prohibendam duxerit, etsi hujus loci non est disputare, accipe tamen verba D. Gaudentii Brix. in tract. de Mach. rationes duas afferentis, omissâ istâ vulgati, quòd suillæ esus lepram, morbum Judæis & Palæstinis familiarem, generet. *Præceperat Iudæis Deus, ne porcum, cæteraq; illi similia manducarent, & erat hoc duplici de causâ, fratres carissimi: sive ut luxuriosus populus flammam carnalium vitiorum calidis carnibus non nutriret, prohibentur enim calorem nimium præstare corporibus: sive, ut porcorum more non viverent. Nam sues semper immundi sunt, & de fonte, vel de fluvio exeuntes, iterum volvuntur in cœnum, nec umquam intuentur cælum, sed prono semper ad terram capite ventri deserviunt. Et idcirco Dominus legionem dæmonum in gregem permisit ire porcorum. Idem in eorum gregem, qui tantùm sunt ventris animalia, qui numquam cælestia intuentur, sed immunditiis sunt semper dediti, & numquam sunt obliti vitiorum. Salubriter ergò Deus vel abstinentiam gulæ, vel continentiam immundarum actionum, imperavit.*

Ubi hæc historia contigerit: an coram Antiocho, & Antiochiæ?

Propria historiæ nostræ quæstio est, ubinam ejus scena fuerit, quâve in urbe, aut loco, inclytus senex gloriosam mortem obierit? Coram Antiocho passum scribit Josephus, & dialogismos, ac sermocinationes eorum inter se exprimit, declamatoris potiùs, quàm historici more. Josephum facundè imitatur Ambrosius, l. de Jacob, & vitâ beatâ, c. 10. Cùm autem Antiochus abhinc biennium Hierosolymâ sese Antiochiam receperit, neque usquam legatur exinde Hierosolymam rediisse, plurimumque in urbe Regiâ egerit inter scorta, & parasitorum greges: consequetur, si coram Antiocho passus est Eleazarus, Antiochiæ passum. Accedit, septem fratres, de quibus mox subditur, coram Antiocho tortos; adeoque Antiochiæ, ut ex istâ ratiocinatione conficitur; passimque persuasum est, & Martyrologio Romano cantatum. Quidni ergo idem de Eleazaro, in consimili caussâ, & eodem filo, ac textu narrationis, existimemus, ut etiam Serarius existimat?

Contigit Hierosolymæ absente Antiocho.

Nihilominùs longè credibilius est, Eleazari martyrium nec coram Antiocho, neque Antiochiæ contigisse. Primùm, quia Hagiographus nusquam præsentis Regis meminit, etsi vers. 21. de illius edicto faciat mentionem: neque ullos omninò cum eo sermones habitos commemorat: id tamen in tam illustri narratione non prætermissurus, quemadmodùm in sequenti non siluit. Deinde, unum de primoribus scribarum Hierosolymis abfuisse, & in Syriâ egisse, credibile non est: anno autem ætatis nonagesimo Hierosolymâ pertractum Antiochiam, minùs etiam est probabile. Denique, inter amicitiâ junctos, aut saltem familiaritate notos, passus est Eleazarus, ut versu 21. videbimus: Hierosolymis igitur, ubi habitâsse non dubitamus eximium scribam, imò & sacerdotem, ut mox dicemus.

Josephi errores.

Josephi auctoritas contrà non tanti est, ut rationibus istis præponatur. Errârit illic, quomodò alibi, & in hisce ipsis narrationibus: tamquam, in eo, quod versu 10. hujus capitis Hagiographus narrat, mulieres duas circumcisis filiis de muro datas in præceps, ipsas eas dicit sese ultrò de muris præcipitâsse. Alios ejus errores, si lubet, inspicies apud Salianum: neque enim illos hic inculcare consilium est.

Quæ Eleazari conditiones?

Aliæ de Eleazaro ipso quæstiones sunt: sacerdósne fuerit, unus de Interpretibus septuaginta duobus, pater septem Martyrum? Istorum nihil ex Scripturâ colligi potest. Nam licèt *scriba* fuerit, non ideò tamen sacerdos: neque enim nulli erant scribæ, aut in Lege versati, præter sacerdotes. Ita, non continuò dicendus fuisse de numero interpretum, quia fuit *de primoribus scribarum*. Neque idcircò pater Martyrum septem fuisse putandus est, quia senex, & quia sub idem tempus martyr. Ista ergo ex Scripturæ textu confici non possunt.

Aliunde

An sacerdos fuerit? Aliunde tamen discimus sacerdotem fuisse, vel ex testimonio Josephi, quod hic non parvi momenti est. Erat enim Josephus ipse de sacerdotali genere: & maximè apud Judæos diligentiâ notari solebant, quæ ad genealogias, Regiam præsertim, ac Sacerdotalem spectabant. Ut facilè istud de Eleazaro didicisse Josephus, ex antiquis sacerdotalium familiarum tabulis, potuerit, nec tam facilè finxisse, quàm elegantes cum Antiocho sermocinationes. Accedunt Ambrosius, & Nanzianzenus, qui sacerdotem fuisse disertè affirmant. Apud illum, loco citato, Eleazarus ipse appellat se se *sacerdotem sacerdotum*, id est de sacerdotum præcipuis, non autem summum Pontificem, qui tunc Mathathias fuit, aut nullus. Apud hunc, orat. de Mach. dicitur Eleazarus *antè pro populo sacrificasse, & orasse; nunc autem perfectissimam hostiam semetipsum Deo obtulisse.*

An de Septuaginta interpretibus? De Septuaginta interpretibus, eorumque præcipuum fuisse, scribit Josephus Gorionides l. 3. c. 2. & 4. apud Serarium. Neque id video quo argumento, nisi quia, ut diximus, ab Hagiographo scribitur fuisse *de primoribus scribarum.* Sed argumentum istud nimis imbecille est, & Gorionidæ fides nimis vana, ut credamus, quod incredibile est, si temporum intervalla metiamur. Faciamus enim, Ptolemæi Philometoris anno decimo-tertio mortuum Eleazarum nonagenarium: Ptolemæi Philadelphi, cujus jussu translatio Scripturæ per Interpretes septuaginta duos facta est, ævo extremo, Eleazarus vix adolescens fuerit; forsan nec natus, quando facta est translatio: tantum abest, ut interpretum illorum præcipuus esse potuerit. Vide nostram Regum Ægypti seriem, præfixam Commentariis ad librum primum.

An pater septem Martyrum? Patrem septem Martyrum facere videtur Nanz. orat. de Mach. cujus initium recitatur in Officii divini Nocturno secundo, Dominicâ 5. Oct. *Obtulit autem*, inquit, *& filios septem Eleazarus, sua scilicet disciplinæ, hostiam viventem, beneplacitam Deo, omni legali sacrificio splendidiorem, & puriorem: qua fuat enim filiorum, ad patrem referri, æquissimum, ac justissimum est.* Græcè quidem habetur, παῖδας, *pueros*, non υἱοὺς *filios*: illud tamen *puerorum* nomen poni pro filiis manifestum est, ex eo, quòd dicitur, τὸ τῶν παίδων τῷ πατρὶ λογίζεσθαι, *quæ puerorum*, seu filiorum, *sunt patri adscribenda.*

Examinatur Nanz. sententia. Ex eâ Nanzianzeni sententiâ, videatur Eleazarus pater fuisse septem Martyrum: sed si cæteræ orationis, inquit Serarius, attendantur, non naturâ patrem, verùm educatione ac disciplinâ, Nanzianzenus facit. Nam paullò pòst sic septem fratres loquentes inducit: *Eleazari discipuli sumus, pater priùs decertavit, filii posteà certabunt.* Eodem modo apud Ambrosium dicunt l. de Jacob c. 11. *Sequimur patrem filii, discipuli doctorem.* Sic etiam appellatur in Menæis die 1. Aug. Ec verò, si senis hujus ætatem attendamus, & septem fratrum postremi, vix, aut ne vix quidem, vir tanto natu illius parens esse potuit: nisi octogenario patre dicamus natum fuisse, qui decennis forsan non fuit, quando mortem subiit.

Non fuit naturâ pater, sed summùm educatore. Ob hanc rationem, non existimo fuisse Eleazarum naturâ patrem septem Martyrum: maximè autem, quia prætermissurus patrem non erat Hagiographus, qui matrem non tacuit. Summùm itaque, nutritium, & educatorem, nobilium adolescentium nobilem senem fuisse crediderim. Summum, inquam; nam neque hoc ipsum, ullo ex Scripturæ vestigio, possumus deprehendere. Etsi enim fuerit *de primoribus scribarum* Eleazarus, non ideò tamen constat eluisse conductores, aut ludum literarium aperuisse. Demus tamen illud Patrum duorum auctoritati. Et certè digni fuêre tali magistro generosi adolescentes, dignus talibus discipulis fortissimus senex, eodem exemplo, eâdem causâ, eodem ferè tempore mortuis.

An Assidæus fuerit? Ad quæstiones, istas de Eleazari conditionibus, scriptoribus aliis non intactas, & hanc addo: fueritne de Assidæorum numero, ex ea synagoga, quam viribus & multitudine valuisse, ait Scriptor lib 1. cap. 2. & Mathathiæ aggregatam? Omnino fuisse existimo. Cum enim Assidæi, ut eo loco diximus, à divino cultu & pietate nomen haberent, & in eorum numero ferè censeretur *omnis voluntarius in lege*: quis maximè voluntarium in lege Eleazarum nescit, de primoribus Scribarum, & legis defensioni constantissimè immortuum? Existimavêre quidem nonnulli, Assidæos fuisse militarem Templi custodiam: quod sanè munus Eleazaro seni decrepito neutiquam conveniens est. Nonnemo ab Elia, Elisæo, filiis Prophetarum, originem traxisse affirmavit; nec cœnobiticam modò vitam egisse, verùm vota etiam religiosa edidisse. Sed ista fundamento ex Scripturæ verbo nullo nituntur: uti nec quod recentior quidam opinabatur, Assidæos fuisse velut factam cohortem novam, auctore Mathathia, duce Juda Machabæo ultrò militiæ sacramento addictam, nomenque ortum vel à *Hasidai* Hebræo, vel à Græco ἀσῦλοι aut ἀσκοῦντες, non autem à *Chasidim.* Vide à nobis dicta lib. 1. cap. 2. ad vers. 42. de illorum instituto & appellatione.

Eleazarus mortem præoptat vitæ. ℣. 19. AT ILLE ELEAZARUS GLORIOSAM MAGIS MORTEM, QUAM ODIOSAM VITAM COMPLECTENS, honorificam pro patriis legibus mortem præoptans vitæ, post violatas leges infami, & exosæ: VOLUNTARIE PRÆIBAT AD SUPPLICIUM, ultrò pœnas provocabat, & carnificinam, ne fuissæ carnis contactu inquinaretur. *Gloriosam* meritò *mortem* Hagiographus appellat, & coram hominibus rectè sentientibus, & maximè coram Deo, *in conspectu* cujus *pretiosa est mors sanctorum*, ut in Excursu dicemus.

Supplicium tympani. Supplicium, ad quod ultrò currebat ardens Herois nostri virtus, Græcè dicitur, τύμπανον, *tympanum.* Ita versu 28. infrà, ubi Vulgata nostra generatim habet, *supplicium*, Græcè rursus eodem modo dicitur *tympanum.*

Ejus meminit D. Paulus. D. Paullus Hebr. 11. vers. 35. priscorum facinora enumerans, dicit de quibusdam, ἐτυμπανίσθησαν, *tympanati supplicio affecti sunt.* Quo loco D. Paullum ad Eleazari supplicium attendisse, Theodoretus affirmat: nec dubitant, qui tamen hunc librum pro Canonico noluerunt agnoscere, Aretius, Beza, & Calvinus ipse. *Non dubito*, inquit Calvinus, *quin sacra illas persecutiones designet auctor Epistola, quibus grassatus est Antiochus in populum Dei, & qua posteà secutæ sunt. Non dubitem*, inquit Beza, *quin tam Paullus designet persecutiones, quam Antiochus exercuit.*

Quale fuerit? Quale autem id tympani supplicium fuerit, quod interpres noster D. Paulli vertit *distenti sunt*, multis variis disputant: eruditè inprimis Serarius. Ego distensionem simul, & fustuarium fuisse non ambigo, vel ex ipsâ tympani similitudine, in quo distenta pellis tunditur. Sed commodiùs istud disceptabitur ad vers. 28.

Deliberatio Eleazari; ad constantiam profuit.

℣. 20. INTUENS AUTEM, QUEMADMODUM OPORTERET ACCEDERE ad alterutrum, propositâ hinc violandæ legis per illicitam manducationem, inde supplicii atrocis optione: PATIENTER SUSTINENS vim sibi illatam, & patienter tormenta quævis sustinere certus; DESTINAVIT NON ADMITTERE ILLICITA edulia PROPTER VITÆ AMOREM, vitam legi postposuit. Itaque non ex impetu, sed ex destinato, & perpensis utrimque rationibus, ac prævisis rerum finibus, sapiens juxtà, ac fortis senex mortem præ peccato amplexus est; ideóque magis sensit mala, quia magis consideravit; tantòque fuit generosior, quantò prudentior. Nam qui ex impetu voluntatis, non ex judicii deliberatione, in tormenta incurrunt, illa minùs sentire solent, & minùs constanter ferre, postquam primus ille impetus deferbuit. At qui mala ex judicio eligunt, uti plus sentiunt, ita constantiùs ferunt; quia quidquid accidere potest, prævidêre.

Differentia Græci textûs, & Latini.

Sic habet istius versûs sententia in textu nostro. in Græco paullò aliter, nec minùs ad Eleazari gloriam. Nam pro, *intuens*, est προσβλέπων, id est *respiciens*, seu *prospiciens*; cujus verbi loco olim forsan aliquis scripserit *prospiciens*; indéque alius posuerit, *intuens*. aut istud προσβλέπων non satis considerate, ut aliquando fit, ab ἐμβλέπω, id est *intueor*, ductum existimârit, ut ait Serarius apud Salianum.

Eleazarus carnes suillas exspuit.

Ex illâ autem Græci textûs voce intelligimus, Eleazarum, cui os vi apertum erat, hiantique, ac reluctanti intrusæ carnes suillæ, eas exscreâsse, velut fœdum sputamentum, non sine carnificum indignatione. Sic tota hujus loci sententia ex Græco exprimitur, juncto utroque versu: *Voluntariè accedebat ad supplicium, exspuens ea, quæ non licebat gustare propter vitæ amorem; quemadmodum oportebat accedere eos, qui sustinebant punire*, id est, qui comparati erant ad subeunda supplicia. Eleazarus se gessit, uti oportebat legis observatorem, & contemptorem pœnarum.

Quinam misertè fuerunt Eleazari?

℣. 21. usque ad 28. HI AUTEM, QUI ASTABANT, INIQUA MISERATIONE COMMOTI, id est malè, & injustè miserentes: neque enim jus, & fas erat, misereri hominis rectè, & ex virtute, agentis. Pro Latino, *iniquâ miseratione*, Græcè est παράνομον σπλαγχνισμόν, quod Tigurini vertunt, *iniquam viscerationem*. Ambigua itaque in Græco sententia est: quia σπλαγχνισμὸς, vel *viscerationem*, significat, vel *miserationem ex intimis visceribus*.

An carnifices Syro-Macedones, vel apostatæ?

Hanc significationem interpres noster maluit, neque immeritò, si versum 29. expendamus; ubi dicuntur *in iram conversi, qui paullò antè fuerant mitiores*. Manifestum est, eo versu 29. Hagiographum agere de emissariis Antiochi, qui edicta ipsius ursêre, & Eleazarum torsêre, vel torquendum curavêre. Qui cùm dicantur *antè fuisse mitiores*, iidem esse videntur atque vers. 21. *iniquâ miseratione commoti*. Erant igitur Syro-Macedones, vel Judæi apostatæ.

An Judæi Fideles?

Si tamen alteram explicationem vocis σπλαγχνισμὸς malueris, dicendum erit, *iniquâ visceratione*, sive iniquo sacrificio, aut impii sacrificii ingestione, & inculcatione in os Eleazari per carnes suillas factâ, commotos quosdam ex astantibus: Judæos utique, neque exleges, cùm istâ prævaricatione, aut prævaricationis comminatione moverentur. At unde in tanto persecutionis ardore Fideles, quibus eo loco constantia, ad miserendum innocentis oppressi, non deesset? Deinde, an Fideles simulationem comedendæ carnis porcinæ Eleazaro, scribarum primario, suadere audere sustinerent?

Infideles amici sunt, aut amantes potiùs, Eleazari.

Syro-Macedones itaque præsidiarios arcis, aut apostatas Judæos, commovit pronos erga emeritum, totáque urbe notissimum senem, ipsâ specie venerabilem, & vitæ retroactæ memoriâ commendabilem, miseratio. Ipsis enim inimicis amabilis est virtus, præsertim si opprimitur. Itaque quod Hagiographus dicit, commotos *propter antiquam viri amicitiam*, intelligendum est, non de amicitiâ propriè dictâ, sed de familiari, vetustáque notitia, & affectu. Amicitia enim propriè non est, nisi ex virtute, inter æquales, aut similes: affectus autem, & cognitio, est etiam inter inæquales, & dissimiles; inter pios, & impios. Sic erant, qui Eleazarum miserabantur, homines impii hominem pium, olim famâ, & virtute notum, atque amabilem quibusvis, quamvis vitiosis.

Suadent ipsi simulationem.

TOLLENTES EUM SECRETÒ, homines isti, stultè misericordes, tantisper à turbâ Eleazarum semovêre, ut minùs ipsum puderet coram paucis, & secretò, aliquid de constantia remittere. Sic semotum *rogabant*, non ut carnes suillas ederet, sed *afferri carnes, quibus vesci licebat, ut simularetur manducâsse, sicut Rex imperaverat, de sacrificii carnibus*. Non instabant, ut carnes gluciret suillas, & immolatitias; sed ut alterius generis quaspiam, aliunde secretò allatas, ad parendum in speciem edicto Regio.

Ex Regis absentis edicto.

Ex illâ particulâ, *sicut Rex imperaverat*, Josephus, aliique ipsum imitati, conjecere, præsente Rege Eleazarum adactum ad sacrificii, vel tormentorum, optionem. Sed infirma est conjectura. Imperârat enim Rex absens per senem Antiochenum, *ut Judæi se transferrent à patriis, & Dei legibus*: & decretum exierat, non in Judæam tantùm, sed etiam *in proximas Gentilium civitates, ut pari modo & ipsi adversùs Judæos agerent, ut sacrificarent*. Ex eo Regis edicto, sollicitatur Eleazarus, primùm ut carnes porcinas idolothytas manducet; cùm id non impetraretur, ut saltem suppositis aliis carnibus, simulet sese Regio edicto paruisse.

Fortissimè recusat Eleazarus.

At enim *scriba doctus in lege Domini*, qui licere quidem interdum dissimulationem aliquam rei bonæ, malæ autem simulationem ejusmodi non licere sciebat, spem suasoribus importunis, & improbis omnem abscidit, pleno fiduciæ, constantiæque, ac sapientiæ responso. In eo rationes variæ, ac nervosæ coacervantur, cur neque expediat, nec deceat, nec liceat, prævaricationem simulare: & cur satiùs sit *præmitti in infernum*, id est mori, & per mortem corpus sepulcro mandari, animam ad limbum transire: limbus enim, & sepulcrum, inferni nomine in Scripturâ veniunt.

Esus carnium suillarum, aut simulatio edendi, an licuisset extra scandali periculum?

Sumere quidem carnes non prohibitas, & prohibitarum esum fingere fas fuisset: si solùm de Gentilibus Syro-Græcis, aut transfugis Judæis, deludendis ageretur. Imò eâ deludendorum impiorum causâ, aut evadendæ mortis gravâ, fame, vel gladio imminente, porcinam reipsâ comedere licuisset ex Theologorum sententiâ: modò scandali periculum abfuisset. Lex enim divina ad tantillam rem in tanto periculo non obstringebat; quomodò in simili causâ Theologi definiunt, de carnibus à Catholico inter Acatholicos edendis per dies esuriales. At ubi vel in esu ciborum vetitorum, vel in solâ

edendi

edendi simulatione, manifestum est mali ad infirmiores exempli periculum, quod scandalum dicimus; aut ubi esus ille, vel comedendi simulatio, ad religionis contemptum expetitur, deserendæve, aut desertæ indicium est: ille ex charitatis ad homines, sive in proximum, lege non licet; ista ex charitatis in Deum, & observandæ religionis præcepto, prohibetur.

Rationes, cur Eleazarus recusârit.

Quod non ignorans Eleazarus, simulationem aversatur, & aversandi rationes affert. Prima ducitur à decoro ætatis, nobilitatis, vitæ retrò ex virtute actæ, cui degenerare pudeat: quæ ratio quia humani aliquid habet, Hagiographus in Græco vocat, ἀστεῖον λογισμὸν, id est, *civilem, & politicam ratiocinationem.* Altera, excelsior est, ac divinior, petiturque ab odio mali exempli, seu scandali, quod simulatio latè à tali transfunderet. Tertia, à summi Judicis scientis omnia, & pro meritis, seu in hac, seu in futurâ vitâ compensantis, sancto, ac justo timore. Secundam rationem sanctus senex potissimùm, & verbis pluribus, ac sæpiùs repetitis, exaggerat; neque immeritò.

Mali exempli vis in hominibus conspicuis.

Nam, ut ait Eucherius, sive Eusebius Gallic. hom. 4. ad mon. *Faciliùs invenimus, qui ea, quæ deteriora sunt, quàm qui meliora, sectentur. Pronior est enim ad imitationem mali humana fragilitas.* Præsertim si is, qui peccat, peccatúmve simulat, spectabili gradu, ætate, famâ, & loco est. Qui ex edito labitur, inquit Chrysostomus hom. 1. de verb. Apost. sonitum labendo excitat, & ad casum suum animos aliorum advertit. Ex imo labentem vix ulli audiunt, & advertunt. Morbi, ex nobilioribus membris in ignobiliora derivati, longè periculosiores esse solent, quàm qui in ignobilioribus oriuntur. Vide dicta l. 1. Excerz. ad c.1. num. 10. &c.

Scandala etiam Pusillorum fugienda.

Utinam Christiana senectus, nobilitas, dignitas civilis, & Ecclesiastica, Eleazarum imitetur, in omnis scandali fugâ, illius etiam, quod Pusillorum dicimus, de quo tam nervosè scripsit Paulus ad Corinthios 1. 8. *Videte, ne fortè licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* Fac licere, quod agis, vel quod simulas: sed caritásne id suaserit, ut ex eo; quod tibi licet, aliena imbecillitas præcipitetur ad illicitum? *Et peribit infirmus in tua scientia frater, pro quo Christus mortuus est?* Nescit ille, quod tu scis: & quia te malè agere existimat, malè agere discet te magistro, etsi non doceas. Itaque generosâ caritate dicamus cum Paulo: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.* Istud à Paulo non audierat Eleazarus, & tanto antè Paulum fecit, nobisque illustri exemplo præivit, vitandæ omnis scandalosæ simulationis.

Eleazarus ad supplicium trahitur.

℣. 28. HIS DICTIS, CONFESTIM AD SUPPLICIUM TRAHEBATUR. Post tam disertè, & fortiter, recusatam non violationem modò legis Judaicæ, sed simulationem violatæ, tractus est ad *supplicium*, quod τύμπανον Græcè dici, monuimus ad vers. 29. & huc disceptationem de istius supplicii genere servavimus: indicatâ tamen ibi in antecessum sententiâ nostrâ, & ratione sententiæ.

Tympani supplicium est fustuarium.

Diximus significari pœnas in uno supplicio duas, nomine tympani, distensionem, & fustuarium: & hoc ex ipsâ tympani similitudine, quod distenditur, ut pulsetur. Accedit pro fustuario manifesta ratio, ex Hagiographi verbis vers. 30. μέλλων ταῖς πληγαῖς τελευτᾶν, *cùm propè esset, ut plagis*, seu verberibus, *moreretur*: quod interpres noster vertit, *cùm plagis perimeretur.*

Et distensio.

De distensione autem, sic interpres Latinus vertit in epistolâ ad Hebræos, ut diximus ad vers. 19. eamque interpretationem probant omnes, etiam heterodoxi, quamvis interpreti nostro non satis æqui. Et in hac ipsâ historiâ D. Ambrosius ait, Eleazarum fuisse *distentum, suspensumque, ut ipsius extensores fatigarentur.* Quamvis Josephus in narratione, seu declamatione potiùs suâ, istius extensionis non meminit: sed ibi multa peccat, quæ apud Salianum videri poterunt.

Sublimis distentus est Eleazarus.

Cùm autem aliquando rei distenderentur humi ad trochleas, religatis ad stipites quatuor terræ infixos brachiis, ac pedibus; interdum in equuleo sublimes; aliàs ad crucem tympani nomine apud Græcos interdum venientem, seu rectam, seu decussatam; nonnumquam ad palos duos; aliàs item aliter: quo potissimùm modo distentum fuisse Eleazarum arbitremur? Ambrosius modò dicebat *suspensum* fuisse, id est distentum sublimem, nec video, cur ab eo discedamus: præsertim cùm sic spectabilius futurum esset ejus tormentum, & aliis Martyribus idem non infrequenter contigerit. De S. Vincentio apud Prudentium judex jubet:

Vinctum, retortis brachiis,
Sursum ac deorsum extendite,
Compages donec ossium,
Divulsa, membratim crepet.

Apud eumdem S. Romanus ait de se,

Miserum putatis, quòd retortis pendeo
Extentus ulnis, quod revelluntur pedes,
Compago nervis quòd sonat crepantibus.

An alia supplicia passus?

An autem alia supplicia fustuario, & distensioni accesserunt, ut ustulatio, liquoris fœtidi in nares infusio, aliaque à Josepho declamata? An frequens ad terram collisio, crucifixio, capitis truncatio, quæ suppliciorum genera tympani nomine interdum significari, Serarius ostendit, ex priscorum sententiis eruditè congestis? Nihil istorum putârim, cùm nihil ab Hagiographo scribatur, præter tympanum, & plagas, hisque immortuus indicetur. Nec verò tanto apparatu, & varietate tormentorum opus erat, ad senilis vitæ reliquias extundendas.

Exacerbati responso tortores in Eleazarum, sæviunt.

℣. 28. HI AUTEM QUI EUM DUCEBANT, ET PAULLÒ ANTE FUERANT MITIORES, iidem qui miseratione iniquâ commoti simulationem suaserant, Syro-Macedones satellites, aut apostatæ Judæi, Apollonio, & seni Antiocheno ad supplicia piorum obsequentes ministri: hi ergo, liberum, ac sanctum Eleazari responsum *arrogantiam* interpretati, tantò in illum magis sævierunt, quantò antè magis miserebantur.

Vana hominum judicia.

Sic sunt hominum judicia. Honestus famæ, & dignitatis retinendæ affectus, pro fastu, & superbiâ habetur: quamvis ubique, & in omnibus laudabile sit, bonum nomen tueri, intra justos defensionis limites. Imò ipsa æternorum firma fides, spes, & fiducia in Deum erecta, caritas in proximum, & studium boni exempli, constans divinæ legis observantia, Dei timor, inconcussus erga ejus cultum, ac religionem, amor, quæ virtutes in Eleazari dictis, ac factis eminent, *arrogantiæ* tribuuntur. Eumdem in modum de Martyribus ferme omnibus, per inscios verè virtutis, & sanæ religionis ignaros, judicatum. Neque apud ipsos Christianos interdum mitiùs accipi sanctimonia solet. Arrogans est, qui inter corrupta morum exempla

corrumpi

contemni sese non patitur. Fastuosus, & vultuosus est, qui familiaribus vitiis non cedit, qui ad quotidianorum vitiorum imitationem non flectitur. Audio Federicum Borromæum, dignum D. Carolo nepotem, populari linguâ nominatum fuisse, *Santo tellardo*, quòd firmus in benè cæptis perstaret. Habes hinc quo fulcias dicta in Excursu ad c. 4. sect. 4.

Gemitus non dedecet virum.

℣. 30. SED CÙM PLAGIS PERIMERETUR, INGEMUIT. Forti viro gemitum expressit doloris acerbitas. Nec verò ingemiscere tantisper, aut suspirio, imò & lacrymulâ sensum testari, fortitudinis labes est: illud naturæ datur, sustinentia redditur virtuti: illud corpori tribuitur, constans patientia tenetur *secundum animam*: illo fatetur Eleazarus se esse hominem, tolerantiâ probabit se esse Heroem. Vide dicta in proœmio tractatûs de Bonâ voluntate num. 5. & 6.

Deus judex, & testis intuendus.

ET DIXIT, DOMINE, QUI HABES SANCTAM SCIENTIAM. In Græco Eleazarus testem Deum non invocat, sed affirmat; neque per apostrophen loquitur, sed recto sermone: *Dominus, qui habet sanctam scientiam.* Deum judicem, & spectatorem suum intuetur vir sanctus, potentissimumque inde solatium dolorum, & patientiæ in supremâ luctâ incitamentum accipit. Ad conscientiam suam olim appellabant Stoici, inter iniquas judicis, atque supplicis: nos ad Deum conscium, & intimum spectatorem, ipsiusque conscientiæ lucem appellamus, & dicimus, *Manifeste tu scis*, quia amo te, quia ubi patior, tibi vivo, improbis tuâ caussâ displiceo, patienter pro legibus tuis crucior. *Ecce in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis*, dixit Eleazarus Jobi exemplo: Deus agonis mei testis est, innocentiæ judex.

Cur Dei scientiam Eleazarus sanctam appellat?

Cur verò sanctus senex *sanctam* Dei *scientiam* appellat, quæ forsan convenientiùs dici poterat immensa, aut omniscientia? Breviter respondeo: primùm, quia omnia Dei sancta sunt, colenda, adoranda; cùm Deus ipsa sit sanctitas. Deinde, quia, quidquid Deus scit, ad sanctum finem refert, id est ad se, ad suam gloriam, ad caritatem: longè aliter, quàm homines & angeli mali, qui intelligentiam, & scientiam impendunt in fines malos. Denique, quia ex scientiâ suâ Deus sanctè judicat, cum tranquillitate, ex æquo, & vero, non quomodò homines, ex perturbationibus, pravis affectibus, præcipiti impetu: uti jam diximus.

Caussa martyrii Eleazaro, Dei cultus.

PROPTER TIMOREM TUUM LIBENTER HÆC PATIOR. En caussam martyrii. Libenter passus est Eleazarus *propter timorem* Dei, id est cultum, ac religionem; ea enim divini timoris nomine passim in Scripturâ laudatur. Ad cultum enim Dei pertinebat observantia totius legis Mosaicæ; qui tunc erat legitimus, & unicus veri Numinis cultus, ab ipsomet præscriptus, ac dictatus. Cum autem ad duplicem legis contemptum, manducandâ suillâ immolatitiâ, Eleazarum carnifices cogere voluerint; idque ipse studio legis constantissimè recusârit: verissimè, Deo ipso teste, dicere potest, se *propter timorem*, ac cultum Dei pati, ac mori.

An Eleazarus Protomartyr Judæorum?

An autem primitiæ Martyrum in Judaïcâ religione dici potest Eleazarus, quemadmodùm in Christianâ Stephanus? Affirmat Gregorius Nanz. Sed quomodò Protomartyr inter Judæos, quem multi antecesserunt? Nonne Zacharias propheta, occisus inter templum, & altare, caussâ virtutis, longè Eleazarum præcessit? Nonne Isaias serrâ dissectus, Jeremias lapidibus obrutus, Prophetarum plerique veritati propugnandæ immortui: ut pro certo olim traditum est, etsi de singulis sacræ Literæ disertè non meminerunt? Nonne, in hac ipsâ historiâ, multorum mors lanienam Eleazari antecessit: qui in speluncis, ob sabbati religionem, periêre: mulieres, ob circumcisionis legem servatam deturbatæ in præceps, infantes ipsi suspensi? Itaque non dispicio, quonam pacto dici queat Eleazarus Judæorum Protomartyr, nisi forsan dignitate: quia palàm, insigni fortitudine, illustrissimo exemplo, vir tanto natu, tantâ doctrinâ, tantâ apud omnes existimatione, passus est.

Eleazari exemplum late spectatur.

℣. 31. ET ISTE QUIDEM HOC MODO DECESSIT, NON SOLÙM JUVENIBUS, &c. Eleazarus, inter constantiæ suæ incitamenta, proposuerat istud, de exemplo junioribus natu relinquendo. Hagiographus eò alludens, dicit mortuum, non relicto juvenibus tantùm immortali generositatis exemplo, sed posteris etiam omnibus, & universæ genti Judaicæ: imò nationi omnium Fidelium, ubivis terrarum. Nusquam enim in Ecclesiâ Catholicâ non celebratur memoria fortissimi senis, cujus in Officio divino historia legitur mense Octobri, legentiumque, & audientium animos excitat, & erigit, ad imitationem fidei, & constantiæ.

Septem fratres cum matre potuerunt spectâsse patientem Eleazarum.

Quòd autem Hagiographus hic, de dato juvenibus per Eleazarum exemplo, mentionem facit, & mox juvenum, adolescentiúmve septem fratrum certamen subjicit: id forsan facere videatur, quia septem isti fratres cum matre spectatores astitere Eleazaro certanti, ejus aspectu animati, & roborati ad sustinenda fortiter, quæ postea iniêre, supplicia. Ita certè existimavit D. Ephræm, cujus hæc sententia est, parænesi 23. *Si senex Eleazarus, dum incendiis suppliciis* (sequitur Josephum, qui fistulationem tympano adjungit) *torqueretur, non est mutatus mente. Unde & juvenes ætate, hujus patientiam respicientes, contempserunt tormenta, quæ videbant, viceruntque tyrannum sancti septem pueri; quid igitur ego?* Mihi credibile omninò videtur, matrem cum filiis septem ad Eleazari spectaculum, Deo dignum, prodiisse, aut venire potuisse. Hierosolymitanam enim fuisse, & Hierosolymis habitâsse, existimo; indeque Antiochum, post Eleazari obitum, abreptam cum suis: idque in serie historiæ num. 18. indicavi. Viderunt igitur exemplum senis juvenes, aut videre potuerunt, & audiverunt de proximo.

Eleazaro similes, qui fidentes Domino patiuntur.

Eleazaro similem Vindamum ex Sandero refert Serarius, hominem in Angliâ clarum doctrinâ pariter, & genere, sed magis virtute. Is enixè rogatus, ut solùm sese ad hæreticorum templum ire velle diceret, negavit facturum: *Etsi enim tam doctus non esset, doctum tamen se haberi; & exemplum adeò aliis dare nolle.* Eleazaro similes sunt, quotquot auxilio Dei fulti, non viribus suis, id enim sonat Eleazari nomen; quidvis pati potiùs statuêre, quàm ad legis divinæ contemptum cuiquam, non facto modò, sed etiam facti simulatione præire. Quisquis talia tolerat, viribus suis fisus, & sine respectu ad Deum, cujus auxilio, & caussâ pati debet: ille non Eleazarum exhibet, sed philosophum, ex duritie mentis, & animi contumaciâ, ad vanæ gloriolæ nomen, dolores sustinentem.

Describitur summatim

Quia de nobilissimo isto exemplo varia sparsimus, & disceptavimus, in unum hic breviter colligam,

Eleazari historia. Ab piorum, cur delectus ad supplicium.

colligam, quidquid mihi ad veriorem, ac planiorem, historiæ ideam videtur pertinere. Eleazarus, nonaginta circiter annorum senex, de scribarum ordine ex præcipuis, Hierosolymitanus civis; visus est, Antiochi emissariis, ad sanciendum impium de religione ejurandâ edictum valdè profuturus: si obtemperaret, defectionis exemplo; si reniteretur, exemplo supplicii. Eum ergò virum, canitie, vultu, ac sanctimoniâ venerandum; clarâ luce de ædibus suis protractum; ante idoli aram sistunt, Jovis, opinor, Olympii, in Templo per Antiochenum senem, longè ab hoc sene dissimilem, erecti: aut Bacchi, seu Liberi patris, cujus recens orgia Hierosolymæ, per Antiochi natalitias ferias, furiosè de more celebrata erant.

Ubi, & quomodo, caro suilla ingesta, & rejecta?

Rapitur coram satellitibus Regiis, & confluxu piorum, atque impiorum Judæorum multitudine, de aris fumans caro suilla, præbeturque edenda Eleazaro: quam cùm, ut profanam simul, & sacrilegam, constanter respueret, in ejus vi diductum infercitur. At ipse contento quantum poterat spiritu, pus sacrilegii, & venenum impietatis exspuit, spumantemque adstantium petulantiores oblevit.

Simulatio suadetur.

Modestiores tamen aliqui, partim præsidiariorum Syro-Macedonum, partim transfugarum Judæorum, quibus aut ex famâ, aut ex consuetudine, nota erat viri dignitas, & virtus in pretio; veriti, ne ad extrema veniretur, semotum tantisper de coronâ, secretò, & obnixè rogavere, ut, si parere edicto Regio nollet, saltem parere videri vellet: curaturos se, ut carnes, quibus per Judaicam legem vesci fas foret, clanculum afferrentur, & pro suillis supponerentur; eas si comedisset, salvam ipsi fore simul legis Mosaicæ, & edicti Regii observantiam, ac vitam.

Simulatio nem recusat.

Sed generosus senex simulationem, ætati suæ dedecorosam, vitæ anteactæ degenerem, cæteris Judæorum, infirmæ præsertim ætatis, exemplo nocituram, Deo exosam, ejusque justitiæ pœnas luituram, aversatus, altáque voce execratus; iram satellitum Regiorum, libertatem, & constantiam contumeliæ superbiæ adscribentium, in se provocavit; eorum maximè, quorum lene, sed malesuadum consilium rejecerat.

Torquetur; moritur.

Itaque, sine morâ, vestibus exutus, funibusque ad ligna ac stipites sursum, deorsumque distractus, & distentus; baculis, flagellisque contunditur, & commolitur, in extremo ipso spiritu Deum intuens, ac prædicans, testem, & judicem. Animus sanguine purgatus ad Abrahæ sinum evolavit, piorum qui præcesserant auctorus consortium; exspectaturus qui sequebantur, Lazarum inprimis, sive Eleazarum sibi cognominem, vitæ sorte disparem, sanctimoniâ non imparem: donec Dei auxilium Christus, de sinu Abrahæ in cælos utrumque, cum universo exspectantium cœtu, evocaret. Corpori justa funebria, tituli, marmora debebantur: sed impietas honorem invidit, & cadaver exsangue vel in cœnum traxit, vel in cineres solvit, ne memoria superesset. Exstingui tamen fama non potuit, hodieque auditur, Deo ipso in literis suis personante, buccinantibus Patribus, ad senectutis decus, ad juventutis exemplum, ad ætatis omnis miraculum.

EXCURSUS

Ad cap. 6. v. 31. Et iste quidem hoc modo vitâ decessit &c.

Martyrii dignitas.

SECTIO PRIMA.

Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

I. Eloquentia Martyrum.

Divus Leo, sermone de D. Laurentio, dignam hanc protulit facundâ suâ gravitate sententiam: *Ad erudiendum populum Christianum nullorum est utilior forma, quàm Martyrum eloquentia.* Doctores sancti & facundi multum Ecclesiæ profuêre, multos à vitiis avertêre, ad religionem multos adduxêre, & accendêre ad virtutem. Chrysostomorum, Augustinorum, Ambrosiorum, aliorumque Patrum verba, dum ad plebem aptè recitantur, exponunturque, etiam hodie tot à morte illorum sæculis persuadent: plusque interdum valent, quàm dissertationes & ratiocinationes prolixæ, sine eo virilitatis robore, nervo auctoritatis, & succo pietatis. At longè plùs omnibus potest eloquentia Martyrum; de theatris, de patibulis, de rogis, de tumulis, exempla fortitudinis suæ, patientiæ, mansuetudinis, fidei, spei, caritatis explicantium, & velut è cathedra ad omnes quaquaversum Fideles, qui ejusdem religionis professione continemur, concionantium. Commendabat Lucilio Seneca ep. 98. fortium exemplorum memoriam: *Singula vicêre jam multi, ignem Mutius, crucem Regulus, venenum Socrates, exilium Rutilius, mortem Cato; & nos vincamus aliquid.* Martyres nostri, non modò mortem devicêre, atque domuêre, terribiliumomnium terribilissimum: sed naturâ suâ exuêre, & transformavêre, ut jam cani possit ex psalmo 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Plorabatur antè mors, & abhorrebatur: at ex

quo

quo Martyrum fœcundissimis exemplis pretiosam esse persuaserunt, smatur & in deliciis est.

II. *Quomodò mors pretiosa.* Quo autem potissimùm pacto pretiosam esse diximus? Asæ Regis corpori unguenta maximi pretii affusa fuisse, odoramentorumque vim ingentem circùm incensam *ambitione nimiâ*, testatur Scriptura 2. Paral. 16. Narrant, in funere Poppææ, Nerone amoribus simul suis & facinoribus parentante, tantum arsisse thuris, quantum Arabia fælix anno toto ferre non potest. Herodis putridum cadaver Josephus perhibet, inaurato feretro et gemmis nitente, elatum, in purpura ac diademate, ad imaginem pompæ ac magnificentiæ triumphalis. Idem Josephus narrat, apud Judæos ævo suo exequiarum sumptus adeò excrevisse, ut plerumque insepulta corpora relinquerentur, quod hæredes expensis ferendis pares non essent. Nota est Romanorum in curandis suorum, inter odoratos ignes, cadaveribus prodigalitas: nota item Ægyptiorum in illis condiendis, & in pyramidum sinus inferendis, sumptuosa consuetudo. Pretiosæ illæ sunt mortes, sed in conspectu hominum, non in conspectu Dei: *apud quem istis pretiosarum pessima*, quantumcumque ab ignaris divinorum judiciorum hominibus, & omnis ex aspectu metientibus, honorifice existimetur. Rosamundæ, Henrici Anglorum Regis concubinæ, corpus in Monasterio Godestovensi Lincolniensis diœcesis depositum erat ante aram principem: circumpendebant series ornamenta; ardebant cerei, & funalia. Ingressus illuc D. Hugo Lincolniensis Episcopus, sciscitatusque, quid hoc pompæ esset; audito Rosamundæ nomine: *Tollite*, inquit, *eam quia scortum fuit, & sepelite extra Ecclesiam.* Narrat Baronius anno 1191. Quod pellicis istius cadavere factum, Episcopi jussu, hoc multorum animabus fit justissimo Dei judicio. Splendidè moriuntur, efferuntur, humantur corpora: sed animæ sepeliuntur sepulturâ asini, projectæ in tenebras exteriores.

III. *Triplex est pretiosa mors Martyrum.* Quærimus ergo, non quæ pretiosa mors in hominum oculis; sed quæ in conspectu Dei? Tria, opinor, rebus pretium faciunt, Raritas, Bonitas, Pulcritudo. Peregrinas aves, monstrosa animalcula, obsoleta priscorum monumenta & antiquitates, merces exoticas magni æstimat vulgus; eò tamùm, quia rara sunt. Quidquid ad vitæ sustentationem commodum, ad civilem societatem, se conversationem conducit, bonitas utilitásve commendat. Gemmæ, ob nitoris gratiam; uniones, ob nivei candoris lucem; exquisitis hominum artis opera, ob figuræ elegantiam expetuntur. Ex tribus illis capitibus mortem sanctorum Domini pretiosam pronunties licet: Martyrum præcipuè, quibus præ Sanctis cæteris Sanctorum Domini appellatio convenit; quia Deo sese ita dedicavêre & sanctificavêre moriendo, ut nihil sibi reliquum fecerint. Fuit ea eorum mors, quia honoris plena: bona, quia fœcunda virtutum: rara, quia paucorum est.

IV. *Martyres quot.* At verò, inquis, ecquanam sententiâ raram dicamus Martyrum mortem, cùm jam inde ab ævo Cypriani, id est tertio Ecclesiæ sæculo, innumeri fermè censerentur? Verba ejus annumero ex lib. de exhortatione Martyrii: *Quod si tantus ostenditur Christi senatorum Martyrum populus: animo putet difficile, vel arduum, Martyrem fieri, quando videat Martyrum populum non posse numerari.* Quid autem deinceps, horrendis Maximini ac Diocletiani temporibus, quando mortibus Ethnicorum superstitio rabiem in Christianos omnem effudit? Nicomediæ in unico templo exusti, per Natales ferias, Christiani fermè omnes, ad millia capitum octodecim. Romæ mense unico millia septemdecim Christo sanguinem fudêre; locusque ea in urbe fuisse fertur, ubi nunc D. Bibianæ sacra ædes est, quod Macellum Martyrum vocabant, quia plures illic Christiani à carnificibus, quàm bestiæ à lanionibus in macello, cædebantur. Eodem modo grassata, per universum orbem Romanum, persecutio sacras Ecclesiarum tabulas ita implevit; ut Hieronymus istorum temporum supputat affirmet, si quina Martyrum millia in singulos anni dies tribuantur, expleri tamen universorum numerum non posse. Illis tamen addendi, quos Paganorum deinde furor extra Romani imperii fines absumpsit: quos Ariani Vandali in Africa, quos hæreticorum cæteri trucidavêre, quos Mahumetana perfidia oppressit. Jam quot postrema, & crudelissima persecutionum omnium, ab Antichristo, conficiet? *Erit* enim, Christo denuntiante, *tunc tribulatio magna, qualis non fuit ante ea erit.* Ad illud denique spectaculum dicere oportebit, D. Joanne Apoc. 7. præeunte: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis; stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.*

V. *In Anglia.* Imò de unico populo, gente, ac lingua, id dicere necesse est. Britannicam Anglicamve, exempli causâ, intueamur. A sæculo, & quod excurrit, cæptis vexari Catholica fides per Henricum Octavum, fumando schismati, tegendisque si quâ posset fœdis libidinibus. Periêre conflictis criminibus Cardinales duo, Archiepiscopi tres, Episcopi 18, Abbates 13. Priores, Monachi, & Sacerdotes 500. Decani 30. Archidiaconi 14. Canonici 60. Doctores Theologi 50. & amplius, Duces, Marchiones, Comites, eorumque filii 12. Barones & Equites 29. inferiores Nobiles 336. Cives & ex infimo gradu alii 124. Illustres fœminæ tres. Ita enumerat accuratus Annalium Ecclesiasticorum continuator Spondanus, ad annum Christi 1547. Dubium esse non potest, quin maxima illorum pars, imò omnes, paucissimis forsan exceptis, in veræ fidei ac virtutis causâ, ac professione vitam posuerint, adeoque Martyres fuerint. Eos deinceps, ad ætatem usque nostram, secuti per varias florentissimi regni vicissitudines, tam multi ordinum omnium, ut numerum nesciam an aliqui inierint, sui inire potuerint. Quid si ad prisca sæcula adolescentis Ecclesiæ memoriam convertamus? Uno ferme momento ex Britannicis insulis invenimus immolata barbarico furore undecim Martyrum millia; qui, à potissima & selectissima parte, Virgines vocantur. Deducebantur enim nobiles, religione ac moribus illustriores puellæ, in virorum ac matronarum sapientium comitatu, nec præsidio militum nautarumque destitutæ: omnibus simul, in eadem fidei & sanctimoniæ causâ, contigit mortem oppetere. Si deinceps ad Christianissima Anglici regni tempora deveniamus, cùm D. Thomas Cantuariensis sanguine suo ornavit Ecclesiam: occurrent familiæ exulum plurimæ, ac numerosissimæ; quotquot ipsius animum tangere, & flectere, poterant, quia genere tangebant.

Exulat

Exulat cum lectulo languidus sublatus,
Anus cum edentula puer recens natus.

Ex illis exilii incommodis, & miseriis, si qui istorum obierint, & verò multos obiisse necesse est; nemo, opinor, negârit, non Confessorum modò gloriam, sed & Martyrum palmam adeptos: eodem jure, quo D. Thomas dixit ex D. Augustini, imò Ecclesiæ & Dei regula, *Martyrem facit non pœna, sed caussa.*

VI. Pauci sunt Martyres comparatione Sanctorum aliorum.

Ecce tibi, non in uno solùm règno, sed in familia unica, Martyrum populum: quâ ergo ratione dicantus, Pretiosam, id est raram, esse in conspectu Domini mortem Martyrum? Rara utique fuerit ante Davidis ævum, in naturæ lege, in lege Mosi: at in gratiæ lege, & Christianis temporibus, postquam Dei Filius pro hominibus mortuus est, homines innumeri didicêre, quod Lucifer Calaritanus libro toto commendat, *Moriendum esse pro Dei Filio.* Fateor enimverò Martyres multos esse, imò innumeros: non ideò tamen rara illorum mors est, si non de se consideretur & sola, sed aliis comparetur. Potuit à Christo verissimè dici, paucos esse, qui viam vitæ arctam ingrediantur, paucos electos. Non quia in se pauci sunt, quandoquidem cælos impleant: sed quia præ longè majori, per lamentabiles Infidelitatis & vitiorum tenebras pereuntium, multitudine pauci videri possunt. Similem in modum pusillus grex Martyrum censebitur, præ immensa Beatorum cæterorum multitudine: quorum plurimis, summo affectu illum pro Deo moriendi honorem ambientibus, Martyres esse non contigit. Potuit Romualdus, Jacobi Patriarchæ instar, ad arcana divinitatis admitti, & scalis in cælum eniti: Martyr esse, licèt ad Pannones ea de caussa proficisci conaretur, non potuit. Potuit Teresia Seraphica fieri, & in vulnus amoris icta concidere: Martyr esse, licèt à teneris ardenter percuperet, non potuit. Potuit Franciscus Assisinas Christi cruci affixi vivam exhibere effigiem: Martyr esse, licèt ad Mahumetanos ea de caussa profectus, non potuit. Potuit Franciscus Xaverius Apostolicum nomen, & honorem, adipisci: Martyr esse, licèt ea spe ad Japonas, ad Mauricos, ad Chinas navigârit, non potuit; sibique postmodùm Marcellum Mastrillum substituit, non sine testificatione doloris, si in statum fælicitatis æternæ cadere posset.

VII. Martyrum mors inter virtutes.

Rara igitur est mors Martyrum quorumcumque: eoque rarior si cum bonitate conjuncta est. Bona est certè, quæcumque bonos vel invenit, vel facit: optima, quæ bonos invenit; quæ vitam in virtute actam summo virtutis heroicæ actu concludit. In hanc sententiam Bern. ep. 98. de Machabæis dicebat: *Duæ res mihi videntur mortem facere pretiosam, vita, & caussa: sed amplius caussa, quàm vita. Porro illa erit pretiosissima, quam caussa commendat, & vita.* Didicimus D. Thomas Aquinate doctore, 2. 2. q. 124. art. 1. & 2. toto, Martyrium esse actum fortitudinis, ut principaliter elucentis; patientiæ, ut instrumentaliter agentis; fidei, ut finis; caritatis, ut imperantis. Unicam illam avem mihi videor intueri, celebratum priscis phœnicem. *Qui*, ut Tertullianus loquitur libro de resurr. carnis, *semetipsum lubenter funerans, renovat: natali fine decedens, atque succedens: iterum phœnix, ubi jam nemo: iterum ipse, qui non jam: alius, idem.* In aromatum congerie excipit radios Solis, & inde exortâ flammâ, alisque eventilatâ, pretiosam ipse sibi mortem facit. Ita cum Martyribus agitur, iis præsertim, qui sese longâ virtutum exercitatione ad extremum certamen composuêre: inter fidei, spei, fortitudinis, patientiæ, constantiæ odorea compositâ mente, ignes concipiunt à caritate virtutum Sole, & à mortali ad immortalem vitam quæstuoso interitu reformantur. Laurentium, Sebastianum, Thomam Cantuariensem, aliúmve id genus quemlibet intuere: ut se adversùs principes erigit; ut pericula contemnit; ut minas negligit; ut suos & sua præ Deo proculcat; ut semetipsum, vitamque, quâ hominibus carius nihil est, projicit.

VIII. Et in finis caritatis.

Pingebat heroëm ejusmodi Augustinus serm. 19 de ver. Apostoli: *Amat, ardet, fervet, calcat omnia, quæ delectant, & transit. Venit ad aspera, horrenda, truculenta, minantia, calcat, frangit, & transit. O amare! O ire! O sibi perire! O ad Deum pervenire!* Eamdem incensæ caritatis vim exhibet, libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 23. in matre septem fratrum Machabæorum, funera suorum sentiente, suum exspectante, siccis oculis, vultu sereno, erectâ mente: *Quid ad tantam patientiam, quæso, addi potest? Quid tamen mirum, si omnibus medullis conceptus amor, & tyranno, & carnifici, & dolori, & affectui, & sexui resistebat? An non audierat: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus?*

IX. Pretium est beatæ immortalitatis.

Pretiosa omnino *mors*, inquit Cyprianus epist. ad Mart. & Confess. *quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accepit coronam de consummatione virtutis.* Pretiosa omnino, quando *momentaneum & leve tribulationis nostræ*, præ caritatis & mercedis magnitudine, *supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur.* Pretiosa omninò, id est honorata, seu, ut Græca habent, τίμιος, quæ ab ipso Domino honoratur *Coronâ aureâ, expressâ signo sanctitatis, gloriâ honoris, & opere fortitudinis*, de qua Ecclesiasticus loquebatur cap. 43. Ut verissimum sit illud, *Nimis honorati sunt amici tui Deus*: etsi nullus in terris honor æternæ Martyrum memoriæ accederet; quem tamen, additamenti instar, Deus solet adjungere. Inde reliquiarum & sepulcrorum veneratio, miracula ad eorum invocationem patrata, gestorum nominisque ipsius celebratio, ubicumque Dei nomen verâ religione colitur. Frendeant licet inferi, ringatur Infidelitas, hæresis conatum omnem exstinguendæ Martyrum memoriæ adhibeat: vigebit nihilominus, & vivet, magis inter tenebras elucescet, magis inter aquas ardebit, & Christiana pectora generosæ æmulationis flamis ad imitationem accendet.

X. Excitat Fideles ad imitationem.

Narrat Spondanus ad annum 1364. Joannem Galliæ Regem, Londini fatis functum, honorificentissimo funere elatum, Eduardi Angliæ Regis munificâ liberalitate: arsisse enim faces, quas tortitia vocant, altas pedes duodecim ad quater mille, totidem cereos pondo librarum sex, præter alias regiæ munificentiæ & hospitalitatis impensas. In Martyrum funeribus non tam faces ardent, quàm corda; non tam cerei inflamantur, quàm mentes; nec die uno terminatur incendium, sed ad sæcula transmittitur, quàm longè pervenire potest perpessorum fortiter tormentorum recordatio. Maximè, si de eadem ac nos gente, nationéve, fuerunt: quos velut nobis propiores, ac similiores, solemus intueri; adeoque illorum exemplis vehementiùs affici. Ita Eusebius Gallicanus, Eucheriúsve

censuit, homiliâ de sanctis Alexandro & Epipodio: *Ad tenendam fidem, ad excolendam religionem, non nobis aliqua de longinquo sunt exspectanda documenta: paternis instruimur magisteriis, & domesticis admonemur exemplis. Non nobis ad cor nostrum clamat cognati viva vox sanguinis? Discite ... Cavete, ne ancoram spei ac religionis, quam nos custodivimus in fluctu, vos amittatis in portu.*

XI. Martyribus licet esse incruentis.

Nescio quis olim philosophorum rogatus, quid esset philosophia, respondisse dicitur, *Meditationem mortis.* Æquali, imò potiori longè ratione, philosophiam Christianam, Theologismúque, & omnes adeò Christiani hominis occupationes, otiaque sacra & studia, *Martyrii meditationem* diximus. Neque eò tantùm, quia, ut ibidem Eucherius in homiliæ fine loquebatur, *illustrium bellatorum pugnas privatâ cum passionibus nostris congressione meditamur: nam quia esse potest sine persecutore bellum, potest dare Deus & sine cruore martyrium.* Aut, ut idem ait homiliâ de natali S. Genesii, *Superaverunt illi corporum dolores, nos cordium passiones: vicerunt illi tormenta, nos vitia.* Non ergo, ob eam tantùm caussam, vita omnis Christiana meditatio martyrii est: sed etiam, quia Christianum omnem oportet sic animo esse comparatum, ut vitam potiùs per tormenta quamvis atrocia malit profundere, quàm fidei caussam virtutisque deserere. Sic comparato non deerit pretiosa mors in conspectu Domini, nec longè ab honore Martyrum, ut censuit Cyprianus tractatu de Martyrio: *Nec enim Deus sanguinem nostrum, sed fidem quærit. Aliud est martyrio animum defuisse, aliud animo defuisse martyrium.*

SECTIO SECUNDA.

Ad illud psal. 33. *Custodit Dominus omnia ossa eorum.*

I. Honor & imitatio Martyribus debemur.

NEMO *est qui nesciat, Martyrum glorias ad hoc divino consilio à Dei populis frequentari, ut & illis debitus honor digeratur, & nobis virtutis exempla, favente Christo, monstrentur*, inquit Chrysostomus serm. 1. de Martyrib. Duo itaque, ex eloquentissimi Patris sententiâ, sanctis Martyribus debita per Christianos solvenda sunt, honor, atque imitatio. Imitationem debemus, quia nobis à Deo in exemplum propositi sunt, inflammatæ fidei, invictæ patientiæ, consummatæ caritatis. Honorem debemus, quia illorum exigit dignitas, quia Deo placitum est, quia nobis expedit. Venerari oporter fidei Principes, advocatos universi, præcones cælestes, cohæredes Christi, hostium propulsatores, semina Christianorum, terrarum purpuram, flores paradisi, Ecclesiæ ornamenta, religionis columnas, turres civitatis Dei, immotos inter naufragia scopulos, faces & pharos tenebris vitiorum & impietatis nocti intermicantes. Isthæc ferè Martyribus elogia tribuunt Ambrosius serm. 93. Augustinus in ps. 58. & 118. serm. 30. Chrysostomus serm. 1. Concilium Nicænum secundum eos appellat Salutares fontes, unde beneficiorum genus omne profluit. Supra omnes honorum titulos est, quod de illis ex psalmo canit Ecclesia, *Custodit Dominus omnia ossa eorum.*

II. Animæ justorum in manu Dei.

Magnum aliquid dixisse Sapiens videbatur ad justitiæ pretium, & justorum laudem, cùm scripsit cap. 3. quod etiam Martyribus aptat Ecclesia: *Justorum animæ in manu Dei sunt.* Vides nubilem virginem, splendido ex candidis margaritis dextrariolo ornatam; matronam illustrem, annulo adamantibus locuplete subarrhatam? Quanti utraque pretiosum monile æstimat: quanto studio cavet, ne amittat? Pluris longè, inquit Sapiens, Deo sunt animæ justorum, multò majori curæ est illarum conservatio, & salus. Gestat illas manu potentiæ suæ, ante pervigiles scientiæ oculos, ad pectus immensæ bonitatis. Tam cara pignora talis caritas non negliget, talis vigilantia non amittet, talis potestas non deseret. Jactent justi cogitatum suum in Domino: quis non tanget illos, aut, si tangere sinatur, non lædet tormentum mortis, etsi videantur hominibus mori.

III. Deus eorum ossa omnia custodit.

Quid autem Sanctorum animas summâ diligentiâ, ac benevolentiâ, à Deo custodiri miremur, quando *custodit Dominus omnia ossa eorum?* D. Augustinus serm. 45. de Sanc. ex illo Christi promisso, *Capillus de capite vestro non peribit*, hunc in modum ratiocinatur: *Numquid sancti Martyres perierunt, quando securitatem a Domino & de capillo acceperunt? Perit manus, ubi non perit pilus? Perit caput, ubi non perit capillus? Ubi non perit palpebra, perit oculus?* Eodem modo ex istis Psalmistæ verbis argumentari liceat: Servat Deus ossa Martyrum, non servet animas? Servat vilissimas corporis partes, non servet corporis hospitem, & dominam? Servat inanimam, insensilem, lapideam terræ massam: non servet mentem, aurâ cælesti & Spiritu sancto vegetatam? O quanta nobis divinæ liberalitatis commendatio, quantum ad virtutes incitamentum, in hoc Psalmistæ oraculo proponitur, *Custodit Dominus omnia ossa eorum? Cogitate*, inquit D. Augustinus serm. 92. de diver. *qua nobis Deus servet in regione vivorum, qui tanta præstitit de pulvere mortuorum.*

IV. Periêre exuviæ Martyrum legis naturæ.

Unde verò nobis de divina ossium custodia constiterit, cùm multa Martyrum non ossa modò sed corpora, tum olim, tum nuper interisse non ignoremus? Protomartyrem universi generis humani Abelem, à Caino in propugnandæ Providentiæ divinæ caussa interfectum, existimamus, appellamusque Martyrem Providentiæ. Alter ex lege naturæ Martyr Abrahamus fuisse fertur, Credentium pater, fidei defensor, eductus de Ur & de igne Chaldæorum, jam tunc ad idola insanientium. Sic illi, in solenni supplicantium discipulorum nostrorum pompa processêre Leodii, cùm sacræ Martyrum Romanorum Theodori & Dionysii exuviæ ex D. Paulli templo, ubi pridie depositæ fuerant, in Societatis nostræ templum, magno civitatis universæ concursu, & pietate transferrentur. Sed illorum ex lege naturæ celeberrimorum Martyrum corpora, quonam loco reposita, & honorificè asservata, divinæ custodiæ fidem testantur? Ut plurimos innominatos, & ignotos posteritati, prætermittam: quos tum ante diluvium, tum aliquot exinde sæculis, filii hominum, in vitia projecti, absumpsêre, contrarios operibus suis, religionisque ac virtutis victimas.

V. Multæ item Martyrum legis Mosaicæ.

Si ad Mosaicæ legis tempora transeamus: aliquorum quidem, ex illa, Martyrum exuvias Christianæ venerationi servatas intuebimur. Fratrum septem, quibus à Machabæo nomen, & generosissimæ genitricis ossa hodieque Coloniæ visuntur, ut capite proximè sequenti dicturi sumus. Zachariæ prophetæ corpus perhibent, ævo Pulceriæ Constantinopolin delatum; Michææ & Abacuc, Theodosio Magno imperante, repertas exuvias.

exuvias. At ubi Eleazari nostri; ubi mulierum & infantium, ob circumcidendi legem observatam præcipitatorum, & elisorum; ubi millenorum intra speluncas flamâ & fumo enectorum; ubi Isaiæ dissecti; ubi lapidatorum Jeremiæ, & Ezechielis; ubi aliorum innumerorum Martyrum corpora, quos vel exleges Judæi odio sanctitatis, vel Judæorum hostes odio religionis, extinxêre? Psalmistæ ipsius, qui nobis de divina pro justorum ossibus custodia cecinit, diu asservati cineres tandem periêre, ut, ad annum Christi tricesimum quartum, ex Dione refert Baronius: sepulcrum enim, in quo cum Salomonis simul cineribus conditi erant, sponte corruisse, paullò antè supremam Judæorum ab Adriano cladem.

VI. Ex plurimæ Martyrum legis Evangelicæ.

Nec pauciorum ex Evangelica lege Martyrum deposita, vel omnino periêre; vel ita in obscuro sunt, ut pro perditis habeantur. Quod, avorum nostrorum ætate, Divi Hilarii & D. Martini sacris reliquiis Calvinistæ in Gallia fecere; ut illas in Rhodanum, istas in Ligerim dispergerent: quot Martyrum ubique sacris cineribus hæreticorum insana infidelitas fecit? Ad annum sæculi decimi sexti tricesimum octavum, D. Thomas Cantuariensis, tanto post divinum judicium tempore in jus vocatus, damnatus ex sacrilega sententia, & Henrici octavi mandato plexus, quatenus mortuo supplicium irrogari poterat, sparsis in auras cineribus, & positis stipulæ instar ante faciem venti. Multis id olim Martyrum corporibus, Paganorum judicum impietate, factum: multis rabidæ feræ, in amphitheatralibus spectaculis, ingluviem pavêre: multis ne sepulcri quidem honor contigit, in profluentem abjectis, aut relictis pro sterquilinio super faciem terræ: multis intra Romanorum cœmeteriorum, quæ Baronius ad annum 226. facilè quadraginta tria numerat, latebras abditis, numquam lux publica dabitur, nec Christianus cultus deferetur. Quo igitur modo verum istud est, *Custodit Dominus omnia ossa eorum?*

VII. Custodit Deus ossa Martyrum in resurrectionis diem.

Verissimum tamen istud esse oportet, à veritatis Spiritu pronuntiatum: neque uno dumtaxat modo, sed ternis, iisque partim indubitatæ fidei, partim experientiæ manifestæ. Primum ex Basilio didici Comm. in psal. 33. ex Hieronymo ad Isaiæ cap. 12. ex Hilario in ps. 52. Aiunt, apud Deum corpora nostra omnia, eorumque articulos omnes, & particulas quamvis atomas, segmentaque capillorum minutissima, in numerato esse: nihil illi istorum perire, lacerentur licèt, comminuantur, vorentur, cinerentur. Eâdem sententiâ, in horarii pro Defunctis Officii invitatorio, Deum appellamus *Regem, cui omnia vivunt*, quamvis enecta tormentis, mutata, transformationibus, abolita sæculis. In fœlici renovatione sæculorum, in beatæ diei crepusculo, quando sordes Universi ardor flamarum, judicio supremo præcurrentium, excoxerit, depositum suum Martyribus integrum Deus restituet: quidquid ossium, cæterarumque partium ad corporis formam perfectionémve desiderabitur, fidelissimus custos, & diligentissimus depositarius reddet, quamvis Infideles distraxerint, ruinæ sepelierint, torrentes abstulerint, feræ devôrârint, busta consumpserint.

VIII. Cum illis speramus nos ituros obviàm Christo.

Carnem istam, *manuum suarum operum, ingenii sui curam, afflatûs sui vaginam, molitionis suæ reginam, liberalitatis suæ hæredem, religionis suæ sacerdotem, testimonii sui militem, Christi sui sororem*, ut Tertullianus eleganter appellat lib. de res. carnis. Eam ipsam carnem, ossibus suffultam, nervis colligatam, venis irrigatam, arteriis vegetatam, instrumentis sensuum ornatam, dignum animo beato domicilium, ad vitæ perennis fœlicitatem exsuscitabit. Videbimus tunc, quid istud sit quod nunc credimus, *Custodit Dominus omnia ossa eorum*, pullulatûra de loco suo. Spectabimus tunc in Divi nostri Lamberti comitatu, pudicitiæ ac veritatis caussâ Martyris, Theodorum nostrum & Dionysium, de civitatis hujus, quam usque ad consummationem sæculi in Christiano cultu fore confidimus, cineribus exsurgentes: lucido corpore, radiantibus vulneribus, lætis oculis ad cultores ac clientes suos conversis, & amico nutu invitantibus, ut simul cum illis obviàm Christo prodeamus in aera, æternùm jucunda societate conversaturi, & invicem de potenti patrocinio, ac fideli clientela gratulaturi: *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

IX. Vaticinium Isaiæ de Martyrum morte, sepultura, excitatione.

Quid autem, inquis, singulare de Martyribus narras? Nonne id omnibus æquè Sanctis eveniet? Eveniet omnino: sic tamen, ut Martyribus, quia vitæ partem in Dei caussa perdidêre, jacturæ suæ compensatio magis ex debito, aut decoro, quàm Sanctorum cæteris, fiat. Æquum est enim, quod quis damnum alterius gratiâ passus est, cum fœnore resarciri. Singulare certè aliquid de resurrectione Martyrum indicatum voluit Isaias cap. 26. eleganti dialogo: ubi nunc Deum alloquitur, & audit, nunc Martyres gratulabundus compellat. *Vivent* ergo *mortui tui*, ô Deus; qui in honoris tui caussa periêre, honorati reviviscent? Imò, inquit Deus, *interfecti mei*, pugiles mei, testes mei, quos mihi nemo eripiet, *resurgent*. Ad Dei oraculum, Isaias Martyres, mortuos hominibus, Deo vivos, velut de sopiti corporis quiete excitat, ut in novæ lucis exortu sospitatori laudes accinant: *Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in pulvere*, quorum animi limbo tenebroso clausi, ossa pulverata, cineres confusi, vocem omnipotentis excitatoriam exspectant. *Quia ros lucis ros tuus*, ô Deus: pullulabunt & germinabunt ossa Martyrum de terræ sinu, quando beneplaciti tui tempus advenerit, sicut plantæ verno antelucani roris humore vegetatæ revirescunt. *Et terram gigantum*, ad vitia robustorum, famosorum à sæculo, persequendis & cruciandis servis tuis celebrium, *detrahes in ruinam*: & terrea, ac fæculenta cadavera, resurrectione miserabili, ad exitium æternum præcipitabis. *Vade populus meus*, de quo ego Martyrum populo, Deo gratiæ, futurus sum: *intra in cubicula tua*, qualia in cœmeteriis olim ac catacumbis visentur, ipso cubiculorum nomine, unde Theodorus ac Dionysius aliquando Leodiensibus dandus est: *claude ostia tua super te*, loculis ligneis, an plumbeis, an lateritiis, an terreis, an aqueis, ossa tua patere tantisper concludi: *abscondere modicum ad momentum hujus ævi*, quantumcumque est præ æternitate momentanei, *donec pertranseat indignatio* flamis terram absumptura, & quidquid humanorum in illa operum est. *Ecce enim Dominus egredietur de loco suo*, gloriæ cælestis, in Oliveti montem, *ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum* judicio supremo, & inappellabili atque inevitabili sententiâ: tunc *revelabit terra sanguinem suum*, quo in Martyrum cæde cruentata est, *& non operiet ultra interfectos suos*, quorum cineres apud se depositos, donec à depositore repetantur, fida servavit.

X.
Oſſa, id eſt vires, διασκορπίζονται diſſipantur.

Luculentius & magnificentius nihil dici potuit, ut exponeretur, quàm ſingulari ratione, præcipuoque affectu, Deus oſſa Martyrum ad reſurrectionis diem cuſtodiat. Alii, oſſium nomine, animi robur, fortitudinis actus, fidei ſoliditatem intelligere maluerunt: &, firmandæ interpretationi ſuæ, iſtud adduxêre ex pſ. 52. *Dominus diſſipabit oſſa eorum, qui hominibus placent,* qui nimio exiſtimationis, honoris, gloriæ ſtudio ducuntur. Talium certè oſſa corporea paſſim, apud ipſos etiam Chriſtianos, ſub ſpecioſis ſepulcrorum locupletium molibus aſſervantur: tantum abeſt, ut diſperſa & diſſipata ſint. Sed animi oſſa, id eſt vires quibus in recto perſtandum eſt, iſtâ ipsâ placendi cupiditate, enervatæ fuêre. Nihil ab homine, laudis atque approbationis humanæ nimis cupido, judicia & dicta reſpiciente ac formidante, in agendorum conſilium opiniones, voces, famam vulgi advocante, robuſtum ac duraturum exſpectes. Maſſa informis eſt, & acervus carneus, Princeps, Paſtor, Pater-familias, Amicus, Chriſtianus quilibet: ſi magis attendit, quid de ſe ab hominibus, quàm à Deo, judicetur: iſtius oſſa diſſipata ſunt, & fortitudo omnis elanguit.

XI.
Oſſa, id eſt vires, fides, patientia Martyrum non conteruntur.

Eamdem in formam interpretari liceat oſſa Martyrum, divinitus cuſtodita, ut ne vel unum quidem ex illis conteratur. Integritatem enim in corruptione, fortitudinem in infirmitate, fidem in infidelitate tenuêre: nec temporum mores labem virtuti, nec naturæ imbecillitas vitium magnanimitati, neque Infidelium atque Impiorum iræ ac tormenta maculam religioni, afferre potuerunt. Prævivit nobis in ea verborum Davidicorum expoſitione Bernardus ſerm. de cute, carne, & oſſibus animæ: *Cutem eſſe cogitationem, carnem affectionem, oſſa integritatem. In oſſium integritate, animæ vitam conſiſtere: in carnis incorruptione, ſanitatem: in cutis ſpecie, pulcritudinem. Tribulationibus juſtorum cutem aliquando denigrari, aliquando carnes convelli, nunquam oſſa frangi.* Bernardo prævivit Gregorius lib. 5. Mor. c. 23. *Quid per oſſa, niſi fortia acta ſignantur?* Gregorio prævivit Auguſtinus explan. in pſ. *Fratres... oſſa ſunt firmamenta Fidelium. Quomodò enim in carne noſtra oſſa faciunt firmamentum,* & maſſam omnem corporis, alioqui in confuſum cumulum delapſuram, ſuſtinent: *ſic in corde Chriſtiano fides facit firmamentum,* ſpemque, ac caritatem, & reliquos virtutum actus ſuffulcit. *Patientia ergo,* quæ in fide eſt, quamque fidei tuendæ Sancti adhibent, *oſſa ſunt interiùs* mentem ſtabilientia. Itaque ſi quis ex Deo ſciſcitetur, quonam pacto Martyrum oſſa non contrita cuſtodiantur, cùm plurima contracta & diſperſa fuerint: *reſpondet tibi Dominus: Imò cuſtodivi, nam firmamentum fidei ejus frangi non potuit.*

XII.
Theodori & Dionyſii Martyrum fides invicta.

Fac uſtulata tædis oſſa Theodori noſtri, diſrupta ſcorpionibus, confracta vectibus, contrita carpentis. Fac oſſa quædam Dionyſii, ſi quæ ad reliquiarum ipſius integritatem deſiderantur, ferarum dentibus in amphitheatro commolita, cinerata in buſto, putrefacta in ſterquilinio, aut merſa profluente. Tum ex Deo percunctare: quomodò ergo oſſa omnis Martyrum iſtorum cuſtodiſti, ut ne vel unum quidem contereretur? *Reſpondet tibi Dominus: Imò cuſtodivi; nam firmamentum fidei illorum frangi non potuit.* Potuit libertas ipſorum compediri, honoris apud Infideles umbra auferri, caro laniari, artus ſubnervari, venæ diſcindi, medullæ extundi, vita extorqueri: ſed firmamentum fidei illorum frangi non potuit. Captivitas, illuvies, egeſtas, equulei, tyranni, carnifices, mors, inferorum rabies in illos conſpiràſſe, & manu facta incurriſſe, potuerunt: nihilominus firmamentũ fidei illorum frangi non potuit. *Stetit invicta puerorum cohors,* inquit Ambroſius de Machabæis noſtris, *Regum cincta legionibus: defecerunt ſupplicia, ceſſerunt tortores, non defecerunt Martyres.* Stetêre Theodorus, ac Dionyſius, Cæſareis cincti legionibus, amphitheatrali plebis Romanæ turbâ circumdati, dirorum ſuppliciorum intentatione obſeſſi: *defecerunt ſupplicia, ceſſerunt tortores, non defecerunt Martyres.* Hac ratione, inquit Auguſtinus, Deus, cujus gratiâ Martyres ſunt id quod ſunt, cuſtodivit omnia oſſa eorum.

XIII.
Cuſtodita in hoc ævum miraculo quædam Martyrum oſſa.

Quid ſi dicamus, non iſto tantùm modo, neque in renovatæ duntaxat vitæ tempus cuſtodita: ſed in hoc etiam ævum noſtrum, & ipſa? Non omnium quidem Martyrum corporibus iſtiuſmodi cuſtodia, vel miraculo, vel ſingulari divini Numinis curâ, contigit: quia tamen multis data eſt, commodè, atque adeò verè, locutione ſeu acceptione, quam in ſcholis commodam appellamus, dici poteſt, Deus cuſtodiſſe omnia oſſa eorum. Divi Clementis, & Æcatherinæ corporibus, genii cæleſtes bajuli, & cuſtodes deputantur. Aſpidum & viperarum venena corporibus Divorum Paulli, Julianæ, Chriſtinæ, arcentur. Tigrides, urſi, leones, Agapiti & Celſi plantas in amphitheatri arena, canicularum Melitenſium inſtar, aſſultant, & allambunt. Belluæ binæ ad Victoris exanime cadaver, ad caput una, altera ad pedes excubias agunt: ut ferarum aliarum ingluviem prohibeant. Anaſtaſii corpus, cum reorum cadaveribus denis, gulæ moloſſorum Perſicorum objectum, prorſus intactum manet, voratis cæteris. Vincentii exuvias corvus à lupi morſibus defendit; undæ, piſcibus ereptum, in litore ſiſtunt. Euſtachii, Theopiſtæ & filiorum corpora, intra candentem bovis ænei alvum integra, & incombuſta, perdurant. Staniſlai Cracovienſis Epiſcopi cadaver, minutatim diſſectum, projectumque, aquilæ à feris defendunt: & mox particulæ in priſtinos nexus coaleſcunt. Quanto pietatis ſenſu, ad iſta aliaque iſtiuſmodi innumera divinæ de Martyribus ſuis curæ prodigioſa teſtimonia, Chriſtiani ſpectatores iſtud cantavêre, *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum?*

XIV.
Multa miraculis honorata.

Numquid non etiam veriſſimè dici queat, eorum Martyrum oſſa Dominus cuſtodiſſe, ad quorum attactum, venerationem, conſpectum, memoriam, miranda ſupra omnem naturæ vim patrare voluit? Inferi, maria, ignes, morbi, mala omnia, privatim ac publicè, divinam illam pro Martyrum ſuorum honore potentiam, ac beneficentiam ſenſêre. Ad Babylæ reliquias, obmuteſcit garrulum Apollinis Daphnitici ſimulacrum, teſte Chryſoſtomo. Ad Anaſtaſii exuvias, de inſeſſis corporibus dæmones proſiliunt, teſte Paullo Diacono. Reliquiariæ thecæ, per ſacerdotem ventis ac fluctibus objectæ, tempeſtatem ſedant, teſte Gregorio Turonenſi. Januarii caput, & ſanguis, ebullientis ſævientis Veſuvii incendia ſiſtit, teſte Parthenopæa civitate univerſa. Ad Lamberti feretrum paralyticis motus, viſus cæcis, languidis ſanitas redditur, teſte Leodienſi tota ditione. Ad Divi Stephani oſſiculum cæcus videt, credit infidelis, abiguntur morbi, redeunt vires, irrefragabili teſte Auguſtino:

quemadmodùm

quemadmodùm de Gervasio & Protasio Ambrosius testis est. Quid pauca commemoro? Quando de Martyrum singulorum exuviis idem pronuntiare fas est, quod de Cypriano Gregorius Nanz. affirmavit, orat. in Cypr *Omnia potest pulvis Cypriani cum fide*, etsi non tantâ, quantam ipsi pro Christo morituri habuêre: sit tantùm fidea nostra, ut granum sinapis, eique sese committat, cui depositum suum Martyres credidêre.

XV. *Quædam providentiâ singulari de oblivione ac tenebris educta.*

Jam nonne istorum ossa singulariter Dominus custodivit, qui vel certis de cælo nuntiis, vel prodigiosis indiciis, vel secreto ac vehementi mentis impulsu, vel piâ venerabundorum Fidelium indagatione, de latebris suis ac diuturno situ educta, publicæ venerationi proposuit? Divino monitu corpora Divorum Stephani, Gamalielis, Abibonis, à S. Luciano presbytero reperta. Nestabii & Eusebii Martyrum ossa, asininis & camelinis aggesta, & confusa, prodigiosæ notæ detexêre, ac discrevêre. Arcano motu D. Ambrosius ad Gervasii, & Protasii, deposita perquirenda impulsus est. Pietas Christiana, & colendorum Martyrum desiderium, de cœmeterii Romani cavo Theodorum, ac Dionysium, ad Leodiensem urbem evexit. Cur autem, inquis, tot sæcula sacræ istæ reliquiæ, in tenebris, sine cultu, latuêre? Cur hoc demum ævo ad pietatis Christianæ excitamentum prodiêre? Idem, quod de D. Stephano Augustinus serm. 31. de diversis, respondero: *Triumphavit, coronatus est. Latuit corpus ejus: processit, quando Deus voluit; illuminavit terras, tanta miracula fecit.* Triumphavêre Theodorus & Dionysius, coronati sunt. Latuêre corpora eorum: processêre quando Deus voluit: illuminavêre Leodium: accessêre Lamberto, Theodardo, Federico, aliisque Episcopis Tougrensibus, ac Leodiensibus, martyrio illustribus, prodigioso erga civitatem ac ditionem patrocinio inclytis.

XVI. *Sapientia divinæ œconomia paullatim thesauros reliquiarum profert.*

Ad istud Augustini responsum accedit prudentis œconomiæ ratio. Neque enim fidelis, & sapiens, dispensator thesauros omnes uno tempore profundit. Nec Dei sapientia gazas omnes sacrarum reliquiarum, in cœmeteriis ac catacumbis, velut in thesauris, repositas, sæculo unico expromit. Nonne religiosi gazophylacii instar unus Potentianæ puteus est, reconditus Martyrum ter mille corporibus opulentum? Quantæ in Callisti ac Lucinæ cœmeterio, quantæ in Vaticano, cæterisque, divitiæ continentur? Quid opum in Priscillæ cœmeterio repositum est, urbe subterraneâ, plateis, compitis forisque distinctâ, ad quorum latera Christianorum exuviæ exspectant beatam requiem, & resurrectionem; Martyrum corporibus palmæ figurâ, ad prærogativæ suæ indicium, insignitis? De istis Romanæ religionis, & priscæ pietatis, venerabilibus gazophylaciis, nunc illa voluit Deus, nunc ista corpora procedere: ut novis identidem flamis Christianorum pietas excitaretur, plusque honoris Martyribus impenderetur, si per intervalla prodirent singuli, quàm si educerentur simul universi. Memoriam illorum morte abolitam existimabat impietas: sed Dominus dissipavit consilia gentium, consilium autem Domini mansit in æternum, & *cogitationes cordis ejus*, pro testium suorum fidelium veneratione, *in generationem & generationem.*

XVII. *Cultus religiosus reliquiis impendendus.*

Ex istis hoc primùm colligamus, venerandas nobis esse, & religioso cultu asservandas, sanctorum Martyrum reliquias. *Diligenda res hominis,* inquit Cyprianus de bono Patientiæ, *quæ Deo cara est. bonum, quod amat, majestas divina commendat.* Cara sunt Deo corpora Martyrum, amat deposita, ossa custodit: caræ nobis igitur debent esse horum reliquiæ, quos Deus, singulari sapientiæ suæ consilio, destinavit ætati ac civitati nostræ patronos, cives, indigenas; ex solo nostro, simul cum civibus æternitati beatæ adscriptis, in cælum resurrecturos. Sic honorabuntur, quos Deus voluit honorari. Quos ex Dei voluntate, ex Apostolorum exemplis, Christiana omnis coluit antiquitas sacris cantibus, piis laudibus, religiosis supplicationibus, votivis tabellis, ardentibus cereis, appensis lampadibus, aspersis floribus: ut ex Hieronymo, Augustino, Paullino, Prudentio indubitatum est, & doctè Baronius ostendit ad annum 55. Quorum venerationem doctissimi & sanctissimi Patres scriptis commendavêre, sermonibus inculcavêre, factis docuêre; ut ex Gregorio Theologo, Joanne Chrysostomo, Basilio constat. Quibus potentissimi Principes, maximi Reges, augustissimi Cæsares obviam supplicabundi processêre, venerabundi procubuêre, adorabundi succollavêre: ut de Theodosio, Pulcheria, Ludovico, Philippo, Alberto perhibent testes oculati. Illi si hodie Leodium veniant: si Ludovici, Chrysostomi, Augustini, sacras Martyrum nostrorum reliquias intueantur; quid sentiant, quid loquantur, quid faciant; quid nos cogitandum, dicendum, agendum ex Ecclesiæ more, & Dei voluntate, doceant?

XVIII. *Rationes earum venerandarum collectæ in epitomen.*

Compendio rationes omnes honorandarum reliquiarum, à Martyribus depositarum, ex Ambrosio recito, serm. de natali sanctorum Martyrum Nazarii & Celsi: *Honorare debemus servos Dei, quantò magis amicos Dei, de quibus dicitur, Dominus custodit omnia ossa eorum? Honoro ergo in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices. Honoro viventis memoriam perennitate virtutis. Honoro per confessionem Domini sacratos cineres. Honoro in cineribus semina æternitatis. Honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere... Cur non honorent corpus illud Fideles, quod honorant & dæmones?.. Honoro itaque corpus, quod Christum honoravit in gladio: quod cum Christo regnabit in cælo.* Fac ab Athanasiis, à Basiliis, à Gregoriis, à Chrysostomis, ab Augustinis, ab Hieronymis, à cæteris incorruptiorum Ecclesiæ sæculorum Doctoribus, scientiæ pariter & sanctimoniæ laude florentibus, nihil usquam, de honorandis Martyrum exuviis pronuntiari; sola ista Ægyptiacis fratribus Ambrosii sententia recitetur; quibus illam auribus accipiant, ut, si quid ipsis verecundiæ novandi cupiditas reliquit, oculos non demittant, frontem non contrahant, os non occludant? Sed nos mox generatim de reliquiis quidpiam cum illis dissertabimus.

XIX. *Fidenter implorandum Martyrum potens auxilium.*

Alterum ex dictis nostris consequens est: fiduciam in præsidio Martyrum religiosè collocandam, implorandam opem, postulandas apud Deum orationes. Nam si Martyres Deus honore dignatur, eorum etiam proculdubio postulatis plurimùm defert: quod fusiùs exponendum contra Ægyptiacos fratres veniet, quando de Sanctorum invocatione generatim ad cap. ult. disputabimus. Nunc nostros Collegii Leodiensis Martyres, quorum honori isthæc nuper dicta, jam scripta sunt, iisdem fermè verbis, quibus alterum Dionysium, Areopagitam, Ecclesia tota Orientalis; eâdem sententiâ, quâ alterum

Theodorum Gregorius Nyssenus, alloquamur. *Te te, ô clarissime Christi Martyr, cælestis scientiæ profundum incontemplabile appellemus, quemadmodum & gravis armaturæ militem, & firmum Ecclesiæ propugnatorem.... Nam igne purissimo unà cum cælesti militia collustratus, & mentem Spiritus splendore perfusus, fulgidum indumentum, ô Dionysi, Christum induere meruisti. Hinc ornatissimam celebrantes tui memoriam, Dominum, qui te gloriâ cohonestavit, fideliter glorificamus.* Scio te, ô sancta Theodori anima, jam pridem mortalitatis onere & miseriis liberatam. Pati ampliùs non potes, compati potes: miser esse nequis, sed calamitosos miseraris. Hanc ergo multitudinem, honori tuo congregatam, benignis oculis adspice. Stadium currimus, quod emensus es: luctamur cum periculis, quæ evasisti: mala sentimus, quæ expertus es. Quantum undique laborum, & dolorum, nobis incumbit intrinsecus, ingruit extrinsecus? Levamentum aliquod illorum nobis à Deo postula, ut tibi, Deoque tecum, mente liberiori serviamus. Non ambigo, quin tuæ solius orationes, cuivis beneficio impetrando, satis validæ sint. Ossa tua, cineres, sanguis Dei causâ effusus, potentissimè exorabunt. Si tamen, flectendæ divinæ ergà nos misericordiæ, patronis pluribus opus est, comprecatores adhibe commilitones tuos; agmen simul cum Sanctis, quorum Leodiensis civitas reliquias asservat, memoriam celebrat; facite apud clementiam Numinis. Instate supplicando apud benignitatem Patris, pro urbe cujus estis incolæ, pro populo communem vobiscum Dominum colente, iisdem sacris mancipato, eamdem exspectante requiem & resurrectionem.

SECTIO TERTIA.

Ad istud Eccl. 49. *Ossa ejus visitata sunt, & post mortem prophetaverunt.*

I. Josephi mortui corpus prophetavit.

DE Josephi Patriarchæ cadavere id scripsit Siracidis: eâdem formulâ, quâ de Elisæo, *Mortuum prophetavit corpus ejus.* An ergo ille arcanorum revelator post mortem occulta Regibus aperuit; & oracula Hebræis agminibus, in Palæstinam transmigrantibus, fudit? Prophetæ nomen, & prophetandi verbum; quinque in Scripturis modis accipi adverto. Primùm, pro doctore justitiæ & concionatore: quales dicuntur prophetâsse in porta domus Domini, & plebem ad meliora hortati. Deinde, pro cantatore laudum divinarum, quo pacto Saül fuit inter prophetas. Tertiò, pro patratore miraculorum, quomodò dicitur Christus propheta magnus, & Elisæi corpus dicitur prophetâsse, mortuo suscitato. Quartò, pro homine iisdem quibus prophetæ honoribus digno, uti Joannes, vocatur plusquam propheta. Denique, quæ communissima significatio est, pro vate, & arcanorum ac futurorum prænuntio.

II. Quot modis?

Totidem modis Josephi exanime corpus prophetâsse, non incommodè dixerimus. Mutus enim Hebræis, ad divini obsequii constantiam, exhortator fuit: cantor item divinarum laudum, corporibus tacitus, sonorus attentis Fidelium animis. Thaumaturgum fuisse, quandoquidem id Elisæi cadaveri contigit, non incredibile est. Prophetæ instar honoratum, & ossa ejus piè circumlata, quando ex Ægypto efferebantur, ambigere non sinit Mosis pietas, & Hebrææ plebis erga defuncti memoriam gratitudo. Futurorum prænotionem, & secretorum propalationem, eodem modo edisseruit, quo laudes divinas cantâsse, & hortatoris loco Hebræis fuisse diximus. Admonebant enim ossa demortui Israeliticum populum, de promissorum divinorum fide, de possidendæ Palæstinæ vincendorumque hostium certitudine: quandoquidem vir tantus eventurorum præscius, tam disertè cavisset, ut cadaver suum in Chananitidem ex Ægypto transferretur.

III. Prophetant corpora Martyrum docendo plebem, laudando Deum.

En tibi, Christiane Ecclesiaste, amplam ex Ecclesiastico de Martyribus disserendi materiam. Prophetant eorum reliquiæ: quis, ut sectione prima ex Leone & Eucherio adduximus, potentior nulla est eloquentia, efficacior adhortatio nulla, quàm ex conspectis Martyrum exuviis. Itaque D. Chrysostomus ad suburbanum Antiochenum, concioni de Martyribus habendæ, invitatus, ipso dicendi exordio plebem monuit, ne se concionantem, sed mutos Sanctorum cineres potentiùs locuturos intuerentur. Homiliâ item de S. Barlaam Martyre ait, recitatis Heroüm facinoribus animos quidem ad excelsa incitari: longè tamen altiùs assurgere, si Heroüm tentoria, arma cruenta, loca victoriis celebrata, ostendantur. Sic, ex Martyrum gestis ab Ecclesiaste auditis, spem & magnanimitatem Christiano populo crescere: at multò efficaciùs mentes firmari, animosque augeri, conspectis reliquiarum feretris, velut papilionibus cælestium militum, ossibusque & cineribus contrectatis. Eâdem ratione dixerimus, Deum ab exsanguibus Martyrum corporibus canorè laudari: quia divinæ potentiæ, ac benignitatis cantandæ, amplissimum Fidelibus argumentum exhibent. Idcirco, inquit Augustinus lib. 8. de Civ. c. 27. Dei honori in Martyrum memoriam templa ponimus, sacrificia offerimus: *ut eâ celebritate, & Deo vero de victoriis illorum gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum, eodem invocato ad auxilium, ex eorum memoria renovatione adhortemur.*

IV. Patrocinando nobis, & impetrandis cælitus beneficiis.

Prophetant præterea, quia miraculorum patrandorum, & beneficiorum quorumvis cælitus obtinendorum, perpetuum instrumentum sunt. De illis dixit Augustinus con. 30 in ps. 118. ad istud, *Multi qui persequuntur me & tribulant me, à testimoniis tuis non declinavi. Factum est, novimus, recolimus, agnoscimus. Purpurata est universa terra sanguine Martyrum: floret cælum coronis Martyrum. ornatæ sunt Ecclesiæ memoriis Martyrum: insignita sunt tempora natalibus Martyrum: crebrescunt sanitates meritis Martyrum.* Quod cùm de omnibus generatim, atque indiscriminatim, Augustinus pronuntiârit: magis tamen ex proprio ac decoro illis nominatim tribuendum ait Eusebius Gallicanus, homiliâ de SS. Martyr. Alex. & Epipodio, qui ex eadem patria oriundi sunt, aut quorum eo in loco reliquiæ servantur. *Dulciùs eis probatur obsequium... si inde invocentur ad suffragium, unde primo resurrectionis signo evocabuntur ad præmium.*

V. Admonendo futurorum, & ad æterna vocando.

Quidni etiam prophetare dicamus, cùm ad æternæ vitæ, quæ sola propriè futura est, bona spectanda & intendenda nos excitent? D. Joannis Chrysostomi familiare verbum fuit, ἔχου τῶν πνευματικῶν, ὑπερόρα τῶν βιωτικῶν: apprehende spiritualia, despice vitalitia. Martyrum omnium

verbum

verbum est, istud Paulli, *Contemplantibus nobis, non quæ videntur, sed quæ non videntur*: & istud, *Momentaneum, & leve, tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Josephi corpus mortuum de terra promissa vaticinabatur: Martyrum corpora de cælo promisso prædicunt. *Promissiones*, inquit Augustinus quæst. 91. in Exodum, *cum secundùm temporalem fælicitatem intelliguntur, ad vetus Testamentum pertinent*... *Ibi*, in cælis, *præmia dabuntur ad novum pertinentia Testamentum.* Voluit Psalmista, ut oculi nostri essent ad Dominum, donec misereatur nostri: *sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, & sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum.* Domini autem Dei nostri manus binas esse, disco ex Psalmistæ filio Prov. 3. de sapientiæ laudibus dicente: *Longitudo dierum in dextera ejus, & in sinistra illius divitiæ & gloria.* Ad sinistram plerique io veteri Testamento adspiciebant, servorum & ancillarum instar diarii mercenarii: at in novo Testamento Martyres, Martyrumque imitatores, dexteram, & longitudinem infinitorum dierum attendêre.

VI. Hæreticorum voces impiæ de reliquiis Sanctorum.

Quartum prophetandi modum quinto postponimus, quia de illo nobis cum Ægyptiacis fratribus concertatio est. Fœdissima de Sanctorum reliquiis Calvini dicta congeruntur à controversiarum scriptoribus. Exhorrui ego, cùm apud ipsum legi *monstra, larvas, profanos cineres*, aliaque id genus elogia, tum in Institutionibus sparsa, tum collecta io Admonitione de reliquiis, & libro de reformandæ Ecclesiæ necessitate. Classicorum istorum sono excitæ Ægyptiorum turmæ illustria facinora patravêre, hisce in Belgio vocibus ex 1. Mach. 3. signata:

sanCta tVa ConCVLCata sVnt, & ContaMInata.

Præcurrêre Calvino Lutherus & Vicleffus: his Constantinus Copronymus, honestus talium sordium auctor, deturbatione sacrarum imaginum, & reliquiarum contaminatione infamis. Antecessêre Eunomius ac Vigilantius, contra quos Hieronymus acrem calamum promsit. Illis præiêre à Ponto Marcion, à Perside Manes; Gnosticos secuti, à Tertulliano exagitatos, & Paganos, quibus ultra mortem in Martyrum cadavera sævire mos fuit.

VII. Rerum genera duo, amicorum memoriæ asservata.

Ut hanc errorum, & errantium catenam, dirumpamus, aptè advertendum est: rerum genera duo à superstitibus interdum coosservari, recolendæ amicorum satis functorum memoriæ. Primum genus ipsa corpora sunt, nuper sedes animorum, iostrumenta voluntatum, interpretes cogitationum: atque adeò propria inprimis, & maximè ad naturam accommodata, absenóum amicorum moonmeota. Itaque non apud Ægyptios modò summa condiendorum cadaverum diligentia fuit; sed apud Judæos etiam commendatissima cura sepulcrorum: imò & apud barbaros cineribus, & tumolis, mortuorum ea reverentia habita est, ut Tertullianus lib. de anima narret, *Nasamonas propria oracula apud parentum sepulcra mansitando captare, ut Heraclides scribit... Et Celtas, apud virorum fortium busta, eadem de caussa abnoctare, ut Nicander affirmat.* Aliud genus memorialium eerum eæ sunt, quibus amici ad honorifica, vel laudabilia quædam opera usi sunt, ut honorificè iidem asservari ad ipsorum memoriam possiot. Sic Perdiccas Alexandri annulum; alii, Regum Cæsarúmve enses, alii coronas asservavêre: philosophus etiam nonnemo Epicteti laternam, magno, mille ni fallor aureis, redemptam.

VIII. Reliquiarum item genera duo, religioso cultu honorata.

Simili peorsus ratione bina rerum genera sunt, quæ recolendæ amicorum Dei memoriæ conservantur; non civili honore dumtaxat, sed religioso, qualem divinæ amicitiæ conditio & gradus exigit. Primum genus sunt corpora, partésve corporum, ossa, sanguis, crines ipsi, ac capillorum segmenta: quandoquidem ne illorum quidem unum in terram cadere constat, nisi ex Patris æterni voluntate. Alterum genus eæ res sunt, quæ contactu Sanctorum, usúve, aliquid veneratione dignum accepêre: cujusmodi Crux Christi est, vestis inconsutilis, clavi, spinæ, suppliciorum Martyribus irrogatorum instrumenta, togæ quas induêre, catenæ quas tulêre, vela ossibus apposita, flores tumulis adspersi, pulvis ipse de sepulcris sumptus: nam, ut Gregorius Nyssenus orat. de S. Theodoro ait, *pro munere pulvis accipitur.* Utrique eorum illorum generi, quia memoriam Sanctorum honorificâ vel virtutum, vel actionum, recordatione renovant, religiosus cultus ab Hierosolymitis exhibetur, ab Ægyptiis denegatur. Fundatissimam esse videbimus in utroque, ex sacris Literis, perpetuoque incorruptæ Ecclesiæ usu, Catholicam veritatem.

IX. Corpora, & ossa, Sanctorum in Scripturis religiosè culta.

Io Scripturis primum occurit, quod de Josephi ossibus modò dicebamus; ex Ægypto venerabundè in terram promissam deportato, ut Exod. 13. & Josue 24. narratur. Siracides ait, post mortem ossa ejus prophetâsse, id est, planâ & obviâ sententiâ, debito prophetis honore circumlata, & tumulata: prophetis autem non civilis honor, sed religiosus debebatur, non dignitati impendendus, sed sanctimoniæ, aut divinæ legationis officio. Leo 3. Reg. 13. prophetæ occisi cadaveri divinitus parcere jubetur: ejusdemque ossibus 4. Reg. 23. vim omnem Josias prohibet, effossis cæteris, & super profano Bethelis altari combustis. Elisæus moribundus 4. Reg. 13. manum suam manui Regiæ, utique superiori si dignitatem civilem, inferiori si religiosam attendamus, imponit: mortuus prophetat, & attactu penè fortuito mortuum exsuscitat. Ad primum isthæc sacrarum reliquiarum genus pertinent.

X. Res, ad Sanctorum usum pertinentes, prodigiis honoratæ.

Secundi generis fuit pallium Eliæ 4. Reg. 2. cujus iocussu dissectus Jordanis alveus, semitam Elisæo aperuit. Fimbria vestimenti à Christo gestati sanguinifluam mulierem contactu persanat, Matt. 5. Christus Marc. 6. surdum ac mutum curaturus, *digitos*, qood primum reliquiarum genus est, *misit in auriculas ejus*: &, quod genus alterum est, *exspuens tetigit linguam ejus.* Actorum cap. 5. exponuntur in plateis ægri, *ut venienle Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Actorum cap. 19. *virtutes non quaslibet*, nec miracula obvia & patratu facilia, *faciebat Deus per manum Paulli: itaut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria, & semicinctia*, quæ ipsa vocabula Lucas Græcè retinuit σουδάρια, σιμικίνθια, *& recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Ad cujus historiæ narrationem Cyrillus Hierosol. Catech. 18. *Si*, inquit, *ista exteriora tantum virium habuêre, quantò magis corpus ipsum prophetæ ad mortui suscitationem valuit?* Sed si Patrum testimoniis acervandis, quorum multa Baronius anno Christi 55. congessit, Bellarminus in controversiis digessit, immorari vellemus, ecquando finis esset eadem repetendi? Nobis ad morem institu-

tumque nostrum satis fuerit, quaternos Occidentalis Ecclesiæ præcipuos Patres, totidem Orientalis primores adducere: ut ex illis de sæculorum integerrimorum Ecclesiastica consuetudine, de traditione Apostolica, de divina veritate constet.

XI. De genere utroque reliquiarum sententia Gregorii.

E priscis illis omnibus recentissimus est Gregorius Magnus, novem tantummodò sæculis totis Luthero antiquior. Pleni sunt ejus dialogi, honoris per homines corporibus Sanctorum religioso cultu exhibiti, per Deum prodigiis frequentibus commendati. Quas narrationes l. 4. c. 6. hoc velut epiphonemate concludit: *Pensa, eorum animæ qualiter vivunt, illic ubi vivunt: quorum hic mortua corpora in tot miraculis vivunt.* Idem Moral. lib. 16. c. 22. ista Jobi, *Non habentes velamen amplexantur lapides*, eleganter illis accommodat, *qui de nullo suo opere confidunt, & ad sanctorum Martyrum protectionem currunt, atque ad sacra eorum corpora fletibus insistunt, veniamq; se intercedentibus deprecantur.* Ne tamen quispiam arbitretur, corpora dumtaxat Sanctorum ævo Gregorii religiosè culta, genus aliud reliquiarum neglectum, videat epistolam 30. lib. 2. ad Constantinam Augustam, quæ ab ipso postulârat caput & sudarium S. Paulli: *Quia serenissimæ Dominæ tam religiosum desiderium esse vacuum non debet, de catenis, quas ipse S. Paulus Apostolus in collo & in manibus gestavit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur, partem aliquam vobis transmittere festinabo, si &c.* Videat epistolam 5. lib 6. Childeberto Regi Francorum inscriptam, & missam, cum clavibus S. Petri, *in quibus de vinculis catenarum ejus inclusum.* Videat epistolam 23. lib. 6. Theoctistæ & Andreæ destinatam, & simul *benedictionem, S. Petri clavem, à sanctissimo ejus corpore.* Cernis reverentiam non corpori modò D. Petri, sed vinculis exhibitam à Gregorio Pontifice, exinde ad Ottonis Cæsaris tempora continuatam: unde in Leodiensem Ecclesiam honor Vinculorum Petri fluxit, festo solenni ad annum usque hujus sæculi octavum perductus; quia in Lambertiano templo annulus unus illorum ferreus asservatur, donum, opinor, Ottonis Notgero Leodiensi Episcopo, ipsius ac filii consanguineo, & familiari.

XII. Et Augustini,

Audio obmurmurantes Ægyptios de Gregorio. Ipsum enim rituum talium auctorem fuisse, vilium cinerum veneratorem, catenarum ferrearum commendatorem. Sed os loquentium iniqua, & calumnias ingerentium, obstruet Augustinus serm. 24. de Sanctis ubi easdem catenas appellat, *auro pretiosius ferrum pœnalium vinculorum, felices nexus, salutia vincula.* Negéntne tam homiliam ab Augustino pronuntiatam? Quamvis de illa constet, addamus tamen alteram, 92. de Sanctis quæ de D. Stephano est: *Exiguus pulvis tantum populum congregavit: cinis latet, beneficia patet.* Si homiliis contenti non sunt, adeant libros de Civitate Dei, ubi passim veneratio corporibus Sanctorum exhibita laudatur. nec corporibus solùm, sed oleo de lampade sacra, quod Irenæi filio salutare fuit; sed floribus, qui reliquiarum D. Stephani thecam contigerant, mulieri medicatis, lib. 22. cap. 8.

XIII. Ambrosii præterea,

Accedat Augustino Ambrosius serm. de Sanctis Gervasio & Protasio: *Severus nomine, lanio, contigit fimbriam de veste Martyrum . . . clamat sibi restitutum lumen.* Augustino, & Monica matre, præsentibus id contigit, ex lib. 9. Conf. cap. 7. Idem repetit Ambrosius epistolâ ad sororem Marcellinam 53. & epist. 54. refert verba pro concione ad plebem à se prolata: *Cognoscant omnes, quales ego propugnatores requiram, qui propugnare possint, impugnare non soleant. Hos ego acquisivi tibi, plebs sancta, qui prosint omnibus, nemini noceant. Succedant victimæ triumphales in locum, ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est: isti sub altari, qui illius redempti sunt sanguine. Hunc ego locum prædestinaveram mihi: dignum est enim, ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem: locus iste Martyribus debebatur.*

XIV. Et Hieronymi.

Qui de Hieronymi sententia dubitandi caussas fingere audebunt, epistolas ipsius ad Paullam, ad Marcellam, de vita Hilarionis, aliasque inspiciant. Perlegant librum illius universum adversùs Vigilantium: expensis tamen præcipuè capitibus secundo, tertio, & quarto. Dolet Vigilantius, reliquias Martyrum Christianis honori esse, & sacrilegium interpretatur. Sacrilegus ergo Constantinus, qui reliquias Andreæ, Lucæ, Timothei, *apud quas dæmones rugiunt*, honorificè deferendas curavit. Sacrilegus Arcadius, qui Samuelis ossibus idem fecit. Stulti Ecclesiarum omnium populi, quibus ea pietas cordi est. Amens & impius Hieronymus ipse, qui in Ezech. cap. 40. prophetæ obscuritatem cum tenebris Romanarum catacumbarum, & subterraneorum cœmeteriorum, comparans: *Dum essem Romæ puer*, inquit, *& liberalibus studiis erudirer, solebam, cum ceteris ejusdem ætatis & propositi, diebus Dominicis sepulcra Apostolorum & Martyrum circuire, crebroq; cryptas ingredi, quæ, in terrarum profunda defossæ, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum.*

XV. Athanasii item. Gregorii, Basilii.

Inter Orientalis Ecclesiæ Patres agmen ducat Athanasius, laudator Antonii, funebris pompæ demortuo impensæ descriptor, Antonium in Magni Antonii muneribus ac vestibus amplexus: quemodò Antonius ipse Paullum, in veste sua de palmarum ramis solenniter gestanda, honorârat. Sequatur Athanasium Gregorius Naz. in Julianum orat. 3. invectus, quod qui rogum Herculis, & Mythræ sacra, aliòque dæmonum monumenta veneraretur, victimas pro Christo cæsas veritus non esset. Earum tamen sanguinem, imò sanguinis guttulam unam, idem posse, quod corpus universum. Gregorio comes Basilius, in ps. 115. ait, Mosaicæ legis ritibus homines attactu cadaverum contaminatos fuisse: in Christiana lege sanctificari contactu ossium, quia pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Et oratione in Martyres Quadraginta, regionem suam eorum reliquiis, imò illarum particulâ, fortunatam existimat.

XVI. Chrysostomi denique.

Doctrinæ & sanctitatis agmen claudat Joannes Chrysostomus, cujus tomus de Sanctis universus reliquiarum cultum, & potestatem mirificam, ubique commendat. Neque alibi silet, quando fert occasio: tamquam, hom. 32. in cap. 16. ep. ad Romanos. *Romam diligo, etsi aliunde laudari à multis capitibus possit à magnificentia, ab antiquitate...* sed istis omnibus omissis... *Considerate, & stupete spectaculum, resurgentis Pauli Roma simul cum Petro... Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulcro, videre pulverem corporis illius?.. Hoc corpus, urbem hanc munit, quod quavis turri innumerisq; muribus ac vallis est tutius, & cum illo corpus etiam Petri.* Homilia eadem 8. in epist. ad Eph. ad ista verba, *Hortor vos, ego*

vinctus

vinctus in Domino: Nihil, inquit, *hac catenâ beatius. Vellem nunc etiam in eis esse locis, in quibus ista dicuntur esse vincula... Et meritò celebrarem viros illos, qui hujus erga Deum desiderii fuerunt. Cuperem videre catenas illas, quas quidem verentur & horrent dæmones, Angeli venerantur... Si curâ Ecclesiæ liber essem, & valentiore corpore, peregrinari longè non recusâssem, eâ tantùm gratiâ, ut catenarum istarum & carceris adspectu fruerer.*

XVII. Ioanes Acatholicorum objectiunculæ.

Quid ad illa tam manifesta, tam valida, undique incurrentia, fratres Ægyptii opponunt? Papyraceos obices. Matthæi 23. damnari Judæos exstruentes sepulcra Prophetarum: Colossensibus c. 2. commendari, ut fugiant ἐθελοθρησκείαν, arbitrarium cultum: sæpe reliquiarum venerationem superstitione & quasi idololatria mutari: non rarò suppositicias esse reliquias, quando etiam Augustini ævo circumferebantur *ossa Martyrum, si tamen Martyrum*, ab otiosis monachis, ut ipse scribit lib. de opere Monach. Respondemus Matth. 23. damnari Judæos, qui, cùm majorum suorum in prophetas injustitiam improbarent, Messiam tamen prophetarum summum persequerentur: Colossensibus commendari, ut superstitiosos cultus, & ingenio humano excogitatos, neque à Deo & Ecclesia probatos, fugiant: cultum reliquiarum, quo corpora Martyrum pro vera religione interemptorum veneramur, idololatriæ destruendæ efficacem esse, tantum abest ut illam adstruat: si qui vel sacris reliquiis abutantur, quomodò Judæi gens crassa, corpore Mosis facturi erant, eos ab Ecclesia damnari, uti & illos reliquiarum falsarios, in quos magnâ diligentia ac severitate vult inquiri, præterquam quòd Deus istiusmodi imposturas diu occultas esse non sinit, ut notat Baronius an. 1027.

XVIII. Orandum pro Acatholicis.

En miseranda novo-antiquæ falsitatis munimenta, de papyriosis Ægyptiaci mucidis floccis fabricata, quæ infans Hierosolymitanus, in cunis adhuc cum Moyse fluitans, auricularis digituli impulsu perrumpat. Ista tamen magno verborum strepitu, & gestuum ambitu, attonitæ malesanorum Othianorum fratrum turbæ, velut muros ferreos & Bethsuranas turres ostentant. Miseremur peregrinos à visione pacis, extorres à luce veritatis. Oremus Christum, ut prodigia non justitiæ suæ, sed clementiæ, innovet in terra Cham: digitum suum, id est Spiritum suum, digitum paternæ dexteræ, mittat in illorum auriculas; quibus apertis vocem Scripturæ, Miraculorum, Patrum, Apostolicæ traditionis, Ecclesiæ universæ, altissimè insonantem audiant clarè, loquantur rectè, & nos acclamemus, *Benè omnia fecit*, quia *surdos fecit audire, & mutos loqui.*

XIX. Catholici reliquias magni faciant.

Christum etiam obsecremus, ut Catholicorum linguas sapientiæ suæ salivâ contingat: ut prudenter, fidenter, fortiter veritatem proloquantur: ut ex veritate agnita, & confessâ, ossibus, exuviis, aliisque Sanctorum reliquiis venerationem deferant, fiduciam habeant, ad illius gloriam qui in Sanctis suis honoratur. Sic egêre aureo Patrum sæculo Paullinus, & Severus. *Desideras*, inquit ille undecimâ ad illum epistolâ, *de sacris Sanctorum reliquiis benedictionem quâ adornetur domestica tua Ecclesia*, ut illis ad virtutem, ad spem, ad Dei cui omnia vivunt amorem, exciteris. Sexto post Paullinum sæculo, D. Anselmus, Cantuariensis præsul, acceperat partem quampiam non exiguam de D. Priscæ Martyris Romanæ reliquiis: segmentum illius sibi petiit Edinerus, ejus sacellanus. Quantum, inquit ille, poteris frangere: fregit, particula tantùm inter digitos mansit. Dolenti de tam exiguâ portione, rogantique iterum frangere liceret: *Noli, noli*, inquit Anselmus, *quod habes sufficiat tibi. In veritate quippe dico tibi, quòd pro toto auro, quod Constantinopoli & ultra citraque habetur, non omitteret Domina ipsa, cujus est, quin illud sibi vendicaret in die Resurrectionis cunctorum. Quamobrem, si debitam illi reverentiam exhibueris, æquè suscipiet, ac si toti corpori illius exhiberes. Quod audiens acquievi*, inquit Edinerus, *& decenter servavi usque adhuc.* Refert Baronius an. 1108. Ævo nostro Rupifucaldius Cardinalis reliquias sibi allatas amanter exosculabatur, venerabundè reponebat. Excogitârat numismatum genus ex marmoreo pulvere, & glutine quodam sensim lapidescente; cui, adhuc tenero, cùm aliquid reliquiarum miscuisset, icones imprimebat elegantissimas: statim à prandio cum familiarium honestissimis in illis effingendis laborare solitus, per horas aliquot. Quando legendo dolebant oculi, benè longas horas contemplandis sacris imaginibus impendebat, sæpe tunc auditus dicere, *Quàm suavis illa est cum Sanctis conversatio!* De reliquiis Sanctorum dicimus: adjicio tamen istud de imaginibus sacris, & ipsorum Sanctorum cultu, in antecessum postmodò adversùs Ægyptiacos fratres dicendorum: quos utinam brevi Hierosolymam reducat columna ignis per noctem, nubis per diem; fides in tenebris flamea, ad lucem obscura, utrobique dux certissima.

cruciatus. 13. Et hòc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes. 14. Et, cùm jam esset ad mortem, sic ait: Potius est ab hominibus morti datos spem expectare à Deo, iterùm ab ipso resuscitandos: tibi enim resurrectio ad vitam non erit. 15. Et cùm admovissent quintum, vexabant eum. At ille respiciens in eum, dixit: 16. Potestatem inter homines habens, cùm sis corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare genus nostrum à Deo esse derelictum. 17. Tu autem patienter sustine, & videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te & semen tuum torquebit. 18. Post hunc ducebant sextum, & is, mori incipiens, sic ait: Noli frustrà errare: nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, & digna admiratione facta sunt in nobis: 19. tu autem ne existimes tibi impunè futurum, quòd contra Deum pugnare tentaveris. 20. Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoriâ digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat: 21. singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientiâ: &, femineæ cogitationi masculinum animum inserens, 22. dixit ad eos: Nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum & animam donavi vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: 23. sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges ejus. 24. Antiochus autem, contemni se arbitratus, simul & exprobrantis voce despecta, cùm adhuc adolescentior superesset, non solùm verbis hortabatur, sed & cum juramento affirmabat, se divitem & beatum facturum, & translatum à patriis legibus amicum habiturum, & res necessarias ei præbiturum. 25. Sed ad hæc cùm adolescens nequaquam inclinaretur, vocavit rex matrem, & suadebat ei ut adolescenti fieret in salutem. 26. Cùm autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasuram se filio suo. 27. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce: Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi & alui, & in ætatem istam perduxi. 28. Peto, nate, ut aspicias ad cælum & terram & ad omnia quæ in eis sunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: 29. ita fiet, ut non timeas carnificem istum; sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. 30. Cùm hæc illa adhuc diceret, ait adolescens: Quem sustinetis? non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen. 31. Tu verò, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. 32. Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur. 33. Et si nobis propter increpationem & correptionem Dominus Deus noster modicum iratus est: sed iterum reconciliabitur servis suis. 34. Tu autem, ô scelesté, & omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in servos ejus inflammatus. 35. nondum enim omnipotentis Dei, & omnia inspicientis, judicium effugisti. 36. Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: tu verò judicio Dei justas superbiæ tuæ pœnas exsolves. 37. Ego autem, sicut & fratres mei, animam & corpus meum trado pro patriis legibus: invocans Deum maturiùs genti nostræ propitium fieri, teque cum tormentis & verberibus confiteri quòd ipse est Deus solus. 38. In me verò & in fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum justè superducta est. 39. Tunc

rex

rex accensus ira, in hunc super omnes crudeliùs desævit, indignè ferens se derisum. 40. Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens. 41. Novissimè autem post filios & mater consumpta est. 42. Igitur de sacrificiis, & de nimiis crudelitatibus satis dictum est.

COMMENTARIUS AD CAPUT SEPTIMUM.

Martyrium septem fratrum cantatissimum.

℣. 1 CONTICIT AUTEM ET SEPTEM FRATRES UNA CUM MATRE &c. Sententia hujus versûs aperta est. Quia tamen inde initium ducitur illustrissimæ historiæ, nec Judæis solùm scriptoribus, sed & Patribus Græcis, ac Latinis celebratissimæ, quantum ulla fermè non modò horum librorum, sed Testamenti veteris universi: idcirco ad ejus elucidationem, & ut piæ Lectoris curiositati satisfiat, quæstiunculas aliquot de Martyrum patriâ, genere, nominibus, martyriique loco, & caussâ, præmittemus.

In Judæa nati Martyres.

De patriâ ambigendum non videtur, quin Judæi, id est, in Judæa, seu Terrâ sanctâ nati fuerint. Versu enim 8. secundus fratrum *patriâ voce*, seu linguâ, loquitur, id est Hebraicâ, qualis tum in usu apud Judæos erat Syriacæ dialecto mista: itidem mater versu 27. Lingua autem Hebraica nusquam patria, seu vulgaris erat, nisi intra Palæstinæ limites. Circumjectæ gentes Græcâ, Syriacâ, Arabicâ, Ægyptiacâ linguâ utebantur, non Hebræâ: & si qui inter gentes istas habitabant Judæi, Hebraicum sermonem discere non poterant, nisi usu domestico, vel ludo literario: adeoque ipsis patrius sermo, seu patriæ, non erat

Et verosimiliter Hierosolymis.

An autem Hierosolymis nati sint, unde definiam non habeo. Id tamen ex eo conjecerim, quòd Hierosolymæ per ea tempora, bellis inter Asiæ atque Ægypti Reges infesta, plerique nobilium habitarent, ut tutissimo, & celeberrimo loco. Quid autem faciamus vetere Josephi Latinâ versione: ubi dicuntur è Susandro castello, quod ipsis hæreditarium erat, Antiochiam perducti? Sed ea versio additamentis multis farta, & falsata, fidem jam omnem perdidit. Nec verò in Græco apud Josephum usquam de Susandro fit mentio: neque interpres ille Erasmus, an alius ab Erasmo interpolatus, designat quanam in regione steterit istud Susandri figmentum.

Hierosolymis saltem frequentes fuere.

Ut Hierosolymis nati non fuerint, sed in avito aliquo prædio, aut oppido, quemadmodùm Mathathiæ liberi in Modin: illic tamen frequenter egisse certum est, ad Templi, statorumque festorum, & conventuum celebrationem, pro suo, parentumque ad legis observantiam, cultumque divinum eximio affectu. Crediderim etiam, domum avitam Hierosolymis habuisse, quò se, ubi in eam commeandum erat, reciperent. Quomodò hodie in primariis urbibus esse solent domus familiarum nobilium, ruri aut in oppidis habitantium: quas domos, vulgò vel hospitia vocant, vel refugia, quia nobiles, eorumque familiares ibi hospitantur, vel eò refugiunt, quando in urbem aut negotia vocant, aut bellorum infestationes compellunt.

Nobili genere orti erant, eoque verosimiliter Regio.

Genere nobiles fuisse, vel ex eo constat, quòd Rex sibi eos sisti voluerit, seque illis à religione Judaicâ abstrahendis impenderit: dedignaturus alioqui adolescentes origine viles, & superbiam suam non demissurus ad solicitandos, non tantùm minis, sed etiam promissis. At de quo genere orti erant? Duo inprimis apud Judæos illustria erant, Regium, & Sacerdotale. De Sacerdotali si forent, mihi videbatur Josephus prætermissurus non fuisse; eâdem ratione, quâ de Eleazaro non tacuit, facileque didicisse potuit, ut cap. sup. annotavimus. De Regio fuisse crediderim; ideoque delectos ab Antiochi ministris, ut dignum Rege spectaculum essent. Hagiographus etiam noster in Eleazaro, scribarum, ac sacerdotum decus; in hisce Martyribus, nobilium, ac Regiæ familiæ gloriam expresserit.

Quod Martyrum matri nomen? Anna, an Maria?

Nomen matris Erasmus Roterodamus, in Viduæ libro, facit *Carteriam*, vel *Eusebiam*; divinatione ductâ ex Græco fortitudinis, & pietatis, vocabulo, quibus virtutibus ista Heroina excelluit. In suâ autem Josephi versione aut versionis interversione, *Salomonam* appellârat: quam tamen appellationem Josephus in Græco non habet, estque merum Erasmi figmentum, in Susandro castello excusum. Josephus Gorionides, & Josippus Hebræus, illius breviator, *Annam* nominant apud Serarium, neque inconvenienter, nisi auctores essent parùm idonei. Anna enim gratiam sonat, & nobilibus in Hebraicâ gente fœminis frequentabatur; tamquam, Annæ Samuelis matri, & Christi aviæ: ut poetam sileam, qui sorori Didûs Reginæ, ex Phœnicia Palæstinæ finitimâ oriundæ, Annam nomen facit. Quidni autem, si divinare libet, Mariam appellemus: ut eò aptior figura sit Divæ Matris, quæ, ut de hac postmodùm dicetur, fuit *supra modum mater mirabilis?*

An verò Machabæa.

Divus tamen Ambrosius Machabæam vocare videatur, libro ad Virginem lapsam: *Memento Machabæam propter carnes porcinas passam fuisse, & filios ipsius assatos, vel frixos in oleo.* Divus etiam Antonius Afer epist. ad S. Arcadium Martyrem, *Septem*, inquit, *filios Machabæa mater pro Christo misit ad mortem.* Item Alcimus Avitus, in poëmate ad Fuscinam sororem,

Sic prægnans fœcunda olim, & fœcundior orba,
Atque animos superans genitrix Machabæa viriles.

Et illos secutus Venantius Fortunatus:

Felix bis meritis sibi vel Machabæa, vel urbi,
Nobilitas generis, nobilior genitis.

Divus Thomas denique in præfatione Comment. *Sua*, inquit, *nomine Machabæa vocabatur.* Sed hi Patres, & qui forsan alii sic loquuntur, eam matri appellationem à liberis tribuerunt, Machabæamque nominârunt, quia vulgò septem Martyres Machabæi dicuntur.

Machabæi nomen an ex Græco ortum?

Unde verò hæc ipsis appellatio? Recentior quidam, à me nisi priore libro nostro in lucem edito non visus, censebat Machabæi nomen, Judæ datum, Græcæ esse originis: duci enim à μάχη *pugna*, & βίος *vita*, aut βία *vis* seu *violentia*: ut hominem de vita certantem, aut fortiter ad vitæ usque extrema pugnantem, significet. Idem, opinor, de Machabæorum appellatione, Martyribus hisce

hisce inditâ, censuerit: quando ad extremum usque spiritum generosissimè, pro vera religione, certavêre. Sed ea nominis originatio valdè parùm habet credibilitatis. Nam, ut argumenta alia prætercam alteri loco servanda; ex Græco ipso vocabulo manifestè apparet, à Græcis istis vocibus non oriri. Scribitur enim μακκαβαῖος: scribi autem debebat μαχόβιος, aut potius βιόμαχος, si ex illis derivationem traheret. Vide plausibiliores & veritati convenientiores ejus appellationis etymologias, Proleg. ad l. 1. sect. 1. n. 5.

Machabæi Martyres vocati ab appellatione Judæ Machabæi; aut titulo hujus libri.

Ibidem num. 4. diximus, Martyres suam Machabæorum appellationem vel à Juda Machabæo, vel ab hujusce libri, ubi eorum martyria narrantur, titulo sortitos. Retracto tamen hic, particulam ibi dictorum: *credibile non esse septem Martyres cum Judâ Machabæo junctos tribu fuisse, nedum familiâ; id saltem conjici non posse, ex ullo firmæ auctoritatis, aut rationis probabilis fundamento.* Modò enim nobiles fuisse pro certo posuimus; de sacerdotali genere non fuisse existimavimus, de Regio conjecimus; atqui Regium genus sacerdotali jungi solitum; & in Mathathia convenisse putavimus, ad l. 1. c. 2. vers. 1. Ex illâ ergo ratiocinatione jam mihi credibile factum, septem Martyres Judæ Machabæo non tempore tantùm, & natione, sed etiam familiâ junctos fuisse: quemadmodùm Christus ex Regio genere, D. Joannes Bapt. ex Sacerdotali, consanguinei tamen fuêre. Quid autem si dicamus, Machabæorum ipsis nomen adhæsisse, quia Judæ Machabæo non ætate tantùm, aut natione, sed etiam sanguine juncti fuêre?

Non à titulo familiæ.

D. Gaudentius Brixianus existimat, Machabæorum nomen fuisse, non septem modò Martyrum, sed familiæ nobilis, de quâ orti erant. Verba ejus hæc sunt, Tract. de Machabæis; *Judæi isti erant ante adventum Domini, in lege tantùm veteri conversantes, qui cognomentum Machabæorum trahant ex genere, sicut hodie Aniciorum progenies, vel si qua sint hujusmodi nuncupationum vocabula, quæ stirpem nobilitatis usurpent* &c. Subdit post varia: *Nemini absurdum videatur, quòd eos paullo antè Aniciis comparavi. Anicii quippè ex Græco nomine à nobis nuncupantur invicti. Exercuit enim varia suppliciorum genera in eorum corporibus crudelissimi tyranni feritas*, &c. Sed si Machabæorum nomen illustris familiæ titulus fuisset, quemadmodùm eodem tempore Assamonæorum, id certè non siluisset Josephus, aliive D. Gaudentio antiquiores.

Singulorum nomina ficta.

Serarius opinatur Machabæum nomen maximo natu proprium fuisse, indeque appellationem ad fratres cæteros derivatam. Hausisse videtur opinionem suam, ex Erasmianâ Josephici de his Martyribus libri interpretatione: ubi primus vocatur *Machabæus*, alter *Aber*, tertius *Machir*, quartus *Judas*, quintus *Achas*, sextus *Areth*, septimus *Jacob*. Sed ista nominum figmenta, simul cum *Salomonâ*, *Sasandro* castello inclusimus. Existimavit, arbitror, Erasmus, post se hominum neminem Græcè sciturum, nec deprehensurum, quid Josepho commutatum esset: adeoque tutò lectoribus quibusvis imponi posse. Menæum Græcum nomina etiam quæpiam recenset: sed probabilitatis parùm habent, nedum fidei.

Tempus martyrii, & locus.

Eos Martyres, quorum propria nomina terris ignota, in cælis scripta sunt, sub idem tempus, quo Eleazarum, passos evincit continuata Hagiographi narratio. Spectatores patientis senis fuisse, ejusque exemplo animatos, nobis vero admodùm simile est. *Cum matre suâ apprehensos* Hierosolymæ, ubi familiare domicilium, aut hospitium habebant, & Eleazari, aliorumque certamina spectaverant, itidem vero quàm simillimum putamus. Sollicitatos ad defectionem à ministris Regiis, antequam ad Regem mitterentur, consequens est. Postquam nihil proficiebatur, constabantque in proposito; vel ultrò ad Regem, vel ejus mandato missi sunt, ut opima præda, & digna materies, cui vel minas, vel supplicia coràm ipse impenderet, pro suo pietatis odio, & ingenio crudelitatis.

Flagris, & taureis laniantur, unà cum matre.

Cœpta laniena à *flagris, & taureis*. Flagra commune nomen sunt; taureæ flagrorum genus significant, de corio taurorum, aut nervis boum. Istis tentata primùm septem fratrum, ac matris constantia, si fortè verberibus cederet. Illorum neminem Hagiographus ab hoc virtutis auctoramento excipit; neque excipere nos debemus. Mater simul, & filii, verberibus lacerantur, nec sua solùm verbera sentiunt, sed suorum; atque adeò simul corpori, & cordi, plagæ infliguntur. Si doloris partes omnes expendere placuerit, considera verecundiam in corporibus nudandis; delicata, & tenera adolescentium membra; formam etiam, in ætatis flore, vel flosculo; mutuum denique conspectum, & vulnera oculorum: quæ omnia in flagellationem Messiæ, cui præcurrebant, incurrêre.

An id Antiochiæ passi?

Ubinam autem verberati sunt: Antiochiæ, quò perducti; an Hierosolymis, ubi comprehensi? Illud potiùs putârim. Neque enim frustra tormentis tentatam adolescentium duritiem, Antiocho cursus tentandam, ministri Regii objecissent. Et valdè credibile est, Antiochum crebris nuntiis de edicti sui profectu, aut neglectu monitum, jussisse, ut præcipui aliqui de Judæis ad se mitterentur; quorum exemplo, aut supplicio, in urbe Regiâ palàm obediendi necessitas sanciretur, indeque in vicinas provincias, nec longè distantem Judæam, & Hierosolymam, vulgaretur. Non debebant autem ad hunc finem mitti debilitati, ac deformati vulneribus: sed integrâ adhuc formâ, & corpore; ut validius esset exemplum, si deficerent; terribilius supplicium, si perstarent.

Maximi natu è fratribus libera vox.

℣. 2. UNUS AUTEM EX ILLIS, QUI ERAT PRIMUS natu, ut passim omnes explicant, dissentiente, quem sciam, nemine. Et verò maximum natu, jure primogenituræ, & patris loco, atque ætatis prærogativâ, decebat primum proloqui, sententiamque communem expromere. Græcè est: εἷς δὲ αὐτῶν γενόμενος προήγορος, *Unus autem ex illis factus primus concionator, seu prælocutor.* Ex istis Græci textûs verbis colligi certò non poterat, an maximus natu primus fuerit elocutus, & primo loco passus: nisi res ipsa, ut dixi, suaderet, & ordo narrationis; unde apparet, ab Antiocho servatum ætatis inter fratres ordinem à primo ad ultimum. Quamquam etiam dici possit, in Græco εἷς *unus* positum pro πρῶτος *primus*, ut aliàs interdum.

Regem valdè offendit.

℣. 3. IRATUS ITAQUE REX, JUSSIT SARTAGINES ET OLLAS ÆNEAS SUCCENDI. Sperârat Antiochus molle, post flagra, à delicatis adolescentibus responsum. Sed auditâ præter spem tam liberâ voce, & abruptâ negatione, itâ percitus, furoreque ardens magis, quàm illi ipsi ignes, quos ollis, & sartaginibus subjiciendos curabat: constituit in primum sic animadvertere, ut aliis audacia caderet.

Caput illi cute nudatur.

℣. 4. Jussit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam, sacrilegam scilicet, quæ Antiochi divinitatem læsisset irreverenti responso. Cute deinde capitis abstractâ, non corporis totius, ut suspicatur Salianus, quia Græcè pars corporis nulla memoratur, generatim tantùm dicitur abstracta cutis: verùm ex consimilibus, imò ad hujus similitudinem factis, fratrum aliorum suppliciis, intelligitur, solum caput pelle deformiter & cruciabiliter nudatum. Adde, in Basileensi codice Græco haberi, περισκυθίσαντας, id est, Scytharum more cute capitis simul cum capillis detractâ. Cute ergò capitis abstractâ jubetur ἀκρωτηριάζειν, ut habetur in Græco, id est extremis mutilari: quod interpres noster verâ sententiâ, ac plenè expressit, summas manus, & pedes ei præscindi: idque articulatim, ut indicat Græca vox ἄκρος, & Latina, summas, sive extremas: & sic in argumento capitis expressimus. Facta isthæc, cæteris ejus fratribus, & matre, inspicientibus; ut horror nudati calvitii, vultûs cruenti, truncorum brachiorum, & crurum cruore manantium, animos frangeret. Sed contrà accidit; plùs illos animante constantiâ, quàm terrente supplicio. Nam

Mutilus frigitur in sartagine.

℣. 5. Cum jam per omnia inutilis factus esset, ut nec proloqui, nec progredi, nec palpare posset; forsan nec videre, neque audire, oculis & auribus cruore detractæ de capite pellis natantibus: jussit Rex ignem admoveri, & adhuc spirantem, adeoque vim ignis sensurum, torreri in latâ, atque ad corporis humani modum factâ, sartagine. In quâ cùm diu cruciaretur, sivo, ut Græca ad verbum habent, vapore autem se multum dilatante; ut, dum juvenile Martyris corpus, nondum post tot vulnera exhaustum, morti repugnat, nidor frixæ carnis à matre, ac fratribus sentiretur; Illi inter se invicem ad ejus exemplum hortabantur pati, ac mori fortiter.

Cæteri sese invicem hortantur, divinæ misericordiæ fiduciâ.

℣. 6. Dicentes: Dominus Deus aspiciet veritatem, id est, justè judicabit, vel promissorum, ac fidelitatis, quæ sæpè in Scripturâ veritas appellatur, memor erit: & consolabitur in nobis, id est, nos consolabitur. Sicut & in protestatione Cantici, seu Cantico, ubi cæli, & terra testes invocantur, declaravit Moses: Et in servis suis consolabitur. Habetur id Canticum Deut. 32. & versus integer sic est in Vulgata, Judicabit Dominus populum suum, & in servis suis miserebitur. id est, Dominus rebellem populum judicabit, ac justè puniet; sed etiam servorum suorum miserebitur, &, cùm iratus fuerit, misericordiæ recordabitur. Septuaginta, & Officium Divinum, in responsoriis Martyrum tempore Paschali, pro miserebitur, habent παρακληθήσεται, consolabitur, eamque explicationem recipit vox Hebræa, & res ipsa, cùm misericordia pariat consolationem. Vides idem breviter à sanctis Martyribus dici; & à Mose prænuntiari, quod pluribus cap. sup. à vers. 12. ad 17. dixit Hagiographus noster, de justitiâ Dei, & misericordiâ erga suos.

Honorificum sub Dei oculis pati.

Salianus existimat, istud, & in servis suis consolabitur Deus, simul posse passivè; ut Deus dicatur, ex patientiâ servorum suorum, ac fortitudine, consolationem accipere, aut sic se gerere, quasi accipiat. Sic dicitur lætari in operibus suis: & verò opus ejus est patientia, & fortitudo hominum, pro illo certantium. Vide à nobis dicta in tract. de bonâ voluntate p. 4. sect. 1. num. 13. & 14. Pia quidem est ista explicatio, & animandis Fidelibus valdè accommoda; ut sub oculis Dei, cui sua, & se placere confidunt, generosè laborent. Priorem tamen explicationem veram esse constet, & literalem: ut Martyres inter se cohortati sint, spe consolationis, & misericordiæ divinæ, post tormenta secuturæ.

Manus interim & pedes in aheno bulliebant.

Quærat aliquis, cùm mutilum corpus in sartagine frigeretur, quid pedum ac manuum segmentis factum? Advertisti, non sartaginibus tantùm flammis subjectes, sed ollis æneis. In eas ollas conjectæ manus, ac pedes, non ad esum, sed ad horrorem. Qui vel assam, vel elixam suillam respuerat: ipsius carnes frigantur partim, & torreantur; partim bulliant, & elixentur. Id credo ab Antiocho spectatum, dignum antropophago consilium.

Martyrium secundi fratris.

℣. 7. 8. 9. Mortuo itaque illo primo, hoc modo, sequentem deducebant. Narratur sequentis martyrium, apertis verbis, & clarâ sententiâ. Paucas tamen quæstiunculas majoris claritatis causâ propono.

Quæ patria vox, quâ hic usus dicitur?

Primùm: quænam illa patria vox, quâ Martyr, interrogantibus si manducaret, respondit. Non faciam? Supervacanea videbitur cuipiam hæc quæstio, & certè erat: nisi Salianus in scholiis suis ad hanc historiam, & Josephi narrationem, scripsisset, patriam vocem, tum hîc, tum infrà vers. 27. significare vocem generosam, ac virilem. Sed bonâ docti, & amici quondam senis veniâ, cui studium corrigendi Josephi passim errantis aliquando imposuit: ista patriæ vocis explicatio admitti nullo modo potest. Quis enim umquam, ubi generosè locutum aliquem dicere voluit, patriâ voce locutum dixerit? Quis non intelligat, eum, qui patriâ voce utitur, uti linguâ patriæ, seu propriâ, seu peregrinâ? Itaque hîc, intelligendus est Martyr locutus Hebraicâ linguâ, quæ ipsi patria, & propria erat: & sic Josephus intellexit, neque ibi fuerat emendandus. Vide infrà cap. 15. vers. 29. ubi eadem vox eâdem sententiâ usurpatur.

Syriacâ, an Græcâ usi interdum, Martyres?

An ergo, inquit Salianus, Martyres Hebraïcâ linguâ, in quâ educati fuerant, non semper usi sunt? An Syriacâ purâ aliquando, vel Græcâ? Omninò Syriacâ interdum usi sunt, imò potuêre & Græcâ. Neque enim nobilibus adolescentibus, &, ut ipsorum verba, & sententiæ ostendunt, eruditis, ignotæ erant finitimorum, ac dominorum populorum linguæ. Nec per interpretem cum Antiocho locuti leguntur, qui certè Hebraicâ usus non est, quam neque umquam credibile est didicisse, odio & contemptu legis, ac nationis. Cùm Antiocho ergo, & carnificibus, Græcè, aut Syriacè collocuti; inter se Hebraïcè dixêre, & cùm liberius aliquid, ac brevius, fortiter dicendum erat, ut istud, Non faciam.

Quomodò Martyres illusi?

Cùm dicatur secundus Martyr ductus ad illudendum, tertius item illusus: quæritur ecquænam ista fuerit illusio? Existimat Salianus, significari ludibria carnificum, deformatos, & mutilatos ridentium, iisque insultantium sine ullo misericordiæ sensu, aut testificatione. Quid si decalvatis, & mutilatis, nec sese defendere valentibus, aut inculcata in os suilla, quomodò Eleazaro: aut petasonibus, quos ipsis ad esum oblatos putat Gorionides, vultus verberati? Nihil istorum à petulantiâ Græcorum alienum, aut supra fidem est.

An Martyr exsectâ linguâ locutus?

Quandoquidem secundus Martyr dicatur primi tormenta sustinuisse, inter quæ vers. 4. ponitur amputatio linguæ; in ultima tamen spiritu constitutus, ea protulerit, quæ vers. 9. referuntur: dicendúmne est exsectâ linguâ miraculo elocutus?

Saliano

Saliano ita videbatur: neque immeritò, cùm id videatur exigere Scripturæ textus, & multis postmodùm Martyribus idem acciderit.

Multis Martyrum id accidit.

Celebre est de Episcopis Africanis, qui, linguâ radicitus per Vandalicam persecutionem amputatâ, loqui tamen non desiêre: testibus Victore Uticensi, Evagrio, Procopio, qui lib. 3. de bel. Vand. affirmat, se cum eis egisse, & loquentes audisse. Notum etiam istud S. Romani ex Prudentio, dicentis minanti exsectionem linguæ carnifici,

Vox veritatis testis extingui nequit,
Etsi recisis palpitet meatibus:

quod reipsâ contigit. Idem accidisse Divis Ferreolo, Ferrucioni, Leodegario, Ensebio, Aigulpho, & sociis, eorum acta testantur. Ævo nostro puer inter lupos in Ardennâ, ubi cum parentes infantulum vel destituerant, vel amiserant, educatus, vix linguæ frusto instructus, edendique articulati soni prorsùs impotens; captus à rusticanis, ad D. Virginis sacellum Foiense perductus, illius patrocinio apud Deum linguæ usum obtinuit, & sermocinari exinde didicit.

Non omninò constat huic accidisse.

Potuit ergo factum esse Martyrum nostrorum secundô, quod tot aliis: idque videtur postulare; ut diximus, Scripturæ textus, cùm dicatur primi tormenta sustinuisse, & tertio etiam lingua fuerit exsecta; neque appareat ratio, cur secundo, inter illos medio, integra relinqueretur. Id tamen factum asserere affirmatè non audemus: quia Scriptura manifestè non exprimit: & quia magis increduli aliqui dicere possint, linguæ amputationem inter tormenta non numerari; aut tunc demùm factam, posteaquam in ultimo spiritu constitutus declamaverat in Antiochum, ut lingua simul, & anima evulsa sit.

An peccârint Martyres invehendo in Antiochum?

Quod verò tum hic Martyr, tum alii, verbis fortibus, imò & probrosis in Antiochum invecti sint: illud vel arrogantiæ, vel iræ præcipiti, vel imprudenti saltem erga Regiam majestatem irreverentiæ, adscribi ab aliquibus queat. Hic enim eum *scelestissimum* appellat: alii comminantur: septimus minas simul, & probra, liberaliter objicit. Dicantúrne ergo peccâsse deordinatè loquendo, & extra decorum, aut cum nimio impetu? Neque enim, quidquid verum est, cuivis, & à quolibet objici, vel decet, vel licet. Respondendum, Martyribus, in extremâ istâ loctâ, Deum suggessisse quæ dicerent: & Spiritum Patris cælestis in illis locutum esse, ut Christus postmodùm Apostolis promisit. Deinde, sciebant se illic Dei partes agere, Antiochum tyranni: loquuntur ergo convenienter partibus suis, *cum auctoritate, & quia rectitudo eos ad libertatem vocis erigebat.* Verba sunt D. Gregorii l. 7. in Job. c. 15. hanc quæstionem proponentis in consimili exemplo Mosis cum Pharaone, Nathanis cum Davide, Eliæ & Elisæi cum Israëliticis Regibus, imperiosè, & asperè, agentium.

Cur Martyres meminerint resurrectionis?

Adverte, Martyrem hunc, uti & tertium, quartum, septimum, ac matrem, uti ad excitandos animos consideratione vitæ æternæ simul, & resurrectionis futuræ. Vita enim æterna, nisi de resurrectione mentio fieret, ad animum solummodò videretur pertinere. Addunt ergo de resurrectione corporis, idque convenientissimè suppliciis suis, quibus corpora fœdè truncabantur, & dirè torquebantur. Eamdem beatæ resurrectionis spem Martyres nostri ante oculos habuêre: & omnium *fiducia Christianarum, resurrectio mortuorum.* De eâ diximus Exc. ad c. 13 lib. 1. & aliquid rursum dicemus Exc. 1. ad c. 12.

Cur ea dicta Hagiographus tam diligenter subnotârit?

Adverte etiam Hagiographum diligenter, & particulatim singula Martyrum de resurrectione verba collegisse, nec de nihilo: quid enim de nihilo, & sine altissimis finibus, in tali narratione Spiritus sanctus scribæ suo dictaverit? Nascebatur tunc, aut mox oritura erat secta Sadducæorum, id est, inter Judæos Epicuræorum: quibus nihil nisi præsens credebatur; nihil fermè erat, nisi quod videbatur; genii, immortalitas animæ, resurrectio, somnia videbantur, aut virorum terriculamenta, quomodò imaginaria spectra sunt terriculamenta puerorum. Adversùs potens illos argumenta parabat Spiritus sanctus, ab exemplis, & dictis illustrissimorum Martyrum, porcinâ vesci nolentium. Parabantur tantò antè eadem argumenta in Epicuræos, & Sadducæos Christianorum, nihil nisi terrena sapientium, &, more porcino, in diem hujus vitæ non in diem æternitatis viventium: quibus itidem, ut suibus, anima videtur data pro sale ne putrescant, non ut æternùm vivant. In Veteri toto Testamento nusquam, disertis & manifestis verbis, videbatur expressa promissio vitæ æternæ; ea tamen per manus tradita erat, neque ignorabatur, etsi scripta non esset: jam etiam scribitur, &, quò propiùs ad Christi lucem accedunt Sancti, eò clariùs diem æternitatis intuentur.

An tertius Martyr linguâ amputatâ locutus?

℣. 10. 11. 12. POST HUNC TERTIUS ILLUDITUR &c. Martyrium tertii describitur, tam promptè, & sine tergiversatione linguam præscindendam, & manus truncandas offerentis, tantaque fiduciâ loquentis, ut Regi, aulicisque, ac satellitio universo admirationem moveret inconcussus in eâ ætate animus. Quod dicitur, *linguam postulatus* statim protulisse, [illegible] tamen postmodùm prolata recitentur: alicui forsan videbitur, & hic Martyr exsectâ linguâ locutus. Quod licèt non rejicio; ratio tamen non evincit: potuit enim, cùm lingua postularetur, paucola ista verba dixisse, & statim linguam protulisse. Deinde Rex, & circumstantes, qui dicuntur mirati *adolescentis animum*: multò magis dicerentur, mirati sermonem elinguis, si id quidem miraculum contigisset.

Duabus considerationibus sese animat.

Notandum in ejus verbis, consideratum ab eo Deum ut creatorem primùm, dein ut remuneratorem; ut principium, ac finem: inde erecta mens, & hostibus ipsis, ac carnificibus miranda fortitudo. *E cælo*, inquit, *ista*, linguam, manus, pedes, membra omnia *possideo*, à cæli, & Universi creatore accepi: cui melius reponam, quàm donatori? Cui justiùs sese opus impendat, quàm opifici? Deinde donator idem erit, & fidejussor, ac redditor. Recipiet, ut iterum restituat. *Ab ipso ea me recepturum spero*: certò scio me recepturum, neque enim de resurrectione ullatenus ambigo: sed *spero* beata membra me recepturum, quæ nunc miserè cruciabuntur: *spero* enim fore, Dei auxilio, ut iis cruciatibus patienter immoriar, adeoque mercede beatæ resurrectionis dignus sim.

Quartus torquetur, ut cæteri.

℣. 13. & 14. ET HOC ITA DEFUNCTO, QUARTUM &c. Breviter recitatur martyrium quarti fratrum, & ejus suprema verba. De cruciatibus illius ambigi non debet, quin iidem ac præcedentium fuerint, cùm dicatur fuisse tortus *similiter*: & Antiochus in primo exemplum cæterorum statuerit, carnificinâ ob eorum oculos patratâ; ut viderent, quid sibi patiendum foret, si animos obfirmarent.

Non autem rotâ circumactâ.

De quarto tamen sic habet Ambrosius, lib. de Jacob, & vitâ beatâ c. 11. *Hoc perempto Antiochus jussit quartum vinciri ad rotam, ut ejus vertigine membris omnibus solveretur. At ille, cum torqueretur immaniter: Dissolvis, inquit, corporis membra; sed adjungis gratiam passioni, nec eripis solatium mortis: est enim vox tonitrui in rotâ* &c. Theophilus item Alexandrinus ep. 3. Pasch. agens de illis generatim, existimat aliquem saltem illorum rotâ circumactum: *Frangebantur*, inquit, *ossa, & volubili rotâ omnis compago nervorum, atque artuum, solvebatur.* Collegit forsan D. Ambrosius istud tormenti genus ex Latinâ voce *torquentes*: Theophilus autem conjecit ex voce βασανίζειν.

Josephi errores in hujus historiæ narratione.

Aut uterque potiùs Josephum imitati sunt: quamquam non quarto rotam affingit, sed quinto: *Hac dicentem*, inquit, *satellites vinctum pertrahunt in catapultam, ferum tormenti genus, & orbiculare, cui primùm firmiter pedes adstringunt, tunc spinam dorsi tendiculis ferreis mollientes, aptantesq;, ad machinam curvatam inflectunt; ubi totus quantus invinebat diffrilim rota, scorpionis bellici in morem, fractis membris, & luxatis debilitaretur.* Ita Josephus ex verâ Ctesfolii nostri versione apud Salianum: à Saliano meritò reprehensus, quòd, intolerabili licentiâ, non modò declamatorem agat, & verisimilia commentetur; sed etiam aliena à Scripturæ verbis, & sententiâ, tum in suppliciis, tum in dictis Martyrum. Idoneus itaque auctor non est, ut credamus fratrum alios aliis tormentis cruciatos: quando Hagiographus satis manifestè significat, similem omnes pœnam subiisse.

Quarti Martyris voces.

Cùm ergo quartus, in tormentis præcedentium similibus, *jam esset ad mortem*, animâ, ut dicimus, in labris natante, *sic ait*: *Potiùs est ab hominibus morti datos spem exspectare à Deo:* Græcè pro, *ab hominibus morti datos*, habetur in singulari; μεταλλάσσοντα τῷ ἀνθρώπων, *ab hominibus discedentem*: quædam exemplaria Græca, apud Nobilium, habent, μεταλλάσσοντα τὰς ἀπ' ἀνθρώπων, scilicet ἐλπίδας, *spes*, quæ vox sequitur. Textûs nostri Latini sententia hæc est. Optabilis est mors, ab hominibus illata, homini in Deum fidenti, & beatam resurrectionem spectanti: qualis *tibi*, Antioche, *ad vitam non erit*, erit ad mortem æternam. Sententia autem Græci textûs, si secundo modo legatur, hæc est: Delectat, contemptis spei humanæ exspectationibus, in spem divinam intendere, & in beatam resurrectionem; cujus, tyranne, exsortem te impietas tua faciet.

Quinti martyrium, & dicta prophetica.

℣. 15. 16. 17. Et cùm admovissent quintum, iisdem scilicet tormentis, vexabant eum. At ille inter cruciatus fidenter respiciens in eum tyrannum, dixit: Potestatem inter homines habens, sed malè exercens, cùm sis corruptibilis, & corrumpendus ante mortem ipsam, futurusque spirans cadaver, facis quod vis, & quod nolle deberes. Noli autem putare genus nostrum a Deo esse derelictum; castigat in nobis, quos amat. Tu autem patienter sustine, id est, tantisper exspecta; mane modò triennium, et videbis, seraque pœnitentiâ agnosces, magnam potestatem ipsius; qualiter te fœdâ morte, et semen tuum Eupatorem, & Alexandrum, properatâ nece, torquebit. Vaticinantem Martyrem facimus, non comminantem tantùm: & verò verba vaticinium sonant, & sic D. Cyprianus intellexit l. de Exhort. Marty. *Quintus præter quod carnificinam Regis, & diras, variasq; cruciatus, fidei vigore calcabat, ad præscientiam quoque, & notitiam futurorum spiritu divinitatis animatus, prophetavit Regi, & indignationem Dei, & ultionem velociter secuturam... Quale illud fuit levamentum Martyri, quàm grande solatium? In cruciatibus suis non propria tormenta cogitare, sed tortoris sui supplicia prædicare?*

Sexti item tormenta, & verba similia simul, & minacia.

℣. 18. 19. Post hunc ducebant sextum ad pares cruciatus: et is, mori incipiens, morti proximus, sic ait: Noli frustra errare, & tibi ipsi falsis persuasionibus imponere, quasi vel Deus rector non sit rerum humanarum, vel gentem nostram non amet. Nos enim juste hæc patimur, peccantes, Græca quædam in præterito habent ἁμαρτόντες, peccatis obligati, in Deum nostrum, et eam ob caussam digna admiratione facta sunt nobis: mirum enim omninò est, Dei providentiam impii Regis ministerio uti ad castigandos pios. Tu autem, ne existimes, tibi impune futurum, quòd contra Deum pugnaveris, etsi Deo inscius, & invitus, obsequere. In primâ sententiæ parte, Salianus existimat de peccatis populi Judaici generatim agere: sed Cypr. lib. sup. cit. ait, *Nihil sibi Martyrem vendicâsse ..., peccatis potiùs suis adscripsisse, quòd persecutionem à Rege pateretur*: adeoque *non virtutem solùm, sed humilitatem in eo prædicandam.* Similiter Aug. ep. 122. post adducta hujus Martyris verba: *Vides*, inquit, *etiam illi quàm humiliter, & veraciter sapiant, qui pro peccatis suis se flagellari à Domino confitentur?* In alterâ verò parte, vaticinii instar est de pœnâ Antiocho imminente: quia tamen tam expressum non est, quàm in quinti dictis, per me licebit, ut pro comminatione, ex divinæ justitiæ moribus sectâ, accipias.

Laus matris.

℣. 20. Supra modum autem mater mirabilis, et bonorum memoria digna: nec verò jam illi sunt seriò ac verè boni, qui ipsius non meminerint, post Spiritûs sancti verba sacris Literis inscripta, post Patrum Latinorum, Græcorumque encomia, post historicorum sacrorum, ac profanorum narrationes. Quæ pereuntes filios suos unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem, quam in Deum habebat. Uno die unum amisisse satis fuerat, ad concutiendum pectus maternum, nisi viva in Deum fiducia debile pectus roborâsset.

Hostem, inquit Prudentius, *subegit subjugatum septies;*
Quot fœta natis, tot triumphis inclyta.

Cogita fœminam, cogita matrem, cogita septies matrem, cogita septies mortuam antequam moreretur. Narrat Hieronymus de muliere septies ictâ: hæc non icta tantùm, sed vulnerata, sed transfodacta, sed occisa septies, octavâ demum morte defuncta est. Si laudes ejus lubet Græcè legere, vide inprimis Chrysostomum hom. de Machabæis: si Latinè, Augustinum serm. 109.

Patrio sermone cur mater Martyrum usa?

℣. 21. Singulos illorum hortabatur voce patria, Hebraico sermone: neque enim alio sermone facundiùs ipsa dicere poterat, nec filii audire lubentiùs. Habet enim patrius sermo, sive à consuetudine, sive ab innato in patriam affectu, suavius aliquid quàm cæteri. Videmusque moribundos etsi ad aliarum linguarum sonum obsurduerint, ad patriæ linguæ verba evigilare interdum, & erigi: seu quia intelligentiæ magis familiaria sunt, seu quia affectui magis suavia.

Fortiter,

Unde ipsi mascula fortitudo?

Fortiter, seu ut Græcè est, γενναίῳ, *forti repleta sapientiâ; & fæmineæ cogitationi.* quæ tenera ac mollis esse solet, facileque obstantibus cedit, *masculinum animum inferens*, Græcè ἀνεγείρασα *excitans*, sive *exsuscitans*, ut Salianus vertit: id est, infirmitatem, sexui suo congenitam, masculâ generositate exsuscitans. Mascula autem illa generositas, non ex impetu voluntatis, sed ex intellectûs ratiocinatione, ac fide, oriebatur: erat enim fortis, ac divinæ, & in æternis atque inconcussæ veritatis principiis nixæ, sapientiæ plena. Lumen istud à Deo acceperat, illoque rectè utebatur, congruè congruâ cogitatione.

Liberos hortata, & quomodò?

℣. 22. Dixit ad eos. Recitatur brevis exhortatio matris ad liberos omnes, ὕστερον πρότερον. Pronuntiata enim est ante mortem primi filiorum, nedum sexti; sive habitam velimus semel omnino generatim, sive sæpiùs repetitam sigillatim, quando singuli torquebantur: sed hoc potiùs crediderim, cùm Hagiographus matrem *singulos* hortatam dicat. Eadem autem ferè adduxit, quæ filii, aut eorum saltem primi repetiêre moribundi. Quippe altè penetrârant, & sederant bonæ matris ad bonos liberos monita, & hortamenta, ex Dei creatoris amore, remuneratoris acresuscitatoris aspectu petita.

Quomodò dicit se nescire ortum filiorum?

Nescio, quomodò in utero meo apparuistis. Hæc sola exhortationis particula quiddam habere videtur difficultatis. Quomodò enim nesciebat, inquit Aug. l. 9. de anima & ejus orig. ad Renatum capite 15. *quæ sciret de viro se filios concepisse; & à creatore omnium, sive secundùm corpus, sive secundùm animam & spiritum, sibi creatos esse?* Respondet nescisse, animáne ex traduce, an per novam originem ac creationem prodiisset: corporine formato, an informi conjuncta esset. Idem dicit lib. 5. c. 9. cont. Julianum. Sed, pace sapientissimi patris, non videtur *sapientissima mater, & facundior virtutibus quam fatibus*, sic ipse vocat, in tali articulo de talibus quæstionibus, jam decisis, tunc forsan non disceptatis, cogitâsse. Plana exhortationis sententia, & tempori convenientissima hæc est, de mira corporis fabrica, & coagmentatione: Corpora vestra, ô filii, in me formata sunt non à me, sed arte immensi conditoris: immolentur auctori, ab auctore reficienda tam facilè, quàm facta sunt.

Antiochi pudor, ex matris & filiorum constantia.

℣. 24. Antiochus autem contemni se arbitratus, id est futurum ut contemneretur, & *exprobrantis voce despectâ*, seu, ut ex Græco legendum videtur, *despectis*: id est, prævidens fore, ut probro ipsi esset, quòd tanto molimine nihil egisset; & de tot adolescentibus, eâ pœnarum atrocitate, nullum adhuc potuisset à patriis legibus abducere. Pudebat nempe, impudentem licèt hominem, frustrati toties conatûs. Ita ferè Salianus, aliique hunc locum explicant. Putârim tamen, non minùs commodè sic posse explicari, ut cùm præcedenti matris hortatione connectatur, hoc modo: *Antiochus autem*, iteratâ toties ad filios hortatione maternâ *contemni se arbitratus*; eâque hortatione, velut *exprobrantis voce, despectâ*, id est acceptâ exprobationis instar, seu suspicatus, ut vox Græca sonat, à matre eadem toties in contemptum suum, ac probrum iterari: in novissimum, qui supererat, artes omnes suas & ingenium, quà blanditiis, quà minis, statuit expromere.

Quotennis esset minimus natu?

Adolescentior dicitur, non comparatione modò aliorum, ætate priorum; sed reipsa, quòd puer adhuc esset, annis tener, & corpore pusillus: prorsus ut cum eo collocutura mater vers. 27. sit *inclinata ad illum*; quomodò matres solent curvare sese, & acclinare, cùm parvulos pueros blandè volunt alloqui. Deinde, cùm priores passim νεανίσκοι vocentur, id est *adolescentuli*: minimus natu ex illis non adolescentulus tantùm fuerit, sed puer, imò puerulus. Adde à Josepho, in ea ætatis notatione non omnino rejiciendo dici νέος, νεανίας, μεῖραξ, μειράκιον, μειρακίσκος: quarum vocum primæ nunc juventutem sonant, nunc adolescentiam, aliæ adolescentiam, & pueritiam; ultima ipsam infantiæ proximam infimam ætatem. Denique ab Hagiographo ipso tertius dicitur νεανίσκος, septimus μειράκιον. Jure igitur in Eleazaro diximus, cùm patrem eorum esse negavimus, *minimum natu* decennem forsan omnino fuisse, quàndo mortem obiit.

An virgines, ut cælibes omnes?

Neque immeritò ex annis censent multi, virgines omnes fuisse, aut nuptiarum expertes. Etsi Josephus existimet cælibes partim fuisse, partim conjuges, sed nondum patres: quòd in ea gente prorsus improbabile non est, ubi conjugia sterilitatis odio, & sanguinis calore, maturabantur, præterquam apud Essenos, & Assidæos, de quorum forsan numero hi fuêre, ut capite proximè superiore de Eleazaro etiam opinati sumus.

Antiochus adolescentulum promissis sollicitat.

Eum adolescentulum *non solum verbis*, non utique Hebræis, sed Syriacis, aut Græcis potiùs, *hortabatur* Antiochus, *sed & cum juramento affirmabat*, homo scilicet constantia fidei, & religionis integræ; *se divitem*, &, quod ad pecuniam cui obediunt omnia consequitur, *beatum facturum: & translatum à patriis legibus*, si solùm Judaicis cæremoniis renuntiâsset, *amicum habiturum*, inter purpuratos adlecturum: & res necessarias ei præbiturum, id est res suas, non ipsius; jam enim promiserat ipsi necessaria, cùm spoponderat fore *divitem ac beatum*. Græcè, hæc postrema particula sic habet, χρείας ἐμπιστεύσειν, id est, *negotia crediturum*. Spondebat ergo ipsi Antiochus, fore ut in amicos intimos adlegeretur, imò domui Regiæ præficeretur, providendisque necessariis œconomi titulo, & officio. Cyprianus ait, promissos illi ab Antiocho *potentatus*: Ambrosius *consortium secretorum*. Hæccine, inquis, puerulo decenni proponantur? Planè, sicut lac aut crepundia infantibus.

Ætas infirma facilè promissis lactatur.

Neque enim, istâ licèt ætate, adolescentulis desunt alti spiritus, quos promissa speciosa excitent, tantoque fallant faciliùs, quantò infirmius est ad inania pervidenda judicium. Neque ulla ætas magis credula spei est, quàm quæ rerum non est experta: quemadmodùm ætati contrà nulli difficiliùs persuadetur sperare, & credere; quàm cui experientia infidelitatem promissorum, & spei vanitatem, propiùs inspiciendam tangendamque admovit.

Matrem Antiochus sollicitat.

℣. 25. Sed ad hæc cùm adolescens nequaquam inclinaretur, nec caperetur iis omnibus, qui cum ipso lacte solidorum desiderium, & spem æternorum, hauserat: *vocavit Rex matrem, & suadebat ei, ut adolescenti fieret in salutem*, consiliis, ac blanditiis maternis superstitem filiorum unicum molliret, eriperetque suppliciis.

Illa Antiochum eludit responso amphibologico.

℣. 26. Cùm autem multis eam verbis esset hortatus, nunc affectum maternum sollicitando, nunc pollicitando, nunc comminando: ipsa, ut importunas sermocinationes abrumperet, promisit, *suasuram se filio*, ut de salute cogitaret, non temporali, sed æterna. Vides hic sapientem fœminam, vel amphibologia, vel ea

quam vocant restrictione mentali usam in tempore, & ubi jus erat, ad immanis Tyranni ludibrium.

Restrictionum in loquendo usus.

Eas loquendi formulas, quicumque in universum damnant, non hanc solùm Martyrem accusant, sed Sanctorum plurimos, & ipsum sanctitatis fontem Christum, & Deum. Deus enim homo in Evangeliis restrictè locutus est, non semel. Spiritus sanctus in Scriptura plus sæpe vult intelligi, quàm dicat; conditionesque, in promissis præsertim ac minis in speciem absolutis, non exprimit. Sed de istis Theologos consule, Emonerium præsertim, id est Theophilum Raynaudum nostrum ni fallor, in toto ea de re libro. Unum addo: cùm non infrequenter audierim disputantes, aut declamantes universim in omnem hujusmodi restrictionum usum, etiam qui in tempore, ac justè fiet: id notâsse, non alios fere earum hostes esse, quàm qui amant mendacia, ipsaque adeò perjuria; prorsus ut disputare credam, non amore, sed odio veritatis. Ejusmodi fuêre, qui Henrico Garneto, paullò ante mortem, & in ipso Societati nostræ universæ, amphibologiarum usurpationem objecêre, ab ipso sapienter refutati.

Mater verbis filium animat, & gestibus.

℣. 27. 28. 29. Itaque inclinata ad illum, quia parvulus erat, ut modò dicebamus: nam quod ait Salianus, forsan jam tunc jacuisse in carnificina excoriandum, nulla ratione credibile est: neque enim adhuc minis, aut vi, adversùs hunc egerat Antiochus; neque extorqueri defectionem volebat, sed suaderi. Mater ergo acclinis ad os pueri, forsan & ad amplexum, atque osculum demissa: *fili*, inquit, *miserere mei* &c. Primùm obtestatur illum ab amore materno, &, convenienter isti ætati, memorat uterum & lac; visceraque forsan ipsa, & mamillas, gestu designat. Deinde monet, ut cælum & terram aspiciat, memineritque Deum mundi & hominum creatorem; contemnatque, præ illius immortali omnipotentia, potestatem Regis mortalis. Nec dubito, quin cum dictis generosa mulier utrâque manu cælum, terram, Dei magnitudinem, Regis contemptum designârit; ut voce pariter, ac gestu, puerilis animus efficaciùs moveretur. Denique fratrum exemplum proponit, & *miserationem illam* magnam Dei, ubi misericordiæ ejus in æternum cantabuntur.

Insignis, & divina, ejus exhortatio.

Audis, & vides, aptissimam amori materno, accommodatissimam captui filioli, maximè consentaneam prudenti ac Fideli mulieri exhortationem. Incipit à sensu naturæ: ascendit ad spectabile mundi opificium, & divinitatis palpabile testimonium: desinit in æternæ felicitatis argumento. Quid tenerius, quid efficacius, quid sanctius dici poterat? Post Christi verba, & exempla, certiùsne ac fidentiùs de miserationibus æternis sentimus, & loquimur, quàm illa ante Christum natum? D. Cyprianus libro de mortalitate, imò Divus ipse Paullus, quod potentius solatium afferunt animandis fidelibus, de carorum jactura dolentibus, quàm fore, ut illos aliquando æternùm *in illa miseratione recipiant?* Isthæc mater dixit, amissis jam sex filiis per acerbissima tormenta, quassatis visceribus, laniato corde; toties moritura, quot viderat morientes, nisi vitam sustentaret fortitudo, donec septimi morte absolveretur.

Efficaciùs in ea brevitate fieri non poterat.

Malè de lectore suo, imò de fama sua meritus est Josephus, qui, supervacuis multis verborum ornamentis in declamatorios filiorum sermones impensis, tam elegantem in ea brevitate matris orationem omisit. At Doctores nostri eam non silêre: quamquam, ut eloquar quod sentio, ad vim & elegantiam istius ab Hagiographo traditæ, non attigêre, quia vel aliter dixêre, vel alia. Tres adducamus, primum tenerè, alterum ingeniosè, tertium piè matris dicta referentem; longè tamen, ni fallor, à gradationis illius, quam notavimus, suavitate & efficacitate.

Tenerè loquentem inducit Prudentius.

Tenerè Prudentius:

Me partu unus ut feracem gloriæ,
Mea vita, præstet, in tua situm est manu.
Per hujus alvi fida conceptacula;
Per hospitalem mensibus quinis larem,
Si dulce nostri pectoris nectar tibi,
Si molle gremium, grata sunt crepundia,
Persiste, & horum munerum auctorem adsere.
Quanam arte nobis vivere intus cœperis,
Nihilumque & illud unde corpus, nescio:
Novit animator solus, & factor tui.
Impendera ipsi, cujus ortus munere es.
Benè in datorem, quod dedit, refuderis.

Ingeniosè Ambrosius.

Ambrosius autem ingeniosè libro de Jacob & vit. beata capite 11. *Tu solus superes, fili, summa votorum meorum. Tu postremus clausisti partus meos, tu postremus conclude gaudia mea. Miserere mei, quæ te in utero tot mensium curriculo portavi: ne uno momento confundas senectutem meam, ne decolores tot fratrum tuorum trophæa, ne sacrum eorum comitatum relinquas, ne consortium deseras. Te adhuc sibi exspectant triumphi. Aspice in cælum, unde hausisti spiritum, ad patrem omnium: aspice in terram, quæ tibi antè alimoniam ministravit: aspice ad fratres, qui collegam requirunt: aspice ad matrem, quæ tibi lac dedit; redde mercedem pii sanguinis, noli à fratribus, noli à matre divelli. Temporales opes sunt, quas promittit Antiochus, temporales honores: perpetua corona, quæ à Deo omnipotente defertur. Vos mihi septem dierum lumina dedit Dominus: sextum jam diem clausi, & omnium opera bona valdè. Debes mihi, fili, ut quæ in illis sex laboravi, in te requiescam septimo, tamquam à sæculi operibus jam feriata.*

Piè Augustinus.

Inprimis piè Augustinus serm. 109. de div. *Hanc Antiochus persecutor velut matrem de ceteris filiis, matrilem computavit: Persuade, inquit, filio tuo, ne pereat. Et illa: Planè filio meo persuadebo, ad mortem cohortando: tu vis persuadere parcendo... Qualis autem collocutio, quàm pia, quàm materna, quàm inter spiritales & carnales in ambiguo suspensa! Fili, miserere mei, quæ te novem mensibus in utero portavi, cui lac triennio dedi, atque ad hanc ætatem perduxi. Omnes exspectabant verba consequentia: consenti Antiocho, noli deserere matrem tuam. Illa è contrà, consenti Deo, noli deserere fratres tuos. Si me quasi deseris, tunc me non deseris. Ibi te habebo, ubi ne perdam ulteriùs non timebo. Ibi te mihi servabit Christus* (cùm cælum sanguine suo reserârit) *unde non tollet Antiochus. Deum timuit, matrem audivit, Regi respondit, fratribus adhæsit, matrem traxit.* Pietate cum Augustino certare in hac historia poterat Cyprianus lib. de Exh. Mart. nisi putâsset nihil dici posse meliùs ipsissimâ Scriptoris sententiâ, quàm totidem fermè verbis expressit.

Quomodò lactârit triennio mater, & cur ad memoret?

In prima exhortationis parte aliquid difficultatis habet *lac triennio dedisse.* Sed eam Valesius cap. 83. Philosophiæ sacræ explicavit; docens, optimam & perfectissimam lactationem diuturniorem esse, triennioque absolvi, ex scitis priscorum medicorum. Sed neque oportet, ad illius dicti veritatem, ut toto triennio mater

filium

filium lactaverit: non magis, quàm ut totos dies tres Christi corpus in sepulcro manserit, ut triduum sepultus fuisse dicatur. Istam ipsam particulam ad affectum matris singularem spectare existimo, prolatamque ad teneriùs afficiendum adolescentulum. Solent matres iis liberorum diutiùs lac præbere, quos teneriùs amant, vel qui delicatiores sunt; quos etiam olim *μαμμοθρέπτους* *mammisugos* vocitatos, ait Aug. in psal. 30.

Textus Græcus expenditur.

Quod versu 27. habemus *crudelem tyrannum*, in aliquibus Græcis unicâ voce legitur *ὠμοτύραννον*, in aliis *ὠμὸν τύραννον*. In versu 29. quod habemus *ita fiet*, in Græcis quibusdam legitur, *ὅυτως γεγένηται*, *sic factum est*, refertúrque ea particula ad versum præcedentem, & ad creationem mundi, ac generis humani. Alia tamen exemplaria Græca jungunt istam particulam, ut Latina, cum sequenti versu, & legunt *οὕτως γίνεται μὴ φοβηθῆναι*, *sic fit, non timeri* &c.

Dicta septimi Martyris.

℣. 30. usque ad 39. CÙM HÆC ILLA ADHUC DICERET, impatiens moræ *adolescens*, & ad supplicium ardens, ab exemplis fratrum & matris exhortatione, *ait, quem sustinetis?* Quem manetis? Quid à me exspectatis? Speratisne adhuc, fore ut turpiter à legibus patriis deficiam? Non ergo in catasta extensus erat, aut ad supplicia admotus, cùm dicat sustineri adhuc se, id est protrahi, ac differri. Cætera verborum illius facilia sunt intellectu, neque ornatu indigent: pauca tantùm adverto.

Quomodò Antiochus omnis malitiæ inventor?

℣. 31. Vocat Antiochum INVENTOREM OMNIS MALITIÆ IN HEBRÆOS: id est, *omnis*, quæ tunc in Asiæ regno exercebatur; aut *omnis*, id est, Scripturarum phrasi non inusitatè, *maxima*. Alioqui alios non paucos tum in Syria, tum in Ægypto, tum in Assyria, tum in Perside, olim ac nuper, persecutores habuerat natio ac religio Judaica.

Quomodò modicum Deus iratus?

℣. 33. Dicit Deum iratum esse populo suo *modicum*. Ejus modici explicationem, comparatè ad alias Dei iras, dedimus ad c. 5. vers. 18. ubi Hagiographus eâdem formulâ utitur. Si sic Deus punivit *modicum* iratus, quomodò puniet quando seriò irascetur. Quomodò cruciabit, quos æternùm oderit propter peccata, *si sic cruciat, quos amat?* O Deus, *ne in furore tuo arguas me: hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.*

Martyres sunt cælestes pueri.

℣. 34. Quod habemus, IN SERVOS EIUS INFLAMATUS, Græcè est *ἐπὶ τοὺς δούλους αὐτοῦ ἐπαιρόμενος χεῖρα*; *in servos ejus manum extollens*: quædam exemplaria apud Nobilium habent, *οὐρανίους παῖδας*, *pueros cælestes*. Verè pueri cælestes; cælo-geniti, gratiâ Dei quæ cæli semen est, animati, cæli sedibus digni, quæ jam nunc illis destinantur; dandæ, postquam Dei Filius, cæli puer, terræ puer factus fuerit.

Quodnam judicium hicce Martyr Antiocho comminatur?

Quod versu 35. Martyr Antiocho comminatur OMNIPOTENTIS DEI, ET OMNIA INSPICIENTIS, JUDICIUM; quale illud est? Nam, ut August. ait in ps. 9. *duo judicia insinuantur in Scriptura, unum occultum, & aliud manifestum. Occultum nunc agitur... Judicium autem manifestum est, quo venturus est Dominus judicare... Qui ergo non corriguntur occulto Dei judicio, dignissimè illo manifesto punientur.* Imò tria sunt Dei judicia; primum, in hujus vitæ suppliciis; alterum, continuò ab obitu singulorum, quod Particulare dicimus; tertium, post Universi mortem aut mutationem per ignem, quod Generale appellatur. Terna isthæc judicia Martyri, quamvis puero, ex paternis maternisque documentis cognita esse potuerunt, ut Spiritûs sancti peculiares illustrationes taceam. Supplicia impiis, etiam in hoc ævo, inflicta commemorata sæpè audierat. Particulare judicium, longè ante pronuntiatam à Christo parabolam Epulonis ac Lazari, Siracides Eccl. 11. publicârat, post Trismegisti Asclepium. Generale Psalmista, Daniel, Malachias, aliique prophetæ Judæis prænuntiârant, ut Sibyllas prætermittamus. Ecquodnam ergo horum judiciorum tyranno Martyr intentat? Primum, opinor, sive occultum: ut sit vaticinii instar de tyranni morte, quomodò cap. 9. vers. 11. & 20. advertemus.

Judicii extremi comminatio, & partes substantiales.

Dici tamen non incommodè neque improbabiliter possit, ad judicium Generale ab hoc Martyre allusum: quemadmodum à quarto suprà vers. 14. *commemoratur resurrectio ad vitam.* Nec verò quidquam terrendis quamvis impiis, & obduratis, validius est, ut experientiâ constat. Judicii enim generalis post particulare finis est idem, qui judiciorum humanorum: ad proborum solatium ac securitatem, improborum terrorem ac pœnam, utraque instituta sunt. In utrisque homo judicat, quia sic decet, & expedit: in humanis incorruptus esse judex debet, diligens, sciens: in illo erit integerrimus, diligentissimus, scientissimus. In humanis judiciis caussæ quædam exemptæ sunt, de minimis non judicat Prætor sed pedaneus, de occultis ne Ecclesia quidem pronuntiat, nemo bis punitur in idipsum: extremo judicio caussæ nullæ liberæ sunt, cùm de verbo otioso ratio redditur, illuminantur abscondita tenebrarum, præteritur nihil nisi quod pœnitentiâ deletum est, quamquam & hoc ipsum ad misericordiæ divinæ commendationem aperitur. Exceptiones, effugia, procrastinationes, nexus à caussidicis, tricasque, & tergiversationes patitur humanum judicium: in illo decretorio *omnes manifestari oportet*, citra exceptionem, fugam, advocationem, commendationem, dilationem ullam. Apud humana tribunalia instant accusatores, & testes, falsitati obnoxii, corruptioni, pravis affectibus: apud tribunal Christi judex idem, accusator, & testis est; aut reus idem, testisque, & accusator suus, *testimonium reddente conscientiâ*, radiis ex mente & vultu Christi promicantibus illustratâ, & in ictu oculi sua cuique arcana prodente.

Sententia & executio judicii extremi.

Ex legibus, quia *judicium est actus legitimus*, homo fert sententiam, inæqualem aliquando, non rarò suspensam, sæpè inefficacem, artibus judicum executorúmve aliorum, quorum eadem quæ latronum, lenonum, proditorum, hæresiarcharum, diabolorum tessera est, *Maneamus in obscuris*. Christus ex lege Naturæ, Mosaica, & Evangelica, pronuntiabit clarissimè, irrevocabiliter, inappellabiliter, citra ullam executionis, per Angelos incipiendæ, per justitiam divinam æternitate universâ sanciendæ & continuandæ, frustrationem aut dilationem: tot consciis, quot erunt genii hominesque boni aut mali, quibus omnium bona & mala, ad justitiæ divinæ manifestationem, innotescent; Deo notitiam mentibus omnium simul imprimente, quam Beati lubentes perlegent ad Dei laudem, damnati legent inviti ad cruciamentum.

Ejusdem partes accidentales indicatæ.

Hæc tibi, Lector, humani divinique judicii parallela indico, sermonibus multis & nobilibus suffectura. Materiæ aliquid, ut isthæc extendas, & ornes, suggero tomo 1. Dominicis Adventûs in utroque Indice: & Eac. 1. ad cap. 16. lib. 1. sect. 6. Istis, ad judiciorum substantiam

 pertinentibus,

pertinentibus, adjice ad varietatem, quæ apud alios, nominatim apud D. Thomam in Supplemento, digesta reperies accidentalia, in judiciis etiam humanis attendi solita: tamquam, tempus, locum, apparatum. Quo apparatu prodibit Christus? Igne antecursore, vexilliferis Angelis, assectis Sanctis, in nubis solio, in amictu vibrantissimæ lucis. Quo loco? In valle Josaphat ex Sophoniæ 3. & ex Ascensionis monte; super quem, sublimis in aëre, spectabitur Christus à condemnatis ante tribunal reprobis per totam Terræ sanctæ longitudinem, & ultra, prout postulabit judicandorum multitudo. Quo tempore? Conjectura vulgaris est, fore post annorum sex millia, senis creationis diebus respondentia, ut bina millia legi Naturæ, Mosaicæ ab Abrahamo initium circumcisionis ducenti totidem, & totidem Evangelicæ data sint; afferunt & quidam D. Malachiæ, si tamen ipsius, symbola de Pontificibus: sed melius est hic cum Augustino ep. 78. *ignorantiam confiteri, quam falsam scientiam profiteri.*

Ad illud non provocavit Martyr, potuit tamen.

At verò, inquis, licuitne Martyri ad tribunal istud provocare Antiochum? Respondeo, comminatum esse, non provocâsse: & quamvis provocâsse faceremus, id tamen potuisse ex justitiæ affectu, non vindictæ impetu. Quod enim quidam universim cunctas istiusmodi provocationes damnare videntur, alii absolvere; meliùs tum hi, tum isti, sententiam diviserint: ut damnent provocantes ex turbido vindictæ studio, absolvant & laudent appellantes ex tranquillo justitiæ desiderio. Quale sine dubio desiderium fuit tum quarti Martyris, extremum Antiocho judicium apertè interminantis; tum hujus, seu istud seu aliud intentantis.

Sancti, ante Christum, quomodò sub testamento vitæ æternæ?

℣. 36. Dicit Martyr fratres suos effectos SUB TESTAMENTO VITÆ ÆTERNÆ: non dicit in vitam æternam admissos, sed hoc solùm, in vitæ æternæ testamentum adscriptos. Sapientissimè locutus puer Fidelis: divinissimè locutus Martyr, Spiritu sancto animatus. Quicumque enim tunc vitâ fungebantur sancti, eminùs tantùm aspiciebant repromissionem, nondum consequebantur hæreditatem: donec hæres Universorum venisset, & per suum sanguinem introîsset semel in sancta, æternâ redemptione inventâ. Sub testamento erant sancti, sed testamentum necdum erat resignatum: exspectabatur ille, de quo diceretur, *Dignus est Agnus, qui occisus est, aperire librum, & solvere septem signacula ejus.*

Vindicta publica quomodò liceat?

℣. 37. Invocat Deum Martyr, non solùm pro quiete & incolumitate populi Israelitici, sed etiam pro justa in tyrannum vindicta. Quatenus ejusmodi vindicta liceat, adeoque illius desiderium, diximus ad lib. 1. c. 2. vers. 67. Constat hic Martyrem non aliter desiderâsse, quàm ad Dei gloriam, cùm dicat: *Teq; cum tormentis & verberibus confiteri, quòd ipse est Deus solus.*

Tormenta & mors septimi.

℣. 39. 40. TUNC REX ACCENSUS IRA, & ægerrimè ferens animo, quòd in irritum blanditiæ omnes suæ ac minæ recidissent, *indignè ferens se delusum: in hunc super omnes crudelius desævit*, id est, majori impetu, & violentioribus indignationis indiciis: nam ad tormentorum materiam, excoriationes, mutilationes, ollas, sartagines addi, ad cruciandum adolescentuli corpusculum, quid poterat? *Et hic itaque*, iisdem ac fratres suppliciis, *mundus* sanguinis sui lavacro *obiit, per omnia in Domino*, debilitatem ætatis atque animi gratiis suis roborante, *confidens.*

Quâ morte defuncta mater?

℣. 41. NOVISSIME OMNIUM ET MATER CONSUMPTA EST: in cujus laudibus, etsi quidquid in hisce lucubratiunculis nostris chartarum est scribendo consumeremus, eas tamen nondum æquâssemus. Liber nullus tantæ fortitudini par est, præter librum Vitæ, & Scripturæ, exaratum digito Dei. Mortis genus in ambiguo nobis Deus & Hagiographus reliquêre. Josephus ait, ultrò in pyram insilisse, quomodò filiorum natu minimus in sartaginem. Sed autophonias illas, & voluntarios in mortem incursus, qui Judæo illi Stoicizanti, & Ethnicizanti valdè placuerunt, pro fictitiis habemus. Versio Josephi vetus, quæ Rufino tribuebatur nuper, nunc Erasmo falsario imputatur, habet raptatam, nudatam, laceratam, manibus in altum ligatis, uberibus sauciis flagellatam, pro gravidis mulieribus fusâ prece spiritum effudisse.

Videtur eadem, quâ filii.

Existimârim istâ voce, CONSUMPTA EST, ab Hagiographo significari, idem mortis genus matri contigisse, quod filiis. Neque enim Antiocho, in tantilli temporis angustiis, seu *sub unius diei tempore*, ut Hagiographus vers. 20. loquitur, licuit nova ad diversos cruciatus instrumenta comparare, aut ingenia impendere. Flagra, tauræ, cultri, secures, ollæ, sartagines, capiendis & absumendis filiis cum matre satis erant.

Gaudio mortuam aliqui arbitrantur.

Si tamen placuerit dicere gaudio consumptam, quòd matrem se Martyrum septem Deus esse voluisset, per me licebit. Gorionidem in ea sententia ducem habebis, non ineleganter describentem, stetisse super filiorum cadaveribus, ustulatis utique & frixis; passisque & elatis in cælum manibus dixisse: *O Deus excelse, Deus sæculi, abeam quaeso cum filiis meis, ego ancilla tua, in locum quem parasti tu:* &, cum dicto, mortuam corruisse. Pluris tibi meritò fuerit sententia Marii Victorini, quem Hieronymus eloquentiæ magistrum habuit, Augustinus in Confess. commemorat. Is in poemate de Machabæis, Biblioth. Patrum tomo 5. sic loquitur:

Dum puer ista gerit, solverunt gaudia matrem.
Jamq; ut erat laxata malis, jam voce negatâ,
Suspirans, interq; manus collapsa suorum,
Concidit exanimis, resolutaq; membra quiêrunt.
Sic ipsa, & nati, Sanctorum in pace recepta est.

Quod ait Victorinus, collapsam inter suorum manus, intellige famulas, & ancillas, qui matronam nobilem in extremo certamine deserere noluerant.

Quæ illius ætas?

Ætatem ipsius, à tribus Josephis, à Chrysostomo, aliisque passim omnibus grandævam, & senilem tradi, ait Serarius. Quod facilè concessero, si sexagenariam summùm esse, in muliere grande ævum & senium censendum est. Nam si decennis circiter fuit minimus natu liberorum; nec mulieres ultra quinquagesimum annum, in illis maximè regionibus fervidis, facilè pariunt; nec miracula, aut res extra ordinem, ubi necesse non est, fingi debent: consequetur, matronam illam sexagenariâ majorem dici non debere, posse minorem.

Est figura Ecclesiæ.

Figuram Ecclesiæ, filios suos ad æternè hortantis, facit Rabanus præeunte Isidoro lib. Alleg. & Prospero lib. de præd. & prom. Dei p. 2. c. 40. Ante Prosperum Augustinus sermone 110. de diversis: *Una mulier, una mater*, inquit, *quomodò nobis ante oculos posuit unam matrem sanctam Ecclesiam, ubique exhortantem filios suos, pro illius nomine mori, de quo illos concepit, & peperit?* Divus item Gaudentius Brixianus in tractatu de Mach.

Octava

Octava & ipsa accessit numero, ad octavum Christi resurrectionis diem, cum carie pignoribus, occursura. Vnde non immeritò præsumitur ista mater beatissima Ecclesiæ sanctæ imaginem præmonstrâsse, quæ spiritales Deo filios parere consuevit, nihil de carne & sanguine cogitantes.

Matres illi similes.

Matri illi beatæ tulit Ecclesia duas pares, aut suppares, quidni dixero superiores ob gratiam Christi, Fælicitatem ac Symphorosam. Etsi Divus Chrysostomus, homiliâ de Machabæis, dicat: *Septem Martyres nescio an um unquam protulisse uterum, & ipsam eis matrem gloriæ sociam in consortio passionis appositam.* Ita eloquentissimus Doctor, cui aliquid historiæ Ecclesiasticæ ignorâsse, vitio vertendum non est: nec scire fas est omnia.

Christiani similes filiis.

Filios imitati in Christiana juventute, adolescentiâ, pueritiâ, imò infantiâ, plurimi. Tales pueri apud Lippomanum in historia sancti Luciani Martyris: qui verberibus affecti, & sinapio per Sophistam cruciati, cibos tamen vetitos edere noluerant. Rusticani item illi apud D. Greg. lib. 3. dial. c. 37. qui Longobardis ad immolatitias carnes manducandas urgentibus, ne vetitum comedendo, conditorem suum offenderent, elegerunt gladiis vitam finire. Neque absimiles Malabares adolescentuli apud Maffæum, hist. Ind. l. 16. qui à Turcis capti, & ad religionem ejurandam blanditiis, minis, verberibus, adipis liquati instillatione, solicitati, constantissimè renuêre; prorsùs ut Turci obstupefacti ab iis ultra vexandis destiterint. Pueros, & adolescentulos, pari constantiâ ignium atrocitatem tolerantes, imò in ipsa incendia irruentes, exhibet D. Aretæ historia. Narrationes rerum Japonicarum plurimis istiusmodi exemplis abundant, impuberum puerulorum, & virguncularum flamas invictâ constantiâ patientium, & in ardentium carbonum cumulo insistentium, velut in acervo ex rosis congesto.

Reliquiæ Machabæorum.

De reliquiis Machabæorum Martyrum nusquam meliùs, ac breviùs, quàm à Serario narratum invêni. In Martyrologio, inquit, Romano dicuntur *eorum reliquiæ Romam translatæ, in Ecclesia S. Petri ad vincula conditæ. Sed Coloniæ Agrippinæ virginum cœnobium est, & Ecclesia, quæ olim beata Magdalena, nunc ab annis jam quadringentis Machabæorum dicitur: in cujus altari summo capsa deaurata, & in ea septem istorum Machabæorum, & matris, capita visuntur. Quæ quidem ejus loci liber (ab Helia illo Marco, qui anno Domini 1504. templum illud eâ formâ & venustate, quâ hodie stat, restituit, cuiq; correctum à se Iosephi de Machabæis libellum Erasmus dedicavit) è Patribus & annalibus variis continuatum, refert: Antiochiâ primùm translata Constantinopolim; deinde ab Eustorgio Mediolanensi Episcopo Mediolanum, hinc verò ab Archiepiscopo Coloniensi Reginaldo Coloniam, cùm scilicet anno 1160. Mediolanum iterum obsedisset Federicus Imperator. Eadem pluribus narrat Cratepolius.* Cætera, si lubet, vide apud Serarium: hæc enim nobis sufficiunt.

Martyrum Christianorum exemplar.

In Martyrum istorum factis & verbis erant, quæ de fidei excelsitate, spei fortitudine, caritatis victoria dicerentur, nisi de illis pro modo nostro, ad librum primum dixissemus. Nunc satis nobis fuerit, in fratribus septem, incensæ erga Deum caritatis ardore sartaginum & ollarum ardorem vincentibus, & spe vitæ æternæ sese animantibus, Martyrum nostrorum, iisdem cogitationibus tormenta ignesque vincentium, exemplar invenire.

Cur Machabæorum festum in Ecclesia celebratum?

Disceptatum aliquando fuit, cur in Ecclesia Christiana culti potissimùm de veteris Ecclesiæ Martyribus Machabæi: cur, D. Augustino serm. 109. narrante, templum memoriæ illorum Antiochiæ excitatum: cur festi dies indicti, quos magno conventu celebratos D. Leo in serm. de Machab. luculentus testis est: cur hodieque in Officio divino ab Ecclesiasticis omnibus, ritu ipso Romano, commemorentur? Respondet ibidem Augustinus: *pro Christo mortuos Machabæos, in lege velato... Ideò non incongruè, neque importunè, imò convenientissimè, dies eorum, & solennitas eorum, à Christianis potiùs celebratur.* Bern. ep. 98. inter alia multa super hoc argumento disceptata: *Quoniam*, inquit, *similes illos fecit Martyribus Christianis non dissimilis veritatis confessio, meritò eos similis prosequitur veneratio.* D. Leo ab insigni eorum fortitudine rationem ducit: *Nec immeritò dignè Ecclesia horum exaltat martyrio, quorum ornatur exemplo.* Ita etiam Gaudentius: *Formam tolerantiæ præbuerunt isti beatissimi fratres futuris post passionem Christi Martyribus.*

Vera ratio; ex fide ac spe æternorum, & ardenti caritate.

Rationes tres adducit Serarius: primam ex D. Thoma, quia Martyres tam expressam cælestium bonorum rationem reddiderunt, id est, mentionem fecerunt: alteram, quòd de nullis tam disertè, & copiosè narretur, mortuos in religionis caussa: tertiam, ex admirabili martyrii novitate, & utilitate atque efficacia exempli, ad ætatem quamvis imbecillem animandam. Rationes omnes in unam congero; Ideò Martyres isti in Ecclesia Christi memorantur, quia in gravissimis suppliciis, pro religione toleratis, non aliâ sese magis cogitatione armârunt, quàm Christianis à *Christo* proposita, ex debito caritatis, & spe mercedis æternæ.

Divi Laurentii cogitationes similes.

Quid aliud cogitavêre Vincentii, Procopii, Clementes, aliique innumeri, tum priscæ, tum recentioris memoriæ Martyres, inter ignium dira supplicia? Quid aliud Laurentius, meus à teneris patronus, quando in craticula extensus, ut eò acrius torqueretur, *diu vivere permissus* est; *imò non diu vivere permissus, sed tardè mori compulsus est?* Quando tostis & hiantibus igne carnibus, assatoque latere uno, & medullis ipsis lentarum flamarum vi æstuantibus; mansit tamen in tanta tormentorum acerbitate securus, & potens sui, velut Salomon in lectulo custodibus sexaginta vallato, aut Elias in igneo curru cum vectoribus Angelis? Utinam in pectoris istius arcanos sinus, quò flamarum ardor pervasit, penetrare possimus: & illic cogitationes intimas intueri?

Ex ejus verbis intellecta.

Audio loquentem, & mentis secreta patefacientem: *Interrogatus*, inquit Christo, *te Dominum confessus sum, assatus gratias ago.* Miramini Jobum gratias agentem in fimeto; magis miremini Laurentium idem facientem in incendiis. Laudatis tres Hebræos, in fornacis innoxio busto, benedicentes Dominum: magis laudate Laurentium, inter noxii rogi ardores, Domino confitentem. Quid autem est, quo de potissimum gratias agit? *Gratias*, inquit, *tibi ago Domine IESV, quia januas tuas ingredi merui.* Cratem suam aspiciebat velut januam cæli: corporis sui rimas, ac fissuras, intuebatur, velut apertum de carcere exitum, per quem animus ad beatitudinem æternam evolaret.

Spes beatitudinis Martyribus exstulisset?

At nonne altiori præterea cogitatione excitatus Laurentius, citra mercedis spem, solâ placendi Deo caritate, supplicia pertulisset? Planè

tulisset;

c'tandis proposita.

tulisset: *nam segnior fuit ignis, qui foris ussit, quàm qui intus accendit.* Caritatis tamen flamam jugis beatæ spei lumen: quod Martyribus proponebat Tertull. lib. ad Martyr. *Etsi corpus includitur, etsi caro detinetur, omnia spiritui patent: vagare spiritu, spatiare spiritu: & non spatia opaca, aut porticus longas propone tibi, sed illam viam, qua ad Deum ducit... Nihil crus sentit in nervo, cum animus in cœlo est.* Eodem argumento utebatur Cyprianus lib. de Exh. Mart. *Durat fortis, & stabilis, religiosis meditationibus fundamentis, & adversùs omnes diaboli terrores, & minas mundi, animus immobilis perstat, quem futurorum fides certa & solida corroborat.* Idem nobis inter tribulationum æstus, & tentationum incendia, quod Martyribus contingeret, si eadem nos fides animaret.

Cur septimus filiorum strumosos curet?

Attexo hic non incongruam quæstiunculam, de septimo filiorum è Christianis parentibus, serie non interruptâ. Strumosos curare dicuntur: & mihi constat ex certa oculorum fide. Video enim quotidie post ejusmodi contactum sanos, quos antè strumis deformatos vidi. Nec dubium esse potest, quin sanitas inde provenerit, post tentata incassum adversùs contumax malum alia omnia remedia. Ecqurnam verò id prærogativæ, septimo potissimùm è filiis, à Deo mirandorum auctore datum est? Cur filiabus ita denegatum, ut si earum nativitas filiis intercurrat, prærogativæ virium su: nec tunc quidquam in strumas juris sit septimo filiorum?

An ex Martyrum septenario?

Ratio, aut conjectura, mihi aliqua peti posse videbatur, ex sanctorum Martyrum nostrorum septenario, & ex illustrissima generositate septimi ac minimi filiorum: cujus honori id Deus dederit, ut qui apud Christianos eodem numero & ordine nasceretur, miracula patraret. Addi poterunt ex Ecclesiæ fastis, D Fœlicitatis filii septem, totidem Divæ Symphorosæ: septem item fratres milites à Maximiano discincti, & egestate enecti Satalæ in Armenia. Repetentur etiam ex veteri Testamento septem filii, quos Jobo dedit & abstulit, ac deinde totidem quos reddidit Deus: item septem liberi Tobiæ Junioris. Ad extremum septenarii numeri mysteria, ex Philone Judæo, Gregorio lib. 35. Mor. cap 7. aliisque scriptoribus, congerentur: cùm Dominus benedixerit diei septimo, eumque esse quietis numerum voluerit.

Vetúsne sit ea prærogativa septimi filiorum?

Sed cur istius prærogativæ apud priscos mentio nulla, quam ego quidem viderim; esse tamen debuerat, si prærogativa data est istorum Martyrum memoriæ? Cur modò qui septimus apud nos nascitur, fit illi Ludovico nomen; velut ad D. Ludovici Francorum Regis, cujus etiam posteri strumosos curant, memoriam? Cur non jejunio tantum, sed expiatione peccatorum, & sacræ Eucharistiæ participatione, comparat sese ad strumosicurationem septimus filiorum: cùm Sacramenta ista Martyribus nostris, nisi per tenuem umbram, nota non fuerint? Responderi possit; apud priscos eamdem in usu prærogativam fuisse, licet nusquam memoretur; nec verò à scriptoribus omnia memorata sunt. Septimo filio Ludovici nomen dari, quia D. Ludovico eadem fuerit strumosos curandi prærogativa; non quòd istius prærogativæ Deus in D. Ludovico initium fecerit. Si cui hæc responsa non satisfaciant, lubens vel ab ipso, vel cum ipso aliunde, meliora exspectabo. Nostra enim, excitandæ magis, quàm decidendæ, isti quæstiunculæ proponimus.

E X C U R S U S

Ad cap. 7. v. 20. Supra modum mater mirabilis.

De D. Virgine, matre mirabili.

SECTIO PRIMA.

Quàm mirabilis Virgo inter dolores Passionis?

I. D. Virgini gratum Ad mirabilis matris elogium.

ENCOMIUM istud, septem Martyrum constantissimæ matri à Spiritu sancto adscriptum, ita D. Virgini propriè convenit, ut illi tantùm in ipsius figuram tribui videatur. Itaque in Litaniis Lauretanis Ecclesia ipsam compellat, *Matrem admirabilem.* Quem titulum ex omnibus earum Litaniarum sibi præcipuè placere, aliquando Patri nostro Rhem dixisse fertur; & exinde ab isto Patre solitum iterari in Litaniis recitandis, curarique iterandum per suos, tamquam D. Virgini præ cæteris gratissimum. Solitus etiam identidem isto titulo Virginem compellare, *Mater mea, Mater admirabilis.* Anchietæ, Brasilorum thaumaturgi, socius ac discipulus, alter ipse thaumaturgus, Pater Joannes Almeida, è Societate nostra: de quo magna & mira narrat Historia Societatis Anglicana lib. ult. Est verò *mater mirabilis*, & quidem *supra* omnem humanæ virtutis *modum*: longè supergressa quidquid uspiam excelsum vidit sacra, profanaque antiquitas. Quod cùm in omnibus ejus vitæ partibus appareat, ut postmodùm videbimus: tum vero maximè in patiendo apparuit, præsertim in Calvariæ monte; ubi Martyrum Regina Martyrum Regem morientem spectavit, mortuum complexa est.

II. Quæstiones octo...

Quatuor de doloribus ipsius quæri possunt: primum, an doluerit; deinde, quantum doluerit; tertiò, quomodò dolorem tulerit; denique, cur eam Deus dolere voluerit. Eas quæstiones singulas exequemur, dicemusque fusiùs, quæ nostra

nostra esse putabimus: quæ autem aliena, inventuque apud alios facilia, indicabimus solùm. Vates Regius psalmo 55. versum unum habet magni pro afflictis quibusvis solatii: *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*, ut eas, velut rem admodùm tibi caram & delectabilem, perpetuò intueare. Oculis nostris gratus est fontium aspectus: divinis gratissimi sunt fontes lacrymarum nostrarum, benè & ex mensura fluentium. Legunt alii, *Posuisti lacrymas meas in utre*, sive in lagenula, quemadmodùm pretiosi liquores, odoratique, & medici, ad usum reponi, ac servari solent. Legunt & alii, *Posuisti lacrymas meas intra te*, non tantùm *in conspectu, aut utre tuo*, sed intra teipsum: quasi inferior sit pretio lacrymarum nostrarum locus omnis alius; debeantque tam nobiles gemmæ, & uniones, in ipsum Dei sinum fundi, ibique recondi in theca memoriæ æternæ. *Sicut & in promissione tua*: vel, ut alii etiam legunt, *in numeris seu cifra tua, in commentario & rationaria tuo*, ut guttulas singulas in numerato habeas, earumque apud te pretium in libro vitæ. Tantine ergo à Deo homuncionis lacrymæ fiunt? Quid enim est, ut visites eum, & dignum ducat aperire super hujuscemodi oculos suos? Sed si tanti illæ, quanti ergo lacrymæ Matris? Servari aliquas ab hominibus etiamnum ferunt, reliquiarum instar, & honorari à pia plebe, & meritò: si adhuc, ut aiunt, integræ sint, & humoris illibati, & velut ab oculis recentes, quod supra communem vim naturæ est. Servemus nos, non aliquas, sed omnes; easque in conspectu, in thesauris, & rationariis nostris, ut liquorem medicum, ut gemmas pretiosas habeamus. Tobias filio commendans matris amorem, & honorem cap. 4. *Memor esse debes*, inquit, *quæ & quanta pericula passa sit propter te*. Propter nos passa est Diva Mater, cum Filio: memores eorum simus, ea cordi infigamus, illis ad amorem & honorem ipsius accendamur.

III.
An Virgo dolere potuerit?

Doluitne verò ista tam excelsæ mentis Heroina, tam elevati supra sortem omnem humanarum vicissitudinum spiritûs? Decuitne animum tam constantem tristitiâ tangi? Potuitne mærore morderi, & concuti, cor tam paratum, & tranquillum? Difficile enim intellectu est, ecquonam pacto summa fuerit in D. Virginis mente serenitas simul, & tempestas; quomodò eodem loco juncta bellum & pax. Ut nihil dicamus de firmissima spe, ac fide, post triduum resurrecturi Filii, adeoque jacturæ non diu duraturæ: dubitari certè non debet, quin voluntatem habuerit perfectissimæ subjectam divinæ, & ab ejus nutu suspensam, omnisque amantem, quæ illa vellet. Atqui & hoc indubitatum est, ex perfectissima conjunctione voluntatis humanæ cum divina, existere pacem altissimam, & imperturbabilem: quod Taulerus in celebri illo suo mendico pinxit, nos sat multis probavimus, sectione ultimâ partis quartæ de Bona voluntate. Adde D. Virgini passiones suas omnes, adeoque & tristitiam, in potestate fuisse; huic ergo nihil adversùs quietem ejus interiorem licuisse: quin *talis est sapientis animus*, ut Seneca loquitur ep. 59. *qualis mundi status supra Lunam: semper illic serenum est.*

IV.
An dolor & tristitia eam decuerit?

Sed ut demus, tristari, & ægrimoniâ vexari potuisse: an non dedecuit tamen? Sapientis cujusdam, apud Martinum Dunensem libello de Moribus, præceptum est: *Tristitiam, si potes, ne admiseris: sin minùs, ne ostenderis.* Non jam, pro exemplo infractæ, & mæroribus intactæ fortitudinis, produxero Martyrum nostrorum *matrem, fœminea cogitationi viriles animos inserentem*, & siccis oculis septem funera spectantem: non sanctam Fœlicitatem, quæ totidem filios sic timuit post se vivos relinquere, sicut aliæ matres timent, ne mortuos præmittant; non Melitonis matrem, vivum filii funus, cadaverque adhuc spirans, humeris suis ad sociorum quadraginta Martyrum corpora, eodem rogo comitanda, exportantem: non Alexandri Setoni uxorem apud Spondanum anno 1333. filios duos, ab Anglis ad urbis Barvicanæ mœnia suspensos, sine ullo doloris sensu intuentem, imò eorum morte præ urbis, quam Scotiæ Rex marito suo tuendam dederat, deditione gaudentem. Fortitudinis, cum vera erga Deum religione ac fide conjunctæ, generosa ista exempla sunt. Infidelem adducit Tertullianus lib. 1. ad nationes, quæ plurimas in urbe Atheniensi amicorum carnificinas spectavit inconcussa, & novissimè suam tulit, ultroque incurrit: *Tormenta mulier Attica fatigavit tyranno negans: postremò, ne cederet corpus & sexus, linguam suam pastam exspuit, totum eradicata confessionis instrumentum.* Anthologiæ Græcæ l. 3. encomium legitur Dæmeneiæ, Spartanæ mulieris, quæ filios octo, ab hostibus cæsos, in sepulcrum siccis planè oculis intulit, aliud nihil elocuta; quàm. *Istos tibi Sparta nutrieram.* Ut mirum non sit, Tynnichum, senem Spartanum, relato ad se Thrasybuli filii corpore, septem adversis vulneribus acceptis occisi, illud de scuto, in quo relatum erat, in rogum devolvendo dixisse: *Fleant ignavi: at non ego, & hunc, & meum, & Lacedæmonium.*

V.
Lacrymæ indecoræ fortibus animis, nisi ob damna spiritualia.

Decuit mulieres illas tanta fortitudo, ut sensum omnem de carorum funeribus excluderet: deceátne Matrem Dei tam tenera, ut mortem Filii sentiat? Præsertim, cùm indecoras esse fortibus lacrymas, sancti viri nos exemplo ipso suo docuerint, ut advertimus Exc. ad c. ult. lib. 1. Mach. sect. 3. num. 3. nec necesse est hîc à nobis iterari. Afferri etiam possit sententia Petri Cellensis, lib. de Panibus c. 12. *Sterilis est omnis effusio lacrymarum, quæ non effunditur propter regnum cælorum: inanes sunt lacrymæ, quas damnum vel incommodum extorquet corporale. Flendum solummodò est, aut pro peccato commisso, aut pro amisso paradiso.* Tum istud D. Leonis serm. in festo Sanctorum: *Religiosa tristitia aut alienum peccatum luget, aut proprium. Nec de hoc dolet, quod divinâ justitiâ agitur; sed de eo mæret, quod humanâ iniquitate committitur. Ubi magis plangendus est, faciens maligna, quàm patiens: quia injustum malitia sua demergit ad pœnam, justum tolerantia ducit ad gloriam:* Illuc quoque facere videtur istud Exodi c. 22. Dei præceptum: *Decimas tuas, & primitias non tardabis reddere*; seu, ut ex Hebræo aliqui vertunt, *Plenitudinem tuam, & lacrymam, non tardabis reddere.* Ubi lacrymæ & primitiæ conveniunt, eodemque vocabulo signantur; tum, quia lacrymæ sunt velut primi fructus humanæ nativitatis, & quilibet hominum primam vocem similem cæteris emittit plorans: tum quia lacrymæ, primitiarum instar Deo consecrandæ, ob carorum mortem effundi non debent.

VI.
Decuit D. Virginem tristitia de passione Filii.

Statuendum nihilominus, decoram omnino fuisse Dei Matri tristitiam, imò & humanitati debitam, ac caritati: quâ de re aliquid diximus Excur. ad c. ult. l. 1. sect. 3. num. 4. *Neque enim pondus virtutis est insensibilitas cordis*, ut Gregorius de Jobo dicebat: nec vera ac sana mentis per-

fectio

ſectio ἀπάθειαν agnoſcit; ſed paſſiones moderatur, iiſque habenas laxat ex præſcripto rationis, cùm natura & æquum poſtulant. Æquum autem fuit, ut Virgo mortem Chriſti & tormenta ſentiret; primùm, quia mater; deinde, quia talis mater, charitatis plena, & miſericordiæ, quæ iſtius filia eſt. Monuit Paullus, caritatis eſſe, *flere cum flentibus*. Videt in Cruce moribundum filium Virgo, orantem *cum fletu & lacrymis*, imò cum ſanguine; nec paucas, lacrymis ejus ac cruori, lacrymas miſceat? Miſericordiæ opus eſt, apud ſapientem Siracidem, producere ſuper mortuum lacrymas: eas non producat mater ſuper Chriſti corpus exanime, cùm de Cruce in ejus brachia deponitur? Non fleat mater, cùm effertur ad ſepulcrum *filius unicus matris ſuæ, & hæc vidua erat*: inclamante undique natura verbis Latini poetæ,

> *Quis matrem, niſi mentis inops, in funere nati*
> *Flere vetet?*

VII. Servatum ab illa decorum.

Bernardus, non multò ante mortem tempore, agens de Gerardi fratris ſui morte ſerm. 26. in Cantica, indecora ſibi verba iſthæc non cenſuit: *Cùm eſſemus cor unum, & anima una; hanc meam pariter atque ipſius animam pertranſivit gladius, & ſcindens mediam partem locavit in cœlo, partem in cœno deſeruit. Ego, ego, illa portio miſera in luto jacens, truncata parte ſui, & parte potiori: & dicitur mihi, ne fleveris?* Quæ frater ſanctus de ſancto fratre dixit, & de ſe; tribuantur, paucis mutatis, Matri virgini de Deo Filio ſuo: parumne tantæ ſanctitati, & æquanimitati convenient? Non illam effingo, qualem pictores quipiam, inter manus adſtantium animo linquente collabentem. Non narro deliquia, nec loca ſpaſmis ipſius notata commemoro, ut aliqui recitant. Non longos leſſos lugubres ipſi tribuo: quemadmodùm poetico more Gregorius Nazianzenus tragœdiâ de Chriſto patiente. Etſi enim dici talia lamenta poſſunt, & accidere ſyncopæ, ſine imminutione virtutis; quis gravis opus naturæ non deſtruit: Virgini tamen non adſcripſiſſe malurim, quia Evangeliſta non jacentem, non agitatam, non diſtortam, ne ſedentem quidem pingit, ſed ſtantem juxta Crucem. Steterit igitur rectiſſimo animo, & corpore; & ſimul triſtitiam in cor admiſerit, fletus honeſtos, ac modeſtos, ex oculis dimiſerit.

VIII. Potuit ſimul tranquilla eſſe, & triſtis.

Iſtud verò eſt, quod intellectu aſſequi vix poſſumus; ſtetiſſe tam recto & infracto animo, doluiſſe tamen, & fuiſſe lacrymatam. Ecquonam id pacto fieri potuerit? Quonam modo in animum eumdem tam contraria convenerint: ut gauderet ſimul, & triſtaretur; angeretur ſimul, & tranquillus foret? Jam pridem ea quæſtio à Patribus, de Chriſti triſtitia & agonia in horto agentibus, deciſa eſt. Fuit in eadem anima mæror, & gaudium, ſed ſecundum partes ejus diverſas: ille in inferiore, hoc in ſuperiore. Anima Chriſti, quà paſſiones ſeu propaſſiones habebat, & ſenſitiva erat, corporique adjuncta, triſtis fuit: quà verò erat rationalis, lumenque ſcientiarum divinarum ſequebatur, triſtitiam non admiſit; nedum quà Deum intuebatur, ejuſque conſpectu continenter & ſummè gaudebat. Similem in modum de D. Virgine diſſeramus. *Fuit in ea*, ut ait Toſtatus in c. 9. Deut. *ſimul dolor, & gaudium, utrumque magnum*: dolor in ſenſu, gaudium in ratione: dolor ex natura, gaudium ex gratia: dolor de jactura Filii, gaudium de certa & læta intra triduum recuperatione: dolor ex voluntate humana, gaudium de voluntate Dei. Ætnam montem ferunt, cùm ex una parte vomit incendia, alterâ tamen interdum vel pulcerrimis floribus veſtiri, vel fulgidiſſimis nivibus operiri: inde natum iſtud poetæ;

> *Scit nivibus ſervare fidem.*

Ardebat in Virgine Paſſionis incendium: ſimul formoſi flores, & intemeratæ nives, candidiſſimæ pacis ac lætitiæ ſpectabantur. Ut non immeritò mihi videatur in monte Calvariæ vocari poſſe, *Sancta Maria ad nives*? Quomodò enim æſtate, per caniculæ ardores, nix multa templo locum Romæ deſignavit; ita in æſtu paſſionis Chriſti, & compaſſionis maternæ, nix plurima templum Spiritûs ſancti cor Virginis ſignavit, illuſtri caritatis miraculo. Neque abſimile eſt, quod animabus in Purgatorio accidit: dolent enim acerbè de jactura ſua, ejuſque cauſsâ, ſimul gaudent juſtâ Dei voluntate, & ſpe affuturæ in proximo libertatis.

IX. Triſtitia noſtra ne ſit immoderata.

Utinam & nos ſic dolere diſcamus, ut tranquillitas animi nobis non pereat; ſic mala noſtra ſentire, ut lætitia non abjiciatur; ſic lacrymari, ut decorum non mergatur; ſic naturæ debitum tribuere, ut gratiæ divinæque voluntati, quod par eſt, non ſubtrahamus. Securè tunc; ac verè, inter calamitates noſtras, dicere licuerit: *Poſuiſti, ô Deus, lacrymas noſtras in conſpectu tuo, in utre tuo, intra te*; ut, in terra fuſas, in cælo reponas, & æternâ lætitiâ compenſes. Eò mentes noſtras, ô pia Mater, erige, firma cor noſtrum, & delicatas nimis ad tolerandum voluntates robora, vi exempli tui, & ſubſidio gratiarum, quas pretio lacrymarum tuarum nobis à Filio tuo potes impetrare. Numquam in id ſaltem triſtitiæ delabamur, ut æternæ ſit prægultus. Talem enimverò aliquam eſſe cenſuit Auguſtinus lib. 12. de Gen. ad lit. c. 33. *Illud, quod Iacob dixit ad filios ſuos, Deducetis ſenectutem meam cum triſtitia ad inferos: videtur hoc magis timuiſſe, ne nimiâ triſtitiâ ſic perturbaretur, ut non ad requiem Beatorum iret, ſed ad inferos peccatorum. Neque enim parvùm animæ malum eſt, triſtitia: cùm etiam Apoſtolus cuidam ſolicitè timuerit, ne majore triſtitiâ abſorberetur.*

X. A Virgine lenimentum.

Apud Spond. anno 1203. imago D. Virginis Damaſcêna oleo manavit; quo, ut ad Excurſûs calcem memorabimus, in confluentes diſtributo, conſanuêre multi, ipſorum etiam Saracenorum, in his Damaſcenus Soldanus. Cujuſmodi ea imago formam Virginis exhibuerit, neſcimus: communine ac conſueto habitu, an qualè cùm *plorans ploravit in nocte* tenebrarum meridianarum patiente Filio, *& lacrymæ ejus in maxillis ejus*. Sed qualiſcumque illa fuerit, computruit jugum à facie olei, & ſtillantis inde miſericordiæ in Mahumetanæ ſuperſtitionis fœda mancipia. *Vigilavit* equidem *jugum iniquitatum noſtrarum*, vindictamque divinam ad dolores nobis diſpertiendos provocavit; quos indecorè interdum, & cum turpi immoderatæ mæſtitudinis ægrimonia, excipimus. Sed *computreſcat jugum à facie olei*, & miſericordiæ ſuaviter ſtillantis à dolente Virgine. Ejus exemplo, ac patrocinio, ita quantoſvis triſtitiæ ingruentis incurſus conemur excipere, ut indecorum nihil admittamus; & ſic ſeminemus in lacrymis, ut cum exultatione metamus.

SECTIO SECUNDA.

Quantum D. Virgo doluerit?

I.
Quomodò D. Virgo Regina sit Sanctorum?

CUM in Litaniis audio D. Virgini tribui titulum Reginæ Ordinum omnium Beatorum; simul sese offerunt animo meo virtutes, Ordinibus singulis respondentes: quibus in virtutibus quis eximia fuit D. Virgo, simul eximium Reginæ inter omnes nomen mereatur. Angeli faciunt voluntatem Dei, & vocem sermonum ejus, neque abjectissima quæque officiá erga homines dedignantur, ubi Deus jubet, obedientiâ itaque nihil in illis magis mirum, & spectabile: quam cùm maximè coluerit *Ancilla Domini*, quæ sibi fieri semper optavit, *secundùm verbum* Dei, meritò Angelorum obedientium, Regina est. In Patriarchis, & Prophetis, fides & spes in Deum elucent; ambulabant enim coram Deo, & deducebantur per vias rectas, nixi patrocinio viventis, & videntis ubique, viventes & ipsi & videntes per fidem: D. Virgo meritò Regina illorum est, cui à prophetide Elisabetha dictum, *Beata qua credidisti.* Apostolorum præcipua virtus est caritas, & zelus animarum, qui illos impulit, ut euntes in mundum universum, docerent omnes gentes: meritò & illorum Regina est Diva Virgo, quæ Reginam illam virtutum omnium singulariter excoluit, ipsique & saluti animarum lubens Filii sui mortem donavit, verè *Mater pulcra dilectionis, & fortis ut mors.* Confessores humilitatem, & sanctum silentium amant: Regina illorum esse debuit Virgo, cujus Dominus humilitatem respexit, ancillæ suæ; quæ verba omnia divina studiosissimè conservabat, conferens in corde suo. Virginum propria laus est, puritas: quæ cùm eminentissimè eluxerit in Virgine, illarum etiam proprio jure Regina est.

II.
Cur Martyrum Regina?

Eodem prorsus jure Martyrum Regina dicitur: quia cùm Martyrum sit fortitudo & patientia in dolore ferendo, eos superavit omnes, maximis omnium doloribus fortissimè & patientissimè toleratis. Non de fidiculis, pectinibus, equuleis, nervis, scorpionibus, ignibus, crucibus, aliisque tormentorum generibus agimus, quibus tyrannorum feritas Martyrum virtutem exercuit: sed de internorum dolorum atroci carnificina, longè exterioribus quibusvis acerbiore. *Omnis* enim *plaga, tristitia cordis est*, inquit Siracides. Exterioribus doloribus ab insana hostium crudelitate inflictis, intactum fuisse putamus corpus Divæ Matris: nec probamus, quod alii sibi persuasêre, ipsam in Calvaria malè à carnificibus habitam, tractam, proculcatam. At interiorum dolorum acerbitas tanta fuit, ut D. Bernardus serm. in signum magnum non dubitet illi tribuere *Martyrium cordis.* Et Hieronymus, Sophroniúsve Patriarcha Hierosol. seu potiùs Ildefonsus serm. de Assumpt. de illa non dubitanter pronuntiet: *Quia mente passa est, plusquam Martyr fuit.* Penetremus, quà possumus, in illius benedicti cordis adyta, ut tristitiæ magnitudinem æstimare conemur. Non difficile nobis fuerit, si Mensuris duabus certis, ac ectis, utamur; Externâ, & Internâ, utrâque multiplici.

III.
Ratio è Scriptura.

Externa triplex est, à Scriptura, à Patribus, à comparatione. Ex Scriptura proferunt quidam verba illa Threnorum cap. 2. *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Ierusalem? Cui exæquabo te, & consolabor te, Virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?* Adducunt alii ista Cant. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. Pulcra sunt genæ tuæ, sicut turturis.* Ubi notant ex Hebræo, pro *Equitatui meo*, verti posse *Equa mea*, id est, humanitati meæ, mare rubrum passionis transeunti, similem omnino te feci, ô sponsa mea, & mater: ut idem omnino, quod ego pateris interiùs, etsi non crucifigaris exteriùs. Advertunt etiam Hebraicè pro *turturis*, haberi vocem *Thor*, quæ reddi etiam potest, *monilia*: ut Christus, qui ex mente istorum Interpretum loquens inducitur, dicat Virgini pulcræ sunt genæ tuæ, sicut turturis; quia gemis & turtur: & lacrymæ tuæ instar sunt pretiosarum gemmarum, ex oculis tuis in genas, velut de fonte gemino, labentium.

IV.
Cur dolor D. Virginis dicatur gladius?

Sed applicationibus Scripturæ, & sensibus accommodatitiis opus non est, quando apertam habemus Spiritûs sancti sententiam, in venerandi senis Simeonis vaticinio, *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quem gladium etsi de verbo Dei Ambrosius intellexerit; de gladio contumeliarum quidam, quia *Gladius in labiis eorum*, impiorum; aliique, aliter: indubitatum tamen est, ex Ecclesiæ sensu, Dolorem hic intelligendum, seu, ut Augustinus loquitur epist. 59. ad Paullinum, de hac ipsa sententia disputans, *Tribulationem gladii nomine significatam, quo materna anima vulnerata est doloris affectu.* Expendamus itaque singula ejus sententiæ verba, & ex illis conficiamus, quàm acerbo dolore pectus Virginis fuerit vulneratum. Ac primùm adverto, Simeonem usum vocabulo gladii, non autem sagittæ, aculei, spiculi, pili, alteriúsve missilis, ne sarissæ quidem, aut hastæ. Quia gladius ex proximo longè certiori ictu destinatur, quàm missilia quælibet, aut arma longiora: & quia gladii ferrei chalybeíve toti sunt, & toti ad capulum usque scindunt, ac sauciant; secus quàm tela alia, quibus plerumque pars lignea est, aut ex ferro non exacuto. Significatur, ut quidem existimo, destinatus ab æterno in cor Virginis, & inevitabilis dolor, ex consilii divini manu, omnique sui parte acutus, ac lædens; non punctim solùm, sed etiam cæsim; nec mucrone solo, sed costis ac lateribus.

V.
Cur dicatur animam pertransire?

Gladius ille *animam pertransibit.* Non bona tantùm externa sauciabit, ut Jobo factum sub calamitatum initia, cùm oves & cameli periêre: non oculos tantùm lædet, ut Tobiæ: non dignitatem solùm contumeliis proscindet, ut Davidi factum: sed animam ipsam pertransibit. Non dicit futurum, ut tangat, perstringat, lædat, quæ molliora erant vocabula. Ne ipsis quidem cruentandi, laniandi, lacerandi, dividendi verbis, quæ acerbiora sunt, utitur. *Pertransibit*, inquit, id est transverberabit, penetrabitque animam universam acutissimus dolor: nihil illo erit intactum nisi summa ejus pars, rationis apex, intellectus & voluntas, quà supremæ rationi & voluntati subjiciuntur. Vates Regius ps. 104. indicandæ magnitudini doloris, quo Josephus Patriarcha tenebatur, cùm innocens, atroci calumniâ oppressus, pro infido & adultero in carcerem conjectus fuit: *Ferrum*, inquit, *pertransiit animam ejus.* Eâdem loquendi formulâ Simeon significantissimè utitur, ad exprimendam D. Virginis tristitiam; quæ tanta fuit, ut deinceps nonnisi miraculo vixerit. Corde vulnerato vita

ſervari non poteſt: ſervetúrne transverberatâ animâ ipsâ, & tranſadacto per illius intima mucrone? Inde aliqui olim conſecêre, ipſam revera præ dolore mortuam: ſeque cum illis aliquando ſenſiſſe fatetur Salmeron tomo 3. Tract. 43. ubi affert argumenta varia pro iſta ſententia; & reſponſis ad illa perpenſis, judicat denique probabilem non eſſe, quam antè probaverat.

VI. *Patrum ſenſus.* Nos, diſceptatione illa prætermiſsâ, Patrum ſententiam, legitimorum utique Scripturæ interpretum audiamus. D. Bernardinus Senenſis to. 1. ſerm. 61. tantum ait fuiſſe dolorem Virginis, *ut ſi in omnes creaturas, quæ pati poſſunt, divideretur, omnes ſubitò interirent.* Quod licèt exaggeratè dictum videbitur, & concionantis more; ſatis tamen innuit, quid de ejus triſtitiæ acerbitate cenſeret vir ſanctus, & doctus. B. Alberto Magno, ſuper Miſſus eſt, viſum, eam prorſus Virgini fuiſſe triſtitiæ vehementiam, ut moritura proculdubio fuiſſet, niſi divinitus roborareturá potueritque ab illa pronuntiari ex vero, *Circumdederunt me dolores mortis.* Ante illos Bernardus *de lamentatione Virginis*, ſeu quis alius, non dubitavit aſſerere, quem dolorem intacta Mater non ſenſit pariendo filium, millies geminatum ſenſiſſe amittendo; *nec planè enarrari poſſe, niſi tantum fuiſſe credamus, quantum dolere potuit de tali filio talis mater.* Ante Bernardum Anſelmus lib. de Excell. Virginis affirmat, quidquid alii quantumvis immane pertulerunt, vel leve fuiſſe illius comparatione, vel omnino nihil. Arnoldus Carnotenſis uni illum dolori Chriſti comparat: imò eamdem cenſet fuiſſe Matris ac Filii paſſionem, cùm dicit: *Quot dolorum flumina filium obruere videbantur, tot in viſcera matris intrabant.* Quod etiam ſenſiſſe videtur Hugo Cardinalis, cùm iſtud Simeonis, *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, de Chriſto intellexit, quem mater plus animâ ſuâ diligebat. Et virgo ipſa D. Birgittæ aliquando dixiſſe perhibetur: *Dolor ejus erat dolor meus; quia cor ejus, erat cor meum.*

VII. *Etiam antiquorum.* Graviorésne fuerint antiquorum Patrum ſententiæ? Damaſcenus lib. 4. de Fide orthodoxa c. 15. viſcera Virginis iſto tormento lacerata ait, intimeque diſcerpta. Plus totis duobus ſæculis ante Damaſcenum Paullinus, epiſtolâ ad D. Auguſtinum, ubi de prophetia Simeonis quæſtionem nonam proponit, &, ad eam illuſtrandam, producit, quod ſupra de Joſepho ex Pſalmiſta protulimus: *Maria*, inquit, *tempore paſſionis aſſiſtens cruci maternorum viſcerum dolore confixa eſt, & animam illius illa, quæ ejus ſecundùm carnem filium confoderat, crucis romphæa penetrabat.* Gregorii Nazianzeni verſus non adduco: ne quis mihi objiciat, quod ſectione ſuperiore indicavi, verſus eſſe; & poetis, quemadmodùm pictoribus, conſuetum, veroſimilia quædam veris ornamenti cauſsâ adjicere. D. Ephræm Nazianzeno coævus de lament. Virg. eam ſic exclamantem inducit, *cum gravibus ſuſpiriis uberibus lacrymis, ſitu amaro; Mi fili, dulciſſime fili mi, & Deus meus, deficio intuens te pendentem in ligno clavis confixum, vulneribus onuſtum, fili mi. O Simeon, en gladium illum, quo tranſfixum iri cor meum vaticinatus es: en gladium, en plagam, fili mi, mi Deus. Penetravit in carnem meam mors tua, diſcerpta ſunt viſcera mea, pectus meum acuto mucrone tranſverberatum eſt.*

VIII. *Divorum ex paſſione dolor.* Iſthæc, aliaque ſimilem in modum, à Patribus dici, mirabitur nemo, qui teneros aliquando miſericordiæ affectus, ex ſeria patientis Chriſti contemplatione, ſenſerit; vel legerit, audieritve, quid alii ſenſerint. Notæ ſunt D. Franciſci Aſſiſinatis lacrymæ, D. Elzearii Arianenſis Comitis, D. Ludovici Francorum Regis, alterius D. Ludovici Toloſatis Epiſcopi, D. Edmundi Cantuarienſis Præſulis, D. Caroli Borromæi, aliorumque plurimorum; cum magna animi teneritudine, multiſque lacrymis, recogitare ſolitorum, qualem ſuſtinuit Chriſtus pro nobis adversùs ſemetipſum à peccatoribus contradictionem. De D. Franciſca Romana Officii Eccleſiaſtici verba ſunt: *Divina myſteria, præſertim verò Chriſti Domini paſſionem, tanto mentis ardore, tantaq; lacrymarum vi contemplabatur, ut præ doloris magnitudine penè tabeſcere videretur.* Neque infrequens eſt, quod ſcriptor celebris Cantipratanus refert lib. 2. Apum, de Dionantenſi cive, eidem cogitationi cùm per ſacra loca Hieroſolymis peregrinaretur, immortuo: & de mancipio quodam Chriſtiano apud Infideles, qui cùm perpetuo lacrymaretur, interrogatuſque cauſſam aſſidui fletûs reſpondiſſet, Chriſti Salvatoris vulnera cordi ſuo inſculpta eſſe: juſſu barbari domini exſectus eſt, & in corde inventa effigies Chriſti cruci affixi. Conſtat B. Claram de Monte Falcone ſic paſſione affici ſolitam, ut moritura videretur, niſi dolorem Deus leniret: qui etiam ejus cordi impreſſit imaginem crucifixi, lanceæ, columnæ, ſudarii, ex carne ac nervis ita efformatorum, ut Cardinalis Bellarminus ad id ſpectaculum poſt alios innumeros, & poſt tot annorum lapſum admiſſus, temperare ſibi non potuerit, quin exclamaret, *Digitus Dei hic eſt.* Omitto D. Mariam Ogniacenſem, ex cujus oculis non lacrymæ, ſed imbres in humum largiter depluebant, cùm de Chriſto patiente cogitans incederet; teſte familiari & domeſtico Jacobo Vitriacenſi Cardinale. Omitto D. Liduinam Batavam, in eadem cogitatione tam profusè lacrymantem, ut exhauſto humore aqueo ſæpiùs ſanguineæ guttæ profluxerint; quarum aliquas à ſe viſas affirmat vitæ ſcriptor Brugmannus. Omitto D. Catharinam Senenſem, cujus deliciæ fuêre dolores ex paſſione Domini: tanti interdum; ut ſemel inde mortuam ſcribat B. Raimundus de Penna-forti, mox tamen vitæ redditam. Quamquam alii forſan malent mortuæ ſimilem jacuiſſe: ne tantum miraculum unico teſte, quamvis ſapiente, credatur.

IX. *Menſuræ interiores dolorum Virginis.* Prætermittamus iſta, extra ordinem, & ſupra communes naturæ mores: ſolum hoc ſumamus, quod ſæpiùs, & ex ipſo naturæ ſenſu, accidit non fœminis tantùm, ſed etiam viris fortibus ac ſapientibus, intellectum ac voluntatem in meditanda Chriſti paſſione exercentibus, rationem præeunte fide, & facem prælucente. Afficiuntur, compatiuntur, dolent, revertuntur in ſe, & in domum cordis ſui, percutientes pectora ſua, ut Judæi à Calvaria. Aliud tamen longè eſt imaginatione ſibi, aut intelligentiâ, exprimere Chriſtum in cruce pendentem, aliud coram intueri. Aliud longè eſt, Chriſtianâ mente inſpicere, aliud maternis oculis cernere vulnera, ac rimari. Tam iſta alia ſunt, quàm aliud eſt eſſe Chriſtianum, & Matrem Chriſti. Ex ſunt interiores Mariani doloris menſuræ, amor & cognitio. Quò carior tibi quiſpiam dolorque illius manifeſtior eſt; eò major naturaliter triſtitia conſequatur, oportet. *Tantum neceſſe eſt urat dolor*, inquit Aug. lib. 21. de Civit. cap. 26. *quantum hæſerat amor:* ſi jacturam tuam amoriſve tui non ignoras.

Quis

X. Naturalis amor Virginis in filium.

Quis autem fuit D. Virginis amor in Filium; quanta, & quàm de proximo, malorum ejus cognitio? Triplex amor est, Naturalis, Acquisitus, Supernaturalis: ille sanguini congenitus est, iste ex consuetudine nascitur, hic progignitur ex gratia. Naturalis dilectio tam tenera & intensa in matribus, erga liberos, unigenitos præsertim, esse consuevit; ut David non aliâ comparatione efficaciùs à se exprimi posse putaverit, quis suus foret erga Jonatham affectus: *Sicut mater unicum amat filium, ita te diligebam.* Deus ipse, ut amori suo summo erga nos familiarem appingat imaginem, nil aptius & naturæ convenientius habet, quàm, *Si potest oblivisci mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui, & ego obliviscar tui.* Maria mater erat, & unici mater, & virgo, & mater simul ac pater, πατρομήτωρ, unde Christus totam corporis sui materiam sumpserat. Quantum ergo amâsse putemus, & matrem affectûs teneri; & matrem unius tantùm filii; & virginem, cui teneritudo major esse, quàm fœminis cæteris, consuevit; & matrem simul ac patrem, in cujus corde paterni affectûs firmitas conjuncta esset cum delicato amore matris?

XI. Acquisitus.

Accedebat ad Naturalem acquisitus, ex consuetudine mutuâ, novisque in dies ex ea consuetudine amoris incentivis. Christus corpore virgineo, ac formosissimo, ipsissima matris imago, indole supra omnes homines amabili, & genio suavissimo: tantâ erga matrem reverentiâ totque officiis excultâ, ut majestatem suam pænè oblitus videretur. Dulce multorum annorum contubernium, mensa communis, familiaria colloquia, arcanorum communio, lætitiæ tristitiæque individua societas, integerrimæ vitæ sanctissimorum morum mutua cognitio, & experientia, dilectionem auxerant in immensum. Matribus aliis non rarò accidit, ut quem infantibus puerisque filiis amorem impendêre, erga adultos minuant: quia familiaritas odium parit, odiosa multa ac vitiosa detegendo, quotidianæ conversationis usu. Christo, ex contraria ratione, contrarium prorsus debuit accidisse. Quotidiano enim usu elucescebat magis in dies ejus amabilitas, crescebatque ætate, & sapientiâ, & gratiâ apud Deum, & homines; adeoque magis accendebatur erga illum amor maternus: prorsus ut quamvis filius non fuisset diligendus, tamen foret filii instar; quemadmodùm à Josepho, vel ob morum suavitatem, pro filio habitus est.

XII. Supernaturalis.

Gregoras narrat, eoque auctore alii, sorores duas, nobili loco natas, Michaele Cõmeno imperante in Turcarũ potestatẽ, post cladem Græcorum, venisse; tulisseque forti animo tam tristem casum, quamdiu simul ipsis esse, solarique sese invicem licuit. At ubi barbari, prædam partiti, illas etiam divisêre, alteramque abstraxêre ab altera: tunc demum tristitiâ obrutas, inter mutuos complexus exspirâsse. Tantum consanguinitas amoris ingeneraverat, tantum auxerat familiaris & amica conversatio: quantum doloris vehementia testata est. Multò arctior fuit Mariæ virginis cum Christo necessitudo, dulcior longè conversatio: quantus ergo debuit in ejus mentem dolor, ex amara per crucem & mortem separatione, inundâsse? Præsertim, cùm ad amorem naturalem, & acquisitum, supernaturalis in eminentissimo gradu accederet. Amabat illum, ut innocentissimæ vitæ, & summæ virtutis. Amabat, ut Christum Domini, Messiam, desideratum cunctis gentibus, desiderium collium æternorum. Amabat, ut liberalissimum benefactorem, ut gratiarum omnium fontem, ut de omnibus optimè meritum, de se præsertim, cui fecerat magna, qui potens est. Amabat, ut hominem Deum; &, quia ipsi divinitatis amabilitas, quantum ulli creaturæ, cognita erat, in eum toto corde, totâ animâ, totis viribus ferebatur.

XIII. Quantus ex spectaculo dolor.

Eum tamen, ex tot capitibus dilectum, omnique hominum omnium amore ac reverentiâ dignissimum, videbat odio haberi, contemptui esse & ludibrio, atrocissimis contumeliis onerari, doloribus acerbissimis obrui. Spectabat pendentem inter latrones; videbat sanguinis profluvium; audiebat verba moribundi; vulnera mortui, & de cruce in ipsius manus depositi scrutabatur. Stabat enim juxta crucem, in oculis Filii: ubi ad doloris augmentum, ac monumentum, Joannes ipsi à Filio, & pro filio datus est: *Ioannes pro IESV traditur*, inquit Bern. serm. de Ann. *servus pro domino, discipulus pro magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, purus homo pro vero Deo.* O inæqualem permutationem! O duram separationem talis matris à tali filio! Lego apud Spondanum anno 1355. cùm Petrus, cognomine Crudelis, Castellæ Rex, proceres aliquot in oculis Reginæ matris, cui adhæserant, occideret: exanimem ipsam corruisse, paullò pòst mortuam. Occidebantur tamen proceres, non liberi: occidebantur rebelles, non innoxii: occidebantur homines, non Deus-homo.

XIV. Comparatione expenditur.

David ad Absalonis interfecti nuntium perculsus & ejulans, ascendit in cœnaculum, ingeminato identidem tristi intercalari: *Absalon fili mi, fili mi Absalon, quis mihi det, ut pro te moriar?* Jacob conspectâ Josephi tunicâ, cruore intinctâ, solvitur in lacrymas & singultus, scissisque vestibus, cilicio indutus, tamdiu filium luget, ut antequam illam receperit, solatii vix quidquam velit admittere. Abrahamus in monte Moria, cujus aiunt easdem esse ac Calvariæ radices, Isaaco suo caput obnubit, obvelat oculos, acinace stricto mortem inferre certus, suumque ipse sibi cor discerare, infracto animo quidem, dolore tamen maximo. Fuit Absalon Davidis filius: at rebellis, incæstus, sacrilegus, odio longè quàm amore dignior. Joseph Jacobo fuit ob indolem virtutemque carissimus: at non unicus, non interemptus ante oculos patris. Unigenitus Isaac in oculis paternis mortem exspectavit: sed non Messias, non Deus, non inter latrones cruci affixus, non invidiæ & furiarum omnium carnificinæ objectus. Hic verò Mater Virgo audit, spectat, tangit, filium unigenitum, pulcerrimum, indolis suavissimæ, consuetudinis gratissimæ, virtutis eximiæ, divinitatis testatissimæ, horribilissimo, & propudiosissimo omnium supplicio confectum.

XV. Patientia Virginis, & conformatio cum divina voluntate.

At nonne Sedecias liberos coram jugulatos vidit, diu tamen superstes? Nonne idem Mauritio Imperatori factum, neque alias tamen ex ejus ore voces tam triste spectaculum expressit, quàm, *Iustus es, Domine, & justum judicium tuum?* Nonne invicta stetit, contra omnem naturæ impetum, generosa septem Martyrum nostrorum mater: quando illos in sartagine frigi juberet Antiocho, *tam grande martyrium oculis præbuit, quàm filii tormentis*, ut Tertull. loquitur lib. de Exhort. martyrii? Tulerunt isti, viceruntque dolorem, Virgo non vicerit? Vicit omnino, & eò vicit fortiùs, quò magis sensit. In eodem corde fuit simul dolor intensissimus, & patientia summa. Omnibus viribus pugnavit tristitia; & viribus

omnibus patientiæ superata est. In Passione Christi tam ex animo dixit, *Ecce ancilla Domini*, quàm in ipsius Incarnatione: non veriore affectu in montanis Judææ cantavit, *Magnificat anima mea Dominum*, cùm visitaret cognatam; quàm in monte Calvariæ videns filium morientem, iteransque eodem, quo ipse, obedientiæ sensu, & conformatæ cum divina voluntatis, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, Filium tuum ac meum, spiritum oris mei. Ea de re mox actum imus: istud interim discamus in antecessum; lenimen dolorum nullum esse potentius, quàm si, quales revera sunt, excipiantur, velut profecti de benignissima summi Numinis manu. D. Paullus Hebr. 11. de Jacobo moribundo, Josephum filium alloquente, *Adoravit*, inquit, *fastigium virgæ ejus*: ubi nos in Vulgata Gen. 47. legimus, *Adoravit Deum, conversus ad lectuli caput*. Virga nimirum, si adoretur, si osculo honoretur, si ametur, lectulus est: mala, si de amabili Dei dextera sumuntur, in osculo pacis, quietem non turbant. Numquam Esther regnavit feliciùs, quàm cùm *osculata est summitatem virgæ* Assueri, c. 5. O virgo numquam magis, & beatiùs, fuisti Regina non Martyrum modò, & Sanctorum omnium, sed etiam Angelorum, quàm post regnatos & triumphatos invictâ patientiâ summos dolores. Idem tu nobis regnum impetra, qui de regno tuo esse avemus subditorum minimi, exules filii Evæ, in lacrymarum valle.

SECTIO TERTIA.

Quomodò Virgo dolores tulerit?

I.
Veræ virtutis signa duo.

ADAMANTIS veri, ac nativi, qui inter gemmas principatum tenet, ab adulterino internoscendi, indicia duo esse apud gemmarios perhibent: primum, si eximo fulgor Solari æmulus emicat, cùm Soli exponitur: alterum, si incussum malleum repercutit, etsi denique ictibus cedat, sæpius repetitis. Nam quod olim credebatur, contundi adamantem genuinum non posse, nisi ante hircino sanguine molliretur: hodie experientia vanum esse demonstravit, & gemmariorum pueri, ut fabulam, rident. Auro item, quod in metallis eodem gradu est, quo Sol in planetis, probando notæ binæ sunt, ignis, & cos. Quorsum, putas, Sapiens adamantis & auri potissimùm comparatione, ad sapientiæ virtutisve laudem, utitur Sap. 7. *Nec comparabo illi lapidem pretiosum*, gemmarum dominum adamantem, *quoniam omne aurum in comparatione ejus arena est exigua?* Meritò enim, inquis: nam loco eodem inter humanas omnes dotes est virtus; quo aurum, & adamas, metalla inter & lapides. Existimârim ego idcirco potissimùm eam similitudinem sumptam, quia veræ virtutis à falsa discernendæ indicia duo sunt; quomodò auri atque adamantis. Virtuti prosperitas est, quod adamanti fulgor, & auro flama: adversitas illi est, quod his cos & malleus. Quem rebus fæliciter fluentibus modestum, humilemque, videris, & contra rebus improsperis fortem, patientem, voluntati divinæ conformem: eum certissima solidæ sanctimoniæ signa habere, ne dubites. *Magnum enim est*, inquit Bern. lib. 2. de Cons. *cui præsens felicitas si arrisit, non irrisit*. Et S. Aug. serm. 53. de verbis Dom. *Magna virtutis est cum felicitate luctari*. Infælicitatem autem, & eventa adversa, virtutis præcipuam esse probationem passim Scriptura docet: ubi illa comparat fabri malleo, & fornaci aurificis. Itaque Ecclesia, cùm veram pro se ac filiis suis sanctimoniam postulat, hoc precatur: *ut esse mereamur inter prospera humiles, & inter adversa securi*: ut nobis per diem nubes præeat, per noctem flama, quomodò olim Israëlitis. Vide Comm. ad lib. 1. cap. 15. in fine.

II.
Duo hominum fortunæ.

Indubitatum est apud Catholicos omnes, D. Virginis sanctimoniam in eminentissimo gradu fuisse, ejusque excellentiæ bina esse manifesta, ex utriusque fortunæ experimento, indicia. Voluit enim Deus matri suæ idem, quod mortalium reliquis, accidere: ut alternis lucem & tenebras, hyemem & æstatem, prosperitatem & adversitatem sentiret. Gen. c. 8. dictum Noëmo: *Cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent*, sibique mutuo succedent, perpetuâ vicissitudine. Eumdem in modum bonis mala, jucundis tristia, fælicibus improspera, continenter mutantur, in hoc mutationum loco. D. Bern. serm. 2. in Ramis Palmarum, dicit in alia vita locum esse, ubi æterna regnet fælicitas; locum item, ubi perpetua duret calamitas: at in hac vita, *sæcularibus viris aliquando quæ placent, aliquando quæ displicent, videmus accidere: & ipsis nihilominus spiritualibus non semper tristia, non semper læta succedunt; sed vesperè, & manè, dies unus. Vita ergo nostra, Deo prudenter ita ordinante, ex adversis & prosperis, quasi ex spinis & rosis, contexitur.*

III.
Dignitas Virginis in Annuntiatione.

O quàm clarum mane Virgini attulit lucidus Annuntiationis dies! Quàm rosea Aurora illuxit, cùm lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, in ejus utero incarnatus est! Contrà, quàm caliginosus vesper ingruit, cum tenebris passionis! Quàm cruentæ spinæ cor Matris lancinaverunt simul, & caput Filii! Mittitur ab augustissima Trinitate legatus ad sedecennem puellulam: legatus ille non de prophetarum filiis quispiam, sed Angelus: neque Angelus ille de infimis, sed de summorum ordine, Gabriel, qui adstat ante Dominum: is Angelus salutat Virginem tot laudibus, quot syllabis; tot panegyricis, quot verbis. Laudari à laudato viro magnum est: quid ab Angelo? Quid Dei nomine? Quid tam fæcundâ laudatione? Post prima salutationis officia, promittitur ipsi Filius, qui sedeat super sedem David patris ejus, qui regnet in æternum, qui sit Filius Altissimi, qui Deus sit. Altiùs efferri Virginis dignitas non poterat, quàm ut Dei mater fieret: neque ipsa humiliùs de se sentire poterat, quàm ut se ancillam Domini nominaret. Omnibus honoribus, salutationibus, laudibus, promissis, hoc solum reponit, *Ecce ancilla Domini*.

IV.
Ejusdem humilitas.

Meritò hic Bernardus exclamet: *Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloriâ nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat. Non magnum est, esse humilem in abjectione. Magna prorsus, & rara est virtus, humilitas honorata.* Nobis quidem homuncionibus, toties lumini ac Deo rebellibus, magna humilitatis & multa argumenta sunt; si nos volumus introspicere, & ista externa tantisper seponere, quibus inanissimè distendimur. Gratia plena fuit Virgo: nos gratiæ coram Deo vacui. Dominus fuit perpetuò cum Virgine: nos sæpe à Deo discedimus, ostendimusque illi scapulam recedentem. Benedicta fuit Virgo inter mulieres: nos

maledicto

maledicto obnoxii. forsan & proximi. Ipsa legationem à Deo excipit obedientissimè: nos sæpe respuimus. Ipsa Angelorum meretur consortium: nos abigimus. Nobis ergo abundè est, unde humiliemur: *sed tibi unde humilitas, ò beata, præsertim humilitas tanta?* Si prosapiam intueris, Regia est: si animi penetrale ingrederis, undequaque splendet virtutibus, nusquam est vel minima vitii macula: nôsti id ipsa de te, neque ignoras securam esse etiam de futuro, neque ita plenam gratiâ, Domino conjunctam, benedictam inter mulieres, ut numquam peccatura sis. Inter tot perfectionum genera nulli omnino imperfectioni admista, *unde tibi humilitas, ò beata, præsertim humilitas tanta?*

V. Humilitatis fundamenta.

Solidissima duo arbitror Virginem habuisse humilitatis argumenta: quæ si & nos interdum benè ponderemus, facillimum nobis fuerit humiliari sub potenti manu Dei, & quæcumque sunt, quibus vanè inflamur, contemnere. Primum credebat firmissimè, imò & sciebat, Deum omnimodis esse infinitum: creatam rem quamlibet quantumvis perfectam, esse finitam; imò & creatas res universas, Dei comparatione, ita exiguas esse, ut ne comparationem quidem admitterent. Sese nominatim, qualicumque in gradu sanctimoniæ foret, quantumcumque illuminatæ mentis esset, etsi in momenta singula altero tanto lumen intelligentiæ suæ, & ardor voluntatis, augeretur: videbat tamen infinito intervallo à majestate Numinis abesse, semperque abfuturam; nec se præ Deo plus fore, quàm sit præ Oceano *gutta* situlæ, aut præ telluris totius massa *momentum stateræ.* In hac cogitatione defixa mirum non est, si animitus dixerit die Annuntiationis, dicatque etiamnum die tota æternitatis, *Ecce ancilla Domini.* Accessit & altera cogitatio certissima: se quidem gratiâ plenam esse, at non gratiæ fontem: benedictam se esse, non benedicentem: ideò gratiis & benedictionibus se impleri, quia secum esset Dominus; qui si abesse vellet, & patientiæ ac bonitatis infinitæ manum subtrahere, nihil sibi superfuturum, præterquam nihil. E nihilo ortam sese, perinde ac creaturas cæteras, in nihilum relapsuram. Itaque dicere se ex vero posse, Ecce nihilum Domini, & coram Domino: quemadmodum humiliter diceret, *Ecce ancilla Domini.*

VI. Nobis applicanda.

Christus fertur aliquando D. Catharinæ Senensi, in humilitate firmandæ, dixisse, *Ego sum, qui sum; tu es, quæ non es.* Dedi tibi vegetum ingenium: tu tibi non dedisti. Prophetidem te feci: tu te non fecisti. Arcana, semota, futura tibi aperui: tu non aperuisti. Spectabilem te apud proceres, Pontificesque reddidi: tu te non reddidisti. Animam tuam virtutibus omnibus ornavi: tu sine me non ornâsti. Cùm ergo ex me sis, quidquid es: *Ego sum, qui sum; tu es, quæ non es.* Habeamus nos formæ aliquid, nobilitatis pauxillum, ingenioli particulam, eloquentiæ rumusculum, dignitatis umbellam, virtutis imaguncuIam. Quid isthæc omnia præ Deo sunt? Ut aliquid sint & plusquam gutta situlæ, & plusquam momentum stateræ: unde tamen ea sunt? An nascuntur ex nobis? An autochtones sumus, & aborigines? Nonne de cælo omnia ista possidemus, ut sapientissima septem Martyrum mater dicebat? Quid habemus, quod non accepimus? Si autem accepimus, quid nos ipsos discernimus? Quidni ex animo quotidie iteramus illud Virginis, *Ecce ancilla Domini:* O Domine, quia *ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ?*

VII. Dies Incarnationis, & Passionis Christi, idem.

Vidimus humillimam in prosperis Virginem: videamus fortissimam in adversis, ubique summam. Neque opus est, ut longè abeamus ab Annuntiationis die, à quo non longè abest dies Passionis. Statuunt enim aliqui Christum Aprilis 3. passum, quam Spondanus anno 1443 ait fuisse Tostati sententiam. Ex Synodo Cæsariensi, tempore Victoris Papæ, colligunt alii mortuum Martii vicesimâ tertiâ, resurrexisse vicesimâ quintâ, quæ ipsa Incarnationis dies est. Augustinus verò existimat, eâdem omnino die incarnatum, & passum. Verba ejus sunt 4. de Trin. cap. 5. *Octavo Cal. Apriles conceptus creditur, quo & passus.* Et quæst. 90. in Exod. explicans mysticè illud Dei præceptum, *Non coques agnum in lacte matris suæ:* dicit Christum, qui verus Dei agnus est, coctum in lacte matris: quia eo die passus est, quo conceptus: solere autem matres, à die conceptionis lac colligere proli. Ut commodissimè, vel ob hanc caussam prosperitatem Virginis cum adversitate jungamus, humilitatem cum patientia: quandoquidem una dies utramque attulerit.

VIII. Virginis in patiendo constantia incomparabilis.

Dolorum magnitudinem modò ingressi sumus: revocemus solummodò in memoriam tantisper utrumque genus mensuræ; deinde patientiam tanto mærori admetiamur. Verba Evangelistæ de illa sunt: *Stabat juxta crucem IESV mater ejus.* Mater talis filii, unici, dilectissimi, crucifixi, moribundi, *stabat* sub tanta tristitiæ mole, non jacebat. Agar, Ismaëlis mater, conspectum siti emorientis ferre non valens, longiùs ab illo recedit Gen. 21. At Virgo *stabat juxta crucem* Filii, videbat exsuccum, audiebat desitii conquerentem, spectabat felle potatum & aceto. Jobus, patientiæ summum inter prisca exemplar, ad nuntium de morte liberorum, *scidit vestimenta sua, & tonso capite corruit in terram.* Virgo non ad nuntium, sed ad spectaculum ipsum, quod longè nuntio tristius est; non corruit in terram, sed *stabat juxta crucem.* Pingi solitam olim ferunt constantiam habitu virginis, statu viri erectam, in rupis summò stantem, inferneque despicientem maris irati, & despumantis, vanos adversùm se conatos. Ipsissima Virginis, in rupe Calvariæ stantis, imago est: aquarum gurgites minantur, surgunt horribiles fluctus atrocium calamitatum, atra tempestas undique incumbit: constat tamen ipsa sibi, quia *stat juxta crucem IESV,* defixis in illum oculis & affectibus, simul ejus dolores cordi suo imprimens; & in mente sua, ac vultu, exprimens ejus patientiam.

IX. Incensum patiendi desiderium exemplo Christi.

Rupertus piè censuit, Christo factam à Deo Patre optionem redimendi generis humani, vel divitiis, honore, gaudio; vel paupertate, ignominiâ, doloribus. Utravis enim elegisset; opera ipsius futura divina, & copiosam semper fore redemptionem. At Christum, omissis quæ bona videbantur, in mala toto affectu involasse, desiderio patiendi; & proposito sibi gaudio sustinuisse crucem, confusione contemptâ, ut D. Paulus loquitur ad Hebr. cap. 12. astipulans Ruperti sententiæ. Hoc saltem constat, ut optio lætorum & tristium Christo data non fuerit, morsque omnino imperata; non omnes tamen mortis acerbitates, & circumstantias, multò minus præambula omnia illius, ac præparamenta, ipsi fuisse designata: sed Christum ultrò ea ambiisse, ad augendam doloris ac patientiæ materiam. Itaque optimè Tertullianus lib. de Patientia, posteaquam

 id ipso

id ipse sibi de Christo objecit. *Numquid subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat?* Respondet objectioni: *sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat.* Similem in modum de D. Virgine quæramus. Volebat Deus eam filio carere, volebat dolere morte ejus ignominiosâ; sed *numquid subeundæ morti interesse debuerat*, doloresque suos spectaculo tam tristi intendere? *Sed saginari voluptate patientiæ volebat*, ad discessuri filii exemplum. Experientiâ constat, quod sect. 7. num. 9. paullò explicatiùs exponetur; si lyræ binæ, chordis eodem modo tensis, in eadem aula collocentur, unâ percussâ, alteram itidem resonare, quamvis obtusiore paullùm sono. Christi, ac Virginis, corda eodem modo amor mutuus tetenderat: unum percutitur, dolet utrumque, & eumdem penitùs sonum edit eximiæ patientiæ; nisi quòd Christi patientia clariùs auditur.

X.
Ab ipso incarnati Verbi divini momento.

Quid quòd non solùm Passionis die, & in edito Calvariæ monte, sed ipso Incarnationis momento, intrà Nazarethani cubiculi angustias, insonuit in corde Matris, juxtà ac Filii, gratissimum auribus Dei, & summæ virtutis indicium, desiderium patiendi? De Christo receptissima opinio est, primo Conceptionis suæ instanti sese obtulisse Æterno Patri, ad atrocissima quævis supplicia subeunda, & ad exhauriendum penitùs calicem passionis: quem jam tunc ante illuminatissimos mentis suæ oculos æquè habebat præsentem, atque in horto Olivarum. De Virgine idem dixero: in mente habuisse omnem filii sui carnificinam, quando legato Dei respondit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Sim, prout dixisti, Messiæ mater: sed Messiæ, qui reputabitur ut leprosus, & percussus à Deo, & humiliatus. Sim mater illius, qui sanctus erit, & vocabitur Filius Dei: simul sim mater ejus, qui pro blasphemo conspuetur, & cum iniquis deputabitur. Sim mater ejus, qui regnabit in domo David, & regni ejus non erit finis: simul sim mater ejus, qui pro scenico Rege illudetur, qui regnabit à ligno, cujus capiti per ludibrium apponetur titulus Regis Judæorum. Modò dicebas, me gratiâ plenam, benedictam inter mulieres, Domino sociatam: tunc Domino, de brachiis meis inter brachia crucis abrepto, ingratiis cepibor, & maledictionibus obruar. *Ecce tamen ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum ejus.* Non nescio, quid apertissimè de passione Filii mei Isaias prædixerit: non ignoro proavi mei Davidis de eadem vaticinia: jam nunc satis præsentio, quid tunc materna viscera sensura sint. Volo tamen sentire, sicut filius volet: nec minus desidero esse mater Crucifixi, quàm mater JESU. Ita die ipso Annuntiationis stabat juxta crucem JESU Mater ejus, animi præparatione; & incensis affectibus. Utinam & nos ad crucem stemus; &, exemplo Christi ac Matris, mala nostra ferre discamus, si non amanter, saltem patienter.

XI.
Doluit Virgo ad exemplum nostrum.

Quarta quæstionum, quas de Virginis doloribus proposuimus, fuit: cur Deus illam dolere voluerit innocentissimam, purissimam, sanctissimam, matrem denique suam? Tres omnino rationes istius decreti divini reperio: exemplum nostrum, solatium, subsidium. De Tobiæ, viri vel ex nomine optimi, cæcitate loquens Spiritus sanctus, dicit, ideò ipsi accidisse, *ut daretur posteris exemplum patientiæ, sicut & sancti Iob.* Multò illustrius nobis datum est in Virgine; tantò spectabiliore inter patiendum, quantò major erat ipsius dignitas. Si quando minores planetæ eclipsin patiuntur, per terræ opacive alterius corporis interjectum, eam vix ullus præter diligentes aliquot Mathematicos notaverit, noctibus totis ad cælorum spectacula vigilare solitos. At si Lunæ defectus accidit, advertunt facillimè plurimi conditionis cujusvis: si Sol obscuratur, oculatus nemo non sentit. Quando Sanctorum aliquis de luce prosperitatis transit ad tenebras adversitatis, laboratque in aliqua bonorum temporalium, sanitatis, dignitatis, lætitiæ eclipsi: spectant quidam Christianorum, & ad imitandum accenduntur. At ubi Filius Dei patitur, & Mater Dei compatitur, quando electa ut Sol, pulcra ut Luna obtenebratur: eriguntur Christianorum omnium animi ad spectaculum, &, ex Simeonis vaticinio, revelantur ex multis cordibus cogitationes, non tantùm sterili compassionis affectu, sed etiam fœcundo imitationis effectu.

XII.
Ad solatium.

Neque ullus tam altè in tristitiæ voraginem demersus est, qui solatium inde non accipiat: si modò ipsi adhuc lucet scintillula rationis, & fidei. Ad leniendos cujusvis hominis dolores, afferri solent socii pœnæ, ut fecimus Excur. 2. ad lib. 1. c. 2. mirum non esse, si id accidat alicui, quod cunctis: mortalitatis universæ legem esse, pati: sine dolore diu vitam à nemine actam. Christiano consolando, dicimus, id esse Dei institutum, ut servos omnes suos asperis exerceat, quâ de re tum alibi, tum sectionis superioris, & hujus initio quædpiam attigimus: adeoque id verum est; ut non Tobiæ modò dictum fuerit, *quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te;* neque Abrahamo tantùm, aut Danieli, aut Noemo, sed Virgini ipsi; cui nec venialis macula, pœnam post se trahens; neque originalis culpa pœnalitatum, ut loquuntur, scaturigo adhæserat. Notat Episcopus Genevensis lib. 3. epist. 51. Virginem Filio astitisse, non in monte Thabor, sed in monte Calvariæ; sociamque fuisse, non lætitiæ, sed mæroris. Quo ergo ore Christianus, sese à Deo ut Matrem haberi conqueratur? Quid si non Calvariam tantùm attendamus; sed alia etiam loca, variis Virginis doloribus notata? Quinque aliqui numerant, alii septem, cæteri quindecim, tribus versiculis ad memoriæ subsidium comprehensa:

En stabulum, cultrum, gladium, cædemq́, fugamq́:

Amissum, functum, plexum, irrisum, interimendum:

Amplexum, occursum, fixum, positum, atque sepultum.

Primo versu continentur argumenta doloris in Salvatoris infantis: Christi nativitas in stabulo, Circumcisio, Prædictio Simeonis, Innocentium cædes, Fuga in Ægyptum. Alter comprehendit, quæ per provectiorem Filii ætatem passa est: cùm triduo abfuit duodecennis, cùm Joseph mortuus, cùm Joannes plexus, cùm illusus Christus prædicans, cùm Nazarethani aliique in ejus necem conspiravêre. Tertius complectitur, quæ in Filii passione sustinuit: valedicens abeunti, occurrens crucem bajulanti, astans crucifixo, excipiens corpus de cruce depositum, concomitans ad sepulcrum. Quodnam, quæso, doloris argumentum ex te, tuîve, accidere tibi possit, ubi matrem Dei in pœna sociam, & solatium non invenias?

Imò

XIII. *Et ad subsidium.*

Imò ubi auxilium ab illa non sentias? Misericordiam facilè didicêre, qui fuêre miseri: voxque illa Didûs apud Poëtam, naturæ vox fuit;

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Regina Martyrum, simul est misericordiæ mater, quia misera fuit. Si scîsset tantùm miserias, neque experta fuisset; non adeo tenerè forsan erga calamitosos afficeretur. Nobis itaque per omnia assimiletur, *ut misericors fiat:* quomodò de Christo loquebatur Paullus, & benè expendit Bern. l. de grad. hum. c. 2. nosque attigimus Excur. ad lib. 1. c. 11. sect. 3. Fidimus alicui in necessitatibus in opportunitate, & ab eo speramus auxilium; si nôrit nos egere, possit succurrere, & velit. Nôsse nostras miserias Virginem, non ignoramus: non dubitamus, quin opitulari possit: velle denique certò scimus, non tantùm, quia caritate plena est, sed quia misericordiam miseriis experiendis perdidicit. Itaque Magister Equitum S. Joannis, Rhodo expulsus, navi atratâ meritò vexillum præfert dolentis Virginis, in complexu exanimis Filii; & hanc imagini appictam exhibet epigraphen, *Afflictis spes unica rebus.* Meritò Carolus 7. Galliæ Rex, in publicis calamitatibus implorat, implorandámque curat à subditis opem dolentis Virginis, institutâ dolorum ipsius piâ commemoratione. Meritò & nos, cùm dolemus, non exempli tantùm aut solatii causâ, memores sumus, quanta passa sit pro nobis mater nostra: sed etiam auxilii firmâ spe dolores ejus recolimus, & per illorum sensum, nostros à misericordiæ Matre mitigari flagitamus.

SECTIO QUARTA.

Mirabilis virgo in Conceptione.

I. *An Deus semper faciat optimum.*

Quærunt Theologi, an Deus in operibus liberis quæ ad extra dicuntur, semper faciat optimum? Quin summè bonus bonum semper faciat, dubitari non potest. De faciendo optimo ambigunt multi: quia liberæ, inquiunt, voluntatis proprium est de bonis duobus istud etiam eligere posse, quod minus est. Et verò quia ab omnipotente Numine negaverit, Universum hoc aspectabile condi potuisse longè absolutius, ac speciosius, rerum generibus ac numeris pluribus & perfectioribus, quàm modò est. Neque enim immensa, & interminata potentia, finitis operibus producendis exhauritur. Ita isti disputant. Alii contrà aiunt, sicut bonæ voluntatis est bonum velle; ita optimæ voluntatis optimum, ad fines optimos, eligere. Deum, qui priscis dicebatur, *In centro bonitas, in circumferentia pulcritudo*; summam in circumferentia, id est operibus externis, esse pulcritudinem; quemadmodùm in se, internisque ac necessariis operibus, summam oportet esse bonitatem. Eam videri Damasceni, Scholasticorum Theologorum apud Græcos principis, sententiam l. 2. de fide cap. 29. quando affirmat, fieri à Deo cuncta non divinè dumtaxat, & pulcrè, sed pulcerrimè, ac divinissimè, θειότατα καὶ κάλλιστα. Idem opinari D. Thomam, à nobis addactum tractatus de bona voluntate part. 1. sect. 2. n. 12. Augustinum itidem, cujus prætereà judicium peti possit ex c. 33. & 36. libri de quant. animæ.

II. *Optimum*

Quidquid ejus quæstionis sit, hoc saltem in rem nostram pro indubitato statuamus: in hominum omnium, quotquot sunt, fuerúntve, aut erunt, productione melius nihil, perfectiúsve, aut mirabilius à Deo factum, vel futurum; quàm quod in prima Virginis formatione, & Conceptione, perfecit. Unicam JESU, Filii Dei, quà filius hominis est, Conceptionem excipio. Illam enim illa nobiliorem esse oportuit; quia Virgo propter Christum producta est, non Christus propter Virginem. Christus Mariæ filius est; sed Mariæ Conceptio, Conceptionis Christi filia est. Præcessit Christi Conceptio consilio divino, æternâ ideâ & intentione, Conceptionem Virginis, atque adeò velut generavit: sicut finis præcedit effectum, producitque, ac generat. Idcirco concepta est Virgo, quia concipi debuit Christus. Quia immaculatissimè, perfectissimè, divinissimè, Christum concipi decuit: idcirco conveniens fuit, ut immaculatissimè Virgo conciperetur Christi gratiâ, *cui est in utero pignorata cùm fieret*, ut ait Chrysologus serm. de Annunt. *Decebat*, inquit Anselmus lib. de Concept. B. V. *ut illius hominis*, Christi, *Conceptio de matre purissima fieret, Nempe decens erat, ut ea puritate, quâ major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Sed nos, illi Virginis conceptæ puritati meliùs intelligendæ, videamus primùm, quæ fuerit Dei de producenda Virgine conceptio: deinde quæ Virginis, cùm produceretur, conceptio de Deo: ad extremum, quæ nostra de Virgine productâ, & ad summum provectâ, conceptio.

fecit in Virginis Conceptione, filiâ Conceptionis Christi.

III. *D. Virgo quomodò ab initio fuerit Dei possessio?*

Æternam Dei de Virgine conceptionem indicatam nobis Ecclesia voluit, istis Sapientiæ verbis: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Quid illud principii est, quid initium istud viarum Domini? Non aliud utique, quàm *In quo principio erat Verbum.* In eo æternitatis infinito principio erat Dei sapientia: & ab ipsa sapientia destinabatur productio Virginis, quam *Dominus* ante sæcula *possedit*, ne umquam ab ullius peccati labe possideretur. Ante originem suam Deo singulariter mancipata est, ut originis peccato numquam manciparetur. In hanc sententiam Jacobus Christopolitanus abhinc sæcula duo, sic Virginem loquentem inducit in Cant. Magnif. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum... ne per aliquod instans, & tempus, diabolus possideret me per aliquam culpam, sed à primo instanti creationis anima mea essem semper grata Deo.* Neque aliter sensit D. Dominici familia universa, in horario D. Virginis officio, ad annû sæculi decimi sexti vicesimû nonum Parisiis edito, sic Deum allocuta: *Deus, qui pro salute humani generis carnem gloriosæ Virginis MARIÆ assumere dignatus es, & ipsam, sine macula concipiendam, ante sæcula in Matrem praelegisti, concede propitius, ut qui de ejus conceptione, quæ fuit nostræ redemptionis, necnon temporum plenitudinis exordium, lætamur, ejus piis intercessionibus ab instantibus periculis, & à morte perpetua præservemur.*

IV. *Sapientiæ verba ex Prov. cap. 8. conceptioni Virginis ab æterno designatæ accommodata.*

Quo autem divinorum decretorum ordine, sempiterna ista Virginis sine macula concipiendæ designatio facta est? An post præcognitam quidem Adami noxam, sed antequam illius noxæ labes ad posteros omnes transitura decerneretur? An potiùs post prævisam traducem maculam generis humani universi; sic tamen, ut à generali pœnæ pronuntiatio exciperentur soli, Filius, & Mater? Variæ sunt Theologorum de ista re sententiæ. Qui de Virgine nasciturum fuisse opinantur Filium Dei, etiamsi Adam non peccâsset; eorum quidam, anteriùs Adami lapsu, prædestinatam

natam Mariæ conceptionem cenſuêrunt. Alii aliter. Piam tamen ſinguli opinionem ſuam fulcire verbis Sapientiæ, ac Virginis poſſunt. *Ab æterno*, inquit, *ordinata ſum*, niſſa cetti, *princeps facta ſum: ſi ab æterno ordinata*, ergo in tempore non deordinata: ſi *ab æterno princeps facta*, ergo in tempore numquam culpæ actualis ſerva, numquam originalis mancipium. *Et ex antiquâ antequam terra*, Adam corpore per naturam, animo per noxam terreus, *fieret*. *Nondum erant abyſſi*, ac profundæ peccati humani voragines; *& ego jam concepta eram. Nondum fontes aquarum* ſalubris pœnitentiæ, & indulgentiæ miſericordiæ, *eruperant. Montes, & colles*, Patriarcharum virtute ſublimium, & ſynagogæ *terra*, & ſacrificiorum cruentorum *flumina*, & Prophetæ ac Reges *cardines orbis terræ*, nondum in divina idea diſponebantur. *Quando præparabat cælos*, Angelorum bonorum ac malorum diſtinctione, *aderam: quando certâ lege & gyro vallabat abyſſos*, coërcitâ ac reſtrictâ mali dæmonis & peccati poteſtate, ne me auderet attingere.

V.
Expetita Virginis conceptio ad perfectionem Univerſi.

Sed nos ab immenſis iſtis æternæ mentis conſiliis, ad accommoda magis, & admenſa capiti noſtro, illius opera deveniamus. *Age*, ô Deus, *conceptiones tuas*: quod intra te opus deſignâſti ad Univerſi perfectionem, effunde tandem extra te, & productum oſtende. Nutat terra ſub peccati pondere, & pœnarum onere concutitur, donec Virgo prodierit, cui iſtud conveniat: *Fundâſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi*. Aqua, ſerpentino afflatu infecta, venenum exhalat, donec ſcaturierit *fons ſignatus*. Tenebris obſitus aër ſqualeſcit, donec *fons parvus creſcat in fluvium magnum, & in lucem Solemque convertatur*. Ignis frigore peccati torpeſcit, donec *de Calore patris domus Rechab* accenſa Spiritûs ſancti flamma virguncula oriatur. Aſtra in cælis errantia lumen ſubtrahunt, donec illuceſcat *mulier amicta Sole*, cui ſcabellum Luna, ſidera coronam faciant. Illuvie & immunditiâ ſcatet Univerſum, donec Univerſi pars ab iſto univerſalis mulctæ præjudicio eximatur; *Nemo mundus à ſorde*.

VI.
Quomodò perfecta in tempore?

Quando ergo vênit plenitudo temporis, quo matrem Filio ſuo parare Deus deſtinârat; ſteriles pridem conjuges miraculo fæcundavit. Prolis corpuſculum conſummatiſſimæ pulcritudinis effinxit, ut *formoſitas in illo luxu corporea*, quomodò de D. Epiphanio Ticinenſi dicebat Ennodius, *index animæ foret*. Efformato corpuſculo animam conjunxit: facultatibus & qualitatibus omnibus, ad naturæ perfectionem facientibus, in eminentiſſimo gradu abſolutam. Simul gratiarum dona, largiſſimæ benignitatis manu, in illam effuſa. Intellectum fides, prudentia, ſcientiæ exornavêre: voluntatem caritas, fiducia, virtuteſque aliæ, iſtarum pediſſequæ, occupavêre. Ecquis in tanta exorientis divinitus ſanctimoniæ luce, ac puritate, ſordibus locus, tenebriſque ac peccato humanæ originis? Eſto, communi ad noctem illam pœnâ damnatum teneretur genus univerſum: ſed hic etiam iſtud Juriſconſultorum valuit, & obtinuit: *Obligatione generali non comprehenduntur res, per quas conſulitur publicæ utilitati*. Publicè autem nihil poſt Chriſtum utilius à Deo productum eſt, quàm Maria, eamobrem generalis noxæ abſolvenda ſupplicio.

VII.
Voce Eccle-

Unde autem, inquis, arcana tibi iſthæc patuêre? Quonam oraculo, quâ voce, *rerum illud, quod creavit Dominus ſuper terram*, didiciſti? Non ineleganter fingebat Philo, lib. de plant. Noe, Deum, conſummatâ Univerſi creatione, ex adſtantibus genius ſciſcitatum: ecquid ad tanti operis perfectionem deeſſe videretur? Reſpondiſſe de primoribus unum: Bonâ Creatoris veniâ, deſiderari quidpiam; ſonoram utique vocem, quæ ſurdis quamvis auribus ſummi opificis aſſiduè laudes inclamaret. In Mariani Parvimundi, mundiſſimi corporis, ſanctiſſimi animi productione, nihil penitùs deeſt: ne vox quidem, magnitudini operis, artificiique majeſtati, orbe toto publicandæ. Quid Eccleſiæ voce clarius, validius, diffuſius? *Nondum quidem à Romana Eccleſia & Apoſtolica ſede deciſum eſt*, ut Alexander VII. pronuntiabat 8. Dec. 1661. *animam beatæ Mariæ Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione Spiritûs ſancti gratiâ donatam, & à peccato originali præſervatam fuiſſe*: adeoque *contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam*, hæreſis damnari, aut de gravi peccato notari non poſſunt. Piam tamen illam ſententiam ratione ullâ vel occaſione vellicare; aut de ea controverſiam facere, aut diſputationem aliave quocumque tandem modo movere, pios Chriſti Fideles è ſua quaſi pacifica poſſeſſione deturbare conando, publicè privatimve, prorſus nefas eſt: poſtquam Eccleſia tum in corpore fermè univerſo, tum in præcipuis membrorum, tum in capitibus, & olim, & recèns, quàm ſibi pietas iſta placeat, ſæpiùs demonſtravit.

Ex publica Marianæ Conceptionis perfectio.

VIII.
Summorum Pontificum de illa opiniones, & decreta.

Quod Alexander VII. conſtituit, & edixit, hoc priùs ſanxerat Gregorius XV. Præiverat non abſimili præcepto Paullus V. & ſeſquiſæculo antegreſſi Alexander VI. & Sixtus IV. Præceſſêre Martinus V. & Innocentius VII. ille, evocato Romam Academiæ Toloſanæ Rectore; propterea quòd adverſùm immaculatam Conceptionem diſſeruiſſet, quem ibi, ad horam diſputationi dictam, mors domi repentè occupavit: iſte, accito itidem eâdem de cauſſa Joanne Monte-Sono Pariſienſi, & palinodiam cantare juſſo. Ante hos Bonifacius IX. templum Romæ, Conceptionis virgineæ titulo, & honori poſuit. Alexander III. Alexandri VII. civis, ac gentilis, Iconienſi Soldano ſcripſit: Magnam matrem *ſine corruptione* ulla fuiſſe, *juxta verbum Angeli, imò Dei per Angelum, ut plena non ſemiplena gratiâ eſſe probaretur... & ne caro Chriſti virginea, quæ de carne Matris Virginis aſſumpta fuerat, à tota diſcreparet*. Alexander II. in Concilio Mantuano ad annum 1064. celebrato, Miſſale Gothicum, ubi Miſſa de D. V. Conceptione habebatur, ſatagente inprimis Petro Damiano, approbavit. Joannes X. jam inde ab anno 902. officium ac feſtum de Conceptione B. M. laudavit, apud Euſebium Nierемb. de obj. concepi. c. 5.

IX.
Scholaſticorum Doctorum primariorum ſententiæ.

Doctiſſimorum, & ſanctiſſimorum Patrum ſummis Pontificibus acclamantium paucos, in cæterorum ſpecimen, ab aliis adductorum, profero. D. Thomas Villanovanus ſerm. 3. de Nativit. *Quæ gloria, quis decor, quis candor, quæ virtus, quæ gratia non decuit Matrem Dei? Homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus. Qualem ergo faceret artifex, qui elegit eam, ut naſceretur ex ea?* D. Thomas Aquinas, diſt. 44. art. 3. ad 3. *Poteſt aliquid creatum inveniri, quo nihil pulcrius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nullâ contagione peccati inquinatum ſit: & talis fuit puritas B. V. M. quæ à peccato originali & actuali immunis fuit.*

In

Io eamdem sententiam verba illius recitantur ex Comment. in ep. ad Gal. & ad Rom. D. Bonaventura in 3. dist. 3. art. 1. q. 1. *Congruebat advocata generis humani, ut nullum haberet peccatum: congruebat, ut Virgo ita vinceret diabolum, ut nec ei succumberet ad modicum. Congruum enim fuit, ut sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne.* D. Albertus Magnus lib. de laud. Virg. *Hæc Virgo sola à communi illa regula excipitur, Omnes in Adam peccaverunt.* Ex tam disertis trium primariorum scholasticorum de Conceptione virginea verbis, corrigenda, aut exponenda sunt, si quæ vel aliter, vel obscuriùs aliàs pronuntiavêre coacti decreto Mauritii Episcopi Parisiensis ad an. 1175. vetantis, ne in Academia Parisiensi doceretur, Virginem originalis culpæ expertem fuisse. Moverat autem Mauritium ad id decreti epistola D. Bernardi 174. ad Lugduonensem Ecclesiam, de non temerè celebrando festo Conceptæ Virginis citra Sedis Apostolicæ auctoritatem. In qua epistola, si quæ piam sententiam impugnare videbantur, exponi aut molliri poterant, ex manifestis ipsiusmet Doctoris verbis serm. 13 de cœ. Domini edit. Paris. an. 1609. *Non est in filiis hominum magnus, vel parvus, tanta praditus sanctitate, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter Matrem immaculati peccatum non facientis.* Ex serm. de Nativ. *Caro Maria, de Adam assumpta, maculam Adæ non admisit.*

X. Item Patrum.

Hæc verba Bernardus ex Petro Damiano transcripsisse videatur, serm. de Assumpt. *Caro Virginis ab Adam sumpta maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conversa est.* Affirmatissimè loquitur D. Ildefonsus lib. de partu. Virg. *Constat illam ab omni originali peccato fuisse immunem; per quam non solùm maledictio matris Evæ soluta est, verùm etiam benedictio omnibus condonatur.* Hausisse istud potuit ex celebri Augustini loco l. de natura & gratia: *Exceptâ Virgine Mariâ; de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem.* Et ex isto Cypriani, Corneliive Pont. serm. de Nativ. *Nec sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis, quoniam plurimùm à cæteris differens, naturâ communicabat, non culpâ.* Et hoc præterea Athanasii orat. de occur. Dom. *Virgo παντάμωμος καὶ παναμώμητος, prorsus incorrupta, & omnino immaculata.* Ex illo item Gregorii Thaumaturgi serm. de Ann. *Missus est à peccatis liber,* Angelus ad Virginem, *corruptionis ac labis expertem.* Ex isto denique D. Andreæ in epist. Presb. Achaiæ: *Sicut primus Adam formatus est ex terra, antequam esset maledicta; ita secundus formatus est ex terra Virginis, numquam maledictâ.*

XI. Ex omnium fermè Christi Fidelium.

Meritò igitur Catechismus Romanus, Clementis VIII. jussu editus, Christianos sic doceri voluit: *Gratia plena est*, Maria, *quia quoad primum gratiæ effectum, scilicet peccati deletionem, Virgo sanctissima numquam maculam habuit peccati originalis, aut actualis.* Meritò Alexander VII. in novissima decretorum pro pia sententia innovatione, loquitur hunc in modum. *Sanè vetus est Christi Fidelium erga ejus beatissimam Matrem virginem Mariam pietas, sentientium ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus, fuisse speciali Dei gratiâ & privilegio, intuitu meritorum IESV Christi ejus filii, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præservatam immunem; atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solenni ritu colentium, & celebrantium. Crevit horum numerus, atque hujusmodi cultus, post editas à fel. record. Sixto PP. IV. prædecessore nostro, in ejus commendationem, Apostolicas Constitutiones, quas sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque observari mandavit. Aucta rursus & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam, post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, religiosum Ordinem, & Confraternitates, ac concessas ab iisdem indulgentias. ita ut, accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam ferè omnes Catholici eam complectantur.*

XII. Conceptæ Virginis de Deo conceptiones.

En quibus auctoribus Virginem sine macula conceptam affirmamus, communi Fidelium sententiâ, Patrum scitis, Pontificum decretis. At quæ interim, fælici isto Conceptionis momento, ardentes Virgini de Deo conceptiones fuêre; cùm Deus in illa purissimas efformavit conceptiones suas? Quid egêre *astra matutina*, & *omnes filii Dei*, quando primùm divino opificio in rerum natura exstitêre? Laudarunt artificem, jubilaverunt conditori, ut conditor ipse testatur Joh. c 38. Quid Adamus & Eva, primo creationis suæ crepusculo ad creatorem conversi, fecêre? Quid nobis, simul de somno evigilaverimus, ex Christiana consuetudine, & debitis summo Numini quotidianis officiis, suadetur? Quid homini cuilibet, in ipso rationis ortu, mente in Creatorem intendenda; & actibus amoris devovenda, D. Thomas, ac Theologi alii, faciendum censuêre? Hoc tota contentione voluntatis, & mentis universæ conatu, Virgo egit, ipso Conceptionis suæ momento, cùm ejus anima creata est, & corpusculo conjuncta, in virtutum omnium splendidissimo comitatu. Neque enim acceleratum illi usum rationis, expeditamque intelligendi vim, ac volendi facultatem, cum existendi principio, negaverit eorum ullus, qui tam puram atque ornatam Conceptionem ipsi divinitus obtigisse non dubitant. Si autem conditionis suæ initio ratione usa est; ambigi non potest, quin vires omnes intelligentiæ, ac voluntatis, ad exhibendum conditori honorem, reddendum amorem, grates exsolvendas, excellentissimos quosvis mentis actus offerendos, impenderit. Imò nonnullis visum est, beatificam ipsi visionem, &, qui inde consequitur, amorem eo momento tribuendum, si quibus aliis ullo vitæ mortalis tempore concessus est: ita sensisse Rupertum, Bernardinum, Antoninum, Dionysium Cart. Gersonem, ipsumque adeo Bernardum. Sed istis datâ opinionis suæ licentiâ; mihi suffecerit, affirmare: mentem Virginis luce fidei collustratam, igne caritatis flamantem, dixisse in ortûs sui, conceptûs sui diluculo, simili atque in die Annuntiationis sententia, *Ecce ancilla Domini.*

XIII. Pulcra ubique dominans Virgo.

Age & tu modò, Christiane, *conceptiones tuas* de virguncula mirabili, de ancillula Domini. Quid illi faciemus? Phidiam Clemens Alexandrinus narrat, statuæ à se incisæ & inter septena artis humanæ miracula numeratæ, has voculas insculpsisse παντάρχης καλός. O absolutissima divinitatis imago Maria, sine labe concepta! O potentiæ, & benignitatis immensæ perenne miraculum! Tu omnino es παντάρχης καλὴ, pulcra ubique dominans. Tibi, & filio tuo, per quem & ob quem tanta es, universi potiori multo jure, quàm Israëlitæ Gedeoni, acclamemus, *Dominare tu nostri, & filius tuus*, Jud. 8. *quia liberâsti nos de manu Madian:* liberata divinitus peccati tyrannide, libertatis nostræ, per Filii tui sanguinem aliquando asserendæ, præjudicium attulisti.

At

XIV. Noſtræ de illa conceptione.

At quo potiſſimùm modo illum in nos Mariæ dominatum agnoſcemus, ac profitebimur? Dixêre multi de Conceptione Virginis: illius puritati defendendæ ſeſe devovère plurimi; de Societate noſtra omnes, ex quo Ignatius primus illam theſibus Theologicis propugnandam curavit, Laines in Concilio Tridentino pro illa peroravit: multi ex omni ordine, de noſtro non pauci, luculentè & ſapienter ad iſtud argumentum ſcripsêre. Prodiêre nuper ingenioſa, & laborioſa anagrammatum ea de re opuſcula: in his Joannis Baptiſtæ Agnenſis anagrammata centum, contexta ex Angelicis vocibus, *Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum*, quorum decadem unam ſelectam annoto: *Digna Mater IESV, & pura à macula omni. Nivea Mater IESV culpam ignorat Adam. Eva ſecunda malum ignorat prima. Iram maculámve Ada penitùs ignorat. Purior Angelis, Deum, unicè amata, amat. Inte negamus maculam in tota Deipara. Pura à macula eſto, etiam mundi Regina. Verum Dei Agnum, intacta à malo, paries. O Regina ſummè nitida, & pura à macula. Te puram, ſine macula genitam, adoravi.*

XV. Et in maculatæ Conceptionis imitatio.

Grata eſſe Virgini ſtudia iſta pietatis, ſervatâ caritatis & obedientiæ lege, non dubito: dicam tamen quod exiſtimo ipſi longè fore gratiſſimum. Lauda Deum, gratulare Virgini, cogita, prædica, ſcribe mirabilem conceptionem: ſed antè imitare conceptionem. Diſputas, cantas, pingis, declamas, immaculatè conceptam: tu interim quid concepiſti, quid parturis? Mentis tuæ fœtus an ſine originis peccato naſcuntur? Non ignoras, quid Jacobo ſit, *Concupiſcentiam concipere*; quid Pſalmiſtæ, *Concipere dolorem*; quid Iſaiæ, *Concipere laborem, ova aſpidum rumpere, ſovere regulum?* Id vindictæ, luxuriæ, injuſtitiæ appetens animus facit: conceptiones ſuas commaculat, multo deinceps Chriſti ſanguine eluendas, forſan neque umquam eluendas. Abſit tæterrima labes, Chriſti & Mariæ ſervo. *Dominare tu noſtri*, Virgo, *& filius tuus*; impera menti noſtræ, ut conſilium noſtrum & meditatio ſint juſtificationes ac teſtimonia Dei, ejuſque ſine fine ſervi perſtemus, cui te ab initio ancillam conſecrâſti.

SECTIO QUINTA.

In Nativitate Virgo mirabilis.

I. Nativitas Chriſti feſtorum omnium nobiliſſimum.

NATIVITATEM Chriſti D. Chryſoſtomus homil. 31. ad pop. Antioch. ait, feſtorum omnium dierum maximè venerabilem eſſe, ſacroque hortore digniſſimum, ac velut metropolin, σεμνότατον, φρικωδέστατον, μητρόπολιν. Etiámne Epiphaniæ feſto venerabilius eſt, quod olim Chriſtianis Cæſaribus fuit præcipuum? Ipſóne Reſurgentis Chriſti, & vitæ renaſcentis die, auguſtius? Nullum prorſus excipit Chryſoſtomus, quando tam univerſim pronuntiat. Rationes autem iſtius pronuntiati ternas adduci poſſe, exiſtimem. Quod Chriſto natalis ſuus gloriæ ſuæ ſimul natalis eſt: tunc enim demum ab hominibus agnoſci cæpit, atque adorari, tantò excelſior, quantò humilior. Quia idem dies natalis univerſi eſt; tunc enim hominibus gaudium cælitus nuntiatum, cantata pax. Quòd ſimul natalis eſt ſpei, ac fiduciæ Chriſtianæ: invitantibus Angelis nuntio pacis, & gaudii, quotannis iterato, ut *exultantibus animis*, quomodò D. Leo loquitur, *beata ſpei initia celebremus*, & cunabula fiduciæ noſtræ in præſepi veneremur.

II. Proportione idem dicendum de Nativitate Virginis.

Quid ſi, exemplo Chryſoſtomi, dicatur, inter feſta memoriæ Virginis dedicata primum eſſe, ac præcipuum, naſcentis Virginis: ne anniverſario quidem die celeberrimæ Aſſumptionis excepto? Reclamabunt ſine dubio plurimi. Acclamabit tamen B. Petrus Damianus ſerm. de Nativ. B. M. *Dum Redemptoris noſtri recolimus matrem, reliquarum feſtivitatum celebramus originem. Exultemus... Exultemus*, inquam, *& ſicut gaudere ſolemus*, non tantùm in Aſſumptione Virginis, ſed *in Nativitate Chriſti, ita etiam gaudeamus in Nativitate matris Chriſti.* Accinent Angeli, quorum feſtivas voces, ad diei iſtius ſingularem lætitiam, cælis terriſque communem, ſignificandam, auditas, teſtis eſt Vincentius Bellov. lib 6. c. 65. Applaudent religioſi cultores Lauretanæ domûs, cui multis retro annis, ipsâ naſcentis Virginis nocte, læti cælitus ignes incubuêre, ut perhibet Turſellinus, Hiſtoriæ Lauret. l. 1. c. 17. Aſſentientur multarum Marianarum ædium, beneficus divinis ac miraculis celebrium, pii veneratores: non neſcis illarum titulum ſolenniſſimum eſſe, Virginis naſcentis, quomodò apud nos inclyto Fojenſi ſacrario.

III. Nata eſt cum Virgine gloria virginis.

Sed omiſsâ, quam ſupervacuam aliqui cenſerent, feſtivæ iſtius prærogativæ diſſertatiunculâ; ſatis nobis fuerit excitandæ Chriſtianæ plebi, ut Nativitatem B. M. V. *cum jucunditate & devotiſſimè* celebret, totidem gaudii ac pietatis cauſſas afferre, quot pro Chriſti Natali adduximus. Ac primùm Virgini natalis ſuus gloriæ ſuæ natalis eſt. Tantum ergo gaudere nos de ipſius Nativitate oportet, quantum lætamur de gloria. Tantùm autem de gloria gaudemus, quantum bonitatem diligimus, quanti magnitudinem facimus, quantum nobis cordi eſt Virgo, poſt Dei Filium prima in boni publici rationibus, & ſæculorum omnium negotiis. Quàm cara nobis Maria eſt, quàm gratus illius honor: tam nobis jucunda debet eſſe anniverſaria glorioſæ Nativitatis celebritas. Eâ enim die *celſitudo throni proceſſit*, ut ab Eccleſia canitur.

IV. Dignitas Virginis in Conceptione cæpit; at non gloria.

Steterat quidèm throni Mariani celſitudo, ab ipſo uſque nobiliſſimæ Conceptionis exortu, & ex æternarum ſummi Numinis idearum ſinu in rerum naturam prodierat; nondum tamen proceſſerat in apertum, materno adhuc gremio clauſa tenebatur. Etſi in rerum natura jam erat, vix tamen adhuc partem naturæ faciebat: neque enim fœtus, quamdiu à prægnantibus geſtantur, in numerum veniunt, cenſentúrve; imò ne nominantur quidem. Prorſus, ut Theologi exiſtiment, donec ex alvo prodierint, alterius Angeli, quàm materni, cuſtodiæ non committi: quia pro re interim una habentur cum matre. At ubi proceſsêre, tunc & numerum augent, & nomen accipiunt, & genii cæleſtis tutelæ ſingulari creduntur. Quid, quòd immaculatæ virgunculæ dignitas Deo forſan adhuc ſoli cognita erat? Nam ſi Gabrieli, alteríve è primariis intelligentiis cuſtodi, nondum commiſſa erat: non video, cur jam tunc ipſius dignitatem Angelis divinitus ſignificatam arbitremur. In hominibus verò ecquiſnam iſtud miraculi, olim exſpectati, diu deſiderati, intra viſcera materna concluſum eſſe didicerit, ſi Angeli ipſi neſciêre? Niſi fortè ex D. Joannis Baptiſtæ Evangelica hiſtoria ratiocinemur, quòd Eliſabethæ & Zachariæ datum eſt, ut filii ſui adhuc in utero latentis, imò nondum

conceptî,

concepti, prærogativas ab Angelo docerentur; idem *Annæ*, id est *gratiæ*, & *Ioachimo*, id est *Domini præparationi vel resurrectioni* concessum, ut à Gabriele discerent; quàm puram, quàm Spiritu sancto plenam, quàm excelso officio destinatam filiam parituri essent.

V. In Nativitate publicari cœpta est.

Isti conjecturæ, in decori ratione nixæ, & Patrum quorumdam celebrium testimoniis fultæ, hoc demus: ut non uni dumtaxat Deo cognita fuerit conceptæ virginis eminentia, sed parentibus præterea Gabrieli que ad eos nuntio, & paucis aliis Angelorum primoribus. Needum tamen notitia, inter tam paucos restricta, in gloriam evaserat, famam latè patentem, ac diffusam. At ubi ex alvo materna processit, tunc per Nazarethanæ civitatis, & circumjectæ Galileæ populos spargi cœpit prodigiosa, magnumque aliquid portendens, Davidicæ puellæ Nativitas: quemadmodùm, nato Joanne Baptista, divulgabantur per montana Judææ omnia verba hæc, quæ illius conceptum antecesserant, gestationi intercurrerant, ortum comitabantur. Illud inter natæ Mariæ & Joannis uno gloriam interfuit, quòd huic octavo demum die, quando venerunt ut circumciderent puerum, acclamatum est, *Quis, putas, puer iste erit?* At Joachimo & Annæ gratulantes vicini, & cognati; ipso Nativitatis Marianæ die iteravêre, Quæ putas, puella ista erit? Etenim manus Domini erat cum illa, & miris sese operibus præsentem testabatur.

VI. Accepit Mariæ nomen, cujus variæ interpretationes.

In his fuit sanctissimum & amabilissimum, inter omnia post JESUM, MARIÆ nomen. Apud Hebræos enim puellis nominandis octavus dies non exspectabatur: sed mox à Nativitate, Deo vitarum omnium fonti religiosè oblatis, appellatio imponebatur. Hodie igitur Virgo MARIÆ nomen accepit: sive id nomen significet *stellam maris*, quia in periculis dux & ὁδηγήτρια est: sive *illuminatam, & illuminatricem*, quis ne cogitari quidem potest, quin pietatis luce mentem exhilaret: sive *myrrham maris*, quia condiendis adversùs vitiorum putredinem animis opem adhibet salutarem: sive *mare amarum*, in quod fluvii omnes gratiarum, & torrentes dolorum, confluxêre: illi à Deo hominem induto, isti à Deo-homine patiente: sive, quod Ambrosius opinabatur lib. de instit. virg. c. 5. *Speciale Mariæ nomen invênit, quod significat Deus ex genere meo*: seu potiùs, ex Damasceni sententia lib. 4. de fide, significet *Dominam*: vel, ut quidam maluêre, non longè à Damasceno, *Exaltatam* ab Hebræo *Marar*, quod est non *amarescere* dumtaxat, sed *exaltare, elevare*.

VII. Quàm felix ipsi sua Nativitas, quam exaltata?

Domina equidem & exaltata fuerat in Conceptione, supra omnem creatæ magnitudinis gradum. At multò altiùs in Nativitate evecta est post mensium novem vitam, in latebris quidem, sed per continuos virtutum actus exactam, meritis auctam, profectibus exaggeratam, dignitate cumulatam: gratiis, quas in Conceptione acceperat, per assiduas incrementa multiplicatis; in exortu suo, & novæ lucis aspectu per iteratos ardentis animi affectus explicatis; Angelorum admiratione honoratis, officio exceptis, obsequio comitatis. Adulator Panegyrista Treviris apud Constantinum declamabat: *Mihi Deorum immortalium munus & primum videtur, & maximum, in lucem statim felicem venire.* Quæ autem ista est nascendi fœlicitas? An inter purpures tapetis in spem Cæsarei tituli prodire? Sic olim apud Græcos πορφυρογέννητοι Cæsares appellari solebant, quos inter aulæs purpurea, velut ad dolorum solatium, aut secuturæ fortunæ præjudicium, vagientes atque ejulantes nutricum brachia excipiebant. O quàm excelsæ dignitatis honore, quàm certâ dominatûs prærogativâ, quantâ fælicitate virguncula Maria nascitur, in gratiæ divinæ brachiis, in adjutorio Altissimi, in cælesti purpura flagrantissimæ caritatis!

VIII. Fælix Universo sæculum nascentis Virginis.

Nec fælix ipsi modò sua est, verùm etiam orbi universo Nativitas. Mariam, Mosis sororem, ab amaritudine appellatam Genebrardus existimavit: propterea quòd ineunte sæculo, Hebræis per Ægyptiacam servitutem infausto, nascebatur. Anna & Joachimus filiæ suæ appellationem Mariæ tribuunt, non ab amaritie, sed ab exaltatione ac dominatu: quia cum illa exoritur generis humani dominatus, & exaltatio, daturque initium fælicissimo sæculorum à Sibylla Cumæa prænuntiato, Latini poetæ versibus cantato;

Vltima Cumæi venit jam carminis ætas.
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.

Censuit Augustinus lib. 1. de Gen. cont. Manich. lib. 12. cont. Faust. lib. 83. quæst. aliisque locis, senos Universi conditi dies totidem mundi ætatibus respondere: septimam mundi diem, atque ætatem, fore sabbatum quietæ æternitatis. Sextâ mundi ætate, Eva nova, novus Adam, ordine novo prodiêre, priùs illa, iste posteriùs. In condendo Universo Deus gradum ab imperfectioribus per dies singulos ad perfectiora promovit; donec in homine desineret, complemento spectabilis Universi. In ætatum gradibus, & cursu sæculorum, paullatim Deus ab inferioribus ad summa virtutum, in Virginem accumulanda, progressus est: ut in illa, ac Filio, præcipuum efformaret mundi totius visibilis, atque intelligibilis, ornamentum.

IX. Tempora omnia de Virginis Nativitate certavêre.

Damascenus eleganter aiebat, sæcula omnia de Nativitate Virginis certâsse, tantumque sibi singula decus ambisse. Quidni de diebus idem, & mensibus, & tempestatibus anni, dixerimus? Octavo mensis die nascitur, quem perfectionis numerum Hilarius, justitiæ Clemens Alexandrinus appellat. Nascitur Septembri, annive apud Judæos sacri mense septimo, qui numerus quietis est: in eo siquidem opere Deus acquievit, & sabbatismum inchoavit. Sub exeuntem æstatem nascitur, Autumno imminente, quo tempore conditum orbem Hebræi existimavêre, non aspernandis rationibus nixi, per Salianum aliosque recitatis: ut vel inde intelligamus, cœptam ab exortu Mariæ renovationem Universi. Nascitur Virgo purissima sub Virginis signo, oritur justissima propinquante Libræ exortu: simulque aurei sæculi principium ducitur, prodeunte illâ quæ peccatum nescit, ferreorum sæculorum caussam; quæ virtutes omnes callet, ætatis aureæ fontem.

X. Lætitia orbis universi in Mariæ exortu.

Celebratur vox prisci nescio cujus, inter gaudia ostantis, *Iam mihi nasci videor*. Ferunt ab Adriano Imperatore eum diem, quia lætissimum pro natali habitum, quo per Trajanum fuerat adoptatus. Nullum adhuc majus mundo gaudium obrigit, quàm à Mariâ, propinquæ per Filium Dei regenerationis prænuntiâ, arrhâ repullulaturæ brevi arboris vitæ, indice mox adfuturi morborum omnium humanorum expertissimi medici. *Ægrotat*, inquit Augustinus serm. 59. de ver. Dom. *humanum genus, non morbis corporis, sed peccatis. Iacet toto orbe terrarum ab Oriente ad Occidentem grandis ægrotus. Ad sanandum grandem ægrotum*

ægrotam deſcendit omnipotens medicus. Medico præit mater, & ægri curationem inchoat, fiduciâ vicinæ ſanitatis. Evolat ad urbem hoſtilibus copiis clauſam columbula, ſub alis literas ferens, ſuppetiarum propinquantium nuntias, & cives gaudio complet. Advolat innoxia Maria, in orbem inimicis criminibus circumſeſſum; & opis divinæ certiſſimum pignus, ac teſtimonium libertatis, Spiritûs ſancti digito deſcriptum, ſeſe ipſamet oſtendit, gaudiumque annuntiat univerſo mundo.

XI. Spes noſtra excitatur feſto Nativitatis, beneficiis cæleſtibus uberi.

Simul ſingulis noſtrum jucundiſſimam ſpem adfert, impetrandorum, tam feſtæ diei anniverſario gaudio, beneficiorum quorumvis, à liberaliſſima Virgine. Copiosè ſemper fluit benigna ipſius largitas: at quando copioſiùs, quàm per natalis lucis lætitiam, quæ ipſos etiam Herodes ad prodigam dimidiandi regni profuſionem ſolvit? Experti equidem ſæpe fuêre Chriſtiani ſingulare, hoc ipſo die, Virginis præſidium. Ad annum ſæculi proximè elapſi ſexageſimum quintum, Melita Solimanni obſidione liberata, Spondano teſte. Ad annum item iſtius ſæculi decimum-quartum, Moſchos Poloni inſigni ad poſteritatis memoriam clade confecêre. Londinum olim perhibent, eâdem die, diſcrimine barbaricæ obſidionis ereptum. Ad hunc etiam diem pax Eccleſiæ univerſæ reſtituta, anno 1243. Innocentio IV. Pontifice; indeque antiphona lætiſſima accini cæpta: *Nativitas tua, Dei genitrix Virgo, gaudium annuntiavit univerſo mundo.*

XII. Coronam Virgini offeramus, & ipſi ejus corona ſimus.

Ex privatis, qui ſingularia de cælo beneficia feſto naſcentis Virginis accepêre, omittendus non eſt D. Bernardinus Senenſis, ipſe de ſe concionatus: *Hodie natus ſum, hodie habitum Ordinis ſuſcepi, hodie profeſſionem emiſi, hodie primum ſacrum feci, hodie primam concionem habui.* Nec præteriri debet Chriſti collactaneus Bernardus, qui ep. 86. ad Guilielmum Abb. ait, *Natali Dominæ noſtræ*, totum ſe devotione occupatum, *aliud nihil cogitare permiſſum.* Et nos, qui *ad partum Virginis pertinemus*, ut Auguſtinus loquitur ſerm. 12. *quia Chriſti membra ſumus*; animos erigamus per poſtulantium interventricem ad largitorem numerum, per Matrem ad Filium. Amaſis apud Diodorum Siculum, corollâ floreâ Partamidi Ægyptio Regi, natalia ſui anniverſario die, oblatâ, inter amicos Regios adſcitus, in regno deinceps ſucceſſit. Dominæ noſtræ, Mariæ, exaltatæ Reginæ Virgini, per natalis ſui recurrentia gaudia coronam offeramus floream, amore, fiduciâ, laudibus, pietate contextam: imò *gaudium ipſius & corona* ſimus, ſtantes in Domino, cum ipſa renati, Deo conſtanter victuri, mortem criminum numquam deinceps admiſſuri. Iſtud præcipuum Natalis tui munus eſt: hoc Chriſtiani volumus, ſancimus, & enixiſſimè obſecramus: ut, Filii tui præpotenti auxilio, ſit perpetuum. Tecum, ô Virgo, reviviſcamus, tecum vivamus ſpiritu, tecum denique ad beatæ & immortalis vitæ lætitiam naſcamur.

XIII. D. Virgo liber vitæ.

Prædicari facundè, & jucundè audiri ſolet, pietatem erga D. Virginem, de certiſſimis eſſe beatæ prædeſtinationis, quæ hic haberi poſſunt, indiciis. De tam grato in vulgus argumento breviter exponam, quid ſentiendum arbitrer, quid dicendum: ut auditor, non ad inanem fiduciam ac præſumptionem, ſed ad ſpem Chriſtianam erigatur. *Liber generationis IESV Chriſti*, non jam ille parentum Chriſti, qui eum progenuêre; ſed ille filiorum Chriſti, ex ejus gratia regeneratorum: hic ergo vitæ liber eſt, beati quorum inſcripta ſunt nomina. Quidni virginem Mariam, *de qua natus eſt IESVS*, de qua orti ſunt filii JESU; librum iſtum eſſe dixerimus, cum Regio, & Pelegrino, ad quos te amitto, recentioreſque alios qui ex ipſis hauſêre? Tantumdem illud eſt, ac ſi dicamus: Quicumque hominum conſtanti ſinceræ pietatis affectu Virginem proſequuntur; eos omnes vel ſanctos eſſe, vel fore, & in ſorte fælici ac ſelecto numero prædeſtinatorum cenſeri: quod ne ipſis quidem Ægyptiaci Onii fabricatoribus, Luthero, Oecolampadio, Bucero, aliquandò diſplicuit, quando paullò ſaniores fuêre.

XIV. Probatur ex ſacris Literis.

Quatenus autem locorum generibus id fulciri poteſt: à Scriptura petitis, à Patrum ſententia, à ratiocinatione, ab experientia. Scripturæ oracula terna ſunt: Primum Prov. 8. *Beatus homo... qui me invenerit, inveniet vitam.* Alterum, pſalmo 86. univerſo, in quo iſtud præſertim expendendum, *de populo Æthiopum*; qui homines criminum nigredine fuſcatos, & ſubterraneo vitiorum igne aduſtos adumbrat, in *Dei* tamen *civitatem*, ubi *homo & homo natus* eſt, fæliciter adlectos. Tertium Eccl. 24. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo*, &c. *dixit mihi... in electis meis mitte radices.* At verò, inquis, Spiritus ſanctus de ſapientia illic, & de Hieroſolymitana civitate, non de Virgine, loquitur. Prorſus ita eſt, ſi in literalis ſensûs cortice hæreamus: ſed ſi accommodatitium attendamus, quo Eccleſia jampridem univerſa utitur, de Virgine iſthæc intelligenda ſunt. Quot ſæcula præteriêre, cùm Officium de illa horarium legitur? Quàm pridem Sacra, & Miſſæ, de Beata fiunt? Tantumdem temporis eſt, cùm Eccleſia, Spiritûs ſancti mente in ritibus publicis animata, de Diva Virgine iſthæc pronuntiat.

XV. Doctorum præterea conſenſu unanimi.

Eccleſiæ ſententiam, ac pietatem, ſequitur, unanimi conſenſu, auguſtus doctiſſimorum ac religioſiſſimorum virorum ſenatus. Cantatiſſima Bonaventuræ verba ſunt lib. 1. Pharet. c. 5. *Sicut, ô Beatiſſima, omnis à te averſus, & à te deſpectus, neceſſe eſt, ut intereat: ita omnis ad te converſus, & à te reſpectus, impoſſibile eſt ut pereat.* Neque iſthæc Idiotæ, quem Bonaventuræ eumdem aliqui, diverſum plures fecêre, obſcura ſunt: *Sæpe, quos juſtitia Filii damnare poteſt, Matris miſericordia liberat.* E quibus Idiotæ verbis Gerſon tribunal geminum ſtatuit, unum juſtitiæ, miſericordiæ alterum, Chriſtum illi, iſti Virginem præſidere: ab illo ad iſtud appellationem, in criminum cauſſa, Chriſti voluntate conceſſam. A D. Bernardo magiſtro ſuo Guerricus ſæpe audierat, quod ſerm. de Aſſumptione publicavit: *Nullatenus crediderim majoris eſſe felicitatis, & gloriæ, habitare in ſinu Abrahæ, quàm Mariæ.* Quid Guilielmum Pariſ. Rhet. eccl. cap. 18. Anſelmum lib. de Excell. virg. Damaſcenum in Annunt. Dei genitricis, Hildephonſum, Baſilium Seleucienſem, Epiphanium, Auguſtinum, cæteraque illuſtria Patrum nomina, à Marianis multis ſcriptoribus recitata, producamus?

XVI. Et firmà ratiocinatione.

Iſta verò Patrum, inquis, populariter magis ac declamatoriè, quàm Theologicè dicuntur, & ad exactam rationis normam. Amuſſim itaque conſulamus. Si clientibus ſuis, ad æternæ fælicitatis conſecutionem, Maria præſentiſſimo præſidio non adeſſet: deficeret ipſi vel auxiliandi voluntas, vel poteſtas. Voluntate deſtitui Matrem optimam nulla ſuſpicetur, quamvis irreligioſa,

&

& Ægyptiaca, suspicandi temeritas. Citius obliviscetur mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui; quàm ut ipsa non misereatur nostri, quos Christus Filius ejus in cruce genuit, & ipsius caritati cum dilecto discipulo commendavit. Nefas etiam est, de illius potestate ambigere, quæ Filium habet omnipotentem, Filio gratissima, à Filio clientibus suis quidlibet profuturum impetrare solita; in isto maximè negotiorum summo, salute sempiterna, præ qua nihil Christianis pensi est. *Iuvatur*, inquit D. Thomas 1. p. q. 23. art. 8. *effectus prædestinationis precibus Sanctorum*. illum non adjuvet oratione, & advocatione suâ, sanctissima Genitrix Sancti Sanctorum? Juvat enimvero, inquit D. Thomas opusc. 8. in Salut. Ang. *& per eam Christiani omnes, sicut per stellam maris, ad portum æternæ gloriæ diriguntur.*

XVII. Stabilitur experientiâ, & historiâ recenti.

Adstipulantur ratiocinationi narrationes plurimæ: quarum unam, recentis memoriæ, profectam ex anno hujus sæculi quadragesimo tertio, mihi certò cognitam. Vixerat homo inprimis illustris morum licentiâ tanta, & in voluptates profusione, tam prodigus sui suorumque: ut patrimonio quamvis opulento, debita tamen contraxisset ad mille quingenta millia florenorum, librarùmve, id est millionem & semis. Isto voluptatum profluvio viribus prostratis, & enervatis artubus, juvenili adhuc ætate, etsi maritus esset, in morbum letalem incidit. Omnis ægri cogitatio in sanitate corporis recuperanda versabatur: de animi salute cura penitùs nulla, ne postea quidem quàm medici de vita conclamatum esse pronuntiârant. Uxor & mater ad lectum in genua provolutæ, obtestantur, ut æternitati consulat. Surdum ad preces, lacrymis uberibus, & densis gemitibus, urgent. Emollitâ tandē duritie, ad D. Virginem conversus: Scis, inquit, ô Virgo, malus licèt servus fuerim, servum me tamen tuum fuisse, sabbatis omnibus in tui memoriam jejunâsse: animam meam, quam adhuc tam parvi feci, tibi apud Filium tuum commendo. Ex illo, admissis ad meliora monitis, totum sese expiandæ conscientiæ dedit, pieque admodum decessit Sacramentis omnibus ad mortem comparatus. Quod de prodigo uno, sabbatis jejunante, retulimus: idem tum prisci, tum recentiores scriptores perhibent, de multis, quos Rosarii aut Officii Mariani quotidianæ pietati assuetos, sacellorùmve, aut imaginum Marianarum cultui deditos, imò unicæ Mariani auxilii invocationi nixos, misericordissima Mater de voragine vitiorum, & præsentissimo mortis æternæ discrimine, non prodigiosè minùs, quàm clementer, eripuit.

XVIII. An omnes Christi cultores salvantur, omnes Mariæ clientes?

Ergóne tu eorum nullum, qui sabbatis jejunavēre, qui Rosaria percurrēre, qui Virginis imagines coluēre, sacella frequentavēre, damnatum putas? Damnarìne nulli sunt, qui feriis sextis; in Christi patientis memoriam, severas sibi à cibis abstinendi leges indixēre, qui Christum quotidianis precationibus salutavēre, qui Crucis imaginem templáve constanter honoravēre? Atqui certissimum est, alia longè de fiduciâ nostra in Christo collocandâ, quàm de spe in Virginis auxilio statuendâ, tum in sacris Literis legi, tum à Patribus explicari. Et verò recta ratio, fidei decretis experimentisque perpetuis stabilita, majorem multò de Christo, quàm de Virgine, fiduciam à Fidelibus exigit. Christus enim pro omnibus, ex Dei æterno consilio, mortuus est, pro omnibus oravit in diebus carnis suæ, mediator & salvator omnium est, maximè Fidelium. Multi tamen hominum ad inferos præcipitantur, non pauci pereunt Christianorum: Marianorum nemo damnetur?

XIX. Præsumptio ex cultu Virginis damnanda.

Argumento isto instanter urgeantur, qui affirmate nimis asseverant, famulorum Virginis neminem prorsus periturum. Salubriter terreantur, qui asseveratione temerariâ nisi, præfidenter sese ad vitiorum genus omne projiciunt, planeque sibi persuadent, patere in cælos facillimam viam, etsi neque alienis pecuniis, nec corporibus, neque honori parcant. Devolvant modò quotidie demensum globulorum aliquot precariorum; & susurros salutationis Marianæ, malè intellectæ, balbutiente linguâ præcipitent: aut Officium, Psalteriúmve Virginis summorum labiorum motu, vix ullo mentis affectu, mussitabundi & oscitabundi decurrant: aut totos dies cibo, potu, peccatis ingurgitati, septimum quemque diem parcant gulæ, non parcentes conscientiæ: aut longè à Deo digressi, & de regione virtutis pridem extorres cum habitantibus Cedar, ad sacella, populorum turbis frequentata quandoque peregrinentur: aut mente vitiis omnino mancipatâ, addictâque criminibus voluntate, donaria parietibus Marianis appendant, vel tabellulas votivas affigant. Istis tam licenter viventibus, quàm præsidenter sentientibus, retundenda malesana spes, & eximenda temerariæ fiduciæ pernicies.

XX. Qui meritò de salute, ex cultu Virginis, sperent, & quomodo?

At nobis in mentem nunquam veniet asserere, D. Virginis cultores universos, qualicumque demum sorte vixerint, in sortem tamen beatorum venturos. Hoc tantummodò decernimus, cultum Virginis inter prædestinationis signa præcipua numerandum. Longè autem distat à certitudine, signum certitudinis; & valdè diversa sunt, certa salus, & certum salutis indicium. De salutis indicio plurimis constare potest, de salute paucissimis: de hac non aliter, quàm oraculo divino, cognoscitur; de illo ratio, auctoritas, & experientia comparatione temporum, ac rerum, pronuntiant. At quid tandem ex tota disputatione definiemus? Duo ego quidem dixero. Primum, qui præsidenter, & vanâ impunitatis spe conscientiam præfocant, illorum salvari paucissimos: quantumvis Virginem constanter colant. Qui autem ex naturæ imbecillitate labuntur, nec diu in exsurgendo cunctari solent: eorum, si in Mariæ obsequio perseverent, damnari paucissimos. Fridlandius, Valsteniúsve, ævo nostro fœdæ in Cæsarem proditioni, aut machinationi, miserabiliter immortuus, quotidianæ Officii Mariani recitationi pridem assueverat; neque eam consuetudinem per expeditionum bellicarum assiduas occupationes omiserat, ut ex viris fide dignissimis accepi, nisi novem omnino ante mortem mensibus: fœliciùs arbitror vitâ excessurus, si constantiùs in ea pietate perseverâsset. Itaque Virginem fideli obsequio veneremur, ejusque obsequiis convenienter vivere studeamus.

SECTIO SEXTA.

Diva Virgo sitne Mater, an Ancilla mirabilior?

I. Quanta celebritas an-

QUOD de festo nascentis Virginis quæsīmus, primáse inter illius festa obtineret; Francisco Maironio, claro è Franciscana familia Theologo

[margin: ...nuntiatæ Virginis?]

Theologo & Ecclesiastæ, non placuisset. Nam in sermone quopiam de Annuntiationis festo, existimat, omnibus non Virginis modo nomini, sed etiam honori Christi sacris diebus illud antecellere, cujus ista ex Num. 28. aptat: *Dies prima venerabilis & sancta erit.* Nec dubium, quin Joannes Bonifacius è Societate nostra in eamdem sententiam propenderit: quando in Historia Virginia lib. 2. c. 5. festum Annuntiationis ab Apostolis institutum arbitratus est, vel ex eo, quòd Gregorii Thaumaturgi, Apostolico sæculo vicini, homilia de istius diei celebritate habeatur. Tantoque id propensiùs Bonifacius scripsit: quantò gratior est in Societate nostra Annuntiationis memoria, cujus noctem Divus noster Ignatius velut natalem vitæ melioris habuit, exactam in æde sacra Manresana, ad altaris Virginei crepidinem. Quâ etiam forsan de caussa, primarii apud nos Sodalitii Mariani titulus ab Annuntiatione Romæ sumptus est.

II.
[margin: Titulus Deiparæ supra cæteros eminet.]

Fuit ea nox Ignatianæ sanctimoniæ natalitia; cujus dies natalitius fuit summæ dignitati Marianæ. Eo enim die salutata est à Gabriele, divino legato, Mater Dei: ipsa sese, Spiritûs sancti impulsu, dixit Ancillam Domini. De quorum titulorum dignitate, ut rectè æstimemus, comparandi erunt inter se, & dispiciendum, plúsne Virgini honoris ex illo, an ex isto, accesserit. Quæ autem, inquis, hîc comparatio fieri possit? Quidquid enim laudum & encomiorum Christiani Patres, ac Doctores, facundâ in Virginem pietate congesserunt, unici illius brevitate superatur. Ita sensit Anselmus lib. de Excell. Virginis: *Prædicare, quòd sit Dei Mater, excedit omnem supereminentem excellentiam & omnem altitudinem, quæ post Deum dici vel cogitari potest.* Dic cum Bernardo ep. 174. *Gratiæ inventricem, instauratricem salutis, reparatricem sæculorum.* Dic, cum Athanasio lib de Ann. *Spiritum sanctum & omnia ejus essentialia dona in Virginem effusa.* Dic cum D. Thoma 2. 2. q. 103 art. 4. ad 2. *Virginis & Deo intimam esse affinitatem.* Dic cum Hesychio homiliâ de Deipara, *ipsam Trinitatis esse complementum.* Postquam isthæc, aliaque plurima in eamdem formam, speciosa & magnifica, communemque loquendi ac sentiendi modum egressa, cumularis: nihil denique excelsius de Maria proferes, quàm quod Mater Dei sit, nec χριστοτόκος *Christipara* duntaxat, sed θεοτόκος *Deipara.* Eum enim parturiit, ac genuit, qui Deus est; cui eâdem ratione generari, quâ nasci, conveniens fuit: quem tam ex vero ipsius filium, quàm Deum hominem esse, ac nominari, scimus.

III.
[margin: Maternitatis divinæ physica dignitas ex capitibus ternis.]

Quantæ autem dignitatis tantum Deiparæ munus fuerit, tum ex rei natura, tum ex rectæ rationis judicio, Physicéve ac moraliter, pressiùs ac particulariùs inspiciamus. Ex rei primùm natura, quod matribus erga liberos suos commune est, hoc Virgini datum fuit; ut formando prolis divinæ corpusculo caussam ministraret, seu, quomodò in scholis loquimur, concurreret. Deinde non id solùm sibi corpusculo dedit, quod matres solent: sed quidquid illi perficiendo necessarium fuit, hoc omne potenti obumbrantis Spiritûs virtute, de Virgine desumptum est: ut Benjamino suo jam tunc dici possit, duplicem portionem donavisse, maternam simul ac paternam; adeoque aptissimè à Græcis πατρομήτωρ, *patrimater*, appelletur. Exhinc consequens est, aliquid virgineæ carnis, sanguinisve, Verbo Dei, Personæ divinæ proximè, intimè, immediatè conjunctum esse: nam ex Virginis carne, & sanguine, coaluit corpusculum, quod Dei sibi Filius sumpsit.

IV.
[margin: Ex aliis item binis capitibus.]

Quidquid alimenti novimestris augendo isti corpusculo dedit; quidquid deinceps lactis in os ac venas, & ex venis in artus infantis, transfudit, Verbo iidem divino conjunctum est. Ejusque conjunctionis vinculum tam arcto nexu constrictum fuisse, Theologi opinantur: ut, quam de Virgine Christus corporis sui materiam desumpsit, numquam accessione ullâ, decessionéve, amiserit. Huc, ni fallor, spectavêre isthæc Petri Damiani serm. de Nativ. Virg. *Cùm Deus in aliis rebus sit tribus modis, in Virgine fuit quarto, scilicet per identitatem: quia idem est, quòd ipsa. Hic taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat adspicere tantæ dignitatis immensitatem.* Sed, ut isti Theologorum opinioni standum non sit: manet nihilominus sua cæteris Deiparæ erga Filium officiis certitudo, & ex iis, perpetuus atque æternus Filii respectus, ac relatio ad Matrem, Matris ad Filium.

V.
[margin: Dignitas Virginis infinita moraliter ex Maternitate.]

Tanta verò est ab isto Christi, & Virginis, indissolubili respectu, ac relatione mutuâ, Maternitatis divinæ dignitas: ut, quomodò apud philosophos entia quædam Transcendentalia vocantur, quia categoriarum seriem omnem excedunt; ita Maternitas illa supra omnem longè dignitatum quarumvis ordinem emineat. Et quemadmodùm de cælesti Patre Paullus dixit, *Ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra, nominatur*, ex illo utique tamquam ex fonte derivata, ad illius exemplar adumbrandum efformata, illi tamquam supremo capiti subjecta: ad eumdem fermè modum de Matre divina, matrum omnium sublimissima dicere liceat, Ex qua maternitas omnis in cælo, & in terra, prærogativæ suæ decus mutuatur. Imò sicut Dei Paternitas, & reipsa, & æstimatione, Physiceque ac moraliter, prorsus infinita est: ita Maternitatem Virginis dixerimus moraliter pretio suo, ac dignitate, omnino esse infinitam. Etsi enim, ut multorum in philosophicis disceptationibus sententia est, infinitum Physicè rerum creatarum dari ullum nequeat: datur tamen infinitum moraliter, id est rectâ dignitatis æstimatione. Sic Christi merita, operum theandricorum pretium, valor unionis hypostaticæ, vinculive humanam inter ac divinam Christi naturam, finem non habent, penitusque immensa & inexhausta sunt. Ejusmodi est divina Maternitas, Deum proximè spectans, & hypostaticæ unioni intimè connexa.

VI.
[margin: Dona Maternitatem consequentia quasi infinita.]

De se itaque Maternitatem æstimatione morali infinitam pronuntiamus. donis autem divinis, quæ velut asseclæ dominam comitantur quasi infinitam, & immensæ proximam dicimus. Quomodò enim hypostatica unio infiniti pretii est, & quasi infinitarum prærogativarum comitatu cingitur, animæ summâ gloriâ, corporis beatitudine, omnigenarum gratiarum affluentiâ, quarumvis scientiarum lumine. Ita virginea Maternitas affert donorum gratiarúmve decus omne, quod vel majori Virginis decori nihil detrahit, vel Filii gloriam non deterit, vel divinarum Literarum oraculis non adversatur. Totum enim istud, quantum est, Matrem Dei addecet, quia dignitatem tantam superare non potest; atque adeo illi gradui consentaneum, ac velut debitum est. Apud Ecclesiasten, *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat*: apud Bonaventuram, universi gratiarum amnes defluunt in Mariam,

&

& Mariæ alveus, id est materna dignitas, tam copioso cælestium aquarum decursu non exceditur. Apud Suarem sub partis 3. initium, sancti alii Doctores non ambigunt, quin ad Virginis ornatum in summam unam coaluerit, quidquid speciei & gloriæ sanctis quibusvis aliis potentia, & benignitas Divina partita est.

VII. *Convenientia excelsitati summæ dignitatis.*

Itaque Virgo, eximiæ Maternitatis caussâ, gratiæ habitualis excelsissimum longè inter creata omnia, Filio dumtaxat excepto, culmen obtinuit. Simul gratiarum actualium ditissimo proventu cumulata; donis omnibus Spiritûs sancti, seu quæ ad intelligendum pertinent, seu quæ ad volendum, ornata; ad verum propriumque Angelorum omnium, hominumque dominatum, eminentissimi officii gradu evecta est. Compendio universa constringantur, quæ ad Virginis gloriam faciunt: unico isti, quantacumque sint, fundamento insistunt, *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quia Mater Dei futura es, simul convenientibus tanto muneri donis instrueris. Neque enim Deus, quos officio cuipiam destinat, necessariis illi fungendo facultatibus destitutos esse patitur: ut Suares eruditè disputat ex D. Thoma 3. p. q. 25. art. 6. Et qui Saüli ad Regiam dignitatem delecto cor aliud dedit, Davidi mansuetudinem largitus est, Salomoni sapientiam contulit: Matrem suam pro sublimissimæ dignitatis portione, copiosissimis divinæ dotis opibus impertivit.

VIII. *Ancilla Dei prius est, quam Mater Dei.*

Quâ igitur deinceps verisimilitudine, titulum Ancillæ Domini eum elogio Matris Dei conferamus; tam altè evecto, non opinione modò nostrâ, sed Patrum judicio, sed veritatis sententiâ? Audeamus tamen aliquid, & conemur, ipsâ etiam adstipulante veritate. Ac primum: quomodò honorificentissimus est Deiparæ titulus, quia divina Maternitas cæteris fundamenti instar est: eâdem ratione encomium Ancillæ Dei honorificentius fuerit, quàm Deiparæ, quia Maternitati pro fundamento substruitur. Neque enim idcirco Virgo Ancilla Dei est, quia Mater Dei: sed idcirco Dei Mater est, quia Ancilla Domini. Et quamvis Maternitatis dignitatem justo nullo operum pretio comparare potuerit, mererive, ut loquimur, ex condigno: de congruo tamen, & ex quodam æquitatis decoro, promerita est. Itaque D. Justinus, quæst. 136. ad Orthodoxos, non dubitavit affirmare, *Beatiorem fuisse Virginem virtute, quâ Mater Dei esse promeruit, quàm ipsâ divina Matris dignitate.*

IX. *Meritàne sit Maternitatem fide, an virginitate?*

Sed quâ potissimùm virtute istud decus comparâsse dicenda est? Fidei præmium tribuisse videatur Elisabetha, cùm dixit, *Beata quæ credidisti.* Accedit Augustinus tract. 4. in Joan. *Virgo concepit, virgo peperit: quia fide concepit, fide suscepit:* libro item 4. de symb. ad Catech. *Alvus tumescit Virginis, Claustrum pudoris permanet. Impletur uterus matris, sine ullo complexu patris. Sentit prolem, quæ se ignorabat conjugem. Angelus ad Virginem loquitur: à Virgine cor præparatur. Christus fide concipitur.* Quidni autem virginitati palmam offeramus, quandoquidem, ex Siracidæ sententia, *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ:* & ex Basilii indicatione, *Præclarum est quiddam virginitas, quæ hominem Deo incorruptibili quàm simillimum facit.* Sponsus animarum, qui pascitur inter lilia, viso lilio uno pulcritudinis eximiæ, famulum illico suum Gabrielem misit, ut illud sibi annotaret, ac servaret: imò & ipse mos de cælis ad terrarum areolam descendit, ut candorem illius propiùs intueretur, & odore foveretur, inquit Andreas Hier. serm. de Annunt.

X. *An oratione, vel obedientiâ?*

At nonne pietas, religio, oratio flos est virginitate suaveolentior, & velut thymiama perfecti odoris in conspectu Domini? Nonne Bernardus sermone de Nativit. Christum ait fontem esse de æterna Patris fœcunditate scaturientem, plantisque cælestibus irrigandis jampridem profluum: sitientibus terris derivatum non fuisse, quia canalis defuit, donec eum fluento divino admoverent Virginis vehementia desideria, incensa pietas, & ardens comprecatio? Obedientiam altissimè Bernardinus extulit tom. 2. serm. 51. arbitratus Virginem verbis istis, ex animi sententia prolatis, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, plùs apud Deum meriti consecutam, quàm Angeli hominesque universi, omnibus umquam virtutum actibus meruerint: eorum verborum mercedem fuisse gratiarum incrementa immensa, virginitatem fœcunditati prodigiosè conjunctam, ipsam denique divinam Maternitatem.

XI. *An humilitate potiùs, caritati sociatâ?*

Primas tamen communis omnium fermè Patrum sententia humilitati, ac demississimæ modestiæ tribuit, conjunctæ utique cum intensissima caritate: quia, ut ait Sophronius, *totam Virginem incenderat amor divinitatis, totam repleverat gratia Spiritûs sancti, & ebrietas divina perfuderat.* Quantò autem fuit excelsior caritate, tantò fuit abjectior humilitate: eamque ob caussam fecit fructum sursum, quia misit radicem deorsum: vocataque est vallis benedictionis, quia nec mons nec collis fuit, ut Bonaventura loquitur, Spec. c. 13. In eamdem sententiam Ildephonsus, Damianus, Bernardinus, aliique multa dixêre. Tres produxisse satis fuerit, Maximum Taurinensem homiliâ Dom. de ramis, Bernardum serm. 1. super Missus, Augustinum serm. 35. de Sanctis. *De manna*, inquit ille, *vermiculus gignitur*, & *Dominus IESVS*, vermi humilitate comparatus, *de virgine*, ad mannæ similitudinem minutâ & exili, *procreatur. Virginitate*, inquit iste, *placuit*, sed *humilitate concepit. Facta certè*, inquit Augustinus, *humilitas Mariæ scala cælestis, per quam descendit Deus ad terras, quia respexit inquit humilitatem Ancillæ suæ. Et quid est dicere respexit, nisi comprobavit, placuit et humilitas mea?* Virgo, speculum sine macula, ut purissimam divinitatis flammam de cælo prodigiosâ fœcunditate colligeret, & mirabili generatione in terras evibraret, concavari ac sinuari profundâ humilitate debuit.

XII. *Potuit Mater sancta non esse.*

Itaque, quod statueramus, ideo virgo Mater Dei fuit, quia fuit Ancilla Domini: prorsus ut, ne Maternitatis quidem ulla dignitas foret, nisi Ancillæ obsequia jungerentur. Sic censuit Augustinus serm. 18. de San. *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quàm carne, gestâsset.* Sic Theologia & recta ratio arbitratur, vel minimum gratiæ divinæ gradum pluris faciens, quàm Maternitatis qualemcumque sine gratiâ dignitatem. Atqui sic esse potuit Mater Dei; sic esse nequiit Ancilla Domini. Etsi enim Dei Matrem, culpæ omnis expertem, omnis gratiæ plenam esse decuit; non tamen oportuit: nec, si aliter divino consilio evenisset, quidquam propterea de Filii puritate ac sanctitate decessisset; quemadmodùm solari radio labis nihil adhærescit, de vilis vitri, pictæve crystalli, quà transfunditur, squalore vel colore. Nec vero de Christi dignitate aliquid deminutum

est, ex proavorum, proaviarumque qui in ipsius genealogica serie censentur, adulteriis ac sacrilegiis: neque adeò sanctimoniam illius maculâssent materna peccata, si quæ contigissent; quod accidere dedecuit quidem, non tamen nequiit.

XIII.
Ancilla Dei non sancta esse non potuit.

Ancillam autem Domini criminis ream esse, & culpâ graviori obligatam, non solùm indecens ac nefas fuit, sed fieri omnino non potuit. Simul enim peccâsset, in peccati sese ac dæmonis servitutem mancipabat: atque adeò Ancilla Domini esse desinebat. Jus quidem suum in illam Domino non auferebatur; sed ipsa sibi voluntatem tollebat Domino famulandi; citra cujus voluntarium rectum & constans arbitrium, in divini famulatûs gradum adsciscitur nemo, nemo retinetur. Mater autem Dei esse non desinebat, si, quod hoc rerum ordine à divino consilio absit suspicari, noxam aliquam admisisset: quomodò avorum Christi, aviarumque eximium decus alii non amisêre peccando. Hoc, opinor, intuebatur Christus, cùm mulieri, Matrem ipsius beatam prædicanti, dixit; imò beatos esse, qui Verbum Dei auditum custodirent: quando nuntiantibus Matrem, & consanguineos, alloquium ejus expetere, respondit, versis ad discipulos oculis, Matris ac fratrum loco sibi esse, qui voluntatem Patris sui exequerentur. Non poterat apertiori sententiâ proloqui, quantò apud se pluris esset Dei famulatus, quàm maternitas; & quantò excelsior esset titulus Ancillæ Domini, quàm Deiparæ.

XIV.
Pluris est mereri titulum Ancillæ, quam Matris accipere.

Præterquam quòd, homini longè honorificentius est decus merito comparatum, quàm gratis consecutum. Multò laudabilior miles, partâ facinoribus bellicis gloriâ; quàm ipsâ mercede facinorum: & pluris æstimandus, qui labore mercedem quæsivit, quàm qui solâ benevoli Principis liberalitate accepit. Atqui divina Maternitas Virgini donum benevoli Numinis prorsùs gratuitum est. Etsi enim, ut modò disserebamus, illam virtutibus suis, ex quodam æquitatis decoro ac congruo, promerita sit: de condigno tamen, & ex justitiæ debito, ne mereri quidem potuit, tantum abest ut meruerit. Nam Maternitatis pretium tantum est, ut operum humanorum valore quantocumque compensari, & æquiparari non possit. Deinde, quomodò Theologi disputant, *Principium meriti non cadit sub meritum*: quia caussa ulla suimetipsius caussa esse non potest: Incarnationem divinam meriti omnis fontem, promereri ex justo nemo potuit, atque adeò nec divinam Maternitatem, Incarnationi arctissimo nexu conjunctam. Ancilla verò Domini ancillatûs sui titulum, ac dignitatem, non promereri dumtaxat potuit; sed reipsâ ex debito emerita est. Nam licèt auxiliis divinis ad virtutum opera excitari, & roborari, debuerit: illa tamen libero prorsùs arbitrio usa est; eaque utendi libertate majorem sibi ac majorem in horas, imò in momenta, gratiam apud Deum comparavit. Quod forsan, Evangelicis istis Angeli verbis, indicatum Deus voluit: *Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum*; non tantùm repetisti, quod otiosæ fælicitatis est; sed *invenisti*, quod laboriosæ virtutis est.

XV.
Eximia Ancillæ appellatio laudes multas complectitur.

Cujus virtutis cumulo illud etiam adepta est, ut Ancilla Domini eâdem fermè ratione ac caussâ, eximiè diceretur, quâ Christus Dei servus appellatur. Ancillam ipsa sese modestissimâ mentis demissione nominavit: sed Spiritus sanctus eo nobis vocabulo significata voluit, familiaria virginis erga Christum obsequia, puritatem mentis, addictum ad omnia Numini famulatum. Ancilla Domini est, quia Christo, quidquid famulæ solent, officiorum exhibuit, alendo, portando, vestiendo; coqua, sartrix, gerula, nutricula: quæ utique officia Matris appellatione non continentur, cùm omnia liberis præstent matres paucissimæ. Ancilla Domini est, quia sese alteri numquam servituti addixit, ne minimæ quidem cogitationis aut desiderii motu: quod ex Matris nomine intelligi, necesse non est. Ancilla Domini est, quia priscorum mancipiorum more suum nihil, ne sese ipsa quidem, habuit: abdicato, per paupertatem, rerum omnium caducarum affectu: ablegatâ, per castitatem, corporis voluptate: præceptis, ac consiliis divinis, mancipatâ per obedientiam, ac caritatem, liberâ voluntate. Isthæc universa significat, ac complectitur eximius ille, ac præcipuus, Ancillæ titulus, non Matris.

XVI.
Mancipia Dei sumus ex Virginis ventre.

Quod si rationibus evicisse videbor, obtinui quod proposueram: si fecisse non videbor, etiam tamen, quod proposueram, obtinui. Id enim primum spectavi, ut de gloria & laudibus Virginis dicerem: quod istâ qualicumque dissertatiunculâ præstitisse me [illegible]. Deinde in hoc intendi, ut nos Christi discipulos, Virginis filios, ad ambiendam toto mentis conatu famulitii divini gloriam excitarem. Jus olim fuit, in mancipiorum sorte, ut partus ventrem sequeretur: & hodie, apud Mosæ-trajectenses nostros, jus consimile est, ut liberi, ex matris conditione, vel Leodienses vel Brabanti sint, ad utramque ditionem ex æquo, & indivisim, pertinente civitatis dominatu. Virgo, mater nostra, Ancilla Domini est: & nos itaque ex origine mancipia Domini sumus, istudque singuli cum Psalmista usurpare possumus: *O Domine, quia ego servus tuus; ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.*

XVII.
Quantum id nobis gloriæ sit?

Demus id debiti jure non esse, summi tamen honoris est. Excelsiorem titulum nusquam invênit Augustinus, quem epist. 124. adscriberet Olympio, Cæsaris Honorii Comiti, quàm ut *Conservum*, ejusdem Domini Dei famulitio addictum, nominaret: *Quidquid sis secundùm sæculi cursum, nos tamen carissimo & sincerissimo conservo, Olympio Christiano, fidelissimè scribimus. Hoc enim tibi esse scimus, omni gloriâ gloriosius, & omni sublimitate sublimius.* Accumula Ecclesiastico gradui honorificentissimos titulos: collige quidquid magistratibus, ac Principibus extollendis, encomiorum usquam dispersum est. Posteaquam universa coacervaris, appellationis unicæ nobilitatem non attigeris: Ecclesiasticus est servus Domini, Magistratus est servus Domini, Princeps est servus Domini. Thaumaturgo, Legislatori, Duci, Prophetæ, titulis longissimis ornando Moysi, hoc unum, epitaphii & funebris laudationis vice, adscribitur, Deut. ult. *Mortuus est ibi Moyses, servus Domini.* Quem etiam morem in Christianorum sepulcrorum titulis olim observatum fuisse, Baronius advertit, Appendice prætermissorum tomi tertii; ut sic inscriberentur: *In hoc tumulo jacet famulus Dei Gregorius: Paulla famula Christi vixit: Depositio Paulli famuli Dei.*

XVIII.
Muneris nostri laudem factis impleamus?

Quanto nobis honori est, in eumdem gradum, ac conditionem, quò Heroës isti & Heroinæ, adsciscì? Quanti æstimemus, pari nos atque Angeli, sorte appellationeque censeri: de quibus nihil habuit Psalmista pronuntiandum sublimius, quàm *Benedicite Dominum omnes Angeli ejus, ministri*

ejus,

ejus, qui facitu voluntatem ejus? Quantæ gloriæ est, ad ipsum provehi divinæ Matris consortium; cui vel ante titulum Matris ponitur, vel post certè paullò ponitur, Ancillæ Domini appellatio? Sed quia frustra sunt nomina, si res ac sententia vacua sunt: honorem divini famulitii sanctimoniâ vitæ, & bonorum operum claritate, exæquare conemur. Sic egit, sic passus est, *Paullus servus IESU Christi.* Sic fecêre, sic toleravêre, magistrum Paullum imitati Dionysius, Rusticus, & Eleutherius: quorum ad singulas præsidis interrogationes commune hoc responsum fuit, *Sum servus Christi.* Sic vitam à Petro Canisio institui volebat præceptor suus, Nicolaus Eschius, Coloniensis Theologus, istud identidem ipsi commendare solitus, *Sola salus servire Deo, sunt cætera fraudes.* Vide Sacchinum lib. 1. vitæ Canisii. Alia quædam de Domini servitute reperies Exc. ad caput 5. hujus libri, sect. 11. num. 12. &c.

SECTIO SEPTIMA.

Mirabilis humanitas Virginis Elisabetham visitantis.

I. Sodalitiis Marianis Leodiensibus convenientes tituli.

DE Visitatione Virginis istud hic solum repræsentabo, quod olim in cætu Marianorum Sodalium Leodii, pro istius temporis consuetudine, solenniter dicendum paraveram. Humanitus dicam, an divinitus factum, ut ii nostris Sodalitiorum Marianorum cætibus tituli, à festis Virgini diebus, contingerent, qui maximè singulis hominum generibus, eos in cætus adscriptis, conveniunt. Habetis, Illustrissimi, Reverendi admodùm, Eximii Domini, propositam vobis pro titulo Gabrielis legationem, de re omnium, quæ à Numine umquam destinatæ fuerint, maximâ: tum quia, & vos legati estis, Apostolo teste, à Superis ad mortales de re maxima, salute animarum: tum etiam, quis familiariter solitis Christum excipere exemplum Virginis congruit, sese comparantis ad excipiendum Dei Filium purissimi sinûs hospitio. Vobis verò Nobiles, Amplissimi, Clarissimi viri, quibus excelsa mens, innutritumque magnis cogitationibus ingenium est, ac propterea pulcræ laudis honorumque avidum, & capax, evecta in cælos Virgo proponitur: ut ex ejus intuitu id discatis, quonam in loco veræ laudis sit sedes, & honorum altissimi gradus. Juvenibus literatis idcirco purissimam Virginis Conceptionem attributam existimo; ut animi sui fœtus virgineos planè, ac puros, formare & concipere meminerint: quòd ea ætate, & occasionibus, non omnium est. In Virginis Nascentis titulo reliquis civibus sanctam liberorum educationem commendari: in exemplo Purificationis, ætatem juvenilem de frequenti animorum emundatione commonefieri: oblatam in Templo triennem Mariam pueris nostris idcirco proponi, ut tempestivè pueritiam ad divina obsequia consecrare discant, nemo, qui titulos tantummodò cogitet, non facilè interpretetur.

II. Visitatio Virginis congruit Humaniorum literarum studiosis.

Cùm ad hodierni denique Sodalitii vestri titulum Nobiles, Ingenui, Ornatissimi Adolescentes, cogitationem refero, sic apud me statuo: nihil vobis utilius inveniri, nihil proprium magis ac conveniens potuisse. Virgo ad Elisabetham invisens eâ fermè est ætate, ad quam vel accedunt, vel non multum excessêre, plerique vestrum. Poëticen vos aut didicistis, aut discitis: & ecce Virgo in Elisabethæ domo poëtriam agit, & divinis motibus impulsa carmen modulatur, omnibus retro sæculis decantandum. Ad extremum studiosi estis artium illarum, quibus quia ad humanitatem informamur, humaniorum literarum nomen inditum est: & ecce Virginem vobiscum humanitatis studiosam, prorsus ut carissimæ sibi virginibusque modestiæ præ istius virtutis studio immemor videri possit. Hanc ego matris nostræ humanitatem exponendam hodie, & quantum in me exit exornandam delegi: non quia non alia essent argumenta, augustiora forsan atque eruditis auribus digniora; sed quia videbatur, iis, quorum caussâ huc venimus, magis conveniens, neque infructuosum, adeòque propterea nec ingratum. Vos, Virginis amatores & imitatores, quidquid à me in isthoc argumento pertractando deerit, deerit autem plurimùm, eâ ipsâ, qua de agetur, humanitate supplebitis, & benignè condonabitis.

III. Zachariæ domus schola humanitatis magisterio multiplici.

Nec falsò, neque ineptè, ut opinor, dixero, si Zachariæ domum, inter matrum suavissima colloquia, virorum complexus benevolentiæ plenos, infantium adhuc utero clausorum exultationes, scholam Humanitatis vocavero. Schola plane est, sed ubi magistri omnes, discipulus nemo: nisi nos illuc adolescentes, & quotquot adsumus, discendi gratiâ ingredimur. Elisabetham audio, in ipso domûs limine, tantum à sese honoris deprecantem, ut ab eâ matre, quæ honoribus omnibus dignissima sit, ultro invisatur: audio verissimis laudibus, & tantum ab adulatione, quantum à falsitate remotis, in Mariæ & Filii præconia effusam. Non procul inde Josephum, qui, ne Virgo incomitata tam longam susciperet ac diuturnam profectionem, sese comitem adjunxerat, si aliquid doctissimi Salmeronis sententiæ, non pictorum tantùm inventis, deferimus: Josephum igitur intueor ruentem in Zachariæ colla, eique, lacrymis ubertim præ gaudio manantibus, peramanter cum intimi affectûs testimoniis gratulantem: Zachariam contrà mutum licèt, loquacibus tamen nutibus, paria, quà potest, officia Josepho reponentem. Certiora forsan postulas humanitatis, & illustriora documenta? Joannem intuere, semestrem infantulum, qui ad Regis adventum gaudio gestiens, jam tum fit vox clamantis in utero; & pleno amoris tripudio subsiliens, non dimidium regni tantùm, quomodò olim Herodias; sed, quod regnis omnibus augustius est, Christi animum demeretur. Intuere Christum, contractum licèt in uteri angustias, Deum tamen, prænuntiatumque & expectatum tot sæculis terrarum cælique dominum, eò humanitatis venisse; ut ad servulum prior proficiscatur, & anteambulo fiat, ac præcursor, præcursoris sui.

IV. Spectabilissimæ Mariæ humanitas.

Verùm ex omnibus, quod pace etiam tuâ, Christe, dixerim, Virginis in hoc officiorum genere partes primæ omnino, ac præcipuæ fuerunt. Illa, tam tenerâ ætate, tam delicato corpusculo, tam quieti, solitudini, ac silentio assueta, domum cognatæ plùs triduo distantem, itinere difficili, summâ diligentiâ proficiscitur. Illa, cum dulcissima benevolentiæ significatione, cognatam amplexa, salutatione simul & suavitatibus inusitatis perfundit. Illa se ad infima etiam obsequia demittit, commodandi aliis ac benemerendi studio: neque officiis ullis contenta est, nisi ultra trium mensium spatium humanitatem extenderit.

extenderit. Scio equidem egisse Virginem, quidquid egit, arcano Numinis, recens in uterum illapsi impulsu, ac motu. Sed quomodò in horologiis nostris æris sonitus, & motum radii, quem gnomonem dicimus, horarum spatia signantis percipimus; rotularum agitationes, quibus sonitus illi & motus cientur, non advertimus. Ita in hodiernæ humanitatis exemplo, Christi in tenebris latentis impulsum licèt sciamus, non videmus tamen: Virginis officia, ut gnomonem humanitatis spatia signantem, illustri in loco positum, intuemur.

V. *Ad humanitatem conspirant manus, & lingua.* Ut absoluta sit omnino ac perfecta Humanitas; quæ, opinione quidem meâ, aliud nihil est, quàm caritas officiosa, seu testificatio caritatis: duo opinor in illam, jucundo consensu ac concordiâ, convenire debere, linguam & manum: quorum alterum si deficiat, vel inornata sit, vel mutila, vel prorsus emortua. Si enim in tempore manum compresseris, neque operam sponte in alterius commodum posueris; ut exanimata planè non sit, vi tamen ac sensu caret, cùm vis tota virtutis in actione consistat. Linguæ officia, etsi non perinde necessaria sunt, alioquin Zachariæ, quamdiu mutus fuit, humano esse non licuisset: si tamen suavis sermo, lenes & commodæ appellationes, &, ut Scripturæ verbo utar, si *lingua eucharis* & gratiosa desit; multùm sanè aberit ad ejus virtutis ornamentum, & commendationem. Eamus, si lubet, per utrumque, & animadvertamus omnes, quàm grato conceptu, ac modulatione, duæ illæ partes, in absolutissimâ Virginis nostræ humanitate, consenserint.

VI. *Humanissimus Virginis sermo.* Deus eximia in Virgine animi, corporisque ornamenta sponsæ nomine commendans, ubi oris & sermonis mentio est, tam significantibus ac suavibus verbis utitur, ut nihil dici possit suavius. *Vitta*, inquit, *coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Favus distillans labia tua, sponsa, mel & lac sub lingua tua.* Cùm os tuum silentio compressisti; mirum dictu est, quàm placeat intinctus labiis coccineus ille color, symbolum virginei pudoris ac modestiæ, quæ tibi legem tacendi indicunt. At ubi pietas, vel humanitas, silentium solvunt, tantâ gratiâ fluit ac lenitate compositus sermo, ut planè sit incredibile. Parùm dixero, si vel lacti, vel melli, vel ambrosiæ contuleros; re inferiora sunt omnia, experientis dulcior est: loquere igitur, *sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Quæ verba si verè de suavissima Virgine pronuntiari potuerunt, id nunc in Elisabethæ domo fiat necesse est; quando, si umquam aliàs, usam fuisse constat composito ad benevolentiam, & redundante gratiâ sermone.

VII. *In Cantico & colloquiis.* Neque hic ego cum Ruperto, Laurentiani cœnobii lumine, de extemporaneis illis versibus, quos divinis suavitatibus temperatos cecinit: ut modestiæ suæ graves, & onerosas, Elisabethæ laudes à se, quod etiam humanitatis est, in auctorem deflecteret. Quæ ode tam lactea, ac mellea, non cultoribus Mariæ modò, sed & hostibus visa est, ut Lutherus ipse, carmen sanctissimum, Bullingerus, hymnum planè divinum & excellentissimum; Brentius, carmen triumphale & thesaurum cælestem; Vellerus, dulcissimum atque eruditissimum Mariæ canticum vocet. Sed neque colloquia ista commemoro; quæ, per trium mensium spatium, sæpiùs inter se sanctissimas consanguineas habuisse, indubitatum est, sparsa melleis germanæ humanitatis condimentis.

VIII. *Maximè in salutatione Elisabethæ.* Eas solùm voces attingo, quas, cum gratissimis amoris demonstrationibus, Virgo protulit, cùm primùm in Elisabethæ collum amanter infusa, felicitatem suam illi gratulata est: prisca prodigia, longo intervallo intermissa, in ejus domo atque utero renovari; fœcunditatem cum senio junctam contra naturæ leges; sterilitatis dedecus abolitum; beatam esse, in quam tot à Deo proficiscerentur singularis benevolentiæ signa: filium, quem gestaret, inter prodigia jam conceptum, pòst natum eductumque, majus ipsum prodigiis omnibus miraculum fore. Quas salutationes, & gratulationes, licèt historicus facet silentio presserit; à Virgine tamen prolatas fuisse, non tantùm magnam habet similitudinem veri; sed dubitari vix potest, si Saliani nostri conjecturis, ipsisque animorum nostrorum sensibus, fides habenda est; & verò, cur deganda sit, non video. Hoc certissimum: quæcumque illæ fuerint, tam jucundas fuisse, ac salutares audientibus salutationes: ut Joannes subsilire protinus & gestire, exultabundus cœperit. Nec mirum subsultâsse, quem jam Mariæ verba liberârant immani pondere criminis hæreditarii, quo, ex mortalitatis lege, tenebatur. Auctores enim habeo gravissimos Ambrosium ac Cyrillum; qui disertè Joannis exultationem efficaciæ, & dulcedini Marianæ salutationis adscribant. Alios etiam invenio, qui propterea eamdem salutationem antidotum appellent, Joanni adversùs peccati venena propinatum à Virgine: alios, qui comparent sacræ verborum formulæ, quâ sacerdos confitentem reum, ex divina solvendi potestate, criminibus absolvit.

IX. *Elisabetha Virgini concinit.* At verò Elisabetha, ad easdem Mariæ voces divino afflata spiritu, & lætitiis omnibus incedens, prophetidem agere cœpit; & laudes ac gratulationes, quas à Maria audierat, in eam cumulatè regerere: ea denique loqui, quæ à muliere, nisi Numine plenâ, proficisci non possent. Vetus opinio est, si lyræ duæ pariter intentæ intra eosdem parietes hinc & hinc adversæ collocentur: ubi unius chordâ aliquâ percussâ sonum formaveris, in aliâ continuò ejusdem chordæ sonum eumdem gigni, paullò licèt obtusiorem: seu id fiat tacito quodam naturæ consensu, quam sympathiam vocamus; sive æris, certum in modum per sonos impulsi, allisione. Simile quidpiam, in mutua sanctissimarum consanguinearum salutatione, contigisse video. Facilè enim, opinor, patiemini à me linguas suaves lyris conferri, Sitacidæ exemplo, eas tibiæ præferentis, & psalterio, suavissimis priscæ musicæ instrumentis. Igitur ut Virginis lingua in cognatæ domo, lyræ instar, humanitate tamquam plectro percussa, dulcissimos edidit salutationum, & gratulationum sonos: simul Elisabethæ lingua, si non pari intensâ, at simili saltem amoris intensione, sonos eosdem reddidit, ejusdem percussa humanitatis impulsu.

X. *Mutuum utriusque de humanitate certamen.* Virginitas fœcunditatem in sterilitate laudavit? Contrà sterilitas eamdem fœcunditatem prædicat in virginitate. Beatam senem Maria nominavit; in qua tot nova Superi benignitatis, se potentiæ suæ prodigia statuere? Beatissimam contrà puellam Elisabetha vocat, & longè ante alia sexûs sui miracula excellentem; quam Deus incomparabili Matris suæ titulo, & unico amoris miraculo, dignatus sit. Magna quædam, ac mira, de prole consanguineæ Virgo vaticinata est? Elisabetha contrà de fœtum Virginis, & purissimi uteri fructum, aptissimè

aptissimè laudat eloquenii brevitate. Fit jucundissimum salutationis, laudum, gratulationum, amoris certamen. In quo tamen illa proculdubio superior, & victrix; cujus lingua lactea, cujus os favum & mel, vel ipso teste Numine, stillabat: tanta erat sermonis, humanitate diffluentis, suavitas.

XI. *Linguæ solius officia momenti nullius, aut perexigui sunt.*

Nimiùm forsitan immoror in ea parte humanitatis, cujus facilitas major, laus minor, & minus operæ pretium est. Linguâ enim humanum esse, tam pronum est, & facile, quàm vulgatum, & commune. Sed linguæ manum conjungere, sic ut ne minimo quidem inter se sonorum intervallo dissentiant, id pauciorum est, & ferè de Marianæ caritatis, & antiquæ fidei schola, prodeuntium. Aspice illum, nescio quem, morum peregrinorum hominem. Ipsum illum, inquam, aspice hominem à Davide animadversum, & descriptum. Molles fingit, ac ducit, olei instar & unguenti, sermones; cùm animus pilo & sagittâ qualibet acutior sit, & odis semper ad nocendum expedita. Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula. Salutat amantissimè in speciem: conjiciuntur in obvios honorificæ appellationes: obsequia largissimè offeruntur: ipsam tecum loqui putaveris humanitatem, ita oculi, pedes, lingua, corporis flexus in officia urbanitatis conspirant. Verbis nihil comptius & compositius; papavere & sesamo sparsa sunt, & melliti globuli, ut aiebat ille. Sed age, pertunde, si potes, abstrusi animi septa, scrutare recessus, explica sinus, evolve cogitationes: invenies illic forsan delitescentem inimicum; aut minimùm re vacuum deprehendes, & inanis, futilis nomen humanitatis. Erras, adolescens, si in istis putas humanitatem consistere: somnia sunt, sunt monstra, sunt cadavera virtutum. Nisi ad linguæ officia, ubi usus fuerit, operam promptè & liberaliter adjunxeris; nisi manus ori consonet: quidquid dixeris, quantumcumque delenificis sermonibus utare, ne tenuem quidem umbram veræ virtutis à te haberi existimes.

XII. *Mariæ erga Elisabetham trimestria obsequia.*

Ingredere in Elisabethæ domum, in exemplar tuum oculos conjice: vide ut Virgo nostra, post humanas & comes appellationes, manum ad opus admoveat, expediatque se vel ad infima in consanguineam obsequia. Tacuit illa quidem historicus sacer, mirabili prorsus, ut Toletus ait, silentio: res scilicet magnas ad posteritatis exemplum, & Virginis commendationem. Sed omnia in historiam sacram conjici non expediit forsan, certè non licuit. Discemus igitur à viris maximis, qui asseveranter aiunt, ambigendum prorsus non esse, quin officiosissima Virgo in Elisabethæ domo multa ediderit humanitatis exempla: non sermone solùm, sed & operâ sæpiùs ac labore, ad vetulæ consanguineæ opem ac solatium, collocato. An enim credibile fuerit, id ab illa susceptum itineris, ut sterili tantùm, & inani, salutationis officio fungeretur? An dignum tam officiosâ, & fugiente otii Virgine tres totos menses in aliena domo desidere, consertis manibus; neque fastidia prægnantis, aut vetulæ defatigationem, operâ suâ & studio sublevare? Itaque certum omnino, & persuasum esse debet: ita se toto trimestri Virginem exercuisse, ut nullam non fermè obsequiorum domesticorum partem attigerit, sese ne ab ancillis quidem serviendi studio superari passa.

XIII. *Quàm multiplicia, & assidua.*

Atque hoc adeò communi opinione receptum est: ut nec illis dubitare in mentem venerit, qui, quacumque possunt, laudes Mariæ deterunt, ut admirationem ac cultum, ipsius excellentiæ debitum, diminuant. Producerem in hanc rem, nisi auctor nimis displiceret, Lutheri sententiam; qui eò Virginem censet venisse demissionis, & caritatis, ut, ad vilissima etiam obsequia prægnantis abjecta, tantùm non coquinam faceret. Accedit, quòd Toletus & Maldonatus existimant, cùm Joannes in lucem prodiit, illam gerulæ officio functam: &, qui nuper utero clausus ad suum sermonem exiluerat, eum jam suis complexibus, cùm propiùs abesset, longè majori gaudio complevisse. Ad quæ istud etiam consequens est: cùm nato Joanne familiares, & amici, gratulatum Elisabethæ magno numero convenirent, ob famam tam inusitati prodigii; quòd mulier actâ jam ætate, & sterilis, peperisset: tum verò Virginem, in tam præsenti extendendæ ad plures caritatis occasione, totam sese impendisse excipiendis, refovendis, curandis hospitibus, atque omnes animi ac corporis vires in humanitatem exercendam contulisse. Et profectò ad ista putârim officia respexisse Chrysologum, cùm breviter & ingeniosè dixit, *Mariæ nomen Collegium esse sanctitatis; & Hospitalitatis virtutem.*

XIV. *Modestiam Virginis non dedecuit tale impendium caritatis.*

Audire mihi hic aliquem videor de erronum grege obstrepentem, & obmurmurantem. Quam tu, inquit, nobis Virginem pingis? In publico, in multitudine, in hospitio? Atqui in Virginis domo Modestia mater-familias esse debet, Pudor atriènsis, Silentium & Solitudo pedissequæ? Afferet etiam erutas ex antiquitate leges Ægyptiorum, quibus usu calceorum fœminis interdicebatur, ut sibi prodeundum non esse intelligerent. Congeret & alia in eamdem sententiam, si audientiam putet se fecisse. At ego illi paucis respondero: Virtutum omnium leges interpretandas esse, atque aptandas, ad legem primariam Caritatis, atque Humanitatis. Quomodò Cicero velles, adolescentes, ex legum peritis ait: *Si leges duæ, aut si plures discrepent inter se, eam maximè conservandam quæ posteriùs lata, & quæ ad maximas res pertinere videatur.* Itaque Virgo, divinæ illi Caritatis & Humanitatis legi obtemperans, quam ex ejus utero tamquam de solio Legislator ipse dictabat; & domo prodiit; & inde diu abfuit; & in publico versata est; & officio salutationis perfuncta, quod indubitatæ fidei est; & obsequia diuturna Elisabethæ, aliisque studiosè & amanter impendit, quod gravibus & certis auctoribus credimus. O dignum cælitum oculis & admiratione, mortalium stupore, spectaculum! Crediderim sanè, effusos cælis Superos, magno numero ad spectandum devolâsse: ut plures utique haberet Maria testes humanitatis suæ, quàm olim Abraham, tantò virtutibus omnibus inferior, hospites habuisset.

XV. *Elisabethæ erga Virginem gratitudo.*

Quis verò tunc Elisabethæ, quis Zachariæ sensus, quæ admiratione utriusque? Cùm Virginem eo loco natam, id ætatis, eâ formæ ac mentis dignitate, tanto studio viderent, ad tam abjecta opera, obsequendi gratiâ, descendere. Cùm illam, cujus uterum scirent, non regiâ quavis solummodò, sed cælis etiam ipsis augustiorem; cujus animum terris latiorem, mundo majorem, Numini proximum suspicerent, ac venerarentur: in cujus castissimis visceribus clausam, apertis mentis oculis intuerentur, orbis gemmam, spem humani generis, terræ ac cæli vinculum, immensitatis & infinitudinis divinæ compendium. Cùm eam tamen talem, ac tantam, cernerent vilia

obsequia non refugere, ancillarum non abhorrere munia, ambire pedes non consanguineorum modò, sed & externorum. Elisabetha, cùm primum Maria ad se salutatum venit, in hæc verba eruperat: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Tam longè, & adolescentula, & gravida, & Domini mater, adeoque Domina non mea modò, sed & Universi, ad me visis ultro, quâ visendâ sese beati Genii beatiores existimant? Ultro me salutas, quam salutare vel ipsis Superorum principibus honorificum est? Gratulatum venis, cui dignitatem suam, cum humani generis fælicitate conjunctam, gratulatos esse mortales omnes oportuit? Quid autem ab eadem dictum arbitrabimur; cùm Mariam vidit, post tres totos menses inter familiarem operam consumptos, nondum exsatiatâ tot officiis humanitate, adesse parienti sibi, visentibus ad se præstò esse, obsequi, concursare, obire, nihil ad hospitalitatem & caritatem omittere? Fælicem me, aiebat, ô Domini mei parens, si olim ad paria tibi officia præstanda me Deus, & ætas exacta, reservârint. Ancillari tunc, & infimis obsequiis addici, debiti erit mei, & muneria, imò & in singularis beneficii loco reponendum. Te verò, ô generis nostri gloria, tuam hunc in modum mihi meisque operam commodare, hæccine dicenda est humanitas, an oblivio potiùs & diminutio dignitatis tuæ?

XVI.
Zachariæ item & aliorum admirationes, ac laudes.

Neque istas solius Elisabethæ voces fuisse putemus. Dixit tantumdem Zacharias; dixêre non absimilia domestici, ac familiares; dixêre, quos nati Joannis fama ad Zachariæ domum adduxerat, admiratores omnes & prædicatores Marianæ humanitatis, etsi non omnes conscii Marianæ dignitatis. Credo equidem Zachariam, ut primùm, receptâ voce, nobile illud & celebratissimum posteris canticum effudit, ad benigni Numinis suos tam beneficè visitantis prædicationem: statim à Deo ad Virginem conversum, ejus laudes subtexuisse, ejus visitationem & obsequia ad cælos evexisse; ei gratias prolixis verbis habuisse, illaque egisse, & dixisse omnia, quæ hominem decerent plenum gratitudinis, & gaudii. Reliquos autem, ut quisque domum reversus fuit; non miracula solùm nati Joannis, verùm etiam miracula Marianarum virtutum, quas spectârant, beneficentiæ præsertim & humanitatis, totâ circùm regione vulgâsse.

XVII.
Et nos Virginis humanitatem miremur.

Nos quoque, Virginis cultores, accedamus ad istud, matris nostræ humanitatem admirantium, & laudantium, agmen. Et sanè miramur, neque injuriâ, Helenam tanti Imperatoris matrem, adeò fastigii sui ac fortunarum immemorem fuisse; ut despectis, & paupertinis virginibus, cibos ipsa manibus suis pararet; ipsa mensæ inferret, ipsa pedes collueret, & tergeret, ipsa ancillulam agere non dedignaretur. Miramur adolescentem illustri genere Martinum, Turonense sidus ad famuli pedes abjectum, adhibitâ ocreis dexterâ, de servilibus & vilissimis obsequiis cum illo acriter contendere, non secùs ac cæteri de curuli, & trabeâ. Miramur talia: & Virginem nostram non admirabimur, quam paullò antè Dei legatus honorificentissimis titulis appellârat; quæ conclave suum cælo simile fieri viderat, Superorum illuc affluentium frequentiâ; cujus domum, mentem, uterum, Numen impleverat; quæ denique nequibat non esse conscia dignitatis suæ: eam tamen ad ejusmodi obsequia, non ad salutationes modò, de tam illustri & excelso gradu descendere?

XVIII.
Imitemur etiam officia caritatis.

Verùm ut video, Sodalis, res ipsa per se plus satis te invitat ad admirationem. Ad alia potiùs hortandus es: plus aliquid à te exigit Marianæ salutationis memoria: ulteriùs te vocant exempla præsidia & parentis tuæ: aliud à te Virgo postulat, si illam amas, si ejus in te humanitatem experiri cupis. Et ne, vel nescias quid postulet, vel postulare dubites; consule leges illas, quas aut memoriâ retinere, aut manibus frequenter versare, & ad usum revocâsse debes, ex quo nomen famulitio Virginis adscripsisti. Invenies tuum esse, visere ad calamitosos, ægrorum lenire mæstitudinem; matris tuæ exemplo, laborantes Elisabethæ instar, aut Joanne tristiùs inclusos & constrictos, recreare verbis, re juvare, benignè affari, sublevare muneribus & obsequiis; in omnes, ut verbo absolvam, humanitatis partes linguam, & manus, animumque versare. Audîstis omnes, opinor, vidistis etiam aliqui, quid de Marianis cœtibus multi egerint in isto genere virtutis: nosocomia ingredi; ad lectulos assidere; benignè affari, & solari jacentes; stipem vicatim, & panem ad pauperes ferre; prandia illis ministrare, & adesse vescentibus; quod suis manibus non liceret, id alienis facere; ad quæ officia opibus pertingere non possent, eò incensis amore desideriis ferri.

XIX.
Institutum Sodalium Virginis misericordiæ, caritati exercendæ.

Neque hic commemorare non possum, quod ad rem nostram magnopere facit, pulcerrimum in Lusitania institutum Sodalium, qui à Virgine & misericordia nomen accepêre. Auctor fuit Eleonora, religiosissima fæmina, uxor maximi Lusitanorum Emmanuelis: favêre & fortunavêre Superi: tanto studio excepêre mortales, ut brevi, regno toto, ad ipsas usque Orientis insulas, spargeretur, fructu & laude incredibili. Quotannis, quo die Virginis ad cognatam visentis humanitatem recolimus: ut scias sub Virginis tutela id sodalitium esse, quodque ea re hodierna magis est, ad humanitatem Sodales exemplo Visitantis Virginis incitari. Eo itaque die solenne est, de magnâ Sodalium turba duodecim seligere, quorum caritas notior est, & celebrior, senos de flore nobilitatis, totidem ex cætera multitudine. Ex hoc deinde selectorum numero unum aliquem nominare, qui cæteris præsit; tum alios duos, quorum id munus sit præcipuum, invigilare in omne genus officiorum Christianæ humanitatis. Verbo dixi: infinitum enim sit ea recensere, quæ à viris primariis summâ contentione fiunt, in celeberrimæ urbis conspectu: miseris, quos pudor à mendicando arcet; pauperibus, quos alienæ injuriæ oppresserunt; ære alieno gravibus, calamitosis quibuscumque, curâ & diligentiâ mirabili, invisendis, solandis, sublevandis. Quanto scilicet utiliùs, & Christiano nomini convenientiùs, eæ sunt institutæ visitationes, quàm tot tamque frequentes hodiernorum morum, in quibus aut virtutis & innocentiæ, aut famæ, aut fortunarum, aut temporis, aut minimùm saltem operæ jactura fit? Videtis, Sodales, etiamnum, Superis gratiæ, multos in terris superesse imitatores Marianæ Visitationis, & humanitatis; quorum vos numerum vel auxisse jam gratulor, vel aucturos confido.

XX.
Adolescentiam maximè decet humanitas Christiana, & Mariana.

Verùm ad vos potissimùm respicit, Adolescentes, ejus imitationis necessitas: quibus non sine Virginis Visitantis titulum attributum diximus. Gloriosum illud est, & miræ suavitatis, Jobi dictum *Ab infantia mea mecum crevit miseratio: & de*

ventre

ventre matris meæ egressa est mecum. O si & vobis idem verè prædicare liceat, & non reluctante mentis conscientiâ dicere: Ab infantia mea, Ex utero matris meæ, id est ex quo me communis parens Maria ad meliorem vitam genuit, simul ut in Marianis cœtibus spiritum puriorem hausi, humanitas mecum adolevit, neque me deseret umquam, nisi cùm homo esse desiero. Quintiliani vestri præceptum est, ni fallor, festinantem ad humaniorum literarum culmen eloquentiam, *multa legere, plura audire, plurima scribere oportere.* Exercitatio nimirum artium magistra est. Simile quidpiam dixero de ipsa virtute humanitatis. Aliqua jam audîstis, plura cogitâstis: parùm est audisse & cogitasse, plurima facienda sunt. Jam nunc ad opus aggrediamini oportet: partes ejus virtutis omnes excolite, loquendo, gratificando, opitulando, quæcumque annos decent, & in vobis sunt posita. Quis matri vestræ cultus acceptior, quàm ejusmodi imitatio? Quàm jucunda fuerit linguæ, & manûs, exemplo suo, ad officia caritatis consonantia? Quàm grata modulatio, quàm suavis harmonia humanitatis? O! ut vos lubens in hunc modum comparatos inveniet, vos agnoscet pro suis; viset ad vos frequentiùs; vos salutabit, & complectetur amantissimè; vos beneficiis & cælestium munerum affluentiâ, ut Zachariæ domum, cumulabit, vos denique, Joannis instar, de Sodalitatis utero exceptos, lætitiis ac suavitatibus divinis perfundet; vos gestabit ulnis, vos fovebit in sinu, vos ab exercitatione humanitatis ad æternum transferet experimentum humanitatis suæ.

SECTIO OCTAVA.

Virgo puritate mirabilis.

I. Mariæ humilitas in Purificatione sua æmula humilitati Christi in Circumcisione.

QUAM jucundè consonant, quàm aptè conveniunt, integerrima puritas, & summa demissio filii, ac matris! *Benedictus fructus ventris* Mariani, octavo mortalis vitæ die circumciditur. *Benedicta inter mulieres* Virgo, quadragesimo post partum die, purificatur. Filius, peccati nescius, peccatoris tamen cruentâ sese notâ insigniri patitur, velut unus de Hebræorum turba. Mater, labis omnis expers, implet tamen tempus purgationis suæ, sicut de vulgo mulierum una. Spectâ cum castissimo Sponso ingredientem in Templum, ad Sacerdotis pedes accidentem, par turturum aut columbarum Agnello suo redimendo præbentem, ritus omnes Judaicæ legis explentem: quid illam inter, & Mariam Cleophæ, aut Joannem Chusæ, abjectiorémve aliquam de trivio interesse diceris? Tantum tamen interest, quantò illa propiùs, quàm illæ, ad divinitatem accedit: quò autem humana mens divinitati vicinior est, eò purior vel sit, vel fiat necesse est, quia proximiùs admovetur ad fontem puritatis.

II. Comparationes, Marianæ puritati exprimendæ sunt inferiores merito.

Ex hac ratione, sanctissimi quique ac doctissimi Patres, immaculatæ Virginis intactu candori ac splendori describendo, comparationes varias aggessêre; sed infra meritum, ac dignitatem, universas. Cum lilio contulit Epiphanius, candidissimo florum: sed marcet lilium, Virginis candor numquam emarcuit. Nivibus æquiparavit Gregorius Neocæsariensis: sed nives aliqui coloratas negavêre, nonnemo nigras dicere ausus est, in lutum saltem denique solvi conspicimus; Virginis albedo nivea numquam soluta est. Lunæ Joannes Damascenus consimilem scripsit: sed luna defectus suos habet, & tenebris eliminatur; defectus nullos Virgo, tenebras nullas perpessa est. Compara Lunæ, aut Soli luminis fonti: sed Lunæ decrementa sua sunt, & in Sole maculas sagax astrologorum diligentia deprehendit; Virginis nitidus fulgor maculas non admisit, & perpetuis incrementis auctus est usque ad perfectam diem.

III. Infra Deum Virgine purius nihil.

Itaque, ut dignum quidpiam Marianâ munditie proferamus; prætermissâ similitudinum inæqualitate, relictis ambagibus, recto & absoluto sermone eloquamur cum Anselmo, lib. de Conc. cap. 18. *Major puritas sub Deo nequit intelligi, quàm ejus, quæ debuit esse mater Dei.* Et lib. de Excell. Virg. cap. 9. *Ejus suprema puritas omnem creaturæ puritatem transcendit, incomparabili sublimitate:* non humanæ modò creaturæ, sed Angelicæ. Neque enim hic de virginei corporis incontaminata castitate agimus: in qua inter fœminas *nec primam similem visa est, nec habere sequentem.* Nec de originali munditie disserimus: in qua prærogativam omnino singularem, inter posteros Adæ, cum Filio sola obtinuit. Sed de perfectissima cujusvis, quantumlibet minutæ, actualis noxæ absentia loquimur, & summa mentis puritate: per quam non homines modò universos longissimè ab ipsa superari; sed Angelos etiam omnes magno intervallo præcurri affirmamus. Peccaverunt enim homines omnes, Angeli peccare potuerunt: Virgo nec peccavit, nec peccare potuit.

IV. Hominum nullus, quamvis Sanctorum, omni veniali labe immunis.

Jobi cap. 15. Eliphaz Themanites verissimè pronuntiavit: *Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu ejus.* Da mihi quamvis elevatissimas hominum mentes, quas sapiens disputator cælorum appellatione significat; da quantovis sanctimoniæ eminentis fastigio sublimes: ii tamen, quamdiu in hac mortalitatis vicissitudine degunt, non tantùm sunt mutabiles, sed, nec mundi in conspectu Dei. Aliquæ interdum maculæ, de terrenis contagiis, cælos istos afflaverunt: pulveris quiddam istis aliquando fastigiis adhæsit. Infantulus Joannes in solitudinem secessit, ne levi saltem maculare vitam famine posset: potuit linguæ peccata in eo silentio vitâsse; omnes tamen generum omnium culpas leves vitare non potuit. Josephi animum, à primi exortûs crepusculo, Deus sibi singularibus beneficiis mancipavit; familiari deinceps cum Deipara, & Filio Dei, conversatione consecravit: non ideo tamen levissimarum omnium noxarum immunem. Memorantur alii deinceps Christianæ puritatis adeò amantes, ut nec mendacii quidem ullius, aut veniabilis culpæ deliberatò commissæ, conscii sibi umquam fuerint; digni, quos fœlicior Angelica puritas miraretur, & quot Deus mundissimorum speculorum instar Ecclesiæ suæ proponeret: non tamen nihil omnino umquam, infirmitatis humanæ vitio, peccaverunt.

V. Quid ea de re senserit D. Augustinus.

Lego quidem apud Augustinum lib. de perf. Just. contra Cælestium: Omnibus præter Christum necessariam fuisse remissionem peccatorum: nec dici posse, quemquam, acceptâ remissione peccatorum, ita justè vivere, ut sit sine peccato ex 1. Joan. 1. Quam Joannis de peccato sententiam aliquos de innata concupiscentia interpretari: atque adeò, inquit, si qui aliquos asserant omnino fuisse sine peccato, *non nimis existimo reluctandum.* Ita ibi censuit Augustinus. At alibi sæpiùs,

sæpiùs, generali peccandi necessitate, ob naturæ fragilis imbecillitatem, ita comprehendit universos: ut ne Virginem quidem ipsam videatur excipere. Libro de pecc. meritis & remiss. capitibus 20. 29. 35. vehementer affirmat, solum in humano genere Christum fuisse labis omnis expertem. Libri totius de spiritu & litera argumentum est, quòd Augustinus dixisset, posse aliquem per Dei gratiam sine peccato vivere; talem tamen numquam fuisse, vel fore. Epistolâ ad Marcell. de bapt. parvul. 16. inter adjectas, postquam dixit, Pelagium asserere, homines nonnullos vitam hanc rationis ductu sine peccato transigere: *Quisquis*, inquit, *cuilibet homini sancto, & Dei voluntatem scienti atque facienti, præter unum Sanctum sanctorum, dicit in hac vita necessariam non fuisse* petitionem orationis Dominicæ, Dimitte nobis debita nostra, *multum errat, nec potest illi omnino placere, quem laudat.*

VI. Ab omni de peccato quæstione D. Virgo excipitur.

Ergòne erravêre Theologi, neque omnino Virgini, quam laudabant placuêre, cùm id statuerunt, petitionem illam Orationis Dominicæ ab ipsa numquam nomine suo pronuntiatam, sed populi? Errâsse Theologos nostros Acatholici disputant: in his recentior quidam, in controversiarum compendio cap. 25. adductâ pro se illâ Augustini sententiâ. Sed Augustino respondeat Augustinus cap. 36. libri de natura & gratia, primo adversùs Pelagium scripto, aut è primis: *Exceptâ sanctâ Virgine Mariâ, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem.* Excipit hîc Augustinus Virginem, ab omni de peccato quæstione, *propter honorem Domini*: eamdem excepisse, propter ejusdem Domini honorem, censendus est, quotiescumque solum Sanctum sanctorum Christum excepit.

VII. Bernardi, & Damasceni, de illa sententiæ.

Et verò, inquit Bernardus ep. 174. *Reginam illam Virginum decuit, singularis privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quæ Redemptorem mundi pareret, fontem justitiæ.* Sermone in signum magnum, postquam Virginem consideravit amictam Sole, Lunâ suppedaneâ: frustra igitur ait, vel minimam umbram in tantæ lucis radiis quæri. Et serm. de Assumpt. post Martham, & Mariam, Virginis actioni & contemplationi comparatas, dicit, de Lazaro mentionem fieri nullam, quia pœnitentiæ opus Virgo non habuit. Eleganter Damascenus orat. 1. de dorm. Virginis duplicem in illa virginitatem prædicat, corporis, & mentis: intactam istam æquè, ut illam, fuisse; nec minùs peccaturum, qui vel tenuissimam sanctimoniæ Marianæ maculam affingeret, quàm qui labem ullam tribueret castitati.

VIII. Ecclesiæ sensus de eadem.

Secutus Damascenum, in ista duplicis Marianæ virginitatis laude, Rupertus, aliique plurimi: præiisse videtur Ambrosius lib. 2. de virginibus, hac sententiâ: *Virgo erat non solùm corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum.* Par fuit menti Virginis sinceritas, & corpori integritas: eademque affectuum omnium, & castimoniæ puritas; hæc illibatissima, illa incontaminatissima. Quid autem recensendis Patrum verbis immoremur: quando Ecclesiæ universæ sensum Concilii Tridentini Patres sess. 6. can. 23. protulêre? *Si quis hominem, semel justificatum, dixerit ampliùs peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur & peccat, numquam verè fuisse justificatum: aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

IX. Insignium sanctorum virorum puritas à peccatis.

De Divo Antonino olim dictum à Pontifice Maximo perhibent, videri Adamum in illo non peccâsse: idem de D. Thoma Doctore Angelico, & Seraphico Bonaventura nonnulli, explicandæ significantiùs ipsorum innocentiæ, declamavêre. Tantumdem de Francisco Salesio, & Roberto Bellarmino, dici potuerit. De hoc certè narrat vitæ scriptor: cùm ipsi sacerdos quidam è nostris assevераret, venialem noxam à Joanne Bercmanno numquam admissam; respondisse, id equidem sibi non magnopere mirum videri: ecquis enim sciens, ac deliberatò, Deum, quantumvis venialiter, offendere voluerit? Deinde, post reputatam, ac consideratam iterum atque iterum, istam Bercmanni laudem, de se ingenuè, quo erat animi ac verborum candore, fassus est, numquam, quod sciret, talem sibi noxam excidisse. De Anysio, opinor, Episcopo Thessalonicensi tantumdem prædicâsset Ambrosius, quo de hæc scribit, ad cognominem illius successorem ep. 231. *Vidi fateor virum: nam & hoc meritis illius debeo, quòd illum viderim. Vidi illum ita esse in corpore, ut extra corpus putarem.*

X. Quò sanctiores sunt, eò culpas suas veniales clarius intuentur.

Anysii tamen illi, & Bellarmini, & Bercmanni, & Salesii, & Thomæ, & Bonaventuræ, & Antonini, & alii consimilis innocentiæ heroës, & heroïnæ; non idcirco in animis suis maculárum nihil vidêre, ac doluêre: imò eò vidêre clariùs, & vehementiùs doluêre, quò fuêre sanctiores, & divino lumini propiores. *Quantò electus quisque*, inquit Gregorius in psal. 2. pœnit. *majore sanctitate præeminet: tantò magis de his, sine quibus hæc vita non ducitur, venialibus peccatis dolet.* Et in psal. 4. pœnit. *Quidam sancta contemplationis pennas ad cælestia se intuenda erigunt: eò subtiliùs, si quid vitiosum in ipsis latebat, inveniunt, quò ad divinæ lucis claritatem viciniùs accedunt.* Nec semel iterúmve, sed quotidie dolenda & emundanda in mentibus suis, pro humanæ infirmitatis modo, deprehendêre. Eam ob rem à Patribus veniales culpæ, quotidianæ, dictæ sunt: & Tridentinum Concilium sess. 6. cap. 11. pronuntiat, sic homines esse comparatos, ut *in hac mortali vita, quantumvis justi & sancti, in levia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, quandoque peccata cadant.*

XI. Quonam modo purior, non hominibus solùm Virgo, sed Angelis?

Soli itaque, post Christum, Virgini istud singularis prærogativæ datum est, ut numquam peccaverit: atque adeo ipsius suprema puritas omnem hominum, quantumlibet Sanctorum, puritatem transcendit, incomparabili sublimitate, ut modò Anselmus loquebatur. Facilè equidem istud, inquis, mihi persuasisti de hominum puritate, quid autem de puritate Angelorum? Neque enim illos tantùm, sed istos etiam incomparabiliter à Virgine superari, Anselmus statuit, & tu, præeunte Anselmo, posuisti. Non peccavit Virgo: neque isti peccavêre. Par ergo istorum, & Virginis, puritas est: quandoquidem purum esse, nihil sit aliud, quàm culpâ carere; culpæ autem carentia, sive peccati omnis absentia, utrobique æqualis est; neque enim privatio, ut in scholis loquimur, habet magis aut minùs. Si de Virgine illud diceretur, quod in liturgia sua scripsit Chrysostomus, ἀσυγκρίτως incomparabiliter Cherubinis esse pretiosiorem, & gloriosiorem Seraphinis: mox in eamdem, ore calamoque, sententiam iremus universi. Caritas enim dat pretium, & gratiæ gloria respondet: caritate autem, & gratiâ, Virgo elevatissimos sub Deo

spiritus

spiritus multis intervallis superavit. At quo illos pacto, peccati prorsus omnis expertes, puritate transcendit?

XII. *Angeli peccasse potuerunt. Virgo impeccabilis fuit.*

Viam nobis Richardus de S. Victore cap. 26. in Cant. aperiet. Impeccabilem ait fuisse Virginem: ipsum illud est, quod initio posuimus, Virginem peccare non potuisse. Atqui Angeli peccare potuerunt; quorum æquales naturâ, & gratiâ, multi peccavêre. Incomparabiliter igitur illis purior est Virgo; quæ non tantùm non peccavit, sed ne peccare potuit quidem. *Ita confirmata est*, inquit Richardus, *ex virtute Altissimi, obumbrata, & roborata, ut peccatum omnino committere non potuerit.* Quæ insignis Doctoris sententia, etsi novi aliquid, & miri, habere videatur in speciem: non adeò tamen improbabilis est, ut summi illam Theologi, D. Thomas & Bonaventura, amplexi non sint, præeunte præceptore suo Alexandro Alensi, ordine longo sequentibus doctissimis viris, errandi periculum in tam sancto & erudito comitatu non veritis. Sequamur & nos, tot fidejussoribus securi: & explicatione idoneâ planum faciamus, veram ac certam esse Richardi sententiam, nedum probabilem, ac plausibilem.

XIII. *Duo impeccabilitatis genera ab intrinseco, & ab extrinseco.*

Duplex à Theologis Impeccabilitas statuitur, Antecedens una, alia Consequens: illa ex natura, vel quasi natura, profluens, & ab intrinseco: ista extrinsecùs adveniens. Primum genus in Deo est, æterno sanctitatis fonte, immensæ bonitatis suæ vi necessariò à malis quibuslibet averso: est etiam in sacratissima Christi humanitate, ob intimam cum Verbo divino conjunctionem, & personalem unionem: est itidem in Beatis, ob clarum amabilissimæ divinitatis intuitum illam necessariò amantibus, & ab omni amoris illius labe necessariò alienis. Absit ut Virginem, quamdiu mortalem vitam egit, modorum istorum ullo impeccabilem fuisse arbitremur. Neque in divinam naturam transiit Dei Mater: nec Personæ alicui divinæ substantialiter unita est: nec Deum tam clarè intuita, ut necessariò diligeret. Tota itaque ipsius impeccabilitas, non ab intrinseco profecta; sed ex singulari Dei præsidio, gratiisque, extrinsecùs accidit.

XIV. *Extrinseca Virginis impeccabilitas ex capitibus tribus.*

Ad hanc rem percommodè Damascenus orat. 2. de dorm. Virginis, castro arcive illam comparavit. Arcem adversùs hostiles impetus, aut insidias primùm arduus situs communiet, qualem Bethsuram historia Machabæorum narrat: deinde muri, aggeres, turres, propugnacula circumjecta, quomodò a Machabæo factum munimentis Templi: denique pervigil præsidiariorum custodia, & fortitudo præfecti ac prudentia, quemadmodùm arce suâ Hierosolymitanâ diu Syro-Macedones fecêre. Virginis mentem, adversùs fraudes omnes insultúsve peccati, primùm muniit positûs sublimitas. *Fundamenta* enim *ejus in montibus sanctis*, in ardua justitiæ originalis rupe, extra passionum impetus, extra tentationum ictus, supra concupiscentiæ vires, quam *legem membrorum* Paullus, *domesticum dæmonem* Basilius appellat. Nec scalis illuc, nec telis pervadere actualis culpa poterat, quò noxa originalis non pertigerat. Accessêre, defendendæ adversùs externos dæmonum insultus Virgini, propugnacula virtutum omnigenarum, caritatis inprimis ardentissimæ: quia *anima ipsius*, ut ait Ildefonsus, *in amorem Dei erat transformata, sicut ferrum candens in igne.* In perpetuis amoris divini, virtutumque aliarum actibus, quid loci culpis ullis esse potuit? Custodivit denique, gratiarum invicto præsidio, arcem suam Providentia Numinis; &, quidquid noxii in virgineam mentem incurrere poterat, absterruit. Tam vigili excubitore, tam forti propugnatore, ab hostilibus insidiis nihil, nihil à viribus fuit Virgini metuendum: neque à negotio timendum perambulante in tenebris, neque à sagitta volante in die, & à dæmonio meridiano.

XV. *Ad nostræ purificationis exemplum Virgo purificata est.*

Eccurnam igitur, inquis, tantæ puritatis Virgo imples dies purgationis suæ, secundùm legẽ Moysi? Jam diximus; obsequendi studio, & sese demittendi, id fecisse: exemplo præterea nostro, inquit Guerricus Abbas serm. de Purif. Deus enim noster, excoquendis culpis omnibus, ignis consumens est: & Angelus testamenti sedet conflans, & emundans argentum; & purgabit filios suos, *& colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in justitia.* Cujus justitiæ pars prima est, declinare à malo; &, quomodò Tobias filium ab infantia docuit, *abstinere ab omni peccato.* At, unde nobis, in hac humanæ naturæ imbecillitate, inter quotidianas ac momentaneas peccandi occasiones, inter familiaria incentiva, externosque impulsus, abstinentia ab omni peccato? Nonne modò dicebatur, quantumvis justos, & sanctos, in levia & quotidiana saltem peccata quandoque cadere?

XVI. *Munienda mens nostra solidis cogitationibus, ac principiis.*

Sic omnino est. At gravia saltem, & ea quibus criminum nomen Augustinus Enchir. cap. 64, facit, vitare potes. Quidni & ipsas veniales noxas omnes deliberatas? De iis certè vitandis, nuper sapientes de Societate nostra viri, & scriptorum pietate atque ubertate percelebres, Alvarus de Paz & Ludovicus à Ponte, votum edidêre. Tam insigni puritati consequendæ idem, quod arci muniendæ, faciamus. Mentem, & voluntatem nostram, alto ac firmo situ collocemus: *munimenta castrorum sublimitas ejus sint.* Ædificemus supra petram, non in fluxo sensuum aut cupiditatum solo, sed in solidis fidei ac rationis præceptis. Hoc nobis certissimè statutum sit, & assiduâ cogitationum ac propositorum repetitione firmatum, Non peccare, Deum non offendere, Quod ipsi displiceat nihil admittere. Id ipsum, opinor, Hieronymus Celantiæ suadebat: *Ædificanti tibi spiritualem domum, non super levitatem arenæ, sed super soliditatem petræ, innocentia imprimis fundamentum ponatur.*

XVII. *Adjicienda munimenta virtutum, & operum supererogatoriorum.*

Addantur excelso situi valida propugnacula: virtutibus voluntas, & intelligentia valletur, ne quà hostes penetrent. Difficulter affectus pravi voluntatem capient, quam boni totam sibi vendicavêre: nec cogitationes vanæ, aut leves, aditum sibi facilè ad intelligentiam aperient, quæ tota cogitationibus occupatur cælestium rerum, aut cælestibus affinium: neque officii sui partibus ullis deerit, qui, ultra officii sui necessitatem, obsequia Deo deferre & opera supererogatoria facere consuêrit. Viri magnæ congregationis, id est Synedrii, in sententiis Rabbinorum sent. 1. documenta tria commendavêre: *Considerate judicandum: Aggregandos, quantum fieri posset, ad Legis studium discipulos: Sepimenta, & propugnacula, Legi circumjicienda.* Quod autem sepimentum & propugnaculum Legis? Quale hodie Virgo posuit, cùm legem, quâ non tenebatur, implevit. *Non satis est*, inquit Prosper epigr. 24. *legis præceptum volvere lingua: Is memor est legis, qui memor est operis*, maximè, si consiliorum quorumdam observantiam firmandis

præceptis

præceptis adjiciat. Nam, ut aiebat Rab. Hananias Ben-Dozaa, *Qui plùs operum habet, quam sapientiæ, ejus sapientia durabit.*

XVIII. Postulanda suppliciter divina per Virginem custodia.

Sed quia, *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam:* obsecrandus Deus, ut singulari Providentiæ suæ curâ animum nostrum tueatur, & præsidiarios Angelos ad vim hostilem arcendam submittat. Allegemus Filio preces purissimæ Matris: impetrabit illa nobis, quod plurimis obtinuit. Neque enim Divæ duntaxat Gertrudi, ejusque domui factum, quod refertur lib. 4. Insin. div. piet. cap. 4. Hodie, dum in officio sacro caneretur octavi responsorii versus, *Ora pro nobis*, vidit Gertrudis Virginem ad Christi genua accidentem, & pro domo illius supplicem: Christum Matri, surgere & ad latus suum considere jussæ, imperandi potestatem fecisse: Virginem Angelis, de Potestatum ordine, imperâsse, ut domum universam agmine suo cingerent, & adversùs paratas dæmonum insidias, atque insultus, tuerentur: Potestates, scuta scutis jungentes, domum cinxisse in coronæ modum. O Virgo sanctissima, ora etiam pro nobis, ut Dominus scuto bonæ voluntatis suæ nos coronet. O mundissima Angelorum Regina, singulari benevolentiæ tuæ præsidio, & subditorum tibi Potestatum pervigili custodiâ, Christianarum mentium, lotarum in Agni sanguine, Deoque oblatarum, intactam tuêre adversùs peccata puritatem.

SECTIO NONA.

Virgo in morte, assumptione, coronatione mirabilis.

I. Unum necessarium bona mors, cujus genera tria, in amore, ob amorem, ex amore.

PARTES ternas festum Assumptæ Virginis complectitur, quarum prima ordine mors fuit. O si, quomodò *Maria optimam* in morte *partem elegit*, & nos Mariani Christiani eligamus! Quid turbaris anima Deo nata, Virgini mancipata, erga plurimorum inanem curam? Cur solicita es, & desideriorum variâ distractione distenderis? Porro unum est necessarium, benè mori in amoris divini sinu, in patrocinii Mariani subsidio, in Virgineæ mortis exemplo. B. Franciscus Salesius lib. 7. de amore divino cap. 11. 12. 13. tria mortis cum amore divino conjunctæ, genera enumerat: si quis in amore divino moriatur, si ob amorem, si ex amore. Mortuus ex amore D. Philippus Nerius est, costis diligendo Deo diffractis: B. Stanislaus noster anno ætatis decimo octavo, ipsâ Assumptæ Deiparæ nocte, febri, quam amore divino succensam medici ipsi censuêre, sublatus: D. Franciscus Assisinas, anno ætatis quadragesimo quinto, actibus caritatis immortuus, inter hæc verba, *Educ de custodia animam meam.* Mortuus ob amorem est D. Laurentius, caritate profusâ in pauperes Christi, & Christi honore inter horrendos cruciatus defenso: consimilemque necis caussam Martyribus omnibus fuisse plerique existimant, ut caritatis divinæ gratiâ occumberent. Mortem obire in amore frequentissimum est, imò Electorum omnium, si de habituali caritate loquimur: in actuali multis Sanctorum exspirare contigit, ut Joanni Chrys. in istis vocibus, δόξα σοὶ κύριε; Petro Cælestino, in his, *Omnis spiritus laudet Dominum*; Osualdo in illis, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*; Ven. Bedæ in vespertinarum precum clausula, *Amen.*

II. An D. Virgo mortua sit, & quo mortis genere?

Deiparam Virginem amoris intensissimi actibus immortuam negaverit nemo, nisi vel insanus, vel impius: qui vel nesciat, vel nolit scire, quàm ipsa Deum medullitus dilexerit. Mortuam ob amorem in monte Calvariæ, ex morientis Filii spectaculo, dixêre nonnulli: nos non probavimus: tantùm istud affirmavimus, morituram fuisse, nisi vis divina imbecillitatem Virginei pectoris, doloribus discerpti, fulsisset. Mortuam denique ex amore, tam mihi persuasum est; quàm certum est, mortuam. Etsi enim quidam, in his Epiphanius hær. 78. vocare istud videantur in dubium, quia forsan obnoxia mortalitati esse non debuit, quæ mortalitatis universæ fontem in originis peccato non attigerat: hodie tamen ambigit nemo, quin eâdem lege obierit, cujus legis gratiam sibi fieri Deus-homo noluit, factus obediens usque ad mortem. Disputat ea de re sapienter Suarez in 3. p. q. 37. disp. 21. sect. 1.

III. Amor Virgini mors fuit.

Non incongruus apologus narrat, Mortem, & Amorem, habitu & paratu poëtico, simul iter facientes, sub eadem umbra obdormîsse, telis arcubusque depositis: experrectos arma, ut indiscriminatim jacebant, inter se inscios mutâsse: ex illo ab Amore vulnera Mortis, à Morte plagas Amoris infligi. In apologo, fabellula; in morte Virginis, historia est. Mors illam amore vulneravit: Amor morte affecit. Amantissima Dei Mater conditiones amoris divini, universas, per vitam omnem, impleverat: aquæ multæ non potuerant ipsius caritatem extinguere, nec flumina obruere: dederat pro dilectione substantiam omnem, viresque animi, ac corporis, & quasi nihil despexerat. Quid reliquum fuit, exactâ jam ætate; quàm ut fortis esset, sicut mors, dilectio, &, sicut mors, occideret?

IV. Aliter Virgo mori nequiit, quam ex amore.

Et verò quod genus mortis aliud Virgo poterat appetere, si ex amore non occumberet? *Morimur* enim *omnes, & sicut aqua dilabimur super terram:* vel quia vis nobis externa infertur, vel quia morbus ingruit, vel quia naturæ vigor sensim extinguitur, vel quia vehementes passionum motus sanguinem inficiunt. Horum nihil Virgini accidere potuit: certè non decuit. Passionum deordinatarum insultibus concuti nequibat, cui motus omnes erant in pervigilis rationis potestate. Temperatissimæ naturæ vigor evanuisse non poterat, anno ætatis sexagesimo tertio, aut septuagesimo, aut octogesimo tertio, quibus annis Virginem extinctam alii atque alii opinantur: cùm multò minùs temperatorum corporum vitam, citra defectûs extremi periculum, non paullò longiùs ævo hoc ipso nostro extendi videamus. Morbos compositissima Virginis valetudo, & prudentissima conversatio, ac victûs ratio, non patiebatur. Vim externam tum hominum, tum animalium, tum aliorum in corpora humana incurrentium, arcebat divini præsidii cura, & Angelici comitatûs diligentia. Superest igitur, ut ad illam morti præclusum undique aditum amor aperuerit: præsertim cùm, quæ Sanctorum multis prærogativa concessa est, sanctissimæ Virgini negari non debeat.

V. Amor non fuit sine dolore.

Quo autem modo id acciderit, etsi explicatu difficile est, conemur tamen aliquid, juvante matre pulcræ dilectionis. Ante omnia illius sententiam non sequor, cujus virtutem eminùs saltem subsequi desiderârim B. Salesii. Ait, animam Virginis adeò tranquillè de corpore excessisse, ut dolor nullus, via saltem nulla fuerit. Illius enim amorem fluvio similem fuisse, sine obice

per

per eedentem arenam molliter labenti: Sanctorum aliorum caritatem, torrentium instar, per obstantia enisam. Sed, pace integerrimi viri, Virgineæ animæ ab obsequentissimo corpusculo arctissimam societatem, citra violentiæ ullius sensum, abruptam fuisse, equidem non intelligo. Nam, si non vivitur in amore, sine dolore; sine dolore utique non deceditur ex amore; nec, sine magno dolore, ex magno amore deceditur. Atqui ubi magnus dolor est, violentiæ aliquid saltem non adesse non potest: maximè si dolor ille ex vehementissimis mentis intimæ motibus, eoque altioribus quò suavioribus plagis, corculum palpitans succutit, & senile corpusculum afficit. Quomodò amor in Virginis mentem suavissimis simul, & altissimis, vulneribus quinque penetrârat.

VI. Vulnus primum amoris, ex desideriis.

Primum fuit vulnus à vehementissimis Dei videndi, Christi cernendi, desideriis: quæ cùm exsatiari, nisi morte, non possent, mors ipsa desiderabatur, *velut letitia dies & gratia, meta votorum, amica cogitationum*, quomodò illam Hugo Lincolniensis, & Catharina Genuensis, nominabant. Quem hominem spectaverat in ignominia, eum concupiscebat cernere in gloria: quem Deum indefessis fidei oculis adspexerat, eum ardebat æternis intelligentiæ contueri luminibus. Non sic volucris de cavea in apertum gestit erumpere, non sic cervus anhelus desiderat ad fontes aquarum: sicut mens animi Mariani ferebatur in Deum, & Christum ejus. Sedando quidem ardori desideriorum nunc cælum adspiciebatur; nunc sacræ Literæ legebantur; nunc Verbi divini verba omnia, in corde conservata, conferebantur; nunc vestigia, & itinera, relegebantur. Sed æstus tantisper compressus, paullò pòst vehementior erumpebat: quemadmodùm in ardentibus febribus, & magnis incendiis, aquæ modico potato, vel affuso, solet. Tantò autem vehementiora erant Mariæ desideria, quòd Ecclesiæ necessariam ampliùs vitam suam non esse sentiebat: nec jam necesse erat dicere cum Paullo, *Coarctor è duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multò magis melius. Permanere autem in carne necessarium propter vos.*

VII. Alterum ex mortis nuntio: tertium ex Apostolorum verbis.

Qui ad Danielem, eò quòd vir desideriorum esset, bonus nuntius vênit: idem fæminæ desideriorum fælicitatis suæ momentum imminens nuntiavit. Nam si divinitus Sanctorum plurimis mors sua, in gaudii æterni prægustum, significata est: quin Virgini idem contigerit, ambigere nefas duxero. Si autem id Virgini contigit, non ab alio utique Angelo fieri convenientius fuit, quàm à Gabriele, incarnati Verbi legato: à quo palmam etiam illi, victoriæ symbolum, simul cum nuntio præbitam fuisse, ex Nicephori & Metaphrastis narratione, perhibetur. Lætantem in his, quæ dicta erant sibi, & altero amoris vulnere, ex propinquæ mortis scientia percussam, tertiâ plagâ confixêre Apostoli, dulcibus & optatis, de Christi gloria, quaquaversum diffundi prosperrimè cœptâ, colloquiis. Sive, quomodò aliqui ex Dionysii Areopagitæ scriptis conficere sese existimant, Apostoli omnes, unico Thoma excepto, moribundæ adfuerint, Angelico ministerio Hierosolymam devecti: sive, ut ego quidem arbitror, morienti adstiterint duo omnino, frater Domini, & discipulus quem diligebat JESUS: uterque ætate demum decrepitâ defunctus, post Virginis obitum, ille Hierosolymorū Episcopus, iste Virginis domesticus, qui eam acceperat in sua.

VIII. Quartum ex suprema Ven. Sacramenti sumptione:

Incedebat lætitiis omnibus, & mortem gaudio occupabat Aloysius noster, quando ipsi mortis dies præcognitus fuit. Teresiæ cor penè affectûs vi dissiliebat, quando de Christo ista canebantur, *regni ejus non erit finis*. Quàm penè mortuam putemus Mariam ad mortis instantis nova, & ad Christiani regni triumphalia præconia? Accessit vulnus quartum, & intimum à Ven. Eucharistia, quam à D. Joanne, sacellano tunc domestico, ut ante sæpissimè fecerat, sumpsit, sagittariumque simul & sagittam pectori intulit. Recogitentur ardores, defectus, exstases communicantium Xaveriorum, Neriorum, Borromæorum, Catharinarum; & cum Virginis amore comparentur: stellulæ sunt ad Solem, scintillulæ ad fornacem. Atque adeo nonnulli pectus illius, in hoc supremo divinæ hostiæ viatico, tantâ caritate vulneratum fuisse, opinantur: ut dulce istud momentum vitæ mortalis ipsi supremum fuerit, manseritque integra Hostia, intra Mariam, velut intra hierothecam, à beatis Spiritibus in cælo æternùm adoranda.

IX. Vulnus supremum à conspectu Filii.

Quintam tamen aliam, extremamque caritatis plagam, accessisse non ambigo, ex ejus, quem in Ven. Sacramento velatum susceperat, Filii manifesto aspectu. Invisit ad moribundam Virginum Reginam, amator & sponsus virginum. Venit ad Matrem longè dilectissimam, qui ad Matris ancillulas adire dedignatus non est. Quæ tunc matris gaudia, quæ voces, quis satis exprimat? Non oris voces, non linguæ sonl; sed sermones amoris, & cordis. Nam quomodò *curæ leves loquuntur, ingentes stupent*: ita sermocinantur affectus tenues, magni conticescunt, & tacendo augescunt. Videor mihi videre Christum, Angelis stipatum, intra Mariani cubiculi angustias repentè consistentem, ad lectuli caput: & sinistrâ cervici maternæ suppositâ, dextrâ vulnus lateris sui demonstrantem, invitantemque, ut illuc tantisper ingrediatur anima carissima, donec repetendi corporis dies advenerit. Vides amabilissima genitrix, cor istud in cavo hiantis pectoris? Ibi te gestavi, ex quo cor mihi formatum est: ibi te feram. Meministi laborum, quos in me portando subiisti? Compensandorum modo tempus est. Veni benedicta Patris mei, Filii tui. Talia Christus oculis, & gestu, loquebatur. Virgo affectu, ac singultibus, respondebat. Ancilla tibi inutilis fui, Fili mi, feci quod oportuit: feci tamen, non meâ causâ, sed tuâ. Nihil in terris dilexi, nisi te, & propter te, Deus meus. In cælis nihil exopto, nisi te, & propter te, *Domine, tu omnia nôsti, tu scis quia amo te.*

X. Amor Marianus, bonæ mortis janua.

Inter istos affectus integerrima Mariæ anima, deserto tantisper pectore suo; in Filii pectus ad beatitudinis sortem transiit. Simul Angelici cantus sonuêre, & æqualium Angelis virgineorum Apostolorum voces, quibus nostras modò conjungimus. Ecquando tandem veniemus, & apparebimus ante faciem Domini? Trahe nos post te, ô Maria. Quid hic orphani, sine patre, sine matre, agimus, in valle lacrymarum? Quid nobis in exilio incolatus prolongatur, cum habitantibus Cedar? Domus nostra est, ubi Christus est, ubi Maria est: ista mater, ille pater. O dulcissimi parentes, filiorum minimus, Benoni vester, vos inclamo; ut ad vos aliquando, optatissimâ illâ morte amoris vestri, transeam. Sic loqueris, Christiane, postquam seriò Virginis obitum attendisti. Mori forsan cuperes ex amore: sed paucissimorum est. Mori saltem velles ob

amorem: ſed non multorum eſt. At mori denique deſideras in amore divino: quod Electorum omnium eſt. Ut in amoris divini brachiis occumbas, vive in Marianæ caritatis gremio. Bona mors, janua cæli eſt: bonæ mortis janua, amor Mariæ eſt. Quod Adolfo Alſatiæ Principi contigit, ut, vitæ parte licenter actâ, poſtmodùm ad meliora converſus, in morte tamen ſui non ſecurus, à Virgine, quam unicè coluerat, animaretur; quàm multis contigit! Dicebat moribundus Ambroſius, *Mori non timeo, quia bonum Dominum habemus*: addat Mariæ cliens, Mori non timeo quia bonam Dominam, Domini ancillam, habemus.

XI. Aſſumptio Virginis comparata Incarnationi, & Aſcenſioni Chriſti.

Mortem Virginis triduo ſecuta eſt Reſurrectio, & Aſſumptio: qua de re ſi Ægyptii controverſiam movent, in omnium ferme Chriſtianorum ſæculorum pietatem pugnant. Verbulum ipſis mox proferemus: nunc Hieroſolymitanos fratres alloquor. Hieroſolymis, viſione pacis, annis aliquot ante extremi belli viſionem, Reſurgentis Virginis Aſſumptio contigit. Eam Bernardus ingenioſè ac piè ſerm. 1. cum Verbi divini Incarnatione comparavit: in hac Gabrielem locutum; in illa Fortitudinem Dei, morte vincendâ, operatam: in hac cælos ad terrã deſcendiſſe; in illa terrã ad cælos aſcendiſſe: in hac Chriſtum exceptũ aulâ Virginis; in illa Virginem exceptã regiâ Chriſti: in hac Deum à Virgine veſtitũ habitu mortalitatis; in illa Virginẽ à Deo ſtolâ immortalitatis indutã, ut hoſpes hoſpitii gratiã redderet. Ita ferè Bernardus. Nec minùs eleganter, imò ni fallor accõmodatiùs, B. Petrus Damianus ſerm. de Aſſ. cõparat Aſſumptionẽ Virginis, cum Aſcẽſione Chriſti: & illã exiſtimat à ſacris hiſtoricis eâdem locutione, quâ iſthæc deſcripta eſt, indicatam. Quia, opinor, de Chriſto Evangeliſtæ ſcripsêre, *Aſſumptus eſt in cælum*. Eccleſia de Virgine dicit, *Aſſumpta eſt Maria in cælum.*

XII. Virgo an Filii imago: an Aſſumptio Aſcenſionis?

Diſceptari non incongruè poteſt, Chriſtúsne quâ homo Matris ſuæ imago dicendus ſit: an contrà potiùs, Matrem Filii ſui imaginem dicere oporteat. Illinc enim facere, commune illud de liberis, quòd parentum imagines ſint; ut etiam in divinis Filius, licèt æternitate Patri æquævus, *imago* tamen *Patris* & figura nominetur. multò magis hominum filii, qui parentibus tempore æquales eſſe nequeunt. Hinc autem facit eximium iſtud, quod ſuprà de Conceptione ſect. 4. num. 8. attigimus; Chriſtum, etſi tempore Matrem ſequatur, divino tamen conſilio anteriorem eſſe: hanc productam, quia ille producendus fuit: hanc talem conditam, quia talis ille condendus fuit: atque adeò ideam Chriſti priorem eſſe ideâ Virginis, primam in intentione, ultimam in executione: unde conſequatur, hanc illius imagini conformatam. Iſtis, aliiſque in eam formam ratiunculis, pia illa quæſtio diſceptetur: at certè ambigi non poteſt, quin Virginis Aſſumptio Chriſti aſcendentis imago ſit; quandoquidem, non conſilio dumtaxat divino, ſed etiam tempore, fuerit aliquanto poſterior. Utramque conferamus, in iis quæ anteceſsêre, quæ conjuncta fuêre, quæ conſecuta ſunt.

XIII. Ante Aſſumptionem Virgo cum Chriſtianis de regno Dei loquitur & apparet.

Prævivêre Aſcenſioni Chriſti, mors, ſepultura, deſcenſus ad limbum, apparitiones, colloquia cum ſuis de regno Dei. Eadem omnia Aſſumptioni Virginis præceſsêre. B. Amedeus hom. 1. de Aſſ. Virg. & D. Anſelmus lib. de Excell. Virginis, aliique, petunt, eccur non Filium, in cælos aſcendentem, dilectiſſima Mater ipſo momento ſecuta non fuerit? Expediebat, inquiunt, abſcedente magiſtro Eccleſiæ, magiſtram relinqui; non exemplis modò, ſed verbis, novellos diſcipulos erudituram. Multa enim notârat, & conſervârat in corde ſuo, quæ Apoſtolis & Evangeliſtis in tempore aperiret: cujuſmodi fuêre myſteria Incarnationis, Viſitationis, Nativitatis, Infantiæ Dominicæ, Cantica terna Evangelica. Iſthæc enim, quamvis Spiritu ſancto doctore Evangeliſtæ didiciſſe potuerunt: longè tamen credibilius eſt, Mariæ verbis informatos, cui fecerat magna qui potens eſt. Eamque ob rem à ſanctis Doctoribus *Magiſtra Apoſtolorum, & Evangeliſtarum*, appellata eſt: quia cum illis, poſt Filii mortem, ejus exemplo & voluntate, de regno Dei collocuta: quando eam ipſi in parthenone ſuo cum piis virginibus, ac viduis habitantem, viſebant; aut quando ad eos ipſa viſebat, interdum etiam miraculo, quod Jacobo in Hiſpania, diſcipuliſve ejus contigiſſe, teſtis eſt Cæſarauguſtani ſacelli monumentum.

XIV. Moritur, ſepelitur, deſcendit ad inferos.

Mortuam deinceps, quando Filio placuit, antè affirmavimus. Exanime corpus ſepultum conſtat, etſi aliter alii narravêre. Nec refert, quod, uti Baronius advertit, ab Hieronymo in epitaphio Paulæ, de ſepulcris Prophetarum Helenæque etiam Adiabenæ narrante, Virginis tamen ſepulcrum taceatur. Silentii enim cauſſa fuit, Hieroſolymitanæ urbis excidium: cujus ruinis, ac ruderibus, diu obrutus manſit Marianæ ſepulturæ locus; & poſtquam denique, diligentium & laborioſorum Chriſtianorum curâ, deprehenſus eſt, tam altè defoſſus fuit, ut illuc, Burcardo teſte, gradibus ſexaginta deſcenderetur. Animam Virginis, à corpore ſejunctam, in cor Filii tranſiiſſe diximus: inde, non ad limbum Patrum jam deſitum, ſed ad Purgatorium carcerem deſcendiſſe, mihi perſuadet, tum imitatio Filii, tum Matris caritas. Et verò, ſi Regem deſcenſus ille non dedecuit, nec Regis matrem. Et, ſi vera illa ſunt, quæ de viſitatis identidem poſt Aſſumptionem à Virgine famulis ſuis periclitantibus, laborantibus, ægris, ſerio narrantur, ac jucundè audiuntur: credibile omnino eſt, ab eadem ante Aſſumptionem viſitatas piorum animas, quarum ſtratum igneum in infirmitate verſabatur.

XV. Reſurgit.

Animatâ ſpe libertatis turbâ captivorum, imò, ut piè quidam opinantur, carcere prorſus vacuato, anima beata corpori ſuo reddita eſt: ſeu quadrageſimo poſt mortem die, ut Beda in Martyrologio cenſuit: ſeu ipſo die mortis, ut quidam exiſtimant, ideoque mortem Virginis & Aſſumptionem ſimul celebrari: ſive tertio demum die, quod plurimi opinantur, *ut in hoc etiam*, inquit Suarez ſect. 2. *B. Virgo fuerit Filium imitata.* Sed quandocumque accidiſſe dicatur, conſtat tamen accidiſſe. Fide divinâ id conſtare, docebat Ambroſius Catharinus. Suari ſatis fuit docuiſſe, *tam receptam eſſe ſententiam, ut à nullo Catholicorum poſſit in dubium revocari, aut ſine temeritate negari.* Rationes in ſummam collectas apud ipſum invenies: ego dumtaxat indicabo. Decebat carnem Virginis, unde tota Chriſti caro primigenia ſumpta eſt, parte ſui vivente mortuam non jacere. Qui dixerat, *Ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit*, paſſus non eſt diu à ſe abeſſe corpus Ancillæ Domini, & vitæ Dominicæ adminiſtrum. Sponſam à ſponſo diu divelli dedecebat; ne virgines exire non poſſent *obviàm ſponſo, & ſponſæ. Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*: quantò magis ſanctiſſimæ Deiparæ

corpus

corpus surrexerit? Nusquam corpus Virginis, aut corporis pars ulla, in terris invenitur: latere tamen tamdiu non sivisset, sicubi foret, qui Stephani, Gervasii, Protasii, aliorumque Divorum celebrium corpora detexit, ut honoribus debitis colerentur. Anima beata corpori suo restitui desiderat: dubitari non debet, quin Filius Matri desiderium animæ ejus tribuerit.

XVI. *Assumitur in cælum, & ascendit dotali agilitate.*

Resurrectionem Assumptio illico secuta est, quia morandi caussa non erat: cùm ante mortem Virgo præstitisset, quod Christus suis cum Apostolico cœtu alloquiis post mortem fecit. Assumptæ autem Virginis triumphum, ut accuratè pingamus, ab Ascendente Christo formam & colores mutuemur. Euntem in cælum nubes suscepit, comitata est gloriosa captivitas, Angeli lætantes excepêre. Eadem Virgini facta omnes fermè Patres asserunt, qui de Assumptione vel dixêre, vel scripsêre; ut nominibus, & sententiis, alibi inventu facilibus, parcam. Corpus excitatum, de sepulcro subtilitatis dote erumpit: dotali agilitate sursum fertur in aerem, ex animæ nutu. Absolutissima enim est corporis gloriosi ad animæ imperium obedientia: & *ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus*, inquit Aug. lib. 22. de Civit. *nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere, nec corpus.* Evectam Angelorum ministerio Virginem tabellæ pictæ non paucæ Christianis exhibent. sed monendi sunt, quod Suares non præterit, vi propria, & dotali beatorum corporum levitate, ascendisse: *dicitur* nihilominùs *assumpta ab Angelis, quia honoris caussa eam comitabantur: & magis dicitur assumi, quàm ascendere; quia virtus ista simpliciter non erat connaturalis tali personæ, sicut fuit Christo.* D. Thomas 3. p. q. 57. art. 3. in corp. ait dici Christum ascendisse, quia *non tantùm vi corporis glorificati ascendit, sed etiam virtute sua divina.*

XVII. *In comitatu animarum, Angelorum, Christi.*

Ascendentem Virginem sequitur captivitas triumphalis animarum, de Purgantibus flamis ereptarum. Gersonis enim apud Raullinum sententia est, omnes eo die liberatas: convenit quippe, quo die Princeps inauguratur, compedes solvi, ergastula patêre. Cui sententiæ firmandæ facit, quod ex Petro Damiano recitatur: animam Romanæ mulieris defunctæ; alteri anniversariâ Assumptionis nocte apparuisse, dixisseque, de Purgatorio tandem eâ nocte liberatam, cum aliis plurimis animabus, quarum numerus plebem Romanam excederet: in hujus rei fidem, ipsam intra annum hoc ipso die morituram; idque ita evenisse. Si anniversaria lætæ Assumptionis dies tot captivis Purgatorium exhausit: quid ipsa die factum censeamus? Accessêre cumulando gaudio Angelorum omnium chori, ordinesque Beatorum cantabundi, quod Innocentius III. serm. 2. de Ass. pro themate dictionis sumpsit: *Quæ est ista, quæ progreditur aurora, Luna, Sol*, claritate corporis; *terribilis ut castrorum acies ordinata*, comitatu triumphantium animarum? Plerique Patrum non dubitant, ego certè non ambigo, quin Christus ipse Matri obviam prodierit, & honoris caussâ succollârit; ut Beati etiam istud accinerent: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Apud Spondanum an. 1204. Joannes Zimisces, & Commenus, imaginem Virginis triumphali curru devexêre. Christus ipsa, qui triumphator super omnes cælos ascenderat, Virgini triumphalis currûs instar esse voluit. Dicebamus modò, Assumptionem Matris cum Ascensione Filii comparari posse: at nonne etiam præferri potuit, cùm Filius ipse maternæ pompæ gloriam officiis suis augere voluerit?

XVIII. *Post Ascensionem & Assumptionem allocutio Angelica.*

Ascensionem Christi secuta in terris est apparitio Angelorum, & ad discipulos allocutio: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* Paria Christianis, Assumptæ Virginis spectatoribus, aut consciis, Joanni inprimis & Jacobo, per Angelos dicta fuisse credibile est. Nobis certè ab Ecclesia, in *also* per istius diei anniversarium, Angelorum instar, apparente, inclamatur: *Viri Galilæi*, & revolubiles, *quid statis*, quid manetis, *aspicientes in cælum*; quò, nisu omni animi, & viribus corporis, ascendendum est? Si vires deficiunt, *sic veniet* Virgo, vobis præsidium allatura, *quemadmodùm vidistis euntem in cælum.* Aderit cum Matre Filius, spectator, & adjutor laborantium. *Surge, Domine, in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ:* de quietis tuæ loco intuere inquietos, erige Galilæos, assume prostratos: quia *Domini est assumptio nostra, & sancti Israël Regis nostri*, interventu Reginæ; cujus est succurrere miseris, juvare pusillanimes, refovere flebiles.

XIX. *Assumpta Virgo multifariàm coronatur.*

In cælis Ascensionem Christi secutus est æternus ad dexteram Paternam, Regiâ velut inauguratione, consessus. Assumptionem itidem Mariæ secuta est in cælis coronatio: ut ipsi istud Sapientiæ 4. aptari possit: *In perpetuum coronata triumphat, incontaminatorum certaminum præmium vincens.* Nec verò mortalium ulli, post Filium, magis coronari congruebat, quàm ipsi, quæ cum Filio exierat vincens, ut vinceret. Sponsam Patris illam nuncupas? Sponsæ coronantur. Matrem divini Filii appellas? Reginæ matres diademate redimitæ sunt. Templum Spiritûs sancti nominas? Templum à Machabæo coronis aureis, quando de novo dedicabatur, ornatum est. Quam autem ipsi coronam dabimus? Quidam, cum Bernardo, coronam stellarum duodecim ex Apocalypsi, Ecclesiam Antichristi temporibus prænuntiante, ponunt in capite ejus: ut Sanctorum cæteris detur corona de lapide pretioso; Reginæ Sanctorum, de sideribus diadema formetur. Alii de profanis scriptoribus, veluti de Syrorum spoliis, sacrorum ornamenta mutuati: aureas, myrteas, laureas, obsidionales, navales, civicas coronas Mariæ meritis, actisque accommodant. Nonnulli de Scripturis mutuari malunt Pontificium diadema, tetragrammato nomine inscriptum, *desideria oculorum ornata:* quemadmodùm Virginis corona, JESU, *in quem desiderant Angeli prospicere*, divino nomine inscripta est. Omnigenarum rosarum serta florea Drexelius. triplicem coronam Pœtræus noster Marianis crinibus imponit. Ego non aliam Virgini coronam aptavero, quàm Deum ipsum primò, clientes deinde Marianos.

XX. *Virginis corona Deus, quia illam honoravit.*

Si cui difficile intellectu videbitur, Deum Mariæ coronam esse: at ipsi, opinor, creditu facile fuerit, à Deo Mariam honorari. Atqui honorare, coronare est. Isaiam testem adduco cap. 28. *In illa die erit Dominus exercituum, corona gloriæ; & sertum exultationis residuo populi sui*; quem populum honore afficiet, & cæteris nationibus spectabilem reddet. Idem Propheta cap. 62. Ecclesiam alloquitur, Dei nomini propagando laboraturam: *Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Deum coronabis, quia honorabis. Consimili locutione dixero, Assumptæ Virgini Deum pro diademate fuisse, quia illam honoribus cumulavit: ut Deo Virgo

dicere potuerit, quod Philippensibus Paulus c. 4. *Gaudium, & corona mea.*

XXI. Maximè quia illam beavit singulariter.

Adde, æternitatem beatam coronæ instar esse: quia finem æternitas non habet, quemadmodùm corona, annulus, circuli, finem nusquam inveniunt. Atqui æternitas beata ex Deo est, in Deo est, Deus est. Deus igitur Virgini corona est: nec communi aliquâ Beatorum cæteris ratione, sed præcipuâ & eximiâ. Nam ut Bernardus ait serm. 1. & 2. *Quantum gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum obtinuit in cælo gloriæ singularis:* &, quandoquidem ne in cor quidem hominis ascenderint, quæ præparavit Dominus diligentibus se, quantum dicetur præparâsse *gignenti, & ita diligenti se?* D. Thomas 3. p. q. 58. art. 4. quærit, *Utrum sedere ad dexteram Patris, sit proprium Filii?* Respondet in corpore art. *Christus dicitur sedere ad dexteram Patris, in quantum secundùm divinam naturam est in æqualitate Patris: secundùm autem humanam naturam in excellenti possessione divinorum bonorum, præ aliis creaturis.* Virgini nefas est primam hujus responsi partem aptare, quia Deus non est: alteram partem fidenter aptemus, imò D. Athanasius serm. de sanctiss. Deipara, eam compellans, *Verè reginam, & dominam omnium, & à dextris Filii assistentem, & ubique regnantem:* quippe cùm sit *in excellenti possessione divinorum bonorum, præ aliis creaturis:* ut idem D. Thomas serm. de Assumptione, ex epistola Missæ hodiernæ solerter, & doctè, ostendit.

XXII. Quàm excelsa sit Virginis gloria ex mensura gratiæ?

Neque Augustinus dubitavit lib. 4. de symb. ad Catech. cùm illa scriberet: *Quantum creatura humana conditio patitur, luci illi inaccessibili videtur unita Virgo Deipara.* Nec modò quantum finit hominum conditio, sed etiam quantum Angelicæ naturæ excellentia potest admittere. Nam *exaltata est*, ex communi Ecclesiæ opinione, *sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cælestia regna.* Cujus opinionis veritatem fulcit Suarez tomo 2. in 3. p. quæst. 37. disp. 18. sect. 4. ubi, Patrum sententiis adductis, gratiam Virginis affirmat, longè creatarum omnium mentium gratiæ supergressam. Gloriæ autem mensura, gratia est. Quare si Virgo Angelis omnibus gratiâ longè superior fuit, consequitur longè gloriâ superiorem esse. Consequitur etiam; à quibusdam rectè beatitudinis choros, gradúsve duodecim, constitui: Angelicos novenos, non modicis intervallis distinctos: decimum Mariæ, multò altiorem: undecimum Christi hominis, eminentiorem: duodecimum Unius Dei Trinitatis, infinito spatio distantem, lumine tamen beato propè admotum. Quantum autem Mariæ gloria cæteræ Sanctorum & Angelorum excellat, hunc aliqui in modum metiuntur: ipso Conceptionis suæ momento, aiunt, gratiâ summis Angelorum pari dotatam fuisse, momentis deinceps singulis per continuatam caritatem duplicatâ, atque adeò in immensum exaggeratâ. Quod aliquo modo captui nostro accommodari poterit, si, verbi caussâ, faciamus Virgini gratiam in Conceptione donatam, velut aurei unius: quem aureum si die uno per singulas dumtaxat horas duplicârit, intra horas viginti quatuor summa numerabitur aureorum centies mille, supra milliones binos. Quid jam, si minuta horaria gratiam duplicent: quantum summa excreverit? Quid deinceps, altero die: quid annis tot; ad extremum usque spiritum, totâ mentis contentione laboranti, opum spiritualium, adeoque meriti, ac gloriæ supra choros omnes Angelorum, ad cælestia regna, quæsitum est?

XXIII. Corona Virginis Angeli, & Sancti omnes.

Coronam spineam auditorum quorumdam auribus faciet, Theologica de meritis & gloria Virginis disceptatio. Itaque ad magis familiaria transeamus. Paulo Apostolo Philippenses sunt, *gaudium, & Corona:* apud Sapientem Prov. 17. *Corona senum filii filiorum:* Oratoribus priscis auditores sui *Corona* vocabantur: & Imperatores, ante præliandum, ad *Coronam* militum dicere consuêrant. Hac loquendi formulâ Angeli corona sunt Virginis, quia ipsius imperio militant. *Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitûs in coccineis: Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Hos habeat honorarios, neque enim necessarios, corporis custodes, Regina Universi. Ad latus illius Principes Parésve duodeni circumsedeant, Apostoli: ut ipsa *sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* Nobilem familiam impleant, Patriarchæ, & Prophetæ prisci: Adam, de terra virgine conditus: Noe, arcæ & columbulæ, symbolo notus: Abrahamus, Isaaci unigeniti immolandi certus: Jacob, scalarum viso præmonitus: Joseph, castimoniâ clarus: Moses, rubi incombusti spectator: Aaron, virgæ efflorescentis gestator: Josue, stantis Solis arbiter: David lyræ, Salomon Templi, Elias nubeculæ, Daniel lapidis sponte devoluti, Machabæus gladii aurei symbolum præferens: Martyrum deinceps, Doctorum, Pontificum novæ legis multitudo innumera, *amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Neque impar gynecæi turba, ex matronis antiquarum legum, Virginis prærogativas virtutibus suis particulatim signantium: multò maximè ex legis Christianæ virginibus, ac matronis, quæ Christo post Mariam adductæ sunt, *in lætitia & exultatione*; meritò hîc nominandæ, nisi nomina per se satis celebria essent.

XXIV. Reliqua Virginis familia instruitur.

Ephebôrum contubernium, & pædagogium, conficient pueri, & adolescentuli, in Marianæ pietatis schola ad perfectam sanctimoniam educti; & rapti, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ut essent *sine macula ante thronum Dei.* In his Aloysius noster, & Stanislaus: ille in Virginis sinu educatus, hic Assumptam comitatus. Pædagogorum magister idem, & sacellanus Virginis, Ildefonsus est, ipso Assumptionis die ab illa habitu albo donatus, ut ex Juliano Baronius perhibet ad annum 657. In Additionibus tom. 11. edit. Antuerp. ait, se ex ritibus Ecclesiæ Toletanæ postmodùm accepisse, factum id 18. Decembris. Prosacellanus erit sacerdos ille, quem sæpissimè sacrum de Beata facientem cùm D. Thomas Cantuariensis corripere cogitaret, à Virgine monitus est, ne sacellano suo facesseret negotium. A commentariis D. Lucam: ab eleemosynis D. Joannem Patriarcham faciemus; administris illis, qui Mariano honori, per festorum ejus lætitiam, in pauperes & miseros largi sunt. Musici totidem sunt, quot milites, custodésve: quorum concentui audiendo aures D. Ildefonsi apertæ olim fuêre; recentiùs, aures Ledesmæ, è Societate postmodùm nostra sacerdotis, de castitatis custodiâ diffisi, erectique his musicæ cælestis vocibus, *Quantum donum castitatis, quod Deus confert pietatis?*

XXV. Rituum magistri, quorum princeps Gabriel.

Rituum magistri in Mariana domo ii erunt, qui ejus colendæ ritus pios, & ab Ecclesia postmodùm approbatos, invenêre: qui Officium Virginis confecerunt, quod ab aliquibus Petro Damiano tribuitur: qui Rosarium, aut coronam, quæ nonnulli Petro Eremitæ adscribunt, à

D. Do-

D. Dominico postmodùm instaurata, aut latiùs vulgata: qui Sodalitia instituêre, Congregationes coëgêre, facella erexêre, imagines dedicavêre: qui precandi formulas, antiphonas, hymnos scripsêre. Prævivit hisce omnibus Gabriel Archangelus; quem scriptor vitæ Consalvi Silveiræ l. 3. c. 2. ex archiit tabulisve S. Georgii in Alga, perhibet, salutatione Angelicâ peractâ, & Incarnationis mysterio inchoato, horas novem totas apud Virginem mansisse, admiratione tantæ virtutis, tantæque dignitatis defixum: earumque horarum novem memoriæ, novies, quot diebus, signum dari ad salutationem Angelicam.

XXVI. Christiane omnibus in eâ familia locus.

Instruximus familiam Virginis, nostri ipsorum immemores. Quem enim nobis in illa locum servavimus? Macte animis: in domo matris nostræ mansiones multæ sunt. Inter Eleëmosynarios tu, dives, adlegi potes: inter musicos tu, qui laudes Virginis potiùs, quàm lasciva cantica vel numeris alligabis, vel voce modulaberis: inter rituum magistros, vel adjutores, tu, qui Litaniarum Marianarum quotidianam recitationem induxeris. Et adhuc locus est cæcis, claudis, debilibus, pauperibus, quomodò in epulo Regio, ita in Mariano contubernio. O Virgo, *Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper.* Præstò sum, adlege me, impende me: *Non erimus regno indecores* Elevata es, ut nos eleves: coronata es, ut nos corones. *Gaudium* esto, & *corona mea*; ut fiam gaudium, & corona tua, appendicula regni tui, postquam appendicula fuero obsequii tui, in obsequio & amore Filii.

XXVII. Appendicula ad Ægyptios, pro traditionibus de Virgine.

Hic tu mihi, Ægyptie frater, solenne illud tuum occines. Istorum nihil de morte, assumptione, coronatione Virginis, in Scripturis invenio: utique nec credo. At nonne Traditionum fidem aliquam esse oportet, ut religio constet? Sed, inquis, traditiones multæ de rebus variis, nonnullæ etiam de Virgine feruntur, veritati dissonæ, religioni absurdæ, virtuti noxiæ. Itaque, ut sermones involvere, & tricari desinas, Omane disputator, traditiones tibi evolvam, & distinguam. Genera illarum, in Ecclesia Dei, duo sunt: Divinæ, sive Apostolicæ; quæ Apostolis vel à Christo ipso, vel à Spiritu sancto dictatæ, ab iis ad nos derivatæ sunt. Humanæ aliæ, eæque generum trium; quæ ab Ecclesia universa traditæ servantur; quæ ab Ecclesia particulari, aut Ecclesiæ illius membris potioribus, tenentur; quæ à persuasione humanâ, moribus fideive adversâ, manârunt. Qui humanæ persuasionis malas traditiones rejicit, sapiens, & fidelis est. Qui humanam Ecclesiæ particularis, benè stabilitam impugnat, vel incivilis, vel etiam turbulentus & factiosus est. Qui humanam Ecclesiæ universæ rejicit, temerarius, & scandalosus est; imò hæreticus, si eò usque prolabitur, ut auctoritatem Ecclesiæ in dubium vocet. Exempla in Virgine, ejusque cultu, statuamus.

XXVIII. Impostura de salutis certitudine ex precatiunculis quibusdam.

Malæ fidei traditio humana est, quæ in libellulis, citra censorum approbationem protrusit, legitur: quisquis hanc precationem D. Birgittæ dictatam, quotidie legerit, mortem subitam non oppetet, æternùm non peribit. Quid ais? Scriptura monet, in futurum omnia servari incerta: tu me certum facis de salute? Boni mores à me timorem divinum postulant: tu expungis? Paulus prædicat, detractores, fornicatores, maledicos, fures, regnum Dei non possidere: tu oratiunculâ unâ securum me facis? Christus dicit, immemores caritatis, & misericordiæ, ituros *in ignem paratum diabolo, & Angelis ejus*: tu mihi assumptionem in cælum spondere audes, submurmuratis in dies pauculis versiculis? Apage verbum mendacii, & spiritum erroris. *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt*: ista est *Domini assumptio, & sancti Israel.*

XXIX. Traditio apud nos de Ecclesia Leodiensi, jam olim Deiparæ sacra.

Humana traditio Ecclesiæ particularis est, de Tongrensi Leodiensive diœcesi, sub Virginis patrocinium assumptâ. Sæculorum omnium apud nos ea, ex historiis veracibus, fides est. Postrema sæcula plurimas vidêre ædiculas Virginis, & icones, miraculis celebres: ad duodecimum usque, quo', VIrgInIs ope DIDICIt rVpertVs, tunc Laurentiani cœnobii, ubi id chronicon in templo legitur, monachus. Sæculo undecimo, Theodvinus Huense templum instaurat, & Nostræ Dominæ titulo, quo etiam ante ornabatur, dedicat. Decimo, Notgerus templum D. Virgini ad Fontes Leodii ponit, ut infantes Christiani simul & Mariani fiant. Sub sæculum nonum, à Leone III. Pontifice Max. templa Aquense, Tongrense, Visetense titulo Virginis consecrantur. Octavo, D. Hubertus eâdem appellatione Lambertianam ædem Leodii ponit, nascentemque civitatem Virgini offert. Sexto, Monulfus Trajectense D. Mariæ templum exstruendum curat: Quinto, per Ardennæ saltum Mosomagum, seu Mosomum usque, Falco, primus quem sciamus Præsulum nostrorum, nomen JESU & MARIÆ propagat. Quarto, Servatius adversùs Arianam pestem, Matris simul ac Filii honori contumeliosam, acriter pugnat. Primo Christiano sæculo, Maternus Matri Dei Tongrensem Ecclesiam universam mancipat, structâ, ut Bzovius ait, primâ omnium trans Alpes basilicâ, in Deiparæ memoriam: quod etiam Hûi, Cennaci, Namurci, Dionanti fecisse memoratur; & hanc quidem urbem antiquissima quæque diplomata non aliter appellant, quàm *S. Mariam in Dionant.* Istæ apud nos humanæ, & historicæ traditiones sunt: quas qui universas sugillare velit, non ineptè modò, & inurbanè fecerit, sed non satis sanè sit vel cerebri, vel voluntatis; & ad factiosorum tumultuosos greges ablegari mereatur.

XXX. Festum Assumptæ Virginis, traditio Universalis Ecclesiæ.

Traditionem Ecclesiæ universalis habemus in Assumptæ Virginis festo. Resurrexisse enim ipsam, ut antè diximus, de fide non est: temeritate tamen insigni, & hæreseos affini, peccet, qui resurrexisse negaverit. Jam enim olim hoc festum isto titulo ab Ecclesia universa celebratum constat, vel ex eo, quòd Nicolaus Pontifex Max. sub annum 858. ad consulta Bulgarorum cap. 4. inter jejunia indicta numeret id, quod pridie Assumptæ Virginis celebrandum est. Mauritii Cæsaris ævo, id est sæculo Christiano sexto, diem illam solennem populi pietati constitutam perhibetur. Ex illo, apud omnes magis ac magis aucta Marianæ Assumptionis religiosa memoria. Stephanus primus Hungariæ Rex, regnum suum familiam Virginis appellare solitus, id orationum vi obtinuit, ut sacro isto die moreretur. Federicus III. Cæsar pridie, vino, & omni fermè cibo, abstinebat, ut Cuspinianus perhibet. D. Elisabetha Lusitana, Perpiniano teste; pridie panem tantùm & aquam gustabat, quadraginta totos ante festum dies velut Quadragesimali tempore jejunabat; quod etiam quadragenarium jejunium à Toleto Cardinali ultimâ ipsâ ætate servatum, Alegambe in Bibliotheca affirmat. Suarez lib. de festis cap. 8. disputat, festum hoc Marianorum omnium esse præcipuum; &, licèt humani

juris sit, proximè tamen in jure divino fundari, vel potiùs inde necessariâ consecutione deductum.

XXXI. Virginis cultus, & invocatio, traditio Apostolica.

Habes Traditionis Ecclesiasticæ exemplum, in Assumptione & Resurrectione Virginis, Ægyptie frater: Apostolicæ, in Virginis cultu, quem hyperduliam vocamus, & in Mariani auxilii per preces imploratione. Apostolicam traditionem, ex continuata ad nos usque ab Apostolicis temporibus pietate, internoscimus. Ejus pietatis continuatio nobis ex sacris historiis, & Patrum scriptis, manifesta est. Nec tibi ipsi dubia erit, si vel Liturgias tantum Divorum Basilii, Chrysostomi, Jacobi inspexeris. Sententias, ex omnibus Patrum sæculis congestas, aliunde non compilo: Canisii, Pinelli, Pœrzi, Cottoni nostri, ut alios plurimos taceam, ad manum sunt. Neque inanes Ægyptiacæ synagogæ adversùs Marianum cultum, atque invocationem, objectiunculas refuto. Sufficient, quæ postmodùm generatim de Sanctorum cultu dicentur. Hoc illis solum præscribo: qui Mariam coli & advocari non ferunt, Mahometanis ipsis, & Saracenis minùs sapere. Istis enim non hodie solùm Christiparæ nomen in honore est, sed jam olim fuit. Narrat Baronius ad annum 870. ex Abbate quodam oculato teste: ad Damascum fuisse ædiculam fuisse D. Virgini sacram, Virginisque in illa imaginem, unde oleum miraculis celebre manaret: eò turmatim non Christianos modò, sed Saracenos confluere, orandæ Mariæ caussâ, plurimaque offerre donaria, diebus præsertim Nascentis & Assumptæ Virginis. Spondanus an. 1203. memorat imaginem Virginis in tabula lignea pictam, propè Damascum: eam imaginem oleo stillare, quo ægri, etiam Saraceni, sanentur. Soldanum ipsum Damascenum oculis captum, eos, istius olei affrictu, recuperâsse; gratitudinisque ergò assignâsse oleum lampadi, ante imaginem semper arsuræ. O Maria, misericordiæ mater, olei istius aliquid in oculos Oniamorum distilla, ut, Ægypto tamdem relictâ, Hierosolymam revertantur ad visionem pacis.

CAPVT

CAPUT OCTAVUM.

ARGUMENTUM.

Iudas Machabæus, coactâ ſex millium manu, invocatoq; Dei, cujus juſtitia erga Iudæos jam in clementiam vertebatur, auxilio: variis incurſionibus, nocturnis præſertim, hoſtes fatigat, & atterit. Philippus, arcis Hieroſolymitanæ præfectus, Ptolemæum, Cœleſyriæ præfectum, urget ad feſtinandas rebus inclinantibus ſuppetias. Mittitur à Ptolemæo Nicanor, cum armatorum millibus viginti, comite Gorgia: tantâ indubitatæ victoriæ fiduciâ, ut ſibi prædam, tributo Romanis dependendo parem, ex diſtractione mancipiorum Iudaïcorum polliceretur, iiſq; coëmendis mercatores exciret. Eo ſtrepitu territi Iudæorum multi, aliò alii diffugêre. At Machabæus interritus obviàm illi proceſſit, cum ſeptem omnino millibus armatorum, ſpe divini auxilii animatis, & in ordines aptè diſtributis. Commiſſo prælio, cæſa de Nicanoris exercitu millia novem, ceterorum maxima pars læſi. Fugientes perſequi diu non libuit, ob imminentis ſabbati reverentiam: quo per Dei laudes exacto, prædæ pars pauperibus diſtributa. Idem, de præda in egenos partienda, ſervatum, poſt profligatas Timothei & Bacchidis copias; cæſa facile hoſtium millia viginti, interceptas hoſtiles munitiones varias. Arma, iis præliis capta, locis idoneis repoſita ſunt: ſpolia cætera Hieroſolymam comportata, ibiq; Philarches, & Calliſthenes, jurati Iudæorum hoſtes, meritâ morte plexi. Nicanor autem inglorius, & incomitatus, Antiochiam revertitur, palamq; prædicat; Iudæos vero Dei cultu & tutelâ inſuperabiles eſſe.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

℣. 1. IUDAS verò Machabæus, & qui cum illo erant, introibant latenter in caſtella: & convocantes cognatos & amicos, & eos, qui permanſerunt in Iudaïſmo, aſſumentes, eduxerunt ad ſe ſex millia virorum. 2. Et invocabant Dominum, ut reſpiceret in populum, qui ab omnibus calcabatur: & miſereretur Templo, quod contaminabatur ab impiis: 3. miſereretur etiam exterminio civitatis, quæ eſſet illicò complananda, & vocem ſanguinis ad ſe clamantis audiret: 4. memoraretur quoque iniquiſſimas mortes parvulorum innocentum, & blaſphemias nomini ſuo illatas, & indignaretur ſuper his. 5. At Machabæus, congregata multitudine, intolerabilis gentibus

efficiebatur: ita enim Domini in misericordiam conversa est. 6. Et superveniens castellis & civitatibus improvisus, succendebat eas: & opportuna loca occupans, non paucas hostium strages dabat: 7. maximè autem noctibus ad hujuscemodi excursus ferebatur, & fama virtutis ejus ubique diffundebatur. 8. Videns autem Philippus paullatim virum ad profectum venire, ac frequentiùs res ei cedere prosperè, ad Ptolemæum ducem Cœlesyriæ & Phœnicis scripsit, ut auxilium ferret regis negotiis. 9. At ille velociter misit Nicanorem Patrocli de primoribus amicum, datis ei de permistis gentibus, armatis non minùs viginti millibus, ut universum Iudæorum genus deleret, adjuncto ei & Gorgia viro militari, & in bellicis rebus experientissimo. 10. Constituit autem Nicanor, ut regi tributum, quod Romanis erat dandum, duo millia talentorum, de captivitate Iudæorum suppleret: 11. statimque ad maritimas civitates misit, convocans ad coëmptionem Iudaïcorum mancipiorum, promittens se nonaginta mancipia talento distracturum, non respiciens ad vindictam, quæ eum ab Omnipotente esset consecutura. 12. Iudas autem ubi comperit, indicavit his qui secum erant Iudæis, Nicanoris adventum. 13. Ex quibus quidam formidantes, & non credentes Dei justitiæ, in fugam vertebantur: 14. alii verò si quid eis supererat vendebant, simulque Dominum deprecabantur, ut eriperet eos ab impio Nicanore, qui eos, priusquam cominùs veniret, vendiderat, 15. & si non propter eos, propter testamentum tamen quod erat ad patres eorum, & propter invocationem sancti & magnifici nominis ejus super ipsos. 16. Convocatis autem Machabæus septem millibus, qui cum ipso erant, rogabat ne hostibus reconciliarentur, neque metuerent iniquè venientium adversùm se hostium multitudinem, sed fortiter contenderent, 17. ante oculos habentes contumeliam, quæ lòco sancto ab his injustè esset illata, itemque & ludibrio habitæ civitatis injuriam, adhuc etiam veterum instituta convulsa. 18. Nam illi quidem armis confidunt, ait, simul & audaciâ: nos autem in omnipotente Domino, qui potest & venientem adversùm nos, & universum mundum uno nutu delere, confidimus. 19. Admonuit autem eos & de auxiliis Dei, quæ facta sunt erga parentes: & quòd sub Sennacherib centum octoginta quinque millia perierunt: 20. & de prælio, quod eis adversùs Galatas fuit in Babylonia, ut omnes, ubi ad rem ventum est, Macedonibus sociis hæsitantibus, ipsi sex millia soli peremerunt centum viginti millia, propter auxilium illis datum de cælo, & beneficia pro his plurima consecuti sunt. 21. His verbis constantes effecti sunt, & pro legibus & patria mori parati. 22. Constituit itaque fratres suos duces utrique ordini, Simonem, & Iosephum, & Ionathan, subjectis unicuique millenis & quingentenis. 23. Ad hoc etiam ab Esdra lecto illis sancto libro, & dato signo adjutorii Dei, in prima acie ipse dux commisit cum Nicanore. 24. Et facto sibi adjutore Omnipotente, interfecerunt super novem millia hominum: majorem autem partem exercitûs Nicanoris vulneribus debilem factam fugere compulerunt. 25. Pecuniis verò eorum, qui ad emptionem ipsorum venerant, sublatis, ipsos usquequaque persecuti sunt, 26. sed reversi sunt hora conclusi: nam erat ante sabbatum: quam ob caussam non perseveraverunt insequentes, 27. Arma autem ipsorum & spolia congregantes, sabbatum agebant: benedicentes Dominum, qui liberavit eos in isto die, misericordiæ initium stillans in eos. 28. Post sabbatum verò, debilibus, & orphanis, & viduis diviserunt spolia: & residua ipsi cum suis habuēre. 29. His itaque gestis, & communiter

communiter ab omnibus facta obsecratione, misericordem Dominum postulabant, ut in finem servis suis reconciliaretur. 30. Et ex his, qui cum Timotheo & Bacchide erant contra se contendentes, super viginti millia interfecerunt, & munitiones excelsas obtinuerunt: & plures prædas diviserunt, æquam portionem debilibus, pupillis, & viduis, sed & senioribus facientes. 31. Et cùm arma eorum diligenter collegissent, omnia composuerunt in locis opportunis, residua verò spolia Ierosolymam detulerunt: 32. & Philarchen, qui cum Timotheo erat, interfecerunt, virum scelestum, qui in multis Iudæos afflixerat. 33. Et cùm epinicia agerent Ierosolymis, eum, qui sacras januas incenderat, id est, Callisthenem, cùm in quoddam domicilium refugisset, incenderunt, digna ei mercede pro impietatibus suis reddita. 34. Facinorosissimus autem Nicanor, qui mille negotiantes ad Iudæorum venditionem adduxerat; 35. humiliatus auxilio Domini, ab his quos nullos existimaverat; deposita veste gloriæ, per mediterranea fugiens, solus venit Antiochiam, summam infelicitatem de interitu sui exercitûs consecutus. 36. Et qui promiserat Romanis se tributum restituere de captivitate Ierosolymorum; prædicabat nunc protectorem Deum habere Iudæos, & ob ipsum invulnerabiles esse, eò quòd sequerentur leges ab ipso constitutas.

COMMENTARIUS AD CAPUT OCTAVUM.

Judas colligit ad sex armatorum millia.

℣. 1. IUDAS VERÒ MACHABÆUS, ET QUI CUM EO ERANT, sive qui ipsum Hierosolymâ profugientem fuerant comitati; sive quos parens ipsi reliquerat, *introibant latenter in castella*, vicos & oppida Judææ: ibique *convocantes cognatos, & amicos, & eos qui permanserant in Iudaismo assumentes, eduxerunt ad se sex millia virorum.* Hagiographus noster, prætetitis quæ à Mathathia spatio anni circiter gesta sunt, aggreditur ad gesta Judæ Machabæi. Ac primùm narrat, quomodò ex piorum & amicorum reliquiis, ad copias sibi à Mathathia relictas additus, sex armatorum millia collegerit.

Ab oratione ad Deum fusa res inchoantur.

℣. 2. 3. 4. ET INVOCABANT DOMINUM UT RESPICERET POPULUM, QUI CALCABATUR, καταπατούμενον, alia exemplaria apud Nobilium habent καταπονούμενον, *qui affligebatur*. Ab oratione ad Deum incipiunt, ejusque materiam, maximè ad affectum compositam, desumunt ex præsentibus malis, cùm publicis, tum privatis; cùm patriam, tum regionem urgentibus. Meminerunt nominatim *Templi*: quam mentionem Hagiographus non omisit, ob caussam à nobis capite primo indicatam, ex Ruperto. Memorant item *vocem sanguinis clamantis, & iniquissimas mortes parvulorum*, de quibus capite proximè præcedenti, & superiore, actum est. Orandum ante omnia Deum, in quibusvis negotiis, publicis præsertim, abundè diximus in Excursibus ad capita tertia libri utriusque, variisque aliis locis.

Expeditiones Judæ Machabæi.

℣. 5. 6. 7. AT MACHABÆUS, CONGREGATA MULTITUDINE, id est sex millium expeditorum manu, *intolerabilis Gentibus efficiebatur*, irruebat quaquaversum in Ethnicos, & idololatriæ fautores, *noctibus præsertim*, tanto successu; ut ipsi resistere in agris, & oppidis, vel auderet nemo, vel nequiret. *Ira enim Dei in misericordiam versa erat*, ex moribundi septem fratrum ultimi precatione, ac vaticinio. Ignes *castellis, ac civitatibus*, seu oppidis, injecti per Judam, *strages hostium, & famæ virtutis ejus*. explicata sunt capite 3. lib. 1.

Cur multa rerum Judæ Hagiographus transcurrat?

Paucis itaque istis verbis multa Hagiographus noster complectitur: nobiles præsertim de Apollonio, ac Serone, victorias, & Antiochi indignationem, ac profectionem in Persidem. Illa hæc autem transsilit, aut strictim tantùm attingit, quia festinat ad alia fini suo magis convenientia, & Templi commendationem spectantia: qualia sunt, quæ mox de Nicanore, & Callisthene, subjiciuntur.

Philippus arcis præfectus, petit suppetias adversus Judam.

℣. 8. VIDENS AUTEM PHILIPPUS, arcis Hierosolymitanæ præfectus, ab Antiocho Hierosolymis relictus ad divexandos Judæos, Phryx genere, crudelitate insignis, ut habetur supra c. 5. vers. 22. Is ergò Philippus videns *paullatim virum*, Judam, ad *profectum venire, ac frequentiùs res ei cedere* prosperè, felicibusque successibus augeri ejus copias, sibi atque arci metuens, ad *Ptolemæum ducem Cœlesyriæ, & Phœnicis*, seu meliùs Phœnices, *scripsit, ut auxilium ferret Regis negotiis*, pessum, ni maturè succuratur, ituris. Istum Ptolemæum eumdem esse existimamus, de quo supra cap. 4. vers. 45. & lib. 1. c. 3. vers. 38. Vide dicta ad eum locum.

Quis hic Philippus?

In hoc versu Rabanus multùm laborat, ut libri utriusque sententias conciliet. In primo enim, Lysiæ jussu, auxilia adversùs Judam submissa: in secundo autem, Philippum illa curâsse; cum utique, cui postmodùm ab Antiocho moriente commissa est regni, & pupilli, administratio. Sed non advertit vir doctissimus, agi hîc de alio prorsus Philippo. Nam ille, cui Antiochus regni administrationem reliquit, erat ejus collactaneus, abieratque ipsi in Persidem comes; adeoque res Judaicas inspicere, & curare non poterat. Is autem, de quo hîc agitur, erat Phryx genere, & Hierosolymis degebat: uti rectè notavit Liranus.

Mittitur à Ptolemæo Nicanor.

℣. 9. AT ILLE VELOCITER MISIT NICANOREM PATROCLI filium, DE PRIMORIBUS AMICUM, seu amicorum Regiorum primæ admissionis unum.

adversùs Judæos.

venum. *Datis ei, de permistis gentibus, armatis non minùs viginti millibus*, cùm tamen Lysias, ad id bellum, quadraginta peditum, septem equitum millia attribuisset, ut ex libro priore constat, expressimusque in serie historica num. 35. Sed Ptolemæus, & Nicanor forsan ipse, dimidiam ejus exercitûs partem sufficturam existimavit, *ut universum genus Judæorum deleret*: præsertim *adjuncto Gorgia, viro militari, & in bellicis rebus experientissimo*. De Gorgiæ scientia militari quædam advertimus l. 1. c. 4. vers. 1. & 5. Quæ Ptolemæi præ Nicanore dignitas fuerit, quæ Nicanoris præ Gorgia, indicavimus lib. 1. c. 3. vers. 38. Ad hujus narrationis clariorem intelligentiam, consule seriem historiæ num. 35. & deinceps: videsis item synopsin num. 27. & 28.

Stulta Nicanoris confidentia.

℣. 10. & 11. CONSTITUIT AUTEM NICANOR, &c. Homo inani præfidentiâ inflatus, de spoliis ante victoriam, &, ut vulgò loquimur, de pelle, ante capiendam feram, constituit. Tantum sibi promittit captivorum Judaici generis numerum; ut inde facile conficiat talentorum duo millia, licèt nonaginta mancipia talento unico venditurus sit. Existimabat itaque, se nullo negotio centum millia capitum comprehensurum: atque adeò, velut ad statas ac paratas nundinas, undique mercatores evocabat, ex maritimis præsertim civitatibus, ubi ejusmodi mangonia maximè exercebatur, ob facilem mancipiorum in exteras regiones transmissionem.

Quàm vili æstimata Judæorum capita?

De quo autem talento agitur? Salianus relinquit in ambiguo. ait enim, singulos Judæos destinatos fuisse pretio quatuor aut quinque coronatorum, prout fuerint talenta Attica, vel Euboïca; quindecim verò, si fuerint Hebraica. Tirinus vero existimat, hîc agi de talento Attico, id est quingentis aureis scutis, ut vix scuta quinque Nicanor pro capitibus singulis exacturus fuerit: cum paullò ante Hircanus quidam apud Josephum l. 12. c. 4. adolescentem unicum talento uno, puellam item unicam tantidem coëmisset. Mihi certum videtur, Hagiographum Græcè scribentem de talentis Græcanicis, non autem Hebraicis, intelligendum: nec de Atticis, sed de Euboïcis, qualia Romanis ab Antiocho debebantur, ut diximus lib. 1. cap. 8. ad vers. 6. q. 4. Æstimata ergo tunc fuerunt Judæorum capita florenis, seu libris Belgicis, circiter viginti quinque: quanti fermè postmodùm Christus, vilissimi mancipii pretio venditus.

Quomodò debitum Romanis per Syros tributum duorum millium talentorum.

Difficultas aliqua est in *tributo, quod Romanis* dicitur *dudum fuisse duorum millium talentorum*. Nam ex Livio lib. 37. & 38. constat, Antiochum Magnum mille solùm talenta in annos duodecim pactum: uti etiam notavimus ad lib. 1. c. 8. suprà. Quo ergo pacto hîc, post plures ab Antiochi istius morte annos, dicitur Epiphanes dependere debuisse Romanis duo millia talentorum? Respondetur: tributum istud annuum tardè persolutum fuisse, idque Apollonium Asiaticum legatum in Senatu excusâsse, apud Livium initio libri 42. Itaque talenta ista bis mille, de quorum exsolutione cogitat Nicanor, erant de residuis tributi non solutis. Sic ferè Salianus.

Dux militibus incomperta pericula non facilè denuntiet.

℣. 12. JUDAS AUTEM UBI COMPERIT, id est certa famâ & exploratò scivit, *Nicanoris adventum, indicavit his, qui secum erant, Judæis*. Dux prudens cuilibet rumori non habet fidem, nec commilitonibus facilè denuntiat pericula, nisi benè comperta: ne frustra ipsis terrorem incutiat, reddatque postmodùm, ex illius metûs inanitate, ad vera discrimina incautiores. Facilè enim credunt vana terriculamenta fingi, qui sæpè frustra timuêre: ut aptè monet Æsopicus apologus, in pueris lupum non fugientibus, quamvis instare denuntiaretur; quia jam antè idem ipsis aliquoties falsò fuerat inclamatum.

Diffugiunt quidam Judæi loco.

℣. 13. EX QUIBUS QUIDAM FORMIDANTES tantum hostium apparatum, NEC CREDENTES DEI JUSTITIÆ, Deo non fidentes, neque ab ejus justitia sperantes justum adversùs impios auxilium, IN FUGAM VERTEBANTUR: occupabantque ultrò, quod Judas ante alterum adversùs Nicanorem prælium formidolosis denuntiavit, ex legis præscripto. Vide dicta l. 1. c. 3. ad vers. 56. *Caussa*, inquit apud Lucanum nescio quis, *jubet melior superos sperare secundos*: hîc optima caussa clementissimum, & æquissimum Numen, secundum jubebat sperare: sed pavidis hominibus, vitæque hujus ac commodorùm suorum nimis amantibus, parùm in Deo spei est.

Alii possessiones suas vendunt.

℣. 14. ALII VERÒ, SI QUID EIS SUPERERAT, VENDEBANT. Malè in quibusdam, correctis licèt, Bibliis Sixtinis legitur, *si quid ei supererat*. Olim aliâ prorsus sententiâ legebatur; *alii verò, si qui de his supererant*, profugis, *veniebant*, cum Juda ad pugnandum, ut explicat Liranus. Sed constat, Vulgatæ lectionem rectam ac veram esse: eaque significari, multos eorum, qui cum Juda manserunt, quidquid ipsis possessionum supereras vendidisse; vel quia periculum erat, ne ad eas redire non possent, instante Nicanore; vel ut ad belli usus, ac necessaria, pecuniam haberent; forsan etiam, ut alacriùs pugnarent, & fidentiùs in vitæ discrimina incurrerent, rerum suarum amore non retenti.

Dei auxilium implorant.

SIMULQUE DOMINUM DEPRECABANTUR oratione communi, eoque efficaciore, quò à pluribus benè animatis, & magis unanimiter fiebat. Materia autem precationis erat: *ut eos Dominus eriperet ab impio Nicanore, qui eos, priusquam cominus veniret*, & merces suas spectaret, *vendiderat*, fixo capitibus Judaïcorum mancipiorum pretio, quasi jam in ipsius potestate essent.

Argumentis efficacibus.

℣. 15. ETSI NON PROPTER EOS, PROPTER TESTAMENTUM TAMEN &c. Breviter exponuntur rationes duæ, à Judæis adhibitæ in precatione sua, ad flectendam Dei misericordiam, quâ forsan ipsi ob peccata sua indigni essent. Prima petitur à fidelitate divina, *propter testamentum*, seu pactum, *quod erat ad patres eorum*, de protegendis singulari providentia posteris ipsorum, & semine benedicendo. Altera sumitur ab honore divino, *propter invocationem sancti, & magnifici nominis ejus super eos*, id est super Judæos; nequando insultarent Gentiles, & dicerent, Ubi est Deus eorum? Eadem argumenta, in orationibus adhibita, passim per totam Scripturam reperire est.

Judas suos hortatur.

℣. 16. usque ad 22. CONVOCATIS AUTEM MACHABÆUS SEPTEM MILLIBUS &c. Exponitur sententia exhortationis, à Juda ad suorum commilitonum concionem habitæ, tanto fructu, ut, erectis animis, *pro legibus & patria mori parati* essent. Primâ parte accenditur justa indignatio, ob religionem calcatam, patriam direptam, convulsa majorum instituta. Altera pars timorem tollit, & erigit fiduciam, proposito auxilio divino, ejusque exemplis, tum priscis, tum recentibus, de Sennacheribi copiis deletis, quod rursus cap. 15. memoratur; & de prælio adversùs Galatas, quod hujus loci proprium est. Facilis est

omnium

omnium intelligentia, paucis exceptis, quæ in quæstiunculas digeremus.

Septemne an sex solùm millia sub signis habuerit?

Primùm, quot militum *millia* fuêre cum Juda hac expeditione? Textus Vulgatæ habet septem: Græca exemplaria habent omnino sex. Quid hîc dicemus? Mendúmne in alterutram linguam irrepsisse? Utram autem vitiatam dicamus? Græcámne, quâ usus est Hagiographus: an Latinam, quâ interpres scripsit? Dicat aliquis, in neutro textu errorem esse, aut falsum. Phrasi enim Scripturæ & usitatâ numerandi ratione, ponitur plerumque integer numerus omisso dimidiato: quo loquendi modo, potuerit dici Judas habuisse tum sex millia, tum septem, si habuit circiter sex millia & quingentos. Diverticulum istud, quod mihi occurrebat, non incommodum forsan ad conciliandos textus videatur: sed revera mihi non videtur satis solidum. Manebit enim ea quæstio, cur interpres noster non benè officio suo functus sit, numerumque aliter, quàm in Græco, expresserit?

Mendum textûs Græci.

Superest itaque, ut dicamus, interpretem nostrum benè vertisse, sed mendum postmodùm in exemplaria vel Latina, vel Græca irrepsisse. In Latinis certè quædam hujus capitis corrigenda videbimus. Hoc tamen loco Græcis potiùs errorem adscripsero. Nam, ut mox dicetur ad versum 22. & 23. Machabæos sex millia fratribus suis ducenda in hostem partitus est. Si autem sex solummodò millia fuêre, copias ipse nullas sibi reservavit: quod non adeò credibile est, cùm in prima acie movent adversus Nicanorem, utique non sine delectorum valida manu. Quod autem suprà versu 1. dicatur, habuisse secum sex millia virorum, nihil obstat quominus jam plura habuerit; auctis, ut fit, per prosperam famam, & felices successus, copiis.

Numerorum istorum allegoria.

De numerorum istorum allegoria quædam, ubi occasio tulit, diximus ad varia libri primi loca ex Rabano: ex quo etiam hîc pauca, & pia; excipe. *Si quis quæsierit, quid sex millia virorum, qui Iuda in principio associati sunt, significent? Agnoscat, per senarii & millenarii numeri perfectionem, militum Christi in fide, & sinceritate, perfectam designari devotionem. Unde in Actibus Apostolorum de primitiva Ecclesia in Iudæis scriptum: Multitudinis autem credentium erat cor unum &c. ... Iudas cum septem millibus contra Nicanorem conflixit, ac vicit; quia per septiformem gratiam Spiritûs populus Ecclesiæ, cum rectoribus suis, vincit hostes universos.*

An Judas pacem dissuaserit?

Quæres secundò: cur Judas rogaret suos, *ne hostibus reconciliarentur?* An ergo nolebat pacem, quamvis ultro offerretur, accipi? Aut metuebat, ne ad hostes transfugeretur, & deditio fieret? Purgatis per timidorum fugam copiis, non erat, cur vereretur dedecorosam deditionem: neque erat, cur vellet insidam pacem cum hostibus nondum fractis, & pacta non servaturis. Itaque pacem non omninò dissuadet; sed intempestivam, ac noxiam.

Quod prælium Judæorum in Galatas?

Quæres tertiò: *de prælio, quod Judæis fuit adversus Galatas in Babylonia*: quodnam illud? Alibi nusquam, neque apud profanos scriptores, neque in sacris Literis, neque apud Josephum, de ista Judæorum pugna fit mentio. De profanis quidem non miror, ob perpetuum illorum in nationem, & religionem Judaicam, odium. De Scriptura item mirum adeò non est: cùm ætatis, Esdram inter & Machabæos interjectæ, nullus extet Hagiographus, præter Siracidem Ecclesiastici scriptorem. De Josepho magis mirum; cùm perpetuam Judaicarum rerum historiam texuerit. Sed ad convellendam Scripturæ firmissimam veritatem, nihil facit in quantavis re silentium historici, non rarò malè tacentis, sæpè malè loquentis. Neque enim Judas, in exhortatione tam seria, fictitium aliquod prælium, aut inani rumore jactatam victoriam, animandis suis ingessit. Neque Hagiographus narrationem incertam, pro vera, historiæ suæ inserere potuit.

Tempore Antiochi Soteris contigisse videtur.

Quæres quartò: sub quod tempus prælium istud acciderit? Ævo Seleuci Nicanoris contigisse, quidam arbitrantur, apud Salianum: eamque sententiam indicat Serarius; manet tamen, evenisse ævo Antiochi Soteris, ob varias rationes. Primò, quòd Appianus in Syriacis scribat, à Sotere deletos Gallos, seu Galatas, in Asiam effusos. Deinde, quòd Josephus scribat, ab Antiocho Magno in Lydiam, & Phrygiam, traductas è Babylonia Judæorum familias bis mille, & in præsidiis locatas, atque honorificè habitas: erant ergo multi in Babylonia Judæi, & pro viris fortibus habebantur. Tertiò, quòd idem Antiochus Magnus literis affirmârit, Judæos à majoribus suis fidei, & fortitudinis, laudem consecutos: erat autem Antiochus Magnus Soteris pronepos. Quartò, Antiochus θεὸς, Soteris filius, plurimis beneficiis Judæos affecit; non aliam utique ob caussam, quàm ob res benè gestas. Quintò, Plutarchus aliique narrant, Soterem, in somnis admonitum, dedisse suis ante istud prælium tesseram, τῆς ὑγιείας, sumpsisseque pro symbolo pentagonum Pythagoricum: de quo, qui plura volet, consulat Lipsium lib. 4. Admirandorum. Denique, irruptio Galatarum in Asiam incurrit in tempus Soteris, ut ex Justini libro 24. & 25. intelligitur, & Livii 38. Ita fermè Serarius, quæ omitti ad tantæ rei explicationem non oportuit.

Quæ ibi copiæ Judæorum militum?

Quæres quintò: quantæ fuerint Judæorum in ista expeditione copiæ? Vulgata disertè habet *sex millia*: Græcus textus *octo millia*. Quid hîc iterum faciamus istâ numerorum discrepantiâ? Necesse est, alterutrum textum fuisse exscriptorum incuriâ vitiatum: nec certa ratio occurrit de alterutro decidendi. Credibilius tamen alicui videatur, errorem numeri esse in Latino, ubi etiam tota constructio vacillat. Quid enim sibi vult ista locutio: *ut omnes ubi ad rem ventum est, Macedonibus sociis hæsitantibus, ipsi sex millia soli peremerunt centum* &c. Quò refertur istud *omnes?* An ad *ipsi?* An ad *centum?* Estne casus nominativi? Nonne potiùs scribendum *omnibus*, ut referatur ad, *Macedonibus?* Textum tamen Græcum totum probare vix audeo, ubi disertè dicuntur fuisse non modò *Iudæorum octo millia*, sed etiam *Macedonum quatuor millia*, de quo mox.

Cur Macedones socii Judæorum dicantur?

Quæres sextò: cur Macedones dicantur socii Judæorum? Respondeo, sic dici ab armorum societate. Macedones autem rectissimè vocantur, ex origine Macedonica adhuc recenti, & ex regno Macedonum Asiatico, per Seleucum Antiochi Soteris patrem condito. Sedem autem fixerant Macedonum multi in provincia Babylonia, Judæisque Babyloniis permisti vivebant: ut socii dici potuerint, non tantùm quia commilitones, sed quia cives.

Quis fuerit Macedonum numerus?

Quæres septimò: sitne admodùm credibile, *quatuor* solùm *millia Macedonum*, ut in textu Græco haberi diximus, in eo exercitu fuisse? In tanta regni Asiatici potentia, & tantâ ingruentium hostium

hostium multitudine, oportuit magnas fuisse Antiochi Soteris copias; nisi insignem illi imprudentiam, & væcordiam, affingere voluerimus. Eamdem ob caussam, debuit magna copiarum pars ex Macedonico genere esse: ne, in maximo discrimine, peregrini generis militibus rei summa crederetur. Putârim itaque, pro quatuor millibus quatuordecim reponenda: nec difficulter totidem contrahi potuerunt, quibus ad decretorium certamen hæsitantibus, Judæi soli pugnavère, & obtinuêre.

Quanta Galatarum multitudo perierit?

Quærea octavò: quid censendum de numero centum viginti millium, è Galatia occisorum? Credendum omnino sciet Catholicus. Incredibilem Acatholicorum nemo putabit, qui historias sacras meminerit, profanas legerit, vel audierit. Ex Scriptura celebres sunt Abrahami, Jonathæ, Asæ, Josaphati victoriæ: qui huic nostræ fidem derogârint, & illas eradant licet. In Luculli adversùs Tigranem prælio, Romani vix partem hostium vicesimam æquabant: cecidêre tamen illorum quinque solùm, pro quorum singulis triginta fermè hostium millia perierunt. Rex Balduinus apud Guil. Tyrium l. 10. cum ducentis omnino equitibus, nongentis peditibus, Ægyptii Caliphæ ducea, undecim equitum, viginti peditum millia trahentes, profligavit. Balduinus item quartus equites trecentos ac septuaginta præter propter, pedites paucos sub signis habebat, quando Saladinum, cum viginti octo equitum millibus in Judæa grassantem, profligavit, apud eumdem Tyrium lib 21. Ferdinandus Cortesius quindecim equites, pedites quingentos, sub signis numeravit, adversùs centum quinquaginta barbarorum millia victor. De Albuquercio Lusitanicæ historiæ consimilia narrant: de Eduardo item Pacieco, cujus Excursu 1. ad lib. 5. c. 3. meminimus: de aliis item plurimis, *propter auxilium illis datum de cælo*, ut Hagiographus noster loquitur.

Quæ fuerint Galatarum vires, & fama?

Objicere tamen possit Acatholicus, ad convellendam hujus libri auctoritatem: Livium l. 38. de transitu Galatarum in Asiam agere, ævo Nicomedis Bithyniæ Regis, Antiocho Soteri æqualis, eisque viginti omnino hominum millia tribuere, quorum decem tantummodo armata essent. Quo ergo pacto centum viginti millia in Babylonia periêre, si millia solùm viginti in Asiam irrupêre? Responderi multa possunt. Primùm, illis, qui à Livio memorantur, postmodùm accessisse alios, successu invitatos. Deinde, hoc Scripturæ loco dici, centum viginti millia periisse de Galatis, idque non de viris solùm, sed de capitibus posse intelligi: in transmigrationibus autem, cujusmodi illa Galatarum fuit, ubi virorum sunt viginti millia, facile aliorum erant centum, & eo plùs. Denique, si Livii auctoritatem, non raiò corrigendi, pergant urgere, opponam ipsi Justinum longè aliter loquentem lib. 25. *Gallorum* (iidem enim Galatæ) *eâ tempestate tanta fecunditatis juventus fuit, ut Asiam omnem velut examine aliquo implerent: denique neque Reges Orientis, sine mercenaria Gallorum exercitu, ulla bella gesserint: neque pulsi regno ad alios quàm ad Gallos confugerint. Tantus terror Gallici nominis, sive armorum invicta felicitas erat; ut aliter neque majestatem suam tutam esse, neque amissam recuperare se posse, sine Gallica virtute arbitrarentur.* Vide dicta de Galatis ad l. 1. c. 8. vers. 2.

A quibus ob hanc victoriam beneficia consecuti Judæi?

Ad extremum quæres: ecquænam *beneficia consecuti Judæi pro his*, id est ob victoriam istam prodigiosam, Judæorum respectu idololatris à Deo collatam; quomodò postmodùm, in gratiam legionis Christianæ fulminatricis, Marco Antonino factum? Plurima beneficia consecutos ab Antiocho Θεῷ Soteris filio, diximus quæstiunculâ quartâ. A pronepote Soteris Antiocho Magno quid acceperint, disces ex Josepho lib. 12. c. 3. & indicavimus suprà cap. 3. vers. 2. De Sotere dubitari non debet, quin prærogativis Judæos ornaverit, & donis cumulârit: nisi ingratissimum existimare velimus.

Vulgati textus obvia sententia.

℣. 22. 23. CONSTITUIT ITAQUE FRATRES SUOS DUCES &c. Si Vulgatæ lectionem retinemus, sic ferè erit explicanda cum Lirano: Judas in tres fratres æqualiter partitus est quatuor millia, & quingentos de suis: superfuerunt ergo Judæ ducenda millia duo, & quingenti: cum quibus in prima acie adversùs hostem processit. Antè tamen lectus est Scripturæ sacræ liber ab Esdra quodam sacerdote, diverso ab illo qui Nehemiæ æqualis fuit. Lectum autem fuisse quidpiam verosimile est ex Deut. c. 20. Sic habebit sententia textûs nostri, si nihil mutetur.

Discrepantia Græci textûs a Latino.

Sed ex Græco, & ex re ipsa, corrigendum aliquid videtur. Quod enim initio versûs 23. habetur Latinè, *Ad hoc etiam ab Esdra*, Græcè consequenter ad præcedentia habetur ἔτι δὲ καὶ Ἐλεάζαρον, *præterea verò & Eleazarum*: subjicitur deinde, παραγνοὺς sive παραναγνοὺς τὴν ἱερὰν βίβλον, quod Nobilius, ut ad Vulgatam accedat, sic reddit: *Cùm autem jussisset Eleazarum legere sacrum librum.* Sed satis manifestum est ex antecedentibus τ Ἐλεάζαρον ad ipsa referri; & inter eam vocem, & παραγνοὺς figendum esse punctum.

Græci textûs obvia sententia.

Sententia autem Græci textûs, sic interpuncti, hæc erit. Judas aciei suæ ordines duos fecit, illisque fratres suos præfecit, Simonem, & Josephum, & Jonatham, contributis unicuique militibus mille quingentis, præterea etiam Eleazarum. Postquam legisset sanctum librum, dedissetque tesseram militarem Dei adjutoris, dux ipse in primam aciem provolavit, & cùm Nicanore commisit.

Favet illi res ipsa.

Huic Græci textûs sententiæ favet numerus fratrum Judæ; quos ipsi in hoc discrimine comites fuisse, ambigendum non videtur. Erant autem quatuor. Eorum tribus jussis ordines ducere, cur quartus desit, quem tamen fortitudine excelluisse, vel ex Regii elephantis casu l. 1. c. 6. constat? Atqui ille ipse est Eleazarus, quem Græcus textus exprimit, & quem pari cum aliis fratribus præfecturæ admotum meritò significat: ut fratrum duo ordinem trium millium, in cuneos duos divisum, duxerint: fratres item alii duo totidem millia, in totidem cuneos tributa, texerint: Judas ipse aciem, cum reliqua militum manu, præierit.

Quis hic Josephus frater Judæ?

Sed opponat aliquis, non omnes Judæ fratres ducendis ordinibus præpositos. Joannis enim mentionem non fieri: ejus loco interseri Josephum, eumdem forsan, qui cum Azaria postmodùm tuendæ Judææ relictus, rem malè gessit, quique dicatur frater Judæ ob aliquam sanguinis conjunctionem, Hebræorum more. Atque adeò si Joannes in præfecturis istis à Juda prætermissus sit, prætermitti eodem jure Eleazarum potuisse.

Idem est, ac Joannes.

Respondetur, Josephum hoc loco eumdem esse ac Joannem. Cùm enim dicatur Judas ordinâsse *fratres suos*, constetque in iis fuisse Simonem & Jonatham; consequens erit etiam Josephum. Nam *verisimile non est, inter fratres duos*

carnales

carnales Simonem, & Ionathan, poni tanquam fratrem ejus alium, qui tamen sit extraneus. Ita rectè Liranus; sed istud non rectè, quod Josephum hunc dicat esse Eleazarum, ex eo fundamento, quia vocatus fuerit Saphus, voce inquit contracta ex Josephus: falsum enim est, Eleazaro cognomen datum Saphus, seu Apphus, ut constat ex l. 1. c. 2. Itaque Josephus isto loco significat Joannem, fratrem Judæ, qui fuerit binomius, habueritque præterea cognomen Gadis. Unde suspicabar, Josephum Mathathiæ filium, Joachimi seu Heli atavum in Christi genealogia Luc. 3. hunc ipsum forsan esse Josonem Josephom, filium Mathathiæ Assamonæi nostri: si quo tamen modo paternæ Christi ex Juda origini inseri possunt, quos paterno genere non de tribu Judaica, sed de Levitica ex stirpe Joaribi & Phinees, fuisse compertum est, & pro indubitato habendum.

Unde textûs Latini vitium in Esdræ nomine?

Quid autem faciamus textu nostro, ubi tam disertè habetur, *ab Esdra lecto libro sancto?* Conjicit Serarius, istud nomen Esdras ab aliquo imprudente traductum ex margine in textum. Cùm enim ad ista textûs, *lecto libro sancto*, quispiam annotâsset, *uti ab Esdra*, alius istud nomen intexuit Scripturæ, posuitque *ab Esdra*, pro *Eleazarum*.

Quis Esdras esse potuerit?

Si tamen Vulgatam lectionem tueri malueris, suggerit idem Serarius *Esdrum* quemdam, ex c. 12. vers. 36. qui in copiis Judæ videtur fuisse. Esdras idem & Esdrin vocatus sit, & de Scribarum ac sacerdotum numero: cui propterea Judas Scripturam sacram legendam commiserit, explicandumque Deuteronomii caput, de dimittendis ante præliandum.

Latini textûs emendatio.

Sed revera, si narrationis series benè expendatur, idem commilitones hortatus est, idem distribuit ordines, idem librum prælegit, idem tesseram Dei adjutoris, seu auxilii divini, militibus dedit, idem in prima fronte copiarum stetit, id est Judas Machabæus. Adeoque iste Vulgatæ locus ad Græci textûs sententiam corrigendus videtur; estque unus de illis, quos consulto prætermissos à revisoribus Sixtinorum Bibliorum notavimus, in caussa simili l. 1. c. 4. vers. 29.

Judæ prudentia, pietas, fortitudo.

Observa hìc prudentiam, pietatem, fortitudinem, optimi ducis. In fratres suos æquis portionibus militem partitur: ne qua inter illos fortè nasceretur invidia, si inæqualiter haberentur, quando æqualiter haberi poterant. Dat signum militare, seu tesseram Dei adjutoris, seu auxilii divini: ut vel sic sese, & suos, admoneat fiduciæ in Deum, cui nemo *similis in fortibus*, de cujus caussa agebatur. Primam ipse aciei frontem sibi deligit, & in Nicanorem rectà ducit, fortissimis suorum stipatum: ut fortitudinis exemplo suos animet, & partes agat non ducis modò, sed militis, in pericula constanter, ubi res postulat, irruentis.

Ejus victoria, & victoriæ fructus.

℣. 24. 25. 26. Et facto sibi adjutore Omnipotente &c. Narratur victoria Judæ, ejusque fructus. Cæsis de Nicanoris exercitu millibus novem, reliquis maximam partem vulneratis; pecuniâ mercatorum, qui ad emptionem Judæorum venerant, potiti, fugientesque latè persecuti, rediêre instantis sabbati reverentiâ. Commissum enim fuit die Veneris prælium: si autem longius hostilis exercitûs reliquias insecuti forent, sabbato longum iter remetiendum fuisset, ut ad prælii locum pro colligendis spoliis, & ad castra sua pro quiete agenda, reverterentur.

Fuerat quidem à Mathathia nuper definitum, sabbato prælia licere, ad necessariam defensionem. Sed Judas obtentâ victoriâ, & victoriæ parto fructu non modico, existimavit ulteriorem hostium insecutionem defensioni necessariam non esse, adeoque ab illa ex sabbati lege temperandum.

Pietas in agendis Deo gratiis.

℣. 27. Arma autem ipsorum, et spolia, congregantes, cùm ab insequendo hoste rediêre, & prædâ ad locum castrorum, oppidumve aliquod vicinum, tempestivè convectâ ante sabbati tempus, ut ex Græco apertè intelligitur; posterum diem *sabbatum agebant: benedicentes Dominum, qui liberavit eos*, de Nicanoris manibus, *in illo die*, id est pridie: *misericordiæ initium stillans in eos*, seu, ut Græca habent, ἀρχὴν ἐλέους τάξαντος αὐτοῖς, id est, *qui initium misericordiæ ipsis statuerat*: quædam tamen exemplaria apud Nobilium habent, στάξαντος, *qui stillaverat*, conformiter Vulgatæ

A Deo cœpta, cum eo finienda.

Observa rursum hìc pietatem Judæ, ac commilitonum. Ab oratione ad Deum bella inchoant: fiduciâ in ipsum continuant: gratitudine erga illum finiunt. Digni prorsùs in quorum manibus sint gladii ancipites, cùm in ore eorum sint exaltationes Dei. Meriti nova beneficia de cælo accipere, ut mox videbimus, qui pro acceptis tam promptè gratias egerunt. Quod Ecclesia Christi nos familiari precationis formulâ monet, ante Christum fecêre; ut omnis oratio & operatio à Domino semper incipiat, & ab illo cœpta finiatur.

Quomodò hoc dicatur initium misericordiæ divinæ?

Quæres, quo pacto dicatur hac victoriâ Deus stillâsse misericordiæ initium in Judæos? Nonne cum Mathathia antè eam fuerant experti, quando, Assidæis convenientibus, *percusserunt peccatores in ira sua?* Nonne cum Juda recentiùs, quando cæsus Apollonius, contritus Seron? Nonne suprà, hoc ipso capite, dictum de Juda, *non paucas hostium strages dabat, & fama virtutis ejus ubique diffundebatur?* Respondeo, verissima isthæc esse, & ex misericordiæ divinæ sinu fluxisse. At non tanta fuerunt, nec tam illustria, quàm ista de Nicanore victoria: nec tantum pecuniæ collectum, tantum armorum captum est. Ut meritò, tum ob multitudinem cæsorum hostium, tum ob prædæ magnitudinem, vocetur ista victoria *initium misericordiæ* divinæ, & insigne ad posteros testimonium: non quia tunc cœperit primùm misereri, sed quia tunc cœpit misereri insigniùs. Deinde possit dici, istud divinum beneficium esse solummodò *initium misericordiæ*, præ magna misericordiâ, quam Deus parabat stillare in suos cum sanguine dilecti Filii.

Cur sabbato non distributa egenis spolia?

℣. 28. Post sabbatum verò debilibus, et orphanis, et viduis diviserunt spolia. Cur autem id sabbato non fecêre? An quia sabbato non licet benefacere? An, quòd opus servile foret spoliorum in egentes distributio? Eò religionis, imò superstitiosæ cautionis nondum venerant Assidæi, quò postmodùm venêre Pharisæi. Sciebat Machabæus, eleëmosynam æquè festis licere, ac profestis. Quia tamen debiles, & orphani, ac viduæ, castra non sequebantur, & conquiri debebant, neque id sine strepitu, ac concursatione fieri poterat; ideo spoliorum in illos distributio ad diem proximè sequentem dilata est, quam Evangelia primam sabbati appellant, & nobis Dominica est.

Dimidiata cum egenis præda.

Et residua ipsi cum suis habuere. Parte prædæ dimidiâ in egenos distributâ, dimidiam

aliàm inter se partiti sunt. Etsi enim ista dimidiatio nunc non exprimitur, intelligitur tamen ex versu 30. ubi, post pugnam cum Timotheo, dicuntur, *æquam portionem* fecisse egenis, Græcè ἑαυτοὺς ἰσομοίρους ποιήσαντες &c. *semetipsos æquales in portione fecerunt* egenis, quomodò Evangelicus Zacchæus dimidium bonorum suorum pauperibus destinavit.

Miranda in militibus liberalitas.

Meritò hic Serarius exclamat: O æternâ memoriâ factum dignissimum! Ubi illud, *Nulla fides, pietasq́, viris qui castra sequuntur?* Plusquam Martii sunt isti homines, pænè Martini omnes. Verè isti omnium, qui bella gerere volunt, & ducum & militum, exemplar sint. Si, qui pro religione contra Turcas & hæreticos decertant, eos imitarentur, quanti divinæ misericordiæ imbres stillarent? Salianus existimat credibile, ego certum existimârim, hanc mentem Judæ divinitus inditam; ut, qui pater populi erat, Deique vices gerebat, quà Dux & Pontifex, ejus exemplo simul esset pater orphanorum, & viduarum judex. Milites autem, in Judæ exempla ire assueti, sive orandum, seu festi dies agendi, seu jejunandum foret: propensè etiam illum in misericordiæ operibus secuti sunt, maximè cum spoliis locupletes essent.

Misericordia orationi præmissa.

℣. 29. His itaque gestis, & rursum communiter ab omnibus facta obsecratione, misericordes homines *misericordem Dominum postulabant, ut in finem servis suis reconciliaretur*, seu reconciliationis suæ testimonia dare pergeret; donec cum hostibus debellatum foret, & in integrum restituta religio, ac natio Judaïca. Commodè orationi eleëmosynam præmiserant, ut faciliùs ac certiùs impetrarent: beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Vide dicta suprà Exc. ad c. 3. de alia orationis.

Prælium cum Timotheo & Bacchide.

℣. 30. Et ex his, qui cum Timotheo et Bacchide erant, contra se contendentes. Græcè est, καὶ τῶν περὶ Τιμόθεον καὶ Βακχίδην συνερειστάντων: quam vocem postremam interpres noster vertit, *contendentes*. Quædam exemplaria Græca apud Nobilium habent συνεπληρωθέντες, quod reddi potest, *confirmati* seu *roborati*, Judæi scilicet victoriâ recèns partâ erecti, & novo misericordiæ divinæ auxilio firmati, in Timotheum & Bacchidem movêre.

Explicatur series historiæ, & numerus copiarum Judæ.

Interponendum est inter hanc cum Timotheo pugnam, & præcedentem cum Nicanore, prælium aliud de quo lib. 1. cap. 4. cum Nicanore simul ac Gorgia: vide synopsin historicam huic libro præmissam, & numeros seriei historicæ 37. & 38. ibi annotatos. In primo cum Nicanore prælio septem millia secum habebat Judas: in secundo tria tantùm, ut disertè scribitur l. 1. c. 4. vers. 6. Qui hoc factum? An, post tam illustrem victoriam, desertus à parte suorum Judas, vel timentium iteratum discrimen, vel præda satiatorum? Neutiquam: sed partem sibi retinuerat, partem fratribus attribuerat ad alios casus; nominatim ad observandum Timothei & Bacchidis motum, quos non longè ab Hierosolyma, & ab Emmaünte abfuisse, ipsa res, locorumque ac temporum ratio, loquitur, etsi Scriptura taceat. Fractis autem Nicanore, & Gorgia, Judas mox ad fratres advolavit, & Timotheum ac Bacchidem omnibus copiis invasit.

Timotheus & Bacchides cæsi, amissis millibus viginti.

Super viginti millia interfecerunt. Attribuerat Lysias ducibus, adversùs Judæos destinatis, millia militum septem supra quadraginta, ut ex libro superiore didicimus. Ex iis viginti attributa fuerant Nicanori, velut suffectura Judæis edomandis, ut diximus ad vers. 9. Sed priore Nicanoris clade auditâ, submissæ copiæ reliquæ, Timotheo & Bacchide ducibus, sæpè in hac historia memoratis: qui, post alteram Nicanoris & Gorgiæ cladem, cum Machabæo infæliciter conflixêre, duplicatâ suorum jacturâ. Traxisse ipsos verisimile est triginta, & eo plus, virorum millia. Habebant enim supra dimidium quadraginta septem millium, & ea posteriore Nicanoris clade reliquias collegerant; adjunxerantque illis sese sine dubio nonnulli Judæorum hostes, & transfugæ. Mirum naque non est, à victore Judæ exercitu perculsos, & cæsos, ad viginti millia, id est duas copiarum istarum tertias, aut circiter.

Quantum hostium numerum Judas Principatûs sui tempore occiderit?

Quærat aliquis: unde tantus intra Judææ angustias, tantillo tempore, hostium numerus; ut Judas, Principatûs sui sexennio, millia illorum supra ducenta ac quinquaginta confecerit, si summæ variis præliis sparsæ in unam colligantur? Respondeo: miram non esse tantam multitudinem in ea regione, ubi frequentissimæ urbes erant, mercatuque & opibus celebres. Alia enim longè tunc Palæstinæ, ac Syriæ, facies fuit, quam modò: postquam Saladinus, cæso Christianorum exercitu, urbes omnes maritimas, & continentis plerasque mænibus nudatas diruit, ne ad eas ampliùs incolæ confluerent: & postquam, ejus exemplo, Turci, quà potuêre, regionem omnem desolaverunt, ne quà ampliùs Christianis veniat ejus recuperandæ vel spes, vel cupiditas.

An crudelitate in iis cædibus peccârit?

Potuítne autem, sine crudelitatis notâ, Judas tantam carnificinam exercuisse, tantum humani sanguinis fudisse? Respondeo, id facinus tum justitiæ, tum prudentiæ, adscribendum: tantum abest, ut vitio tribuatur. Justitiæ fuit, ut qui cæde promiscuâ in cives Hierosolymitanos hactenùs grassati fuerant, illis par pari à populi Judaïci Principe redderetur; ad prohibendas deinceps, metu paris vindictæ, similes injurias. Prudentiæ fuit, ut à quorum vita nihil sani ac quieti, ob inveteratum in veros Dei cultores odium, sperari poterat, de medio tollerentur, ne ampliùs nocerent. Supplicia reorum, & cædes noxiorum, de quorum mutatione in melius spes aut nulla, aut perexigua est, crudeli clementiâ, & imprudenti consilio differuntur. Servantur sontes, ut pereant, vel periclitentur insontes. Vide dicta Exc. 1. ad cap. ult. lib. 1. de Justitia vindicativa.

Munitiones variæ captæ.

Et munitiones excelsas obtinuerunt, cujusmodi in montosa regione erant plurimæ. Nondum tamen captæ celebriores aliquæ, & historiis nominatæ; quas alioqui, ad Judæ Machabæi commendationem, expressurus fuisse videtur Hagiographus.

Præda partitur.

Et plures prædas diviserunt &c. castrorum hostilium, & munitionum, spoliis ditati. De æqua portione in egentes dispertita, diximus ad vers. 28. Hic inter egenos numerantur, qui in illo versu expressi non sunt, *seniores*. Sed illic etiam videntur intelligendi, generali *debilium* appellatione. Cur enim modò ipsis succurratur, non tunc? An fortè tantillo tempore debiles facti erant, quos antè satis ætas sua debilitaverat? De senum cura, honoreque illis exhibendo, abundè apud Siracidem in Ecclesiastico, ejusque interpretes, invenies.

℣. 31. Et

Arma collegit, & spolia devexit Hierosolymam.

℣. 31. Et cùm arma eorum diligenter collegissent, armis enim magnopere indigebant, ut colligitur vel ex l. 1. c. 4. vers. 39. & alibi; *omnia composuerunt in locis opportunis*, qualia erant munitiones excelsæ, post Timothei fugam occupatæ, & armamentarius idoneæ: *residua verò spolia Hierosolymam detulerunt*, id est partem suam spoliorum, seu quæ ipsis superfuerat, post dimidiationem cum egentibus factam. Quando autem Hierosolymam devecta spolia, an continuò à cæsis Timotheo & Bacchide, an post Lysiam cæsum; vide ad l. 1. c. 4. vers. 39.

Liberalitas ejus in ædem sacram.

Sed cur Hierosolymam devexêre? Jam tunc de Templi instauratione cogitabat religiosissimus Princeps, & Pontifex Judas. Convehenda itaque, in eum finem, curat spolia Hierosolymam: ut inde sumptus ad restaurationem, & ornatum, sufficiantur. Soliti olim Hebræi Tabernaculo, aut Templo, aliquid in victoriis seponere: ut constat ex Num. 31. 2. Reg. 8. 1. Par. 26. &c. Judas verò, & sui, non partem tantùm spoliorum, sibi reservatorum, ad Templi ornamenta seposuisse videntur: sed, quidquid post partitionem in egenos factam supererat, eò destinasse. Caritati erga proximum, dimidium tribuerant; aliud dimidium caritati erga Deum, ac religioni, dare constituunt. O militum sanctam largitatem! Quàm longè inde abfuit multorum ævo nostro rapacitas, profanis differta, sacris saturata, religionis immemor, oblita justitiæ?

Philarches occisus Hierosolymis.

℣. 32. Et Philarchen, qui cum Timotheo erat, interfecerunt &c. Utique occisus ille Hierosolymis fuit, illuc deductus cùm spolia devehebantur; ut spectaculum de se triste præsidiariis Syro-Macedonibus, jucundum superstitibus civibus, præberet. Erat enim *vir scelestus, qui in multis Judæos afflixerat*: adeoque probis lætari licebat de ipsius supplicio, & lavare manus in sanguine peccatoris, ut diximus lib. 1. cap. 2. Exc. 2. num. 11. &c.

Quis ille? An Philippus? An alius?

Quis autem ille *Philarches*, seu, ut Græcè habetur, per, y, *Phylarches*? Existimat Serarius, non proprium esse, sed dignitatis nomen: favetque textus Græcus, qui sic habet, *τὸν δὲ φυλάρχην, τὸν περὶ Τιμόθεον, ἀνεῖλον, Phylarchen*, id est principem, seu præfectum tribûs, *eorum qui circa Timotheum erant*, *sustulerunt*. Quanquam sic etiam commodè verti potest: *Phylarchen, eorum unum qui circa Timotheum erant, occiderunt*.

Gratitudo erga Deum in victoriis spiritualibus.

Et cùm epinicia agerent Hierosolymis, id est diem victoriæ, notâ ex Græca significatione ab ἐπὶ & νίκη; non autem, *nichos*, ut Liranus scribit. *Superatis hostibus*, inquit Rabanus, *Judas festum celebrat, quia cùm sanctus quilibet per gratiam Christi de hoste antiquo triumphat; gaudio spirituali repletus laudes condignas canere, ac grates multiplices victori suo debet referre. Nec decet fieri ingratum, qui se meminit divinâ ope esse adjutum*.

Incendiarius Callisthenes exuritur.

Eum qui sacras januas, templi Hierosolymitani *exusserat, id est Callisthenem*: quod nomen virum pulcri roboris significat, fuitque in Palæstina à Christianis structum eâdem significatione castrum Belliforte. Eum ergo Callisthenem, *cùm in quoddam domicilium* urbis Hierosolymitanæ inferioris *refugisset*, *incenderunt*, *dignâ ei mercede*, per æquissimum talionem, *pro impietatibus suis redditâ*. Deo in impium illum per ministros statuente imaginem supplicii, quod impietas omnis æternùm subitura est, nisi hic expietur.

Cum aliis nonnullis.

Sixtina Græca habent *καὶ ἄλλους τινὰς*, *Callisthenem, & alios quosdam*: quæ tamen particula abest in Vulgata, & in Græcis quibusdam, ut advertit Nobilius. Omnino tamen credibile est, non Callisthenem solum arsisse in ædibus, ad quas refugerat; sed cum eo consceleratos alios, qui fugientem exceperant, & tuebantur, fuerantque forsan incendendarum Templi januarum adjutores: ut & hic illud non in uno tantùm Callistheoe, sed in sociis spectaretur: *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur*.

An Philippus in illis?

An autem cum illis arsit & Philippus? Lubens id dixerim. Non quia Gorionides asserit; ejus enim scriptoris infirma nimis est ad fidem auctoritas. Sed quia Philippo congruum etiam fuit ignis supplicium: decebatque igni & fumo perire, qui sic Judæos in speluncis latitantes perdiderat. Istud tamen asserere nec volo, nec debeo, cùm ab Hagiographo sileatur: qui talem supplicii convenientiam in Philippo notaturus fuisse videtur, quemadmodùm in Callisthene, si revera contigisset.

Præsidiarii arcis imminuti.

Quid denique Philippo factum? Periisse quomodocumque, sive in uno de tribus præliis, sive paullò post, crediderim: quandoquidem nulla postmodùm de illo mentio fiat. Imò magnam præsidii Hierosolymitani partem cæsam, seu cum Nicanore, seu cum Timotheo, vel inde conficio, quòd impunè Judæi in hostes intra mœnia Hierosolymitana invadant.

Nicanoris dedecorosus in Syriam reditus.

℣. 34. 35. Facinorosissimus autem Nicanor, qui, quasi victoriæ certus, *mille negotiatores*, id est multos, quomodò Latinè sexcentos dicimus pro multis, quamquam possit etiam sumi numerus iste definitus. Is ergo Nicanor, qui negotiatores *ad Judæorum venditionem*, à se faciendam illis ementibus, velut ad paratas nundinas adduxerat: *humiliatus auxilio Domini*, deponentis potentes de sede, *ab his quos nullos existimaverat*, & nihili fecerat: *depositâ veste gloriæ*, id est, ut Serarius & Salianus ex Gorionide explicant, purpurâ abjectâ, in habitu gregario & vili, necubi in fuga agnitus detineretur: *per mediterranea fugiens*, *διὰ μεσογείας*, id est per continentem, non autem per mare mediterraneum ut Tigurini verterunt: *solus venit Antiochiam*, tam paucis comitatus, ut solus videri posset, aut revera etiam *solus* omninò, quippe geminatâ clade amissis aut dissipatis omnibus suis, & familiaribus ipsis destitutus, *summamq; inter humanas infelicitatem de interitu sui exercitûs consecutus*.

Ejus voces de protectione divina erga Judæos.

℣. 36. Et qui promiserat Romanis se tributum restituere, ut suprà dictum est ad vers. 10. *de captivitate Jerosolymorum*, id est Judæorum, quorum præcipua civitas Hierosolyma erat, Judæique tunc fermè omnes erant cives Hierosolymitæ, etsi non semper Hierosolymis degebant. Is Nicanor *prædicabat, tunc protectorem Deum habere Judæos: & ob hoc ipsum invulnerabiles esse, eò quòd sequerentur leges ab ipso constitutas*: stante scilicet Deo promissis suis, quæ habentur Deut. 28. vers. 7.

Quo animo prolatæ?

An autem ista ex animo dicebat Nicanor, ad commendationem nationis, & religionis Judaicæ? Existimat Liranus, magis ab eo *dicta, ad excusationem sui de sua dejectione, & exercitûs sui debellatione*; idemque nos suspicabamur ad lib. 1. cap. 7. vers. 26. ubi quærebamus, quis hic Nicanor fuerit, aliúsne à Demetriano postmodùm duce?

Quomodò invulnerabiles Judæi?

Quod Judæi *invulnerabiles* prædicantur, non sic accipiendum, quasi ἄτρωτοι prorsus fuerint, quemadmodùm Achilles poëticus, cujus talus solummodò plagam admittebat: sed invulnerabiles vocantur, id est insuperabiles. Quamquam etiam credibile est; hisce præliis à Juda desideratum ex suis neminem, quomodò nec plerisque postmodùm aliis expeditionibus. Vide lib. 1. cap. 5. ad vers. 54.

EXCURSUS I.

Ad cap. 8. *v.* 19. Sub Sennacherib centum octoginta quinque millia perierunt.

De Angelis ac Spiritibus.

SECTIO PRIMA.

Probatur rationibus naturalibus esse spiritus.

I. Ratio videt invisibiles spiritus.

EX Sennacheribi horrendâ per Angelum clade, à Machabæo commilitonibus memoratâ; & ex reportata per Judæos de Galatis illustrissimâ victoriâ, propter datum ipsis de cælo auxilium; percommoda nascebatur occasio de Angelico in bellis præsidio disceptandi. Sed quia Excursu altero ad cap. 12. libri primi, sectionibus duabus, convenienter fini nostro, non tantùm Angelos piis bellatoribus sæpe militare ostendi, sed etiam inter hominum certamina suas esse non rarò dæmonibus partes: non jam de geniorum bonorum malorúmve militia, & pugnis, differere; sed pro Angelis ipsis, ac spiritibus pugnare constitui. Adhuc enim dicitur esse incredulitas tanta nonnullorum; ut fidem istis non habeant, & in Sadducæorum, neque Angelos, neque animas immortales, neque omninò spiritus credentium, luto defixi sordes suas ament, & amplectantur stercora. Eam ob rem de isto nunc argumento, non infructuosè ut spero neque inefficaciter, disputatum imus: quantum quidem ex instituti nostri ratione sat fuerit homini cuilibet convincendo, si tamen homini, id est rationis lucem secuturo. Adolescentibus nobis, Anglus quidam nobilis, ex grege nil nisi quod vident credentium, atque adeo fidem omnem humanam divinamque abolentium; regiones urbesque obire solebatur, sicubi fortè spiritum dæmonémve videre contingeret: eoque sine noctes non paucas in amphitheatri Romani ruinis ambulâsse, quòd illic spectra multis visa dicerentur. Delusus spe suâ fidei omnis illusor, & Dei tentator, numquam vidit quod alii non pauci viderant, & quod credidisse debuerat, tot ad fidem divinam invictis argumentis, tot ad humanam certis testimoniis. Nec dæmon adspectabilem formam induere voluit, ut sese illi objiceret; ne errore liberaretur: nec Deus impiam curiositatem dignam eo spectaculo judicavit, sicut neque Herodem judicârat dignum miraculo. Redeat tamen modò infælix investigator, aut alii consimilis quispiam: faxo ut dæmonem, & spiritum, neque unum sed multos, clarissimè videat, tantùm si homo est. Neque enim crassis hisce, & animantium vilissimorum capiti congenitis, oculis duntaxat homo utitur: aliud ipsi longè ab intelligentia lumen, & cernendi vis est. Nec verò oculis aliis conspici spiritus possunt: cùm idcirco corpora non sint, quia sunt spiritus. Ratio autem spiritus, si operationes eorum in energumenis, in magia, in paganorum oraculis attendat, non intueri non potest.

II. In energumenorum operationibus.

Energumenos plurimos sacræ Literæ exhibent, præsertim in Evangeliis, ubi legionem dæmonum, dæmonem mutum, energumenum lunaticum, aliosque plurimos, legimus. Sub adventum enim Christi tyrannidem suam, magis quàm aliàs umquam, in humana corpora dæmones exercuêre; sive quia futurum videbant, ut brevi ejicerentur foras, & imperium in multas hominum animas amitterent; sive id, divino consilio, ad revincendam Sadducæorum sub istud tempus enatam hæresin permittebatur; cui etiam hæresi ante cunabula suffocandæ, præparabatur *auxilium* Judæis *datum de cælo*, & variæ identidem Angelicorum spirituum apparitiones ab Hagiographo nostro paullò ante id tempus recitatæ. Sed divinis istis narrationibus infidelem, divina inficiantem, non urgeo: iis utor tantummodò, quæ passim & quotidie in oculos incurrunt, verberantque pupillas & perstringunt aciem quamvis invitorum. Ambigere potest nemo, quin energumeni, id est à malo genio seu spiritu possessi, nonnulli sint: adeoque dubitari non potest, quin ejusmodi sint spiritus. Possessos multos esse, evincunt eorum operationes, voces, divinationes, secretarum & longè sejunctarum rerum manifestationes supra humanam sortem. Videas puellam imbecillem, delicatam, longo morbo exhaustam, agitationibus & concussionibus perpetuis debilitatam, tantarum tamen, in ipso debilitatis articulo, virium esse, ut robustos quatuor juvenes fatiget. Audias rusticanum hominem, & idiotam, ignotâ sibi antehac linguâ loquentem; quæ Latinè, Græcè, aliterve dicuntur, intelligentem; adstantium conditiones, religionem, propensiones, peccata ipsa extra hominum oculos commissa, aperientem; quæ eodem tempore in locis dissitis fiunt certamina, victorias,

victorias, mortes pandentem. A puella robur istud esse non potest: à rustico non est illa cognitio. Est ergo ab alio spiritu, qui corporibus illis sese insetuit, eorumque organis utitur, & vires suas ac cognitionem ostentat.

III. *A morbis facile est distinguere.*

At enim, inquis, nonne inventi sæpiùs, præsertim in debiliori sexu, & imaginatione, qui se sibi persuadebant esse possessos, gestusque & voces illorum imitabantur, cum terrore adstantium: qui tamen postea hypochondriaci morbi effectus, aut imaginationis oblæsæ morbos deprehendêre? Sunt omnino ejusmodi nonnulli, qui id sibi persuadeant; sed aliis diu persuadere nequeunt. Morbus enim indicia sua habet: dæmonis possessio sua, & alia longè vires humanas superantia, nedum morborum effectus. Si ab hypochondriaco morbo, aut atrâ bile, quis repentè nervosissimo quovis homine robustior evaderet, absentia nôsset, linguas varias ex tempore calleret, de abstrusissimis quibusque ratiocinaretur longè sapientiùs, quàm qui ætatem in literis trivêre: optabilior profectò foret ea infirmitas, quàm sanitas. Sed talia ex morbo proficisci quis credat, nisi cui morbus plusquam hypochondriacus cerebelli laborantis sedes omnes, & quietem everterit? Phreneticis quidem, quia sanguis ardet, & nervi spiritibus implentur, impetus solitò vehementiores sunt, viresque aliquamdiu majores, donec æstus remiserit. At in ea phrenesi linguis ignotis rectè quempiam uti, de altissimis scientiis disputare, occulta aperire, quæ ne sapiens quidem potest, nemo umquam, nisi somnians, aut delirans, audierit.

IV. *Item ab imposturis.*

Quid autem de impostoribus dicamus, qui vel ad captandam stipem energumenos simulant; vel aliis, per exorcismos famam captantibus, subserviunt? Narrante Spondano an. 1562. in vico Querceto propè Insulas, ficti energumeni ad Ministrum, sanitatis causâ, per sectarios suos deducti: ne scilicet apud Papistas solos, quod Insulis & Rothnaci frequenter eo tempore acciderat, liberarentur. Sanavit Minister in speciem simulatores istos, strophæ tamen ipse ac simulationis nescius: quam ubi detexit, falsitatis auctorem sectam abominatus, ad Catholicos transiit, conversionisque suæ rationes, libro de illa publicato, reddidit. Hæc de simulatione attulero; quæ etiam curiosus, & sapientes, aliquamdiu fallere possit. Sæculo eodem exeunte Tornaci mulier artes illas docta, ad quæstum certiorem atque uberiorem quàm ex diurnis laboribus, adeò appositè motus agitationesque energumenorum exprimebat; ut detegi fraus, nisi longo pòst intervallo, nequierit, admotis ad ejus caput projectitiis ossibus, quæ cùm ipsa reliquias Divi alicujus esse existimaret, furere cœpit, ac debacchari. Ætate nostrâ in Galliis puella tàm scitè fingere condidicerat, ut provincias fermè omnes Gallicanas, per quas peregrini instar animalis circumducebatur, fefellerit: imò & Theologis medicisque omnibus Parisiensibus negotii tantum præbuerit, ut vix tandem imposturam detexerint.

V. *Veræ possessiones à dæmone signa.*

Innumera ejusdem generis figmenta coacerves licet, non ideò tamen efficies, ut energumeni veri nulli sint, quia falsi sunt quidam. Supra hominum naturam non est, humi se affligere & volutare, furibundè exilire, ululare, spumare, oculos contorquere, linguam horrendè exertare; tremere ubi imago sacra, aut V. S. proponitur; ad exorcismos sese componere, & contingere. At verò naturâ humanâ altius est, adeoque ab adventitio aliquo & excelsiore spiritu profectum, vocibus uti, quas non didicere; de quæstionibus respondere, quas non audieris; de rebus occultis disserere; absentia, velut præsentia, intueri, se describere; vires supra sexûs, ætatis, sanitatis, conditionem quadruplicatas illico assumere, mox deponere. Ista peregrinæ intelligentiæ, noscentis, & agentis, indubitata prorsus indicia sunt.

VI. *In historiis notata.*

Narrat Prosper *lib. 1. de Prædictionibus & Promissionibus Dei cap. 6.* Juvenculam quamdam Arabem, ancillæ Dei habitum gestantem, cùm ad balneas isset, viso illic Veneris, ex idololatriæ reliquiis, simulacro, sese cum illa comparâsse, sibique de similitudine gratulatam: mox à dæmone possessam, qui, meatibus gutturis obsessis, jejunam ipsam septuaginta circiter dies, noctesque totidem perpetuas, tenuerit: nisi quòd sub intempestam noctem avis quædam ipsi nescio quid in os infunderet: inviso hospite, & nutritio, liberatam, postquam ad Monasterium virginum, ubi D. Stephani reliquiæ colebantur, ducta, & sacrâ communione refecta est. Id narrat vir gravissimus, cui in re tali mentiri neque utile fuit, neque honorificum, neque consuetum. Accipe & ab Augustino ejus præceptore narrationem aliam, nec minùs miram, lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 17. *Comperimus patientem spiritum immundum in domo constitutum dicere solere, quando ad eum venire cœpisset ex duodecim millibus presbyter; & per omnia loca itineris, ubi esset & quàm propinquaret, & quando ingrederetur, & fundum, & domum, & cubiculum, donec in conspectu ejus adstaret.* Quivis, quamlibet pertinax, fateatur necesse est, & septuagintadiale jejunium, & avem illam nocturnam, & absentis advenientisque presbyteri tam exactam cognitionem, ac denuntiationem, viribus corporis & intellectûs humani superiorem esse.

VII. *Etiam ab ipsis hæreticis.*

Recentius est, quod narrat Spondanus an. 1566. ex Florimondo Ræmondo in Antichristo, & in libro altero de ortu hæresis. Recitat etiam Genebradus, postquam suavem valdè modum narravit liberandi energumeni, usurpatum à Ministro Chalnensi, qui unum culeo insutum, saxisque prægravatum, in Isaram amnem præcipitavit. Sed historiam illam, aut potiùs ejus particulam, ex Florimondo audiamus, oculato teste, & ejus spectaculi novitate converso ab hæresi ad fidem Catholicam; quam insigniter deinde, libris editis, propugnavit. Ut meritò aliquando dixerim; Providentiam divinam, in permittendis dæmonum in homines imperiis, tres scholas aperuisse, Epicuræis, Hæreticis, malis Catholicis: illis & istis ad fidem reducendis: his terrore ad frugem revocandis. Nicolaa Obrya, Vervinensis mulier, Lauduni exorcismis Catholicis curabatur. Dæmones jam aliquot exisse dicebantur, superesseque unicus, qui se indigetabat Beelzebub. Venit illuc Ræmondus cum sociis, viditque miseram illam inter exorcismos ita agitatam, & convulsam, ut corporis humani formam prorsùs amitteret; nunc herinacii instar convoluta; nunc dolii instar tumida; nunc in altum subsiliens tanto impetu, ut ne duodecim, imò ne quindecim quidem validi viri, cohibere possent. Ubi Episcopus sacrâ hostiâ capiti illius impositâ adjurationibus instabat, tunc in omnes sese formas fingere, alienum à sensibus possessum corpus humi volvere. horrendis blasphemiis aures adstantium onerare, anhelitum & fumum tam

spissum exhalare, quam boves anheli solent, cùm jugulantur: eâ enim similitudine uti Ræmondus voluit. Cùm juberetur dicere, eccur ita horreret: istud *Hoc est*, inquiebat; istud, *Hoc est*, exhorresco. Tandem exorcismis adactus hospitium deseruit, tanto strepitu, ac fragore, ut geminatum tonitru videretur, & tam tætro ac denso fumo exspirato, ut turres ipsas templi instar nebulæ contegeret. Similia multa Lauduni ævo nostro, seu Loduni, ne duas in unam urbes commisceamus, contigêre: Deo sic statuente, ut virginum piarum ac sanctarum calamitas, esset impiorum fælicitas, & disciplina; illarumque corporibus, per dæmonem possessis, animæ novorum Sadducæorum & Epicuræorum longè periculosiùs possessæ liberarentur.

VIII. *Sadducæi quid huic argumento opponant?*

Fumi isti, nebulæ, fragores, tonitrua, subsultationes, & motus juvenculæ mulieris, tot virorum robore superiores, naturam credo humanam excessêre: ab alio igitur prodierunt, quàm ab homine; non ab alio utique, quàm à spiritu, qui se in corpus fœminæ insinuerat. Sunt ergo ejusmodi spiritus. Infidelitas obduratissimi Sadducæi nihil habet, quod huic selò opponat, præter consuetum istud hominum desperatè incredulorum: Ego tamen ista non vidi. At testibus plurimis comperit Augustinus, quod narrat: scivit Prosper certissimum esse, quod tradidit: vidit Ræmondus cum innumera turba, quod modò audisti. Nihilominus ego non vidi. At etiam nos ejusmodi non pauca hisce oculis spectavimus: testes tibi præsentes dabo, & plurimos, qui idem de se sanctè affirment, nullo, præterquam veritatis, respectu & fructu. Nihilominus ego non vidi. Si animum obstinâsti ad nil credendum, nisi quod videris; multa tibi dedero quæ non credas, neque Alexandrum fuisse, nec Romam esse, nec proavos aut proavias te habuisse, quis non vidisti. Insanorum, & desperatorum ista responsio est, quos sola Dei misericordia curare potest: ratione enim sunt insanabiles. idem argumento alteri, quod jam intorquebimus, dicturi, quod primo, pari omnino jure.

IX. *Sunt magi.*

Magos fuisse & esse multos, nemo dubitat; non eorum tantùm qui fidem divinam habent, legeruntque de magis Pharaonis & pythonissa Saülis; sed etiam, qui humanam. Sunt autem magorum genera duo: unum, quod sagos sagasque appellamus, misera dæmonum mancipia, quibus ad nocendum utuntur. Alterum genus, Magi, restricto nomine, vocantur, iique sunt, qui dæmones habent addictos & obsequentes. Coluit execrandam hanc artem Oriens inprimis. Inde Zoroastræ, Simones, Apollonii, aliique historiis celebres homines, per superbiam, avaritiam, curiositatem, eò usque dementati. Sed vetera omittamus: ferax enim monstrorum istorum etiam ætas Christiana est. Memorat Ræmondus Antichristi cap. 20. notum sibi nomen, vitamque, religiosi hominis, ex mago: qui post expiata voluntariis suppliciis crimina, piè denique est mortuus. Socium illi fuisse, alium ejusdem artis eximium doctorem, quem ideò magistrum Videntem vocabant, quo nomine olim prophetas Hebræi appellavêre. Is Videns aliquando cogitavit thesauros omnes, quos in Oceano Zelandico, & Hollandico, Gallicoque ad Caletum freto, naufragia hauserant, suos facere: eumque in finem consilium cum sociis tribus communicavit, eosque ascivit adjutores, ac participes; in his istum postmodò conversum. Itur in insulam ad præstigias, circulosque incantandos. Post dica aliquot exhibet se dæmon habitu Satyri, ollamque auro plenam offert: sed Videns, repudiato munere, dixit, omnia sibi opus esse, quæ in isto mari laterent. Postridie cùm ad incantationes solitas reverterentur, tanta repentè sereno cælo tempestas exorta est, ut cælum terræ misceri videretur. Neque enim cogi sese dæmones patiebantur ad eorum thesaurorum consignationem, quibus ad tempora usque Antichristi, Magorum supremi, incubabunt, tunc illis usuri. Magi veriti magnum malum, & ne ab Insulæ incolis detegerentur, conscenso raptim navigio evasêre in continentem; & is, quem dixi, ad saniorem mentem reversus, in Monasterium se abdidit, sæpiusque historiam illam amicis narravit.

X. *Eorum operationes non sunt nisi à spiritibus.*

Quorsum autem unam recito, & aliunde accersitam: cùm passim, non sine magno Christiani nominis dedecore, princeps hujus mundi, à Christo ejectus foras, magicis artibus revocetur? Venti venduntur; tempestates repentè cientur; humanum corpus adversùs ictus quoscumque duratur; paucis horis dierum multorum iter conficitur; sublimes per aërem homines feruntur; abdita pecunia labore nullo detegitur; clausa sine clavi, impulsúve ullo, qui sentiri queat, aperiuntur; ferreæ, plumbeæve glandes, de læsorum corporibus, extra ullam manûs medicamentorúmve applicationem eximuntur; solo verborum quorumdam ridiculorum, aut impiorum murmure, morbi abiguntur; ablatus uni languor, transfertur ad alterum; cibi ferventes in cacabis, ardentes in verubus, adstante licèt familiâ, evanescunt. Ista artis, ingeniique humani, effecta non sunt: neque ullus umquam fuit tam peritus circulator, ut oculis imponendo res ipsas produceret. Vidi ego Valencianis anno 1648. de lecto viri primarii, ex veneficio tunc decumbentis, & paullò pòst mortui, exemptas viscerum præcipuorum figuras, veteris telæ frustis, quibus plumæ variæ intextæ erant, efformatas. Quis hominum illa lecto intulerat? Vidi anni 1656. æstate, Robertimonte; Cisterciensium suburbano ad Leodium cœnobio, virginem, sumptis à venefica prunis tribus, ægram; ubi initium Evangelii secundùm Joannem, etiam ipsâ insciâ, recitabatur, illico spiritu linquente collabentem: vidi, ac tetigi, quæ magno cum cruciatu post varios exorcismos ejecit, clavos quatuor, rubiginosum cardinem, aciculas, quarum pars binæ inter se erant implexæ, supra quadraginta, capillos muliebres bicolores simul cum stuppa ad pugni modum. Quis illa hominum in virginis corpus intulerat? Sunt ergo intelligentiæ aliquæ in Universo, vivaces, actrices, motrices, in corpora sese insinuantes, eaque penetrantes: quæ res, non nisi spiritibus tribui possunt.

XI. *Idem patet ex oraculis.*

Oracula & vaticinia Paganorum magiæ affinis sunt, neque aliunde proficisci potuêre; quàm à geniis multò plura homine scientibus, & valentibus. Ex ore statuæ, aut ex antro Delphico, aut ex ventre sacrilegæ & energumenæ sacerdotis, prodibant voces, quibus absentia nuntiabantur, arcana retegebantur, morbi, bella, victoriæ; aliaque futura, quorum eventum dæmon longè certioribus conjecturis, quàm homines, assequi potest, prædicebantur. Eadem præterea ferme illic fiebant, quæ magicis artibus patrari solent. Ejusmodi oracula fuisse, ambigi non potest; nisi falsi historias populorum omnium damnare velimus.

velimus. Siluêre quidem ferè in orbe universo, ex quo Dei *Verbum caro factum est*: legiturque de eo silentio liber inter opera Plutarchi; & Lucianus, Celsus, Porphyrius, aliique Paganorum idem mirantur, & queruntur. Non ideo tamen, quia siluêre, non fuêre: imò hodieque aliqua superesse scribuntur, in miseris illis regionibus tenebrarum, quò Evangelii lux nondum penetravit. Sed ista non supersint: ex ipso illorum silentio manifestè colligitur, homines eorum auctores non fuisse, sed aliquid homine superius, quod altiore vi cogitur obmutescere. Neque enim homines quæstuosum sibi figmentum, & fraudes omitterent, si in eorum essent potestate: præterquam, quòd absentium, & secretorum scientia mentis humanæ non est; & futurorum, licèt non certa scientia, non obscura tamen ex caussis arcanis conjectatio, sagacitatem nostram longè exsuperat. Maneat itaque id omnino certum, tam esse intelligentias spirituales, quàm esse homines. Probâsse quidem id de solis malis geniis videmur: sed si mali sunt, utique sunt & boni. Sentiuntur & hi sæpè ex effectis suis: at illi sæpiùs; tum ex ambitione ac superbia, ut ab hominibus colantur; tum ex odio humani generis, ut noceant.

XII. *Ex spiritibus colligitur immortalitas animarum.*

Neque ex dictis solum id consequitur, genios esse, sed etiam hominum animas esse spiritales, adeoque immortales, qua de re mox agemus. Estque ea tam manifesta veritas, ut nusquam vel legerim, vel audierim, malos genios, mendacissimos licèt ac fraudulentissimos, magis sagisve suis dixisse, aut indicâsse, homini post mortem sperandum aut metuendum nihil, nihil superstes reservatum. Id solum adoratoribus suis persuadere conantur, non tantum impios manere post mortem suppliciorum, quantum nos Catholica fides edocuit. Neque umquam memini vel oraculis ullis, vel energumenorum lingua, quâ tamen ad mendacia & execramenta uti solent, pronontiâsse animæ mortalitatem: quæ tamen si credatur, multùm ipsis inde, ex hominum damno, lucri gaudiique accesserit. Homines enim, vitæ futuræ metu soluti, longè liberiùs præcipitabunt in vitia, Deumque offendent licentiùs. Atque adeò, quod ad caussam hanc attinet, Sadducæi & Epicuræi nequiores sunt & nocentiores dæmonibus; quando comminiscuntur, & spargunt, quod impietatis omnis auctores nondum finxêre. Demus operam, ut puris Deoque caris intelligentiis similes simus, tam hîc virtutem exercendo, quam amant; tum in altera vita virtutum præmia percipiendo, quibus jam fruuntur. Dæmonum vitia, fraudes, odia, superbiam fugiamus: ne animorum nostrorum immortalitas damnetur ad ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus, horrendæ societati. Quis vel ad unam horam à dæmone hîc possideri, vel cum illo in execrandis orgiis versari non perhorrescat? Quantulum autem istud est præ sempiterno consortio?

SECTIO ALTERA.

Spiritualitas, & immortalitas, animorum.

I. *Ex spiritibus consequitur animum humanum esse immortalem.*

SADDUCÆORUM & Epicuræorum natio, de intelligentiis à corpore sejunctis, materiæque prorsus expertibus malè sentientium, eâdem sibi persuasione confingunt, humanorum animorum immortalitatem commentum esse prudentium Legislatorum, ad mortalium mentes futurorum terrore à vitiis cohibendas. At quibus Angelos esse ac dæmones persuasum est; iidem non difficulter intelligunt spiritualitatem, & immortalitatem animorum. Sic enim ratiocinantur: Mens humana spiritus aliquos esse intelligit, spiritualis igitur est; alioqui ad intelligentiam illam non assurrectura, conditionis suæ gradu superiorem: rursus, Humana mens eâdem intelligendi & volendi vi pollet, quâ spiritus, est igitur spiritus.

II. *Decor Universi suadet immortalitatem animorum.*

Argumento isti & hanc addunt à convenienti subsidiariam rationem. Spiritus à corpore disjunctos Deus produxit: decuit ergo, ut & spiritus cum corpore conjunctos produceret, per quos à merè corporalibus ad merè spiritualia gradus fieret. Foret alioqui abrupta & hiulca rerum creatarum, decentissimo ordine inter se connexarum, gradatio. Deesset enim medium inter corporalia & spiritualia genus: deesse autem non debet, ad perfectionem Universi; ne à rebus inter se tam longè distantibus, sine mediâ ullâ, incongruè transiliendum sit.

III. *Et situs officiorum animæ.*

Adjicit Isidorus lib. 1. Sententiarum cap. 15. sent. 5. conjecturam ex sensuum positu, & intelligentiæ statione: *Sicut præstantior est odoratus sapore, & positione loci & sentiendi longinquitate: sic auris odoratu; longiùs enim audimus, quàm odoramus. Et sic oculi auribus; longiùs enim videmus, quàm audimus. Animus autem & loco, & merito, his universis sensibus superfertur. In arce enim capitis constitutus, quod illi corporaliter non attingunt, iste intellectualiter contuetur.* Etsi enim animam certum est, ut ait Tertull. lib. de an. *nec in cerebro cubare, secundum Hippocratem; nec circa cerebri fundamentum, ut Herophilus; nec in membranulis, ut Strato, & Erasistratus; nec in superciliorum meditullio, ut Strato philosophus:* constat tamen suas intelligendi, reminiscendi, volendi, officinas Deum illi in cerebro posuisse; ut, vel ex illo erecti corporis situ, terrâ elevatiorem esse, & ad cælos cælestesque spiritus accedere, significaretur.

IV. *Nota est passim, & credita.*

Sed quia Sadducæi novi neque istam, de corporis situ & intelligentiæ statione, conjecturam magnifaciunt; neque illam, de condecenti creaturarum ab infimis ad summas gradatione, consecutionem admittunt; neque ab geniis & spiritibus, eorumque per homines cognitione, spiritualitatem atque immortalitatem animorum facilè colligi patiuntur: eam ob rem aliud quidpiam nuper dicendum existimavi, & nunc scribendo suggerendum dicturis. At enim, inquis, *Quis nunc extremus idiota*, ut ait Augustinus ep. 3. ad Volus. *vel quæ abjecta muliercula, non credit animæ immortalitatem, vitamque post mortem futuram?* Quis, non Christianorum modò, sed Infidelium? Apud quos olim Elysii campi, & Avernus, & Phlegethon, & Styx, & Rhadamantus, & Pluto, aliaque nomina cantabantur. Apud quos hodie, ipsos etiam Americanorum crassissimos populos, nedum apud cultiores Japonas & Seres, persuasum est, ad consanguineos abiri post mortem: in mundo nobis invisibili animorum esse receptacula: montes incendia vomentes inferorum, ubi impii torquentur, esse spiracula: leniendis post mortem suppliciis, prodesse supplicationes vivorum; unde Bonzii & Cazici compendium faciunt.

V. Sensus communis præjudicium veritatis.

Apud nos veritatis argumentum est, inquit Seneca epist. 117. *aliquid omnibus videri.* Ea eo argumento deos esse conficit: sapientiùs multò collecturus, quomodò aliàs sæpè fecerat, Deum unicum esse auctorem omnium, cujus opus essent illi ipsi qui sese pro diis ferrent. *quòd omnibus de diis opinio insita est; nec ulla gens usquam adeò extra leges moresq; projecta, ut non deos aliquos credat.* Eâdem argumentandi formulâ conjicit humanos animos æternitatis esse consortes, seu potiùs æviternitatis & immortalitatis: *Cùm de animarum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium.*

VI. Cui ergo bono de illa disputatur?

Quorsum igitur ad plebem de veritate tam communi, tam vulgatâ, tam confessâ edisserere? Primùm, ut ratione convincantur, quando concedere fidei nolunt, quicumque Sadducæorum novorum *malunt penitùs exstingui, quàm ad supplicia reservari*, ut in Octavio aiebat Minutius Felix. Deinde, ut Christiani sibi ipsi, fideique luæ aggratulentur, & gaudeant testimonia divina credibilia nimis facta esse: quando spiritualitatem & immortalitatem animorum trigeminâ sibi ratiocinatione, ex philosophiæ scitis, ex morum decretis vitaque civili, & ea testificatione experientiæ, sub oculos positam, & pænè in manus traditam, accipient.

VII. Spiritualiter agit anima: ergo spiritualis est, & immortalis.

Philosophicam argumentationem validè scriptores multi intortêre: singularibus etiam nonnulli adversùs Sadducæorum genimina tractatibus. Paucis itaque & summatim absolvam, doctumque lectorem, & ecclesiasten, ad suom ipsius animum aut uberiores aliorum lucubrationes ablegabo, ne à me supervacuis distineatur. Ea naturali operationis modo, ad naturalem existendi modum, consecutio certa est. Nihil enim seipso potest esse superius: seipso autem superius foret, atque adcò idem non foret, si plùs naturâ suâ naturaliter posset. Agere itaque spiritualiter non potest de se, quod spirituale non est. Spiritualiter agit animus humanus: spiritualis ergo est. Si spiritualis, utique & incorporeus, atque immaterialis. Si immaterialis, igitur & corruptionis expers, quia materia corruptionis fons est. Mentémne humanam spiritualiter agere negaveris, ut neaum illum catenatæ ratiocinationis abrumpas? Sed si temetipse tantisper introspicias, illo ipso introspectu spiritualem esse operationem tuam intelliges.

VIII. Intelligentiæ & reminiscentiæ spirituales operationes.

Etsi enim sensuum & imaginationis ministerio ad intelligendum animus tuus utitur; quamdiu corpore tamquam sepulcro clausus est, intra σῶμα velut intra σῆμα, ut eleganter Philo lib. de creat. aiebat. Sic tamen illorum dispensat officia, ut sæpissimè corrigat errores; sæpissimè, quò vi nullâ pertingere possunt, pervadat, affirmando, negando, colligendo, connectendo, dividendo, discernendo, de singularibus universalia compingendo. Sol tibi, & astra omnia, quanta imaginatione finguntur, quanta intellectu monstrantur? Quis tibi baculum in aqua fluctuantem distortum nuntiat, quis rectum? Quis rerum ideas, & essentias, materiæ omninò expertes, à sensibus prorsus alienas efformat? Quis immensas æternitatis rationes, & spatia tum retrò acta, tum sine defectu lapsura, metitur? Ut vulgare istud planissimè falsum sit, *Nihil est in intellectu, quod antè non fuerit in sensu.* Jam quanta intelligentiæ vis, non ad spiritus modò à corporibus internoscendos, sed ad scrutanda ipsa creatricis divinitatis arcana? Quam mirabilis reminiscendi facultas, quando alias ex aliis imagines recordamur, exsuscitamusque comparando & velut argumentando, quamvis oblivione penitùs abolitas; nedum absoletes, aut sopitas, ut Gabelo contigit recordanti Tobiam patrem ex filio: cùm tamen animantes cæteræ memoriâ tantùm polleant, quamdiu rerum singularum imagines obliteratæ non sunt.

IX. Voluntas sensibus & sensibilibus altior est.

De voluntate item hominis manifestum est, sensibus corporeis altiorem esse, cùm illis frequenter imperet inclinationi suæ prorsùs adversa. Oculus non satiatur visu, neque auris auditu: oculo tamen visum illicitorum, auribus damnosorum auditum, honesti amans voluntas prohibet. Tactui molestum est, nudo per hyemem collo, ac brachiis apertis, sollicantibusque manicis incedere: sequendæ tamen consuetudini voluntas amat, quod sensus refugiunt. Quisquis virtutem seriò colit, honestum præponit jucundo & utili. Honestum autem, uti corporea nullâ potentiâ cognosci potest, ita neque appeti. Deinde voluntas corporeis omnibus ac sensibilibus rebus superfertur; quemadmodùm mundi initio spiritus Domini ferebatur super aquas: nec contenta eorum amore, quæ sub sensus & imaginationem cadunt, fertur in omne quod usquam est amabile, ipsumque adeo infinitum, ac summum bonum. Denique inter humana omnia bona maximi famam facit, & existimationem: quæ res omnimodo spiritualis est, in hominum judiciis posita. Neque in præsens modò eam affectat, sed in seram posteritatem ad nominis usque immortalitatem: cui quærendæ turris Babel exstructa, ædificatæ pyramides, facta manus Absalon. *Unde* autem, inquit Tert. lib. de test. animæ, *anima affectaret aliquid post mortem, si nihil de postero sciret?*

X. Divinitatis connexio cum animæ immortalitate.

Cùm ergo modus essendi sequatur modum operandi; & substantia agens spiritualiter, spiritualis sit; substantia itidem spiritualis, sit immortalis: animum autem agere spiritualiter, manifestum sit, intelligendo, reminiscendo, volendo; crassissima isthæc animalia fuerunt, quibus Ecclesiastes, *tumultuantis turba*, ut loquitur Greg. dial. lib. 4. cap. 4. *suscepto sensu*, hasce voces tribuit, c. 3 *Quis scit an spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus jumentorum descendat deorsum?* Homini sic grunnienti, aut boanti dicendum idem, quod Nabuchodonosori à Daniele prædictum: *Ejicient te ab hominibus, & cum bestiis erit habitatio tua.* At ego, inquis, ratiocinationem istam philosophicam difficulter assequor. Aliam ergo magis obviam accipe, & in medio sitam communis rationis ac morum civilium. Si hominis anima creata non foret immortalis, ut se res modò habent, Deus non esset: Deus autem est: igitur anima est immortalis. Deum esse, inquis, inficiari nemo ex animo potest: at ecquânam, quæso, consecutione persuaseris, Deum ita cum immortalitate connexum esse, ut ne sit quidem, si illæ moriantur? Æternùm fuit Deus, ante conditas animas: non possit æternùm esse, intereuntibus animis? Nonne sufficiens ipse sibi est, seipso contentus, nullius extra se indigus?

XI. Sapientia & Justitia Dei exigunt animæ immortalitatem.

Omnino potuit sine hominum animis Deus esse: sed eis jam productis quales sunt, immortalitatem negare non potest, nisi sese ipse abneget. Sapiens enim & justus non foret, si immortales non fecisset, adeoque nec Deus: cùm

Deus

Deus id sit, quo melius nihil potest excogitari. Nam summè sapiens non est, qui rem aliquam sic fecerit, ut finem suum numquam assequatur, & perfectione sua careat. Sic autem Deus hominem fecisset, si immortalitate illum non donâsset. Summum enim, & infinitum bonum, pro fine cognitionis & amoris illi proposuit: in ea cognitione, & amore constanti, perfectionem ejus, & quietem fixit: cæterorum desiderio, & possessione, fecit insatiatum, & inquietum. Atqui constat, hujus vitæ tempore, inter quotidianas mortalitatis vicissitudines, citra miraculum contigere nemini, ut perfectam Dei cognitionem assequatur, & in ejus amore constanter conquiescat. Est ergo vita alia, ubi Deus clariùs longè cognitus, multò constantiùs ametur, ab anima hominis seu corporeis vinculis liberâ, seu corpori jam immortali rursum sociatâ. Hic captivorum instar sumus, nihil nisi per nuntios accipientium: tunc asserti in libertatem filiorum Dei per nos ipsi cognoscemus arcana divinitatis. Nunc velut per caliginem, & ad exiguæ ceræ lumen, finem nostrum adspicimus, & sequimur: tunc in ipso fine nostro finem videbimus; in lumine Dei videbimus Deum, & invariatè amabimus. A Justitia divina ad animæ immortalitatem facilior etiam, quàm à Sapientia, gradatio est. Justus enim absolutè dici non possit; cui cùm summa sit & ineluctabilis in rempublicam auctoritas, vitia tamen impunita, indonatas virtutes abire sineret. Faciamus autem, in hoc rerum statu, animas hominum mortales esse. ubinam à summo moderatore Deo præmia ac supplicia justè distribui videbuntur, cùm & bonis plerumque malè sit, & malis benè? Compara Abelum Caino, Noemum Nemroto, Josephum Pharaoni, Machabæum Antiocho, Joannem Herodi, Christum Pilato, Petrum Neroni, Theclam Agrippinæ, Sebastianum Diocletiano, Augustinum Pelagio, Borromæum Luthero, Franciscum Xaverium Calvino, Teresiam Elisabethæ Anglicanæ. Quid inter istos tam dispares interfuit, nisi quod hi feliciores vixêre; si alia vita non superest, ubi virtuti præmia, vitiis pœnæ reddantur? Justus ergo Deus non sit, adeoque non sit Deus, si animæ non vivunt post mortem, & ad alia loca non transeunt; ubi judex justus det unicuique juxta opera sua. Si autem vivunt post mortem, semper vivunt, sublatâ omni causâ moriendi.

XII. Experientia probat animas vivere post mortem.

Experientiæ sigillum ratiocinationibus istis apprimatur. Non jam historias è sacris Literis adduco: ubi Onias & Jeremias post mortem, Machabæo audiente, colloqui videntur: ubi excitati ad vitam mortui, qui utique iidem homines atque antè non forent, si anima eadem non esset; non foret autem anima eadem, si corpori superstes non fuisset. Neque eu Patrum narrationibus visa, apparitionésve, fatis functorum recito: quales, in hunc ipsum finem, Gregorius libro Dial. 4. fermè universe describit. Non congero innumeros ex Annalibus Ecclesiasticis à mortuis revocatos: qui certè revocari non poterant, si ne essent quidem. Ea resuscitatorum miracula in unum collecta, tum alibi Lector reperiet, tum apud P. Silvestrum Petrasancta in miraculis utriusque Testamenti comparatis. Unam tantùm indico historiam ex Baronio an. 411. Postquam narravit celebre illud de Evagrio philosopho, à quo Synesius monitus, ut syngrapham suam post mortem ejus reciperet: item de Gennadio medico, cui in somnis ratiocinatione aliquâ populari omnis de immortalitate animi dubitatio extersa est, apud Aug. ep. 100. subdit de Marsilio Ficino, celebri Platonico philosopho, qui cum Michaële Mercato Miniatensi, studiorum & arcanorum participe, convenerat; uter eorum prior moreretur, ut ia superstiti nova de alterius vitæ rebus, Deo propitio, nuntiatum veniret. Marsilium, priùs fato functum, clarâ luce in equo ad musæi, ubi hic studebat, fenestrã affuisse, inclamâsseque notâ voce, Mercate, verissima sunt, quæ de immortalitate animorum disputavimus. Mercatum, apertâ fenestrâ, vidisse albatum equitem cursu fugientem: mox misisse Florentiam, ubi Ficinus mortuus est, & didicisse ipso articulo mortuum, quo ejus vocem audierat. Istud ex Mercati nepote, & celebri totius fermè Italiæ narratione, indubitatum refert Baronius.

XIII. Æternitati studendum.

Meritò igitur moribundus Rex Dagobertus familiares admonuit, ut omni solicitudine caverent, ne animi æternitatem æternis traderent suppliciis. Insanias, si sciens, quod insciùs Jonathas fecit, ad melleæ stillæ gustulum paratam incurras mortis sententiam. Momentaneæ voluptatis gratiâ in ardentia rogi horribiles vortices insiliat nemo, nisi rabiosus. Quo autem elogio insignias hominem, cui de animæ immortalitate ratio & fides constent, sempiterna tamen supplicia vitæ hujus levibus voluptatulis mercetur? Quàm timenda autem sunt mala post mortem, tam speranda bona. Pictoris nescio cujus vocea laudantur, cùm exquisitæ in arte sua diligentiæ rationem poscentibus diceret, *Æternitati pingo.* Studeamus, & nos, scribamus, dicamus, mercemur, laboremus, vivamus æternitati. Si nos in urbe quapiam mensem unicum habitaturos, in alia annos totos octoginta, existimemus: utrâ potiùs in urbe domum nobis aut coemendam curemus, aut struendam? Architectandæ igitur ædes nostræ sunt, non in hoc peregrinationis diverticulo, sed in illo habitationis loco: nam morte *ibit homo in domum æternitatis suæ* bonæ aut malæ. Pereat, impie Sadducæe, anima tua morte secunda, id est morte immortali; nihil tamen Deo perit, qui sibi sufficiens est. *Imago* quidem illa Dei est, sed *tselem*, *umbra*, ut Hebræi codices habent Gen. 1. & ps. 38. Ita umbræ instar, quæ sine damno corporis interit, peribit infælix increduli hominis anima, citra damnum conditoris sui.

SECTIO TERTIA.

Spirituum cælestium princeps Michaël, Angelus pacis, ac belli.

I. Multiplicia Archangeli Michaëlis encomia.

EA est Archangeli Michaëlis dignitas, tam excelsa munia, ut pulcerrimum istud nomen *Michaël, Quis, ut Deus*, illis explicandis par non sit: sed alia multa encomia, juvandæ intelligentiæ nostræ, tum in Scripturis à Spiritu sancto proferantur, tum à magnis viris Spiritu sancto plenis congerantur. Quemadmodùm synonyma multa cumulare consuevimus, si quando res aliqua nobis laudanda est, cujus commendationem vis unici vocabuli non exæquet. Danielis 10. dicitur: *Unus de principibus primis:* Isaiæ 63 *Angelus faciei* Domini, cap. 11. *Virga oris Dei:* quomodò à Paulo 1. Thess. 4. *Spiritus oris* Dei, ut

Cornelius

Cornelius aliique interpretantur. Ab Ecclesia nuncupatur *Salutis signifer*, *Signifer sanctus*, *Praepositus paradisi*, *Nuntius Dei pro animabus justis*, *Princeps super omnes animas suscipiendas*, *Angelus pacis*. A Sophronio nominatur *Angelorum coryphaeus & archisatrapa*: à Nicephoro, *Magnus apparitor cali*: à Niceta Choniate, *Archidux copiarum calestium*: à Pantaleone, *Fax clarissima lucis inaccessa*, *Assessor Trinitatis*, *Purum receptaculum altissima lucis*: ab aliis, *Illuminator Angelorum*, *& hominum*, *Librator meritorum*, *Signaculum decoris Dei*.

II.
Praecipuum est Angelus pacis, bellatori non incongruum.

Istorum omnium non suavissimus modò, sed eminentissimus, is mihi titulus videtur, quem Ecclesia in hymno accinit, *Angelus pacis Michaël*. Nihil enim pace non dulcius tantùm, sed melius, altius, divinius, ut Exc. ad cap. 13. lib. 1. sect. 5. &c. dictum est: eamque ob rem functis vita intimis amicorum aliud non imprecamur, quàm in pace requiem. Deus ipse, qui saepe in Testamento veteri appellatum sese voluit *Deum exercituum*; Paulli sui oraculo vocari postmodùm maluit, *Deus pacis*, *& dilectionis*. Et cum Christo suo per Isaiam accumulanda praeconia jussisset, *Admirabilis*, *Consiliarius*, *Deus fortis*, *Pater futuri saeculi*, ad extremum adjici jussit *Princeps pacis*, velut omnium summum, quo per caetera gradatim conscenderetur. Eumdem in modum quando sacrarum Literarum, Ecclesiae, Patrum encomia in Michaelem congesseris: postremum illud fuerit simul & maximum, *Angelus pacis*. Quâ verò, inquis, ratione pacis Angelus aptè nuncupetur Imperator copiarum caelestium, habens sub se non *duodecim* tantùm, sed innumeras *legiones Angelorum*, galeatus, clypeatus, loricatus; cujus bella frequentissimè memorantur in ipsis divinis annalibus Dan. 10. & 12. Judae vers. 9. Apoc. 12. & alibi; *qui fortis in praelio fecit victoriam*; cui, ut pugnaci Machabaeo, tessera sua militaris, *Quis ut Deus*, nomen proprium fecit? Quid bello cum pace, togae cum thorace, palmae cum oliva? Tres istius tituli caussas esse existimo: primam, quia altissimam in se possidet pacem: alteram, quia pacem in subditorum sibi Angelorum gubernatione conservat: tertiam, quia praeliis suis curat, & firmat Ecclesiae pacem.

III.
Angeli omnes pacati, maximè Michaël.

Angeli omnes tranquillissimâ intra se pace potiuntur, quia *semper vident faciem Patris*: cuncta in Deo vident, ad Deum universa referunt, ipsius judicio acquiescunt, ipsius voluntati serviunt, in ipso toti sunt. Ad nos delabuntur, in caelos revolant, Christo orationes nostras offerunt, lapsus nostros intuentur; quos paedagogis & parentibus teneriùs diligunt, in flammis purgantibus vident, nonnullos etiam cernunt in aeternis incendiis: quieti interim, & tranquilli, quia ubique & *semper vident faciem Patris*. Michael, Deo proximus, ut ex communi opinione statuo: conjicique ex illo Danielis potest; *unus de principibus primis*, id est primus, quomodò, *una sabbatorum*, vel sabbati, id est prima post sabbatum die. Is ergo, cùm pacis fonti vicinissimus sit, caeterisque Angelis clariùs Patris faciem intueatur, proculdubio fruitur altissimâ omnium pace; quam officia nulla, curae nullae, incurrentia nulla inquietant: etsi praesit copiis, Ecclesiae invigilet, calamitatibus Fidelium misereatur, haereses & errores oderit, peccata execretur.

IV.
Thronis ipsis tranquillior est, & pacatior.

D. Bernardum non nescio lib. 5. de Consid. ad Eugenium ubi Angelorum officia partitur; infimis curam privatarum rerum assignare; majorum aliis atque aliis, Cherubinis vim intelligendi, Seraphinis ardorem amandi, Thronis singulariter quietem ac pacem. *Ex eo*, inquit, *quod sedent*, *dicuntur Throni*: *& ex eo sedent*, *quòd in illis sedet Deus*; *neque enim sedere in eis*, *qui non sedent*, *potest*. *Quaeris*, *quid illam sentiam sessionem? Summam tranquillitatem*, *placidissimam serenitatem*, *pacem*, *quae exsuperat omnem intellectum*. *Talis est qui sedet in Thronis*, *Dominus sabaoth*, *judicans cum omni tranquillitate*, *placidissimus*, *serenissimus*, *pacatissimus*, *& tales constituit Thronos simillimos sibi*. Non ignoro, quemadmodùm in humanorum ingeniorum, ac virtutum varietate, diversa Dei attributa, velut in imaginis parte, cernuntur: sic alia itidem in aliis Angelorum ordinibus considerari; in Seraphinis bonitatem, Cherubinis scientiam, Thronis tranquillitatem, Virtutibus justitiam, Dominationibus dominium, Potestatibus omnipotentiam, Principatibus providentiam generalem, Archangelis & Angelis providentiam particularem. Nihil tamen obstat, quominus Angelorum summus, Archangeli titulo non ab ordinis gradu, sed principatu insignitus, omnium universim ordinum eminentiam complectatur, ac superet; Angelis providentiâ, potentiâ Potestatibus, dominio Dominationibus, justitiâ Virtutibus, Thronis tranquillitate antecellat. Quippe cùm Deo pacis adstet proximus, & serenissimae lucis purissimum speculum exhibeat.

V.
Pacem in Angelica republica curavit, depulsis discordibus.

Qui in seipsis pacati sunt, cum aliis pacē curare consueverunt. Siracides Eccl. cap. 44. inter encomia majorum, istud inprimis commendabile non omisit, *Pacificantes in domibus suis*: tranquillae mentes tranquillo cursu recte familias, & ad quietam stationem ducere. Summus Angelorum & pacatissimus, admirandae illius reipublicae praeses, intelligentiarum omnium pater-familias; quidquid consensioni & concordiae illas inter adversari possit, promptissimè arcet, longissimè eliminat. Quid autem, inquis, dissensionis, aut discordiae, subnasci inter Angelos possit, ex quo Lucifer & Luciferiani proscripti sunt; missâ simul in exilium superbiâ, invidiâ, contumaciâ, caeterisque publicae tranquillitatis pestibus? Hoc primùm respondero: istam pestium propulsationem, & perduellium ac seditiosorum submotionem, Michaëli tribuendam, atque adeo pacem ipsi adscribendam; uti pax civitatis, domitori seditiosorum Principi, fertur accepta. *Factum est enim praelium magnum in caelo: Michael pugnabat*, *& Angeli ejus*, *& draco pugnabat*, *& angeli ejus*: horum denique locus non est ampliùs inventus in caelo. Quae verba, licèt de Antichristianis temporibus scripta sint; ab Ecclesia tamen Angelicae conditionis aevo ineunti, coeptaeque simul discordiae aptantur.

VI.
Quo pacto diversa possint esse studia, & judicia beatorum Angelorum?

Dicero deinde: etiamnum inter beatos Angelos discordiae aliquid exoriri posse: cui sedandae Angelus pacis Michaël incumbat. Est quidem aeterna beatitudo Visio pacis, & Jerusalem, cujus fines Deus pacem posuit. In ea felices intelligentiae ita inter se conveniunt, ut bona invicem sua perpetuò communicent: Angeli perficientes & perfecti, illuminantes & illuminati, quomodò ex Dionysii Areopagitae vel doctrina, vel nomine, dici consuevit. *Omnes unum volunt*, *unum nolunt*, *unitas est mentium*: quia *semper vident faciem Patris*, in ejus solius unicam voluntatem intenti; quam ubi novêre, illico amplectuntur. Contingere nihilominus potest, ut, quando divina ipsis de rebus quibusdam voluntas nondum innotuit, alii aliud & sentiant, & cupiant,

cupiant, pro officiorum sibi divinitus commissorum qualitate; atque adeò amicè inter se discordent. Nam, quomodò inter homines,

Non sentire bonos eadem de rebus iisdem,
Incolumi licuit semper amicitiâ:

& quomodò in academicis disceptationibus aliæ sunt aliorum, quamvis amicorum, ut Thomæ & Bonaventuræ, sententiæ: neque in rebus agendis conjunctissimæ hominum voluntates semper conveniunt. Ita usu interdum venire Angelis queat, ut diversa inter se judicia, & studia, habeant: donec de Numinis arbitrio, in quod singuli conspirant, alicunde constiterit.

VII. Aliquando fuère diversa.

Deus autem, ordini servando, inferiores Angelos, superiorum ministerio, de arcanis suis ac decretis edocere consuêvit. Summus autem omnium Michaël est: atque adeò per illum Angeli decreta Numinis, in rerum intercurrentium dubiis, discunt, & in unam redeunt sententiam, ac voluntatem. Hoc pacto commodissimè Angelicæ reipublicæ pacator, & concordiæ cælestis procurator, Michael dici potuerit. Exemplum illius, ex communi ac veriore interpretum sententiâ, cap. 10. Danielis proponitur: ubi vers. 13. Gabriel Angelus ait: *Princeps regni Persarum restitit mihi, viginti & uno diebus: & ecce Michaël, unus de principibus primis, venit in adjutorium meum, & ego remansi ibi juxta Regem Persarum*, seu, ut hanc particulam Sept. expressêre, *Ipsum Michaelem, reliqui ibi, juxta Regem Persarum.* Deinde vers. 20. *Nunc revertar, ut prælier adversùs principem Persarum. Cùm ego egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens. Verumtamen annuntiabo tibi, quod expressum est in Scriptura veritatis*, libro Providentiæ divinæ, & æternis agendorum decretis.

VIII. Pacata, Michaele Archangelo interventore, & internuntio.

Aiunt interpretes, principem regni Persarum, Græcorum itidem principem, Angelos fuisse nationum illarum præsides. Satis enim constare, suum gentibus, ac populis singulis, tutelarem à Deo genium attributum, ut Augustinus quæst. 48. in lib. Jud. ex Scripturæ oraculis censuit: *Sub Angelis constituta sunt Gentes, juxta canticum Moysi famuli Dei.* Eos Persidis & Græciæ principes inter se, gentium sibi commissarum bono, convenisse, ut Judæos in exilio quàm diutissimè conarentur retinere: quorumdam enim ex illis exemplo, ac sermone, Persas multos ad religionem divinam adduci; futurumque ut deinceps Græci, per pacis bellique cum Persis commercia, eamdem utilitatem à Judæis possent percipere. Gabriel contrà, in Judaicæ gentis commoda intentus, definito tempore captivos liberari cupiebat, omnesque, si posset, ad patrium solum reverti: illic enim quietiùs ac securiùs cultui divino vacaturos, citra corrumpendorum morum, ex peregrina & vitiosa conversatione periculum; quia, qui commiscentur inter Gentes, de facili discunt opera eorum, & serviunt sculptilibus eorum, & fit ipsis in scandalum. In ea rationum ac desideriorum Angelicorum amabili, ac placida, compugnantia, affuit Michaël synagogæ præses, discordiæ arbiter, divini consilii nuntius, Angelus pacis, & controversiam decidit: redituros in patriam Judæos; mansuros tamen quosdam in exteris provinciis sparsos: eâ conditione tum Judaicæ nationi, tum aliis consultum iri, donec veniret Sanctus sanctorum.

IX. Angeli omnes pacem hominum procurant.

Faciliùs intellexerimus Michaelem Angelum pacis; quia patrocinio suo Synagogæ olim rem publicam sacram, ac civilem, protegebat: hodie Ecclesiæ universæ præses, privatorum etiam commodis intentus, & ad mala prohibenda pervigil. Faciunt id quidem Angeli omnes, de quibus istud Isaiæ cap. 63. Hieronymus interpretatur, *Angeli pacis amarè flebunt*, id est, inquit, Hierosolymitano excidio, si luctus in beatitudinem cadere potest, dolebunt & illacrymabuntur Angeli custodes, pacis auctores & tutores, quando de Templi adytis cogentur excedere. Quamquam alii de legatis pro pace ad Assyrios missis, & irrita spe revertentibus, interpretantur. Sed de Angelorum pro pace studio, tum ex eo constat, quòd semper videant faciem tranquillissimi Patris: tum ab Ecclesia in quotidianis precationibus edocemur. Sic enim orando diem complemus: *Visita quæsumus Domine habitationem istam. . . Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant.* In hymnis de Angelo custode concinimus,

Tuusq; nobis Angelus,
Demissus ad custodiam. . .
Pacem procuret civium.
Huc custos igitur pervigil advola,
Avertens patriâ de tibi creditâ,
Tam morbos animi, quam requiescere
Quidquid non sinit incolas.

Eamque ob caussam nonnulli existimant; Angelos in sacris Literis nominari, *Maceriam Ierusalem*; eosque appellant *præsidia & arces civitatum*, tali milite fælicium. Basilius hom. 9. in ps. ait, *oculos* in Scripturis appellari, tamquam Zach. 4. & 5. Apoc. 1. quia curam nostri sibi commissam habent; &, quemadmodùm oculi corpori, ita ipsi nobis custodiendis invigilant. *Hi enim sunt custodes*, inquit auctor Soliloquiorum, Augustini nomine, cap. 27. *super muros civitatis tuæ novæ Ierusalem, & montes in circuitu ejus, vigilantes & custodientes vigilias noctis, ne quando rapiat ut leo animas nostras.*

X. Quæ in Scripturis fecisse Michaël memoretur ad Fidelium pacem.

Quod cùm Angelis omnibus commune sit, administratoriis spiritibus: eximium tamen, ac præcipuum habet *Michaël princeps vester, qui stat pro filiis populi tui*, ut Danieli cap. 12. Gabriel dicebat: sive, ut Græca habent, *Michael princeps magnum, ἄρχων μέγας, stans super, ὁ ἑστηκὼς ἐπὶ, filios populi tui*, id est Synagogæ primùm, tum Ecclesiæ præses. Itaque quidquid magni, ad electi olim populi pacem ac salutem, factum est, Michaëli tribuitur: percussi Ægyptiorum primogeniti: demersus Pharao: Balaam gladio districto prohibitus: Josue viso viri armati animatus: cæsa Assyriorum centum octoginta quinque millia, à Machabæo commilitonibus animandis recensita: auxilium, in cruento adversùs Galatas prælio, Judæis Macedonum socia de cælo præbitum: Machabæus præcedente equite, hastam vibrante, in veste candida, recreatus: Heliodorus in spoliandi Templi conatu compressus: Petrus de carcere eductus: Herodes percussus. Isthæc, aliaque in Scripturis memorata, si Pantaleoni credimus; à Michaele patrata sunt: imò si Angelico fidem habemus, de Angelis loquenti, Aloysio nostro. Nam in ea, quam de Angelis insignem scripsit, meditatione; postquam istorum partem retulit, Michaëlique adscripsit: in Scripturis quidem, inquit, de Michaele mentio expressa non est. Sed ubicumque generatim nominatur Angelus Dei; Michaël, quia omnium summus, intelligi debet, eâ figurâ, quam antonomasiam vocamus. Vide dicta in Commentariis cap. 3. sub finem.

XI. Principum

Pari jure illustria Angelorum facinora in historiis Ecclesiasticis, pro publica privatáve Christianorum

& Sacto-rum viro-rum, in il-lum pietas.

stianorum utilitate, Michaël tribuantur: cui propterea singularem cultum, & fiduciam, Christiani Principes detulêre, in his Justinianus, templis sex, ipsius titulo, erectis: & apud nos celeberrimus Præsul Notgerus ædem sacrâ illius titulo dedicatâ. Nec minori ipsum affectu sanctissimi viri prosecuti sunt: inprimis Francisci tres, Assisinas, Paullanus, Xaverius. Ille jejunium ipsius honori obire solitus, & ab ipso, ut opinantur, Seraphini cruci affixi formâ, sacris stigmatibus notatus. Iste, suo Minimorum ordine tutelæ ipsius singulariter dedicato, & ab ipso donatus tesserâ caritatis, literis aureis in scuto inscriptâ. Hic in Mauricis insulis, festo ipsius die, tanta conatus Dei nomini propagando, quanta narrantur vitæ lib. 3. cap. 3. Civitates etiam universæ, provinciæque, ac gentes, D. Michaeli singularem affectum, & obsequium, impendêre: templis passim ac cœnobiis ejus nomini erectis, montibusque in Gallia, Polonia, Anglia, Hibernia, alibique sacratis; posteaquam Garganus in Apulia ipsi assertus est.

XII. Auxilium ab illo Christianis dlatum.

Historiarum tantùm aliquas perstringam: quas qui fusiùs narratas voluerit, apud sacerdam nostram, aut Michaëlem Navæum, qui luculentiore materiâ quàm formâ eas descripsit, inveniet. D. Michaeli nominatim ista tribuuntur quod Constantino Magno in somnis visus dixerit, teste Nicephoro, *Sum Michaël Archangelus, tuus in prælio adjutor*: quòd Beneventanis contra Neapolitanos adfuerit: quod Cuniberto Longobardo apparuerit, & adversùs Alahim victorem animos & vires addiderit: quòd bis D. Henrico in expeditionibus adstiterit spectabilis: quòd Aurelianensem virginem, Gallicis annalibus celebratam, ad bellum impulerit. Generatim autem, ex regula, quam Gregorius Magnus serm. de S. Michaele figit, à nobis adductus in expositione capitis 3. sub finem, & adducendus c. 11. ad vers. 7. &c. quæst. 2. *Quoties magnæ virtutis aliquid agitur, Michaël mitti perhibetur.* Ex ea regula Angelus, qui Bambæ præliaturo adfuit; qui cum Divis Laurentio, Adriano, Georgio, copiis Henrici contra Slavos antecessit; qui Lescum Polonum adversùs barbaros animavit, ac roboravit; qui Divæ Magdalenæ, sanctis Mercurio, Procopio, Alexandro, Paphnutio, Martyribus opitulator advênit, Michael fuit. O si modò, isthæc bellis adhuc ardentibus dicebamus,

> *Angelus pacis Michael in ædes*
> *Cælitus nostras veniat, serenæ*
> *Auctor ut pacis lacrymosa in Orcum*
> *Bella releget!*

XIII. Christianus sit Angelus pacis.

Angelum pacis ad te, ad tuos, ad tua, Christiane, advoca: esto ipse Angelus pacis. *Quid agit pax in hujus regionis incertis*, inquit Augustinus? Ipsummet consule explanatione in ps. 147. &, quod ex illo adduximus, lib. 1. ad c. 13. Exc. sect. 6. num. 18. Inde disces, pacati hominis officia, judicare neminem, nocere nemini, benefacere quibus potest, benè omnibus velle. Quod ut præstet, antè benè sibi velit, benè sibi faciat. Pacificantes olim in domibus suis, priùs erant pacificantes in cordibus suis. Neque enim pacem umquam firmam, cum aliis colet, qui secum ipse non habet. Hanc qui possidere vult, bellum apparet & gerat, Michaëlis exemplo: Luciferianam superbiam prosternat, laniet invidiam, contundat contumaciam: galeâ salutis indutus, scuto fidei tectus, gladio verbi divini armatus, tesserâ Angelicâ instructus. Ante oculos mentis istud habe, Christiane, *Quis ut Deus*: vide faciem Patris, in illa reperies visionem pacis. Tunc videbis, & afflues, & dilatabitur cor tuum; eò tranquilliùs, quò lautiùs, quò à terrenis remotiùs. Maria tantò miniùs procellosa esse aiunt, quantò à litore magis recedunt: quia vapores illic, & exhalationes, ventorum materia, impetu non feruntur. Inde Oceani laxissimæ parti nautæ nomen fecerunt, Pacifici maris. Quò Christianus magis sese à terra submovet, & admovet ad faciem Patris: hòc placidiori statu est, quia mentem tempestatum materiæ non inquietant. Ulu illi venit, quod Gregorius ait lib. 18. Mor. c. 25. *Occupationum tumultus, exteriùs perstrepentes, dispensat interiùs judex ratio; & tranquillo moderamine ea, quæ circa se sunt minùs tranquilla, dispo-nit*, videns in cælis, etsi adhuc vivens in terris.

SECTIO QUARTA.

Spirituum Angelicorum encomia à Christo Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.*

I. Cur ea pars Angelis ab Ecclesia aptetur.

Etsi aliæ sint Evangeliorum partes Angelis valdè accommodæ, quas Ecclesia festis illorum diebus prælegendas curare poterat: hanc tamen partem potissimùm delegit, varias opinor ob caussas. Primùm, quia humilitas, & caritas, commendatur contendentibus de priore loco discipulis; defectus autem humilis caritatis, & togæ nuptialis, Angelorum turbam ad infima præcipitem egit: *Diabolus & angeli ejus*, inquit Aug. ep. 120. *a luce atque fervore caritatis aversi, & nimis in superbiam invidiamq; progressi, velut glaciali duritia torpuerunt, & ideò per figuram tamquam in Aquilone ponuntur.* Deinde, quia de scandalis mentio fit: scandalo autem, superiorum Angelorum rebellio, inferioribus fuit, & draco caudâ suâ traxit tertiam partem stellarum. Præterea eò quod pes ac manus, si scandalo sint, rescindi jubentur, oculusque ipse dicitur eruendus: quod Michael fecit, quando conjunctiores sibi Angelos, quàm corpori membra, rescidit, ne contagio ad plures gliscerer. Denique, quia, in Evangelicæ clausulæ divina sententia, illustrissimum beatorum Angelorum encomium proponitur, quòd semper videant faciem Patris.

II. Naturæ Angelicæ excellentia.

Postquam ad Angelicæ naturæ laudes concesssero, quidquid de illius prærogativis scholæ disputant: Perfectissimam esse imaginem Numinis, consummatissimum opus Universi nascentis, substantiam puram, incorpoream, expertem materiæ, simplicem: immortalem propterea, & passibilitati corporearum qualitatum nullatenus obnoxiam: dotatam intelligentiâ vividâ, imaginum falsarum & sensibilium nesciâ, res materiales & immateriales intuente, ratiocinationis & discursûs non indigâ, actu simplici caussas & effecta cognoscente: exinde tanto scientiarum lumine illustratam, ut infimus Angelorum scientissimis sapientissimisque hominum omnium, Christo tantum Deiparaque exceptâ, longè emineat: tantâ prætereà memoriæ vi pollentem, ut quidquid vult reminiscatur, oblivione nullâ, obfuscationibus nullis occupatâ: accedere potentiam, ac fortitudinem tantam, quanta castris Assyriorum nocte unicâ delendis suffecit: talem vim motivam & velocitatem, quali opus fuit, ut

momento

momento fermè ex Judæa Habacuc Babylone apud Danielem, cum prandio messorio, sisteretur: pulcritudinem tantam, ut, si adspectabilis foret, ejus lucem humanorum oculorum acies ferre non posset, quomodò ait Anselmus lib. de casu diaboli; ideoque, aliqui existiment, spiritalem luxuriam primùm fuisse peccatum Angelorum.

III. Angeli ca naturalibus prærogativis non laudandi.

Posteaquam isthæc magno ambitu extulerimus: Tu verò, inquiet aliquis, ecquid nobis de beato Angelo, de Archangelo Michaele, isthic stetulisti, quod de Lucifero, imò de infimi ordinis dæmone, dici eodem jure non possit? Spirituales immortales, illi sunt? Et hi. Sapientes, memores illi sunt? Et hi. Potentes, veloces illi sunt? Et hi. Vel energumenos duntaxat, & magos, intuere. Quid si Christianum hominem laudaturus dicas, nobilem fuisse? Nero nobilior fuit, æternùm tamen periit. Divitem fuisse? Crassus opulentior fuit, ardet tamen apud inferos. Ingenio pollere, consilio vigere? Magis claruit Architophel, pœnas tamen pendit sempiternas. Vultu esse formosissimo, actione gratissimâ? Absalon sine maculis fuit, gratiosus in plebi ac favorabilem sese exhibuit; de quereu tamen ad immortalia incendia præcipitatus est. At serió Christianum, & sapienter, laudes; dic, cæteris hominum quibuscum versatur, Angelum esse, obsequiosum, beneficum, benevolum; cumque sese præstare, quia videt faciem Patris, in hominibus intuetur Dei, parentis communis, lineamenta; opera sua in divini luminis die, & veritatis æternæ radiis disponit; ubique nutum Numinis, & voluntatem adspicit. Compendio eloquentissimè Christianum laudâsti. Nihil enim de Angelis ipsis Christus dixit sublimius, ut officium illorum, ac beatitudinem, commendaret: *semper vident faciem Patris*, en beatitudinem; *Angeli eorum*, en officium.

IV. Beatitudo Angelorum perpetua, & immutabilis.

Altissimam hanc Christi Theologiam exponamus, expensis vocibus singulis, quarum nulla non arcanis cælestibus plena est. Exhibent enim Angelicæ beatitudinis durationem, formam, objectum, locum. Particula, *semper*, manifesta est, & beatitudinis nobis æternitatem indicat, atque immutabilitatem; citra quam absoluta ac perfecta non foret. Unde Augustinus lib. 11 de Gen. ad literam, postquam multis de Angelorum creatione disputavit, diabolumque videtur ab initio conditionis suæ beatum fecisse, hoc meritò sibi ipse objicit: *si beatus, quomodò non præscius permansurum in beatitudine; sine qua non est beatitudo?* Eamdem ob caussam, ut aliæ non essent, temporalis fœlicitas hominis mentem exsatiare ad plenum non potest: quia, ut ait Seneca lib. de Vitæ brevitate: *Voluptates eorum trepidæ, & variis terroribus inquietæ sunt, subitq; cùm maximè exsultantes, anxia cogitatio, Hæc quamdiu? Ab hoc affectu Reges suam flevêre potentiam*, brevem utique, & vicissitudini assiduæ obnoxiam. Neque Angelorum fœlicitas eò solùm immutabilis est, quia perpetua, & æterna: sed quia minui non potest, eùm contrario nullo, unde detrimentum accipiat, impugnetur. Crescere item nequit, manetque eodem semper statu, quem primo momento accepit à justo remuneratore obedientiæ exercitatis. Cujus rei ratio alta est, ex natura luminis gloriosi, quod augeri nequit, quia terminum omnem suum primâ statim productione possidet: alia ex moribus Angelorum, qui, propterea quòd viatores esse desiêre, præmium ampliùs nullum promerentur, &, quantumvis caritatem hominibus impendant, pura ex caritas est, ex solo nata faciei Paternæ intuitu; utilitatis nullo mercedisve respectu.

V. Ex clara, & præsenti ac stabili visione.

Semper illam *vident*, inquit Christus. Non ait eos cognoscere, scire, credere, sed videre: quia non obscurè & certò nôrunt: quomodò per fidem; non clarè & certò, sed non in seipso uti per scientiam: sed certò; clarè, & in se, hoc est intuitivè. Antequam beati essent Deum cognovêre, cognitione primùm naturali ex contemplatione effectorum, & suæ ipsorum conditionis: unde gratitudinis & amoris affectus in Deum erupêre, de quibus istud forsan apud Jobum intelligitur, *Ubi eras, quando laudabant me astra matutina?* Comitata aut secuta mox ex fide, cujus habitum simul ac spei caritatisque acceperant, cognitio; eaque cognitione conduplicati actus gratitudinis, ac caritatis. Hactenus Deum sciverant duntaxat, & crediderant: jam videns expertè, apertè, intimè. Nec de nihilo dicitur *vident*, non dicitur *viderunt*, aut *visuri sunt*: ut præsentia temporis verbo indicetur præsens, ac perpetua, visionis stabilitas, qualem antè significavit particula *semper*.

VI. Faciei paternæ, id est Verbi incarnati.

Sic *vident faciem Patris*. Quidni à Christo, eâ locutione, semetipsum significari dicamus? Nam quà Deus est, & Verbum, ipsissima est facies Patris, & imago naturalis ac genuina, quam ps. 79. ostendi sibi exoptabat Regius Psaltes, versiculo per Licentium Augustini discipulum suaviter recantari solito, *Domine Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Si expositio ista placuerit, hæc Christi verbis sententia tribuenda est: Angeli *vident faciem Patris*, id est Verbum incarnatum intuentur, eoque intuitu sese ad omne erga homines obsequiorum genus excitant: dignos enim sua curâ, ac ministerio, illos esse, quos Verbum divinum vitæ ac mortis consortione dignetur. Hanc certè ob caussam Angelus Apocal. cap. 19. pati noluit, ut Joannes Evangelista ipsi sese reverentiâ exteriore submitteret: quis in illo intuebatur amantem Christum, *faciem Patris*; conservumque sese ultrò eamobrem, profitebatur omnium *habentium testimonium IESU Christi*.

VII. Aut potius essentiæ divinæ.

Meliùs tamen, ex Christi mente, dixerimus, facie Patris essentiam divinam significari, quam Angeli manifestè semper contuentur. Vocari autem faciem Patris, non pectus, cor, oculos: quia, sicuti inter homines Eccl. 19. *Ex visu cognoscitur vir, & ex occursu faciei agnoscitur sensatus*, elucentque in vultu motuum omnium interiorum indicia: ita in Essentiæ divinæ facie attributa omnia divina spectantur, & infiniti trium Personarum respectus; ac nexus. Ut quid ergo dicit Christus, videri faciem Patris nominatim, si æquè aliæ Personæ cernuntur? Volueritne occasionem hinc habei disceptationum Theologicarum: Possitne Persona una videri sine alia, aut Personæ tres non visâ distinctè essentiâ? Noluit Christus tantum concioni Christianorum auditorum facessere negotii, ut ad trieas istas scholasticas, merasque ingeniorum exercitationes, illorum ab ecclesiastis abduceretur attentio.

VIII. Faciem Patris intuentur, quia imperia divina attendunt: & ab

Patris dixit, humanâ locutione, quia patrum est inter homines imperare. Idcirco etiam imperium æterno Patri adscribitur, mandatum dat Pater, calicem dat Pater: quia, etsi nec dignitate, nec tempore, in eadem usque essentia, prior est, ordine tamen atque origine antecedit. Cùm ergo

illa discunt res etiam liberas.

ergo imperandi potestas adscripta sit Patri; & obediendi gloria Angelis, facientibus verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus, concessa sit: meritò dicuntur videre *faciem Patris*, & ex illius adspectu imperia discere. Quo autem, inquis, modo divinam de rebus liberis & contingentibus, voluntatem in paterna facie Angeli inspiciant? Eodem prorsus modo, quo nostram. Non in divina essentia cernunt, cui necessaria nulla cum rebus liberis, ac contingentibus connexio est: sed vel ex revelatione, scientiáve infusa, aut lumine alio, de faciei divinæ radiis liberis promicante, pervident. Sic Genesis cap. 18. nascitura Abrahamo proles, risus Saræ cogitationesque occultæ, urbium damnatarum excidium, Angelis patuêre: sic nostræ ipsis preces, mente intimâ efformatæ, intellectiones, desideria, motus animi, quos ipsis cognitos vult Deus, aut nos cupimus, aperiuntur.

IX. *Quo pacto Angeli inter se colloqui etiam absentes possint, nos cum Angelis?*

Quamquam aliter etiam forsan vota nostra, & mentium reconditissimi affectus, ipsis possunt patescere: quemadmodùm inter sese ipsi, quamvis distantes, colloqui & secretas cogitationes conferre. Non recito locutionis Angelicæ formas, alias atque alias, à Theologis excogitatas, miserentibus proculdubio illis cæcitatis nostræ, & opinionum quarumdam inanias ridentibus. Eam dumtaxat profero sententiam, quæ plausibilior, rationi convenientior, humanò captui accommodatior est. Aiunt, si quando Angelus alteri consilium suum eloqui, arcanúmve aliud enunciare vult, sic à naturæ auctore constitutum esse, ut de loquentis intellectu imago istius consilii, aut arcani, effluat, & immittatur in alterius quantumvis longè absentis, & velut eminus contentâ voce inclamati, intellectum. Quidni eâdem ratione disputemus, à Deo institutum; ut, quando mentes nostræ cum Angelis colloqui volunt, de mentibus nostris in ipsorum intellectus species votorum nostrorum, ac precationum, emanent? Apud Baronium Henricus Germaniæ Saxonúmve Rex, Othonis I. Imperatoris parens, Hunnorum victor, vexillum præferre solitus Angeli nomine & imagine, intimâ mente in præliis opem genii tutelaris implorat. Pater Paullus Josephus Arriaga, apud Allegambe in Biblioth. postulat in præcipiti periculo, in fluminis transeundi discrimine, in vestium jactura, custodis genii præsidium: protinus experitur. Quidni istorum vota ab Angelis naturaliter intellecta opinemur?

X. *Ubique beatitudo sua comitatur Angelos, dæmones supplicium.*

Etiámne, si *in cælis* sint? Etiam eo in loco, singulariter videndæ faciei Patris destinato; ubi velut regia, aut curia, beatorum spirituum est. Quo tamen in loco non semper sunt Angeli, ut semper beati sint. Nam, quomodò dæmon vagus sese quolibet, & inferos secum circumfert: ita beatitudo sua ubilibet Angelum comitatur. Veluti hominibus fit inquietis, & incompositorum affectuum seditione agitatis: quocumque pergant, inquietudinem simul & semetipsos inveniunt. *Sequentur te*, inquit Seneca epist. 28. *quocumque perrexeris, vitia. Hoc idem cuidam querenti Socrates ait: Quid miraris, nihil tibi peregrinationes prodesse, cùm te circumferas?* Monitum iterat ep. 104. *Quid prodest mare trajicere, & urbes mutare? Si vis ista, quibus urgeris, effugere; non alibi sis oportet, sed alius.* Contrà quietus animus ubique pacem sibi, & quietem facit. In carcere Ticinensi & Londinensi, Boethius, & Thomas Morus, adcò nihil de tranquillitatis suæ sereno amittent, ut aliis etiam scribant solatia. Dæmonem fac in templo esse, in aëre, in cælo Lunæ: ubique tamen dæmon est, peccatúm circumgestat, & peccati pœnam; non videt *faciem Patris, qui in cælis est.* Angelum ad terras ablega, ad purgantes flamas, ad inferos: ubique beatus est, quia ubique *videt faciem Patris, qui in cælis est* manifestus, neque usquam beatorum oculis absconditus.

XI. *Angelorum caritas ex beatitudinis loco æstimanda.*

Istud beatitudinis Angelicæ miraculum Christus indicatum voluit, hac particula *qui in cælis est*: simul extollere voluit Angelicæ caritatis ac demissionis exemplum. Neque enim id solum æstimari debet, quòd ad infælicium hominum obsequia beati sese abjiciunt: sed etiam quòd, in ipso beatitudinis suæ loco, ad miseriarum contrectationem, ac sublevationem, descendunt. Quomodò si D. Ludovicus Galliæ Rex, aut D. Oda nostra Lamberti discipula, Huberti amita, non ad hospitales modò domos, aut mendicabulorum tuguria, quod illis frequens erat, caritatis gratiâ ingrederentur: sed in ipso Senatorum consessu, curiæ splendore, familiæ apparatu, ad leprosorum sese pedes prosternerent. Istiusmodi aliquid in Angelis Paullus mirabatur Hebr. 1. quandò, comparatâ Christi cum illis excellentia, exclamavit: *Nonne isti sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter illos, qui hereditatem capiunt salutis?*

XII. *Et à muniis, ad quæ sese abjiciunt.*

Pluribus verbis exposuit paraphrastes Apostolus, quod duabus voculis dixerat Christus, *Angeli eorum*. Non ait *Angeli Dei*, servi, veredarii, feciales, legati, interpretes Numinis; quæ munia & vocabula honorifica erant: sed *Angeli eorum*, hominum utique mortalium, & diminutorum paullò minùs ab Angelis. Cui autem ad hominum commoda officio vacaturi? Cælos forsan, astráve recturi, & caussæ cujusdam universalis vicem impleturi: quod philosophi etiam Ethnici intelligentiis adscripsêre. Aut elemento cuipiam toti custodiam, & curam adhibituri: quemadmodùm in Apocalypsi legitur *Angelus aquarum*. Vel regni reipublicæve alicujus præsidatum, principatumque gesturi: quod sectione superiore vidimus. Vel Deum-hominem, in augustissimo Sacramento reconditum veneraturi, ad humanæ incivilitatis supplementum: quomodò Chrysostomus, & Catharina Bononiensis, perhibuêre. Aut Hetoi forsan, Principive, custodiam adhibituri, vel morem gesturi, ut Oniæ ac Machabæo factum.

XIII. *Et ab hominum quorumcumque, quibus adsunt, conditione.*

Ut istud intelligas, quod voculâ *eorum* Christus significavit, circumspice sodes, quinam ipsum homines circumstent: inde contentiosi, & ambitiosi discipuli; hinc pueruli, de promiscua turba, oppidanorum & rusticanorum liberi. *Angeli eorum* sunt, & istius adolescentuli de archisynagogo nati; & hujus, de scriba progeniti; & illius, cui scrutarius pater est; & alterius, crescentis ad mendicabuli sortem. Tantidem ipsis est, infimò adesse, quàm summo: quia in utroque genere nihil vident, nisi *faciem Patris*, Numinis voluntatem, & imaginem Dei. Nec modò adolescentulos curant, virósve morigeros: qualis fuisse videtur ille, de quo Baronius anno 1117. ab ignota voce, dein ab ignoto viro evocatus, de Mediolanensium patriciorum consilio, mox ruinâ turris, sub qua consultabant, oppressorum. Qualis fuit Cottonus noster, quem Taurini, ubi puer literis operam dabat, parantem cum socio itidem adolescentulo lavandi causâ in ignotum gurgitem,

gurgitem, haustus ante aliis infamem, descendere, purpurati duo pueri, ne ibi lavarent monuêre, & evanuêre. Qualis Volfangus ille Landshutanus, quem Bidermannus narrat, in Italica peregrinatione prædonibus à viro derepentè adstante ereptum, in via deductum, in diversorio recreatum. Sed etiam peccatoribus adsunt; quibus tamen apud cælites vilius nihil est. Enimverò Ismaëlem Angelico præsidio destitutum non fuisse, ex Genesis cap. 21. compertum est: non optimum, conjicitur ex lusu cum Isaaco, & feritate ingenitâ.

XIV. Christiano imitandum Angelorum exemplum.

Quæ autem nobis ex tota ista Angelorum commendatione utilitas? Satisne fuerit, didicisse de beatitudine Angelorum, miratosque humillimam illorum caritatem? Christus ipse digitum velut intendit, &, quid ab istis exemplis emolumenti ad nos derivare oporteat, demonstravit. *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis. Angeli enim eorum vident faciem Patris.* Aspernamini neminem: neminem quamvis sortis infimæ dedignamini: vilissimos, pauperrimos, despicabilissimos hominum amplectimini: servite cuilibet, erga omnes benevoli, propensi, benefici. Palatia vobis & tuguria; aulici, & mendicabula; probi & improbi; quod ad vos quidem attinet, quoad conditio sinit, & caritas suadet, in promiscuo sint. Quidni autem faciatis, quod Angeli, tantâ sublimitate naturæ, tantâ excelsitate gloriæ, tantæ felicitatis possessione certâ; usu perpetuo, faciunt?

XV. Ut Angelus in cælis fiat beatitudine, fit in terris officio.

Speras, Christiane, Angelis aliquando te similem fore, & consortem in cælis? Scio Reges cum illis conferri, 2. Reg. 14. *Sicut enim Angelus Domini, sic es, domine mi Rex.* Scio sacerdotes Angelos dici Malach. 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam: Angelus enim Domini exercituum est.* Scio id nomen Ecclesiasticis omnibus tribui 1. Cor. 11. ubi velatæ jubentur esse mulieres, *propter Angelos.* Scio Christianis omnibus eam appellationem convenire, ex quo Paullus dixit, *Conversatio nostra in cælis est:* illis singulariter optandam, qui *erunt sicut Angeli Dei*, ut Christus aiebat; & quorum, ut ad Martyres Tertullianus loquebatur, erit *Angelica substantia polita in cælis, gloria in sæcula sæculorum.* Istam sortem exspectas, forsan & altiorem quàm Angeli; quia longè diutiùs, adeoque & plùs mereri potes, & ulteriori gloriæ lumine Deum intueri. Excita desiderium, erige fiduciam, aggredere viam. Vide in terris *faciem Patris, qui in cælis est*, ut eam videas in cælis. Ut Angelicam gloriam assequare, imitare officium. Mæstum solaris? Officium Angeli est. Peccatorem convertis? Officium Angeli est. Gaudes de converso? Officium Angeli est. Quodlibet exhibes caritatis obsequium? Officium Angeli est. Quò illa propensiùs obeas, intuere in proximo tuo *faciem Patris*; vultum divinitatis: quàm iste Deo similis est, sicut Tobias junior *consobrino* Gabeli? Adspice faciem Patris, id est Dei voluntatem, ad nuptiales epulas admissuri neminem sine veste nuptiali.

XVI. Ægyptiaca de Angelis discordia.

Ægyptiis fratribus aliqua nobiscum de Angelis controversia est. Piè invocantur à nobis, & religiosè honorantur. Hoc pati renuit Oniana synagoga: illud damnare non audet. Vidit enim in Scriptura, interventores esse ad Deum pro mortalibus, sanctorum orationes offerre Domino, gaudere de conversione peccatorum, administros esse hominum, adesse singulis. Benè est, quòd Calvinianis confessionem hanc expresserit manifesta veritas art. 7. Conf. Ut vel hinc sit ipsis præjudicium suâ ipsorum sententiâ irrogatum, pro invocatione Sanctorum, qui sunt sicut Angeli Dei. Quid autem est, cur religiosum cultum Angelis denegent, cùm excellentiæ cuilibet congruus honor debeatur; Angeli autem supernaturali dignitate emineant, propterea quòd *semper videant faciem Patris?* Noluit, inquiunt, à Joanne Angelus honorari. Sed à Joanne noluit: sed ob Christi nomen noluit. Voluit honorari Angelum Deus Exodi 23. cùm observandum monuit à populo, ex Ægypti tenebris educto. Verba Christi controversiam vobis omnem amputant, Ægyptii. *Angeli eorum* sunt; invocentur: *semper vident faciem Patris, qui in cælis est*; honorentur. Isthæc paucula satis sint Ægyptiis. Hierosolymitani monendi: ne facilè ex protritis quibusdam Litaniis, aut imagunculis, alios nominatim Angelos invocent, quàm qui in Sanctorum Litaniis appellantur. Nam Angelorum nomina nulla novit Ecclesia Christi, præterquam tria consueta, ut Patres Concilii Romani, sub Zacharia Pont. congregati, dixêre adversùs Aldebertum; qui orationem ex nomnis Angelorum nominibus compositam scripserat. De tribus item duntaxat Angelorum nominibus sanciunt Caroli Magni Capitularia. Ita Baronius an. 745.

EXCURSUS II. MORALIS

Ad cap. 8. *v.* 28. Debilibus, & orphanis, & viduis diviserunt spolia.

Eleëmosyna, & fraterna caritas commendatur.

SECTIO PRIMA.

Fructus, materia, finis eleëmosynæ ex Christi verbis Luc. 16.

I. Studium eleemosynæ excitat Christus & usum docet.

CHRISTUS, enarratâ parabolâ de villico iniquitatis, hanc inde sententiam infert. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Etsi de sententiæ illius explicatione, & consecutione, variæ sunt opiniones interpretum: ea tamen mihi non verior modò, sed certa jam pridem visa est; quam, præeuntibus Augustino, Hieronymo, aliisque Patrum primoribus, passim Ecclesiastæ amplectuntur, ut eleëmosynæ studium auditoribus commendent. Ego non studium modò excitare, sed usum ad Christi mentem edocere conabor. Eleëmosynæ studebit, quisquis illius fructum ex istis verbis, *Facite vobis amicos* rectè intellexerit. Eleëmosynâ benè utetur *de mammona iniquitatis*, qui mammonam & iniquitatem inspexerit. Studium simul & usum eleemosynæ discet, qui finem attenderit: *ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

II. Eleëmosyna parat amicos.

Fructus eleemosynæ est, quòd illâ fiant amici. non amicus modò unus, sed plures. Quanti verò est vel unicum parâsse? *Attalus* philosophus apud Senecam ep. 9. dicebat: *Iucundius esse amicum facere, quàm habere: quomodò artifici jucundius est pingere, quàm pinxisse.* Ita ille sensit: at non ita Secundus philosophus, cui *amicus est infælicitatis perfugium, miseriarum fomentum, angustiarum solatium, indefinens fælicitas.* Amicum igitur facere jucundum quidem est, sed fecisse jucundius. Facto enim fructus gustatur, faciendo exspectatur: &, quomodò Publius verè dixit, *Amicum perdere, est damnorum maximum*; sic verè dixisse potuit, *Parâsse amicum, est lucrorum maximum.* Si autem vel amicus unicus ad vitæ mortalis societatem, & ad tabernaculorum periturorum consortium, pro maximo lucro deputatur; quantus non ex uno, sed ex multis amicis quæstus existet ad immortalis vitæ consuetudinem, & ad *æterna tabernacula?*

III. Divitum liberalium amici pauperes.

Eos amicos cum Paullino, liberalissimo divite & prudentissimo mammonæ villico, pauperes ipsos interpretari possimus; quibus si benignitas nostra subvenerit, eorum vicissim nobis orationes subvenient. Sic ille epist. 12. ad Severum, ejusdem villicationis sapientem æmulum: *Sper præsens ædificet rem futuram. Faciamus isthic tecta, quæ nos illic tegant. Pascatur isthic pauper, ubi me divite eget: ut me illic pascat, ubi, me egeno, saturabitur. Videte commercium spiritale, &, si potestis, negate nos avaros, qui terram vendimus & tributum, ut immunitatem regni cum æternitate coëmamus.* Alethio item diviti Romano hanc pauperum amicitiam, & gratitudinem, ostendit ep. 33. *Vobis ad justitiam deputabatur conclamatio illa, & comprecatio pauperum, quâ per vestra munera benedicebatur Deo. Facili enim viâ ad aures Dei voces inopum diriguntur.* Eidem Alethio liberalitatem suam gratulatus ep. 34. *Tu*, inquit, *ager illis fertilis, tu fundus es fructuosus, & illi tibi vicissim locuples & pretiosa possessio sunt. Te filii sui præferunt, & pro te priùs, quàm de se quisque solicitus, aut cum sua, aut ante salutem suam, orat tuam. Non sui negligentes; sed amore translato in te, quisque se diligit, & tuam vitam sua vita precatur, quia tuus fructus illius vita est, & paupertates tua illius divitiæ sunt.*

IV. Sancti præterea eorum sunt amici.

Deprecationem pauperum exaudiet Dominus, & respiciet in orationem humilium pro misericordi homine: addetque illi amicos honoratiores & potentiores, Sanctos & Angelos suos, de quibus dicitur, *Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Illos vobis iniqui mammone pretio conciliate, Christiani, qui cùm refeceritis pauperes, & *cum vos defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, quorum ipsi jam fælices incolæ sunt. Errant pauperes vobiscum in tentoriis Arabum, & ex debito gratitudinis civitatem permanentem pro vobis à Deo, uti & pro se, postulat. At Sancti, in illam civitatem adscripti, ex caritatis affectu vobis eamdem habitationem desiderant, & apprecantur: quia vos sibi similes vident. *Isti enim sunt viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt.* Sanctorum in cælis nemo est, qui miseros vel reipsa non sublevârit, si potuit; vel voluntate saltem juverit, fueritve adjuturus, si potestas defuit: ideoque ex sanctæ linguæ usu *Chasidim* appellantur, quod nomen sanctos pariter & misericordes significat, quasi idem sit misericordia & sanctitas. Cùm ergo sancti omnes misericordes fuerint, eamdemque propensionem conservent in patria, *cujus Rex veritas, cujus lex caritas, cujus modus æternitas*: dubio procul illis benè volunt, opitulantur, societatem suam optant & curant, qui legem suam caritatis, & misericordiæ

misericordiæ consuetudinem observant, digni propterea civilitate cælesti ad cujus mores efformantur.

V. *Et beati Angeli.*

Perfectissima similitudo morum firmissima est conjunctio animorum: eamque ob caussam non Sanctis modò, sed beatis etiam Angelis arctissima & sincerissima, cum misericordiæ amantibus hominibus, amicitia intercedit. Quam amicitiam in uno nobis Raphaele Scriptura proposuit erga misericordem Tobiam: eamdemque de ceteris Angelis erga misericordes alios pari ratione voluit intelligi. Amant enim & ipsi misericordes, quia misericordiam diligunt, eamque, ubicumque licuerit, propensissimo affectu exercent, quia sunt administratorii spiritus, in ministerium missi eorum, qui maximè indigent. Itaque quem primum in Scripturis Angelum, eo Angeli nomine, apparuisse legimus, Genesis cap. 21. ille ad Agarem vênit, ejectitium mancipium, & filium teneræ adhuc ætatis, ope omni humanâ destitutos: ut vel hinc disceremus, quàm ferantur erga miserorum solatium, tantò procliviùs quantò fuerint miseriores. Quod cùm jam olim præstiterint, multò tamen magis ex quo Deus miserias induere, & homo esse voluit, & homo egenus ac miser, & pauperum amans, habiturusque pro impenso erga se, quidquid illorum minimis exhiberetur auxilii. Unde non minore affectu existimem famelico pauperi, aut ægro indigenti, adfuturos Angelos; quàm Christo post quadragintadiale jejunium ministrârint. Prorsùs ut de Christi fratribus minimis indigi omninò nulli essent: nisi providentia Numinis limites Angelicæ misericordiæ fixisset.

VI. *Pater cælestis amicus misericordium;*

Quare Hugo Cardinalis istud orationis Dominicæ, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, non incommodè hunc in modum explicavit: *Estote misericordes, sicut cælites sunt misericordes.* Angelicam misericordiam sequimini, & benevolentiam illorum vobis demereri satagite, imitatione virtutis. Imò *estote misericordes, sicut & Pater vester cælestis misericors est*: qui se per Apostolum suum appellari jussit *Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis*: qui nos per eumdem hortandos curavit, ut induamur, *sicut filii Dei, electi & dilecti, viscera misericordiæ.* Liberorum illi parentibus cariores esse consueverunt, qui magis ad eorum lineamenta & temperiem accedunt. Dei temperies misericordia est, & miserationes ejus super omnia opera ejus; quam qui hominum propiùs assequuntur, Deo Patri similiores, atque adeò acceptiores sunt. Contrà, quibus cor durum est ad miserorum solatia, Patri cari non sunt: quia longè à lineamentis discedunt, & velut illegitimi atque alieni filii mentiuntur, inveterascunt, & claudicant à semitis suis.

VII. *Filius itidem;*

Jam si Verbum Dei, Filium Patris, Deum-hominem [illegible]camur: quid aliud Vita omnis ejus est quàm perpetua misericordiæ textura? Qui ad salutem animorum venerat, non omisit corporum sanitatem: qui cibum offerebat permanentem in vitam æternam, non defuit famelicis ad hujus vitæ sustentationem alimenta ministrare: qui alienæ caritatis subsidio victitare volebat, egenis tamen de sua tenuitate providit. Ut misericordiam ejus noveris; adspice, quænam ipsum ubivis corona circumstet. Prætermitto peccatores & peccatrices, de quo infælicissimo genere hîc non agimus. Turba cætera languidi sunt, paralytici, febrientes, exsucci, famelici, moribundi, morbis suis suorúmve mæsti: ut, quocumque Christus perrexit, videatur secum Probaticam piscinam circumtulisse, & circumduxisse multitudinem magnam ægrorum, exspectantium misericordiæ motum. Illi misericordiæ quantò Christianus magis affinis est, tantò Christi germanior & dilectior frater est. Nam *conjunctio animi maxima est cognatio*, ut ex naturæ sensu Publius aiebat.

VIII. *Et Spiritus sanctus.*

Nec Spiritui sancto minor est, quàm Verbo incarnato, cum hominibus misericordibus affinitas. Ipse enim Paracletus, & Consolator ac pauperum pater, non potest non diligere pauperum patres. Christo affluentissimè communicatus, ipsum evangelizare pauperibus miserat. Pauperi Apostolorum ac discipulorum turbæ, post Christi Ascensionem congregatæ, illapsus est. Pauperum multitudine nascentem Ecclesiam implevit: &, quos divites vocavit, pauperes fecit, ut alienæ inopiæ subvenirent. Secuta mox, fælicibus Christianæ adolescentiæ annis, numerosa eleemosynariorum agmina; in egenos, ægros, peregrinos profusâ largitate. Nec tunc magis cernebatur ex dono linguarum, quàm ex manuum donis, an Spiritum sanctum accepissent credentes. Audire erat Fideles unâ linguâ variarum gentium utentes sermonibus: videre erat eosdem ambabus manibus ad omnigenarum miseriarum levamen occupatos. Deus caritas est, & Spiritus sanctus caritas est: qui manet in caritate, in Deo manet, & Spiritus sanctus manet in illo.

IX. *Ex injustè partis an eleemosyna liceat?*

Satis equidem istud, inquis, didici: Impensâ in proximum misericordiâ, non miseros solùm ipsos homines conciliari, sed Sanctos, sed Angelos, sed unum Deum Trinitatem: quia inter pares, aut similes, amicitia est; misericordia verò nobis, & Sanctis, Angelisque, ac Trinitati similitudinem, atque adeò amicitiam facit. Sed hoc discere velim, ecquænam mihi potissimùm exercendæ misericordiæ materia suadeatur, cùm ait Christus, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Ergóne injustè partis uti ad opera caritatis licuerit, & vitia virtuti subservient? Nonne istud Siracidæ pronuntiatum Eccl. 34. oraculi divini instar est: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris?* Nonne & ista Augustini verissima sunt, serm. 19. de ver. Apost. *Ait mihi raptor rerum alienarum: Ego similis illius divitis non sum. Agapes facio, vinctis in carcere victum mitto... Dare te putas? Tollere noli, & dedisti. Cui dederis, gaudet: cui abstuleris, plorat: quem duorum istorum exauditurus est Dominus?... Intellige, stulte, quoniam si quando pascis Christianum, pascis Christum; quando spolias Christianum, spolias Christum.*

X. *Stipem ex malè quæsitis accipere pauper non potest.*

Vênit aliquando ad Augustinum quispiam, hæreditatem suam ipsi, Ecclesiæve, quàm hæredem scripserat, oblaturus; post filium cum elogio, id est vituperio, exhæredatum, filiam cum laude. Donum respuit Augustinus, quia de alieno fiebat, contra jus liberis ad paterna bona naturæ lege concessum. Ita ipse narrat serm. ad Clericos, ubi & hæc addit: *Quicumque vult exhæredato filio hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum qui suscipiat, non Augustinum: imò, Deo propitio, nullum inveniet.* Non minùs laudabili generositate Franciscani religiosi furtivam stipem respuêre, apud Spondanum an. 1252. Miserat illis Henricus Angliæ Rex in vestium materiam bigas, laneis pannis onustas, quos à mercatoribus,

ut alias solebat, extorserat. Remisêre bigas, cum hoc dictu: nec sibi de rapinis licere eleemosynam accipere, nec Regi dare. Idem ipsum Exc. ad lib. 1. cap. 7. sect. 3. num. 14. retulimus: ubi etiam habes non absimiles Liberii Pontificis voces, & insignem huic fini Hieronymi sententiam ex Comm. in Ezech cap. 18.

XI. An, & quæ malè parta, Domino carentia, in pauperes eroganda sint.

Hac dumtaxat conditione ex iniquè partis misericordia licuerit: si illis ista restitui nequeunt à quibus injustè ablata sunt. Tunc enim & raptor rectè pauperi donaverit: & pauper rectè à raptore accipiet. Rectè, inquis, donaverit, nonne & necessariò? Juris Ecclesiastici est, ut quæ fœnoribus malè à quovis quæsita sunt, aut quæ Judæus Paganúsve publicis inter Christianos officiis exercendis compararit, in egenos distribuantur, si verus dominus inveniri nequeat: nihil sibi fœnerator ex eo lucro retineat citra egestatis necessitatem. Theologi ex hoc Ecclesiastico de usuris præcepto, ad alia quælibet furtorum genera gradum faciunt: aiuntque, nihil ex omnibus à raptore retineri posse, extra unicam egestatis necessitatem, quamvis verus dominus nusquam appareat. Et verò æquitati istud ac rationi valdè conveniens est, publicéque ac privatim, rapinis alienorum ac cupiditatibus coërcendis, perutile. Atque adeò, etsi non oporteret, omninò expediret tamen; ut illiusmodi occupator ipsemet sibi irroget pœnam, aut à confessario irrogatam accipiat, distribuendæ in pauperes illius rei, quam domino quidem jam carentem, injustâ tamen antè capacitate invaserat. Sic enim convenienti omnino supplicio furtum castigabitur, & cupiditas alienorum in posterum restringetur. Præterquam quòd istorum bonorum fructus diu gustari non solent: imò, ut vulgo aiunt, aquilinæ plumæ aliis intermistæ eas exedunt, & bona principio injustè quæsita exitiosa sunt justè quæsitis. Videsis Exc. ad cap. ult. lib 1. sect. 5. num. 9.

XII. Quâ sententiâ dicatur mammona iniquitatis, & opes iniquæ?

Cur ergo Christus monuit amicos faciendos *de mammona iniquitatis*: si aliena solùm bona furtiva domini nullius necesse est in egenos dividere; illa verò largiri nefas, quorum verus dominus inveniri potest? Tirinus ait, Hebraicâ phrasi mammonam iniquitatis appellari, iniquámve pecuniam, id est vanas, falsas, inanes divitias. Viri enim divitiarum dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt in manibus suis. Alii aiunt, iniquas opes dici, bonis quamvis artibus partas; quia, apud malè consultos homines, vitiorum fermè omnium perniciosa instrumenta sunt. Judicum illis æquitas corrumpitur, fides subditorum expugnatur, castorum pudicitia tentatur; luxus, ostentatio, ambitio, crapula nutriuntur. Vos ergo, inquit Christus, sapientiùs concessâ vobis opulentiâ utimini: &, quàm alii impendunt iniquitati, vos ad caritatem vertite: quâ stulti mortales mortalium inimicitias conciliant; vos animos terrestrium egenorum, & nullâ re indigentium cælum, demeremini.

XIII. Quâ mensurâ largiendum?

Quanam autem mensurâ id fecero? Eâdem, quâ voles ut remetiatur tibi, inquit Christus. Semina in benedictionibus, ut de benedictionibus metas, inquit Paullus. De tuo largus esto, ut villicus iniquitatis largus fuit de alieno. Neque enim restrictè cados olei, & tritici modios remisit: quemadmodùm nec parcè dedit Elisabetha Thuringia, uno die partita in pauperes aureorum millia sexaginta quattuor ex prædiis divenditis, quod exemplum D. Carolus Borromæus de proximo secutus est, & alii, atque alii, pro mensura caritatis, ac virium. Nam, ut Corinthios ep. 2, cap 8. monuit Paullus, sic largiendum est, ut accipientium *remissio* non fiat *tribulatio* donantium: sed, quomodò loquitur Augustinus hom. 13. *pro viribus suis unusquisque faciat, non sic faciat, ut ipse patiatur angustias.* Imprudentis enim foret, nisi extra ordinem divino aliquo impulsu moneatur, ita in egenos esse profusum, ut tum ipse egeat, tum sui. Neque in ea caussa, passuri angustias donatoris, vel accipere donatario, vel retinere licuerit. Sic Aurelius Episcopus Carthaginensis, cùm à cive liberis carente donationem bonorum omnium, relicto tantùm usufructu, accepisset, liberis ipsi postmodùm ortis donationi ultrò renuntiavit: ut Augustinus narrat serm. 49. de diversis.

XIV. Quo pacto pauper elargiri possit?

Sed enim, inquis, ego ipse ita pauper sum, ut amicos de mammona parare nequeam: quid ergo faciam, aut quò me vertam, cum villico iniquitatis? Qui divites docuit prudentiæ modum, idem te docebit modum caritatis. Augustinus in ps. 103. *Si potes, pauperi da; si non potes dare, affabilem te fac: coronat Deus intus bonitatem, ubi non invenit facultatem.* Non potes alere famentem, aut vestire nudum? At potes forsan solari mæstum, aut viam monstrare aberranti. Dic illi, quod claudo ad Templi januam Petrus: *Argentum, & aurum, non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do.* Sic eleemosynam feceris; & de mammona iniquitatis ac facultate, quam alii forsan ad vitia impenderent, amicos divinitus comparâris. Nam *omne obsequium impensum proximo, propter Deum, est eleemosyna*, ut ait D. Thomas 2. 2. q 32. art. 2. Itaque *habet semper unde det, cui plenum pectus est caritatis*, ex Augustini sententiâ con. 2. in ps. 36.

XV. Quo fine eleemosyna facienda?

Ergóne ex perfectæ caritatis motu, ac fine, omnis eleemosyna facienda est? Sic à pauperibus ipsis doceri videmur, cùm stipem efflagitant ob amorem Dei: quam amoris divini appellationem D. Franciscus Assisias pluris aiebat esse, quamvis largissimâ stipe. Certum id quidem, gratius nihil Deo esse, nihil nobis honorificentius, quàm ut nobilissima caritatis opera faciamus, excelsissimo fine divinæ caritatis. Sed quia mentis humanæ imbecillitas non semper ad altissimum finem assurgit: idcirco inferiorem alium, & faciliorem, Christus hîc nobis proposuit, ut faciamus nobis amicos, non amicitiæ tantùm caussâ, sed commodi, quod ex istis amicis potest existere. *Facite*, inquit, *vobis amicos, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Cogitate, per me licet, mercedem futuræ beatitudinis, ad illam mentes vestras intendite, eò misericordiæ vestræ opera referte, ut fælices æternùm sitis: id non sino tantùm, sed hortor, imò spondeo futurum, ut facilis in cælum aditus misericordibus pateat, multorum ac potentium amicorum interventu apud misericordem Dominum.

XVI. Quomodò eleemosynarius dicatur non periturus?

Ex Christi tam aperta sententia, aliisque alibi in formam eamdem prolatis, jam olim sancti Patres in eleemosyna præjudicium futuræ beatitudinis, de certissimis nimis, statuère. D. Ambrosius, apud D. Thomam 2. 2. q. 154. art. 2. ad 5. istud Paulli explicans, *Pietas ad omnia utilis est: Omnis*, inquit, *summa disciplinæ Christianæ in misericordia & pietate est; quam aliquis sequens, si lubricum carnis patitur, sine dubio vapulabit, sed non peribit.* Ne quis tamen istâ Divi Ambrosii

asseveratione

asseveratione ad inanem fiduciam abutatur, & securè cupiditatibus omnibus habenas laxet: sanctè & sapienter monet D. Thomas, eleemosynæ patrocinio non salvari permanentem in lubrico carnis; sed ejus animum disponi, ut si peccando resipiscat, &, postquam resipuerit, pro pœna culpis debita satisfieri: sic etiam istud Danielis ad Nabuchodonosorem intelligi debere, *Peccata tua eleemosynis redime*; & istud Sapientiæ, *Absconde eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa exorabit pro te ab omni malo.* Neque aliter sumenda illa Chrysostomi hom. 9. super Matth. *Eleemosyna amica Deo est. Facile gratiarum munera pro quibuslibet impetrat, solvit peccatorum vincula, tenebras dissipat, ignes extinguit. Fidenter ipsi aperiuntur cælorum januæ, &, velut ingrediente Reginâ, janitorum nullus audet sciscitari, Quænam es tu?* Disputatur in libris, disseritur in cathedris, de beatæ prædestinationis judiciis, eaque varia congeruntur, lectu grata, auditu jucunda. Nullum ego de omnibus virtutum actibus, & religionis Christianæ exercitiis, certius esse putârim indicium, quàm misericordiæ opera: quibus tam disertè Christus misericordiæ consecutionem, possessionem regni parati à constitutione mundi, æterna tabernacula, pollicitus est.

SECTIO SECUNDA.

Lex fraternæ caritatis,

Diliges proximum tuum sicut teipsum.

I. Caritas est genuina nota filiorum Dei.

AUDIMUS sæpissimè istud de nobis; *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*: videamus modò, potestatémne otiosam an fructuosam habeamus, possumúsne duntaxat esse filii Dei, an reipsa simus? Augustinus Tract. 5. in epist. Joan. ad istud, *In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli: Dilectio ergo sola*, inquit, *discernit inter filios Dei, & filios diaboli. Signent se omnes signo crucis Christi: respondeant omnes, Amen; cantent omnes, Alleluia: baptizentur omnes: intrent omnes Ecclesias; faciant parietes basilicarum. Non discernuntur filii Dei, a filiis diaboli, nisi caritate.* Vis nôsse, an inter filios Dei numereris? Dispice, an habeas caritatem. Germanissima illa Patris cælestis nota est, derivata in liberos. Similior non fuit Tobias junior Tobiæ seniori, bonus bono: quàm homo, caritatis amans, Deo, qui caritas est. At unde istud ipsum noveris, an habeas caritatem? *In lege quid scriptum est?* Ad eam te legem examina: &, ut legis mentem meliùs assequare, vim expende singulorum verborum, quorum otiosa nulla posuit sapientissimus Legislator.

II. Diligere an significet amorem spiritualem?

Voculis quinque comprehenditur lex universa fraternæ caritatis. Earum prima est, *Diliges*: Græcè, non ἐράσεις, aut φιλήσεις, sed ἀγαπήσεις; quo verbo aiunt significari amorem sanctiorem, indeque agaparum nomen factum priscis Christianorum epulis, ad pauperum præsertim solatia instructis; quale epulum Alethius præbuerat, quando Paullinus sect. superiore adductus, ad illum scripsit. Sed Latini verbi potiùs sententiam inquiramus. Potuerat enim Marcus, potuerant aliorum Evangelistarum interpretes, scripsisse *Amabis*: cur ergo potiùs scripsere, *Diliges*? Quia, inquit Augustinus tract. 8. in Joan. *Dilectio carnalis ... non dilectio, sed amor dici solet ... dilectionis enim nomen magis in rebus melioribus dici solet.* Ex ea itaque Augustini explicatione Christianis præcipitur dilectio, non de sensuum experimento, aut rationis solius usu profecta: sed *spiritualis illa*, ut Paullinus loquitur ep. 37. ad Pamm. *quæ Deo auctore generatur, & arcanâ spirituum germanitate coalescit. Quò fit ut non diuturnitatis usu crescat ad amorem, neque documenti exspectatione pendeat: sed, ut filia veritatis dignum, statim firma & magna nascatur, quia de pleno incipit, orta per Christum.*

III. An saltem amorem quemdam excelsiorem?

Aiunt alii: etsi amandi verbo spiritalis illa benevolentia significari possit; perfectius tamen aliquid, & eminentius, innui verbo diligendi. Illud enim generale esse; & quaslibet animorum propensiones, eas etiam quæ rationem præveniunt, & ex sensibus aut pari humorum contemperatione oriuntur, complecti. Istud autem ad eam solam voluntatum conjunctionem restringi, quæ ex rationis delectu nascitur. *Diligere* enim dici, *quasi deligere*, vel ipso teste Cicerone: eóque istud spectare Senecæ præceptum, *Elige, postea dilige.* Idcirco, inquiunt, Evangelistæ diligendi verbum posuerunt, ut indicarent, caritatem Christianam electionis esse, non tam nostræ, quàm divinæ. *Elegit* enim *nos Deus, ante mundi constitutionem*, in Christo, ut diligamus fratres. Et Christus discipulis, atque adeò nobis, dixit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis.* Præcipuus autem, & primus omnium *fructus, est caritas.*

IV. Amare, & diligere, idem omnino sunt.

Sed ista de sanctiore, aut excelsiore, verbi *Diliges* significatione, facundè licèt & ingeniosè dicantur; non adeò tamen solida sunt, ut Augustinus ipse non discutiat. Nam tract. 123. in Joan. postquam adverrit, Joannis c. 21. narrari, interrogatum à Christo Petrum nunc verbo amandi, nunc verbo diligendi: *Demonstratur*, inquit, *unum atque idem esse amorem, & dilectionem: nam etiam Dominus novissimè non ait, diligis me, sed, amas me.* Et verò passim apud Patres verbo utroque indiscriminatim exprimitur Christiana tum erga Deum, tum erga proximum, caritas: *Homo, qui secundùm Deum, non secundùm hominem vivit, oportet ut sit amator boni ... Oderit vitium, amet hominem. Sanato enim vitio, totum quod amare, nihil autem quod debeat odisse, remanebit.* Sic loquitur Augustinus lib. 14. de Civ. cap. 6. Et in Confess. *Serò te amavi, pulcritudo tam antiqua, & tam nova. O ire! ô amare! ô ad Deum pervenire!* Contrà, Patres multi verbo diligendi ad inferiorem amorem indicandum utuntur, in his Paullinus ep. 26. ad Amandum & Sanctum: *Dudum diligere cœpi te, Sancte frater, & dilexi te jugiter: quamquam non illa dilectione, quæ Christi est, sed illâ familiaritatis humanæ amicitiâ, quæ blandimenta in labiis habet, & radicem in cordibus non habet, quia non est fundata super petram, quæ non ædificatur in Christo.*

V. Eo verbo officia omnia erga proximum exprimuntur.

Idem itaque sit *Diliges*, & *Amabis*; verbóque utrovis æquè commodè uti Evangelistæ ad eamdem sententiam potuerint. Sed cur isto tamen usi sunt, communi, ac generali; non restrictioribus aliis, qualia sunt, laudabis, honorabis, juvabis, defendes proximum tuum? Quià unicâ voce complecti voluerunt, quidquid boni proximo exhiberi potest: eadémque voce voluerunt excludere, quidquid patrari poterat in proximum mali. Nam qui sincerè hominem diligit; eum laudat, honorat, adjuvat, ipsúmque ab omni famæ, corporis, bonorumque omnium damno diligenter cavet. Neque ideò tantùm cavet, quia sperat inde aliquid commodi, aut contrà

incommodi aliquid extimescit; id enim parasiti etiam, & mancipia fecerint. Sed idcirco beneficus est, & maleficium omne aversatur; quia diligit. Unico igitur verbo significatur, quidquid officii erga proximum præstabile est, & quidquid abstinendum est; simulque præstandi caussa, & abstinendi: ut meritò Paullus dixerit, plenitudinem legis esse dilectionem; &, omnia in hoc verbo instaurari, *Diliges proximum.*

VI. Cur proximus dicatur, non propinquus?

Quid autem istud est, *Proximum?* Adverte, Græcè haberi πλησίον, quod *propinquum* significat. Latinè tamen Marcus expressit *proximum*: itidemque aliorum Evangelistarum Interpretes reddidere. Voluerintne forsan indicatum: Latinia, Ecclesiæ Romanæ filus, tanto in pretio debere esse caritatem, ut suprà nihil adjici queat? Aut Græcam Ecclesiam aliquando discordiis dissectum iri, quemadmodùm hodieque cernimus: dum inter Latinos, velut inter proximos, intacta caritas vivet? Faciamus tamen, eamdem esse vim Græci & Latini vocabuli; quæramusque, quid illo nobis diligendum Christus præcipiat, seu propinquum sive proximum nominemus.

VII. Multis nominibus homo quilibet nobis, proximus est.

Augustinus præf. In enarr. 2. psalmi 25. *Proximus tuus*, inquit, *ille est, qui tecum natus est ex Adam, & Heva.* Proximi appellatio homines universim omnes complectitur. Primùm, ratione ejusdem principii: quocumque enim gradu simus, quocumque ingenio, quacumque virtute; idem omnibus nobis vinitor Noëmus proavus est, idem tritavus Adamus agricola, & tritavia Heva, marito exilii ac laborum caussa, & comes. Deinde, proximi nobis sunt homines quilibet, quamvis mali, ratione naturæ ejusdem: sive animam spectemus, seu corpus, & hujus sensus, illiusque potentias: quam naturæ communitatem proponebat Augustinus Macedonio ep. 54. *Facile est, atque proclive, malos odisse, quia mali sunt; rarum autem, & pium, eosdem ipsos diligere, quia homines sunt: ut in uno simul & culpam improbes, & naturam approbes, ac propterea culpam justius oderis, quia ea fœdatur natura, quam diligis.* Accedit proximitatis caussa tertia, ex fine, ad quem creati sumus, viisque ac mediis ad finem, seu naturalibus, seu supernaturalibus: omnes enim pariter iisdem utimur elementis, eodem cæli tecto claudimur, ad eamdem terram relabimur, eodem divinæ gratiæ lumine excitamur, etsi affluentiâ dispari. Denique, proximum nobis hominem quemlibet illud efficit, quòd pro omnibus Christus mortuus est. Quam rationem Francisco nostro Xaverio præcipuam fuisse, in exhauriendis assiduis pro barbarorum salute laboribus, vel ex ipsius familiari ad Christum oratione constat: *Ecce in opprobrium sanguinis tui iis ipsis animabus infernus impletur.* Eamdem maximè attendi volebat Bonaventura, cùm diceret, *Dilatetur cor nostrum ad sanguinem Salvatoris*: & Augustinus in ep. Joan. *Esurit frater tuus in necessitate positus, fortasse suspenditur, à creditore angustiatur: non habet ille, habes tu. Frater est, simul empti estis, unum est pretium vestrum, ambo sanguine Christi redempti estis.*

VIII. Multò magis quilibet Christianus.

Si autem homo omnis homini cuivis ex tot capitibus proximus, & frater est: quantò magis Christiano Christianus? *Quantò digniùs*, inquit Tert. in Apol. *fratres & dicuntur, & habentur, qui unum patrem Deum agnoverunt; qui unum spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ad unam lucem expaverunt veritatis?* Ridebant olim Ethnici Christianos, quòd inter se fratres nominarent. Respondet Minutius Felix in Octavio: *Nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei cohæredes.* Eodem enim patre geniti sumus, Christo: eamdem matrem habemus, Ecclesiam: eodem lacte aliti sumus, doctrinâ Evangelicâ: eidem mensæ assidemus, paneque eodem vescimur, & potu utimur, Corpore, & Sanguine Domini: eadem nobis fides, ac religio, vice naturæ est: eodem Sacramentorum auxilio, eâdem præceptorum & consiliorum viâ, ad eumdem finem tendimus. Sufficiebat nobis ad proximitatem unitas religionis, & fidei: nam, ut ait Paullinus ep. 37. ad Pamm. *Quomodò non una mens, quibus una fides? Quomodò non unus animus, quibus unus Deus?* Accedunt tot alia capita, unitas natalium, unitas sanguinis Christi, unitas alimentorum spiritalium, unitas cæterorum Sacramentorum, unitas finis, in quem quavis conditione & instituto tendimus, ubi simul æternâ & suavissimâ societate futuros nos esse confidimus. Hoc præcipuè caput attendi volebat D. Paullus Eph. 4. *Unum corpus, unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Eódem spectabat Augustinus Tract. 6. in epist. Joan. ubi advertit, membrorum nostrorum conjunctissimos esse oculos, etsi monticulo separentur, neque umquam sese invicem videre possint, sicut manus & pedes inter se tangunt. Conjunctissimos tamen dici, quia, *quando ambo patent, non licet ut aliquid attendat dexter, quod non attendat sinister. Dirige radium dextrum sine altero, si potes: simul locunt, simul diriguntur; intentio una est, diversa loca sunt. Sic ergo omnis, qui tecum diligit Deum, unam intentionem tecum habet: noli attendere, quia corpore & loco separatus est; aciem cordis simul fixistis in lumine caritatis*, quâ nos invicem confidimus beatè & æternùm amaturos.

IX. Quis cuique suus proximus?

Intellexisti quis, & quot nominibus, sit tibi *proximus*: sed nondum accepisti, quis tibi *tuus* sit. Homines enim omnes, potissimùm Christianos, diligere universim oportet, ex debito communis illius caritatis: at erga omnes passim exerceri non possunt caritatis obsequia: Facultatis humanæ non est, ut ait Augustinus tract. 8. in ep. Joan. ubique ac semper miseris subvenire; satis est, si *caritas istius non intermittatur, officia caritatis pro tempore exhibeantur: caritas, sicut scriptum est, fraterna permaneat.* Quis igitur *tuus est proximus*, cui non caritatem solùm debes, sed officia caritatis? Hanc quæstionem legisperitus Christo proposuit, responsumque ad illam saluberrimum accepit. Si enim illud solum petiisset, quis homini proximus est: audisset à Christo, homini hominem omnem esse proximum, Fidelem maximè religionis consorti. Sed istud destinatè, & pro se, interrogavit, *Quis est meus proximus?* Cui potissimùm caritas mea impendenda est?

X. An metu, spe, consuetudine, sympathiâ conjunctus.

Tuúsne ille proximus dicendus fuerit, à quo jucunda commodáve exspectas? Sed Judaica etiam illa, & Mahumetana, ne dicam lupina caritas foret. Tuúsne, quem extimescis, ne noceat? Sed ista etiam erit asinina, & porcina caritas: *Carus erit Verri, qui Verrem tempore quovis Accusare potest.* Tuúsne, qui te beneficiis cumulârit? Et hæc erit canina caritas: ad Tobiæ catellum ablegabere, si beneficum hominē non diligis. Tuúsne, quem consuetudo menti & affectui impressit? *Est*, inquit Augustinus hom. 38.

ista

ista amicitia consuetudinis, non rationis: habent illam & pecora. Duo equi manducant simul, desiderant se ad aliam diem: præcedit unus, festinat alter, desiderans quasi amicum suum, vix regitur à sessore, & tandem se impetu suo provocat, quousque perveniat. Cumq; pervenerit ad eum qui præcessit, sedatur pondus illud: ferebatur pondere, amore urgebatur, venit tanquam ad locum suum, & conquievit. Tuúsne, quicum sympathia est, naturæque & propensionum affinitas, vel patriæ, sanguinísve, aut voluptatum communitas? Sed id caritatis genus, inquit Augustinus eadem hom. 38. Paganis ipsis, imò tygridibus & serpentibus familiare est.

XI. Tuus est, quem juvare potes.

Quis ergo denique *tuus* est *proximus?* Didicisti Samaritani parabolam ad seminecis hominis auxilium affusi. Homo iste pauper, nudus, plagis oneratus, sanguine perfusus, ignotus, à quo nihil nec sperari debebat, nec metui, suus tamen Samaritano proximus est, miser misericordi. Neque alia de caussa suus illi proximus; quàm quòd ipse subsidio indigeret, quod ille afferre poterat. Potuerant etiam misero subvenire Sacerdos ac Levita: atque adeò suus & istis proximus fuit: sed vel non intellexêre ignari, vel neglexêre improbi, legem caritatis, quam & scivit Samaritanus, & exercuit. Quære jam ex me, Christiane, legisperite, cui lex ista dilectionis mutuæ debet esse notissima, quis tuus sit proximus? Tuus ille est, animo æger, corpore languidus, famâ laborans, opis tuæ indigus: quam tu opem de facili potes impendere. Tuus ille est, cujus egestatem nôsti, cujus solitudinem vides, cujus vulnera inspicis, cui vinum amoris, & benignitatis oleum potes affundere, quem stabulario commendare, pro quo pecuniam dependere, sponsionem offerre.

XII. Amor nostri mensura amoris in proximum.

Sed & hîc mensuram petis, ne dum aliis prodes, tibi noceas. Dilige, inquit Christus, *sicut teipsum.* Non ait dilige sicut amicum, filium, patrem. Est enim amicus solo nomine amicus, cujus necessitudinem solvet olla deficiens. Est pater, qui liberos immolat idolo Moloch, & filios suos ac filias traducit per ignem. Est filius qui patrium solium involat, thorum maculat, vitam invadit. *Diliges*, inquit, *proximum tuum sicut teipsum.* Quo autem modo temetipsum diligis, quid tibi commodi ex ratione concupiscis, quid mali aversaris? Amas te sincerè, fortiter, suaviter, constanter, invictè: ex eo amore, si rectus est, vera tibi bona desideras, eoque ampliùs quò sunt veriora; mala omnia fugis, eoque contentiùs, quò certiora mala sunt. Eadem proximo aversare, eadem desidera, eâdem firmitate, eodem modo, eâdem suavitate, eâdem constantiâ.

XIII. Illum diligamus sicut nos, similitudine, non æqualitate.

Advertit tamen Augustinus tract. 4. in epist. Joan. particulam, *sicut*, hoc loco similitudinis esse, non æqualitatis, eademque sententiâ frequenter non in Scripturis modò sumi, sed in sermonibus vulgi: *Sicut non semper ad æqualitatem dici solet, quomodo, verbi causâ, visâ basilicâ istâ amplâ, si quis velit facere minorem, sed proportione ad mensuras ejus.* Ita caritatem nostram erga proximum, caritati nostræ erga nos ipsos, proportione quadam admetiendam: ut ad similitudinem accedat, non impleat paritatem; sitque potiùs imitatio, quàm exæquatio. Alioqui constat, proximiorem nobis esse neminem, quàm nosmetipsos: & nos post Deum, antè cætera, nobis esse diligendos. Nam, ut D. Thomas ait 2. 2. q. 26. art. 4. *Exemplar potius est, quàm exemplatum; & unitas major est, quàm unio.*

XIV. Eadem amanda & aversanda proximo quæ nobis.

Aliquid forsan ad istius particulæ intelligentiam addiderimus, si dicamus; caritatem utramque, tum nostri, tum proximi, parem quidem esse debere, ex objectorum materiæve ratione, etsi ex ordine & modo impar sit. Priùs enim nobis bona curare, mala debemus avertere: eadem tamen omnia proximo & velle oportet, & nolle. Mensuræ olim Hebræis binæ fuerunt, sacra, & profana: hæc longè illâ minor. Multi sacram admetiendis sibi bonis adhibent, proximo admovent profanam: sibi plurima cupiunt honorum, commodorum, voluptatum; erga alios, quasi idem genus non sint, restrictissimi: quibus istud Paullini meritò dicatur ex ep. 34. ad Alethium: *Cave teipsum tantummodò ames, si te amas, quia iniquitatis est ista dilectio.* Vis non iniquè diligere? Dilige æqualiter, eadem aliis exopta, eadem aversare, quæ tibi: *intellige*, ex Siracidæ præcepto, *quæ sunt proximi tui, ex teipso.* Ad singula divinam illam Tobiæ & Christi normam adhibe, ab Alexandro Severo Imperatore, Paganisque aliis, descriptam: *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis:* quam regulam luculentè exposuit, & ad singularia applicavit B. Franciscus Salesius Introd. par. 3. c. 36. Eam sibi admoveri voluit Ambrosius, cùm plerasque epistolarum suarum familiari istâ clausulâ terminavit: *Valete fratres, & diligite me, quia ego vos diligo: Vale, frater, & dilige me, quia ego te diligo.*

XV. Christiana caritas proximum amat ad salutem æternam.

Caritatis fraternæ materiam omnem ad tres vitas, de quibus Exc. ad c. 4. sect. 3. num. 3. & alibi à nobis mentio facta est, referamus: Corporalem vitam, Civilem, Spiritualem. Quemadmodùm enim Corporalis vita interdum nobis Civili carior est, interdum contrà, pro rerum ratione: Spiritualis autem longè utrâque debet esse pretiosior. Eumdem in modum de aliis æstimare, & affici debemus: ut Corporalis quidem eorum vita, Civilisque nobis cara sit; at Spiritualis multò carior. Famam illorum, honorem, valetudinem, vires, corpus, pro facultatibus nostris & conditione cujusque, tueamur, servemus, augeamus: fidem, virtutes, amicitiam divinam, longè ante isthæc omnia ponamus. Fatuus sit, qui, amici corpore & sanitate neglectâ, vestes curet, conclave exornet, lectum tapetiis sternat, aulæis domum vestiat. Non minùs errat, qui de proximi fama & valetudine solicitus animi salutem negligat: *Quid est corpus humanum*, inquit Guilielmus Paris. lib. de Mor. cap. 4. *nisi equus spiritus? Equo compateris, & sessorem negligis? Quid est vulnus in corpore, nisi foramen in veste? Vesti compateris, & fratrem vestitum non curas? Corpus non est, nisi tabernaculum militantis in eo spiritûs: quanta dementia est tantopere curare fissuram in tabernaculo, & militantem in eo non attendere?* Sic etiam Hipponenses suos Augustinus monebat hom. 38. *Quomodò amicus hujus sæculi, secundum sæculum amans animam suam, febrem vult pellere de amico suo, quem similiter amat ut se, propter præsentem salutem. Sic tu, quemcumque diligis, propter vitam æternam dilige. Cùm inveneris iram, indignationem, odium, iniquitatem; sic coneris expellere morbum animi, quomodò ille morbum corporis... Ad hoc ama conjugem, ad hoc ama filium, ad hoc ama propinquum, ignotum, inimicum, & erit in te perfecta caritas.*

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Fraternæ caritatis ex D. Paullo notæ.

I. Eximius Paulli de caritate locus.

NEQUE excelsius quidquam, neque utilius de caritate dici possit, quàm quod ad Corinthios 1. 13. scripsit Apostolus. Parte primâ caritatis necessitatem exaggerat, tantâ gravitate & majestate sententiarum; ut meritò hic locus ab Augustino, pro magnifici styli exemplo, Christianis oratoribus proponatur. Altera pars notas germanæ caritatis exponit, ut se quisque explorare possit, illámne habeat ex vero, nec sibi, auditis illius laudibus, de possessione inaniter blandiatur. Tertia pars ad caput redit, & caritatis prærogativas cum aliis qualitatibus comparat. Has emori, & elabi, neque homini, ad vitæ spiritualis virilitatem deducendo, sufficere. Caritatem robustam esse, ad ætatis Christo habitudinem assurgere, neque hic emori, aut excidere nolentibus, sed ad infinita æternitatis spatia extendi.

II. Quanti facienda notæ caritatis & earum intelligentia.

Partis secundæ tractationem hic instituimus, non illustrandis Paulli dictis, sed explicandis dumtaxat. Tantumdem enim fecero, si illustrate coner: quantum, qui eximii cujuspiam chalchographi imaginem coloribus velit oblinere; aut, qui præcipui pictoris tabellæ aliquid ausit appingere. Explicanda tamen sunt, ut considerari vulgò, & ad usum adduci queant. Nec Gasto Rentiacus, Christianæ nobilitatis, ac virtutis, sæculo nostro decus, qui secum semper Testamentum novum, & hasce præterea notas manu suâ descriptas, circumferebat, eas legendo ac meditando magnopere profecisset, nisi intellexisset. Nam voluntas non afficitur ignoto: nec benè, nisi benè cognito, afficitur. Intelligentiam itaque conemur adjuvare; tum iis, quæ ab Interpretibus edocti sumus; tum, si quæ nobis alia occurrêre.

III. Prima nota cum aliis duabus comparata.

De notis quindecim primum locum obtinet, *Patiens est*. Cujus nominis significatio etsi satis aperta videatur, difficultatem aliquam facit duodecimæ & decimæ quintæ notæ similitudo: *omnia suffert, omnia sustinet*. Ecquid enim inter pati, sufferre, sustinere interest, si Latinæ linguæ usum consulamus? Sed si Græcam locutionem attendamus, difficultas penitùs omnis evanescet. Nam in decima quinta nota habetur ὑπομένει, quo verbo Paullus 2. Tim. 2. indicat laborum & ærumnarum sufferentiam, ad proximi bonum: *Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur.* Caritas igitur omnia sustinet, id est, hominem ad incommoda itinerum, tempestatum, actionum, alterius commodo toleranda, impellit. In duodecima verò nota Græcè est, πάντα στέγει, *omnia tegit*: id est, caritas alienis vitiis, & peccatis narrandis non tantùm non delectatur, sed etiam illa quantum potest occultat, nisi aliter suaserit manifesta utilitas: quod ipsum D. Petrus, alio licèt verbo, idem tamen prorsùs significante, monuit 1. 4. *Caritas operit*, καλύψει operiet, *multitudinem peccatorum.*

IV. Patientia longanimis primus effectus caritatis.

Jam in prima nota pro, *patiens est*, Græcè habetur μακροθυμεῖ, quod aliud longè est, quàm στέγει, & ὑπομένει. Illud enim significat nō magnanimitatē, ut quidam vertêre, sed longanimitatē. Aliud autē longè est, longanimem esse in tolerandis erroribus ac culpis alienis: aliud sustinere labores aut noxas sufferre, ac tegere. Neque istorum, & illius, par difficultas est. Multi enim inveniuntur, qui alienas culpas obtegant, qui labores aliorum caussâ sustineant: qui longanimes sint, & repetita septuagies septies peccata tolerent, paucissimi. Prorsus, ut ipsamet divina & invicta Christi patientia, continuatis Apostolorum erroribus fatigata denique fuisse videatur, cùm dixit: *Generatio incredula, usquequo vobiscum ero, usquequo vos patiar?* Meritò igitur Paullus patientiæ longanimi primas inter consummatæ caritatis effecta, & indicia tribuit: eosque illi exponendæ sectionem totam unam servabimus.

V. Caritas benigna est, id est commoda, aut potiùs benefica.

Altero loco caritas benigna est, χρηστεύεται: quod aliqui reddidêre, *commoda est*, facilè aliorum sese judiciis ac propensionibus aptat, fitque cum Paullo *omnibus omnia*, ubi offendendi Dei periculum abest. Quam commoditatem Ambrosius l. 2. Off. cap. 7. eleganter pluribus verbis descripsit: *Popularis & grata est omnibus bonitas, nihilq; quod tam facilè illabatur humanis sensibus. Ea, si mansuetudine morum ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate sermonis, verborumq; honore, patienti quoque sermonum vice, modestiaq; adjuvetur gratiâ, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis.* Alii paullò aptiùs cum Tertulliano explicant, *Benefica est*: proprium enim caritatis munus est, benefacere: nam, qui amat, benè vult; &, qui benè vult, benè facit, cùm potest: quisquis autem beneficentiæ deest, quando facultas suppetit, ille nec seriam benevolentiam habet, nec germanam caritatem. Si enim viderit fratrem indigentem, *& clauserit viscera sua, quomodo caritas Dei manet in illo?* Christianus, ut proximi ex vero amans sit, eamdem mereri appellationem debet Evergetæ, seu benefici, quam Simoni Machabæi fratri attributam diximus lib. 1. cap. 14. Exemplo Christi; qui vitam suam mortalem *pertransiit benefaciendo*, ætatem suam Christianus exigat benefaciendo pro viribus, pro tempore, pro aliorum necessitate, aut commodo. Romæ aiunt olim in Capitolio propositum fuisse veræ purpuræ segmentum, ut adulterina internosci, illius opposita, posset. Cum benefica Christi caritate suam comparet Christianus, ut videat an vera sit. Sic Sancti omnes; sic nuper Luzzagius, recèns Gasto Rentiacus, egêre.

VI. Non æmulatur, neque invidet.

Non æmulatur, ζηλοῖ: quæ verba, Latinum pariter ac Græcum, tum in bonam partem sumi, tum in malam possunt. In bonam sumebat Paullus, quando Corinthios hortabatur, ut æmularentur, id est imitandi studio sequerentur, charismata meliora: in malam, quando inter opera carnis, regnum Dei præcludentia, numerabat æmulationes, iras, rixas, dissensiones. Istâ sententiâ hic dicitur, caritatem non æmulari, id est non invidere. Cùm enim invidia sit tristitia de alterius bono, quia bonum est, caritas autem benevola & benefica sit: manifestum est invidiam directò in caritatem pugnare, atque adeò inter negativas notas meritò primam accenseri. *Quid est detestabilius*, inquit Augustinus lib. de catechiz. rudibus cap. 11. de iis agens, qui concionatoris aut catechistæ errore gaudeant, *quàm de malo alterius, merâ diaboli similitudine atque imitatione, lætari?* Ita nihil detestabilius est quàm de bono alterius, merâ diaboli similitudine atque imitatione, tristari, quâ de re diximus lib. 1. c. 5. vers. 5. Si pingere lubebit invidiam: da illi caput bubonis, corpus herici, ungues scarabæi,

pantheræ

pantheræ pectus, aures asini, colubri linguam, trisulcam contumeliis, susurris, detractionibus. Dic præterea, cumulandis ejus præconiis, instar esse rubiginis, quæ residuum erucæ, locustæ, & bruchi, apud Joelem cap. 1. consumit: nam rubiginoso edacis invidiæ vitio arroditur, quidquid viroris, ac virtutis, in humana mente reliquum cæterá vitia fecerunt, *concupiscentia carnis* eruca humirepa, *superbia vitæ* volatica locusta, *concupiscentia oculorum* streperus & vorax bruchus. Adde, ad summum illius execramentum, eam videri *peccatum esse in Spiritum sanctum: quod non remittetur*, ut ait Christus, id est difficillimè condonabitur, quia maximè adversum caritati, præcipuo Spiritûs sancti dono, qui & ipse caritas est.

VII. Non agit perperam, nec protervè.

Non agit perperam, περπερεύεται: id est Chrysostomo, præcipitanter & inconsultè non agit; quamquam hoc magis ad prudentiæ officium pertinet. Basilius propositâ quæstione 49. in reg. quid istud sit περπερεύεσθαι; respondet, hoc omne perperàm esse, quod ad ἐγκαλλώπισμον duntaxat, & ad speciem, non ad necessitatis usum assumitur: sed illud modestiæ potiùs est, quàm caritatis. Theodoretus existimat, eo verbo denotari curiosos rerum alienarum scrutatores, & inspectores, proximo molestos, caritati noxios. Quidam verbum περπερεύεσθαι fluxisse arbitrantur à nomine Perperorum fratrum, celebrium apud priscos sannionum, & petulantium jocatorum, neminique parcentium, dummodò ludos & risum facerent: quæ insolentia caritati valdè adversa est. Aliis magis placuit Græcum verbum ex Latino deducere, quemadmodùm eo ævo apud Evangelistas non pauca, πραιτώριον, φραγελλώσας, κεντυρίων: apud Latinos autem agere perperàm idem esse, quod infrunitè, ineptè, protervè se gerere, &, ut vulgò loquimur, impertinenter, cùm aliorum offensa, offensæve periculo: idcirco à Tertulliano, *non agit perperam*, expressum aut redditum, *non protervum sapit*. Mihi videbatur, eâ notâ excludi à caritate utrumque contumeliæ genus, annumerandum filiabus invidiæ; eodem, imò potiori fortasse jure, quàm in illis à Gregorio detractio numeretur, apud D. Th. 2. 2. q. 36. art. 4. ad 3.

VIII. Non inflatur, neque alios despicit.

Non inflatur, φυσιοῦται, id est aurâ & vento non intumescit, follium instar. Vento tumidus est, qui rerum temporalium abundantiâ præ aliis se extollit, opibus superbit, honoribus, dignitatibus, auræ instar vanescentibus. Vidisti aliquando follem manicis ludentium excussum, &, postquam in pavimentum recidit, altè exsilientem? Eum si aciculâ pungas, follis ampliùs non erit; sed vesicula inanis, & flaccida pellicula. Sic sumus mortales favore inflati, prosperâ fortunâ evibrati: extollimur, exsilimus, cæteris videmur altiores, donec punctura dedecoris, morbi, jacturæ, cuticulam nostram exinaniat, & nostri nos moneat. *Ventus*, inquit Jobus cap. 7. *est vita mea*: simul utique, quantacumque vitæ hujus omnia, ventus sunt. Quare sapientissimè Paullus Corinthios 1. 4. monuit, *Nemo adversùs alterum infletur pro alio*: propter res nihili, aut non suas, magnificè sese non circumspiciat, sicut asinus gestans mysteria. Id enim inflationis vitium non fatuitatis tantùm effectus est, sed etiam contumeliæ comes, atque adeò noxa caritatis, quæ neminem vult despici: de facili autem alios despicit, qui se magnificè nimis circumspicit.

IX. Non est ambitiosa, & neminem dedignatur.

Non est ambitiosa, οὐκ ἀσχημονεῖ. Ex Latina voce Paullus videatur ambitionem, inflationis tumidæ sororem, & caritati itidem noxiam, proscribere. Sed Græca vox dedignationem potiùs, & aspernationem, quæ inflationis filia est, significat. Nam, ut modò dicebamus, qui se magni supra modum facit, minores non facilè vel auxilio dignatur, vel alloquio, vel consortio: quia conversatione talium dignitatem suam imminui arbitratur, ut ait Gregorius hom. 28. Caritas contrà, dedignabunda & aspernabunda non est, nec naturalium bonorum participatione amicos, consanguineos, hominésve ullos excludit, quia viles sunt; nedum propterea secernit à participatione supernaturalium, qua de re divinè Jacobus ep. c. 2. Sive, ut hanc particulam Augustinus expressit, *non dehonestatur*, id est dehonestari se inferiorum familiaritate, usu, obsequiis, non existimat: sed cum Paullo ait, *Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus*, egenis & opulentis, *debitor sum*; quia Deum in omnibus, & naturam communem intueor, in Christianis præterea sanguinem Christi, & exemplum. Nam pauperes elegit, & evangelizavit: ejusque imitatione summi quique viri infimos aspernati non sunt; uti Benedictus undecimus matrem lotriculam, duodecimus mercatorem consanguineæ maritum.

X. Non quærit quæ sua sunt, & in obsequio proximi sese non spectat.

Non quærit, quæ sua sunt, τὰ ἑαυτῆς. At nonne caritas quæ suæ sunt quærit, imò debet quærere? Nónne caritas incipit à seipso, nobis congenita, mensura amandorum? Nónne Christus ipse, ut modò dicebamus, amoris erga proximum formam sumi voluit ex amore nostri, priore utique, ac potiore? Aiunt quidam, hic agi de boni communis studio, præ utilitate privatâ; afferuntque illud Augustini in reg. *Communia propriis, non propria communibus antepone*: sed hîc constat agi de privata erga singulos, non tantùm de communi erga plures, caritate, adeò priscis etiam philosophis commendatâ, ut Seneca hanc veluti legem fixerit ep. 48. *In commune vivitur*; & Lucanus lib. 2. scribat, istam duri Catonis sectam immotam fuisse,

Naturamq; sequi, patriaq; impendere vitam:
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.

Sunt, qui hanc notam intelligant de propriis commodis alieno incommodo, aut damno, non curandis: sed istud ad justitiam magis, quàm ad caritatem spectat. Alii existimant, bonorum communicationem, eorum præsertim quæ ad animam pertinent, suaderi: ut non privatim nobis studeamus, nec rerum nostrarum velut adyta quædam faciamus, quò alius nemo admitti possit, equorúmve instar de mantica singuli nostra vescamur. Putârim ego, istâ locutione germanissimam notam assignari, quâ concupiscentiæ & amicitiæ amores, lineamentis alioqui permultis consimiles, internoscantur. Ille enim, ubi amat, quærit quæ sua sunt, honorem, commodúmve, aut voluptatem: quemadmodùm de multis Paullus conquerebatur, *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ IESV Christi*. Iste autem amicitiæ amor nihil spectat ejusmodi, nec diligere desinit, etsi nihil inveniat suum, imò sui aliquid perdat. Amet Christianus quispiam conversationem, quia splendida & honorifica est: quid excelsius præstat, quàm Baltasaris aut Assueri satrapæ? Amet, quia civilis, jucunda, polita est: quid ampliùs facit, quàm Putiphar cum Josepho? Amet, quia mercedem sperat luculentam: quid nobilius sapit, quàm Hiramus cum Salomone

ne negotiatus? At Paullus Corinthios diligit, Ephesios, Milesios, non commodi caussâ, cùm ipsimet suæ manus ministrent; non voluptatis respectu, cùm instent *foris pugnæ, intus timores*; non honoris spe, cùm passim exsibiletur à Paganis, & à Christianis etiam notetur *præsentia corporis infirma*. Nihil ergo superest quod quærat, quàm quod aliis quærendum sincerâ affectione commendavit. *Nemo, quod suum sit, quærat, sed quod alterius: Non quæ sua sunt considerantes, sed quæ aliorum: Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis.*

XI. Non irritatur, nec facile irascitur.

Non irritatur παροξύνεται, id est de facili non irascitur. Quod iræ genus etsi omnium levissimum est, multò certè minùs vitiosum quàm aliud πικροχόλων acerbitatis retinentium, & velut piceo igne ardentium: vitiosum tamen etiam est, & valdè adversum caritati, nisi sedulò invigiletur. Nam in subitis motibus facillimè ad verba, nutus, gestus, facta indecora, acriaque interdum & contumeliosa prorumpitur, turbanturque consortia, contubernia, familiæ. Quare priscorum anachoretarum quispiam discipulos admonuit, ut iram omnino in mentem non admitterent: si improvisa irrepsisset, de mente ad linguam prosilire non sinerent: si ad linguam usque procucurrisset, à manibus saltem ac pedibus prorsùs arcerent. Equidem paucorum est repentinas nunquam iræ agitationes sentire; affectumque illum prærfervidum, ac præcipitem, ita continere in arbitrio ac potestate rationis, ut injussus non moveat. Non pauci tamen constante ac diuturnâ luctâ obtinuère; ut, si sese commoveat; tamen non erumpat, quomodò suis commendavit Bernardus serm. 29. in Cant. *Commotio tua tibi moriatur, ubi oritur; nec permittatur exire, quæ mortem portat, ne perimat: ut dicere possis cum Propheta, Turbatus sum, & non sum locutus.* Aptissimè autem post, *non quærere quæ sua sunt*, posuit, *non irritari*. quia etsi fontes iræ varii sunt, persrequens ille præsertim est ex meo & tuo, innumera bella gignente.

XII. Non cogitat malum, neque iram coquit, aut fovet.

Non cogitat malum. At nonne tu ipse, Apostole, malum de Alexandro, Philæto, Hermogene, cogitâsti? Nonne prævidisti venturos rapaces lupos, qui gregi non parcerent? Nonne, audiris Corinthiorum dissensionibus, optâsti, ut abscinderentur, qui eos conturbarent? Nihil isthic in caritatem peccatum est: dicitur enim non cogitare malum, id est temerè de aliis nec suspicari, nec judicare: suspicacia illa ingenia fraterno amori valdè adversari, cùm ipsæ suspiciones temerariæ illum lædant, & offensarum deinceps multarum, verbis factisve, fontes esse soleant. Ita quidam illud explicavère: neque incommodè ad istam Christi locutionem, *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Alii multò optiùs, & consequentiùs ad præcedentem notam, exposuère, de non recogitando malo, per proximum fortè nobis illato, de ira non fovenda, nec coquenda vindicta: quo genere loquendi dicitur Zach. 7. *Malum unusquisque fratri suo non cogitet in corde suo*; Græcè, μὴ μνησικακείτω: Ut nota præcedens iram subitam à caritate exclusam velit; hæc proscribat aliud iræ genus, acris ac diuturnæ, longè priore perniciosius. Quamquam terna quidam iræ genera statuunt; subitæ, acris, nigræ, ἀκροχόλων, πικροχόλων, μελαγχόλων. Gregorius lib. 5. Mor. c. 30. quatuor iracundorum gradus facit: primum, citò iram concipientium, citò deponentium, igni de calamis aridis similem: alterum, tardè concipientium, tardè deponentium, similem igni de crassioribus lignis: tertium, pessimum, citò concipientium, tardè deponentium, quem lapidi asbesto, aut somitibus nitro incoctis, comparavero: quartum, excitatæ de stuppis madidis flammæ non absimilem, atque adeò levissimum, tardè concipientium, citò deponentium. Secundum illud, & tertium genus, irarum tardè depositarum, à caritate alienissimum, hac notâ proscribi aiunt; idque ex Græci verbi significatione conficiunt, *non cogitat*, λογίζεται, *malum*: λογίζεσθαι autem est velut in rationario ponere, ad memoriam annotare, imputare; eoque verbo Græcus psalmorum textus utitur, ubi nos habemus, *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.*

XIII. Non gaudet super iniquitate, seu malo alterius.

Caritas itaque *non cogitat malum*, hoc est, non recogitat quid mali à proximo acceperit, non est memor injuriæ, offensas menti suæ non insculpit, iræ & vindictæ non incubat. Atque adeò, cùm facilè malefactorum alienorum obliviscatur, *non gaudet super iniquitate*; non tantùm ipse malum illi non coquit, à quo offensus est, sed neque inde lætatur, si quid ei alicunde adversi obvenerit. Talis enim lætitia innascitur animo valdè exulcerato, & detestabilis odii ad diaboli similitudinem pleno, ut supra num. 6. dicebat Augustinus. Nascitur etiam non rarò ex timida vindicta, quæ, quod ipsa non audet, ab aliis gaudet hosti suo inferri, damnum, doloremve. Vides ternas hasce postremas notas inter se ita dispositas esse, ut alteri altera, gradûs instar, substernatur. Nam, qui non irritabitur, nec repentinis iræ motibus cedet; idem non cogitabit malum, neque odium aut vindictam coquet: &, qui pertinaces iras non fovebit; idem de alterius malo non gaudebit. Quare, ut ad execranda ista vitia non prolabare, iram omninò ad animum non admitte, ut Augustinus Profuturo suadebat ep. 149. *Incomparabiliter melius est, iræ justè pulsanti non aperire penetrale cordis, quàm admittere, non facilè recessuram, & perventuram de surculo ad trabem.* Si tamen in mentem irrepsit, illicò expellatur: quia *inveterascens ira fit odium*, & acescit, *dum quasi diutiùs in vase detinetur. Festuca in oculo*, inquit idem serm. 16. de ver. Dom. *ira est, trabs verò odium. Festuca initium trabis est: nam trabs, quando nascitur, priùs festuca est. Rigando festucam, perducis ad trabem: alendo iram malis suspicionibus, perducis ad odium.*

XIV. Congaudet veritati, id est veris alternis bonis.

Nec solùm caritas *non gaudet super iniquitate*, id est de damno, incommodóve alterius: sed etiam *congaudet veritati*, id est sibi de bono alterius gratulatur qualecumque bonum sit, modò verum sit, & *veritatis* nomen mereatur. Sic enim affici, sincerè amantis est. Quemadmodùm manifestè Christus ostendit, quàm sincera & certa sua esset erga homines dilectio: quando quidquid uni ex minimis fratribus suis obsequii exhiberetur, sese pro sibimet exhibito accepturum testatus est. Et dilectus discipulus *senior* Cajo carissimo, ad certum sui in illum amoris testimonium, *Gavisus sum*, inquit, *valdè venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ*, id est veris bonis tuis, *sicut tu in veritate ambulas.* Ad dilectorum magistri & discipuli exempla *electus* quilibet, ut loquitur Gregorius l. 10. Mor. c. 17. qui *solâ in animo dilectione pinguescit*, istius dilectionis impulsu, *afflictis ex corde compatitur, de bonorum prosperitatibus, quasi de propriis, lætatur.*

Omnia

XV. Omnia suffert aliorum mala contegendo.

Omnia suffert Id eſt, ut ex Græco ſuprà num. 3. advertimos, *omnia tegit* : peccata primùm, oam, ut *odium ſuſcitat rixas*, Prov. 10. ita *& univerſa delicta operit caritas.* Tum etiam tegit mala cætera, quorum detectio damni aliquid, aut detrimenti afferret animo, corporive, aut famæ, vel rebus alterius. Cùm enim caritas de bono alieno lætetur, de malo non gaudeat : conſequena eſt, ut nihil aperiat, quo vel alienum malum augeatur, vel bonum minuatur; nec modò non aperiat, ſed, quà poteſt, obtegere conetur, etſi jam apertum & vulgatum eſt. Obteget autem, vel ſatagendo ue ſerpat ulteriùs; vel benignâ quadam interpretatione malum leniendo; vel illiua gravitatem conditionia alicujus notatione elevando; vel denique, ut exteri paſſim illud nôriot & eloquautur, à commemoratione abſtinendo: tantum abeſt, ut occultum alterius dedecua vel ipſe recitet, vel ab alio recitatum augeat, & ſpargat. Certè, quiſquis, extra boni publici privative cauſſam, ipſa etiam publicè nota aliorum mala vel audit lubenter, vel ultrò memorat, parum habet ſolidæ caritatis: nedùm ſi occulta vel evulgat, vel exaggerat, quod præterea injuſtitiæ eſt. Vera caritas, purpuræ ſuæ objectu, omnia omuium dedecora conatur operire: quomodò Eccleſiaſticorum culpas, paludamenti Cæſarei velo, ſeſe obtecturum Conſtantinus aiebat.

XVI. Omnia credit, & facilè benè fidem habet benè de proximo loquentibus.

Facillimè teget mala omnia, qui *omnia credit bona.* At quis omnia credit, niſi imprudens? Quæ autem caritas perfecta eſt, ſine prudentiæ comitatu? Nonue *pravum cor hominis, & inſcrutabile*, ſemitis iuoumeris diſſectum, diverticulis variatum, angiportis clauſum, penetralibus defoſſum? Ut meritò Momus, apud virum malum ſcriptorem bonum Lucianum, deſiderârit homini feneſtratum pectus, per quod intima iotroſpici poſſent. Nam oculorum feneſtræ, & oris ſpiracula, in tam artifici vultûs & ſermonis compoſitione, quid lateat aperire ſatis nequeunt. Paullus ipſe, candidiſſimæ caritatis ac veritatis præco, vetuit, noa omni ſpiritui credere : & Chriſti caritas voluit noa cavere ab hominibus, columbinæ ſimplicitati junctâ ſerpentinâ prudentiâ; cujus moniti expoſitionem ex Bernardo, Rabano, Proſpero dedimus ad l. 1. Mach. c. 12. ſub finem. Quid quòd, in ipſiſſimis veritatis & ſinceritatis adytis, Thomas Campenſis Geſſenve, Benedictious Monachus an Cauonicus Regularis, à quodam importuno percunctatore deceptus, ac proditus, inſcripſit cap. 45. lib. 3. *Quod omnibus non eſt credendum?* Quonam ergo pacto, inter tot ſinua fraudium, tot anfractus fallaciarũ, diminutis veritatibus à filiis hominum in corde & corde loquentium, caritas omnia credit? Præterquam quòd, etſi fallaces homines non forent, falſi tamen eſſent perſæpe; fallerentque alios, quia ipſi fallerentur. Nonnulli ut nodum hunc ſcindant potiùs, quàm ſolvant, notam hanc aiuut de caritate erga Deum intelligi: eam enim ex fide naſci, fidei tamen firmandæ plurimùm poſſe: quia quem diligimua, illi fidem habemus; &, quò vehementior dilectio eſt, eò promptior fides. Sed, iſtorum interpretum pace, non rectè à caritate proximi, ad caritatem Dei, in hac nota repentè diſceditur. Nam, quidquid adhuc expoſuimus, amor proximi præſtat, patiens, benignus, protervitæ, iræ, vindictæ alienus. Iſtud igitur itidem præſtabit, omnia credere: id eſt, opinor, proniſſimè fidem habere bona, læta, honorifica, de altero narrantibus. Sic enim ſolent, qui diligunt: difficillimè credunt malè de amico loquentibus, facillimè aſſentiuntur, & applaudunt, laudabilia referentibus. Quod uni facis, fac omnibus, ut vera caritas ſit, non amicitia ſingularis: inquire bona, inſpice in bona, audi bona, bona omnia de quibuſlibet crede, quantum potes.

XVII. Omnia ſperat, & nunquam de ſuperſtite deſperat.

Hunc in modum aptiſſimè iſta nota tum præcedenti, tum ſequenti, hærebit. Nam ſicut caritas omnia ſuffert, & obtegit, aliorum mala dedecoroſa, quà licet : ita omnia credit bona honeſta, quantum verax prudentia patitur. Et quomodò credit bona omnia, ſic *omnia ſperat*, præſertim quod ad morum emendationem, virtutis profectum, ſalutem attinet. De nemine, quamvis obdurato, deſperandum putat, *quamdiu in hoc corpore vivit*, ut loquitur Auguſtinus conc. ad plebem Cæſar. poſt collationem cum Emerito Donatiſta. Sed neque ex præteritis culpis certum pro futuro præjudicium infert. Neque enim neſcit multos in extremis annis, & ipſo fermè ſupremo ſpiritu, de fœda criminum ſervitute evaſiſſe in libertatem filiorum Dei: & de pluribus vitioſis, in cauſſa non diſſimili, dici poſſe, quod Auguſtinus epiſt. 66. Maximo medico ab Arianæ ſectæ erroribus, cùm jam ſenex eſſet, reſipiſcenti: *Vetuſtiſſimum errorem ſenili quadam juventute viciſti.* Itaque quidquid poteſt monitis, exemplis, orationibus, convertendo in melius homini adhibet: &, quamvis nihil ipſe poſſet, faceret tamen ex Auguſtini ſententia in pſ. 59. quod medicus pro ægro depoſito, qui adſtantibus dicit, *Bonus Dominus omnia poteſt, orate pro eo.*

XVIII. Omnia ſuſtinet.

Caritas enim quia omnia de proximo ad bonum ſperat, *omnia* itidem ad bonum proximi *ſuſtinet* : quæ utique non ſuſtineret, ſi prorsùs deſperaret. Quia enim, ſpe omni fructûs depoſitâ, vel rigabit, vel ſeret? Quis, certâ fruſtrandi conatûs omnia perſuaſione, ad aliorum emendationem vires corporis animîque contendat, & labores aſſiduos exhauriat? Sed quia de peccatore nullo, quamvis obfirmato & inveterato dierum malorum, unquam dum vivit exiſtimat deſperandum: idcirco omnia ſuſtinet, cum Paullo, propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur. Prorsùs ut in ſummis rerum ſuarum difficultatibus, opis alienæ conſiliîque ac ſolatii indigus, non deſinat tamen, quod in ſe eſt, alienæ ſaluti impendere: quemadmodùm medicus æger ægrorum nihilominùs aliorum ſanitatem non negligit. *Habent juſti hoc proprium, ut in dolore poſitæ tribulationis ſuæ, curam non deſerant utilitatis alienæ : & cùm de ſe adverſa patientes dolent, aliis neceſſaria docentes provident ; & quaſi percuſſi quidam magni medici ægrotant*, inquit Greg. lib. 3. in Job. cap. 12. Non faciat Chriſtiana caritas, quod fecit humana? Viſi ſervi, & ſubditi, vitam auctorare fortunæ dominorum; 1. Reg. 4. & 2. Reg. 15. Spectavit tyrannis attonita Damonem & Pythiam, par amicorum, mutuos captivitatis mortiſque ſponſores. Florentiæ ad an. 1259. ferox leo matrem ſtupuit, de qua Iud. Conc. Dom. 17. poſt Pent. Filii pro parentibus objecêre cervicem; parentes occubuêre pro filiis: maritus uxorem, maritum uxor ſuâ morte ſervavit. Talia patravit *fortis, ut mors, dilectio* naturalis: paria non perpetret caritas, quam aquæ obruere, flumina extinguere nequiverunt? Patravit enimverò

in milite, apud Ambr. lib. de virg. succedaneâ Theodoræ virginis ad martyrium victimâ; in Vitalio; Sebastiano, aliisque innumeris, manifesta mortis discrimina, ad confirmandos vacillantium Christianorum animos, adeuntibus. Patrabit in Christianis omnibus, qui seriò istud Joannis c. 3. attendere: esse, cùm *debemus pro fratribus animas ponere*, etsi hac majorem dilectionem nemo habet.

XIX.
Caritas numquam excidit: an in hac vita?

Caritatis notas qualitatésve quindecim, quarum septenæ affirmativæ sunt, octonæ negativæ, exegimus: earumque mutuam inter se connexionem, ac gradationem, ab aliis forsan non expressam, ostendimus. Notam, qualitatémve, decimam sextam aliqui in istis advertunt, *Caritas numquam excidit*: aiuntque illâ innui fidelitatem, ac firmitatem, caritatis Christianæ. Ut idem sit, numquam excidere caritatem, & constantem atque immotam permanere: numerenturque affirmativa caritatis indicia totidem, quot negativa, octona utrimque. Neque enim aliter de supernaturali caritate ratiocinandum, ac de dilectione naturali. De hac dici Prov. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est.* Amicitiam olim sic effigiatam fuisse, ut fronti *æstas & hyems* inscriberetur, pectori *cominus & eminus*. Pro indubitato jactatum priscis hoc verbum, *Amicitia, quæ desinere potuit, numquam fuit.* Amicitiam desinere, vel fastidio satietatis, vel morum offensâ, vel fortunæ melioris inviđâ, vel pejoris horrore: fastidium autem, offensámve, aut livorem, vel horrorem istiusmodi, in verum perfectumque amicum, quales nonnullos historia prisca celebravit, non cadere; amicitiam coli propter seipsam, non lucri caussâ, aut negotiationis, ut Seneca loquitur ep. 9. Similem in modum agi Christianâ caritate: quæ vera & perfecta sit, eam esse, quâ Paullinus Pammachium prosequebatur ep. 37. *Nec volo amicitiam nostram tempore metiaris. Non enim hæc ut sæcularis est, quæ spe sæpiùs, quàm fide paritur: sed spiritualis illa*, vide cætera sect. sup. num. 2. Sic fuit eorum amicitia, *in quorum caritatem* Augustinus ep. 15. *facilè se totum projiciebat, præsertim fatigatum scandalis sæculi. Deum quippe*, inquit, *illic esse sentio... Cùm hominem Christianâ caritate flagrantem, eaq; mihi fidelem amicum factum esse sentio, quidquid illi consiliorum meorum cogitationumq; comitto*, non homini committo, sed illi, in quo manet, ut talis sit, Deus enim caritas est. Ama in Deo, cum Deo, Christi caussâ, Christi exemplo, Christi fine, *in finem*, & caritas tua numquam excidet.

XX.
An in altera potius?

Ita inquiunt illi, quibus notam istam caritatis, numquam excidentis, aptare huic mortali vitæ placuit. Contrà alii disputant: caritatem, quamvis perfectam, erga Deum aliquando quibusdam in hac vita excidisse; posse igitur & caritatem proximi perfectam amitti, sicque accidisse Hieronymi & Ruffini simultates, Augustino plangendas ep. 15. Quare istud, *numquam excidit*, de caritate Beatorum inter se explicandū. Gratias gratis datas cessare: fidei habitum in cælis esse supervacuum: spei actum post judiciū tempus non fore necessarium: caritatem futuram æternam, &, quæ hic intermitti & intermori potest, illic numquam cessaturam, nedum morituram. Existimârim, in ista caritatis numquam desituræ commemoratione, non eam agnoscendæ illius notam, ac qualitatem, quàm efficax amplectendæ argumentum proponi. Tribus enim illam argumentis Paullus commendat: primùm, ex necessitate, quòd, qui eâ caruerit, frustra cæteras prærogativas, quantumvis eminentes, possideat: deinde, à duratione, quòd æternùm nos comitatura sit, adeoque hîc diligendi sunt, quos illic semper diligere oportebit: denique, à perfectione, quòd absque illa, puerorum instar, in spiritualium ac divinarum rerum cognitione & usu hallucinemur, & balbutiamus. Secundi argumenti vim benè expenderat Thomas Morus, quando ad carceris sui parietem carbone hanc sententiam scripsit: Qui tibi molesti modò sunt, æternùm vel peribunt, vel beati erunt: perituris mala immensa imminent, adeoque nulla hic optanda sunt: salvandos semper amabis, siquidem te illis consortem fore confidis, adeoque jam nunc inchoanda est eorum dilectio. De nemine, quantumvis improbo, quantumvis inimico, desperas? Nemini igitur dilectionem subtrahe, dum vivis, quam æternùm impensurus es mortuo. Vir bonus, *quamdiu est in hac vita*, inquit Augustinus, *utitur amico ad rependendam gratiam, utitur inimico ad patientiam, utitur quibus potest ad beneficentiam, utitur omnibus ad benevolentiam.*

XXI.
Notarum caritatis omnium summa, & series.

Notas omnes caritatis in summam contrahamus, & in ordinem utrumque digestas sub unum adspectum ponamus. *Longanimis* primùm *est*, in ferendis moribus alienis: &, quia illis non facilè avertitur, non facilè desinit esse *benefica*. *Invida non est*: quodque aut consequens, aut affine, *non protervè contumeliosa: non tumida*, atque adeò *non dedignabunda*. *non iracunda*, *nec vindictæ appetens*, *neque alieni mali lætabunda*; quo enim pacto gaudeat de malo alterius, quæ *veris aliorum bonis* tanquam suisipsius *afficitur*? Quæ, quantum potest, *aliena mala omnia obtegit*, & obruit: quæ *bona omnia*, quantum prudentia patitur, *& credit, & sperat*, de quolibet quantumvis projecto & desperato: quæ denique eam ob rem *nihil, ne mortem quidem ipsam, sustinere dubitat*, salutis alienæ caussâ.

XXII.
Caritas fraternæ vivendum, & moriendum.

Humanitas, id est humana naturalisque dilectio, apud Sen. ep. 88. *vetat superbum esse adversùs socios, vetat avarum: verbis, rebus, affectibus, comem se facilemq; præstat: nullum alienum malum putat, bonum autem suum id maximè, quod alicui bonum futurum est, amat.* Generosius etiam illud, & altius, heroëmque spirans epist. 9. post dissertationem de amicitiæ fine, & bono: *In quid igitur amicum paro? Ut sit, pro quo mori possim.* Ita ille ex ratione sentiebat. Ut mirandum non sit, post Christi, Paulli, plurimaque deinceps, Sanctorum exempla & monita, scriptum à Lactantio pro clausula libri de opificio Dei: *Si vita est optanda sapienti, profectò aliam nullam ob caussam vivere optaverim, quam ut aliquid efficiam quod vitâ dignum sit, & quod utilitatem... ad vivendum afferat, quod est maximè necessarium. Quo perfecto, satis me vixisse arbitrabor, & officium hominis implesse; si labor meus aliquos homines, ab erroribus revocatos, ad iter cæleste direxerit.* Neque illa Joannis Chrysostomi lib. 6. de sacerd. vox mira est; *Non persuasi mihi, quemquam salvum fieri posse, qui proximi salutem nihil promoverit: cùm miserum illum non juverit, talentum sibi datum non minuisse; sed perierit, quòd non duplicâsset.* Duplica talentum caritatis, orator Christiane, hasce illius notas, quod tibi tum ex nostris tum ex alienis facile fuerit, extendendo: eamque materiam Indicibus nostris concionatoriis adjiciendo; seu per Adventum, aut Quadragesimam, textu.

continuo

continuo explicare malueris; seu interpolatè per æstivas Dominicas, quibus Evangelia multa caritatem commendantia, aut ad illam accedentia, præleguntur.

SECTIO QUARTA.

Tolerantia mutua, & longanimis sufferentia.

I. Homines portare invicem à bestiis docentur.

ECCLESIA nobis quotidie ad sextam horam istud Paulli Gal. 6. prælegendum curat: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*: ut in negotiorum & dierum æstu, inter varia hominum quibuscum agimus ingenia, errorésque sæpe tum alienos tum nostros, meminerimus tenendam longanimem patientiam, ferendosque à nobis alios, quomodò ab aliis sufferendi sumus. Eam sententiam Augustinus exponit lib. 83. quæst. q. 71. &, commendandæ tolerantiæ mutuæ, cervorum gregatim fluvios longâ lineâ tranantium, capitibus tergo præcedentium impositis, exemplum adducit: primo, postquam aliquamdiu undas secuit, ad ultimum locum redeunte, & sic deinceps; ut inter se vicissim sublevent. Eamdem à cervis natantibus similitudinem, aliasque, non longè dispares, à ciconiis, anseribus, volucribusque aliis, ordine ad mutuum auxilium disposito volantibus, affert Eusebius Gallicanus, Eucheriúsve, sermone ad mon. de sufferentia mutua, ex istis Isaiæ verbis, *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet*: ubi istud etiam percommodè monet, arundinum instar esse non oportere, quibus est *infirmitas ad adjuvandum, & facilitas ad lædendum.*

II. Intuenda aliorum natura, & nostra.

Persuadendæ isti patientiæ longanimi, sufficere deberet commendatissima Christianis caritas; cujus primam notam, qualitatémve, aut effectum esse vidimus, *Patiens est. Quid enim suffert, qui fratrem non suffert*, inquit Aug. ep. 81. ad Eutropium Abbatem? Itaque si patientiam non habes alienorum defectuum, caritatem proximi non habes. Juvemus tamen intelligentiam, & voluntatem nostram, argumentis duobus, ex ipso petitis naturæ humanæ sinu. Ferenda nobis invicem onera nostra sunt, quia quibuscum versamur homines sunt, & quia nos ipsi homines sumus. *Alter alterius onera portate*, inquit Paullus: Quis *alter*, cujus *alterius*? Homo utique, hominis: infirmus, infirmi: portandus, portandi. Utrumque argumentum breviter Augustinus complexus est ep. 137. *Quantumcumque vigilet disciplina domûs meæ, homo sum, & inter homines vivo.*

III. Cogitandi ubique homines.

Quando te in istud ubi es contubernium, in id consortium, institutum, societatem dedisti: ecquosnam tibi eos fore finxisti, quibuscum versandum foret? Angelos forsan, quales in Societate JESU P. Arnoldus Cathius, Ruræmundanus Rector, sibi esse persuadebat: dicere solitus apud Allegambe in Bibl. Angelum, si inter mortales vivere vellet, hoc vitæ genus amplexurum. Aut illis non absimiles, quos, lib. de mor. Eccl. cap. 33. agens de monachis, Augustinus laudat: *Caritas præcipuè custoditur: caritati victus; caritati sermo, caritati habitus, caritati vultus aptatur: coitur in unam, conspiraturque, caritatem: hanc si quis resistit, expurgatur, atque vitatur: hanc si quis offendit, uno die durare non sinitur.* Postquam istâ fiduciâ mentem occupâris, & Angelos ubique, non homines, cogitâris: cave, ne, si humani aliquid accidat, quo caritas tam laudata lædatur, nimiùm re inexspectatâ turbêris, dicasque turbatus, cum imprudente illo apud Augustinum in ps. 99. *Putabam, quia caritas esset hic.*

IV. Qualescumque, & quocumque loco sint.

Angelica planè est religiosæ vitæ consuetudo; Angelica officia caritatis, & obedientiæ; Angelicæ orationum, & scientiarum, occupationes. Sed post congesta quantalibet in illud vivendi genus, quod exempli caussâ proferimus, encomia; istud denique ad singula subnectendum est, homines sunt. Et post Angelicæ conversationis annos triginta, & post divinorum colloquiorum quotidianas delitias, & post officiorum privatorum publicorumque assidua exercitia, & post continuata invictis animis virtutum studia: homines tamen sunt. Neque Hieronymus, postquam pectus diu contuderat, Bethlemum incoluerat, orbem docuerat, homo esse, & Augustinum aculeatis verbis pungere desiit. Et Paullus, postquam raptus in tertium cælum audivit arcana verba, hominem tamen non exuit, neque idcirco à Barnaba discessionem non fecit.

V. Quamdiu mortales sunt semper imperfecti sunt, & fragiles.

Hieronymus & Paullus antè imbecillitates omnes humanorum affectuum non deposuêre, quàm ad eum locum venêre, ubi imperfectum nostrum neque humani, nec divini oculi, ampliùs vident. Interroganti cuidam, Ecquando, post tot ascetices præcepta, errores & imperfectiones universas abdicâsse potuerimus: Tunc, inquit B. Franciscus Salesius, quando mortui erimus, & beati: interim sancta comitas, & sancta sufferentia colenda est, quamdiu non inter mortuos, sed inter mortales degimus. *Infirmi sunt, lutea vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias: sed, si angustantur vasa carnis, dilatentur spatia caritatis.* Ansulâ suâ, si integra est, vas figulinum gestas; aut pede, aut collo sustentas, ne solo affligatur, si ansulâ caret. Proximo tuo portando, commoda ansula est humana natura: eadem pes, & collum est. Suffer illum, quia homo est, quia luteus est, quia fragilis est: & cave, ne, malè ferendo, confringas fragilem; testamque inutilem, & aculeatam, & læsuram, de vase non inutili facias.

VI. Longanimis debet esse caritas.

Facilè, inquis, equidem portavero, bis térve errantem: neque una me, alterave, Hieronymi acerba epistola commoverit. At quotidiana ista culparum iteratio mihi nimis molesta est: patientiam inter incursus tam assiduos lassatam, & fatiscentem, tenere quî possim? Hominem, ut te audio, mi homo, tam citò oblitus es. Hominis est sæpè peccare, sæpè relabi; quia semper ipsum sua comitatur infirmitas: & illi non ter tantùm, neque usque septies, ignoscendum est, sed usque septuagies septies. Caritati non sufficit aliquoties patientem fuisse: longanimiter patiens sit oportet, nec repetitis culpis fatigetur: culpas oderit, amet peccantem, ut peccare desinat. Paullum imitetur, qui, ut Augustinus ait ep. 19. *Aliorum omnium malis omnibus, tamquam si sua essent, misericordis medicinæ diligentiam procurabat.* Quid autem si graviter peccet, si ex destinato, si manifestâ improbitate, & insolentiâ: quæ longanimitatis exercendæ materia non esse videtur, ex D. Thoma 2. 2. q. 135. art 5. & ex Augustino? Patere & istos nihilominùs, & diu patere, imò compatere, ut ait Boëth. l. 4. pr. 4. *Nam sicuti corporum languor, ita vitiositas quidam est quasi morbus animorum. Cùm ægros corporeq; minimè*

dignos odio, ſed potiùs miſeratione judicemus: multò magis non inſequendi, ſed miſerandi ſunt, quorum mentes, animi languore atrocior, urget improbitas.

VII.
Præſertim erga infirmitate peccantes.

Illi tamen præſertim, *qui infirmitate magis, quàm propoſito delinquunt*, inquit Auguſtinus adductus à Gloſſa in cap. 2. ep. ad Rom. *ſuſtentari per longanimitatem dicuntur*. cujuſmodi ferè ſunt inter Chriſtianos, inter eos ſaltem qui perfectioris vitæ inſtitutum profitentur. Quotus enim quiſque illorum pertinaci mente exultat in delictis ſuis, aut ex deſtinato malus eſt? Sed fragilitas illos ſua, mortalitatis individua comes, non deſeruit. Primùm itaque, ne mireris ſi errent, ne ſi frequenter quidem errent: hoc enim à naturæ imbecillitate eſt, hoc conſuetum eſt: conſuetis autem percelli nec ſolemus, nec debemus. Si non mireris, fiet, ut non turberis. Si non turbabere, neque exacerbabere; imò potiùs; quod Auguſtinus & Boethius ſuadebant, miſerebere. Si miſerebere, manum etiam, aut linguam ſaltem medicam, admovebis. Si mederi potis non es: orabis tamen ſupremum medicum, ut medicinam faciat: id certè cavebis ſummopere, ne quà malum irrites, vel affricando, vel pungendo.

VIII.
Illorum miſerias, quà poteſt, caritas miſeratur, & ſublevat.

De iſtiuſmodi homine, imbecillorum onera utriſque caritatis humeris portante, ſcitum illud eſt ac pium Bernardi ſerm. 12. in Cant. *Omnis in vobis, qui fraternas infirmitates tam corporum, quam animorum, non ſolum patienter ſupportat, ſed inſuper ſi licet, & ſi valet, juvat obſequiis, confortat alloquiis, conſiliis informat: ſi hoc non poteſt propter diſciplinam, ſolicitus ſaltem orationibus ſolatiari non ceſſat infirmo. Omnis, inquam, qui taliâ operatur in vobis, bonum omnino odorem ſpargit inter fratres, & odorem de unguentis optimis. Balſamum in ore, hujuſmodi frater in congregatione. Monſtratur digito, & dicunt de eo omnes*, quod de Jeremia Onias Machabæo dixit; *Hic eſt fratrum amator*. Prima enim, ac certiſſima, fraternæ caritatis nota eſt, patiens ac longanimis alienarum infirmitatum tolerantia.

IX.
Ad caritatem, nos ipſos homines cogitemus:

Ad quam ut magis excitère, non proximum modò tuum, ſed & te hominem cogita. Sic monebat Auguſtinus lib. 2. de ſerm. in monte c. 3. *Rarò objurgemus, nec niſi cogitantes nos homines eſſe.* Quid autem iſtud eſt, eſſe homines? Diſcipulus Auguſtini Proſper lib. 2. de Vita Contempl. cap. 6. explicat, & in geminam rationem partitur: *Quare nos, exemplo Salvatoris, non ſuſtineamus infirmos, cum & ipſi aut infirmi ſumus, & volumus à Deo portari; aut, ſi ſani ſumus, poſſumus adhuc, ut fragiles, infirmari?* Quia homo es, laboras intelligentiâ, voluntate vacillas, affectibus inquietaris, occaſionibus tentaris, atque adeo vel peccas, vel peccare potes; quia *omnis homo*, in quo numero tu es, *mendax*, & ad errandum proclivis. Rationes itaque tolerandorum peccantium duas Proſper complectitur: primam, quòd ipſi peccemus; alteram, quòd ſaltem peccare poſſimus.

X.
Alienæ miſericordiæ & patientiæ indigos.

Monuit Paullus Galatas cap. 6. ut *ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto*, hujuſmodi inſtruant *in ſpiritu lenitatis, conſiderans*, inquit, *temetipſum ne & tu tenteris.* Ut ſpiritum lenitatis erga alios habeas, conſidera temetipſum, vide qui ſis, & quàm alienâ lenitate indigeas. *Homo enim indigens miſericors eſt*, ut ait Sapiens Prov. 16. &, ut ad iſtud Paulli ſcribit Auguſtinus: *Nihil ad miſericordiam ſic inclinat, quam proprii periculi cogitatio.* Qui ſe indigum, & miſerum, vel eſſe, vel fieri poſſe, non ignorat, facilè erga egenos, ac miſeros, ſuavi & patienti caritate afficitur: qui non novit, immiſericors & impatiens de facili fuerit. Ad eam conſiderationem vocatus eſt ab Auguſtino ep. 75. Epiſcopus Auxilius. Nobilem virum, ejuſque familiam univerſam, implacabili rigore ſacris ſubmoverat. Monitus fuit ab Auguſtino, ut ſeſe ipſe inſpiceret; peccatoremque, ut peccatorum miſereretur, cogitaret; nec ſibi perſuaderet, Epiſcopos injuſtâ indignatione commoveri non poſſe: *Nec arbitreris, ideo nobis non poſſe ſubrepere injuſtam commotionem, quia Epiſcopi ſumus: ſed potius cogitemus, inter laqueos tentationum nos periculoſiſſime vivere, quia homines ſumus.*

XI.
Qui alios regit, aliena veſtigia comparet cum ſuis.

Cant. 1. ſponſus Deus, ſponſæ animæ ipſum amanti, ait: *Si ignoras te, ô pulcerrima mulierum, vade poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos juxta tabernacula paſtorum.* Vulgò iſthæc de ſpirituali proximi caritate, zelóve animarum, intelligunt: ſi ignoras te, id eſt, non neſcis quænam ſis, quo loco, gradu, pretio? aut, fierine poteſt, ut ipſa te non noveris, poſtquam tot divinis beneficiis ornata, tot gratiis dotata es? Itaque, ut amorem tuum ſponſo & dotatori teſtatum facias, *paſce oves meas, paſce agnos meos*, mitem & amabilem gregem: *quod infirmum eſt*, robora; *quod ægrotum*, ſana; *quod confractum*, alliga; *quod abjectum*, alleva; *quod perditum*, require. Sic aliqui expoſuêre. Putârim, non minùs commodè explicari poſſe, ut ſponſæ, ad longanimem regendæ familiæ patientiam, commendetur à ſponſo ſui ipſius cognitio, & propriæ mutabilitatis atque imbecillitatis quotidiana inſpectio. *Si ignoras te, ô pulcerrima mulierum*, ſi tui oblita es, ob accumulatas tibi à ſodalibus noſtris laudes, & auditum ex me modò pulcerrimæ encomium: cave obſecrò, intumeſcas nimium, & faſtuosè te circumſpicias. *Caritas* enim *non inflatur*: quia quiſquis inflatus eſt, & pro ſancto ſe habet, alienos errores non ſatis patienter tolerat: Quare, ut faſtum demittas, & fragilitatis tuæ tibi ſis conſcia, *vade poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos.* Vides petulcorum hædulorum ſaltus, errantium decurſus, præcipitantium pericula? Ita ſunt affectus tui, petulantes, errones, præcipites, niſi advigiletur: iiſdem tu & greges tui veſtigiis inſiſtitis. Homo regis homines. Subſiliunt fortè immodicè, longè aberrant, profundè præcipitant: nonne & tu diſſiliiſſe, aberrâſſe, præcipitâſſe potueras, & adhuc potes?

XII.
Nec tantùm peccare poſſumus, ſed reipſa peccamus.

Dic igitur tibi ipſe iſtud Bernardi, iſtud Auguſtini, & ſapientum omnium: *Quid de me tentatio iſta feciſſet, ſi parem in me poteſtatem habuiſſet? Non eſt peccatum, quod fecit unus homo, quod non faciat alter homo, niſi ab eo juvetur, à quo factus eſt unus homo.* Cùm autem hoc de nobis, quocumque gradu ſimus, veriſſimè pronuntiemus, etiam quod ad graviſſima quæque peccata pertinet: quantò id magis de quotidianis defectibus deordinatorum affectuum, quibus non modò ſumus obnoxii, ſed reipſa frequenter offendimus? Quis enim noſtrûm cum Moſaicæ legis Pontificibus Hebr. 5. non adeò *circumdatus eſt infirmitate*, ut hoſtias offerre debeat *primùm pro peccatis ſuis, deinde pro populi?* Quis, cum legis Chriſtianæ ſacerdotibus, non offerat ex animo *immaculatam hoſtiam pro innumerabilibus peccatis, & offenſionibus, & negligentiis* ſuis?

Meritò

XIII. *Quæ Christi lex impleatur aliena onera portando?*

Meritò itaque alter alterius onera portabimus, ut adimpleamus legem Christi. Sed quam legem? An potentissimam illam ab ejus exemplo, ad quod Corinthios 2. 10. vocabat Paullus, *Obsecro vos per mansuetudinem Christi*: quod Bernardus serm. 9. in Cant. vocat, *duo sponsi ubera, duo ingenita mansuetudinis argumenta, quâ patienter exspectat delinquentem, & clementer recipit pœnitentem*: quod prænonstravit Isaias cap. 42. *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet?* An istam, in monte latam à Christo, Evangelicæ doctrinæ fundamenta jaciente: *Nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini: quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis?* An hanc dilectionis mutuæ, quam Christus *mandatum novum* apellavit, & quam propriè præceptum suum esse voluit, *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem?* Quidni & istam Petro dictatam, præscriptam omnibus, remittendum fratri peccanti *usque septuagies septies?* Quidni & hanc digito in terra exaratam, ab inclinato ad misericordiam Christo Joan. 8. *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat?* Si tibi peccati nullius conscius es, peccantes lapida, per me licet, duris verbis, saxeis increpationibus. Si autem peccator es, neque ipse lapidum grandine obrui desideras, peccatoribus aliis noli ut grando crepitans tectis ingruere; sed ut stillicidia stillantia molliter super terram, & sicut pluvia sine strepitu descendens in vellus.

XIV. *Qui se peccatorem nescit, misero miserabilior est.*

Peccatorem te esse, & quotidianas noxas patrare non existimas? Audies igitur tibi à Paullo dictum, *Qui se existimat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Audies & illud Augustini in ps. 54. *Sed quid? separaturus est se, qui benè profecit, ut nullum omninò hominem patiatur? Quid si & illum, antequam proficeret, nullus vellet pati? ..., Non habes tu quid in te alius sustineat! Miror si non est: nisi etiam fortè magis sustinendus es.* Addis enim ad frequentes errores tuos & istum longè graviorem, quòd te ipse non noveris, tibi blandiaris, quia forsan nimiùm aliena considerás. *Tamdiu* enim, inquit Prosper lib. 2. cap. 6. *quis peccata sua, quæ nosse ac flere debet, ignorat, quamdiu curiosè aliena considerat.* Facis, quod fabulosa illa mulier, cui exemptitii erant oculi, conspicillorum nostrorum instar; nec sumebantur, nisi cùm foras erat exeundum; domi condebantur in loculis. Dicis cum Laodicensi Angelo Apoc. 3. *Quòd dives sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*, & ideò miserabilior, quia miserum te nescis, & cæcus es.

XV. *Mutua infirmorum tolerantia & auxilium.*

Anthologiæ Græcæ l. 1. *Claudum dicitur cæcum dorso tulisse, pedes commodans, oculos commodato accipiens.* Ita isti alter alterius onera portavêre, & infirmitates invicem ope mutuâ sublevavêre. Eumdem tu in modum, cæce homo, alienos errores disce longanimi patientiâ tolerare, quia & tui vicissim ab aliis tolerandi sunt; &, si illos nescis, tua ipsa toleranda est cæcitas. Tumidus ille est, tu temerarius es: lentus ille, tu præceps: ille melancholicus, tu iracundus: ille aspernabundus, tu detractor, & susurro: ille jocorum impatiens, tu jocator contumeliosus: & ne totum tibi tuum conscientiæ examen digeram, ille peccator est, tu superbus, atque adeò pejor es. *Trabs in oculo*, inquit Bernardus cap. 2. de grad. hum. *superbia in mente.... Ita ut, si tuam occupaverit mentem, jam tu te videre, jam te talem, qualis es, vel qualis esse potes, non possis sentire: sed qualem te amas, talem te putes esse, vel speres fore.*

XIV. *Malorum propriorum cognitio fraternæ caritati necessaria.*

Eodem capite Bernardus nihil arbitratur esse validius, ad persuadendam nobis alienorum defectuum misericordiam, & tolerantiam, quàm nostrorum notitiam. Christum ipsum, ut teneriùs erga miseros afficeretur, voluisse per omnia tentari, pro similitudine absque peccato. *Si ergo se miserum facit, qui miser non erat, ut experiretur, quod & antè sciebat: quantò magis tu, non dico ut te facias quod non es, sed ut attendas quod es, quia verè miser es; & sic discas misereri, quia hoc aliter scire non potes. Ne fortè, si proximi malum consideres, & tuum non attendas, movearis non ad miserationem, sed ad indignationem; non ad adjuvandum, sed ad judicandum; denique non ad instruendum in spiritu lenitatis, sed ad destruendum in spiritu furoris.* Indignabatur Simon Leprosus, quòd ad convivam suum Christum mulier peccatrix, importunâ pœnitentiâ, irruisset. At mox illi Christus, duos dixit esse debitores cuidam fœneratori: ut Simon sese etiam cogitaret esse debitorem, & adversùs peccatricem non excandesceret. Ecquid enim in alio non fers, quod in te ferendum est? Ipse non es, qui esse velles: quid indignaris alium talem non esse, qualem volueris? *Non dico, ut te facias, quod non es*, ut consideres quod esse potes: *sed, ut attendas, quod reipsa es.* Intuebere proculdubio in te nonnulla, ad quæ patienda opus est, ut tui alienive longanimitatem adhibeant, ne frequentia dissidia, tumultus, & alienationes oriantur. Vicissim ergo tibi, ad caritatis constantem custodiam, longanimitas sit in excubiis: ne fastidia, iræ, aversiones, vel apertis insultibus mentem invadant, vel occultis cuniculis irrepant. Hoc pacto diliges proximum tuum, sicut teipsum; & alteri facies, quod tibi factum volueris.

XVII. *Verba Christi persuasio caritatis.*

Si lubuerit argumenta potentissima persuadendæ defectuum alienorum patientiæ, & cuivis alteri caritatis operi, in summam contrahere: confer in unum sententias Evangelicas, quibus Christus caritatem fraternam commendat. *Hæc mando vobis. Hoc est præceptum meum, Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Potuit unica Salustii, viri non boni, boni scriptoris, sententia Ethnico homini fraternum amorem, constantem amicitiam, persuadere: non poterunt tot Dei-hominis sententiæ Christiano persuadere caritatem? Legat Senecam epist. 94. & erubescat. *Marcum Agrippa, vir ingentis animi, qui solus ex his, quos bella civilia claros potentesq; fecerunt, felix in publicum fuit, dicere solebat, multùm se huic debere sententiæ: Nam concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur. Hac se & fratrem, & amicum optimum factum.*

CAPUT NONUM.

ARGUMENTUM.

Antiochus Epiphanes Persepolitanum templum expilare, civitatemq; opprimere conatus, concurrente ad arma multitudine, in fugam avertitur, & in itinere audit, de Nicanore ac Timotheo à Iudæis cæso. Percitus nuntio, & ad vindictam, Iudaïcæq; nationis perniciem, accensus, iter accelerari, currumq; agitari jubet. Sed, in ipsis adversùs Iudæos minacibus verbis, divinitùs acerbissimo viscerum dolore percussus, tum de curru effusus, cùm ejus succussionem ampliùs pati non posset, in sella gestatoria deportatur. Deinde, crescentibus in momenta doloribus, computrescente & vermibus scaturiente corpore, sibi suisq; intolerabilis, fastum tamdem submisit: vindicemq; Dei manum agnovit, & sibi propitiare conatus est, multis meliorum promissis, serâ malefactorum pœnitentiâ. Ad extremum, augescente semper cruciatu, spe vitæ depositâ, & Iudæis fide erga filium suum per amicas ac supplices literas commendatâ, digno vita exitu, peregrè in montibus animam exspuit. Corpus in Syriam revehebat Philippus ejus collactaneus: sed Epiphanis filium Eupatorem veritus, ad Ægypti Regem se recepit.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

℣. 1. EODEM tempore Antiochus inhonestè revertebatur de Perside. 2. Intraverat enim in eam, quæ dicitur Persepolis, & tentavit expoliare templum, & civitatem opprimere: sed multitudine ad arma concurrente, in fugam versi sunt: & ita contigit, ut Antiochus post fugam turpiter rediret. 3. Et cùm venisset circa Ecbatanam, recognovit quæ erga Nicanorem & Timotheum gesta sunt. 4. Elatus autem in ira, arbitrabatur se, injuriam illorum qui se fugaverant, posse in Iudæos retorquere: ideoque jussit agitari currum suum, sine intermissione agens iter, cælesti eum judicio perurgente, eò quòd ita superbè locutus est se venturum Ierosolymam, & congeriem sepulcri Iudæorum eam facturum. 5. Sed qui universa conspicit Dominus Deus Israël, percussit eum insanabili & invisibili plaga. Ut enim finivit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta: 6. & quidem satis justè, quippe qui

qui multis & novis cruciatibus aliorum torserat viscera, licèt ille nullo modo à sua malitia cessaret. 7. Super hoc autem superbiâ repletus, ignem spirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, & gravi corporis collisione membra vexari. 8. Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans: 9. ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur. 10. & qui paullò antè sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. 11. Hinc igitur cœpit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divinâ admonitus plagâ, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus. 12. & cùm nec ipse jam fœtorem suum ferre posset, ita ait: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. 13. Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. 14. Et civitatem, ad quam festinans veniebat ut eam ad solum deduceret, ac sepulcrum congestorum faceret, nunc optat liberam reddere: 15. & Iudæos, quos nec sepulturâ quidem se dignos habiturum, sed avibus ac feris diripiendos traditurum, & cum parvulis exterminaturum dixerat, æquales nunc Atheniensibus facturum pollicetur: 16. templum etiam sanctum, quod priùs exspoliaverat, optimis donis ornaturum, & sancta vasa multiplicaturum, & pertinentes ad sacrificia sumptus de redditibus suis præstaturum: 17. super hæc, & Iudæum se futurum, & omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem. 18. Sed non cessantibus doloribus (supervenerat enim in eum justum Dei judicium) desperans scripsit ad Iudæos in modum deprecationis epistolam hæc continentem:

19. Optimis civibus Iudæis plurimam salutem, & benè valere, & esse fœlices, rex & princeps Antiochus. 20. Si benè valetis, & filii vestri, & ex sententia vobis cuncta sunt, maximas agimus gratias. 21. Et ego in infirmitate constitutus, vestri autem memor benignè, reversus de Persidis locis, & infirmitate gravi apprehensus, necessarium duxi pro communi utilitate curam habere: 22. non desperans memetipsum, sed spem multam habens effugiendi infirmitatem. 23. Respiciens autem quòd & pater meus, quibus temporibus in locis superioribus ducebat exercitum, ostendit qui post se susciperet principatum: 24. ut si quid contrarium accideret, aut difficile nunciaretur, scientes hi qui in regionibus erant, cui esset rerum summa derelicta, non turbarentur. 25. Ad hæc considerans de proximo potentes quosque & vicinos temporibus insidiantes, & eventum expectantes, designavi filium meum Antiochum regem, quem sæpè recurrens in superiora regna multis vestrûm commendabam: & scripsi ad eum quæ subjecta sunt. 26. Oro itaque vos & peto, memores beneficiorum publicè & privatim, ut unusquisque conservet fidem ad me & ad filium meum. 27. Confido enim, eum modestè & humanè acturum, & sequentem propositum meum, & communem vobis fore. 28. Igitur homicida & blasphemus pessimè percussus, & ut ipse alios tractaverat, peregrè in montibus miserabili obitu vitâ functus est. 29. Transferebat autem corpus Philippus collactaneus ejus, qui metuens filium Antiochi, ad Ptolemæum Philometorem in Ægyptum abiit.

COMMENTARIUS AD CAPUT NONUM.

Antiochi de Perside reditus.

℣. 1. Eodem tempore Antiochus inhoneste revertebatur de Perside. Profectio ipsius in Persidem, occasione colligendæ ex tributis pecuniæ, narratur lib. 1. c. 3. vers. 23. &c. Reditus, & mors, narratur ejusdem libri capite 6. à vers. 1. ad 17. Quidam etiam arbitrati sunt, eam expeditionem narrari hujus libri cap. 1. vers. 11. &c. Sed nos censuimus, & modò censemus, in ista Judæorum ad Ægyptiacos fratres epistola, de Antiocho Sidere agi, non autem de Epiphane. Nihil ergo hic nobis ad utriusque libri conciliationem agendum; quàm ut prioris caput sextum cum posterioris capite nono componamus, &, si quæ sint in speciem antilogiæ, conciliemus.

Difficultas de tempore.

Ac primùm in ipso capitis initio difficultas occurrit. Quomodò enim *eodem tempore* dicitur *Antiochus inhoneste* reversus è Perside; quo *Nicanor solus venit Antiochiam?* Constat enim ex lib. 1. cap. 6. nuntiatam fuisse Antiocho in Babylonia, non Nicànoris modò ac Timothei cladem, sed etiam Lysiæ, quæ proximè sequenti anno contigit, post quam demum facta est Templi instauratio: de qua etiam ante morbum Antiochus audiit.

Solutio una.

Respondeo, potuisse *eodem* omnino *tempore* accidisse fugam Nicanoris, & Antiochi. Neque enim necesse est, ut Antiochus statim à clade Persepoli accepta venerit Ecbatanam, ubi sinistra de Judaicis rebus nuntia intellexit. Faciamus ergo, Nicanorem exeunte anno Græcorum 147. de Judæa profugisse, eodemque tempore Antiochum Persepoli repulsum. Post istam tamen repulsam, nihil prohibet quin hæserit tum in Perside, tum in Media, usque ad exeuntem annum 148. civibus Persepolitanis ipsum ultra fines suos non insequentibus, neque iter maturare cogentibus: quo demum tempore nova de clade suorum audierit.

Et altera.

Si cui responsio ista minùs placuerit, dicas, particulam istam, *eodem tempore*, laxè sumendam præterpropter, seu sub idem tempus: quando scilicet, quæ jam de Nicanoris fuga narrata sunt, & quæ mox cap. 10. de Templo per Judam instaurato dicentur, contigêre. Facta autem sunt isthæc intra decem aut circiter mensium spatium. quod spatium pro *eodem tempore* commodè accipi potest.

Antiochus tentat Persepolim, quo nomine urbes duæ fuère.

℣. 2. Intravit autem in eam, quæ dicitur Persepolis: libro priore vocatur ea urbs Elymais, diciturque Antiochus eam capere conatus, quod hoc loco Hagiographus noster vocat *opprimere*. Intràrat enim pacato agmine, ut diximus ad eum locum; ubi etiam quidquid apparet antilogiæ, futilesque exinde heterodoxorum adversùs Hagiographum nostrum objectiones, dissolvimus. Frustra itaque recentior, istis objectionibus retundendis, existimavit binas, auctore quem sciam nullo, Persepoles statuendas: ab Alexandro deletam unam, ex Curtii narratione: ab eodem ornatam ac locupletatam alteram, & hic ab Antiocho tentatam.

Revertitur.

℣. 3. Et cùm venisset circa Ecbatanam. Libro priore dicitur *reversus in Babyloniam*. Istum etiam parvum nodum ibidem extricavimus. Alius hic occurrit, ex eo quòd dicatur *circa Ecbatanam* audisse de suis in Judæa damnis, libro autem priore dicatur *in Perside*. Sed Persidis nomine Media, cujus Ecbatana caput fuit, & Babylonia conterminæque omnes regiones, venire solebant, ex quo Persis paruerant, uti ad vers. 13. cap. 1. suprà advertimus.

Audit de suorum clade in Judæa.

Recognovit, quæ erga Nicanorem et Timotheum gesta sunt. Et hic sese objicit nova difficultas, quam etsi alii, quos equidem viderim, non attigêre, uti & non paucas ejusmodi; à nobis tamen prætermitti non oportet. Diximus anno 147. cæsos Nicanorem & Timotheum: Lysias anno 148. cæsus est: Templum, à Lysiæ clade, instauratum est ejusdem anni mense nono: nuntiata isthæc Antiocho, in superioribus regionibus agenti, de Nicanoris & Timothei clade constat ex hoc loco; de Lysia cæso, & Templo instaurato, constat ex libro 1.

Quandònam audierit?

An ergo simul de rebus, tot inter se mensium spatio dissitis, Antiochus audivit? Non debuit ipsi nuntiata fuisse Nicanoris & Timothei clades, totis fermè mensibus decem ante nova de Templi reparatione? Potuit certè fuisse nuntiata: forsan & fuit. Dicit enim Hagiographus noster, *recognovisse* ista: si autem recognovit, antè cognoverat. Audierat priùs, sed in animum altè non descenderant. Nunc verò post dedecus Persepolitanum, & post aliorum ex Judæa tristium eventorum cumulata nuntia, recogitavit, & seriò perpendit communem jacturam suorum, & suam: *recognovit*, & attentè consideravit, quantum detrimenti accepisset. Solent enim nova mala excitare præteritorum recordationem, eorumque dolorem exacerbare; uti cum dirumpuntur non benè obductæ cicatrices.

Damna sua Regibus serò innotescunt.

Sed esto, non antè de Nicanoris & Timothei infortunio audierit, quàm de consequentibus: nihil tamen in ea re insolens video. In aulis uber est adulatorum proventus, bona, si quæ sunt inculcantium; mala, si quæ ingruunt, vel dissimulantium, vel minuentium. Cladem Nicanoris, & Timothei, Lysias sperabat à se reparatum iri: famam itaque, quà poterat, vel suffocavit, vel imminuit; nuntiosque vel prohibuit, vel instruxit, ne Antiochi animus verâ narratione vulneraretur. Si nihilominus fama sibi viam fecit, ut in Persidem pervaderet; amici Regis ita omnes aditus obsedêre, ut ad Regia aures integra non pervenerit. Factum itaque Antiocho, quod postmodùm Augusto in domestica infamia, quam ultimus fermè Romanorum scivit. Sic Epiphanes totam Nicanoris & Timothei jacturam non cognovit, nisi postquam, aliis in dies augescentibus, dissimulari ampliùs non potuit.

Cur Lysiæ Antiochus tutelam filii ademerit?

Quid si non clades modò Lysiæ, sed ista ipsius dissimulatio, in caussa fuit, cur cum Antiochus moribundus à regni procuratione, & filii sui tutela, censuerit amovendum, Philippumque illi substituerit? Etsi enim infrà vers. 29. de ista substitutione mentio non fiat: constat tamen ex l. 1. cap. 6. vers. 14. & 15. Vide dicta à nobis ad eum locum: & ad caussas istius mutationis ibi adductas, adde & hanc non improbabilem, de dissimulatis nimis diu rerum suarum in Judæa periculis.

℣. 4. Ela-

Ejus in Judæos furor. ℣. 4. ELATUS AUTEM IN IRA, & geminato dolore exacerbatus Epiphanes, *arbitrabatur injuriam eorum, qui se fugaverant* Persepolitarum, *posse* in Judæos retorquere? Sic nuper post irritam expeditionem Ægyptiacam, quidquid indignationis conceperat, in Judæos effudit: ferarum more, quæ, cùm lædentem assequi non possunt, in obvios quosque sæviunt.

Festinatio itineris. IDEOQUE IUSSIT AGITARI CURRUM SUUM, ut quod animo destinirat, & spe conceperat, Judaicæ gentis excidium maturaret: *sine intermissione agens iter*, non quòd noctes æquè, ac dies, proficisceretur, sed quòd dies nullos cessaret, neque ullo in loco hæreret, nisi ad necessariam quietem: *cælesti eum judicio perurgente*, instabat scelesto ultor à tergo Deus, & properantis vestigia premebat, ipsámque ejus festinationem ad vindictæ suæ ministerium ordinabat. Properabat Antiochus, ut Judæos perderet: properare eum Deus sinebat, ut ipse de curru inter properandum excussus perderetur.

Minæ Antiochi in Judæos. EÒ QUÒD ITA SUPERBE LOCUTUS EST. Redditur ratio, cur ita festinaret Antiochus, & cur ipsi vindicta divina instaret. Festinabat ille, ut furorem conceptum, & verbis demonstratum, evomeret. Hæc imminebat, ut furentis superbiam, antequam destinata exequeretur, contunderet. Dixerat enim, *se venturum Ierosolymam, & congeriem sepulcri Iudæorum eam facturum.* Græcè pro, *congeriem sepulcri*, habetur *πολυάνδριον*, quod alii apud Salianum vertunt cœmeterium, alii commune sepulcrum, quidam sepulcretum. Minatus itaque fuerat Antiochus, se cæsos Judæos omnes, quotquot occurrissent, ruinis Hierosolymitanæ urbis sepulturum, velut communi tumulo.

Primum ejus supplicium. ℣. 5. SED QUI UNIVERSA CONSPICIT DOMINUS, *παντεπόπτης κύριος*: quædam tamen exemplaria habent *παντοκράτωρ*, *omnipotens*: utrumque epitheton convenientissimè additur. Nam *Deus Israël* quando *percussit* Antiochum *insanabili & invisibili plagâ*, ostendit se inspectorem omnium, & omnium potentem, & ubique oculos habere, auresque ac manus. *Ut enim* Antiochus *finivit hunc ipsum sermonem*, comminatorium adversùs Judæos, *statim apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta*; colicam dicimus, dolorem acutissimum cola seu intestina crucianteni, cujus sensus qualis sit experti novêre.

Talionem Deus rependit, obdurato tamen. ℣. 6. ET QUIDEM SATIS IUSTE &c. Primâ versùs parte, commendatur Dei justitia, talionem Antiocho rependentis. Alterâ parte, notatur obduratio Antiochi, non resipiscentis ad tam repentinam de cælo vindictam. *Qui multis & novis cruciatibus aliorum torserat viscera*, vel torquenda curaverat, uti Martyrum septem, & senis Eleazari, Judæorumque aliorum: ejus meritò viscera diro dolore discerpuntur. *Licèt ille nullo modo à malitia cessaret*, quia nondum Dei manum agnoscebat, sed morbum ex caussis naturalibus ortum arbitrabatur, breviqùe ut ejusmodi morbis fieri assolet, desiturum.

Alterum Antiochi supplicium. ℣. 7. SUPER HOC AUTEM SUPERBIA REPLETUS &c. Altos spiritus non fregerat prima manûs divinæ percussio. Itaque, dum præcipit agitari currum, ex successione in terram allisus, contususque, & vectationis deinceps impatiens, in sella deportandus fuit. Gorionides conjectat, barritu elephanti consternatos equos currum evertisse; eoque lapsu, ossa ipsa pinguis & obesi Epiphanis obtrita. Quæ conjectura etsi vero non absimilis est, vera tamen non videtur, si Scripturam penitiùs intueamur; quæ ideò eversum currum indicat, quia *impetu* ferebatur.

In quo agnita Dei manus. Secundo hoc supplicio, *manifestam Dei virtutem in semetipso* Antiochus dicitur fuisse *contestatus*: quod dupliciter intelligi potest. Primùm, ut ipse tandem illo lapsu vindicem Dei manum agnoverit. Deinde, ut quamvis ipse forsan nondum agnosceret, alii tamen in illo evidenter spectarent. Utrumque potuit factum esse: mâlim tamen alterum tantummodò, ut aliis in se testimonium evidens ultionis divinæ præbuerit. Nam ipse post verminationem demum dicitur *ad agnitionem sui venire cœpisse*, infrà vers. 11.

Tertium supplicium. ℣. 9. 10. ITA UT IN CORPORE IMPII VERMES SCATURIRENT, putrescentibus cum sanguine concreto carnibus contusis, forsan & intestinis ipsis, ut non malè conjicit Liranus. *Ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent* tabidæ, & præmortuæ, quomodò nunc interdum accidere fœtidissimâ lue venereâ computrescentibus. *Odore etiam illius, & fœtore, exercitus gravaretur*, velut spirantis cadaveris. Olidissimum inter animalium cadavera, humanum est: tantoque olidius, quantò magis delicias & voluptates expertum; quâ de re nonnihil aliquid Exc. ad l. 1. c. 10. sect. 1. num. 3. Similiter Antiocho, percussus Prorex Hiberniæ fœtidissimo morbo, & diris doloribus, in ipso medio exercitu, ad an. 1579. post crudelissimè tortum Patricium Ochelium Franciscanum, ab eo provocatus ad divinum tribunal. Vide Spondanum eo anno.

Ejus gradus quatuor. Paucis verbis tria Antiochi supplicia commemorantur, aut tertii potiùs tres gradus. Primùm enim verminare carnes collisæ, & viscera tabescentia. Deinde exesa à vermibus caro, & sanie diffluens, solvi. Tum exhalare teterrimus odor, & militibus intolerabilis. Accessit denique quartus gradus versu 12. quòd, non milites modò ac domestici, sed nec suam ipse graveolentiam ferre posset. Quemadmodùm accidisse posteà Græculæ cuipiam, conjugi Veneti Ducis, ad fastidium delicatæ, ad nauseam omnium ante funus ac mortem in supremò morbo computrescentis, narrat B. Pet. Dam. opusc. ad Blancam Comitissam.

Conciliatur utriusque libri narratio in suppliciis Antiochi. At ubi, inquis, *languor* & *tristitia*, & morbus, ob quem Antiochus decidit *in lectum*, & fuit ibi *dies multos*: ut loquitur Hagiographus libro primo? Respondeo: optimè isthæc libri primi cum hisce libri secundi convenire. *Tristitia* Antiochum invasit, simul cum *ira* immodicè effervescente. *Languere* cœpit, quando ingruit dirus viscerum dolor. *Lecto* affixus est, quando nec gestationem ipso amplius pati, nec fœtorem bajuli ferre potuerunt. *Dies multos* languor tenuit, quia membratim mortuus est, & per partes, quomodò ferè solent quos cancer exedit.

An pediculari morbo Antiochus afflictus? Quæres, quo vermium genere scaturierit Antiochi corpus? Pediculari morbo cruciatum, Serarius statuit, &, quos Tirinus compendio indicat, ipse paullò fusiùs recenset. *Nota*, inquit, *morbo isto pediculari, de quo lib. 5. Lucretius, & Serenus, gravissimos olim peccatores divinitus affectos fuisse: Herodem apud Iosephum l. 17. c. 8. Herodem alterum Act. 12. Hunericum Vandalorum Regem apud Victorem l. 3. Maximianum apud Eusebium l. 8. c. 28. Iulianum apud Sozomenum l. 5. c. 7. Sic & apostata Theotecnus apud Nicephorum lib. 10. cap. 29. aliusq́, qui altare perminxerat. Apud Tertullianum*

lib. ad

lib. ad Scapulam, Nigellius Saturnius, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit. Claudius Hermianus in Cappadocia, cùm, indignè ferens uxorem suam ad hanc sectam transisse, Christianos crudeliter tractâsset, solusq; in prætorio suo vastatus peste vivus vermibus ebullisset: Nemo sciat, aiebat, ne sibi gaudeant Christiani. Apud S. Antiochum Palæstinum hom. 84. impurus quidam canusq; jam monachus, cùm ad impuras nuptias omnemq; lasciviam, imò &, quod dictu horrendum, à Christiana fide ad Iudaismum & circumcisionem transisset; nefariâ tandem horrendaq; morte miserè disruptus est: catharri enim profluvium aliquamdiu passus, & vermium arrosione contabescens, exspiravit. Et nostro sæculo Calvinus, cap. 22. vita ipsius, quomodo mortuus? In alia ejusdem vita, quam scripsit ipsius corculum & delitium Theodorus Beza, hæc verba sunt: Tam variis eum & multiplicibus morbis cruciatum fuisse, ut planè sit incredibile; hemicrania scilicet, hæmorrhoidibus ulcerosis, sanguine excrementitio, quartanâ, podagrâ, calculo, & colicâ.

Pii etiam eo morbo laboravêre.

Ista doctè congessit Serarius. Videre de eodem argumento possis Aldrov. l. 5. c. 4. Quibus adde, in vita Camilli de Lellis narrari, quosdam ejus discipulos, ægris pediculsribus in nosocomio ministrantes, hac labe affectos & mortuos: tantam enim ibi vim pediculorum fuisse, ut vestes, ægris detractæ, sponte moveri traluque viderentur; ipsæque ministrantium mensæ, ac fercula, istis animalculis scaterent. Ut scias, morbum illum non solorum impiorum esse: nec mirere Regi nuper, pietate ac sapientiâ inprimis magno, contigisse. Vidi ego senem sacerdotem, in domo admodùm religiosa, pediculis obsitum, latisque ulceribus ex eorum scaturigine, medicamentorum vim omnem superante, laceratum, eique tabi immortuum. Quamquam id morbi non immeritò homini, quamvis pio, divinitùs inflictum existimatur, ad castigandam nimiam corporis curam, quâ supremis annis laboraverat. Neque enim communibus, ut ejus domûs leges ferebant, contentus, ne istis quidem, quibus infirmos religiosa caritas sublevat: foris ab amicis non tam valetudinis subsidia, quàm appetentiæ immoderatæ alimenta excipiebat; tantò spectabiliore notâ & exemplo, quantò ibidem senex alius, annis meritisque majoribus, temperantior cernebatur.

Vermibus aliis vexatus Antiochus.

Vermes tamen Antiochi ex eo genere non fuisse, quidam inde conjiciunt; quod Græcè habeatur σκώληκες, id est vermes generatim; non autem φθεῖρες, quo nomine pediculi solent significari, uti & nomine ποδῶν. Ea conjectura mihi non displicet: præsertim cùm in viscerum dolore, & contusione membrorum, humore & sanguine putrescente ad intolerabilem graveolentiam, non pediculi sed vermes enasci soleant. Constat certè, erosionem cancrorum fermè à vermiculis esse: & eam ob rem recentes illis carnes admoveri, ad quam illi à putridæ erosione abstrahantur. Aiunt etiam, verminare intestina peste afflatis, iisque portulacæ succum præberi ad extinguendos vermes, quibus extinctis pestem abscedere: ut ex sacerdote nostro diu inter pestiferorum ministeria insigni cum caritate & industria versato didici. Imò microscopiis, seu, conspicillis rerum minutarum adspectum augentibus, deprehensum dicitur, in febribus, iis saltem quas putridas vocant, sanguinem omnem febrientium vermibus scatere.

Fastus immanis elatus.

℣. 11. & 12. HINC IGITUR CÆPIT EX GRAVI SUPERBIA &c. Immanem Antiochi superbiam Hagiographus expressit vers. 8. & 10. tribus insignibus hyperbolis: *sibi videbatur etiam fluctibus imperare … & montium altitudines in statera appendere … & sidera cæli contingere se arbitrabatur.* Modis loquendi communibus satis significanter exprimi non poterat homo, *supra humanum modum superbiâ repletus*: colores novi adhibendi fuerunt, pingendo novo eximiæ arrogantiæ monstro.

Cognitionem sui in miseriis discit.

Ille tamen DIVINA ADMONITUS PLAGA, & DOLORIBUS PER MOMENTA SINGULA crescentibus mansuefactus, *ex gravi* atque intolerabili *superbia* deductus est *ad agnitionem sui*; tristique experientiâ didicit, quod antè didicisse debuerat, mortalem se esse, vitæ brevis, corporis infirmi, miseriis omnibus humanis obnoxium tantoque jam miseriorem ac dejectiorem, quantò antè altior fuerat ac beatior. O quanti momenti est cognitio sui! Quàm divinum illud, *γνῶθι σεαυτόν*! Quàm sæpè, & seriò, mortalibus, ad spei vana & arrogantia inania dissipanda, instandum Evangelicâ interrogatione, *Tu quis es?*

Inde cognitionem Dei.

Ex sui cognitione, infælix cadaverosi Regis sterquilinium ad aliquam Dei cognitionem cæpit assurgere, insigni sententiâ: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Quam sententiam D. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum Scripturæ locis intexuit: haberique pro Scriptura potest, licèt ex impii ore profluxerit; maximè, cùm à septem Martyrum uno legatur sub invocationis formula prædictum, fore aliquando ut tortor ipse, tormentis adactus, Deum fateretur cap. 7. vers. 37. Quemadmodùm etiam advertimus, tum in serie historiæ, tum ad lib. 1. cap. 2. vers. 62. prænuntiatam videri à Mathathia moriente infælicem Antiochi mortem, gloriâ ejus desinente *in stercus*, seu fimetum putridum, *& vermes*.

Omnis, qui se exaltat, humiliabitur.

Habemus in Antiocho experimentum celebratissimæ sacris Literis sententiæ, de humiliatione superborum. Eam nos sententiam non incommodè exposuimus Excursu ad caput 4. suprà. Poterat & hîc exponi, poterat in morte Nicanoris, poterat in aliis plurimis, quorum Hagiographus noster arrogantiam ad inferos detractam commemorat. Tu, Lector, exempla ista cæteris addes, quæ tum illic adduximus, tum alibi ipse inveneris, tum quotidiana tibi experientia obtulerit.

Quomodò Antiochus Deum oràrit?

℣. 13. usque ad 18. ORABAT AUTEM HIC SCELESTUS DOMINUM. Oratio, est elevatio mentis in Deum. Mentem elevârat in Deum Antiochus; quando ex cognitione sui assurgere cæpit ad illius notitiam, fassusque est, *hominem Deo subditum* esse debere. Potest ergo illâ veritatis confessione dici oràsse: sicut oravit Psalmista, cùm cecinit, *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* Hoc tamen loco orandi verbum sumitur pro obsecrando, vel petendo. Postulavit enim aliquid à Deo Antiochus, etsi id disertis verbis non exprimitur: sed innuitur in alterâ versûs parte, *à quo non esset misericordiam consecuturus.* Flagitabat itaque miser à Deo misericordiam, quam non impetravit.

Quam à Deo misericordiam petierit?

Quæres primò: qualem à Deo *misericordiam* petierit Antiochus, magnamne illam, peccatis abolendis, & recuperandæ gratiæ divinæ, pro qua enixè David precatus est; an parvam, & ad sanitatis ac vitæ hujus exile bonum, restrictam?

Speciosa

Speciosa promissa, quæ subduntur de liberanda civitate Hierosolymitana, & natione Judaica universa, de honorando ac ditando Templo, imò de amplectenda vera religione, & prædicanda ubique Dei potestate, videantur indicare altius aliquid humano, & affectum ad divina conversum. Sed impii hominis mores, de quibus ad capitis calcem dicemus, aliud longè persuadent: eamque ob caussam arbitrantur aliqui, promissa ista seria non fuisse, sed in speciem tantùm, quasi Deus verbis, hominum instar, duci posset. Faciamus tamen, seria fuisse: ideóne spiritualem & æternam à Deo misericordiam postulâsse credendus est, quam Judæorum ipsorum plerique nesciebant, caducis solis intenti?

Cur non impetrârit? Quæres secundò: cur à Deo misericordiam consecuturus non fuerit Antiochus? An ergo ad ultimum usque spiritum non datur pœnitentiæ locus? Numquid semper patent aures misericordis Domini vocibus miserorum, quamdiu vivunt? Patent omnino: neque ejus sententiæ sum, quam aliqui sequuntur, de completa peccatorum privatorum mensura & gratiæ divinæ defectu. De nemine convertendo despero, quamdiu animam trahit: & huc etiam transfero istud vulgi, *Dum spiro, spero.* Obduratissimos extrema vitæ momenta non infrequenter mutavêre: qua de re nos aliquid Exc. 2. ad lib. 1. c. 16. sect. 1. Antiochus igitur misericordiam divinam non idcirco obtinere nequiit, quia serò illum pœnituit, sed quia non verè. *Pœnitentia*, inquit Liranus, *non fuit vera, quia non fuit propter offensam Dei, sed propter evasionem temporalis flagelli: & sic non fuit misericordiam consecutus, quantum ad remissionem culpæ, nec pœnæ.*

Cur pœnitentia sera raro vera? Quæres tertiò: cur plerumque, ut vulgò dicimus, pœnitentia sera rarò sit vera? Respondeo, caussas varias esse, à Deo, à dæmone, ab homine ipso. Deus enim homini differenti de die in diem, & momenta innumera, gratiasque affluentes prodigè dissipanti, etsi auxilium suum extremo tempore non negat, non tamen offert tam potens. Dæmon verò sciens, quia modicum tempus habet, tentamenta omnia & artes impendit. Homo ipse denique morbis obturbatus, & naturæ desideriis occupatus, altiùs ad divina consurgendi vires non habet.

Quia tunc corpus pœnitentiæ ineptum est. Sapientis sententiâ, *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena habitatio deprimit sensum.* Experimur quotidie sani, quantus sit labor in attollenda mente ad contemplationem cælestium; quia caro nostra onerosa illi est, & terrena trahit ad terram. Longè aliter mentem impedit, quando morti proxima luctatur cum extremis doloribus, vixque aliud illam cogitare sinit, quàm quod sentit. Aut, si aliud cogitare animus sinitur, occurrunt amaræ præteritorum recordationes, objiciunt se præsentium abrumpenda vincula, ingeruntur horrores futurorum, & itinerum ignotorum tenebrosi ingressus. Succutiunt vestem carneam voluptates, & dicunt: *Dimittisne nos, &, à momento isto, non erimus tecum ultrà in æternum?* Submurmurant vana desideria, & consuetudines pravæ: *Siccine separat amara mors?* Sibi ipsi anima dicit: *Quænam hinc abibo in loca?*

Quia mors animum turbat. Deus Num. 34. enumeratis locis ubi Israëlitæ habitaturi erant in terra promissa: *Ad ultimum*, inquit, *falsissimo claudentur mari.* Sic est hominis vita: per plana, per montosa fertur; per fertilia, per arentia peregrinatur; prolongatur incolatus ejus per solitudinis ambages, & per recta camporum: ad extremum tamen falsissimo claudítur mari. Vitam finit amara mors, tantò amarior, quantò dulciorem; tantò inquietior, quantò pacatiorem. In falsissimo mari, quidquid vivi est, emoritur, inde mortuo nomen: fiduciam habet, quod Jordanis influat in os ejus, neque effluere possit. In morte, quidquid ingenii vigebat, quidquid judicii scintillabat, languescit, & occidit. Vis tunc vel nulla, vel exigua menti est, ad actus virtutum, ad contritionis exercitium, ad sinceræ pœnitentiæ motum. Animi tota intentio ad instans separationis à corpore suo discrimen convertitur; aut præteritorum, vel futurorum, imaginibus implicatur.

Quia tunc dæmon omnes artes impendit. Accedit venenum serpentis, insidiantis calcaneo hominum. D. Martinum moribundum terrere ausus est: D. Huberto idem fecisse narratur. Dionysius Carthusianus moribundis omnibus cum horrore spectabilem adesse asseverat. Hoc certum, numquam magis hominum ruinæ incumbere, quàm in eo articulo, ubi de salute, vel pernicie, jactus ultimus fit. Itaque Gregorius illud Lucæ 19. *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo*, morti hominum, & impugnationi dæmonum, accommodat: *Ad electos quoque*, inquit, *egredientes veniunt, & suum in illis, si prævalent, requirunt.* De Stephano anachoreta, in morte à dæmonibus accusato, & multis interrogationibus vexato, narrat Joannes Climachus: De D. Elzeario Ariancosi, & de Joanne Taulero, vitarum scriptores. Si justi vix salvati sunt, impii & peccatores ubi parebunt? Si bonâ consuetudine roborati vix resistunt; quid agent, quos dæmonum arbitrio mala consuetudo exposuit?

Quia interdum efficaces gratiæ non adsunt. Præterquam quòd, in eo tempore, Sol sæpe obscuratur misero peccatori, & Luna non dat lumen suum, & stellæ cadunt de cælo. Curavêre Babylonem Angeli, & non est sanata, derelinquunt eam. Vocavit stultos sapientia, & extendit manus suas, nec fuit qui adspiceret: meritò igitur ridebit in interitu eorum. *Impius, cùm vult, non potest: quia, cùm potuit, noluit.* Sententia est Isidori lib. 2. sent. cap 15. dura quidem, vera tamen, si experientiam consulamus: *Nonnulli ita despiciuntur à Deo, ut deplorare salubriter mala sua non possint, etiamsi velint:* non quòd illis Dei gratia ad ultimum usque spiritum desit; sed quòd non ea gratia detur, quâ usuri sint, quia efficaci ad resurgendum auxilio sese indignos longâ obstinatione fecêre. Quare tempori resipiscendum, & Augustini sequenda exempla, eique audienda monita, serm. 15. de ver. Domini: *Ipsa res est, quæ multos occidit, cùm dicunt, cras, cras, & subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum. Cras, cras, corvi vox: geme ut columbus, & tunde pectus.* Idem homil. 41. *Fidelis, benè vivens, securus hinc exit. Baptizatus ad horam, securus hinc exit. Agens pœnitentiam, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus... Si vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. ... Duæ res sunt: aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi futurum sit, nescio. Ergo tene certum, dimitte incertum.*

Quomodò æquales Athenien.? Quæres quarto: quomodò Antiochus promittat, se *facturum Iudæos Atheniensibus æquales*, cùm hi sub ejus potestate non essent? Respondeo: etsi

sibus Judæi esse potuerint?

etsi Athenienses in ditione Antiochi non essent, sed sub imperio Romanorum, eorum tamen libertatem ipsi cognitam fuisse, nec Judæis ignotam. Itaque ab illa comparationem ducit, velut ab re nota: significatque, easdem se Judæis in regno suo prærogativas, religionis caussâ, concessurum, quas Romani Atheniensibus, in literariorum studiorum gratiam, servâssent. Josephus ait, promissum ab illo, Judæos fore αὐτοτελεῖς & αὐτονόμους, id est juris sui, ac legum: quod nationi, rituum suorum observantissimæ, non poterat non esse gratissimum.

Quomodò Antiochus in omni terra Deum esset prædicaturus?

Quæres quomodò: quâ sententiâ intelligendum, quod idem Antiochus ait, se *omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem*? An ergo regni finibus exiturus erat, & peragraturus Orbem universum, Apostoli vel Evangelistæ instar: cùm Prophetæ, finibus Judææ contenti, vix bis in Syriam, semel in Assyriam, ierint? Respondeo: ea verba commodè sumenda pro omni loco terræ suæ, seu pro universo Asiatico regno, quod perambulare & Dei laudibus implere poterat Antiochus, si superstiti esse licuisset, & seriò voluisset. Verùm, ut vulgò dicitur elegami sententiâ, ineleganti versu,

Dæmon languebat, monachus tunc esse volebat:
Postquam convaluit, da non ut antè fuit:

Æger Antiochus inter Prophetas futurum se spondebat: si convaluisset, inter Prophetarum persecutores more suo fuisset.

Quale in illum Dei judicium?

℣. 18. SED NON CESSANTIBUS DOLORIBUS, quorum tamen sedandorum caussâ liberalis promissor tam multa spoponderat: *supervenerat enim in eum justum Dei judicium.* Ratio redditur, cur dolores non cessaverint: quia nimirum mortis sententia irrevocabilis in eum lata erat, inquit Salianus. Mihi tamen videtur, *justum Dei judicium* non mortem solummodò significare, sed quæ mortem secutura erant æterna supplicia. Nam quomodò Deus, justus scelerum judex & vindex, Antiocho mortis sententiam irrogârat; ita pœnas sempiternas, serò nec seriò pœnitenti, indixerat. Fuit ergo Antiochus de illis unus, qui ab Augustino generatim notantur lib. de vita Christ. c. 3. *Nos plurimorum habemus exempla, per quæ probare sufficimus: scleratos, & impios, peccatorum suorum fine completo, & hoc tempore judicari, & præsentem eis vitam negari non minus quàm futuram.*

Quomodò ad Judæos scripsit?

DESPERANS itaque Antiochus de vita sua, ob dolorum continuam vehementiam, *scripsit ad Judæos in modum deprecationis epistolam.* Tantúmne, in tantis cruciatibus, virium Antiocho fuit, ut literas ipse exararet? Tantúmne saltem ingenii, ac reminiscentiæ, ut exarandas dictaret? Ut verè dicatur scripsisse Antiochus, satis est nomine illius scriptas fuisse. Sed neque oportet, ut dictaverit: sufficit ad mentem ipsius factas, annuloque Regio, cui nomen etiam forsan insculptum erat, obsignatas. Neque enim vis morbi patiebatur tantam in ægro contentionem animi, quanta opus erat, ad contexendam epistolam fuci & adulationis plenam. Neque aulicis, qui ad aures vel à secretis erant, tantum erat tolerantiæ, ut tetram mephitim, de cadaveroso corpore exhalantem, tamdiu ferrent, quamdiu ad Antiochi jacentis & putridi cervical, concipiendæ ab ipso, dictandæ, prælegendæ, probandæ epistolæ, manendum fuisset.

Epistolæ adulatorium & mendax initium.

℣. 19. OPTIMIS CIVIBUS JUDÆIS PLURIMAM SALUTEM, χαίρειν. Formulam Græcam Latinâ expressit interpres, ut in simili notavimus ad l. 1. c. 10. Incipit à mendaci adulatione epistolam, eodem locutionis genere refertam. Optimos cives vocat, quos ne cives quidem nuper habere voluit, imò vix mancipiorum loco recensuit. Salutem, gaudium, fælicitatem illis vovet, quos omni calamitatum genere oppressit. Videor mihi salutationes aulicorum hodiernorum, invidiâ mutuâ contabescentium, audire, & Judæ Iscariotæ oscula spectare.

Alia ejus mendacia.

℣. 20. SI BENE VALETIS &C. MAXIMAS AGIMUS GRATIAS, Deo nempe de vobis: adeò sincerâ vos benevolentiâ prosequimur; ut, quidquid boni vobis obtingit, nostrum existimemus: nec vobis modò fælicitatem vestram gratulemur, sed quasi pro beneficio in nos collato divinæ liberalitati gratias agamus. Pergit strenuè mentiri, & in textu Græco duplicat mendacium: neque enim solùm affirmat, se Deo gratias agere, verùm etiam in illo spem habere: *εὐχαριστῶ μὲν τῷ θεῷ τὴν μεγίστην χάριν, εἰς οὐρανὸν τὴν ἐλπίδα ἔχων: ago Deo maximas gratias, in cælo spem habens,* qui tamen paulò antè dicitur *desperans*: nec verò umquam tales Judæis literas scripsisset, nisi de vita desperâsset. In Græcis prior particula, de agendis Deo gratiis, non habetur apud Nobilium.

Caussa scribendi.

℣. 21. ET EGO IN INFIRMITATE CONSTITUTUS, Græcè, *Et ego languidè jacens: vestri autem memor benigni*, Græcè, *vestri honoris benevolè recordatus.* Consequenter mentitur, ut captet, si potest, benevolentiam, & à prooemio epistolæ transeat ad narrandam scribendi caussam; *quòd reversus de Persidis locis*, ægritudine afflictus, *necessarium* duxerit *pro communi salute* scribere. Quasi tam cara ipsi sit Judæorum salus, quàm Syro-Macedonum; & eâdem navi gens utraque vehatur; sintque communia utriusque commoda, damna, ac pericula; & utriusque pariter intersit, de Rege Regisque successore admoneri.

Cur spem simulet?

℣. 22. NON DESPERANS MEMETIPSUM tamen, hæc scribo, nec convalescentiam pro deposita habens. Mendacia cumulat mendaciis, &, quamvis maximè de vita desperat, id tamen negat; imò affirmat, *spem se multam* habere *effugiendi infirmitatem.* Spem ipse simulat, ne Judæi spem concipiant, & animos erigant, ac vires majores colligant adversùs pupillum.

Rationes speciosas prætexit designandi successoris.

℣. 23. 24. 25. RESPICIENS AUTEM, QUÒD ET PATER MEUS &c. Ut magis tegat magnitudinem morbi sui, & imminens mortis discrimen, rationes duas affert aliunde arcessitas, cur successorem sibi designet. Prima petitur ab exemplo paterno Antiochi Magni, qui cum exercitu in easdem regiones, seu *loca superiora*, profectus, successorem prudenter nominavit: ne *si fortè quid contrarium*, seu contra votum *accideret*, subditi sine certo rectore turbati fluctuarent; quæ ratio magni sine dubio ad publicam quietem momenti est, & Principi cuilibet valdè attendenda. Altera, non minùs speciosa & necessaria, ducitur, ex metu vicinorum Principum, cujusmodi erant Ægyptii, destitutum capite regnum aggressuri, & fines, quà possent tam commodâ occasione dilataturi: *potentes quosque, & vicinos*, Græcè παρακειμένους δυνάστας, *circumjectos principes*, semper suspectos esse debere, tamquam *temporibus insidiantes, & eventum* quemlibet opportunum *exspectantes.* Ob eas rationes, designatum ait à se Regem *Antiochum filium, quem sæpè*, antè profectionem Persicam, *recurrens ad superiora regna*,

regna, multis, inquit, vestrûm *commendabam*: puta Menelao, & aliis istiusmodi carcinomatibus reipublicæ Judaicæ. *Et scripsi ad eum, quæ subjecta sunt*: adjunctum erat exemplar literarum Antiochi ad filium, sine dubio adulationis plenarum, & simulatæ erga Judæos benevolentiæ.

Binæ designandi caussæ latentes.

Caussæ istæ duæ designandi tunc successoris prætexebantur, aliæ duæ latebant. Prima, à Judæorum metu, ne, si Rege Asia careret, promptiùs ac securiùs rebellarent, sesque in omnimodam libertatem, cujus jam partem occupârant, assererent. Altera, ex Demetrii metu, cui Seleuci filio jam adulto, Romæ obsidi, regnū jure debebatur. Vult ergo filiū in possessionē induci, quia melior est cōditio possidentis, & difficilius est deturbare Regē, quàm excludere. Ista verebatur Antiochus, & utrumque meritò accidit.

Antiochi erga Judæos demissio.

℣. 26. Oro itaque vos, et peto: en quò se demittit superbissimus homo, ad adorandam gentem, antè contemptissimam; & scribendum Judæis, *in modum deprecationis*, quasi ipsis esset obnoxius. Orat autem, *ut conservent fidem* ipsi, & filio, simulans utique nihil sese de illa dubitare, nec quidquam sinistri audisse: quæ simulatio non parùm ad captandos animos facit; fideles enim sæpè fiunt subditi, cùm putantur, aut finguntur. Quod autem rogat, ut *memores sint beneficiorum publicè, & privatim*, nisi ad Menelaos & Lysimachos attendit, mendaciorum omnium splendidissimum est. Ecquando enim umquam publicè genti, ac religioni Judaicæ, benefecit? Quando probo ulli Judæorum boni quidpiam contulit, si Oniæ necem vindicatam excipias? Quamquam dici possit, ipsum ad benefacta majorum suorum, paterna nominatim, erga nationem Judaicam respicere.

Commendatio filii.

℣. 27. Confido enim eum modeste, et humane, acturum erga vos. Ultimum & valdè efficax argumentum affert, ad persuadendam Judæis fidem erga filium: quòd scilicet planè confidat, ipsum erga illos humanum fore. Quod verò subjungit, *sequentem propositum meum*, impudenter & ineptè adjectum est: impudenter, quia notissima erat, ex dictis & factis, alienatio ipsius à natione Judaica: ineptè, quia refricat malefactorū suorū memoriā, & à scopo conciliandæ Judæorum benevolentiæ longè aberrat. Istud, *communem vobis fore*, Græcè συμπεgriεχβiεσαδq ὑμῖν, id est vobiscum versaturum, vobis usurum, vobiscum velut ex æquo acturum.

Mors Antiochi.

℣. 28. Igitur homicida, et blasphemus, &c. Narratur, quomodò *vitâ functus* sit Antiochus, *miserabili obitu, pessimè percussus, & ut ipse alios tractaverat*. Planè miserabili obitu, si corpus spectes; miserabilissimo, si animam: pessimè quoad illud percussus, & quoad hanc: quomodò ipse multorum corpora tormentis injustis cruciaverat; plurimorum animas immani, ad deserendam religionem, violentiâ solicitaverat.

Quæ corporis sepultura?

Spectavimus, quid ejus corpori ante mortem contigerit: post mortem quid factum? Merebatur olidissimū sterquilinium sepeliri sepulturâ asini, quemadmodùm cadaver Jasonis. Incertam enimverò ejus sepulturam mihi facit versus ultimus; ubi Philippus, cui devehendi putidi cadaveris, mique loculo diligenter inclusi, & exequiarum curandarum munus demandatum erat, in Ægyptum profugere cogitur. Solenniter itaque illi parentare, in ea trepidatione & festinatione, non licuit: forsan neque in eo fœtore libuit. Quamquam id postmodùm Eupator, & Lysias, curâsse potuerunt.

Animæ sepultura in inferno.

Sua interim certa data animæ, misericordiam non consecutæ, sepultura, qualis Evangelico Epuloni, qui *sepultus est in inferno*. Ubi id loci? An *peregrè in montibus*, ubi Epiphanes impium spiritum evomuit? *In fossa terra, & in alto vastitas*, inquit Tertullianus libro de Anima, *& in ipsis visceribus terræ abstrusa profunditas*. Ea est communis ac certa, apud Lessium lib. 13. de Perfect. div. c. 24. Doctorum, Sanctorum, Fidelium sententia. Et verò, etsi olim quidam apud D. Thomam Suppl. quæst. 97. art. 7. dubitavêre, ambigendum jam non est, quin ad terræ infima, circùm centri ipsius concava, sit carcer damnatorum: cùm Christus descenderit *ad inferiores partes terræ*, & fuerit *in corde terræ*, quando ad Limbum descendit; Infernum autem constet Limbo longè esse inferiorem, quandoquidem illinc huc versùs oculos Epulo ad Lazarum, in sinu Abrahæ quiescentem, elevâvit, quemadmodùm Antiochus suos ad Eleazarum antè potuit elevâsse.

quo is loco?

Quantum inferorum spatium?

Quantus autem sit carcer inferorum, ex sacris Literis confici certò non potest. Riberam, tribuentem illi ex Apocal. c. 14. diametrum leucarum horariarum centum, aut eo plus, non sequitur Lessius; existimátque diametrum leucæ unius sufficere, capiendæ quantævis damnatorum multitudini, in unum veluti bustum colligatæ. Alii amplius longè spatium, quàm Riberá, tribuunt. Mihi videbatur, nihil incongruum fore, si terræ demus spissam centenis dumtaxat aut ducentenis leucis superficiem: cui enim bono, aut fini, plus detur? Reliqua terræ diameter cava sit, &, nisi quà Limbum continet, incendiis plena. In illis incendiis damnati, postquam corpora resumpserint, velut ebulliant, & identidem vorticibus flammeis evomantur ac resorbeantur, atque inter se occurrant: quomodò ferè in septem fratrum supplicio factum est, Antiochi jussu, segmentis articulorum truncatorum in *ollas æneas* conjectis. Istud forsitan Tertullianus, libro de Spectaculis, indicatum hisce verbis voluit: *Tunc spectandus auriga in flammea rota totus rubens: tunc xystici contemplandi, non in gymnasiis, sed in igne jaculati.*

Quæ ibi societas?

Domus commoda, & mali vicini, magnum malum. Tam incommodæ domûs quinam Antiocho Epiphani vicini sunt? Babylonio Regi, post mortem advenienti, assurgentia & acclamantia purpuratorum prædonum agmina facit Isaias, c. 14. Idem officii Ægyptio Regi exhibitum pingit Ezechiel, cap. 32. Antiocho blasphemo & homicidæ, ad profundum laci demerso, obvios facere possimus quotquot ipsum præcessêre sacrilegi, sicarii, raptores, impuri, tyranni, religionis hostes, humanitatis & justitiæ exsortes, pœnitentiæ vel nulli vel falsæ immortui. Accessêre deinceps ingens similium turba. Socii erunt, post extremum judicium, Antichristus cujus ille vivum exemplar fuit, & Antichristiani omnes, voluntate à Deo & imaginibus omnibus Dei irreconciliabiliter aversâ: passionibus effrænatissimis, & venenatissimis, ut cum bufonibus & aspidibus in culeum insui foret suavius: cadaveribus tam putidis, ut Antiochi moribundi corpus præ illis graveolens non fuerit, eorumque unicum inficiendo orbi universo suffecturum Bonaventura existimet.

Pœna tactus ab igne.

Quamquam isthæc loci, ac societatis, apud inferos supplicia non maxima sunt, quia sensûs pœnam spectant: neque ad eum quidem sensum pertinent, qui maximè torquebitur, imò per quem afficientur sensus cæteri. Constat enim igne tortum iri damnatos: neque id quisquam, nisi hæreticus, negaverit, postquam judex ipse sententiæ suæ, non utique metaphoricæ, intexuit, Mat. 24. Alia Scripturæ loca vide apud Lessium c. 24. suprà citato, & c. 29. Constat item ex Apoc. c. 14. & 21. eum ignem fore sulphureum, quâ materiâ fœtum est subterraneum omne, quamvis nobis vicinum. Constat

denique vehementissimum ejus ardorem fore: tum ex rei natura, ob terræ frigus circumstans ut indicat D. Thomas: tum quia vindictæ divinæ flatus illum accendet, ad puniendum summo dolore reum corpus, sicut anima rea summo cruciatu torquebitur.

Ejus ignis miracula.

Miracula ejus sunt, omisso quòd corporeus licèt agat in spiritus, quæ res alterius loci est: Primum, quòd sulphur materiam suam non consumat, etsi solvat in fumum, *& fumus ascendat in sæcula sæculorum.* Alterum, quòd sine spiraculo ardeat: neque enim montes flammivomi, quos *fumariola quædam ejus* Tertullianus libro de pœn. existimavit, post judicium ampliùs exspirabunt. Tertium, quòd corpora candefaciat, non exurat, ut hisce verbis Eusebius Gall. hom. 1. expressit: *Depascentibus flammis corpora atque animas ex parte consumi, ex parte nutriri; ut inter medios ignium globos damnata natura det pabulum, & accipiat incrementum:* alia ipsius, & Minutii in Octavio verba vide Excursu 3. ad libri 1. c. 4. sect. 2. num. 4. Quartum, quòd calore acerrimo temperiem corporum, continuandæ miserrimæ vitæ necessariam, non corrumpat. Quintum, quòd corporibus æquali tactus vivacitate præditis, æqualiter admotis, varium pro damnationis inæqualitate dolorem imprimat, Justitiâ divinâ instrumentum suum moderante, & afflante. Sextum addunt non pauci ex Jobi cap. 24. quòd intensissimo gelu sociabitur, vel alternabitur. Septimum, quòd vermes aculeatos, damnatis infestos, non exuret. Sed gelu istud, & vermes corporei, superflui videntur plerisque, in tanta tormentorum ab ignibus atrocitate.

Ex igne sensuum cæterorum supplicia.

Nam in solo tactu ista non hærebit atrocitas: sed in cæteros sese sensus dividet. Odoratum torquebit ardentis sulphuris fœtor, & damnatorum corporum nidor intolerabilissimus, cùm fœdius nihil sit recalfacto cadavere: cadaverosa autèm fore & putidissima corpora damnatorum, vel ex eo constat, quòd hædorum hircorúmve nomine in extremo judicio ad lævam judicis collocabuntur. Gustatum imbuet sulphureus sapor; & ardentissima sitis, à Christo in Epulonis suppliciis expressa, torquebit: etsi enim post judicium non erit amplius generatio & corruptio, atque adeo nec potûs cibíve necessitas; erit tamen in æstu intestina torrente desiderium humidi. Auditum percutient horrendi ustulatorum ululatus, ferales & sacrilegæ dira supplicia indignantium voces, stridores dentium, fragores rotatorum incendiorum. Dolebit visus sulphurei fumi edacitate, sicci fletûs perturbatione, tristi pallidarum & tenebris intermicantium flamarum adspectu, apparentium in mæsto lumine luridorum vultuum horrore. Cætera sensuum, aliunde quàm ex igne provenientia supplicia omitto: suggeret Drexelius in Rogo damnatorum, aliíque.

Pœna damni.

Suppliciorum nullum erit damnato acerbius, quàm id quod damni dicitur, estque beatitudinis & bonorum illi conjunctorum amissio; primo eamobrem loco commemorata ante ignem in sententia judicis, hisce verbis, *Discedite à me, maledicti.* Eoque acerbiùs afficiet, quò magis perfectè, & assiduè, Deo cognitionem imprimente & applicante, recogitabitur; quæ perfecta cognitio & assidua recogitatio, quia nobis jam deest, idcirco paucos nostrûm torquet beatitudinis absentia. Accedet, quòd *vermis* damnatorum *non morietur*: quia scient & continenter recordabuntur, quàm de nihilo jacturam illam fecerint, & quàm levi pretio cavere potuerint: qui morsus & dolor acerrimus illos non tanget, quos ante rationis usum & sine originalis noxæ remedio ereptos, alienum crimen, non suum, fœlicitate privavit. Eam in rem elegans est Damasceni apologus, de filio Regis in spem regni nato, si educationem natalibus dignam acciperet: abdicato, & relegato, quia monitoribus spretis ad scurrilia sese oblectamenta projecerat. De pœna damni quædam huc traduci possint ex numero 3. sect. 2. Exc. 2. ad cap. 12. lib. hujus. Illam accuratè digessit Lessius cap. 29.

Æternitas pœnarum.

Apud ipsum etiam disceptatam invenies pœnarum omnium coronidem horribilissimam, & desperationis plenam æternitatem: item apud D. Th. Suppl. quæst. 99. Quamquam quod ibi de Origene dicitur, eam æternitatem ab ipso negatam, velut Misericordiæ divinæ indecoram: Origenis defensor istam illi labem quæst. 5. conatur abstergere. Et verò, in sacris Literis, lex pœnalis æternorum suppliciorum manifestè publicata est: neque audiendi, qui gratiam illius legis hominum ulli factam existimant, ut Exc. ad cap. 13. lib. 1. sect. 3. num. 12. indicavimus, indicabimusque rursum Exc. ad cap. 12. lib hujus sect. 5. num. 9. Mensuras æternitatis ad vulgi captum accommodas, ab exstillatis millesimo quoque anno lacrymarum guttulis singulis, aliquando Oceanum impleturis; ab arenulis centesimo quoque anno ad cælum empyreum usque cumulatis; ab inscriptis toti cælorum superficiei extimæ arithmeticis notis: dabunt varii, Drexelius inprimis Rogi damnatorum cap. 12. & in libello de Ætern. De illa non ineleganter Auctor libri de spiritu & anima inter opera August. cap 55. *Immortalitate mortalis est*, anima damnati, *& mortalitate immortalis. Quapropter miseris mors est sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia & mors semper vivet, & finis semper incipiet, & deficere defectus nesciet.* Malorum omnium remedium, & solatium ultimum, mors prima computrescenti Antiocho videbatur: excepit mors secunda, moritura numquam, adeoque sine solatio.

Insania sapientium de æternitate.

Voluissétne Antiochus, triennali inter dolores & pædores suos decubitu, Asiæ Ægyptique regna redemisse? Ne decubitu quidem decennali per petuo, rosas inter & delitias sanus, imperium omne Romanum auctionari voluisset. Quantillo autem pretio, ut affectibus pravis indulgeret, beatitudinis immensæ regnum prodegit, & sempiternum in atrocissimis ignibus multiplicemque cruciatum mercatus est? Quid autem illius insaniam miremur, hominis dementati & rabiosi: cùm ea Fidelium quotidiana sit dementia: fœlicis æternitatis jacturam, infœlicis inexhaustam usuram, quisquiliarum spe aut utrivillitis possessione licitantium? Vide nos, Lector, Exc. 3. ad c. 4. l. 1. sect. 2. de justitia Dei in exigendis ob peccata sempiternis suppliciis: & istud de argumento protrito quidem, sed maximè necessario, judicium, à te non difficulter in plures utilissimasque conciones fundendum, accipe.

Mores Antiochi.

Dandum id nobis fuit, comitandæ ad inferos impiæ execrabilis tyranni animæ: de cujus abominandis moribus quædam attigimus l. 1. c. 1. ad vers. 11. & libro eodem cap. 3. ad vers. 30. Diducamus isthæc paullò fusiùs panegyrici instar post obitum, videamusque non *homicidam* solùm, & *blasphemum*, quæ hujus loci propria elogia sunt, & libri utriusque narrationibus contestata: sed ex omni fermè vitiorum genere consutum.

Impudens obscœnitas.

Ac primùm turpitudini impudentissimè deditum fuisse, testatur Hier. in Dan. cap. 11. hisce verbis: *Luxuriosissimus fuisse dicitur, & in tantum dedecus per stupra & corruptelas venisse Regia dignitate, ut mimis quoque & scortis publicè jungeretur, & libidinem suam populo præsente compleret.* Eâdem fermè sententiâ Suidas ait, *in conspectu omnium insanè mulierum amoribus indulsisse.*

indulsisse. Ad obscænos masculorum amores trahit Faber lib. 3. Agonist. quod Polybius tradit lib. 20. *Sicubi conversari juvenes Antiochus intelligeret, adesse extemplo solitum cum lagenis, & musicarum modulationum concentu; ut multi, inexspectatæ rei novitate deterriti, exsurgerent de mensa, & sese proriperent.*

Ebriositas perpetua.

Luxuriæ cognatam ebriositatem conjunxisse, ad ultimum usque fatuitatis gradum, idem Polybius perhibet lib. 31. Ælianus lib. 2. bibacissimum facit. Philarches seu Philarchius lib. 6. scribit, *inebriari manè solitum, deinde abdormiscere, mox vesperè somno expergefactum rursum bibere: ideò publicas res vix sobrium administrâsse.*

Fatuitas insignis.

Nec verò publicè quidquam fermè sobrii hominis fecisse, ex rapinis, cædibus, ac sacrilegiis passim patratis intelleximus. Privatim autem quàm fatuè ageret, ac scurriliter; vel ex hisce Athenæi conjici potest: *Sæpè Antiochus rosea coronâ redimitus, & trabeâ auro textâ indutus, solus inambulabat, saxa sub axillis gestans, quibus familiares suos inopinantes peteret. Solitus idem publicis balneis lavare, & illic unguentis sese oblinere. Vbi cùm plebeius quidam ipsum conspicatus, fortunatum dixisset Regem, qui unguenta tam pretiosa oleret: Ego te, inquit, mox eâdem felicitate cumulavero: Et, cum dicto, dicongialem urnam, crasso unguento plenam, in istius caput profundi jussit, concurrentibus ad delibuti hominis spectaculum è foro turbis, & cachinnos tollentibus. Risu & ipso solutus, in lubrico ob defluens unguentum loco, unà cum multis, qui simul laverant, prolapsus est.*

Profusio immensa.

Ad fatuitatem etiam pertinet enormis prodigalitas, de qua Ptolemæus Evergetes lib. 1. ac 5. Comm. apud Athenæum: *cum sese Indicis commessationibus, & compotationibus tradidisset Antiochus, magnas impensas fecisse; &, quod inde supererat pecuniæ, nonnumquam interdiu commessabundum, effudisse, velut onus supervacuum: aliàs in publico vico stantem inclamâsse, præconis instar, sumat cui fortuna dederit, & in circumstantes auream argenteamq; pecuniam sparsisse.*

Vitiorum colluvies.

Turpitudinem fœdissimam, intemperantissimam bibacitatem, scurrilitatem stultissimam, insanam profusionem, in unum collecta exhibet Polybius lib. 31. *Cùm Antiochiæ ludos ederet, Græcos undique & aliarum nationum homines ad spectaculum invitavit: cumq; ad certamen sese multi obtulissent, delibuti fuêre omnes unguentis crocino, cinnamomino, nardino, amaracino, irino, ex aureis vasis. Deinde ad epulas evocati, nunc mille triclinia, nunc quingenta supra mille implevêrunt, apparatu sumptuosissimo excepti, Antiocho ipso ministri instar discurrente, & satagente. Nam ad tricliniorum aditum alios inducebat, aliis designabat accubitum: famulis fercula inferentibus præibat, obambulabat epulantibus, assidebat interdum & assabulabatur, interdum lapsabundum gressum trahebat ad mensam, aut humi provolvebatur: repentè aliquando subsiliebat, deposito in mensam, quod fortè in manibus erat, poculo vel frustulo: alia ex aliis loca identidem commutans, & amicas ab infimis quibusque propinationes, ac dicta salacia, cum risu ac lusu excipiens. In grege etiam histrionum, mimicâ ab illis veste indutus, humi deponebatur, & mox concentu musico velut expergefactus exsiliebat, choreasq; agebat cum mimis: prorsus ut indignitatis tantæ spectatores vel misereſceret, vel puderet.*

Illustratur locus libri prioris.

Satis ista sint, ex historicis profanis ad Hagiographorum nostrorum narrationes adjecta: ut quale monstrum, & ex quot quantorumque vitiorum generibus consutum Antiochus fuerit, intelligatur. Ex his etiam illustrabis, quæ de prodiga ipsius magnificentia, & donis quibus abundavit super Reges qui ante eum fuerant, δαψιλῆ χειρὶ, liberali manu, dicta sunt ad l. 1. c. 3. vers. 30.

Prodigalitas in Principe multorum malorum fons.

Nec mirabere, qui tam insanè profusus fuit, de templis fanisque expilandis, ad supplendos sumptus, cogitâsse, tributis ac donariis subditos pressisse, socios ac finitimos bellis vexâsse, quavis arte ac vis pecuniam quæsisse. Necesse est enim, ut Princeps erga quosvis, meritósne an immeritos, largus, à quibuslibet vicissim vel sordidè petat, vel avarè rapiat: & mendicâ illâ petacitate despicabilem se præbeat; aut injustâ rapacitate exosum. Quamquam & ipsa de se prodigalitas contemptui, atque odio est. Magni enim populus Principem non faciet, cui satis ad ærarii administrationem ingenii non est: neque illum amabit, qui indignis largitur. Obstringit omnes, qui muneratur promeritos; &, erga dignos beneficus, beneficio videtur universos afficere: contrà, cunctos offendit, qui donat immeritis.

Tyranni, & Principis discrimen.

Tyranni expressam in Antiocho effigiem spectare licet. Hoc enim præcipuè, quod ad mores attinet, tyrannum inter & bonum Principem interest; quòd hic subditis cupit, & metuit; ille sibi cupit, & subditos metuit. Hic fœlicem sese tunc tantummodo esse arbitratur, quando fœlices sunt subditi: ille fœlicitatem comparat etiam infœlicitate subditorum. Huic salus populi, post Dei cultum, suprema lex est: illi, præ salute sua, voluptate, dignitate, nihil pensi est. Ita sibi studuit, sibi timuit, se ubique cogitavit, & spectavit Antiochus, monstrosum miseri regni Asiatici caput; fons tot venenis infectus, quot vitiis, unde pestiferi malorum rivi in subjectas terras divisi, & effusi.

Philippus transfert funus Antiochi.

℣. 29. TRANSFEREBAT AUTEM CORPUS PHILIPPUS COLLACTANEUS EIUS, quem ut lib. 1. cap. 6. præposuerat super universum regnum, & dederat ei diadema, stolam, annulum: constituens eum, inquit Salianus, regni Cancellarium, & Proregem, ac tutorem filii. Collactaneo fidebat, & ex naturæ propensione eum amabat: Lysiæ vel oblitus, vel diffisus ob res adversas, uti suprà dictum est.

Profugit in Ægyptum.

Sed Philippus *metuens filium Antiochi*, qui totus jam in Lysiæ potestate erat, nihilque acturus nisi ex ejus arbitrio: *ad Ptolemæum Philometorem in Ægyptum abiit*, & obviis ulnis sine dubio à Ptolemæo exceptus est. Solent enim profugi finitimorum Principum subditi, æmulis Regibus esse gratissimi; ut illorum arcana detegant, factionibusque & discordiis serendis subserviant.

Transfugæ sæpè exploratores.

Quamquam sæpè ista consilia in contrarium vertêre; & fugitivi subditi, exploratis hospitum suorum arcanis, reconciliatâ per proditionem gratiâ, ad Principes suos rediêre. Neque infrequens est, ut subditi vel ultrò transfugiant, vel à Principibus expellantur: simulato interim odio, donec secretis eorum, ad quos transfugêre, introspectis, corruptisque consiliis, sese proripiant, & larvam ponant. Talem Sinonem Poëta pinxit. Tales ævo nostro visi non pauci.

EXCURSUS

Ad cap. 9. v. 19. Antiochus... pollicetur Iudæum ſe futurum, &c.

Veræ religionis & legis divinæ ſigna.

SECTIO PRIMA.

Auctor legis.

I. Quàm utilis ſignorum veræ religionis cognitio?

SERIÓNE Antiochus promiſerit Judæum ſe fore, an in ſpeciem tantùm, & inani moxque mutaturâ voluntate, diximus in Commentariis, & parùm jam noſtrâ intereſt. Pluris refert ſcire, quibus rationibus adductus Judaicam religionem amplecti, qualicumque demum voluntate, in animum induxerit. At unde introſpiciamus mentem hominis duplicordis, & intelligentis propoſitiones? Poterat ex legis auctore Moſe, ex materiæ ſanctitate, ex promulgationis modo, argumenta duxiſſe. Sed ad iſtáne attendit, an ad recuperandam ſolummodò ſanitatem? Utcumque ſit, ea nos capita, ſcitu & dictu maximè utilia, ad Chriſtianam religionem applicemus; veram modò ac ſanam unicam. ex quo Filius Dei Legiſlator adſuit. Hoc mihi jampridem perſuaſum eſt, nihil talibus argumentis ad commendandam fidem potentius eſſe, atque efficacius, nihil humano ingenio accommodatius, nihil ad Chriſtianorum de fide ſua ſecuritatem ſuavius. Itaque ſæpè optavi, ut variis linguis diffuſè ſcriberentur: ego hic dabo, qualem dixi, materiæ ſummam.

II. Chriſtus minimus, & maximus.

Eò verior ac divinior lex eſt, quò auctor illius major: eâ ſcilicet magnitudine, quæ vera ſit, & ad divinam propiùs accedat; non autem illâ, quæ appareat tantùm, & oculos fallat. Tantoque erit mirabilior, ac certior magnitudo, quantò minùs habebit in ſpeciem. Sic Chriſtus fuit minimus ſimul, & maximus: minimus ſpecie, re maximus. Adſpice Judaicis, Paganiciſve, & animalibus oculis genus Chriſti, fortunam, ſcientiam, virtutem, famam, vitam, mortem: quid in legiſlatorum quorumlibet hiſtoria vilius, ac contemptius invenies? Altiùs rimare; intuere, quod ſub illa ſpecie latet: quid illâ morte, vitâ, famâ, virtute, ſcientiâ, fortunâ, genere, ſublimius ac divinius uſpiam reperias, aut comminiſcare? Prorsùs ut Chriſtus, in ſua de grano ſinapis parabola non regnum modò cælorum, ſed ſemetipſum mihi videtur pingere voluiſſe; hinc ſeminum omnium in ſpeciem minimum, inde olerum omnium reipſa maximum.

III. Quàm parvo genere!

Chriſti gens Judaica fuit, cujus contemptus & odium, apud nationes reliquas, univerſo præſertim Romano imperio ſubditas, adeo invaluerat, ut paſſim Judæus vix aliter, quàm apella, fœtidus, tremens, putris vocaretur: à Seneca etiam ætati Chriſti ſuppare, *execrabilis*. Judæorum pars Galilæi, non exteris modò nationibus, ſed Judæis cæteris ludibrio fuêre. Inde dicta Evangelica: *Scrutare Scripturas, quia à Galilea propheta non ſurgit: à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* In Galilæa tamen provincia, etſi Bethlemi natus, pueritiam Chriſtus & adoleſcentiam exegit; ut Galilæus idcirco contemptim ab apoſtata Juliano nominatus ſit, & Chriſtiani à Paganis Galilæi. Familiâ quidem Davidicâ ortus eſt Chriſtus, olim illuſtri, ſed tum ad fæces Iſraëliticas, & quiſquilias Judaicæ plebeculæ, devolutâ. Itaque mater ejus Maria, etſius licèt familiæ germen, fabro denupſerat; jactatæque eam ob rem voces: *Nonne hic eſt fabri filius? Nonne mater ejus Maria, & fratres ejus apud nos ſunt.*

IV. Quàm vili fortunâ?

Ex iſta gente, provincia, ac familia ortus parem naturalium obſcuritati fortunam habuit. Peregrè natus, in alieno: ne ad humanam quidem habitationem admiſſus, ſed abjectus ad pecudum caulas. Mox exul, cùm adhuc penderet ad ubera. Deinde, in opificis officina duratus ad malleos & runcinas, ut objici ex vero poſtmodùm poſſet: *Nonne hic eſt faber?* Denique, poſt vilis artis exercitium, cùm per Judæam ac Galilæam pauperrimus, & alienâ ſemper miſericordiâ vivens oberraret, palàm ipſe cõfeſſus eſt, vulpeculis & aviculis ſeſe egentiorem eſſe: illis quippe foveas ſuas eſſe, ac nidos; miſerum autem filium hominis non habere, ubi caput reclinet.

V. Quàm exiguo literarum apparatu!

Scientias in ea fortuna comparâſſe, neque audiendis doctoribus, nec legendis ſcriptoribus, nec commentationibus, ſtudiiſve aliis potuit. Imò de ipſo ſparſum, creditumque, nec de nihilo, ne literas quidem didiciſſe: *Quomodò*, inquiebant, *hic literas ſcit, cùm non didicerit?* Tantum aberat, ut Judaica gymnaſia & ſynagogas ſcribarum frequentaſſet, erudiriúſve eſſet ſacrarum Literarum reconditiore ſcientiâ ſecus pedes Gamalielis: nedum apud exteros comparâſſet inſtrumenta ſapientiæ peregrinæ, quæ cives mirarentur. Ipſemet de ſe ingenuè profiteri viſus eſt, quod æmuli exprobrabant, cùm dixit: *Mea doctrina, non eſt mea*, non meo ingenio aut ſtudio comparata. Occlamabant interim circumſtantes: *Quænam eſt hæc doctrina nova?* Ut non auctoritatem modò dicentis, quaſi idiotæ hominis ruſticanive ignari, elevarent; ſed argumenti etiam ipſius novitatem, & præceptorum materiam irriderent: quemadmodùm Paullo poſteà factum, apud Areopagitas de reſurrectione diſputanti.

VI. Quàm parum pomparicis virtutibus!

Quam defuit Chriſto exterior humanarum ſcientiarum apparatus, tam abſuit ſpecioſarum, & in oculos incurrentium, pompa virtutum. Fortitudinem militarem, effuſam liberalitatem, illuſtrem magnificentiam, mirabundi homines intuentur: quia paucorum iſta ſunt, in excelſa eminuſque conſpicua materia verſantur, voluptate aut utilitate in præſens ſentiuntur. At Chriſti virtutes multis imitabiles fuêre, communem & in manibus poſitam materiam habuêre, præcipuum lætitiæ & commodi fructum in futurum ſpectavêre. Caritatem impensè coluit, quæ hominum omnium, ad ſocietatem opemque mutuam natorum, eſt. Miſericordiam ſingulariter amavit, quam philoſophorum ſeveriſſimi de virtutum numero proſcribere conati; quòd miſerum cor, alienarum miſeriarum ſenſu, facere, atque adeò tranquillitatem animi turbare, videretur: Humilitatem, philoſophis adhuc ignotam, longè infra modeſtiæ fines demiſſam, nihil ad oculos, nihil ad pomparum ſtrepitus, nihil ad laudum acclamationes facientem, Dei ſolius teſtimonio contentam, amplexus eſt.

Neque

VII. *Quàm contempta apud multos existimationis?*

Neque istas utique virtutes fama celebris secuta est apud homines, omnia ex specie & sono æstimare solitos. Suimetipsius consanguinei pro insano habuêre, identidemque exprobravêre, si magna faceret, manifestaret ergo seipsum mundo: neminem enim opera talia patrare in occulto, sed quærere in palàm esse. Cives illum sui pessimè accepêre, & tantùm non de supercilio montis egêre præcipitem: nato exinde diverbio, Prophetam neminem acceptum esse in patria sua. Galilææ provinciæ, in qua educatus fuerat, & plurimùm versabatur, princeps Herodes, aulaque ejus universa, interrogatum & tacitum ludibrio excepêre, atque ejecêre pro stulto. Pharisæi, hominum genus eâ ætate apud Judæos sanctissimum, iisque adjuncti Pontifices, capita religionis; non modò sanctimoniam ipsius non coluêre, sed odio & execramento habuêre.

VIII. *Vitæ & ætatis quàm brevis, & quàm parum ad reverentiam factæ?*

Accedebat ad contemptum juvenilis ætas, cui parùm auctoritatis esse consuevit; quia prudentiam nondum collegisse potuit, maturo judicio formandam, longâ rerum experientiâ stabiliendam. Senilis isthæc ætatis sunt, ad quam pridem Moses pervenerat, quando ad Hebræi populi ducatum, & legis novæ promulgationem, divinitus electus est: ut veneranda canities, & annorum octoginta per varios eventus exactorum experimentum, fidem dictis conciliaret, factis pondus adderet. Christus verò cùm legem suam publicare, & ad plebem dicere cæpit, *erat incipiens quasi annorum triginta*, & via tres deinceps quatuórve annos, rerum civilium & apud homines magnarum experientiâ nullâ, exegit: ut juvenis magisterium senes fastidiosi, & fastuosi, dedignarentur, dicerentque, *Quinquaginta annos nondum habes*: & meritò ipsemet caussarum cognitionem, judiciisque munus refugere videretur, responderetque arbitrium suum postulantibus, *Quis me constituit judicem super vos?*

IX. *Quam dedecorosæ mortis?*

Brevem & despicabilem vitam clausit mors ignominiosissima, seu supplicii genus, seu caussam, seu accusatores, seu socios, seu testes spectemus. Testes fuêre cives populosissimæ urbis, & quotquot undique Judæi ad solennissimum Paschæ festum confluxerant. Socii dati sunt famosi latrones, vitâ & sepulturâ indigni. Accusavêre ejusdem gentis primores, religionis Judaicæ capita, gradu summi, dignitate præcipui. Apud Pontifices horrendi sacrilegii reus acclamatus est, tamquam impius divinæ majestatis invasor: à Præside insanæ ambitionis damnatus est, tamquam Regiæ dignitatis usurpator. In crucem actus est, infamissimum apud Romanos, execrabilissimum apud Judæos supplicium: ex talis supplicii cōmemoratione futurus deinceps *Judæis* plerisque *scandalum*, *Gentibus* nondū Deū edoctis *stultitia*.

X. *Vermis fuit, & non homo.*

Adeò denique dedecorosæ mortis fæditate infra hominum omnium sortem abjectus, ut de se pronuntiâsse, & prænuntiandum curâsse ex vero potuerit: *Ego sum vermis, & non homo.* Etsi enim elogium istud Patres quidam ad Christi laudem verterint: constat tamen ad dedecoris significationem pertinere, quando erat *opprobrium hominum, & abjectio plebis.* *Dictum est huiusmodi*, inquit Augustinus ep. 122. ad Honoratum, *elegantissimus à prioribus: ideò se hoc nomine Christum prænuntiari voluisse, quia vermis sine concubitu de carne nascitur, sicut ille natus est de Virgine*: aut quia, ut Evodius loquitur ep. ad August. *vermis sine allo parente intra pomum virgineo conceptu formatur*: aut quia mentes nostræ, ut Deo placeant, Christi sanguine intingendæ sunt, quomodò pleraque vestium Tabernaculi Mosaici tincta fuêre vermiculo. Sed reverà idcirco vermem sese Christus appellari voluit, ut *se in oculis persequentium abjectissimum quiddam, & contemptissimum, demonstraret*, inquit ep. eâdem Augustinus.

XI. *Christi patientis similitudo cum verme.*

Quid enim ipso abjectius, & contemptius, vermique similius, per supremum vitæ mortalis diem, fuisse potuit? Humi vides repentem vermiculum, & ægrè sese trahentem, ac calcatum in pulvere: Christum cerne ad Olivetani collis radices procidentem in faciem suam, solo afflictum, tractum deinde, & proculcatum, terraque ac luto obsitum. Oculis caret vermiculus: Christus obvelatis oculis cæci instar habitus est. Vocem vermiculus neque audit, neque mittit: Christus sicut surdus non audijt, & sicut mutus non aperiens os suum, & non habens in ore suo redargutiones, *ita ut miraretur Præses vehementer*, & diceret, *Non audis in quantu te accusant?* Tactu fermè solo viget, & torquetur vermiculus: Christi tactus acerbissimè flagellis, spinis, clavis cruciatus est. Exsanguis est vermiculus: exsangue Christi corpus vulnera fecêre; & novissimè plaga lateris quidquid supererat sanguinis exhausit, ut vel inde vermi similior esset. Vermis hyeme sub terram abditur: Christi anima ad Limbū descendit, corpus sepulcro clauditur. Absolvit similitudinē Resurrectio Christi: nā quomodò dissecti vermis partes inter se sejungi naturaliter quærunt, & ipsa interdū rejunguntur; ita separatus Christi animus à corpore iteratam conjunctionem postulavit, & effecit. Sed hoc Resurrectionis miraculū, quia Christianis tantùm & fidei oculis cernitur: iis contenti simus, quæ philosophico & rationis lumine adspici possunt, ut Christum eo ipso maximū videamus, quo minimus fuit.

XII. *Mors Christi gloriosa.*

Mors illa falsi dedecoris, & veri simul honoris plenissima fuit. Inter probrorum & dolorum immanes tenebras, eluxit indomabilis patientia, ad ipsorum usque tortorum stuporem. Judex priùs injustitiam suam, quàm illius innocentiam condemnavit: professus, nihil se caussæ invenire in hoc homine; nec nescius, quòd per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Qui ad supplicii locum testes ignominiæ confluxerant, rediêre testes sanctimoniæ, *percutientes pectora sua*, & dicentes, *Verè filius Dei erat iste.* De supplicii sociis unus, virtutis admiratione captus, panegyristam illius egit, nihilque ab ipso mali patratum, audientibus carnificibus, affirmare non dubitavit. Terræ repentina succussio, Solis improvisa obscuratio, veli spontanea dilaceratio, aliaque prodigia insolita, calumniæ accusatores arguêre. Depositum de cruce corpus in sepulcri novi & honorifici caveam, judicis permissu, illatum est: ut vel sic intelligeretur, mortis dedecus insonti irrogatum, quando statim à morte decretum est nobile sepulturæ decus.

XIII. *Vita integerrima.*

Mortem, in sanctimoniæ & innocentiæ sinu obitam, antecesserat vita integritatis adeò inculpatæ, & prudentiæ tam exactæ; ut, quamvis curiosissimi observatores, dictorum factorúmve ipsius reprehendere nihil omnino possent, etsi maximè vellent. Itaque inter invidorum ac malevolorum turbas, mortem jam tunc ipsi machinantium, & caussas solicitè indagantium, impudentissimæ cuilibet calumniæ os obstruxit, solenni provocatione usus, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Eâdem provocatione Christiani nominis hostes universos lacessimus, *Quis ex vobis arguet Christum de peccato?* Mahumetus adeò nihil ab ipso gestorum admordere ausus est, ut sanctimoniam quoque venerandam proposuerit insaniæ suæ discipulis. Porphyrius, ex destinato licèt in omnem vitæ illius historiam, carpendi avidus, inquisierit; nihil habuit, quod vel sugillaret suspicione malefacti. Apostata Julianus, etsi probrosæ defectioni speciosam aliquā caussam conaretur prætexere; numquam tamen errati ullius maculâ Christi vitam aspersit, patriæ tantùm Galilææ ludibrio cōtentus. Ita hostibus Christi vel accusationis inopia silentiū imposuit, vel

apertæ laudis cōfeſſione manifeſta veritas expreſſit.

XIV.
Fama celebris.

Vitæ integritatem fama celebris apud cordatos omnes conſecuta eſt, præſertim cùm adſtipularentur prodigia, concinerent teſtimonia, vaticinia conſentirent. Acclamabant populi, *Benè omnia fecit: A ſæculo non eſt auditum, quòd quis aperuit oculos cæci nati: Propheta magnus ſurrexit in nobis*, qui corpora de loculis excitet, cadavera evocet de ſepulcris. Intendebat mentem ac digitum Joannes, & dicebat, *Ecce Agnus Dei*: agninæ ipſemet innocentiæ, inculpatæ ſinceritatis; ſummæ auctoritatis, contra cujus fidem excipi non poſſet. Conveniebant oracula prophetarum, qui de ſingulis fermè vitæ ipſius partibus, mortiſque ratione prædixêre: ad quos ipſe vaticinia ſua adjunxit, tū de rebus aliis eventu certo firmata, tū maximè de mortis ſuæ ſupplicio, ne illud vel inſciis ſubiiſſe videretur, vel invitus. Acceſſit noviſſimè ad famæ cumulum obſtrepera invidia, bonorum quæ laceſſebat non obſcurum indicium; veluti odoratiſſimarum roſarum ſigna ſunt cantharides muſcæ.

XV.
Virtutes divinæ.

Ea tamen invidia miraculorum tantùm gloriæ, & turbarum applauſibus, obmurmurabat, quia *totus mundus poſt eum abiit*: virtutes, non heroicas modò, ſed divinas prorſùs, attingere non audebat. Quid enim in manſuetudine invicta carperet, quid in effuſiſſima beneficentia, quid in altiſſima humilitate? Videbant in rectè factis laudes reſpuentem, honores fugientē, dignitates exoſum, Dei ſolius approbatione contentum: quemodò Deus & ipſo contentus, & ſibi ſufficiens eſt. Audiebant ubique beneficia ſpargentem, peccatores à vitiis avocantem, mæſtos ſolantem, famelicis ſubvenientem, ægris opitulantem, inopes conſilii docentem: quomodò undique ex beneficiis ſuis ſentitur, & intelligitur, divinitas. Experiebantur mitis animi ſuavitatem, neque invidiæ morſibus exacerbatam, nec contumeliarum aculeis irritatam, neque injuſtis ſuppliciis commotam; &, quod unum ſupererat crucifixo, pro ſuis ipſis capitalibus inimicis Deo ſupplicem, qui *Solem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos.* Quid virtutibus iſtis mirabilius, ac divinius fuit?

XVI.
Cæleſtis ſcientia.

Nec minùs mira illius ac divina ſcientia. Cùm enim conſtaret, nec ſtudio comparatam, quia litterarios ludos non viderat; neque uſu experientiáve collectam, quia ætas adhuc juvenilis videbatur: conſequens erat, ut ratione aliquâ, humanis diſciplinis altiore, ſcientias didiciſſet. Didiciſſe autem aliunde, quàm cælitus, non poterat, cæleſtium arcanorum cognitionem altiſſimam, & præceptorum ac conſiliorum actionem ſanctiſſimam. Fons ſcientiæ ex ſermonum rivis agnoſcebatur: quandoquidem hi cæleſtes forent, & illum cæleſtem eſſe oportebat. Cùm *Evangelica præcepta*, quæ ut Cyprianus ait lib. de orat. Dom. *nihil aliud ſunt, quàm magiſteria divina, fundamenta ædificandæ ſpei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fovendi cordis; gubernacula dirigendi itineris, præſidia obtinendæ ſalutis.* Cùm ea ergo præcepta, conſiliaque, explicaret, acclamabatur dicenti: *Beatus venter, qui te portavit: Verba vitæ æternæ habes: Numquam locutus eſt homo, ſicut hic homo.* Ipſe de ſe pronuntiavit, *Mea doctrina, non eſt mea; ſed ejus, qui miſit me Patris* cæleſtis: nec malevolorum ullus contrà hiſcere, aut mutire, auſus eſt; ſilentium indicente apertiſſimâ, & audientibus omnibus confeſſâ, ac conteſtatâ veritate.

XVII.
Altiſſima fortuna.

Par fuit fortunæ, etſi abjectiſſima in ſpeciem videretur, ſublimitas. Quid enim excelſiùs animo nullius indigo, omnia extra ſe contemnente? Quid elevatius homine ita terram tangente, ut nuſquam terræ hæreat? Quid divinius, quàm nihil habentem omnia poſſidere, & aliis abundè tribuere? Cùi de alienis facultatibus miniſtrabatur, ut victitaret, & diſcipulos ſuos aleret: ille vindemiâ repentinâ, & hibernâ, hydrias implevit ſalſe, in ſolitudinis inopia, famelicum populum paucis panibus & piſcibus pavit. Ut meritò rapere ipſum vellent, & facere Regem: quia nihil tam Regium eſt, quàm ſubditos habere familiæ inſtar, eiſque providentiam impendere, ut liberis parens, qui non ſibi comparcit & erogat, ſed ſuis. Imò nihil tam divinum eſt, quàm ſic rerū eſſe dominum, ut in uſus mortalium cuncta diſpenſentur: eaque ipſa, quæ accipiuntur ab aliis, mox, uberi gratiæ fœnore, in aliorū utilitatē vertātur.

XVIII.
Nobiliſſimum genus.

Gente Judaica ſatus, etſi Romanorum quibuſdam ſpretâ, & inviſâ; at ipſorum, quos Romani colebant, dæmonum reſponſis laudata: è quibus illud circumferebatur Apollinis, ab Eugubino recitatum: Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον ἠδ᾽ ἄρ᾽ Ἑβραῖοι, *Chaldæis modò, & Hebræis, ſapientia ceſſit.* Chaldæorum autem, unde Hebræi originem traxêre, ſapientia non fuit, niſi quamdiu vera penès ipſos religio ſervata eſt. Quæ quia apud ſolos deinceps Hebræos manſit, ſoli etiam dici meruêre *populus ſapiens, & intelligens, gens magna*: præſertim ex quo clariſſimis prodigiis, per variorum ſæculorum intervalla repetitis, ſanctitudo religionis altiſſimum culmen auctoritatis obtinuit. Ex iſtius gentis nobiliſſimâ familiâ Davidicâ, quam, divinis oraculis & promiſſis orituri inde Regis celebrem, Herodes Rex eo ævo, Veſpaſianus Cæſar paullò pòſt, extimuêre, Chriſtus originem traxit: idcirco, non à Judæis modò, ſed à Sidoniis etiam, appellatus *filius David*; vociferante cæco, *IESV, fili David, miſerere mei*; inclamante Chananæa, *Miſerere mei, fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur*: quemadmodùm ab inferis ipſis vocatus eſt *filius David, filius Dei, ſanctus Dei.*

XIX.
Illuſtriſſima poſteritas.

Ad ipſius nobilitatem longè magis pertinent poſteri, quàm majores. *Pro patribus* enim *nati ſunt* Chriſto *filii*, quotquot exinde Chriſtiano nomine cēſiti ſunt, viri partim ſanctimoniâ eximii, partim ſciētiâ præcipui, partim dignitate ſummi: Virginū agmina, Martyrum exercitus, Doctorū cunei, Principum turmæ, quos Chriſto geſta, dictaque, ac miracula ſua, & ſuorum, pepererūnt. Ut minimum illud ſeminum ſinapeos granum, non modò in competentem arbuſti proceritatem excreverit, volucribus umbram & ſedes præbituri: ſed ad vaſtæ illius arboris, quam Dan. c. 4. Rex Babylonius videre ſibi viſus eſt, modum, comis cælū tangentibus, brachiis ad terræ partēs quatuor protenſis, umbrâ genus animaliū omne obtegente, ramis frondium amœnitate lætâ virentibus, & opulentâ fructuū ubertate curvatis. Chriſti enim Eccleſia cælos virtute contingit, partes orbis univerſas complectitur, hominum genus omne colligit, doctrinâ viret, bonis operibus exuberat. Inſtar illius eſt ficûs Indicæ, quam l. 12. Plinius narrat, poſtquam ad certum modulum excrevit, ſolo rurſus acclivem radices ex ramo agere, iterumque excreſcere, eâdemque deinceps ratione ita multiplicari, ut ſub arboris unicæ umbra exercitus latere poſſit; quod etiam de palma quadam Indica, ſilvas totas fœcundarum propaginum incrementis implente, recentiores hiſtorici perhibent. Sed quanta, & qualiſcumque, univerſa orbis terrarum Eccleſia eſt, tota ad divinam Chriſti magnitudinem, minimi ſimul & maximi, demonſtrandam ſpectat. *Quid enim*, ut de vi ſeminum admiranda loquens Auguſtinus ait, lib. 6. de Gen. ad lit. c. ult. *ex arbore illa ſurgit, aut pendet, quod non ex quodam occulto theſauro ſeminis illius extractum, atque depromptum eſt! In tanta namque grani parvitate,* inquit Gregorius l. 6. Mor. c. 8. *& penè undique ſine diſſimilitudine, ubi latet ligni durities, & ligni tenerior medulla, aſperitas corticis, viriditas radicis, ſapor fructuum,*

ſuavitas

suavitas odorum, diversitas colorum, mollities foliorum? Ita in Christo, Ecclesiæ totius semine, quidquid sanctimoniæ ex illa ortum est, continebatur.

XX. Christianos, exemplo Christi, se minimos humilitate, maximos caritate.

Verùm de Christi posteris brevi quidpiam dicendi locus erit. Nunc quia ex eo semine, Christo gratiæ, sumus; ad id, ipsius exemplo, connitamur, ut & minimi simus humilitate, & maximi caritate. utràque Christianarum virtutum potissimâ, utràque ad fidei nostræ commendationem apud Infideles efficacissimâ. Sic Severum suû hortabatur Paullinus ep. 6. *Memento granum sinapis, de quo nos semine sumus, si conteratur accendi magis, & tum demum in vim suam excitari. Quamobrem debemus quasi natura nostra in hoc respondere, ut adversis sermonibus contriti ardescamus ad fidem, & eos ipsos qui nos ut minimos hominum, scilicet quasi granum sinapis, quod minimum est seminum, frangere conantur, amemus.* Christianus patiatur se haberi pro minimo, & id habeat pro minimo, ut judicetur ab humano die: eosque ipsos, à quibus spernitur, & contemptu cogetur, beneficiis compenset, obsequiis concilièt, caritate conjungat, ut illius, quàm sui ipsorum, esse similes malint.

SECTIO SECUNDA.

Christianæ legis materia.

I. Prædicatio Evangelica granum sinapis.

JAM olim Hieronymus l. 2. Comm. in Mat. c. 13. prædicationem Evangelii cum grano sinapis contulit, seminum minimo, cùm in terram jacitur; olerum maximo, cùm excrevit. *Ad primam quippe doctrinam, fidem non habet veritatis, hominem Deum Christum mortuum & scandalum crucis prædicans: præsertim, si conferatur dogmatibus philosophorum, & libris eorum, & splendori eloquentiæ, & compositioni sermonum, visum iri quantò sit minor cæteris seminibus sementis Evangelii. Sed illa, cùm creverint nihil mordax, nihil vividum, nihil vitale demonstrant: sed totum flaccidum, marcidumque, & mollitum ebullit in olera, & in herbas, quæ citò arescunt, & corruunt. Hæc autem prædicatio, quæ parva videbatur, in principio, cùm vel in animo credentis, vel in toto mundo sata fuerit, non exsurgit in olera, sed crescit in arborem: itaut volucres cæli, quas vel animas credentium, vel fortitudines Dei servitio mancipatas sentire debemus, veniant & habitent in ramis ejus.* Ista Hieronymi, etsi passim leguntur, & præ manibus omnium sunt, referre non piguit: ut, postquam Christum vidimus, in sua sinapis parabola, minimum & maximum; minimam itidem & maximam videamus Christianam legem, maximam in doctrinæ materia, minimam in promulgationis modo, rursus in fructu maximam.

II. Fides Christiana Deo dignas cogitationes ingenerat.

Doctrina Christiana duplex est, speculativa, & practica; seu credendorum, & agendorum. Credendorum pars non fide tantùm cognoscitur, sed ratione etiam demonstrari potest: pars alia naturalem quidem rationis vim exsuperat, rationi tamen prorsus consentanea est. Pars utraque Deo dignas, & immensæ Numinis majestati convenientes, cogitationes mentibus mortalium imprimit: ut vel inde habeamus præjudicium veritatis, quòd de primo veritatis fonte, de quo nihil umquam satis sublime dici poterit, tam sublimiter sentiamus. Nam *perfecta scientia est, sic Deum scire, ut licèt non ignorabilem, tamen inenarrabilem scias. Credendus est, intelligendus est, adorandus est, & his officiis eloquendus est*, inquit Hilarius lib. 2. de Trin. Et, quomodò loquitur Arnobius lib. 3. con. Gentes, *Unus est intellectus de Dei natura certissimus, si scias, & intelligas, nihil de illo posse mortali oratione depromi*, quod ipsius magnitudinem assequatur.

III. Quidquid

De illo cogitavêre multi, multa scripsêre philosophi: immensum esse, omniscium, omnitenentem, potentem omnia, summæ quietis, infatigatæ providentiæ, inexhaustæ bonitatis. Quid autem secretius, & illuminatissima, hominum istorum ingenia ratiocinando assecuta sunt: quod simplicissimum, & obtusissimum quemque, fides Christiana non doceat? *Deum quilibet opifex Christianus*, inquit Tertull. lib. de test. ani. *& invenit, & ostendit: & exinde totum, quod in Deo quæritur, re quoque assignat: licet Plato affirmet, factitatorem universitatis neque inveniri facilem, & inventum enarrari in omnes difficilem.* Afferantur selectæ doctissimorum, è priscis sapientiam professis, sententiæ, quales tract. de Bona vol. ex Aristotele & Seneca produximus: qualis ista est Secundi philosophi, *Quid est Deus? Bonum nativum ... altitudo invisibilis ... mens immortalis, spiritus cuncta pervadens, pervigil oculus, motus omnipotens, multinominis potestas.* Proferatur Sallustii philosophi libellus, ubi de divinitate disseruit, & capiti secundo titulum hunc facit: ὅτι ὁ θεὸς ἀμετάβλητος, ἀγένητος, ἀΐδιος, ἀσώματος, οὐδὲ ἐν τόπῳ: *Deum esse incommutabilem, ingenitum, æternum, incorporeum, loco incomprehensum.* Ecquidnam isti sapientiæ doctores scripsêre, quod Christianæ legis candidatus Arnobius lib. 1. con. Gen. non dixerit, quod certissimâ fide non tenuerint opifices Christiani? *O maxime, & summe rerum invisibilium procreator! O ipse invise, & nullis umquam comprehense naturis! Dignus, dignus es verè, si modo te dignum mortali dicendum est ore, cui spirans omnis intelligensque natura habere, & agere, numquam desinat gratias... Prima enim tu causa es, locus rerum ac spatium, fundamentum cunctorum quæcumque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus; quem nulla delineat forma corporalis; nulla determinat circumscriptio qualitatis, expers quantitatis, sine motu, situ, habitu: de quo nihil dici, & exprimi, mortalium potest significatione verborum: qui ut intelligaris, tacendum est; atque ut per umbram te possit errans investigare suspicio, nihil est omnino mutiendum.*

vivacissima ratio de Deo assequi potest, has simplicibus mos docet.

IV. Docet etiam superantia rationem, sed consentanea rationi.

Ab istis rationi non ignotis, si ad ignota rationi transeamus: quid concipi de Deo potest excelsius, quid tamen ipsius immensitati & incomprehensibilitati convenientius, quàm Personarum divinarum Trinitas? Quid magis congruum infinitæ bonitati, quàm Verbi incarnatio, & incarnati Verbi per Eucharistiæ Sacramentum, ad immortalitatis alimentum, in mortales distributio? Quid magis consentaneum justæ providentiæ, quàm non animorum modò immortalium, sed corporum ad immortalitatem excitatorum æterna in cælis merces, aut æternæ apud inferos pœnæ? Illa quidem ratiocinando assequi non possumus: possumus tamen ratiocinando conficere, digna Deo esse, & magnitudini ipsius ac gloriæ ita convenientia, ut eò magis credibilia sint, quò difficiliùs intelliguntur. Nam *cum vis magnitudinis & notum hominibus objicit, & ignotum*, ut ait Tertullianus in Apologetico: neque animus humanus, quomodò Hilarius censet lib. 1. de Trin. *majus officium præstare conditori suo munúsve potest, quàm ut tantum eum esse intelligat, quantus & intelligi non potest, & potest credi.*

V. De interiori Numinis adoratione à virorum Christi manicam.

Et hinc primum ducimus pro Christianæ religionis veritate argumentum: quia Christus altissima nos, & honorificentissima, de divinitate sentire docuit, docendosque curavit, qualia ante disertè docuerat nemo, quamvis religiosus, & sapiens. Alterum ex iis, quæ agenda edocti sumus, argumentum petitur. Ante omnia, quam Deo debemus adorationem, Christus divinè monuit in spiritu & veritate exhibendam: *Spiritus enim est Deus, & qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Omniscia mens mente colenda est: æterna veritas veritate honoranda est: intellectus & voluntas seriò devovenda sunt cogitationum inspectori, desideriorum

 judici.

judicii. Ne ritibus externis Deum delectari existimes, quod Judæorum plerique, Gentilium plurimi, opinantur: frustra ritus illi sunt, si ex recti animi sententia, ex *spiritu & veritate*, non proficiscuntur.

VI. Orationis Dominicæ sapientissima textura.

Istud adorandæ divinitatis necessarium fundamentum jecit Christi sapientia: illique inædificavit, quidquid externi honoris voce, aliisque ritibus, exhiberi solet. In his est Dominica oratio, cujus sanctitas & sublimitas tanta est, ut sola Christianæ religionis sanctitati demonstrandæ, si rectè expendatur, sufficere possit. Complectitur enim admirabili septenario, quietis numero, humanæ conditionis ultimum finem, viam ad finem, avertentia à fine: postulat, ut ille properetur, hæc detur, ista arceantur. Patrem interpellat, quò amantiùs & fidentiùs oretur: Patrem, qui in cœlis est, ut ipsius magnitudo & potentia fiduciam, & reverentiam, augeat. Postulatorum seriem à summo ac præcipuo fine incipit, ut sanctificetur ejus nomen, & laudabilissimus honoretur. Mox ad alterum finem transit, salutem nostram, ut nobis adveniat regnum Dei; quod singuli non solis nobis, sed omnibus illius Patris filiis, flagitamus. Quia ad gloriam simul divinam, & salutem nostram, via certa nulla est extra Dei voluntatem; idcirco postulamus, ut fiat. Quia vita ipsa nostra mortalis via ad Deum pars est; illi sustentandæ necessaria, aut commoda, in diem flagitamus, ex divina voluntate. Ne à consequendo fine nostro, ineundâve ad illum viâ retardemur, aut avocemur; rogamus debitorum nostrorum remissionem, & veniam noxarum; eique remissioni impetrandæ, allegamus promptam remittendarum à nobis alienarum offensarum voluntatem. Ne, condonatis semel culpis, in alias graves relabamur, obsecramus ne inducamur & immergamur in tentationem: sed à malo, malique incentore diabolo, liberemur. Hæc summa illius orationis est: quâ compendiosius nihil, nihil solidius, nihil ordinatius, nihil excelsius, nihil ad affectum compositius, nihil ad efficaciam potentius, nihil divinius uspiam inveniri potest. Cujus vim si, quotquot à Christo alieni sunt, edocerentur; omnes existimem, rationis ac conscientiæ suæ testimonio convictos, vel Christianæ religioni nomen daturos, vel aversionem saltem ab illa suam damnaturos.

VII. Christiana lex quàm sanctè erga proximum agit?

Quid si deinceps discant, quantâ nos æquitate, caritate, mansuetudine cum hominibus cæteris agere Christus, ac sui, voluerint? Ut faciamus alteri, quod nobis factum optaremus: ut pallium nostrum rapienti potiùs cedamus & tunicam, quàm aliena involemus, vel vindictam coquamus: ut ad obsequia violenter cogentem, & angariantem, addito potiùs voluntario obsequio demereamur, quàm ultrò offendamus: ut iteratis injuriis excipiendis potiùs promptissimus, quàm coquamus ultionem. Ut non facto dumtaxat contumelioso abstineamus, sed ne verbuli quidem probrosi puncturâ ullum lædamus: &, si quem fortè læserimus, non antè ad Deum accedamus, quam redintegrata sit gratia. Ut ne occultis quidem, & secretis, in mentis nostræ arcano judiciis alios damnemus, aut perstringamus. Ut officia, & auxilia nostra sic impendamus in proximum, velut in Christum: & pro persuaso habeamus, non aliud esse Christiani indicium certius mutuâ & officiosâ caritate. Ut cuilibet, quamvis non Christiano, sua reddamus, *cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui honorem, honorem: nemini denique quidquam debeamus, nisi ut invicem diligamus.* Debita omnia exactè, pro facultatum viribus, & prout æquitas postulat, verbo, factoque, manu exsolvamus; caritatis debito semper integro, quia numquam satis exsolvi potest, quamdiu erunt quos juvare, quacumque demum ratione, possimus.

VIII. Quàm sancta nobis erga nos imperet, & suadeat.

Isthæc nostra adversùs alios officia sunt. Nobis autem præstandum docemur, ut immoderatos conservandarum, vel quamvis licitis, divitiarum affectus caveamus: ipsis etiam, si hoc vires animi ferunt, divitiis abdicatis, atque in egenos distributis. Ut honoribus, ac dignitatibus, ad majoris modestiæ argumentum utamur, tantum abest ut capi nos, extollique, patiamur: imò, qui major est nostrûm, fit velut minor, ministretque minoribus, & dignitatem suam esse sciat in obsequium subditorum. Ut voluptates sensuum non modò non admittamus vetitas, sed etiam permissas restringamus: &, si consiliorum semitam sequi placuerit, ad temperantiæ summum perpetuâ castitate, & abstinentiæ assiduâ severitate, nitamur. Ut, in Christi disciplinam seriò auctorandi, renuntiemus nobismetipsis, abnegemus nosmetipsos, crucem tollamus; carnem nostram crucifigamus cum vitiis, & concupiscentiis; Christo, in carne passo, eâdem & nos cogitatione armemur; mundum nobis crucifixum æstimemus, & nos mundo; excrementum nos haberi, ob benefacta, patiamur; beatitudinem in luctu, esurie, persecutionibus collocemus.

IX. Quantam à peccatis puritatem exigat?

Tam perfecta lex præceptis virtutum, atque consiliis; eadem quorumvis vitiorum maculis purissima est. Arcentur à cœlorum regno fornicatores, avari, raptores: nec facta tantùm, sed verba, æterni supplicii præjudicio damnantur: ipsarum cogitationum arcana paris sententiæ severitate feriuntur. Qui beneficentiam, cùm exercere deberet, omisit, ignibus æternis addicitur; nedum, qui maleficium commisit. De otioso verbo reddendam nobis scimus rationem in die judicii; nedum de contumelioso. Vigilare jubemur in momenta, ne peccatum subrepat incautis: neque ab ea continentis excubandi diligentia quemquam occupationes suæ liberant. Omnibus æquè edicitur, nihil prodesse mundi universi lucrum, vel minimo animæ detrimento comparatum. Detrimentum autem animæ est, qualiscumque & quantumcumque venialis offensa. Itaque ne levissimam quidem noxam jubemur admittere, quantivis boni temporalis spe, malive formidine propositâ.

X. Puritas & perfectio Christianæ religionis veritatem evincunt.

De hac Christianæ legis puritate in prohibendis culpis, perfectione in imperandis suadendisve virtutibus, dubitari non potest. Fidem certam faciunt Evangelici sermones, Apostolica documenta: illa à magistro, hæc à discipulis, ex magistri mente profecta. Istis itaque positis, cum Infideli quopiam, ratiocinandi non imperito, aut saltem rationis non impote, disseramus. Ea religio, leu ad cultum Dei pertinens, verissima est, quæ Deo acceptissima: acceptissima autem est, quæ sanctissima; sanctitatis quippe fons, & assertor, & amator Deus est. Atqui sanctimonia major nusquam est, quàm ubi vitia magis fugiuntur, virtutes perfectiùs coluntur, quod ex Christi disciplina est. Christiana itaque religio verissima est, quia sanctissima. & ut cætera illius amplectendæ argumenta desint, vel hoc solo sequenda est, quòd præcipua sit inter omnes sanctitatis.

XI. Aliæ sectæ parem puritatem numquam adeptæ.

Excipis adversum nos Infidelis, alias etiam sectas sanctitatem professas. Ut priscos Judæorum Heroes sileamus, apud quos vera tunc religio fuit, severos recti cultores, & justorum illustre nomen promeritos: in ejusdem hodie nationis reliquiis nonnullos reperiuntur, ad priscorum imaginem facti, fraudum osores, justitiæ tenaces, virtutum omnium amantes. Nonne apud Paganos ipsos invenias, qui vitia exercentur, integritatem totâ mentis contentione observent, Zenonibus, Catonibus, Senecis, Epictetis, aliisque celebribus Romanorum temporum, Græcorumve nominibus consimiles? Faciamus inveniri. Sed qualescumque sint illi, fuerintve: non ea tamen ullius sectæ, Judaicæ, Paganicæ, Philosophicæ.

disciplina

disciplina est, ut vitia omnia, quamvis minora, quamvis occulta, proscribat; ut virtutum omnium cultum ad summum usque evehat. Alii latrocinium, pellicatumve laudant, etsi cæteris vitiosum damnatis: aliis ultroneia mórtve spōtanea placuit, velut fortitudinis eximium decus: alii gloriam, aut mentis quietem, pro actionū fine statuêre, quasi Deo nati non essent. Nulla denique, extra veram religioné, disciplina fuit, quæ maculas aliquas in morum documenta, exemplaque, non admitteret. Quid si speculativam illarum disciplinarum doctrinam examinemus; quàm absona, quàm falsa, quàm Deo divinisque rebus indecora, alia alia credidêre? Sola lex Evangelica, Christo doctore, nihil non Deo convenientissimum fidei nostræ commendat; nihil non hominis saluberrimum, & rectissimum, imperat, aut suadet: adeoque divinissima est.

XII. *Christianorum mores non debent detegere doctrinæ.*

Iterum excipit Infidelis: Christianæ doctrinæ Christianorum mores non respondere. Tam illos esse inquinatos, quàm illa pura sit. Justitia Evangelicis sermonibus, & Apostolicis literis, commendatur: furaces tamen video Christianos. Caritatem paginæ omnes Novi Testamenti inclamant: hostilia odia exercentes, vindictæ avidos, video Christianos. Opum cōntemptum, coërtionem voluptatum, honorum moderationem, Christus discipulique docuêre: avaros video apud aras ipsas Christianos, non paucos audio pellicatui impleros, plures numero ita dignitatum avidos, ut per fas nefasque illuc enitantur. Quid mihi tantopere vestram morum doctrinam, in tanta morum vestrorum corruptela, prædicas? Hoc tibi solum respondero: si artifex aberret, artis culpam non esse. Regulas conficiendarum ratiocinationum ab Aristotele vel excogitatas, vel collectas, damnaveris fortè; quia plurimi Peripateticorum ratiocinari, ex earum regularum formâ, vel nequeunt, vel non solent? Eloquentiæ præcepta, à Tullio Quintilianóve tradita, repudies, quia plerique hodiernorum Oratorum aliâ longè ratione perorant? Vitruvii ad fabricam documenta, Vegetii ad rem militarem leges, idcóne erroris damnabuntur, quia architectorum ducumque multi falluntur? Idcóne perfectissima, & purissima non est Christiana lex, quia Christianorum non pauci imperfecti impuri que sunt? Apage consecutionis ludibrium, quod nemo, ratiocinandi usu pollens, non rideat.

XIII. *Fidem teneamus, & Infideles malè vivendo non absterreamus.*

Ex illis tamen, quantumvis frivolis, Infidelium exceptionibus, fructum duplicem colligamus. Primum, ut eò firmior fides nostra sit, quando tam debilia & ludicra contra proferuntur. Dicebat Hilarius l. 6. de Trin. sermone ad Deum converso, rationem reddens fidei suæ. *In eo me judica*, Deus, *si tamen ea fides est*, quòd Arianus esse noluerim, Catholicus sim, *nimirum me, per Filium tuum, & Legi, & Apostolis, & Prophetis credidisse.* Fidenter itidem dicamus: In eo me judica Deus, si tamen mihi est quòd Judæus, Mahumetanus, Paganusve non sim: nimirum me sublimissimæ, & sanctissimæ, atque adeò divinissimæ religioni Christianæ credidisse. Fructus alter erit, ut sedulò caveamus, ne moribus nostris Infideles à fidei complexu absterreantur; quasi aliud ostendatur, aliud lateat. Sic olim, Augustino teste in ps 25. Pagani, etsi vitiis suis à Christiana religione prohibebantur, prætexebant tamen, inde sese malis Christianorum exemplis absterreri: *Quid mihi persuades, ut Christianus sim? Ego fraudem a Christiano passus sum, & nunquam feci. falsum mihi juravit Christianus, & ego nunquam.* De peccatis Christianorum diximus lib. 1. Exc. ad cap. 15. sect. 1. mox aliquid de bonis illorum exemplis dicturi.

SECTIO TERTIA.

Legis Christianæ promulgatio.

I. *Apostoli præcones legis Evangelicæ.*

Maximam vidimus, doctrinâ credendorum pariter & agendorum, religionem Christianam: videbimus modò promulgatione & satu minimam, maximam fructu. Præcones primi testesque fuêre Apostoli: quibus ad legem novam orbi commendandam tria videbantur necessaria; cognitio, ut ipsi non fallerentur; bonitas, ut fallere nollent; auctoritas, ut fidem persuaderent. Cognitio promulgandorum, & testandorum, Apostolis non deerat, triennio versatis cum Christo: eisque ob rem ipsis Christus dixit, *Vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis*: istoque ipsi ad persuadendū argumēto usi sunt, *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, annuntiamus vobis*, 1 Joan. 1. Apostoli igitur testes fuêre idonei, & fide digni præcones: quia de probè cognitis dicebant, atque adeò non fallebantur. Fallere iidem nolebāt, quos bonitas sua, sinceritasque, ac simplicitas, sic ab omni fuco ac simulatione removerat, ut ea ipsa nō sicerent, quæ apud minùs cordatos multum ipsis detraherent: tanquam, negationem Petri, Thomæ infidelitatem, Matthæi sordidum mi[illegible]is, vilia pleroquinque opificia, trepidam omnium in horto fugam, infamē magistri supplicium. At unde præconibus illis, paucis, vilibus, indoctis, cognita licèt testantibus, & sincerè narrantibus, necessaria suppetet ad persuadendum auctoritas?

II. *Quàm alieno tempore Christum Judæa promulgarint!*

Christus tamen eos *elegit discipulos*, inquit Augustinus l. 18. de Civ. c. 49. *quos & Apostolos nominavit, humiliter natos, inhonoratos, illiteratos, ut quidquid magnum essent, & facerent, ipse in eis esset, & faceret.* Granorum sinapis instar esse debuêre, ut ex minimis seminibus, tantò majori prodigio, lati ac proceri rami per omnes terrarum partes tenderentur. Et, quò spectabilius esset prodigium, exigua illa & pauca semina in gleba nec subactam, nec dispositam, dispersa sunt. Judæa natio, apud quam prima Evangelii publicatio facta est, ardentissimo in legem Mosaicam studio ferebatur: ad disertationes prompta, si quis contra dissereret; ad seditiones & tumultus prona, si quis vim minaretur; Cæsarum potius odium & excidium suum passura, quam ut vel aquilam Romanam, vel Cæsaream effigiem, Templo inferri toleraret. Orta paullò ante Christum Pharisaica secta, paternarum traditionum pertinax observatrix. Enati paullò post Christi mortem Zelotæ, quibus eam appellationem fecerat incensus pro lege Mosaica zelus. Sperarīne à talibus poterat, ut Christianam legem, quæ cæremonias Mosaicas paullatim universas aboleret, & Gentiles Judæis pares efficeret, publicari per Galilæos & cōtemptos piscatores paterentur?

III. *Quàm intempestivè videri potuit satio?*

Voluit tamē Christus, tam alieno & adverso tempore, in solum plantis inimicis oppletum, sementem Evangelicam mitti: ut proventus non humanæ dexteritati, sed consiliorum divinorum efficaciæ, adscriberetur. Nec dispari ratione cum cæteris per orbem populis actum est. Romanum, quam latè patebat, imperium sacrilegus idolorum cultus obtinebat, simul vitiorum genus omne impunè grassabatur. Reliquas orbis partes sævo dominatu premebat feritas, & barbaries. Sic comparatis hominum animis, promulgandus erat Dei unius æterni cultus, Dei-hominis supplicium ac resurrectio, vitiorum omnium odium ac pœnæ, caritas & mansuetudo Christiana. Poteratne deligi magis adversa tempestas, si humana prudentia consuleretur? Sperarēne licebat, sine procellis abitūram, & sine sterilitatis damno, tam intempestivam sationem?

Quoniam

IV. *Scientia & impietas adversus Evangelium conspiravit.*

Quietam prædicationem Apostoli non sperabant, quibus Christus disertè prædixerat, *Ecce ego mitto vos, sicut oves inter lupos: absque synagogis facient vos: trahemini ante Reges & præsides: trademini à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis.* Præscii itaque laborum, & malorum, in Evangelica lege promulganda tolerandorum, Apostoli; munus suum intrepidè tamen aggressi sunt, & purissimam doctrinam vitiosis, altissimam doctis, publicavêre. Fremebat contrà *scientia quæ inflat*, magnis argumentorum agminibus stipata; rationem fidei subdere, quæ non intelligeret discere, rudibus atque infacundis hominibus magisterium concedere, & audientiam accommodare, indignata. Ringebatur impietas, numerosis cincta pellicatuum, fœnorum, furtorum, ambitionum, superstitionum turmis, seque palàm damnari non patiebatur apertâ commendatione virtutis. Fœderantur scientia, & impietas, adversùs nascentem Ecclesiã, eamque primùm clamosis disputationibus Hierosolymæ, Athenis, Romæ, obruere conantur. Sed cùm falsitas arrogans cõtra modestã veritatẽ nihil evinceret: auxiliares à tyrãnide copias flagitavêre.

V. *Auxiliari tyrannide.*

Adfuit illico viribus armata, potestate terribilis, rapinarum, contumeliarum, carnificinarum multitudine formidandum, ferociâ horrendum exercitum trahens: velut unico flatu vixdum benè progerminantem de semine suo plantulam eradicatura. Sed ivêre Apostoli gaudẽtes a cõspectu cõcilii, quia digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati, Apostolorum discipuli suscepêre verbũ in tribulatione multa, & rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinuêre. Nec probrorũ infamia, nec paupertatis incommoda, nec tormentorum atrocitas, quidquam adversùs veritatis patientiam profecere. Ubique pugnatum est, diu, acerrimè; ut religionis præcones vel sævitiâ terrerentur, vel diuturnitate lassarẽtur, vel varietate saltem incussuum distracti debilitarentur. In Romani imperii solo, *sibrâ frementium bestiarum, & turbulentissima profunditatis Oceano*, ut loquitur D. Leo; per terna fermè sæcula horribiles Christianis persecutiones incubuêre. Denas vulgò numerant: nõ quia plures non fuerint, sed quia istæ atrocissimæ præ cæteris. Cæsarum primus in Christianos sævus Nero: *Tali dedicatore damnationis nostra gloriamur*, inquit Tertullianus in Apolog. *qui enim scit illum, intelligerè potest, non nisi grãde aliquod bonum a Nerone damnatum.* Istius monstri jussu, Christiani, pice inuncti, Romæ noctu in plateis tædarum vice arsêre: ut vel sic lux in tenebris luceret. Adriano grassante, militum nullis decẽ loco uno & tẽpore, pro Christiana lege obtẽre. Lugduni, & in viçinia, strages tanta Christianorum, Antonino Vero jubẽte, edita est, ut ad novemdecim illic Martyrum millia numerentur. Diocletiano grassante, imperium omne Romanũ Christiano sanguine exundavit: Nicomedia, & Treviris, nobilissimæ urbes, commune fermè civium omnium, quotquot Christum colebant, sepulcrum fuêre, vel bustum.

VI. *Quale interim Evangelii incrementum?*

Quatuor tantùm persecutiones, attingo, & pauca loca designo, in locorum cæterorũ ac temporum specimen. Peream horribiles tempestates, bacchantibus ventis, irruentibus procellis: quale tamen doctrina Christiana incrementũ accepit? Quàm altè exiguum istud sinapeos semen comas extulit, brachia diffudit? Quanta cælestium volucrum multitudo, hominũ sapientium, potentium, locupletium in illius ramis nidulata? Quæ Universi mutatio in melius Evangelii prædicationem comitata, vel secuta est? Illustriori longè miraculo, quàm si, ut vaticinabatur Isaias, in solitudine nemorum amœnitas læta repentè consurgeret: &, si in cubilibus draconũ oreretur viror calami, & junci. Jam inquit Hieronymus ep. ad Nepot. & ad Lætam, nõ Latini solum, Græcique, & Hebræi, quorum linguas crucis titulus Christo consecravit, divinorum bonorum & beatæ immortalitatis fiduciâ eriguntur: sed Persæ, Gothi, Ægyptii, Indi eâdem sese spe consolantur. Thracum & Scytharum feri clamores in suavẽ transiêre crucis melodiam. In Septemtrionũ nivibus ardet calor Christianæ caritatis: & sub zonæ torridæ ignibus benignus mansuetudinis imber, & ros gratiarum cælestium, sentiuntur.

VII. *Quàm admirandum!*

Si Christiana religio citra obicem ullum succresceret; si absque prælio, & sanguine, homines ab idololatria & vitiis sese abduci sinerent: mira tamen planè foret mutatio, inquit Chrysostomus. homil. quòd Christus sit Dominus. Quantò magis stupendum, per tot obstantia tantam, & tam subitò, ad meliora conversionem exstitisse, tam paucis & tam parùm idoneis præconibus, ac testibus, si cùm adversariorum multitudine, ingenio, potentiâ comparentur? Inter lupos undique frementes dispergentur agni duodecim, alius aliò; & lupos, positâ rabie in agninam indolem vertunt. Dulcis aquæ guttulis duodecim, alia alibi fusis, mare magnũ repentè amissâ salsedine dulcescit. Quis, quamvis Joanne & Mambre dementior, quamvis Ægyptio quolibet obduratior, non exclamet, *Digitus Dei hic est!* Multos varia priscorũ sæcula tulêre sapientes homines, ac disertos. Uno fermè ævo Græcia Socrates, Platones, Theophrastos, Zenones, Aristoteles audivit. Quantum isti dicendo, scribendoque, profecêre? Platonis respublica in ideis Platonicis mansit. Pauculi discipuli ad aliquot orbis particulas erepsêre. Amare tenebras suas, & in facibus volutari non desiit genus humanum. Hodie permultos habet orbis Christianus concionatores litteratos, eloquentes, pios. Dicunt ad benevolum auditorem, malorum metu nullo, approbationis fiduciâ. Quot tamen ex illorum dictionibus conversiones morum existunt? In digitos fermè digeri possent, sicut racemi, cùm fuerit finita vindemia.

VIII. *Quàm supra intellectus & voluntatis motus?*

Quid agis, superba hominis intelligentia? Unus tibi Deus & trinus credendus proponitur, prædicatur Deus homo suspendio extinctus, promittitur redivivæ carnis post innumeras transformationes excitatio, ostẽduntur à sensibus remota, sæculis dissita, ratione superiora: credis tamen, etsi incredibilia v[illegible] potuerant. Voluntas humana, bono jucundo [illegible] ve aut utili appetendo assueta, quid agis? Castitas inducitur, sobrietas imperatur, justitia præcipitur, humilitas commendatur. isthæc tamen reclamante inolitâ consuetudine, obluctantibus affectibus, amplecteris? Quid ex nova professione boni exspectas? Opes ne forsan? Sed illis spoliabere. An honores? Sed pro sacrilego, impio, mago habebere. An vitam? Sed tormenta coram adspicis, sed paratã mortẽ intueris. Victorini Rhetoris Romani conversionem auditam, Augustinus nobis legendam transmisit lib. 8. Conf. c. 2. & 5. Quid tali conversione sperabat laudis satur, honoris plenus, divitiarum affluens homo? Quid Cõstantinus Cæsar à Christiana religione, in præsens, emolumenti vel voluptatis quærebat? Quid antè homines innumeri, primores pariter ac plebeii, docti & indocti, inter quotidiana vitæ pericula, tormentorum spectacula, suppliciorum experimenta, sibi proposuêre, ut Christiani fierent? *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

IX. *Superstitionum incrementa facillima, difficillima veræ religionis.*

At, inquis, nonne idolorum etiam cultus à parvis ortiis orbem totum implevit, ut Sap. 4. narratur? Mahumetismus itidem omne ex projectæ sementiculæ cocco Asiam fermè universam, Africæque & Europæ partem, occupavit? Excrevêre omninò, fæcundo ac festinato proventu, fœdæ superstitiones: quemadmodùm ex lignis putribus fungi. Ostentabat idololatria in deorum factis exempla libidinum, & impunitatem criminum: quid mirum, si proclivis ad

voluptates

voluptates humana sese illuc appetentia provolvit? Proponebatur à Mahumetismo satietas voluptatum, sensibus amicarum: quid mirum, si totæ illuc nationes cucurrêre? Accedebat ad irritamenta luxuriæ, terror potestatum, & metus armorum. Ad idololatriam Reges edictis, & pœnis, urgebant: ad Mahumetismum compellebant armati exercitus. Christianam verò religionem, nec sensibus blandam, nec rationi obviam, inermes armatis, viles honoratis, indocti sapientibus Apostoli, eorumque discipuli, persuasêre, & admirationem cæteris expressêre, quos ab accipienda fide vel mala formido, vel mala spes, prohibuerunt.

X.
Apostoli voce testimonium perhibuêre religioni Christianæ.

Propiùs lubet intueri, qua ratione id operis per tales Christus effecerit? Apostoli *profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Voce promulgavêre Christianam legem, promulgatã miraculis firmavêre: accessit voci, & miraculis, integritas vitæ: sigillũ testimonio impressit mors generosa, eamobrem appellata martyrium. Docti non erant Apostoli, facundi non erant; nec, qui linguas ipsis igneas dederat, artem simul eloquentiæ contulerat. Imò plerisque *sermo erat contemptibilis*, & imperitus. *Loquebantur* nihilominus *cum fiducia verbum Dei*, certi de veritate, quæ, quo simplicior est, & minùs ornata, eò persuadet efficaciùs. Auditor enim in argutiis ratiocinationum, & facundiæ ambagibus, facilè dolos & insidias suspicabitur, metuetque sibi, ne quà circumveniatur, velut à circulatore. At in aperto sermone, remque ipsam citra circuitus exponente, nihil intuetur nisi veritatem, quæ *splendorem suum nuda commendat. Ad unguem verò formata est illa, quæ volumus non tam speciem recti habere, quam similitudinem*, ut ait Ennod. dict. pro Steph. Itaque, ad Apostolicas prædicationes, sincerâ narratione gestorum, adhuc recentium, convicta multitudo nunc ad terna, nunc ad quaterna capitum millia, nomen Christo dedêre. Sic postmodùm Paganus philosophus nudâ fidei Christianæ veritate, per S. Spiridionem, simplicem Episcopum, propositâ, perculsus errores illico abjuravit: ut ex aliis narrat Baronius ad annum 325.

XI.
Et miraculis.

Veritatis simplex oratio est, inquit ex Tragico quopiam Seneca ep. 49. *ideo; illam implicare non oportet.* Id etiam isti agnovêre, quibus tamen ornata falsitas in pretio fuit. Multò id magis experti sunt illi, quibus, pro veritatis ornamento, non fuci verborũ dabantur, sed miraculorum signa demonstrabantur. Concionabatur Petrus: mox à concione umbrâ illius contacti ægri quilibet convalescebant, claudus ad Templi portã exiliebat, Tabitha de feretro exsurgebat. Prædicabat Paulus: & continuò Eutychium ex præcipiti lapsu enectũ à mortuis revocabat, semicinctiis ad languidos deportatis morbos pellebat, navigationis comitibus futura prædicebat. Evangelium Apostoli cæteri, locis quisque suis, publicabant: & illi ò patrabant genus omne beneficorum prodigiorum. Quomodò enim ubique prædicavêre, ita & ubique signa secuta sunt: neque ille falli poterat, qui dixit, *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, ipse faciet, & majora horum faciet.* Ad ista spectacula Infideles attoniti non dubitabant, quin humanâ fide altius aliquid loquerentur, qui humanâ omni arte longè altiora patrabant, statuebantque vera esse, quæ dicerent, cùm naturam superarent; quando quidem supra naturam etiam essent, quæ facerent.

XII.
Et morum sanctimonia.

Non imparem miraculis auctoritatem obtinuit inculpata vitæ ratio. De philosopho scribebat Seneca ep. 6. *Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodo audisset. Vitæ ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum, an ex formula sua viveret.* Sic Apostolis fecêre auditores sui. Spectabantur Angelici inter cœtum eas vultus, læti inter verbera, inter discrimina securi. Videbantur impendi ad aliorum cõmoda labores perpetui, emolumento nullo: tanto quæstûs omnis contemptu, ut propter nihil possiderent, pecuniam oblatam respuerent, manibus potiùs victum tolerarent, quàm cuiquam esse vellent onerosi. Tam incontaminata castitas cernebatur, ut ne scurrilitatis quidem toleraretur appellatio, nedum scurrilitas ipsa. Tantam morum integritatem postquam auditores inspexerant, & cum suis alienisque compararant, plus oculis credentes, quàm auribus, sic apud se ratiocinabantur: supra communem hominum sortẽ magister fuerit, necesse est, cujus discipuli tam exactam sanctimoniam colunt: puram quoque omninò, ac divinam legẽ esse oportet, cùm adeo puri sint, qui ex ea vivunt. D. Pachomium ad Christianam religionem adduxit Christianorum erga tirones, militare coactos, in quo numero erat, caritas, apud Baronium an. 316. *Ioannes Fernandius noster, Sodalium nostrorum Ulyssiponensium exemplis ad Societatem invitatus, cùm Xaverio comes in Iaponiam isset, & ad confertam multitudinem in publico diceret, unus de plebe provocatum à pectore phlegma illi in os obscœnè conspuit, & eadem facinus una cum sociis celebravit. At Ioannes, educto modestè strophiolo vultum purgans, & tamquam nihil ad se pertineret, sermonem pertexuit. Ea res virum gravem, qui fortè aderat, explodendæ potius quàm hauriendæ doctrinæ causâ, ita permovit, ut veritate dogmatis ex operis celsitudine æstimatâ, protinus se ad Ioannis pedes abjecerit, & primitias Spiritûs per baptismum amanter acceperit. Ab hoc initio ducta est tot Iaponum postea conversio.* Ita narrat totidem verbis Alegambe in Bibhoth.

XIII.
Morte denique.

Tanta vis exempli unius in Apostolico homine fuit: quanta fuerit quotidianorũ in Apostolis exemplorum, præsertim postcaquã sanguine ab omnibus, unico excepto Joanne Evangelista qui par tamẽ mortis supplicium tulit, consignata sunt? Mori autem omnes in religionis causâ Deus voluit: tum ut sibi certissimam esse illius veritatem palàm testarentur, ipsaque adeo vitâ, cujus amittendæ sensus tenerrimus est, cariorem: tum ut in extremo illo actu, qui maximè attendi solet, virtutum suarum illustrissima specimina, & in spectatorum mentibus plurimùm momenti habitura, ostenderent. *Iacuit testis fidelis inter pœnas pœnis suis fortior*, ut de Celerino scribit Cyprianus ep. 34. *inclusus includentibus major; jacens stantibus celsior; vincientibus firmior vinctus; sublimior judicantibus judicatus.* Patientiam auxêre tormenta; caritatem, & mansuetudinem, exercuêre supplicia. Ducebantur ad crucem intrepidi, ad gladium læti: inter patibuli ferales brachia, sub carnificis armata manu, inter dolores & vulnera, pro hostibus & tortoribus suis Deum clarâ voce, ut animitus fieri appareret, magistri sui exemplo precabantur. Tantæ virtutis spectaculo adstantes commoti revertebantur percutientes pectora sua, & dicebant, *Verè Filius Dei erat iste*, qui tales docuit: vera non esse nequit religio, ubi sic vivitur vita, sic mors oppetitur. Ita populi universi ad Christianam legem convenêre. Apostoli, *ut ista populorum, tamquam germinum, copiosissima fertilitas surgeret, terram suo sanguine rigaverunt. Fructus ergo laboris illorum etiam nos sumus.* Isthæc Augustinus serm. 103. de diversis, in Natali SS. Perpetuæ & Felicitatis, dicebat de Martyribus omnibus generatim: sed Apostolis, testibus primariis, præordinatis à Deo præcipuè congruunt.

XIV.
Et nos testes fidem Christi debemus quia ab initio fuimus cum Christo.

Cùm ergo fructus Apostolici laboris etiam nos simus: respondeat fructus labori, germen semini. Testes illi fuêre Christianæ religionis; & nos testes esse debemus. Dixit enim de quibuslibet disciplinæ suæ sectatoribus Christus, *Quicumque confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo:* &c.

&, *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.* *Confessionem autem vocat Scriptura generaliter, quidquid manifeste, sive communi, enuntiatur* ut ait Augustinus q. 9. in Matthæum; ubi illa Matthæi & Lucæ verba profert, explicatque illud confessionis nomen, propter simpliciores fratres, qui percutiebant pectora sua, quando vocabulum illud à Lectore pronuntiatum audiebant, quasi semper confessionem peccatorum significaret. Confessi sunt Christum Apostoli, manifestum illum sicut viderant enuntiavêre, testimonium de illo perhibuêre: quia *ab initio* fuêre cum illo. Nonne & nos *ab initio* cum Christo sumus, si gentis nostræ primordia intueamur, jam inde ab Apostolicis temporibus Christianæ? Nonne *ab initio* vitæ nostræ sumus cum Christo, eodem die regenerati quo nati, Christiani antè fermè quàm homines? Nonne *ab initio* saltem vitæ melioris cum ipso sumus, salutis nostræ reparatore, qui nos fecit, non hospites & advenas, sed *cives sanctorum*?

XV.
Docere debemus, aut saltem dedidisse Christi legem.

Perhibeamus itaque, pro gradu quisque nostro testimonium Christo, quemadmodùm Apostoli. Si Christianam doctrinam prædicare aut explicare non potes in corona, at potes in familia. si neque hoc potes, illam saltem profitero, &, ut profitearis, calle. Scribit Augustinus ep. 67. Alipio seni, de Dioscoro Archiatro, qui quòd post baptismum *symbolum non tenebat, vel tenere forsan recusaverat*, paralysi omnibus fermè membris solutus est. Christianus credendorum ignarus, agendorum simul impotens erit: paralytica fiet, & ad recta commovere sese voluntas non poterit, si communibus saltem fidei decretis, & præceptis, intellectus sese informare neglexit. Neque enim voluntas fereretur ad incognitum: & Christus tam indignâ socordiâ offensus, qualis heu nimis sæpè in Christianissimis etiam civitatibus deprehensa est, beneficiorum ac gratiarum suarum, ad excitandam hominis solertiam necessariarum, ubertatem restringet.

XVI.
Miracula lubenter audire, & narrare.

Miracula hodie ampliùs firmandæ fidei exigenda non esse, docuit Gregorius hom. 29. in Evangelia. Quemadmodùm enim aquam arboribus, recèns in terram depactis, affundimus; postquam radices egêre, & ævum firmavêre, ab irrigatione cessamus: ita nascentis Ecclesiæ incrementa miraculis provocata, quorum auxilio amplius non eget, postquam radicata est, ætatemque duxerit. Sic omninò res habet; necessaria amplius non erant, Christianæ religioni stabiliendæ miracula; non desiit tamé identidem illa Deus, Fidelium suorū solatio, pudori Infidelium operari. Hoc ipso sæculo conspicua, & certa plurima, variis locis patrata sunt, ut Exc. ad c. 1. sect. 4. scripsimus: verumque adhuc istud Christi est, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Eorum, qui credunt, nonnulli, Ecclesiæ universæ nomine, opera divina faciunt: cæteri, quibus id non datur, ista lubentes audiunt, læti commemorant, ut in se fidem excitent, in aliis augeant. Iisdem enim fides adulta roboratur, quibus infans educata est: nec lactis respuit alimentum, etsi solido cibo utitur.

XVII.
Exempla Infideles ad fidem alliciunt.

Docere Christianam legem, & patrare miracula, paucorum est. vivere, & mori, omnium est. *Vita autem vera æstimatio*, ut ait Gregorius l. 1. dial. c. ult. *in virtute est operum, non in ostensione signorum. Nam sunt plerique, qui etsi signa non faciunt, signa tamen facientibus dispares non sunt.* Sat age, ut inter hos numereris. sic mores institue, *ut & doctrinæ tibi vita sit*, quomodò ad Victricium Paullinus scribebat epist. 28. *& vita doctrina.* Nam *tu hic eruditum & formatum cæli beneficio, plùs agendo populum instituis, quàm loquendo*, ut Ennodius ait, in dictione datâ Stephano vicario, pro Maximo Episcopo. De præsentissima bonorum exemplorum vi, ad convertendos Infideles, quædam diximus ad calcem sect. 4. Exc. ad cap. 1. Alii alia narravêre. Recentiora pauca perstringo. Anglus hæreticus spectatâ Pii V. modestiâ, Ven. Sacramentum in supplicatione circumgestantis, &, quod Pontifices non consuevêre, pedestris, decimo quinto post die ad pedes ejus accidit, hæresimque ejuravit: ita in Pii V. vita perhibetur. Polonus senex, Lutheranæ sectæ Minister, visâ per Jubilæum anni 1575. Catholicorum pietate, Gregorii XIII. & Cardinalium erga pauperes ac peregrinos caritate, publicè in Basilica D. Petri ad genua Pontificis abjectus, errores ejuravit, absolutusque, visitatis ad Jubilæi consecutionem templis, triduo pòst, magno animi sui solatio mortuus est: recitat Spondanus. Apud eumdem, hæreticorum multi, qui ad Jubilæum 1600. confluxerant, visâ Clementis VIII. pauperum pedes abluentis, confessiones quorumlibet excipientis, officia divina celebrantis, caritate ac pietate, conversi: in his Stephanus Calvinus, affinis Joannis Calvino, quem Pontifex amore paterno alendum suscepit. isque posteà Carmelitanum ordinem ingressus, religiosè vixit, & feliciter obiit. Narrat Allegambe in Biblioth. principem fœminam Polonam, Palatinam, Elisabetham Radzivilam, ex Calvinianâ Arianam, ex Ariana Judæam, sacræ Scripturæ, quam memoriâ tenebat, peritiâ Catholicis doctoribus insultantem, fidei Catholicæ denique nomen dedisse, inspectâ de proximo integerrimâ vitâ P. Benedicti Herbesti Poloni, ex Canonico in Societatem nostram adlecti.

XVIII.
Et Fideles ad pœnitentiam, et pœnitentiam.

Neque, ad Infidelium modò conversionem rectè facta plurimùm valent; sed ad Fidelium, quamvis obduratorum, resipiscentiam. Margareta Austriaca, ex Germania in Hispaniam ad Philippi III. nuptias proficiscens cum matre, tanta Mediolani, & toto passim itinere, edidit virtutum exempla, ut Genuensi cuidam civi à Societatis nostræ sacerdote narrata, illicò pœnitentiam insuserint, & peccatorum omnium generalem Confessionem expresserint, quam antè pridem contumacissimè respuerat, ad peccandum penitus obfirmatus, & ad non resipiscendum. Tantum vita Christiana potuit: quid si vitæ mors testis accedat? Quid si martyrium; aut, quia jam vix apud nos martyrio locus est, quid si martyrii vice accedat dolorum, contumeliarum, damnorum invicta patientia, qua virtute inter omnes mirabilior nulla, nulla ad motum efficacior? Ad eam te compara, Christiane, illâ Christum & Apostolos sequere. *Quid times*, inquit Augustinus serm. 112. de Martyribus agens, quibus nomen fecit Massa candida, *viam duram passionum, & tribulationum? Transiit ipse. Respondet forte, sed ipse. Transierunt Apostoli. Adhuc respondet, sed Apostoli. Respondeo: transierunt postea & multi viri, Erubesce. transierunt & feminæ.*

CAPVT

CAPUT DECIMUM.

ARGUMENTUM.

Machabaeus, continuato victoriarum cursu consternatis adversariis, Hierosolymam cum suis ingreditur, disturbatisq; sacrilegis daemonum aris ac delubris, Templum emundat, sacrificia offert, & octo diebus Encaenia celebrat, in morem festi Tabernaculorum: communiq; suorum consilio, sancit agenda quotannis ab omnibus ubique terrarum Iudaeis. Antiochi Epiphanis filius, & haeres, Eupator Lysiam negotiorum publicorum administrum adsciscit: postquam Ptolemaeus vitam veneno abruperat, animi aeger; tum quòd proditiones ipsi saepè objicerentur; tum quòd de nimia jam erga nationem Iudaicam propensione apud Regem accusaretur. Gorgias Iudaeos infestat: hi duce Machabaeo Idumaeos invadunt, munitiones eorum capiunt, occurrentes ac resistentes trucidant variis locis, ad viginti facilè millia: alios, qui sese in turres duas, amplas valdè & munitas, receperant, obsident. Vrgenda obsidionis curâ Simoni fratri, aliisq; ducibus demandatâ, Machabaeus ad alias expeditiones properat. Sed nuntiato, effugisse obsessorum aliquos, corruptis pecuniâ quibusdam obsidentium, illicò regressus, sumpto de perfidis supplicio, munitiones expugnat, & in iis interimit plus viginti hominum millibus. Inter haec Timotheo, exercitum numerosum ad Iudaeae perniciem trahenti, Iudas, imploratâ suppliciter divinâ ope, obviàm Hierosolymis procedit. Commisso praelio cùm victoria penderet, caelitùs apparuère hostibus equites quinque: quorum duo Iudam stipabant, tuebanturq;, & in illos fulmina, ac tela jaculabantur. Turbatis itaque mentibus & ordinibus, caesi, fugatiq;, periere supra millia viginti & unum. Timotheus Gazaram, praesidium munitum, elapsus obsidetur. Obsessi, munitionis suae fiduciâ, Iudaeis probrosè insultabant: sed carò ipsis linguae petulantia stetit. Nam, quinto die, viginti promptioribus juvenum in muros eniti aggressis, caeteri exemplum secuti, pars scalis, pars per abruptas igne portas, praesidium irrupère, biduoq; vastavère, & Timotheum de latibulo protractum, Chaereámque ejus fratrem praesidii praefectum, & Apollophanem occidère: ad gratias deinde exercituum Domino, victoriae largitori, agendas conversi.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ÿ.1. MACHABÆUS autem, & qui cum eo erant, Domino se protegente, templum quidem, & civitatem recepit: 2. aras autem, quas alienigenæ per plateas extruxerant, itémque delubra demolitus est. 3. Et purgato Templo, aliud altare fecerunt: & de ignitis lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt post biennium, & incensum, & lucernas, & panes propositionis posuerunt. 4. Quibus gestis, rogabant Dominum prostrati in terram, ne ampliùs talibus malis inciderent: sed &, si quando peccâssent, ut ab ipso mitiùs corriperentur, & non barbaris ac blasphemis hominibus traderentur. 5. Quâ die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri, vigesimâ quintâ mensis, qui fuit Casleu. 6. Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quòd antè modicum temporis, diem solennem tabernaculorum in montibus & in speluncis more bestiarum egerant. 7. Propter quod thyrsos, & ramos virides, & palmas præferebant ei, qui prosperavit mundari locum suum. 8. Et decreverunt communi præcepto & decreto, universæ genti Iudæorum, omnibus annis agere dies istos. 9. Et Antiochi quidem, qui appellatus est Nobilis, vitæ excessus ita se habuit. 10. Nunc autem de Eupatore Antiochi impii filio, quæ gesta sunt narrabimus, breviantes mala, quæ in bellis gesta sunt. 11. Hic enim suscepto regno, constituit super negotia regni Lysiam quemdam, Phœnicis & Syriæ militiæ principem. 12. Nam Ptolemæus, qui dicebatur Macer, justi tenax erga Iudæos esse constituit, & præcipuè propter iniquitatem quæ facta erat in eos, & pacificè agere cum eis. 13. Sed ob hoc accusatus ab amicis apud Eupatorem, cùm frequenter proditor audiret, eò quòd Cyprum creditam sibi à Philometore deseruisset, & ad Antiochum Nobilem translatus etiam ab eo recessisset, veneno vitam finivit. 14. Gorgias autem, cùm esset dux locorum, assumptis advenis frequenter Iudæos debellabat. 15. Iudæi verò, qui tenebant opportunas munitiones, fugatos ab Ierosolymis suscipiebant, & bellare tentabant. 16. Hi verò qui erant cum Machabæo, per orationes Dominum rogantes ut esset sibi adjutor, impetum fecerunt in munitiones Idumæorum. 17. Multaque vi insistentes, loca obtinuerunt, occurrentes interemerunt, & omnes simul non minùs viginti millibus trucidaverunt. 18. Quidam autem, cùm confugissent in duas turres valdè munitas, omnem apparatum ad repugnandum habentes: 19. Machabæus ad eorum expugnationem, relicto Simone, & Iosepho, itemque Zachæo, eisque qui cum ipsis erant satis multis, ipse ad eas, quæ ampliùs perurgebant, pugnas conversus est. 20. Hi verò qui cum Simone erant, cupiditate ducti, à quibusdam qui in turribus erant, suasi sunt pecuniâ: & septuaginta millibus didrachmis acceptis, dimiserunt quosdam effugere. 21. Cùm autem Machabæo nuntiatum esset quòd factum est, principibus populi congregatis, accusavit, quòd pecunia fratres vendidissent, adversariis eorum dimissis. 22. Hos igitur proditores factos interfecit, & confestim duas turres occupavit. 23. Armis autem ac manibus omnia prosperè agendo, in duabus munitionibus plus quàm viginti millia peremit. 24. At Timotheus, qui priùs à Iudæis fuerat superatus, convocato exercitu peregrinæ multitudinis:

multitudinis: & congregato equitatu Asiano, advênit quasi armis Iudæam capturus. 25. Machabæus autem, & qui cum ipso erant, appropinquante illo, deprecabantur Dominum, caput terrâ aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti, 26. ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus, & adversariis adversaretur, sicut lex dicit. 27. Et ita post orationem, sumptis armis, longiûs de civitate procedentes, & proximi hostibus effecti, resederunt. 28. Primo autem solis ortu utrique commiserunt: isti quidem victoriæ & prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes: illi autem ducem belli animum habebant. 29. Sed, cùm vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cælo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: 30. ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant: in adversarios autem tela & fulmina jaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant. 31. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, & equites sexcenti. 32. Timotheus verò confugit in Gazaram præsidium munitum, cui præerat Chæreas. 33. Machabæus autem, & qui cum eo erant, lætantes obsederunt præsidium diebus quatuor. 34. At hi qui intus erant, loci firmitate confisi, supra modum maledicebant, & sermones nefandos jactabant. 35. Sed cùm dies quinta illucesceret, viginti juvenes ex his qui cum Machabæo erant, accensi animis propter blasphemiam, viriliter accesserunt ad murum, & feroci animo incedentes ascendebant: 36. Sed & alii similiter ascendentes, turres portasque succendere aggressi sunt, atque ipsos maledicos vivos concremare. 37. Per continuum autem biduum præsidio vastato, Timotheum occultantem se, in quodam repertum loco peremerunt: & fratrem illius Chæream, & Apollophanem, occiderunt. 38. Quibus gestis, in hymnis & confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israël, & victoriam dedit illis.

COMMENTARIUS AD CAPUT DECIMUM.

Templi expurgatio.

℣. 1. usque ad 9. MACHABÆUS AUTEM, ET QUI CUM EO ERANT, &c. Narratur Judæ & sociorum adventus Hierosolymam, Templi expurgatio, populi lætitia, anniversariæ memoriæ indictio: quæ cùm l. 1. c. 4. v. 36. &c. usque ad finem fusè explicaverimus, ea nunc solùm edisseremus, quæ hujus loci propria sunt, in quæstiunculas digesta.

Quando recepta per Machabæum Hierosolyma?

Ac primùm, quod v. 1. dicitur MACHABÆUS TEMPLUM, ET CIVITATEM RECEPISSE: An ea duntaxat recepit paullò ante expurgandum Templum? Videtur ex c. 8. suprà v. 31. 32. 33. statim à cæsis Timotheo & Bacchide Hierosolymam venisse Judas, eóque spolia contulisse, & epinicia illic egisse. Ex libri tamen primi c. 4. contrà videatur, post victum demum anno proximè sequenti Lysiam, Hierosolymam profectus, idque mihi credibile esse indicavi ad l. 1. c. 4. v. 39. ubi etiam suspicabar, ab Hagiographo libri secundi auctore narratum c. 8. Judæ ingressum Hierosolymam per anticipationem. Favet huic meæ conjecturæ epiniciorum festum, quod c. 8. v. 33. memoratur, neque aliud forsan fuit, quàm solennis de victoriis reportatis lætitia, gaudio de Templi expurgatione conjuncta. Si tamen magis tibi placuerit, duplicem Judæ adventum ad Hierosolymitanam urbem, & duplex festum gaudiumve statuere: eam sententiam expressam reperies tum in Serie historica l. 1. num. 39. 41. tum num. 31. 33. Synopseos hujus libri. Quidquid autem difficultatis objici potest, enodatum habebis ad l. 1. c. 4. v. 39.

Igniumne de lapidibus cælitus exceptus?

Quæres secundò: Quomodò DE IGNITIS LAPIDIBUS IGNE CONCEPTO SACRIFICIA OBLATA? Gorionides ait, *Exiliisse ignem de lapidibus altari suppositis, eumq; ad tertiam usque captivitatem durasse*: ut scilicet numquam in Templo ignis sacer miraculo excitatus, at divinitùs missus defuerit. Eam Gorionidæ conjecturam non improbat Serarius; rejicit Salianus, dicitque, in lapidibus ignitis nihil quærendum esse mysterii, sed ignitos dici, ex quorum attritu ignis excutitur. Idem ante Salianum Liranus, Mariana, aliique existimavêre: & verò frustra est miraculum, ubi verba Scripturæ, & res subjectæ illud non exigunt.

An potiùs excussus de silice, & fomite exceptus?

In Græco textu habetur, πυρώσαντες λίθους, καὶ πῦρ ἐκ τούτων λαβόντες, ἀνήνεγκαν θυσίαν: cùm lapides ignivissent, *& ignem ex illis accepissent, obtulerunt sacrificium*. Diversimodè autem lapides igniri possunt: primùm excussis inde collidendo scintillis, ita ut igniti videantur, uti quotidie silicibus facimus: deinde mutuo attritu, & attritu, citra collisionem tamen, excalfactis &

deniqoe vehementiſſimum ejus ardorem fore: tum ex rei natura, ob terræ frigus circumſtans ut indicat D. Thomas: tum quia vindictæ divinæ flatus illum accendet, ad puniendum ſummo dolore reum corpus, ſicut anima rea ſummo cruciatu torquebitur.

Ejus ignis miracula.

Miracula ejus ſunt, omiſſo quòd corporeus licèt agat in ſpiritus, quæ res alterius loci eſt: Primum; quòd ſulphur materiam ſuam non conſumat, etſi ſolvat in fumum, *& fumus aſcendat in ſæcula ſæculorum.* Alterum, quòd ſine ſpiraculo ardeat: neque enim montes flammivomi, quos *fumariola quædam* ait Tertullianus libro de pœn. ex ſtimavit, poſt judicium ampliùs exſpirabunt. Tertium, quòd corpora candefaciat, non exurat, ut hiſce verbis Euſebius Gall. hom. 1. expreſſit: *Depaſcentibus flammis corpora atque animas ex parte conſumi, ex parte nutriri; ut inter medios ignium globos damnata natura det pabulum, & accipiat incrementum:* alia ipſius, & Minutii in Octavio verba vide Excurſu [illegible]. ad libri 1. c. 4. ſect. 2. num. 4. Quartum, quòd calore acerrimo temperiem corporum, continuandæ miſerrimæ vitæ neceſſariam, non corrumpat. Quintum, quod corporibus æquali tactus vivacitate præditis, æqualiter admotis, varium pro damnationis inæqualitate dolorem imprimat, Juſtitiâ divinâ inſtrumentum ſuum moderante, & afflante. Sextum addunt non pauci ex Jobi cap. 24. quòd intenſiſſimo gelu [illegible] orabitur, vel alternabitur. Septimum, quòd vermes [illegible] ſceleſtos, damnata infeſtos, non exuret. Sed gelu iſtud, & vermes corporei, ſuperflui videntur pleriſque, in tanta tormentorum ab ignibus atrocitate.

Ex igne ſenſuum cæterorum ſupplicia.

Nam in ſolo tactu iſta non hærebit atrocitas: ſed in cæteros ſeſe ſenſus dividet. Odoratum torquebit ardentis ſulphuris fœtor, & damnatorum corporum nidor intolerabiliſſimus, cùm fœtidius nihil ſit recalfacto cadavere: cadaveroſa autem fore & put[illegible]iſſima corpora damnatorum, vel ex eo conſtat, quòd hædorum hircorumve nomine in extremo judicio ad lævam judicis collocabuntur. Guſtatum imbuet ſulphureus ſapor; & ardentiſſima ſitis, à Chriſto in Epulonis ſuppliciis expreſſa, torquebit: etſi enim poſt judicium non erit amplius generatio & corruptio, atque adeo nec potûs cibíve neceſſitas; erit tamen in æſtu inteſtina torrente deſiderium hujus [illegible]. Auditum percutient horrendi uſtulatorum ululatus, ferales & ſacrilegæ diræ ſupplicia indignantium voces, ſtridores dentium, fragores rotatorum incendiorum. Dolebit viſus ſulphurei fumi edacitate, ſicci fletûs perturbatione, triſti pallidarum & tenebris intermicantium flammarum adſpectu, apparentium in mæſto lumine luridorum vultuum horrore. Cætera ſenſuum, aliunde quàm ex igne provenientia ſupplicia omitto: ſuggeret Drexelius in Rogo damnatorum, aliique.

Pœna damni.

Suppliciorum nullum erit damnato acerbius, quàm [illegible] quod damni dicitur, eſtque beatitudinis & bonorum illi conjunctorum amiſſio; primo eamobrem loco commemorata ante ignem in ſententia judicis, hiſce verbis, *Diſcedite à me, maledicti.* [illegible] eò acerbius afficiet, quò magis perfectè, & aſſiduè, Deo cognitionem imprimente & applicante, recogitabitur: quæ perfecta cognitio & aſſidua recogitatio, quia nobis jam deeſt, idcirco paucos noſtrûm torquet beatitudinis abſentia. Accedet, quod *vermis* damnatorum *non morietur*: quia ſcienter & continenter recordabuntur, quàm de nihilo jacturam illam fecerint, & quam levi pretio cavere potuerint: qui morſus & dolor acerrimus illos non tanget, quos ante rationis uſum & ſine originalis noxæ remedio ereptos, alienum crimen, non ſuum, fœlicitate privavit. Eam in rem elegans eſt Damaſceni apologus, de filio Regis in ſpem regni nato; ſi educationem natalibus dignam acciperet: abdicato, & relegato, quia monitoribus ſpretis ad ſcurrilia ſe ob eſtamenta projecerat. De pœna damni quædam huc traduci poſſunt ex numero [illegible] ſect. 2. Exc. 2. ad cap. 12. lib. hujus. Illam accuratè digeſſit Leſſius cap. 29.

Æternitas pœnarum.

Apud ipſum etiam diſceptatam invenies pœnarum omnium coronidem horribiliſſimam, & deſperationis plenam æternitatem. item apud D. Th. Suppl. quæſt. 99. Quamquam quod ibi de Origene dicitur, eam æternitatem ab ipſo negatam, velut Miſericordiæ divinæ indecoram: Origenis defenſor iſtam illi labem quæſt. 5. conatur abſtergere. Et vero, in ſacris literis, lex pœnalis æternorum ſuppliciorum manifeſtè publicata eſt: neque audiendi, qui gratiam illius legis hominum ultra [illegible] ctam calſimant, ut Exc. ad cap. 13 lib. 1. ſect. 5. num. 12. indicavimus, indicabimuſque rurſum Exc. ad cap. 12. lib hujus ſect. 5. num. 9. Menſuras æternitatis ad vulgi captum accommodas, ab [illegible] ſtillatis milleſimo quoque anno lacrymarum guttulis [illegible], aliquando Oceanum impleturis; ab arenulis centeſimo quoque anno ad cælum empyreum uſque [illegible] ab inſcriptis totius cælorum ſuperficiei [illegible] arithmeticis notis, dabunt varii Drexel[illegible] in Rogo damnatorum cap. 12. & in [illegible] bello de Æternitate. De illa non ineleganter Auctor libro de [illegible] & [illegible] inter opera Auguſt. cap 3. *Immortalitate mortalis eſt, anima damnati, & mortalitate immortalis. Quapropter miſeris mors erit ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu: quia mors ſemper vivet, & finis ſemper incipiet, & deficere [illegible] neſciet.* Malorum omnium remedium [illegible] ultimum, mors prima computreſcenti A[illegible] videbatur: excepta mors ſecunda, moritura nunquam, adeoque ſine ſolatio.

Inſania incredibili contemptu æternitatis.

Voluiſſétne Antiochus, tricennali inter dolores & pœdores ſuos decubitus, [illegible] rede[illegible]iſſe? Ne decubitum quidem de[illegible] tro, roſas inter & delitias ſanus, imper[illegible] Romanum [illegible] voluiſſet. Q[illegible] pret[illegible], ut [illegible] pravis indulgeret [illegible] regnum prodegit, & [illegible] in atrociſſimis ignibus [illegible] mercatus eſt? Quid autem illius inſaniæ [illegible] hominis dementiæ & rab[illegible]: cum [illegible] Fidelium quotidiana ſit dementia: fal[illegible] æternitatis jacturam, toſ[illegible] inexhauſtam uſuram, quiſquis arumæ ſpe aut tenviſſimi poſſeſſione licitantium [illegible] de oos, Lector, Exc. 3. ad [illegible] 4. l. 1. ſect. 2. de [illegible] Dei in exigendis ob peccata ſempiternis ſupp[illegible] & iſtud de argumento protrito quid[illegible], ſed [illegible] neceſſario, indicium, à te non difficulter [illegible] plures utiliſſimaſque concinnes fundendum, ac [illegible].

Mores Antiochi.

Dandum id nobis fuit comitantiæ ad [illegible] pia execrabilis tyranni animæ, de cujus ab[illegible] dis moribus quædam attigimus [illegible] 1. c. 1. [illegible] & libro eodem cap. [illegible] ad verſ. [illegible]o. D[illegible] iſthæc paulò fuſius par[illegible], videamuſque non *homicidam* [illegible] & [illegible], quæ hujus loci propria [illegible], & [illegible] narrationibus conteſtata: ſed ex omni [illegible] rum genere conſutum.

Impudens obſcœnitas.

Ac primum turpitudini Impudentiſſimè ded[illegible] fuiſſe, teſtatur Hier. in Dan. cap. 11. hiſce verbis: *Luxurioſiſſimum fuiſſe dicitur, & in tantum dedecus per ſtupra & corruptelas veniſſe Regiæ dignitatis, ut mimis quoque & ſcortis publicè jungeretur, & libidinem ſuam populo præſente compleret.* Eadem fermè ſcri[illegible] Suidas ait, *in conſpectu omnium inſanis mulierum amoribus indulſiſſe.*

indulsisse. Ad obscœnos masculorum amores trahit Faber lib. 3. Agonist. quod Polybius tradit lib. 30. *Si cubi convivari juvenes Antiochus intelligeret, adesse extemplo solitum cum lagena, & musicarum modulationum concentu; ut multi, inexspectata rei novitate deterriti, exsurgerent de mensa, & sese proriperent.*

Ebriositas perpetua.

Luxuriæ cognatam ebriositatem conjunxisse, ad ultimum usque fatuitatis gradum, idem Polybius perhibet lib. 31. Ælianus lib. 2. bibacissimum facit. Philarches seu Philarchus lib. 6. scribit, *inebriari manè solitum, deinde obdormiscere, mox vesperè somno expergefactum rursus bibere: adeò publicas res vix sobrium administrasse.*

Fatuitas insignis.

Nec vero publicè quidquam fermè sobrii hominis fecisse, ex rapinis, cædibus, ac sacrilegiis passim patratis intelleximus. Privatim autem quàm lìtuè ageret, ac scurriliter, vel ex hisce Athenæi conjici potest: *Sæpè Antiochus roseâ coronâ redimitus, & trabeâ auro textâ indutus, solus inambulabat, saxa sub axillis gestans, quibus familiares suos inopinantes peteret. Solitus idem publicis balneis lavare, & illis unguentis sese oblinere. Ubi cùm plebeius quidam ipsum conspicatus, fortunatum dixisset Regem, qui unguenta tam pretiosa oleret. Ego te, inquit, mox eâdem felicitate cumulavero. Et, cum dicto, duongialem urnam, crasso unguento plenam, in ipsius caput profundi jussit, concurrentibus ad delibuti hominis spectaculum è foro turbis, & cachinnos tollentibus. Risu & ipse solutus, in lubrico ob defluens unguentum loco, una cum multis, qui simul lavarant, prolapsus est.*

Profusio amentis.

Ad fatuitatem etiam pertinet enormis prodigalitas, de qua Ptolemæus Evergetes lib. 1. ac 5. Comm. apud Athenæum: *cum sese indicis commessationibus, & compotationibus tradidisset Antiochus, magnas impensas fecisse; &, quod inde supererat pecuniæ, nonnunquam interdiu commessabundum effudisse, velut rem supervacuam: alias in publica vico stantem inclamasse, præconis instar, sumat cui fortuna dederit, & in circumstantes auream argenteamq; pecuniam sparsisse.*

Vitiorum colluvies.

Turpitudinem fœdissimam, intemperantissimam bibacitatem, scurrilitatem stultissimam, insanam profusionem, in unum collecta exhibet Polybius lib. 31. *Cum Antiochus ludos ederet, Græcos undique & aliarum nationum homines ad spectaculum invitavit: cumq; ad certamen sese multi obtulissent, delibuti fuêre omnes unguento crocino, cinnamomino, nardino, amaracino, irino, ex aureis vasis. Deinde ad epulas evocati, nunc mille triclinia, nunc quingenta supra mille impleverunt, apparatu sumptuosissimo excepti, Antiocho ipso monstri instar discurrente, & satagente. Nam ad tricliniorum aditum alios inducebat, alios designabat accubitum: famulis fercula inferentibus præibat, obambulabat epulantibus, assidebat interdum & assabulabatur, interdum lapsabundum gressum trahebat ad mensam, aut humi provolvebatur: repentè aliquando subsiliebat, deposita in mensam, quod fortè in manibus erat, poculo vel frustulo: alia ex aliis loca identidem commutans, & amicos ab infimis quibusque propinationes, ac dicta salacia, cum risu ac lusu excipiens. In grege etiam histrionum, mimicâ ab illis veste indutus, humi deponebatur, & mox concentu musico velut expergefactus exsiliebat, choreasq; agebat cum mimis: prorsus ut indignatione tanta spectatores vel miseresceret, vel puderet.*

Illustratur locus ubi supra.

Satis ista sint, ex historicis profanis ad Hagiographorum nostrorum narrationes adjecta: ut quale monstrum, & ex quot quantorumque vitiorum generibus conflatum Antiochus fuerit, intelligatur. Ex his etiam illustrabis, quæ de prodiga ipsius magnificentia, & donis quibus abundavit super Reges qui ante eum fuerant, δαψιλεῖ χειρὶ, liberali manu, dicta sunt ad l. 1. c. 3. vers. 30.

Prodigalitas in Principe multorum malorum fons.

Nec mirabere, qui tam insanè profusus fuit, de templis fanisque expilandis, ad supplendos sumptus, cogitâsse, tributis ac donariis subditos pressisse, socios ac finitimos bellis vexâsse, quavis arte ac vi pecuniam quæsîsse. Necesse est enim, ut Princeps erga quosvis, meritósne an immeritos, largus, à quibuslibet vicissim vel sordidè petat, vel avarè rapiat: & mendicâ illâ petacitate despicabilem se præbeat; aut injustâ rapacitate exosum. Quanquam & ipsa de se prodigalitas contemptui, atque odio est. Magni enim populus Principem non faciet, cui satis ad ærarii administrationem ingenii non est: neque illum amabit, qui indignis largitur. Obstringit omnes, qui muneratur promeritos; &, erga dignos beneficus, beneficio videtur universos afficere: contrà, cunctos offendit, qui donat immeritis.

Tyranni, & Principis discrimen.

Tyranni expressam in Antiocho effigiem spectare licet. Hoc enim præcipuè, quod ad mores attinet, tyrannum inter & bonum Principem interest; quòd hic subditis cupit, & metuit; ille sibi cupit, & subditos metuit. Hic felicem sese tunc tantummodo esse arbitratur, quando felices sunt subditi: ille felicitatem comparat etiam infelicitate subditorum. Huic salus populi, post Dei cultum, suprema lex est: illi, præ salute sua, voluptate, dignitate, nihil pensi est. Ita sibi studuit, sibi timuit, se ubique cogitavit, & spectavit Antiochus, monstrosum miseri regni Asiatici caput; fons tot venenis infectus, quot vitiis, unde pestiferi malorum rivi in subjectas terras divisi, & effusi.

Philippus transfert funus Antiochi.

℣. 29. TRANSFEREBAT AUTEM CORPUS PHILIPPUS COLLACTANEUS EIUS, quem ut lib. 1. cap. 6. præposuerat super universum regnum, & dederat ei diadema, stolam, annulum: constituens eum, inquit Salianus, regni Cancellarium, & Proregem, ac tutorem filii. Collactaneo fidebat, & ex naturæ propensione eum amabat: Lysiæ vel oblitus, vel diffisus ob res adversas, uti suprà dictum est.

Profugit in Ægyptum.

Sed Philippus *metuens filium Antiochi*, qui totus jam in Lysiæ potestate erat, nihilque acturus nisi ex ejus arbitrio: *ad Ptolemæum Philometorem in Ægyptum abiit*, & obviis ulnis sine dubio à Ptolemæo exceptus est. Solent enim profugi finitimorum Principum subditi, æmulis Regibus esse gratissimi; ut illorum arcana detegant, factionibusque & discordiis serendis subserviant.

Transfugæ sæpè exploratores.

Quanquam sæpè ista consilia in contrarium vertêre; & fugitivi subditi, exploratis hospitum suorum arcanis, reconciliatâ per proditionem gratiâ, ad Principes suos redière. Neque infrequens est, ut subditi vel ultrò transfugiant, vel à Principibus expellantur: simulato interim odio, donec secretis eorum, ad quos transfugêre, introspectis, corruptisque consiliis, sese proripiant, & larvam ponant. Talem Sinonem Poeta pinxit. Tales ævi nostro visi non pauci.

EXCURSUS

Ad cap. 9. v. 19. Antiochus... pollicetur Iudæum se futurum, &c.

Veræ religionis & legis divinæ signa.

SECTIO PRIMA.

Auctor legis.

I. Quam utilis signorum veræ religionis cognitio?

SERIÒ NE Antiochus promiserit Judæum se fore, an in speciem tantùm, & inani moxque mutaturâ voluntate, diximus in Commentariis, & parùm jam nostrâ interest. Pluris refert scire, quibus rationibus adductus Judaïcam religionem amplecti, qualicumque demum voluntate, in animum induxerit. At unde introspiciamus mentem hominis duplicordis, & intelligentia propositiones? Poterat ea legis auctore Mose, ex materiæ sanctitate, ex promulgationis modo, argumenta duxisse. Sed ad istane attendit, an ad recuperandam solummodò sanitatem? Utcumque sit, ea nos capita, scitu & dictu maximè utilia, ad Christianam religionem applicemus; veram modò ac sanam unicam, ex quo Filius Dei Legislator adfuit. Hoc mihi jampridem persuasum est, nihil talibus argumentis ad commendandam fidem potentius esse, atque efficacius, nihil humano ingenio accommodatius, nihil ad Christianorum de fide sua securitatem suavius. Itaque sæpè optavi, ut variis linguis diffusè scriberentur: ego hic dabo, qualem dixi, materiæ summam.

II. Christus minimus, & maximus.

Eò verior ac divinior lex est, quò auctor illius major: eâ scilicet magnitudine, quæ vera sit, & ad divinam propiùs accedat; non autem illâ, quæ appareat tantùm, & oculos fallat. Tantoque erit mirabilior, ac certior magnitudo, quantò minùs habebit in speciem. Sic Christus fuit minimus simul, & maximus: minimus specie, re maximus. Adspice Judaicis, Paganicisve, & animalibus oculis genus Christi, fortunam, scientiam, virtutem, famam, vitam, mortem: quid in legislatorum quorumlibet historia vilius, ac contemptius invenies? Altiùs rimare; intuere, quod sub illa specie latet: quid illâ morte, vitâ, famâ, virtute, scientiâ, fortunâ, genere, sublimius ac divinius uspiam reperias, aut comminiscare? Prorsus ut Christus, in sua de grano sinapis parabola non regnum modò cælorum, sed semetipsum mihi videatur pingere voluisse; hinc seminum omnium in speciem minimum, inde olerum omnium reipsa maximum.

III. Quàm parvo genere?

Christi gens Judaica fuit, cujus contemptus & odium, apud nationes reliquas, universo præsertim Romano imperio subditas, adeo invaluerat, ut passim Judæus vix aliter, quàm apella, fœtidus, tremens, putris vocaretur: a Seneca etiam ævi Christi suppare, *execrabilis*. Judæorum pars Galilæi, non externis modò nationibus, sed Judæis cæteris ludibrio fuêre. Inde dicta Evangelica: *Scrutare Scripturas, quia à Galilæa propheta non surgit: a Nazareth potest aliquid boni esse?* In Galilæa tamen provincia, etsi Bethlehem natus, pueritiam Christus & adolescentiam exegit: ut Galilæus ideirco contemptim ab apostata Juliano nominatus sit, & Christiani à Paganis Galilæi. Familiâ quidem Davidicâ ortus est Christus, o[illegible] [illegible]ustri, sed tum ad [illegible] [illegible] [illegible]cas, & q[illegible] [illegible] Judaicæ pleb[illegible] [illegible] devol[illegible]. Itaque mate[illegible] ejus Maria, ist[illegible] [illegible]cet tam[illegible] [illegible] [illegible]men, fabro de[illegible] [illegible]rat, [illegible] eas [illegible] voces: *Nonne h[illegible] [illegible] filius [illegible] Nonne mater e[illegible] Maria, & fratres [illegible] apud n[illegible] sunt.*

Ex illa gente, pro[illegible]cia, ac fami[illegible]a ortus p[illegible] naturalium obscuritati [illegible]rtunam [illegible]. P[illegible] natus, in alieno; ne ad [illegible]manam q[illegible]dem hab[illegible]tionem admisisset, sed abje[illegible]us ad pecudum ca[illegible]. Mox exul, cùm adhuc penderet ad ubera. De[illegible]de, in opificis offi[illegible]ina duratus ad malleos & runcinas, ut objici ex vero postmodùm po[illegible]et: *Nonne [illegible] faber?* Denique, post [illegible] artis exercitium cum per Judæam ac Galilæam pauperrimus, & ali[illegible] [illegible]per misericordia vivens oberraret, palam i[illegible] [illegible] [illegible]sus est, vulpeculis & aviculis sese [illegible] [illegible] illis quippe foveas [illegible] esse, ac nido[illegible]; [illegible] autem filium hominis non habere, ubi [illegible] [illegible] [illegible]et.

V. [illegible]

Scientias in ea fortuna compar[illegible], neque audiendis doctoribus, nec legendis l[illegible] [illegible] ne commentationibus, studiisve al[illegible] p[illegible]. [illegible] de ipso sparsum, creditumque, ne[illegible], ne literas quidem didicisse: *Quomodo*, inq[illegible]ant, *hic [illegible] teras scit, cum non didicerit?* Tantum a[illegible]erat, ut [illegible] [illegible]dica gymnasia & synagogas scri[illegible]rum fr[illegible] set, eruditusve esset sacrarum Literarum [illegible] tiore scientia secus pe[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] externos comparâsset instrumenta sapien[illegible] per[illegible] [illegible], quæ cives mirarentur. Ip[illegible] [illegible] [illegible] professus est, quod æmuli exprobe[illegible] [illegible] dixit: *Mea doctrina, non est mea*, non [illegible] aut studio comparata. Occlamabant [illegible] [illegible]cumstantes: *Quænam est hæc doctrina* [illegible] [illegible] non auctoritatem modò dicentis, [illegible] [illegible] [illegible] rusticanive ignari, elevarent, le[illegible] [illegible] [illegible] etiam ipsius novitatem, & præceptorum materiam irriderent: quemadmodùm Paullo postea [illegible] [illegible]ctum, apud Areopagitas de resurrectione di[illegible]putant[illegible].

VI. [illegible]

Quam defuit Christo exterior humanarum scientiarum apparatus, tam abfuit speciosar[illegible] & in oculos incurrentium, pompa virtutum. [illegible] [illegible]nem militarem, effusam liberalitat[illegible]m, illustrem ma[illegible]gnificentiam, mirabundi homines intuentur: [illegible] paucorum ista sunt, in excelsis cuicuique con[illegible] [illegible] materia versantur, voluptate aut utilitate in p[illegible]sens sentiuntur. At Christi virtutes multis [illegible] fuêre, communem & in manibus p[illegible] tam materiam habuêre, præcipuum lætitiæ & commo[illegible] [illegible] [illegible]um in futurum specitavêre. Caritatem impensè coluit, quæ hominum omnium, ad [illegible] [illegible]ietatem opemque mutuam natorum [illegible] est. Misericordiam singu[illegible]ariter am[illegible]t, quam philosophorum severissimi de virtutum numero proscribere conati; quòd miserum cor, alienarum miseriarum sensu, facere, atque adeo tranqui[illegible]tatem animi turbare, videretur. Humilitatem, philosophis adhuc ignot[illegible]m, longe infra modestiæ fines demissam, nihil ad oculos, nihil ad pompam strepitus, nihil ad laudum acclamationes fa[illegible]m, Dei solius testimonio contentam, amplexus [illegible].

Neque

VII. *Quàm contemptus apud multos existimationis!*

Neque iſtis utique virtutes fama celebris ſecuta eſt apud homines, omnia ex ſpecie & ſono æſtimare ſolitos. Sumetipſum conſanguinei pro inſano habuêre, identidemque exprobravêre, ſi magna faceret, manifeſtaret ergo ſeipſum mundo: neminem enim opera talia patrare in occulto, ſed quærere in palàm eſſe. Cives illum ſui peſſimè accepêre, & tantùm non de ſupercilio montis egêre præcipitem; nato exinde diverbio, Prophetam neminem acceptum eſſe in patria ſua. Galilææ provinciæ, in qua educatus fuerat, & plurimùm verſabatur, princeps Herodes, aulaque ejus univerſa, interrogatum & tacitum ludibrio excepêre, atque ejecêre pro ſtulto. Phariſæi, hominum genus eâ ætate apud Judæos ſanctiſſimum, iiſque adjuncti Pontifices, capita religionis; non modò ſanctimoniam ipſius non coluêre, ſed odio & execramento habuêre.

VIII. *Vitæ & ætatis quàm brevis, & quàm parum ad reverentiam ſolitæ!*

Accedebat ad contemptum juvenilis ætas, cui parùm auctoritatis eſſe conſuevit; quia prudentiam nondum collegiſſe potuit, maturo judicio formandam, longâ rerum experientiâ ſtabiliendam. Senilis iſthæc ætatis ſunt, ad quam pridem Moſes pervenerat, quando ad Hebræi populi ducatum, & legis novæ promulgationem, divinitus electus eſt: ut venerandâ canities, & annorum octoginta per varios eventus exactorum experimentum, fidem dictis conciliaret, factis pondus adderet. Chriſtus verò cùm legem ſuam publicare, & ad plebem dicere cœpit, *erat incipiens quaſi annorum triginta*, & vix tres deinceps quatuórve annos, rerum civilium & apud homines magnarum experientiâ nullâ, exegit: ut juvenis magiſterium ſenes faſtidioſi, & faſtuoſi, dedignarentur, dicerentque, *Quinquaginta annos nondum habes*: & meritò ipſemet cauſſarum cognitionem, judiciíque munus refugere videretur, reſponderetque arbitrium ſuum poſtulantibus, *Quis me conſtituit judicem ſuper vos?*

IX. *Quàm dedecorosæ mortis!*

Brevem & deſpicabilem vitam clauſit mors ignominioſiſſima, ſeu ſupplicii genus, ſeu cauſſam, ſeu accuſatores, ſeu ſocios, ſeu teſtes ſpectemus. Teſtes fuêre cives populoſiſſimæ urbis, & quotquot undique Judæi ad ſolemniſſimum Paſchæ feſtum confluxerant. Socii dati ſunt famoſi latrones, vitâ & ſepulturâ indigni. Accuſavêre ejuſdem gentis primores, religionis Judaicæ capita, gradu ſummi, dignitate præcipui. Apud Pontifices horrendi ſacrilegii reus acclamatus eſt, tanquam impius divinæ majeſtatis invaſor: à Præſide inſanæ ambitionis damnatus eſt, tanquam Regiæ dignitatis uſurpator. In crucem actus eſt, infamiſſimum apud Romanos, exſecrabiliſſimum apud Judæos ſupplicium; ex talis ſupplicii commemoratione futurus deinceps *Judæis* pleriſque *ſcandalum*, *Gentibus* nondū Deū edoctis *ſtultitia*.

X. *Vermis fuit, & non homo.*

Adeò denique dedecoroſæ mortis fœditate infra hominum omnium ſortem abjectus, ut de ſe pronuntiâſſe, & prænuntiandum curâſſe ex vero potuerit: *Ego ſum vermis, & non homo.* Etſi enim elogium iſtud Patres quidam ad Chriſti laudem vertêrint: conſtat tamen ad dedecoris ſignificationem pertinere, quando erat *opprobrium hominum, & abjectio plebis*. *Dictus eſt humilis*, inquit Auguſtinus ep. 122. ad Honoratum, *elegantiſſimus à prioribus: ideo ſe hoc nomine Chriſtum prænuntiari voluiſſe, quia vermis ſine concubitu de carne naſcitur, ſicut ille natus eſt de Virgine*: aut quia, ut Evodius loquitur ep. ad Auguſt. *vermis ſine ullo patrimo intra pomum virgineo conceptu formatur*: aut quia mentes noſtræ, ut Deo placeant, Chriſti ſanguine intingendæ ſunt, quomodò pleraque veſtium Tabernaculi Moſaici tinctæ fuêre vermiculo. Sed reverâ idcirco vermem ſeſe Chriſtus appellari voluit, ut *ſe in oculis perſequentium abjectiſſimum quiddam, & contemptiſſimum, demonſtraret*, inquit ep. eâdem Auguſtinus.

XI. *Chriſti patientis ſimilitudo cum verme.*

Quid enim ipſo abjectius, & contemptius, vermique ſimilius, per ſupremam vitæ mortalis diem, fuiſſe potuit? Humi vides repentem vermiculum, & ægrè ſeſe trahentem, ac calcatum in pulvere: Chriſtum cerne ad Olivetani collis radices procidentem in faciem ſuam, ſolo afflictum, tractum deinde, & proculcatum, terraque ac luto obſitum. Oculis caret vermiculus: Chriſtus obvelatis oculis cæci inſtar habitus eſt. Vocem vermiculus neque audit, neque mittit: Chriſtus ſicut ſurdus non audiit, & ſicut mutus non aperiens os ſuum, & non habens in ore ſuo redargutiones, *ut miraretur Præſes vehementer*, & diceret, *Non audis in quanta te accuſant?* Tactu fermè ſolo viget, & torquetur vermiculus: Chriſti tactus acerbiſſimè flagellis, ſpinis, clavis cruciatus eſt. Exſanguis eſt vermiculus: exſangue Chriſti corpus vulnera fecêre; & noviſſimè plaga lateris quidquid ſupererat ſanguinis exhauſit, ut vel inde vermi ſimilior eſſet. Vermis hyeme ſub terram abditur: Chriſti anima ad Limbū deſcendit, corpus ſepulcro clauditur. Abſolvit ſimilitudinē Reſurrectio Chriſti: nā quemadmodò diſſecti vermis partes inter ſe ſejungi naturaliter quærunt, & reipſa interdū rejunguntur; ita ſeparatus Chriſti animus à corpore iteratam conjunctionem poſtulavit, & effecit. Sed hoc Reſurrectionis miraculò, quia Chriſtianis tantùm & fidei oculis cernitur; ut contenti ſimus, quæ philoſophico & rationis lumine adſpici poſſunt, ut Chriſtum eo ipſo maximè videamus, quo minimus fuit.

XII. *Mors Chriſti glorioſa.*

Mors illa falſi dedecoris, & veri ſimul honoris pleniſſima fuit. Inter probrorum & dolorum immanes tenebras, eluxit indomabilis patientia, ad ipſorum uſque tortorum ſtuporem. Judex potiùs injuſtitiam ſuam, quàm illius innocentiam condemnavit; profeſſus, nihil ſe cauſſæ invenire in hoc homine; nec neſcius, quòd per invidiam tradidiſſent eum ſummi ſacerdotes. Qui ad ſupplicii locum teſtes ignominiæ confluxerant, redière teſtes ſanctimoniæ, *percutientes pectora ſua*, & dicentes, *Verè filius Dei erat iſte.* De ſupplicii ſociis unus, virtutis admiratione captus, panegyriſtam illius egit, nihilque ab ipſo mali patratum, audientibus carnificibus, affirmare non dubitavit. Terræ repentina ſuccuſſio, Solis improviſa obſcuratio, veli ſpontanea dilaceratio, aliaque prodigia inſolita, calumniæ accuſatores arguêre. Depoſitum de cruce corpus in ſepulcri novi & honorifici caveam, judicis permiſſu, illatum eſt: ut vel ſic intelligeretur, mortis dedecus inſonti irrogatum, quando ſtatim à morte decretum eſt nobilis ſepulturæ decus.

XIII. *Vita integerrima.*

Mortem, in ſanctimoniæ & innocentiæ fine obitam, antecefferat vita integritatis adeò inculpatæ, & prudentiæ tam exactæ; ut, quamvis curioſiſſimi obſervatores, dictorum factorúmve ipſius reprehendere nihil omnino poſſent, etſi maximè vellent. Itaque inter invidorum ac malevolorum turbas, mortem jam tunc ipſi machinantium, & cauſſas ſolertè indagantium, impudentiſſimæ cuilibet calumniæ os obſtruxit, ſolemni provocatione uſus, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Eâdem provocatione Chriſtiani nominis hoſtes univerſos laceſſimus, *Quis ex vobis arguit Chriſtum de peccato?* Mahumetus adeò nihil ab ipſo geſtorum admordere auſus eſt, ut ſanctimoniam quoque venerandam propoſuerit inſanæ ſuæ diſcipulis. Porphyrius, ex deſtinato hoſtis in omnem vitæ illius hiſtoriam, carpendi avidus, inquiſierit; nihil habuit, quod vel ſugillaret ſuſpicione malefacti. Apoſtata Julianus, etſi probroſæ defectioni ſpecioſam aliquā cauſſam conaretur prætexere; numquam tamen errati ullius maculâ Chriſti vitam aſperſit, patriæ tantùm Galilææ ludibrio contentus. Ita hoſtibus Chriſti vel accuſationis inopia ſilentiū impoſuit, vel

apertæ laudis cõfessionẽ manifesta veritas expressit.

XIV. Fama celebris.

Vitæ integritatem fama celebris apud cordatos omnes consecuta est, præsertim cùm adstipularentur prodigia, concinerent testimonia, vaticinia consentirent. Acclamabant populi, *Benè omnia fecit: A sæculo non est auditum, quòd quis aperuit oculos cæci nati: Propheta magnus surrexit in nobis*, qui corpora de loculis excitet, cadavera evocet de sepulcris. Intendebat mentem ac digitum Joannes, & dicebat, *Ecce Agnus Dei*: agninæ ipsemet innocentiæ, inculpatæ sinceritatis; summæ auctoritatis, contra cujus fidem excipi non posset. Conveniebant oracula prophetarum, qui de singulis fermè vitæ ipsius partibus, mortisque ratione prædixêre: ad quos ipse vaticinia sua adjunxit, tũ de rebus aliis eventu certo firmata, tũ maximè de mortis suæ supplicio, ne illud vel inscius subiisse videretur, vel invitus. Accessit novissimè ad famæ cumulum obstrepera invidia, bonorum quæ lacessebat non obscurum indicium; veluti odoratissimarum rosarum signa sunt cantharides muscæ.

XV. Virtutes divinæ.

Ea tamen invidia miraculorum tantùm gloriæ, & turbarum applausibus, obmurmurabat, quia *totus mundus post eum abiit*: virtutes, non heroicas modò, sed divinas prorsùs, attingere non audebat. Quid enim in mansuetudine invicta carperet, quid in effusissima beneficentia, quid in altissima humilitate? Videbant in rectè factis laudes respuentem, honores fugientẽ, dignitates exosum, Dei solius approbatione contentum: quomodò Deus se ipso contentus, & sibi sufficiens est. Audiebant ubique beneficia spargentem, peccatores à vitiis avocantem, mœstos solantem, famelicis subvenientem, ægris opitulantem, inopes consilii docentem: quomodò undique ex beneficiis suis sentitur, & intelligitur, divinitas. Experiebantur mitis animi suavitatem, neque invidiæ morsibus exacerbatam, nec contumeliarum aculeis irritatam, neque injustis suppliciis commotam; &, quod unum supererat crucifixo, pro suis ipsis capitalibus inimicis Deo supplicem, qui *Solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos.* Quid virtutibus istis mirabilius, ac divinius fuit?

XVI. Cœlestis scientia.

Nec minùs mira illius ac divina scientia. Cùm enim constaret, nec studio comparatam, quia litterarios ludos non viderat; neque usu experientiàve collectam, quia ætas adhuc juvenilis videbatur: consequens erat, ut ratione aliquâ, humanis disciplinis altiore, scientias didicisset. Didicisse autem aliunde, quàm cælitus, non poterat, cælestium arcanorum cognitionem altissimam, & præceptorum ac consiliorum actionem sanctissimam. Fons scientiæ ex sermonum rivis agnoscebatur: quandoquidem hi cælestes forent, & illum cælestem esse oportebat. Cùm *Evangelica præcepta*, quæ ut Cyprianus ait lib. de orat. Dom. *nihil aliud sunt, quam magisteria divina, fundamenta ædificandæ spei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fovendi cordis; gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis.* Cùm ea ergo præcepta, consiliaque, explicaret, acclamabatur dicenti: *Beatus venter, qui te portavit: Verba vitæ æternæ habes: Numquam locutus est homo, sicut hic homo.* Ipse de se pronuntiavit, *Mea doctrina, non est mea; sed ejus, qui misit me Patris* cælestis: nec malevolorum ullus contrà hiscere, aut mutire, ausus est; silentium indicente apertissimâ, & auditoribus omnibus confessâ, ac contestatâ veritate.

XVII. Altissima fortuna.

Par fuit fortunæ, etsi abjectissima in speciem videretur, sublimitas. Quid enim excelsius animo nullius indigo, omnia extra se contemnente? Quid elevatius homine ita terram tangente, ut nusquam terræ hæreat? Quid ditius, quàm nihil habentem omnia possidere, & aliis abundè tribuere? Cui de alienis facultatibus ministrabatur, ut victitaret, & discipulos suos aleret: illo vindemiâ repentinâ, & hibernâ, hydrias implevit ralle, in solitudinis inopia, famelicum populum paucis panibus & piscibus pavit. Ut meritò rapere ipsum vellent, & facere Regem: quia nihil tam Regium est, quàm subditos habere familiæ instar, eisque providentiam impendere, ut liberis parens, qui non sibi comparent & erogat, sed suis. Imò nihil tam divinum est, quàm sic rerũ esse dominum, ut in usus mortalium cuncta dispensentur: eaque ipsa, quæ accipiuntur ab aliis, mox, uberi gratiæ fœnore, in aliorũ utilitatẽ vertãtur.

XVIII. Nobilissimum genus.

Gente Judaica satus, etsi Romanorum quibusdam spretâ, & invisâ; at ipsorum, quos Romani colebant, dæmonum responsis laudata, è quibus illud circumferebatur Apollinis, ab Eugubino recitatum: *Μοῦνοι χαλδαῖοι σοφίαν λάχον ἠδ' ἄρ' ἑβραῖοι, Chaldæi modò, & Hebræi, sapientia cessit.* Chaldæorum autem, unde Hebræi originem traxêre, sapientia non fuit, nisi quamdiu vera penès ipsos religio servata est. Quæ quia apud solos deinceps Hebræos mansit, soli etiam dici meruêre *populus sapiens, & intelligens, gens magna*: præsertim ex quo certissimis prodigiis, per variorum sæculorum intervalla repetitis, sanctitudo religionis altissimum culmen auctoritatis obtinuit. Ex istius gentis nobilissimâ familiâ Davidicâ, quam, divinis oraculis & promissis oriturĩ inde Regis celebrem, Herodes Rex eo ævo, Vespasianus Cæsar paullò pòst, extimuêre, Christus originem traxit: idcirco, non à Judæis modò, sed à Sidoniis etiam, appellatus *filius David*; vociferante cæco, *IESV, fili David, miserere mei*; inclamante Chananæa, *Miserere mei, fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur*: quemadmodùm ab inferis ipsis vocatus est *filius David, filius Dei, sanctus Dei.*

XIX. Illustrissima posteritas.

Ad ipsius nobilitatem longè magis pertinent posteri, quàm majores. *Pro patribus* enim *nati sunt* Christo *filii*, quotquot exinde Christiano nomine censiti sunt, viri partim sanctimoniâ eximii, partim sciẽtiâ præcipui, partim dignitate summi: Virginũ agmina, Martyrum exercitus, Doctorũ cunei, Principum turmæ, quos Christo gesta, dictaque, ac miracula sua, & suorum, pepererũt. Ut minimum illud seminum sinapeos granum, non modò in competentem arbusti proceritatem excreverit, volucribus umbram & sedes præbituri: sed ad vastæ illius arboris, quam Dan. c. 4. Rex Babylonius videre sibi visus est, modum, comis cælũ tangentibus, brachiis ad terræ partes quatuor protensis, umbrâ genus animaliũ omne obtegente, ramis frondium amœnitate lætâ virentibus, & opulentâ fructuũ ubertate curvatis. Christi enim Ecclesia cælos virtute contingit, partes orbis universas complectitur, hominum genus omne colligit, doctrinâ viret, bonis operibus exuberat. Instar illius est ficûs Indicæ, quam l. 12. Plinius narrat, postquam ad certum modulum excrevit, solo rursus acclinem radices ex ramo agere, iterumque excrescere, eâdemque deinceps ratione ita multiplicari, ut sub arboris unicæ umbra exercitus latere possit: quod etiam de palma quadam Indica, silvas totas fecundarum propaginum incrementis implente, recentiores historici perhibent. Sed quanta, & qualiscumque, universa ubivis terrarum Ecclesia est, tota ad divinam Christi magnitudinem, minimi simul & maximi, demonstrandam spectat. *Quid enim*, ut de vi seminum admiranda loquens Augustinus ait, lib. 6. de Gen. ad lit. c. ult. *ex arbore illa surgit, aut pendet, quod non ex quodam occulto thesauro seminis illius extractum, atque depromptum est? In tanta unius grani parvitate*, inquit Gregorius l. 6. Mor. c. 8. *& pene nullâ sui dissimilitudine, ubi latet ligni duritia, & ligni teneritas medulla, asperitas corticis, viriditas radicum, sapor fructuum,*

suavitas

fuavitas odorum, diversitas colorum, mollities foliorum! Ita in Christo, Ecclesiæ totius semine, quidquid sanctimoniæ ex illa ortum est, continebatur.

XX. Christiani, exemplo Christi, sint minimi humilitate, maximi caritate.

Veriùm de Christi posteris brevi quidpiam dicendi locus erit. Nunc quia ex eo semine, Christo gratiæ, sumus; ad id, ipsius exemplo, connitamur, ut & minimi simus humilitate, & maximi caritate, utráque Christianarum virtutum potissimâ, utrâque ad fidei nostræ commendationem apud Infideles efficacissimâ. Sic Severum suum hortabatur Paullinus ep. 6. *Memento granum sinapis, de quo nos semine sumus, si conteratur accendi magis, & tunc demum in vim suam excitari. Quamobrem debemus quasi natura nostra in hoc respondere, ut adversis sermonibus contriti ardescamus ad fidem, & eos ipsos, qui nos ut minimos hominum, scilicet quasi granum sinapis, quod minimum est seminum, frangere conantur, arguamus.* Christianus patiatur se haberi pro minimo, & id habeat pro minimo, ut judicetur ab humano die: eosque ipsos, à quibus spernitur, & contemptus contemnitur, beneficiis compenset, obsequiis conciliet, caritate conjungat, ut illius, quàm sui ipsorum, esse similes malint.

SECTIO SECUNDA.

Christianæ legis materia.

I. Prædicatio Evangelica granum sinapis.

IAm olim Hieronymus l. 2. Comm. in Mat. c. 13. prædicationem Evangelii cum grano sinapis contulit, seminum minimo, cùm in terram jacitur; olerum maximo, cùm excreverit. *Ad primam quippe doctrinam, fidem non habet veritatis, hominem Deum Christum mortuum & scandalum crucis prædicans: præsertim, si conferatur dogmatibus philosophorum, & libris eorum, & splendori eloquentiæ, & compositioni sermonum, visum iri quantò sit minor cæteris seminibus sementis Evangelii. Sed illa, cùm creverint nihil mordax, nihil vividum, nihil vitale demonstrant: sed totum flaccidum, marcidumque, & mollitum ebullit in olera, & in herbas, quæ citò arescunt, & corruunt. Hæc autem prædicatio quæ parva videbatur, in principio, cum vel in anima credentis, vel in toto mundo sata fuerit, non exurgit in olera, sed crescit in arborem. itaut volucres cæli, quas vel animas credentium, vel fortitudines Dei servitio mancipatas sentire debemus, veniant & habitent in ramis ejus.* Ista Hieronymi, etsi passim leguntur, & præ manibus omnium sunt, referre non piguit: ut, postquam Christum vidimus, in sua sinapis parabola, minimum & maximum; minimam eidem & maximam videamus Christianam legem, maximam in doctrinæ materia, minimam in promulgationis modo, rursus in fructu maximam.

II. Fides Christiana Deo dignas cogitationes ingenerat.

Doctrina Christiana duplex est, speculativa, & practica; seu credendorum, & agendorum. Credendorum pars non fide tantùm cognoscitur, sed ratione etiam demonstrari potest: pars alia naturalem quidem rationis vim exsuperat, rationi tamen prorsus consentanea est. Pars utraque Deo dignas, & immensæ Numinis majestati convenientes, cogitationes mentibus mortalium imprimit: ut vel inde habeamus præjudicium veritatis, quòd de primo veritatis fonte, de quo nihil unquam satis sublime dici poterit, tam sublimiter sentiamus. Nam *perfecta scientia est, sic Deum scire, ut licèt non ignorabilem, tamen inenarrabilem scias. Credendus est, intelligendus est, adorandus est, & hic officiis eloquendus est*, inquit Hilarius lib. 2. de Trin. Et, quomodò loquitur Arnobius lib. 3. con. Gentes, *Unus est intellectus de Dei natura certissimus, si scias, & intelligas, nihil de illo posse mortali oratione depromi*, quod ipsius magnitudinem assequatur.

III. Quidquid vivacissima cano de Deo dici potest, id simplicissimos docet.

De illo cogitavère multa, multa scripsère philosophi: immensum esse, omniscium, omnipotentem, potentem omnia, summæ quietis, infatigatæ providentiæ, inexhaustæ bonitatis. Quid autem acerrima, & illuminatissima, hominum istorum ingenia ratiocinando assecuta sunt: quod simplicissimum, & obtusissimum quemque, fides Christiana non doceat? *Deum quilibet opifex Christianus*, inquit Tertull. lib. de test. an. *& invenit, & ostendit: & exinde totum, quod in Deo quæritur, re quoque assignat: licet Plato affirmet, factitatorem universitatis neque inveniri facilem, & inventum enarrari in omnes difficilem.* Afferantur selectæ doctissimorum, è priscis sapientiam professis, sententiæ, quales tract. de Bono vol. ex Aristotele & Seneca produximus: qualis ista est Secundi philosophi, *Quid est Deus? Bonum nativum . . . altitudo invisibilis . . . mens immortalis, spiritus cuncta pervadens, pervigil oculus, manus omnipotens, multinomina potestas.* Proferatur Sallustii philosophi libellus, ubi de divinitate disserit, & capiti secundo titulum hunc facit: ὅτι ὁ θεὸς ἀμετάβλητος, ἀγέννητος, ἀΐδιος, ἀσώματος, οὐδὲ ἐν τόπῳ: *Deum esse incommutabilem, ingenitum, æternum, incorporeum, loco incomprehensum.* Ecquidnam illi sapientiæ doctores scripsère, quod Christianæ legis candidatus Arnobius lib. 1. con. Gen. non dixerit, quod certissimâ fide non tenuerint opifices Christiani? *O maxime, & summe rerum invisibilium procreator! O ipse invise, & nullis unquam comprehense naturis! Dignus, dignus es verè, si modò te dignum mortali dicendum est ore, cui spirans omnis intelligensque natura habere, & agere, nunquam desinat gratias . . . Prima enim tu causa es, locus rerum ac spatium, fundamentum cunctorum quæcumque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus; quem nulla delineat forma corporalis; nulla determinat circumscriptio qualitatis, expers quantitatis, sine motu, situ, habitu: de quo nihil dici, & exprimi, mortalium potest significatione verborum: qui ut intelligaris, tacendum esse atque ut per umbram te possit errans investigare suspicio, nihil est omnino muttiendum.*

IV. Docet etiam superantia rationem, sed consentanea rationi.

Ab istis rationi non ignotis, si ad ignota rationi transeamus: quid concipi de Deo potest excelsius, quid tamen ipsius immensitati & incomprehensibilitati convenientius, quàm Personarum divinarum Trinitas? Quid magis congruum infinitæ bonitati, quàm Verbi incarnatio, & incarnati Verbi per Eucharistiæ Sacramentum, ad immortalitatis alimentum, in mortales distributio? Quid magis consentaneum justæ providentiæ, quàm non animorum modò immortalium, sed corporum ad immortalitatem excitatorum æterna in cælis merces, aut æterna apud inferos pœna? Illa quidem ratiocinando assequi non possumus: possumus tamen ratiocinando conficere, digna Deo esse, & magnitudini ipsius ac gloriæ ita convenientia, ut eò magis credibilia sint, quò difficiliùs intelliguntur. Nam *eum vis magnitudinis & notum hominibus objicit, & ignotum*, ut ait Tertullianus in Apologetico: neque itemus humanus, quomodò Hilarius censuit lib. 1. de Trin. *magis officium præstare conditori suo, munere potest, quàm ut tantum eum esse intelligat, quantus & intelligi non potest, & potest credi.*

V. De interiori Numinis adoratione divinum Christi mandatum.

Et hinc primum ducimus pro Christianæ religionis veritate argumentum: quia Christus altissimos, & honorificentissima, de divinitate sensus docuit, docendosque curavit, qualia ante disertè docuerat nemo, quamvis religiosus, & sapiens. Alterum ex iis, quæ agenda edocti sumus, argumentum petitur. Ante omnia, quam Deo debemus adorationem, Christus divinè monuit in spiritu & veritate exhibendam: *Spiritus enim est Deus, &, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Omniscia mens mente colenda est: æterna veritas veritate honoranda est: intellectus & voluntas serò devovenda sunt cogitationum inspectori, desideriorum judici.

judicii. Ne ritibus externis Deum delectari existimes, quod Judæorum plerique, Gentilium plurimi, opinantur: frustra ritus illi sunt, si ex recti animi sententia, ex *spiritu & veritate*, non proficiscuntur.

VI. Orationis Dominicæ sapientissima textura.

Istud adorandæ divinitatis necessarium fundamentum jecit Christi sapientia: illique inædificavit, quidquid externi honoris voce, aliisque ritibus, exhiberi solet. In his est Dominica oratio, cujus sanctitas & sublimitas tanta est, ut sola Christianæ religionis sanctitati demonstrandæ, si rectè expendatur, sufficere possit. Complectitur enim admirabili septenario, quietis numero, humanæ conditionis ultimum finem, viam ad finem, avertentia à fine: postulat, ut ille properetur, hæc detur, ista arceantur. Patrem interpellat, quò amantiùs & fidentiùs oretur: Patrem, qui in cælis est, ut ipsius magnitudo & potentia fiduciam, & reverentiam, augeat. Postulatorum seriem à summo ac præcipuo fine incipit, ut sanctificetur ejus nomen, & laudabilissimus honoretur. Mox ad alterum finem transit, salutem nostram, ut nobis adveniat regnum Dei; quod singuli non solis nobis, sed omnibus illius Patris filiis, flagitamus. Quia ad gloriam simul divinam, & salutem nostram, via certa nulla est extra Dei voluntatem; idcirco postulamus, ut fiat. Quia vita ipsa nostra mortalis viæ ad Deum pars est; illi sustentandæ necessaria, aut commoda, in diem flagitamus, ex divina voluntate. Ne à consequendo fine nostro, ineundáve ad illum viâ retardemur, aut avocemur; rogamus debitorum nostrorum remissionem, & veniam noxarum: eique remissioni impetrandæ, allegamus promptam remittendarum à nobis alienarum offensarum voluntatem. Ne, condonatis semel culpis, in alias graves relabamur, obsecramus ne inducamur & immergamur in tentationem: sed à malo, malique incentore diabolo, liberemur. Hæc summa illius orationis est: quâ compendiosius nihil, nihil solidius, nihil ordinatius, nihil excelsius, nihil ad affectum compositius, nihil ad efficaciam potentius, nihil divinius uspiam inveniri potest. Cujus vim si, quotquot à Christo alieni sunt, edocerentur; omnes existimem, rationis ac conscientiæ suæ testimonio convictos, vel Christianæ religioni nomen daturos, vel aversionem saltem ab illa suam damnaturos.

VII. Christiana lex quàm sanctè erga proximum agat?

Quid si deinceps discant, quantâ nos æquitate, caritate, mansuetudine cum hominibus cæteris agere Christus, ac sui, voluerint? Ut faciamus alteri, quod nobis factum optaremus: ut pallium nostrum rapienti potiùs cedamus & tunicam, quàm aliena involemus, vel vindictam coquamus: ut ad obsequia violenta cogentem, & angariantem, addito potiùs voluntario obsequio demereamur, quàm ultrò offendamus: ut iteratis injuriis excipiendis potiùs promptiores simus, quàm coquamus ultionem. Ut non facto duntaxat contumelioso abstineamus, sed ne verbuli quidem probrosi punctiunculâ ullum lædamus: &, si quem fortè læserimus, non antè ad Deum accedamus, quam redintegrata sit gratia. Ut ne occultis quidem, & secretis, in mentis nostræ arcano judiciis alios damnemus, aut perstringamus. Ut officia, & auxilia nostra sic impendamus in proximum, velut in Christum: & pro persuaso habeamus, non aliud esse Christiani indicium certius mutuâ & officiosâ caritate. Ut cuilibet, quamvis non Christiano, sua reddamus, *cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem: nemini denique quidquam debeamus, nisi ut invicem diligamus.* Debita omnia exactè, pro facultatum viribus, & prout æquitas postulat, verbo, mente, manu exsolvamus; caritatis debito semper integro: quia nunquam satis exsolvi potest, quamdiu erunt quos juvare, quacumque demum ratione, possimus.

VIII. Quàm sancta nobis erga nos imperet, & suadeat?

Isthæc nostra adversùs alios officia sunt. Nobis autem præstandum docemur, ut immoderatos coacervandarum, vias quamvis licitas, divitiarum affectus exuamus: ipsis etiam, si hoc vires animi ferunt, divitiis abdicatis, atque in egenos distributis. Ut honoribus, ac dignitatibus, ad majoris modestiæ argumentum utamur, tantum abest ut capi nos, extollique, patiamur: imò, qui major est nostrûm, sit velut minor, ministretque minoribus, & dignitatem suam esse sciat in obsequium subditorum. Ut voluptates sensuum non modò non admittamus vetitas, sed etiam permissas restringamus: &, si consiliorum semitam sequi placuerit, ad temperantiæ summum perpetuâ castitate, & abstinentiæ assiduâ severitate, nitamur. Ut, in Christi disciplinam seriò adscribendi, renuntiemus nobismetipsis, abnegemus nosmetipsos, crucem tollamus; carnem nostram crucifigamus cum vitiis, & concupiscentiis; Christo, in carne passo, eâdem & nos cogitatione armemur; mundum nobis crucifixum æstimemus, & nos mundo; execramento nos haberi, ob benefacta, patiamur; beatitudinem in luctu, esurie, persecutionibus collocemus.

IX. Quantam à peccatis puritatem exigat?

Tam perfecta lex præceptis virtutum, atque consiliis, eadem quorumvis vitiorum maculis purissima est. Arcentur à cælorum regno fornicatores, avari, raptores: nec facta tantùm, sed verba, æterni supplicii præjudicio damnantur: ipsarum cogitationum arcana pari sententiæ severitate feriuntur. Qui beneficentiam, cùm exercere deberet, omisit, ignibus æternis addicitur; nedum, qui maleficium commisit. De otioso verbo reddendam nobis scimus rationem in die judicii; nedum de contumelioso. Vigilare jubemur in momenta, ne peccatum subrepat incautis: neque ab ea continuâ excubandi diligentia quemquam occupationes suæ liberant. Omnibus æquè edicitur, nihil prodesse mundi universi lucrum, vel minimo animæ detrimento comparatum. Detrimentum autem animæ est, qualiscumque & quantumcumque venialis offensa. Itaque ne levissimam quidem noxam jubemur admittere, quantovis boni temporalis spe, malive formidine proposito.

X. Puritas & perfectio Christianæ religionis veritatem evincunt.

De hac Christianæ legis puritate in prohibendis culpis, perfectione in imperandis suadendisve virtutibus, dubitari non potest. Fidem certam faciunt Evangelici sermones, Apostolica documenta: illi à magistro, hæc à discipulis, ex magistri mente profecta. Istis itaque positis, cum Infideli quopiam, ratiocinandi non imperito, aut saltem rationis non impote, disseramus. Ea religio, lexve ad cultum Dei pertinens, verissima est, quæ Deo acceptissima: acceptissima autem est, quæ sanctissima; sanctitatis quippe fons, & assertor, & amator Deus est. Atqui sanctimonia major nusquam est, quàm ubi vitia magis fugiuntur, virtutes perfectiùs coluntur. quod ex Christi disciplina est. Christiana itaque religio verissima est, quia sanctissima: & ut cætera illius amplectendæ argumenta desint, vel hoc solo sequenda est, quòd præcipuæ sit inter omnes sanctitatis.

XI. Aliæ sectæ parem puritatem nunquam adsecutæ.

Excipit adversum nos Infidelis, alias etiam sectas sanctitatem professas. Ut priscos Judæorum Hebræos sileamus, apud quos vera tunc religio fuit, severos recti cultores, & justorum illustre nomen promeritos: in ejusdem hodie nationis reliquiis nonnulli reperiuntur, ad priscorum imaginem facti, fraudum osores, justitiæ tenaces, virtutum omnium amantes. Nonne apud Paganos ipsos invenias, qui vitia exsecrentur, integritatem totâ mentis contentione observent, Zenonibus, Catonibus, Senecis, Epictetis, aliisque celebribus Romanorum temporum, Græcorumve nominibus consimiles? Faciamus inveniri. Sed qualescumque sint illi, fuerintve: non ea tamen ullius sectæ, Judaicæ, Paganicæ, Philosophicæ,

disciplina

disciplina est, ut vitia omnia, quamvis minuta, quamvis occulta, proscribat; ut virtutum omnium cultum ad summum usque evehat. Alii latrocinium, pellicatúmve laudant, etsi cætera vitiosum damnarint: aliis aut sponte mortem spontaneam placuit, velut fortitudinis eximium decus: alii gloriam, aut mentis quietem, pro actionũ fine statuêre, quasi Deo nati non essent. Nulla denique, extra veram religionẽ, disciplina fuit, quæ maculas aliquas in morum documenta, exemplisque, non admitteret. Quid si speculativam istarum disciplinarum doctrinam examinemus; quam absona, quàm falsa, quàm Deo divinisque rebus indecora, aliæ alia censuêre? Sola lex Evangelica, Christo doctore, nihil non Deo convenientissimum fidei nostræ commendat; nihil non hominis saluberrimum, & rectissimum, ut peras, aut suadeat: adeóque divinissima est.

XII. Christianorum mores non debent derogare doctrinæ.

Iterum excipit Infidelis: Christianæ doctrinæ Christianorum mores non respondere. Tam illos esse inquinatos, quàm illa pura sit. Justitia Evangelicis sermonibus, & Apostolicis literis, commendatur: furaces tamen video Christianos. Castitatem paginæ omnes Novi Testamenti inclamant: hostilia odia exercentes, vindictæ avidos, video Christianos. Opum cõntemptum, coertionem voluptatum, honorum moderationem, Christus discipulique docuêre: avaros video apud aras ipsas Christianos, non paucos audio pellicatu implexos, plures nimeco [illegible] avidos, ut per fas nefasque illuc enitantur. Quid mihi tantopere vestram morum doctrinam, in tanta morum vestrorum corruptela, prædicas? Hoc tibi solum respondero: si artifex aberret, artis culpam non esse. Regulas conficiendarum ratiocinationum ab Aristotele vel excogitatas, vel collectas, damnaveris fortè; quia plurimi Peripateticorum ratiocinari, ex earum regularum formâ, vel nequeunt, vel non solent? Eloquentiæ præcepta, a Tullio Quintilianove tradita, repudies, quia plerique hodiernorum Oratorum aliâ longè ratione perorant? Vitruvii ad fabricam documenta, Vegetii ad rem militarem leges, idcóne erroris damnabuntur, quia architectorum ducumque multi falluntur? Ideóne perfectissima, purissima non est Christiana lex, quia Christianorum non pauci imperfecti impurique sunt? Apage consecutionis ludibrium, quod nemo, ratiocinandi usu pollens, non rideat.

XIII. Fidem tenêamus, & Infideles malè vivendo non absterreamus.

Ex his tamen, quantumvis frivolis, Infidelium exceptionibus, fructum duplicem colligamus. Primum, ut eò firmior fides nostra sit, quando tam debilia & ludicra contra proferuntur. Dicebat Hilarius l. 6. de Trin. sermone ad Deum converso, rationem reddens fidei suæ. *In eo me judica, Deus, si crimen mihi est*, quòd Arianus esse noluerim, Catholicus sim, *meritum me, per Filium tuum, & Legi & Apostolis, & Prophetis credidisse.* Fidenter itidem dicamus: In eo me judica Deus, si crimen mihi est quod Judæus, Mahumetanus, Paganúsve non sim: nimium me sublimissimæ, & sanctissimæ, atque adeò divinissimæ religioni Christianæ credidisse. Fructus alter erit, ut sedulo caveamus, ne moribus nostris Infideles à fidei complexu absterreantur; quasi aliud ostendatur, aliud lateat. Sic olim, Augustino teste in ps 25. Pagani, etsi vitiis suis à Christiana religione prohibebantur, prætexebant tamen, inde sese malis Christianorum exemplis absterreri: *Quid mihi persuades, ut Christianus sim? Ego fraudem a Christiano passus sum, & nunquam feci: falsum mihi juravit Christianus, & ego nunquam.* De peccatis Christianorum diximus lib. 1. Exe. ad cap. 15. sect. 2. mox aliquid de bonis illorum exemplis dicturi.

SECTIO TERTIA.

Legis Christianæ promulgatio.

I. Apostoli præcones legis Evangelicæ.

MAXIMAM vidimus, doctrinâ credendorum pariter & agendorum, religionem Christi autem: videbimus modò promulgatione & statu minimam, maximam fructu. Præcones primi, testesque fuêre Apostoli: quibus ad legem novam orbi commendandam tria videbantur necessaria; cognitio, ut ipsi non fallerentur; bonitas, ut fallere nollent; auctoritas, ut fidem persuaderent. Cognitio promulgandorum, & testandorum, Apostolis non deerat, triennio versatis cum Christo: eamque ob rem ipsis Christus dixit, *Vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis:* istoque ipsi ad persuadendũ argumẽto usi sunt, *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, annuntiamus vobis*, 1 Joan. 1. Apostoli igitur testes fuêre idonei, & fide digni præcones, quia de probè cognitis dicebant, atque adeò non fallebantur. Fallere itidem nolebãt, quos bonitas sua, sinceritasque, ac simplicitas, sic ab omni fuco ac simulatione removerat, ut ea ipsa nõ silerent, quæ apud minùs cordatos multum ipsis detraherent: tanquam, negationem Petri, Thomæ infidelitatem, Matthæi [illegible] muneris, vestis pleorumque [illegible], trepidam omnium in horto fugam, infame magistri supplicium. At unde præconibus illis, paucis, vilibus, indoctis, cognita licèt testantibus, & sincerè narrantibus, necessaria suppeteret ad persuadendum auctoritas?

II. Quam alieno tempore illam in Judæa promulgarint!

Christus tamen eos *elegit discipulos*, inquit Augustinus l. 18. de Civ. c. 49. *quos & Apostolos nominavit, humiliter natos, inhonoratos, illiteratos, ut quidquid magnum essent, & facerent, ipse in eis esset, & faceret.* Granorum sinapis instar esse debuêre, ut ex minimis seminibus, tanto majori prodigio, lati ac proceri rami per omnes terrarum partes funderentur. Et, quò spectabilius esset prodigium, exigua illa & pauca semina in glebâ nec subactam, nec dispositam, dispersa sunt. Judæa natio, apud quam prima Evangelii publicatio facta est, ardentissimo in legem Mosaicam studio ferebatur: ad disertationes promptâ, si quis contra differeret; ad seditiones & tumultus prona, si quis vim minaretur; Cæsarum potius odium & excidium suum passura, quàm ut vel aquilam Romanam, vel Cæsaream effigiem, Templo inferri tolerarent. Orta paullò ante Christum Pharisæa secta, paternarum traditionum pertinax observatrix. Enati paullò post Christi mortem Zelotæ, quibus eam appellationem fecerat incensus pro lege Mosaica zelus. Sperarétne à talibus poteras, ut Christianam legem, quæ cæremonias Mosaicas paulatim universas aboleret, & Gentiles Judæis pares efficeret, publicari per Galilæos & cõtemptos piscatores paterentur?

III. Quàm intempestivè itidem in orbe cætero!

Voluit tamẽ Christus, tam alieno & adverso tempore, in solum plantis inimicis oppletum, sementem Evangelicam mitti, ut proventus non humanæ dexteritati, sed consiliorum divinorum efficaciæ, adscriberetur. Nec dispari ratione cum cæteris fere orbem populis actum est. Romanum, quàm latè patebat, imperium sacrilegus idolorum cultus obtinebat: simul vitiorum genus omne impunè grassabantur. Reliquas orbis partes sævo dominatu premebat feritas, & barbaries. Sic comparatis hominum animis, promulgandus erat Dei unius ac trini cultus, Dei-hominis supplicium ac resurrectio, vitiorum omnium odium ac pœnæ, caritas & mansuetudo Christiana. Potueratne deligi magis adversa tempestas, si humana prudentia consulatur? Sperarétne licebat, sine procellis abitûram, & sine sterilitatis damno, tam intempestivam sationem?

Quietam

IV. Scientia & impietas adversùs Evangelium conspiravit.

Quietam prædicationem Apostoli non sperabant, quibus Christus disertè prædixerat, *Ecce ego mitto vos, sicut oves inter lupos: absque synagogis facient vos: trahemini ante Reges & præsides. trademini à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis.* Præscii itaque laborum, & malorum, in Evangelica lege promulganda tolerandorum, Apostoli; munus suum intrepidè tamen aggressi sunt, & purissimam doctrinam vitiosis, altissimam doctis, publicavêre. Fremebat contrà *scientia quæ inflat*, magnis argumentorum agminibus stipata; rationem fidei subdere, quæ non intelligeret discere, rudibus atque infacundis hominibus magisterium concedere, & audientiam accommodare, indignata. Ringebatur impietas, numerosis cincta pellicatuum, scortorum, furtorum, ambitionum, superstitionum turmis, seque palàm damnari non patiebatur apertâ commendatione virtutis. Fœderantur scientia, & impietas, adversùs nascentem Ecclesiã, eamque primùm clamosis disputationibus Hierosolymæ, Athenis, Romæ, obruere conantur. Sed cùm falsitas arrogans cõtra modestiã veritatẽ nihil evinceret: auxiliares à tyrãnide copias flagitavêre.

V. Auxiliari tyrannide.

Adfuit illico viribus armata, potestate terribilis, rapinarum, contumeliarum, carnificinarum multitudine formidandum, ferociã horrendum exercitum trahens: velut unico flatu viridem beneè progerminantem de semine suo plantulam eradicatura. Sed ivêre Apostoli gaudẽtes à cõspectu cõcilii, quia digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Apostolorum discipuli suscepêre verbũ in tribulatione multa, & rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinuêre. Nec probrorũ infamia, nec paupertatis incommoda, nec tormentorum atrocitas, quidquam adversùs veritatis patientiam profecere. Ubique pugnatum est, diu, acerrimè; ut religionis præcones vel sævitiã terrerentur, vel diuturnitate lassarẽtur, vel varietate saltem incursuum distracti debilitarentur. In Romani imperii solo, *silvâ frementium bestiarum, & turbulẽtissima profunditate Oceani*, ut loquitur D. Leo; per tertia fermè sæcula horribiles Christianis persecutiones incubuêre. Denas vulgò numerant. nõ quia plures non fuerunt, sed quia istæ atrocissimæ præ cæteris. Cæsarum primus in Christianos sævit Nero: *Tali dedicatore damnationis nostræ gloriamur*, inquit Tertullianus in Apolog. *qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi grãde aliquod bonum a Nerone damnatum.* Istius monstri jussu, Christiani, pice inuncti, Romæ noctu in plateis tædarum vice arsêre: ut vel sic lux in tenebris luceret. Adriano grassante, militum millia decẽ loco uno & tẽpore, pro Christiana lege obiêre. Lugduni, & in viciniis, strages tanta Christianorum, Antonino Vero jubẽte, edita est, ut ad novemdecim illic Martyrum millia numerentur. Diocletiano grassante, imperium omne Romanũ Christiano sanguine exundavit. Nicomedia, & Treviris, nobilissimæ urbes, commune fermè civium omnium, quotquot Christum colebant, sepulcrum fuêre, vel bustum.

VI. Quale interim Evangelii incrementum?

Quatuor tantùm persecutiones attingo, & pauca loca designo, ut locorum cæterorũ ac temporum specimen. Per tam horribiles tempestates, bacchantibus ventis, irruentibus procellis, quale tamen doctrina Christiana incrementũ accepit? Quàm altè exiguum istud sinapeos semen comas extulit, brachia diffudit? Quanta cælestium volucrum multitudo, hominũ sapientum, potentum, locupletum in illius ramis nidulata? Quæ Universi mutatio in melius Evangelii prædicationem comitata, vel secuta est? Illustriori longè miraculo, quàm si, ut vaticinabatur Isaias, in solitudine nemorum amænitas læta repentè consurgeret: & si in cubilibus draconũ oreretur viror calami, & junci. Jam inquit Hieronymus ep. ad Nepot. & ad Lætam, nõ Latini solùm, Græcique, & Hebræi, quorum linguas crucis titulus Christo consecravit, divinorum bonorum & beatæ immortalitatis fiduciã eriguntur: sed Persæ, Gothi, Ægyptii, Indi eãdem sese spe consolantur. Thracum & Scytharum feri clamores in suavẽ transiêre crucis melodiam. In Septemtrionũ nivibus ardet calor Christianæ caritatis: & sub zonæ torridæ ignibus benignus mansuetudinis imber, & ros gratiarum cælestium, sentiuntur.

VII. Quàm admirandum!

Si Christiana religio citra obicem ullum succresceret; si absque prælio, & sanguine, homines ab idololatria & vitiis sese abduci sinerent: mira tamen planè foret mutatio, inquit Chrysostomus, hominũ, quòd Christus sit Dominus. Quanto magis stupendum, per tot obstacula tantam, & tam subitò, ad meliora conversionem exstruisse, tam paucis & tam parùm idoneis præconibus, ac testibus, si cùm auditorum multitudine, ingenio, potentiã comparentur? Inter lupos undique frementes disperguntur agni duodecim, alius aliò; & lupos, positâ rabie in agninam indolem vertunt. Dulcis aquæ guttulis duodecim, aliis alibi fusis, mare magnũ repentè amissâ salsedine dulcescit. Quis, quamvis Jamne & Mambre dementior, quamvis Ægyptio quolibet obduratior, non exclamet, *Digitus Dei hic est!* Multos varia priscorũ sæcula tulêre sapientes homines, ac disertos. Uno fermè ævo Græcia Socrates, Platones, Theophrastos, Zenones, Aristoteles audivit. Quantum isti dicendo, scribendoque, profecẽre? Platonis respublica in ideis Platonicis mansit. Pauculi discipuli ad aliquot orbis particulas erepêre. Amare tenebras suas, & in fæcibus volutari non desiit genus humanum. Hodie permultos habet orbis Christianus concionatores literatos, eloquentes, pios. Dicunt ad benevolum auditorem, malorum metu nullo, approbationis fiduciã. Quot tamen ex illorum dictionibus conversiones morum exsistunt? In digitos fermè digeri possent, sicut racemi, cùm fuerit finita vindemia.

VIII. Quam superba intellectus & voluntatis mora?

Quid agis, superba hominis intelligentia? Unus tibi Deus & trinus credendus proponitur, prædicatur Deus-homo suspendio extinctus, promittitur rediviva carnis post innumeras transformationes excitatio, ostẽduntur à sensibus remota, sæculis dissita, ratione superiora: credis tamen, etsi incredibilia videri poterant. Voluntas humana, bono jucundo h[illegible] aut utili appetendo assueta, quid agis? Castitas indicitur, sobrietas imperatur, justitia præcipitur, humilitas commendatur: isthæc tamen reclamante insolitã consuetudine, obluctantibus affectibus, amplectẽris? Quid ex nova professione boni exspectas? Opésne forsan? Sed illis spoliabere. An honores? Sed pro sacrilego, impio, mago habebere. An vitam? Sed tormenta coràm adspicis, sed paratã mortẽ intueris. Victorini Rhetoris Romani conversionem auditam, Augustinus nobis legendam transmisit lib. 8. Conf. c. 2. & 5. Quid tali conversione sperabat laudis satur, honoris plenus, divitiarum affluens homo? Quid Cõstantius Cæsar à Christiana religione, in præsens, emolumenti vel voluptatis quærebat? Quid antè homines innumeri, primores pariter ac plebeii, docti & indocti, inter quotidiana vitæ pericula, tormentorum spectacula, suppliciorum experimenta, sibi proposuêre, ut Christiani fierent? *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

IX. Superstitionum incrementa facillima, difficillima veræ religionis.

At, inquit, nonne idolorum etiam cultus a primis initiis orbem totum implevit, ut Sap. 4. narratur? Mahumetismus itidem nonne ex projectæ sementiculæ cocco Asiam fermè universam, Africæque & Europæ partem, occupavit? Excrevêre omninò, fæcundo ac festinato proventu, fœdæ superstitiones: quemadmodum ex lignis putribus fungi. Ostentabat idololatria in deorum factis exempla libidinum, & impunitatem criminum: quid mirum, si proclivia ad voluptates

voluptates humana sese illuc ap[illegible]ia provoluit? Proponebatur à Mahumetismo satietas voluptatum, sensibus amicarum, quid novum, si totæ illuc nationes cocurrêre? Accedebat ad irritamenta luxuriæ, terror potestatum, & metus armorum. Ad idololatriam Reges edictis, & pœnis, urgebant: ad Mahumetismum compellebant armati exercitus. Christianam verò religionem, nec sensibus blandam, nec rationi obviam, inermes armatis, viles honoratis, indocti sapientibus Apostoli, eorumque discipuli, persuasêre, & admirationem cæteris expressêre, quos ab accipienda fide vel mala formido, vel mala spes, prohibuerunt.

X. Apostoli voce testimonium perhibuere religioni Christianæ.

Propiùs lubet intueri, qua ratione id operis per tales Christus effecerit? Apostoli *profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Voce promulgavêre Christianam legem, promulgatã miraculis firmavêre: accessit voci, & miraculis, integritas vitæ: sigillũ testimonio impressit mors generosa, eamobrem appellata martyrium. Docti non erant Apostoli, facundi non erant; nec, qui linguas ipsis igneas dederat, artem simul eloquentiæ contulerat. Imò plerisque *sermo erat contemptibilis*, & imperitus. *Loquebantur* nihilominus *cum fiducia verbum Dei*, certi de veritate: quæ, quò simplicior est, & minùs ornata, eò persuadet efficaciùs. Auditor enim in argutiis ratiocinationum, & facundiæ ambagibus, facilè dolos & insidias suspicabitur, metuetque sibi, ne quã circumveniatur, velut à circulatore. At in aperto sermone, remque ipsam citra circuitus exponente, nihil intuetur nisi veritatem; quæ *splendorem fucum nõ commendat. Ad unguem verò formantur illi, qua volumus non tam speciem recti habere, quàm similitudinem*, ut ait Ennod. dict. pro Steph. Itaque, ad Apostolicas prædicationes, sincerã narratione gestorum, adhuc recentium, convicta multitudo nunc ad terna, nunc ad quaterna capitum millia, nomen Christo dedêre. Sic postmodum Paganus philosophus nodis fidei Christianæ veritate, per S. Spiridionem, simplicem Episcopum, propositã, perculsus errores illico abjuravit, ut ex aliis narrat Baronius ad annum 325.

XI. Et miraculis:

Veritatis simplex oratio est, inquit ex Tragico quopiam Seneca ep. 49. *ideo; illam implicare non oportet*: Id etiam isti agnovêre, quibus tamen ornata falsitas in pretio fuit. Multò id magis experti sunt illi, quibus, pro veritatis ornamento, non fuci verborũ dabantur, sed miraculorum signa demonstrabantur. Concionabatur Petrus: mox à concione umbrã illius contacti ægri quilibet convalescebant, claudus ad Templi portã exiliebat, Tabitha de feretro exsurgebat. Prædicabat Paulus: & continuò Eutychum ex præcipiti lapsu enectũ à mortuis revocabat, semicinctiis ad languidos deportatis morbos pellebat, navigationis comitibus futura prædicebat. Evangelium Apostoli cæteri, locis quisque suis, publicabant: & illi[illegible] patrabant genus omne beneficorum prodigiorum. Quomodò enim ubique prædicavêre, ita & ubique signa secuta sunt: neque ille falli poterat, qui dixit, *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, ipse faciet, & majora horum faciet.* Ad ista spectacula Infideles attoniti non dubitabant, quin humanã fide [illegible]ius aliquid loquerentur, qui humanã omni arte longè altiora patrabant, statuebantque vera esse, quæ dicerent, cùm naturam superarent; quando quidem supra naturam etiam essent, quæ facerent.

XII. Et morum sanctimonia.

Non imparem miraculis auctoritatem obtinuit inculpata vitæ ratio. De philosopho scribebat Seneca ep. 6. *Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodo audisset. Vita ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum, an ex formula sua viveret.* Sic Apostolis fuêre auditores sui. Spectabantur Angelici inter contumelias vultus, læti inter verbera, inter discrimina securi. Videbantur impensã ad alorum cõmoda labores perpeti, emolumento nullo; tanto quæstûs omnis contemptu, ut propriè nihil possiderent, pecuniam oblatam respuerent, manibus potiùs victum tolerarent, quàm cuiquam esse vellent oneroſi. Tam incontaminata castitas cernebatur, ut ne scurrilitatis quidem toleraretur appellatio, nedum scurrilitas ipsa. Tantam morum integritatem postquam auditores inspexerant, & cum suis alienisque compararant, plus oculis credentes, quàm auribus, sic apud se ratiocinabantur: supra communem hominum sortẽ magister fuerit, necesse est, cujus discipuli tam exactam sanctimoniam colunt: purámque omninò, ac divinam legẽ esse oportet, cùm adeo puri sint, qui ex ea vivunt. D. Pachomium ad Christianam religionem adduxit Christianorum erga tirones, militare coactos, in quo numero erat, caritas, apud Baronium an. 316. *Ioannes Fernandius noster, Sodalium nostrorum Ulyssipponensium exemplo ad Societatem invitatus, cùm Xaverio comes in Japoniam isset, & ad confertam multitudinem in publico diceret, unus de plebe provocatum à pectore phlegma illi in os obscœnè contorsit, & cachinno factum una cum sociis celebravit. At Ioannes, educto modestè strophiolo, vultum purgavit, &, tamquam nihil ad se pertineret, sermonem pertexuit. Ea res virum gravem, qui forte aderat, explodenda potius quàm hauriendæ doctrinæ causã, ita permovit, ut veritate dogmatis ex operis celsitudine æstimatã, primus se ad Ioannis pedes abjecerit, & permotus Spiritus per baptismum Xanguinis acceperit. Ab hoc initio ducta est tot Japonum posteà conversio.* Ita narrat totidem verbis Alegambe in Biblioth.

XIII. Morte denique.

Tanta vis exempli unius in Apostolico homine fuit: quanta fuerit quotidianorũ in Apostolis exemplorum, præsertim postcaquã sanguine ab omnibus, unico excepto Joanne Evangelista qui pat tamẽ mortis supplicium tulit, consignata sunt? Mori autem omnes in religionis caussa Deus voluit: tum ut sibi certissimam esse illius veritatem palàm testarentur, ipsâque adeo vitã, cujus amittendæ sensus tenerrimus est, cariorem: tum ut in extremo illo actu, qui maximè attendi solet, virtutum suarum illustrissima specimina, & in spectatorum mentibus plurimùm momenti habitura, ostenderent. *Iacuit testis fidelis inter pœnas pœnis suis fortior*, ut de Celerino scribit Cyprianus ep. 34. *inclusus includentibus major; jacens stantibus celsior; vincientibus firmior vinctus; sublimior judicantibus judicatus.* Patientiam texêre tormenta; caritatem & mansuetudinem, exercuêre supplicia. Ducebantur ad crucem intrepidi, ad gladium læti: inter patibuli feralis brachia, sub carnificis armata manu, inter dolores & vulnera, pro hostibus & tortoribus suis Deum clarã voce, ut animitus fieri appareret, magistri sui exemplo precabantur. Tantæ virtutis spectaculo adstantes commoti revertebantur percutientes pectora sua, & dicebant, *Verè Filius Dei erat iste*, qui tales docuit: vera non esse nequit religio, ubi sic vivitur vita, sic mors oppetitur. Ita populi universi ad Christianam legem convenêre. Apostoli, *ut ista populorum, tamquam germinum, copiosissima fertilitas surgeret, terram suo sanguine rigaverunt. Fructus ergo laboris illorum etiam nos sumus.* Ita hæc Augustinus serm. 103. de diversis, in Natali SS. Perpetuæ & Felicitatis, dicebat de Martyribus omnibus generatim: sed Apostolis, testibus primariis, præordinatis à Deo præcipuè congruunt.

XIV. Et nos testari fidem Christi debemus qua alumni sumus cum Christo.

Cum ergo fructus Apostolici laboris etiam nos simus: respondeat fructus labori, germen semini. Testes illi fuêre Christianæ religionis; & nos testes esse debemus. Dixit enim de quibuslibet disciplinæ suæ sectatoribus Christus, *Quicumque confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.*

&c.

&, *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.* *Confessionem autem vocat S. scriptura generaliter, quidquid manifestum fit, sicut creditur, enuntiatur* ut ait Augustinus q. 9. in Matthaeum; ubi illa Matthaei & Lucae verba profert, explicatque illud confessionis nomen, propter simpliciores fratres, qui percutiebant pectus sua, quando vocabulum illud à Lectore pronuntiatum audiebant, quasi semper confessionem peccatorum significaret. Confessi sunt Christum Apostoli, manifestum illum sicut viderant enuntiavêre, testimonium de illo perhibuêre: quia *ab initio* fuêre cum illo. Nonne & nos *ab initio* cum Christo sumus, si gentis nostrae primordia intueamur, jam inde ab Apostolicis temporibus Christianae? Nonne *ab initio* vitae nostrae sumus cum Christo, eodem die regenerati quo nati, Christiani antè fermè quàm homines? Nonne *ab initio* saltem vitae melioris cum ipso sumus, salutis nostrae reparatore, qui nos fecit, non hospites & advenas, sed *cives sanctorum*?

XV. Docere debemus, aut saltem didicisse Christi legem.

Perhibeamus itaque, pro gradu quisque nostro testimonium Christo, quemadmodum Apostoli. Si Christianam doctrinam praedicare aut explicare non potes in corona, at potes in familia: si neque hoc potes, illam saltem profitere, &, ut prohibearis, calle. Scribit Augustinus ep. 67. Al pio seni, de Dioscoro Archiatro, qui quòd post baptismum *symbolum non tenebat, vel tenere forsan recusaverat*, paralysi omnibus fermè membris solutus est. Christianus credendorum ignarus, agendorum simul impotens erit: paralytica fiet, & ad recta commovere sese voluntas non poterit, si communibus saltem fidei decretis, & praeceptis, intellectus sese informare neglexit. Neque enim voluntas fertur ad incognitum: & Christus tam indignâ socordiâ offensus, qualis heu nimis saepè in Christianissimis etiam civitatibus deprehensa est, beneficiorum ac gratiarum suarum, ad excitandam hominis solertiam necessariarum, ubertatem restringet.

XVI. Miracula libenter audire, & narrare.

Miracula hodie ampliùs firmandae fidei exigenda non esse, docet Gregorius hom. 29. in Evangelia. Quemadmodum enim aquam arboribus, recèns in terram depactis, affundimus; postquam radices egêre, & aevum firmavêre, ab irrigatione cessamus: ita nascentis Ecclesiae incrementa miraculis provocata, quorum auxilio ampliùs non egeat, postquam radicata est, aetatemque duravit. Sic omninò res habet: necessaria amplius non erant, Christianae religioni stabiliendae miracula; non desiit tamè identidem illa Deus, Fidelium suorû solatio, pudori Infidelium operari. Hoc ipso saeculo conspicua, & certa plurima, variis locis patrata sunt, ut Exc. ad c. 1. sect. 4. scripsimus: verumque adhuc illud Christi est, *Qui credit in me, opera quae ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Eorum, qui credunt, nonnulli, Ecclesiae universae nomine, opera divina faciunt: ceteri, quibus id non datur, ista libentes audiunt, laeti commemorant, ut in se fidem excitent, in aliis augeant. Iisdem enim fides adulta roboratur, quibus infans educata est: nec lactis respuit alimentum, etsi solido cibo utatur.

XVII. Exemplo Infideles ad fidem allicere.

Docere Christianam legem, & patrare miracula, paucorum est, vivere, & mori, omnium est. *Vita autem vera aestimatio*, ut ait Gregorius l. 1. dial. c. ult. *in virtute est operum, non in ostensione signorum. Nam sunt plerique, qui etsi signa non faciunt, signa tamen facientibus dispares non sunt.* Satage ut inter hos numereris: sic mores institue *ut & doctrina tibi vita sit*, quomodò ad Victricium Paullinus scribebat epist. 28. *& vita doctrina.* *Nam tu hoc eruditum & formatum caeli beneficiis, plùs agendo populum instituis, quàm loquendo*, ut Ennodius ait, in dictione datâ Stephano vicario, pro Maximo Episcopo. De praesentissimâ bonorum exemplorum vi, ad convertendos Infideles, quaedam diximus ad calcem sect. 4. Exc. ad cap. 1. Alii alia narravêre. Recentiora pauca perstringo. Anglus haereticus spectatâ Pii V. modestiâ, Ven. Sacramentum in supplicatione circumgestantis, &, quod Pontifices non consuevêre, pedetis, decimo quinto post die ad pedes ejus accidit, haeresimque ejuravit: ita in Pii V. vita perhibetur. Polonus senex, Lutheranae sectae Minister, visâ per Jubilaeum anni 1575. Catholicorum pietate, Gregorii XIII. & Cardinalium erga pauperes ac peregrinos caritate, publicè in Basilica D. Petri ad genua Pontificis abjectus, errores ejuravit, absolutusque, visitatis ad Jubilaei consecutionem templis, triduo pòst, magno animi sui solatio mortuus est: recitat Spondanus. Apud eumdem, haereticorum multi, qui ad Jubilaeum 1600. confluxerant, visâ Clementis VIII. pauperum pedes abluentis, confessiones quorumlibet excipientis, officia divina celebrantis, caritate ac pietate, conversi: in his Stephanus Calvinus, affinis Joanni Calvino, quem Pontifex amore paterno alendum suscepit, isque posteà Carmelitanum ordinem ingressus, religiosè vixit, & feliciter obiit. Narrat Allegambe in Biblioth. principem feminam Polonam, Palatinam, Elisabetham Radzivilam, ex Calvinianâ Arianam, ex Ariana Judaeam, sacrae Scripturae, quam memoriâ tenebat, peritiâ Catholicis doctoribus insultantem, fidei Catholicae denique nomen dedisse, inspectâ de proximo integerrimâ vitâ P. Benedicti Herbesti Poloni, ex Canonico in Societatem nostram adlecti.

XVIII. Et Fideles ad poenitentiam, ac patientiam.

Neque, ad Infidelium modò conversionem rectè facta plurimùm valent; sed ad Fidelium, quamvis obduratorum, resipiscentiam. Margareta Austriaca, ex Germania in Hispaniam ad Philippi III. nuptias proficiscens cum matre, tanta Mediolani, & toto passim itinere, edidit virtutum exempla: ut Genuensi cuidam civi à Societatis nostrae sacerdote narrata, illicò poenitentiam suaserint, & peccatorum omnium generalem Confessionem expresserint, quam antè pridem contumacissimè respuerat, ad peccandum pariter obfirmatus, & ad non resipiscendum. Tantum vita Christiana potuit: quid si vitae mors testis accedat? Quid si martyrium; aut, quia jam vix apud nos martyrio locus est, quid si martyrii vice accedat dolorum, contumeliarum, damnorum invicta patientia, quâ virtute inter omnes mirabilior nulla, nulla ad motum efficacior? Ad eam te compara, Christiane, illâ Christum & Apostolos sequere: *Quid times*, inquit Augustinus serm. 112. de Martyribus agens, quibus nomen factum Massa candida, *vias duras passionum, & tribulationum? Transiit ipse. Respondes fortè, sed ipse. Transierunt Apostoli. Adhuc respondes, sed Apostoli. Responde: transierunt postea & multi viri. Erubesce transierunt & feminae.*

CAPUT

CAPUT DECIMUM.

ARGUMENTUM.

Machabaus, continuato victoriarum cursu consternatis adversariis, Hierosolymam cum suis ingreditur, disturbatisq; sacrilegis dæmonum aris ac delubris, Templum emundat, sacrificia offert, & octo diebus Encania celebrat, in morem festi Tabernaculorum: communiq; suorum consilio, sancit agenda quotannis ab omnibus ubique terrarum Iudais. Antiochi Epiphanis filius, & hæres, Eupator Lysiam negotiorum publicorum administrum adsciscit: postquam Ptolemaus vitam veneno abruperat, animi æger; tum quòd proditiones ipsi sæpè objicerentur; tum quòd de nimia jam erga nationem Iudaicam propensione apud Regem accusaretur. Gorgias Iudæos infestat: hi duce Machabao Idumæos invadunt, munitiones eorum capiunt, occurrentes ac resistentes trucidant variis locis, ad viginti facilè millia: alios, qui sese in turres duas, amplas valdè & munitas, receperant, obsident. Vrgenda obsidionis curâ Simoni fratri, aliisq; ducibus demandatâ, Machabæus ad alias expeditiones properat. Sed nuntiato, effugisse obsessorum aliquos, corruptis pecuniâ quibusdam obsidentium, illicò regressus, sumpto de perfidis supplicio, munitiones expugnat, & in iis interimit plus viginti hominum millibus. Inter hæc Timotheo, exercitum numerosum ad Iudææ perniciem trahenti, Iudas, imploratâ suppliciter divinâ ope, obviam Hierosolymis procedit. Commisso prælio cùm victoria penderet, cælitùs apparuère hostibus equites quinque: quorum duo Iudam stipabant, tuebanturq;, & in illos fulmina, ac tela jaculabantur. Turbatis itaque mentibus & ordinibus, cæsi, fugatiq;, periere supra millia viginti & unum. Timotheus Gazaram, præsidium munitum, elapsus obsidetur. Obsessi, munitionis suæ fiduciâ, Iudæis probrosè insultabant: sed carò ipsis linguæ petulantia stetit. Nam, quinto die, viginti promptioribus juvenum in muros eniti aggressis, cæteri exemplum secuti, pars scalis, pars per abruptas igne portas, præsidium irrupère, biduoq; vastavère, & Timotheum de latibulo protractum, Chæreámque ejus fratrem præsidii præfectum, & Apollophanem occidère: ad gratias deinde exercituum Domino, victoriæ largitori, agendas conversi.

multitudinis: & congregato equitatu Asiano, advênit quasi armis Iudæam capturus. 25. Machabæus autem, & qui cum ipso erant, appropinquante illo, deprecabantur Dominum, caput terrâ aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti, 26. ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus, & adversariis adversaretur, sicut lex dicit. 27. Et ita post orationem, sumptis armis, longiùs de civitate procedentes, & proximi hostibus effecti, resederunt. 28. Primo autem solis ortu utrique commiserunt: isti quidem victoriæ & prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes: illi autem ducem belli animum habebant. 29. Sed, cùm vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cælo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: 30. ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant: in adversarios autem tela & fulmina jaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant. 31. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, & equites sexcenti. 32. Timotheus verò confugit in Gazaram præsidium munitum, cui præerat Chæreas. 33. Machabæus autem, & qui cum eo erant, lætantes obsederunt præsidium diebus quatuor. 34. At hi qui intus erant, loci firmitate confisi, supra modum maledicebant, & sermones nefandos jactabant. 35. Sed cùm dies quinta illucesceret, viginti juvenes ex his qui cum Machabæo erant, accensi animis propter blasphemiam, viriliter accesserunt ad murum, & feroci animo incedentes ascendebant: 36. Sed & alii similiter ascendentes, turres portasque succendêre aggressi sunt, atque ipsos maledicos vivos concremare. 37. Per continuum autem biduum præsidio vastato, Timotheum occultantem se, in quodam repertum loco peremerunt: & fratrem illius Chæream, & Apollophanem, occiderunt. 38. Quibus gestis, in hymnis & confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israël, & victoriam dedit illis.

COMMENTARIUS AD CAPUT DECIMUM.

Templi expurgatio.

℣. 1. usque ad 9. MACHABÆUS AUTEM, ET QUI CUM EO ERANT, &c. Narratur Judæ & sociorum adventus Hierosolymam, Templi expurgatio, populi lætitia, anniversariæ memoriæ indictio: quæ cùm l. 1. c. 4. v. 36. &c. usque ad finem fusè explicaverimus, ea nunc solùm edisseremus, quæ hujus loci propria sunt, in quæstiunculas digesta.

Quando recepta per Machabæũ Hierosolyma?

Ac primùm, quod v. 1. dicitur MACHABÆUS TEMPLUM, ET CIVITATEM RECEPISSE: An ea dumtaxat recepit paullò ante expurgandum Templum? Videtur ex c. 8. supra v. 31. 32. 33. statim à cæsis Timotheo & Bacchide Hierosolymam venisse Judas, eòque spolia contulisse, & epinicia illic egisse. Ex libri tamen primi c. 4. contrà videatur, post victum demum anno proximè sequenti Lysiam, Hierosolymam profectus, idque mihi credibile esse indicavi ad l. 1. c. 4. v. 39. ubi etiam suspicabar, ab Hagiographo libri secundi auctore narratum c. 8. Judæ ingressum Hierosolymam per anticipationem. Favet huic meæ conjecturæ epiniciorum festum, quod c. 8. v. 33. memoratur, neque aliud forsan fuit, quàm solennis de victoriis reportatis lætitia, gaudio de Templi expurgatione conjuncta. Si tamen magis tibi placuerit, duplicem Judæ adventum ad Hierosolymitanam urbem, & duplex festum gaudiùmve statuere: eam sententiam expressam reperies tum in Serie historica l. 1. num. 39. 41. tum num. 31. 33. Synopseos hujus libri. Quidquid autem difficultatis objici potest, enodatum habebis ad l. 1. c. 4. v. 39.

Igniane de lapidibus cælitus excepti?

Quæres secundò: Quomodò DE IGNITIS LAPIDIBUS IGNE CONCEPTO SACRIFICIA OBLATA? Gorionides ait, *Exiliisse ignem de lapidibus altari suppositis, eumq́; ad tertiam usque captivitatem durasse*: ut scilicet numquam in Templo ignis sacer miraculo excitatus, at divinitùs missus defuerit. Eam Gorionidæ conjecturam non improbat Serarius; rejicit Salianus, dicitque, in lapidibus ignitis nihil quærendum esse mysterii, sed ignitos dici, ex quorum attritu ignis excutitur. Idem ante Salianum Liranus, Mariana, aliique existimavêre: & verò frustra est miraculum, ubi verba Scripturæ, & res subjectæ illud non exigunt.

An potiùs excussus de silice, & fomite conceptus?

In Græco textu habetur, πυρώσαντες λίθους, καὶ πῦρ ἐκ τούτων λαβόντες, ἀνήνεγκαν θυσίας: *cùm lapides ignivissent, & ignem ex illis accepissent, obtulerunt sacrificium.* Diversimodè autem lapides igniri possunt: primùm excussis inde collidendo scintillis, ita ut igniti videantur, uti quotidie silicibus facimus: deinde mutuo affrictu, & attritu, citra collisionem tamen, excalfactis & excande-

excandefactis lapidibus: præterea in lapidis sinum exceptis, ac densatis, solaribus radiis, uti fit in speculis ustoriis: denique immisso in ignem lapide, & excandefacto. Ex his ignsendorum lapidum modis, primum hoc loco à Sacerdotibus adhibitum fuisse, censent Auctores modò adducti, quibus accedo. Nam secundus ac tertius modus, à Serario indicati, nimis longi sunt ac difficiles: quartus indicatus à Saliano, adhiberi non poterat ab iis, quibus ignem profanum altari inferre nefas fuit.

Quomodò post biennium sacrificia oblata?

Quæres tertiò: Quo pacto post biennium dicantur sacrificia oblata, cùm constet tertio anno id factum, eâdemque ipsâ die, quâ Templum profanatum fuerat? Diximus de hac difficultate ad l. 1. c. 4. v. 54. biennium intelligendum de Judæ Principatu, idemque jam dicimus, neque occurrit, quod addamus ad illic disputata.

Quomodò purificatum Templum quo die profanatum fuerat?

Quæres quartò: Quomodò, QUA DIE TEMPLUM AB ALIENIGENIS POLLUTUM FUERAT, EADEM CONTIGIT PURIFICATIONEM FIERI, cùm constet ea die sacrificia fuisse oblata, & Templum antecedentibus diebus emundatum? Respondeo: *Purificationem* hoc loco, uti & suprà c. 1. v. 18. & c. 2. v. 16. sumi pro purificationis complemento, seu pro encæniis ipsis, aut Templi novâ dedicatione pèr holocaustorum oblationem; quam antecesserant diebus procul dubio non paucis, non paucioribus saltem quàm 2. Paral. 29. v. 17. sub Ezechia Rege, purificationes aliæ præparatoriæ, de quibus brèviter v. 3. dicitur *purgata Templa*, & fusiùs narratur l. 1. c. 4.

Cur ad modum festi Tabernaculorum acta Encænia?

Quæres quintò: Cur THYRSOS, ET RAMOS VIRIDES, prætulerint Judæi hisce Encæniis? Ratio redditur v. 6. quia *diem Tabernaculorum ante modicum temporis egerant in montibus, more bestiarum.* Omissam igitur istius festi lætitiam recuperavêre, hocce Encæniorum gaudio, Judæi, & exemplum ad posteros transmisêre: à quibus festum dedicati per Machabæum Templi vocatur Scenopegia c. 1. v. 9. suprà. De festo Tabernaculorum, ramisque in illo adhiberi solitis, vide Lev. c. 23. & 2. Esd. c. 8.

Quæres sextò: Quid THYRSI hoc loco significent? Rabanus, eumque secutus Liranus, explicat medios herbarum frutices. Sed quod ornamentum, & gaudii signum extitisset à circumlatis herbarum caulibus, quos Latinorum aliqui thyrsos vocavêre? Intelligendæ itaque hoc loco, quomodò apud poëtas, hastæ frondibus ornatæ, aut virgulta majora, qualia præferri lætis diebus solent, quibusque olim, Plutarcho, & Appiano teste, papiliones post victoriam ornabantur: ne existimes bacchantium tantùm id gestamen fuisse, eorùmque ritum imitatos Judæos.

Unde rami menso Casleu extremo?

Quæres septimò: Unde RAMI VIRIDES mense Casleu exeunte, id est Novembri? Festo Tabernaculorum, quod in Septembrem incurrit, facilè inventi fuerint: at unde post menses duos, ac defluvium foliorum Autumno adulto? Respondeo: palmas, oleas, hederas, myrtos, aliasque id genus semper virentes, & ἀειθαλεῖς ut aiunt, plantas, in eâ regione amænâ, ac fervidâ, abundè pullulâsse: ut adultâ licèt, ac rigente hyeme, non deesset foliorum læta viriditas quò animorum, ex Templo instaurato reviviscentium, gaudia Judæi testarentur.

Cur festi anniversarii præceptum dicatur commune?

Quæres octavò: Cur v. 8. dicatur, COMMUNI PRÆCEPTO ET DECRETO statutum, ut gens universa Judæorum anniversario gaudio agat *dies istos?* Nonne Judas erat Pontifex Maximus? Nonne illius erat leges condere, *festa sancire?* Quorsum ergo hic ponitur commune præceptum, & decretum: quasi in æqualem præcipiendi, ac decernendi, cum Summo Pontifice potestatem subditi convenerint? Respondeo: commune præceptum dici, quia Judas quidem solus edixit, penès quem solum erat edicendi potestas; ex consilio tamen seniorum, ac fratrum, & volentibus ac probantibus subditis. Vide lib. 1. c. 4. v. 59.

Proponitur de plebe festis quibusdam exonerandâ.

Eâ occasione dicendum nobis erit in Excursu de legibus humanis, Ecclesiasticis præceptis, debitâ subditorum obedientiâ, festis, templorum dedicatione: quorum omnium exempla manifesta præbet isthæc Templi instauratio. Hic, in egenæ plebis gratiam, Patribus populi quâ par est reverentiâ propono, de festorum quorumdam vel abrogatione, vel deminutione. Etsi enim nuper Urbanus VIII. terna sustulerit: pauperi tamen vulgo, quæ populi Christiani pars maxima est, adhuc nimis multa videntur superesse, onere plerisque difficulter tolerabili. Quippe cùm quotidiano fermè labore inopem vitam tolerent, sustententque familiam: necesse est, quando multi dies otiosi intercurrunt, ut vel reculas suas ad victum oppignorent, vel ventri miseras ferias indicant, aliisque gaudentibus lugeant; vel turpiter stipem emendicent.

Aut saltem ad audiendum duntaxat sacrum obstringenda.

Quid igitur agat paterna Pastorum caritas, quando etiam, ut Excursûs sect. 2. num. 13. indicabimus, aliorum caritas legem illam solvere potest, sublevandæ proximi necessitati? Agat, quod patres erga filios gementes sub onere: allevet, quâ potest, non digito solùm, sed totâ clementiæ dexterâ. Circumspiciat, ecquorumnam festorum, incommodè incurrentium, abolitione exonerari possint? Quidni saltem aliqua relinquantur arbitrio pietatis, indictâ solùm audiendi Sacri necessitate quibuslibet: seriò commendatâ locupletioribus feriandi, & ab operibus servilibus cessandi, consuetudine? Publicârat Leodii concionator quispiam Urbani VIII. Bullam de abrogatis festis quinque, in his festo Virginis Conceptæ & Visitantis; atque inter eam publicandam indicârat, optare se, ut ista nihilominus festa observarentur. Descendenti de cathedrâ, cordatus quidam civis: Tu verò, inquit, & ego, consimilesque alii, quibus vacat, festa isthæc celebremus: at miserum popellum, operari cupientem, non obruamus inutili otio. Idem dixero, si quis hanc nostram de dierum aliquorum in profestos mutatione propositionem sugillet.

Nec multùm urgenda.

At enim, inquis, quorsum talis sublevandæ plebi mutatio? Nonne satis fuerit, quod promptum est, à Confessariis egenos privatim moneri de laborando intra privatos parietes; fieri illis gratiam legis humanæ, lege naturæ; nec præcipi, quod servari non potest? Commodè quidem tu loqueris, si egenis omnibus intra privatos parietes labor paratus est, si omnibus Confessariorum consilia prompta & nota sunt. Sed quid faciant miseri, quando clam operari non omnium est, palam multorum? quando instant apparitores, &, quam in atrocia crimina meliùs impenderent, in illos exercent diligentiam?

Nominatim festo S. Silvestri.

Nusquam igitur, nisi a Patribus populi, Pastorúmque benignitate remedium est: cui nominatim commendo scribendo, quod commendavi dicendo, ut D. Silvestri die incommodissimam, tot festis intercurrentibus, à populo feriationem severè non exigant. Cujus feriationis non urgendæ

gendæ & hæc peculiaris caussa est; quòd Romanæ affirmant, nusquam fermè totâ Italiâ, ubi tamen publicatissima est Urbani Bulla, observari extra Romanos fines: quia nempe lex passim non obligat, cujus ferendæ ratio locum passim non habet, quemadmodùm eo in festo videtur non habere. Isthæc si Patrum caritati placuerint, amplectantur; si displicuerint, rejiciant, non damnatâ tamen proponenus caritate.

Repetitio de morte Antiochi.

✠. 9. Et Antiochi quidem, qui appellatus est Nobilis, sive illustris, *vita excessus ita se habuit*, quemadmodùm suprà narratur. Repetit, seu recapitulat Hagiographus narrationem de Epiphanis interitu, ut significet accidisse post Templum emundatum: quod ex c. 6. v. 7. libri primi constat, & indicavimus ad ejusdem libri c. 4. v. 39. ubi etiam diximus ὕστερον πρότερον, sive anticipationem narrationum, Scripturæ frequentem esse, huic nominatim Hagiographo.

Gesta Eupatoris.

✠. 10. Nunc autem de Eupatore, Antiochi impii filio, quæ gesta sunt, narrabimus. In Sixtinis Græcis habetur, *Nunc autem quæ ad Antiochum Eupatorem pertinent* τοῦ ἀσεβοῦς γενόμενον, *qui impii filius fuit*. Advertit tamen Nobilius, in quibusdam Græcis exemplaribus haberi, non γενόμενον, sed γενόμενα, *gesta seu facta*, convenienter vulgatæ. Quamquam istud, *quæ gesta sunt*, videtur redundare, cùm sublatâ eâ particulâ constet sensus, & commodior sit totius versûs locutio, sine ejusdem particulæ geminatione parum concinnâ. Habentur enim mox eædem voces in alterâ parte versûs: unde verisimile est, ab aliquo non satis accurato librario traductas ad priorem partem, & duplicatas.

Quomodò ab Hagiographo breviata.

Breviantes mala, quæ in bellis gesta sunt. Ab Hagiographo nostro præterita eorum non pauca, quæ in libro priore, de rebus per Eupatoris regnum gestis, narrantur, patet ex serie nostrâ historicâ. Patet etiam inde, nonnulla ab Hagiographo nostro referri, quæ prioris libri Scriptor prætermiserat. Rabanus existimat, nominatim præteriri in posteriore libro pugnam Eupatoris, in quâ Eleazarus suffosso Regio elephanto interiit. Liranus autem non prætermitti censet, sed in capite 13. attingi: uti & nos in serie historicâ num. 72. &c. indicavimus.

Lysias Eupatoris Minister.

✠. 11. Hic enim, Antiochus Eupator, suscepto regno ope Lysiæ, ut habetur l. 1. c. 6. eumdem *Lysiam constituit super negotia regni* totius, universisque Asiaticæ monarchiæ regionibus præfecit; seu, ut hodie loquimur, primum Ministrum creavit, potestate & auctoritate post Regiam summâ. Præfeceràt illum Epiphanes omni cis Euphratem regioni, ut habetur l. 1. c. 3. nunc Eupator universi regni curam illi committit.

Præfectus simul Cœlesyriæ, & Phœnices.

Phœnicis et Syriæ militiæ principem, πρώταρχον vocat textus Græcus, id est primum ducem. Erat quidem Lysias universi regni Asiatici sub Eupatore Administer: habebat tamen etiam Cœlesyriæ, quæ hic Syriæ generali nomine intelligenda est, ac Phœnices, nobilium provinciarum privatam ac peculiarem curam, & præfecturam. Quod enim dicitur fuisse militiæ princeps, intellige simul provinciarum præfectum fuisse, ut in Serone notavimus ad l. 1. c. 13. v. 13. Sic hodieque Ministris Regiis, generalem licèt sub Regia auctoritate rerum omnium curam habentibus, præfecturæ quædam peculiares, seu dignitati augendæ, seu percipiendis emolumentis, seu conciliandis animis, tuendæve securitati, solent attribui.

Amoto Ptolemæo suffectus.

✠. 12. Nam Ptolemæus, qui dicebatur Macer, Græcè Macron, idem de quo c. 8. v. 8. ubi dux vocatur Cœlesyriæ & Phœnices; idem etiam, ut illic putavimus, de quo c. 4. v. 45. etsi aliter Liranus censeat. Redditur autem hic ratio, non cur administratio regni Lysiæ credita sit, ut Liranus existimare videtur: sed cur Lysiæ data sit præfectura Phœnices, ac Syriæ coeles. Dux enim earum provinciarum erat Ptolemæus, & ab eo officio amotus, quia in Judæos cæperat esse proclivior. *Iusto*, inquit Hagiographus, *erga Iudæos tenax esse constituit, & pacificè agere cum eis*, neque, ad ipsos vexandos, ex finitimis Judææ locis curæ suæ creditis militem immittere. Animum erga Judæos antè, ut ex c. 4. apparet, non satis æquum, mutârat *præcipuè, propter iniquitatem quæ facta erat in eos*: miseratio oppressorum ab Epiphane innocentium, ut humanioribus contingere solet, ipsum commoverat.

Primæ Ptolemæo caussa tristitiæ, ab accusatione, & abdicatione præfecturæ.

✠. 13. Sed ob hoc accusatus ab amicis apud Eupatorem; accusatus dicitur Ptolemæus de nimiâ erga Judæos propensione *ab amicis*, sive Eupatoris, sive etiam suis: neque enim solenis amicitia magni est, præ utilitate suâ, & favore Principis. Accusatione istâ sperârunt, sese gratiam apud Eupatorem ac Lysiam inituros: simul animum Ptolemæi altissimè vulnerârunt. Arbitramur enim, ejus criminationis occasione usum Lysiam, præfecturâ Phœnices, & Syriæ coeles, quam sibi cupiebat, illum amovendum curâsse; unde ingens ipsi dolor, & primus ad desperandam, aut indignandam vitam, impetus.

Altera, ex proditoris appellatione.

Altera doloris caussa fuit ex eo, quòd *frequenter proditor audiret*, eóque infami titulo notaretur, quia *Cyprum, sibi creditam à Philometore Ægypti Rege, deseruisset*, & Epiphani eam consignâsset, *ad eum translatus*. Cyprum enim Ægyptiis Regibus abstractam fuisse, & Antiocho Epiphani obedisse, vel ex c. 4. v. 29. colligitur, ubi Sostratus Cypriis datur præfectus. Nobilis erat insula, & Syriæ objecta, maximéque illi opportuna, interjecto angusto freto; paullò tamen, & forsan altero tanto latiore, quàm chalcographus noster in tabellâ Judeæ expresserit.

Proditores suspecti, & exosi, quàvis honorentur.

Itaque Ptolemæus exinde ab Epiphane honoratus, & in Apollonii ac Seronis locum Cœlesyriæ regendæ suffectus: quia non expediebat in Cypro relinqui, ne, quomodò à Philometore transfugerat, ita ad eum rediret. Prima hæc proditorum labes est, quòd Principibus, ad quos transfugiunt, meritò semper suspecti sint; ne fidem, quam semel abrupêre, iterum fallant. Cari tamen illis sunt, aut cara potiùs est proditio, quia utilis, adeóque mercede & honore non caret, ut eâdem spe alii hostium ad transfugiendum illiciantur. Cavetur tamen, ne merces ista, aut dignitas, proditori occasionem præbeat reconciliandi proditione novâ prioris domini. Altera proditorum labes est, ab odio publico, eorum etiam ad quos refugerunt, & quibuscum versantur: infame enim est apud quaslibet nationes, quantumvis barbaras, fidem fallere Principi, patriam prodere, depositum publicum fraudare. Hinc objectum frequenter Ptolemæo, ab æmulis præsertim, & præfecturâ illum deturbare molientibus, proditoris nomen.

Quomodò Ptolemæus ad Epiphanem recesserit.

Nec proditor solùm dicebatur, quòd Philometorem *deseruisset*; sed *quod, ad Antiochum Nobilem translatus, etiam ab eo recessisset*. Non quia, partibus Epiphanis desertis, rursum transiisset ad Ægyptios: sed quia Epiphanis institutum, in persequen-

persequendis Judæis, sequi desierat, ut rectè explicat Liranus. Eam enim cum Judaicæ nationis reliquiis conniventiam exaggerabant æmoli, apud Eupatorem ac Lysiam, & proditionem aut proditionis molitionem interpretabantur: calumniámque eò probabilius texebant, quia facilè creditur de vitioso peccatum, & de proditore proditio.

Crudelitas Principem odiosum facit.

Quid si Ptolemæus apertè Epiphanis adversùs Judæos crudelia facta damnabat? Quid si, nuntiis mortis auditis, justum Dei judicium efferre auditus est? Quid si odium in immanem illam belluam conceptum detexit? Humanos enim subditos maximè à Principibus abalienat injusta crudelitas; velut indignis, qui homines regant, cùm humanitatem ignorent, & societatem civilem dissipent. Si autem crudelitati turpitudo morum accesserit, & varia omnium vitia conveniant, quomodò Antiocho factum; tunc vero justum, ac fermè necessarium, sanis subditis odium videbatur. Eam ob caussam Imperatorum Romanorum non paucos subditi coniecêre, velut adversùs insanientes feras, & monstra sævientia, armati: justo quidem dolore, at non legitimâ potestate, si Imperatores illi legitimi erant.

Ptolemæus veneno vitam abrumpit.

VENENO VITAM FINIVIT. Ex his Vulgatæ verbis non poteras intelligi, ultróne ipse sibi Ptolemæus mortem epoto veneno consciverit; an ab Eupatore bibere compulsus sit, uti in historiæ serie indicavimus. Sed ex textu Græco omnis dubitatio tollitur: sic enim habet, in Sixtinis & correctioribus exemplaribus: *μὴ εὐγενῆ τὴν ἐξουσίαν ἔχων ὑπ' ἀθυμίας φαρμακεύσας ἑαυτόν*, id est ad verbum, *nec nobilem potestatem habens, præ tristitiâ seipsum pharmaco potavit*: amotus nobili Phœnices ac Cœlesyriæ præfecturâ, omníque aulicâ dignitate spoliatus, cùm ignominiam præ animi defectu ferre non posset, pharmaco vitam abrupit. Serarius, *εὐγενῆ ἐξουσίαν*, interpretatur, *animum nobilem & generosam libertatem*, quâ desperabundus Ptolemæus caruit.

Ex animi defectu.

Rectissimè autem dicitur, præ tristitiâ & animi defectu, vim sibimet intulisse. Id enim fecit, quia res adversas, calumniasque, ac dedecus fortiter tolerando superare non poterat. Atqui, ut post Peripateticos Philosophos, inprimis Aristotelem, canebat Ethnicus poëta Martialis:

Rebus in adversis facile est contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

& quem, non solùm quassatæ dignitatis ac famæ, sed etiam fracti & illabentis orbis Impavidum ferient ruinæ.

An mors hujusmodi dici queat generosa?

Advertit Nobilius, in quibusdam exemplaribus haberi, *μετ' εὐγενῆ τὴν ἐξουσίαν εὐγενναίως*, *nec nobili potestate, seu generosâ libertate, nobiliter utens*: quo etiam modo loquendi notatur infirmus & abjectus Ptolemæi, in consciscendâ sibi morte, animus. Exemplaria tamen quædam, contrariâ prorsus sententiâ, pro *ἐν ἀθυμίας, ex tristitiâ, seu animi defectu*, habent *ἐξ εὐγενναίας ex animi generosi magnitudine*: quæ locutio accedit ad illam capitis 14. v. 42. de Razia, *eligens nobiliter mori*. An ergo generosi, ac nobilis animi, existimavit Hagiographus spontaneam mortem? Respondeo: hic eum loqui, si tamen ita locutus est, ex Stoicorum sententiâ, tunc pervulgatâ apud Ethnicos, & Judæorum nonnullos: non autem ex sua, & Dei, citra cujus imperium de vitæ statione discedere non licet. De Razia loco suo videbimus.

Gorgias Judæis infestus:

℣. 14. GORGIAS AUTEM, CÙM ESSET DUX LOCORUM, Idumææ Australis præfectus, ut alibi dictum est: assumptis advenis, Græcè *ξενοτροφῶν*, peregrinum militem alebat, puta Thraces, Galatas, Cretes: quorum auxilio *frequenter Judæos debellabat*, incursabat, & infestabat, Græcè *πολεμοτροφῶν πρὸς τοὺς Ἰουδαίους ἐπολεμοτρόφει*, *quotidie in Judæos bellum alebat*. Gorgias ergo militem externum, & bellum alebat, adversus Judæos, irruptionibus & excursionibus quotidianis.

E: Idumæi.

℣. 15. JUDÆI VERO, Græcè *Ἰδουμαῖοι*, *Idumæi*, & sic in Vulgata legendum censent Serarius, Salianus, Tirinus, aliique. Ii ergo Idumæi, *qui tenebant opportunas munitiones*, Hierosolymis vicinas ad Austrum, impios & transfugas, *fugatos per Judam Machabæum ab Hierosolymis, suscipiebant, & bellare tentabant*, Græcè *πολεμοτροφεῖν ἐνεχείρουν σὺν τούτῳ*, *bellum alere cum illo*, Gorgia scilicet duce suo, *conabantur*: subditur, quod in texto nostro abest, *ἐγύμναζον τοὺς Ἰουδαίους*, *exercitabant Judæos*. Unde patet, rectè monuisse Serarium, initio versûs *Idumæi* reponendum pro *Judæi* quod etiam apparet ex versu sequenti, ubi munitiones Idumæorum impugnantur à Juda.

Hostes à Judæis cæsi.

℣. 16. 17. HI VERÒ QUI ERANT CUM MACHABÆO, præeunte generoso duce, *per orationes Dominum rogantes*; Græcè *ποιησάμενοι λιτανείαν*, *factâ litaniâ seu supplicatione*, quæ olim apud Christianos, Gregorio Magno teste, litaniæ nomine significabatur: vide dicta Excursu ad c. 5. hujus libri sect. 7. Isti ergo *impetum fecerunt in munitiones Idumæorum*, receptacula latronum & impiorum: *multaque vi obsistentes* loca obtinuerunt, & ut fieri solet locis vi captis, *occurrentes interemerunt*: in Græcis quibusdam additur *πάντας*, *omnes*, nemini occurrentium intra loca per vim capta pepercerunt. *Et omnes simul non minus viginti millibus trucidaverunt*. in Græcis additur, *omnesque, qui in muro pugnabant, ultri sunt*. Significatur, cæsos à Judæis hostes omnes, qui pro muris munitionum stabant, aliósque quotquot occurrêre: & cædem illam universim explêsse viginti minimùm capitum millia, promiscui videlicet sexûs, & ætatis.

Applicatur ad mores numerus cæsorum.

Olim in Vulgata legebantur viginti quinque millia; unde Rabanus, *quia, secundum quinarii numeri in semetipso multiplicationem, viginti quinque millia trucidata referuntur, significat, quòd omnes, qui quinque corporis sensibus per carnalia desideria diabolo*, in Gorgia ut alibi dictum est adumbrato, *militant, morte condignâ mulctantur*. Si ista hæc ad mores applicatio placuerit, retentâ hodiernâ & verâ lectione de numero viginti millium cæsorum, advertere poteris: eum numerum constare ex quinque quater ductis, & significari interitum omnium, qui sensibus suo rationi serviunt per ætates quatuor, pueritiam, juventutem, virilitatem, senectutem.

Duæ turres captæ: puniti proditores.

℣. 18. usque ad 24. QUIDAM AUTEM CÙM CONFUGISSENT IN DUAS TURRES. In quibusdam Græcis habetur, uti & in Vulgata, *συμφυγόντων*, in Sixtinis est, *συμπεφευγότων δὲ οὐκ ἔλαττον τῶν ἐνακισχιλίων*, id est, *cùm refugissent non minus novem millibus, in duas turres valde munitas*, adde & valdè magnas, cùm v. 23. dicatur in illis occisa suprà *viginti capitum millia*: nisi diximus, turrium nomine etiam subjecta oppida, quibus turres præsidio erant, intelligi. Ad earum ergo turrium *oppugnationem relicto Simone & Josepho*, id est Joanne Gaddi, ut suprà c. 8. ita censent Salianus ac Tirinus, & verosimile putat Serarius,

Serárius, *itemq́, Zachæo*, de quo alibi mentio nulla: Judas ad majora *conversus est*. Sed, eo absente, quidam militum Simonis effugium aliquibus hostium aperuêre pecuniâ corrupti., *acceptisq́, didrachmis*, seu, ut Græcè est drachmis *septuaginta millibus*, id est plùs octo millibus coronatorum Saliano, Tirino aureis scutis 5833. & unâ tertiâ, si drachmæ erant Atticæ & argenteæ: summa tamen duplicanda erit, si didrachmæ propriè sumantur pro duplicibus drachmis. Isti *proditores* convicti, *quòd pecuniâ fratres vendidissent*; nam qui hostibus incolumitatem pretio donat, salutem suorum eodem pretio vendit: salvos enim eos dimittit, qui vitam suis auferre possunt. Isti ergo proditores, Judæ jussu, extremum supplicium subiêre, mox que *turres* seu *munitiones* duæ captæ.

Caussa Christi proditur pretio, per avaros Ecclesiasticos.

Commoda est hoc loco allegoria Rabani, de hostibus Ecclesiæ devictis, fidem tamen amplecti recusantibus, & ad superbiæ atque idololatriæ turres refugientibus. Contra quos missi milites pecuniâ corrumpuntur: *quod sæpe contingit, ut hi, quibus sacerdotalis dignitas, ac spiritalis agonis militia commissa est, per cupiditatem terrenam decepti, magis avaritiæ suæ satisfacere velint, quàm contemptis terrenis commodis, Christi voluntatem legitimè pugnando explere*. Atque utinam pauci sint ejusmodi, qui caussam Christi & virtutis pretio prodant, & pœnas extremas proditione infami mereantur, aut saltem, ut Rabanus ait, *anathematis ultionem*.

Princeps lentè & consilio puniat.

Advertat in Juda Princeps puniendorum reorum modum. Cùm enim ipsi *nuntiatum esset, quod factum est à venalibus militibus: principibus populi congregatis*, ut eorum sententiam exquireret, *accusavit* seu accusationem instituendam curavit. Civili & Pontificia potestate pollebat: reos tamen quamvis manifesti criminis punire noluit, nisi post caussæ cognitionem, & adhibitis ad consilium primoribus. Lenta, explorata, & consultata damnatio, clementiæ Principalis ac Regiæ virtutis manifestum indicium, ac præjudicium est. Invitus plectere videtur, qui tardè & consilio plectit. Olim aiebant Jovem propitia fulmina solum mittere; noxia non torquere nisi ex Deorum consilio. Princeps de se ultrò beneficus sit: supplicia non irroget, nisi meditato, & consulto, ac velut coactus.

Timothei expeditio & inanis fiducia.

℣. 24. At Timotheus, qui priùs a Judæis fuerat superatus, idem utique, quem capite 8. Hagiographus noster narravit cum Bacchide profligatum, etsi Salianus dubitet: *convocato exercitu peregrinæ multitudinis*, Græcus textus vocat δυνάμεις παμπλήθεις, *copias numerosissimas*: adhæc, quia copiæ illæ peregrinæ ferè erant pedestres, *congregato equitatu Asiano*, de finitimis Judææ præsidiis excito, *venit quasi armis*, Græcè δοριάλωτον, *Judæam capturus*, parem resistendo ratus futurum neminem, certamque sibi victoriam; quemadmodùm Nicanor, ante experiendum pollicitus.

Machabæus, & socii, Deum precantur.

℣. 25. 26. Machabæus autem, et qui cum ipso erant, Sacerdotes videlicet, quibus solis fas fuit ad altaris crepidinem, ut mox dicetur, accedere. *Is appropinquante illo*, Timotheo, *caput terrâ aspergentes lumbosq́, ciliciis præcincti*, humili & consueto pœnitentium habitu, *ad altaris* holocaustorum *crepidinem* infimam, seu ad gradus infimos, *provoluti*, ut pœnitentia, locus, habitus, situs, orationi vim adderent: *deprecabantur Dominum*, adjutorem in tribulationibus, *ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus*, *& adversariis adversaretur*, justus in hostes, & clemens in suos: *sicut lex dicit*. Liranus putat alludi ad istud Deut. c. 7. *Tradetq́, Reges eorum in manus tuas: nullus poterit resistere tibi*. Longè aptiùs, &, ut consequentia se habent, ex vero Salianus existimat, alludi ad istud Exo. c. 23. *Quòd si audieris vocem ejus, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, præcedetq́, te Angelus meus*. Mox Deus liberaliter promissum exsolvet: Angelos quinque auxiliares Machabæo submittet, cùm unum solummodò promiserit.

In hostem progrediuntur:

℣. 17. Et post orationem pleni fiduciâ, *sumptis armis, longiùs de civitate* Hierosolymitanâ *procedentes*, Occidentem versùs, ut apparet ex fugâ Timothei infrà, nam Gazara Hierosolymæ ad Occidentem erat; *& proximi hostibus effecti*, ut sine prælio discedere non possent, *residebant*, Græcè ἐφ' ἑαυτῶν ἦσαν, *in seipsis erant*: id est substiterunt, castra fixerunt, collectis ordinibus, animisque & corporibus ad decretorium certamen curatis.

Pugnam committunt.

℣. 28. Primo autem Solis ortu utrique commiserunt. Non indicatur ab utrâ parte cœptum sit prælium: verosimile est ab utraque simul, præconceptâ utrimque spe victoriæ ad pugnam excitante. Judæi enim, *victoriæ & prosperitatis sponsorem, cum virtute, Dominum habebant*: seu, ut Græcè est, *refugium ad Deum, cum virtute, pignus erat boni successûs, & victoriæ*.

Impetus, dux malus rerum agendarum.

Syro-Macedones autèm *habebant ducem belli animum*: Græcè θυμός, id est *ira*, vel *impetus*. Quibus rerum gerendarum καθηγεμὼν, seu ductor, est ὁ θυμός, *impetus*, nihil prosperi ferè vel solet, vel potest accidere: aut si accidit, immeritis accidit, & fortuitò, quemadmodùm destitutæ gubernatore navi contigit aliquando portum tenuisse. At quibus in pugnâ corporali spiritualive adest Deus, & ratio: illi certum tenent pignus illustris victoriæ, quâ partâ benedicant Dominum, & dicant: *Non ego, sed gratia Dei mecum*.

Angeli quinque apparent

℣. 29. Sed cùm vehemens pugna esset, & Marte dubio diu penderet: *Apparuerunt adversariis*, Gorionides dicit, neque improbabiliter, etiam apparuisse Judæis ad eos animandos, ut factum capite sequenti: *de cælo viri quinque in equis*, quò eminentiores supra pedestre Judæorum agmen, & spectabiliores forent: *frenis aureis decori*, unde reliquum habitum æstimare liceat. Gorionides certè non inconvenienter dicit, eorum indumenta aurea fuisse: *ducatum Judæis*, omnibus fermè aut maximam saltem partem peditibus, *præstantes*; id est, illis velut præeuntes.

Duo Judam defendunt, tres in hostem pugnant.

℣. 30. Ex quibus duo Machabæum medium habentes; itaque verosimile est in eo prælio Machabæum equitâsse, alioqui difficillimè ab adversariis medius inter equites duos videretur: *armis suis circumseptum incolumem conservabant*, quocumque se verteret, in media ruens pericula: *in adversarios autem tela, & fulmina jaciebant*, an iidem duo, an verò reliqui tres? Hoc potiùs existimârim, ut suum Judæ defendendi officium duobus datum sit, tres offendendorum hostium munus acceperint. Ita etiam explicat Gorionides. Neque ab re stipantes Judam Angeli duo non pugnaverint, ne strenuo duci impavidè discrimina invadenti, generosissimè pugnanti, &, modò defenderetur, hostem satis offensuro, fortitudinis gloriam minuere viderentur. Tribus autem aliis tela fulminea jaculantibus, *cadebant*

hostes *cæcitate* ob vibrantem fulgorem *confusi*, *& perturbatione repleti.*

Incredulitas hujus historiæ explodenda.

Istam de Angelis historiam adversarii quidam pro parùm credibili habent, & ipsi *cæcitate confusi*, *& perturbatione repleti.* Quid enim illi. supra fidem est? An quia forsan apud Sadducæos, & Epicuræos, Angeli non videntur? An quia nusquam antehac de Angelis Scriptura mentionem fecit, in Agare, Mose, Josue, Davide, Elisæo? An quia Josephus historiæ tam nobilis non meminit: qui utique multis non minora prætermisit, & ex hoc libro nihil in suas de Machabæis narrationes intexuit? An quia prioris libri Scriptor eandem historiam vel tacuit omninò, vel paucis ac generalibus verbis solùm innuit? Quasi novum vel in veteri Testamento foret, vel in novo, aliam ab aliâ narrationem suppleri, libris Regum libros Paralipomenon auxiliari, Joannem Matthæo addere, Lucam Marco? Apage cavillatores, & calumniatores ineptos, & malè conciliatos.

Quid illâ historiâ doceamur?

℣. 31. INTERFECTI SUNT AUTEM VIGINTI MILLIA QUINGENTI, ET EQUITES SEXCENTI: numerus facilè credibilis, quamvis incredulis, ubi quinque Angeli pugnavêre. Rabani allegoria ad hunc locum longe arcessita est: dicit enim quinque equitibus cœlestibus quinque libros legis significari; duobus latera Judæ stipantibus, duo præcepta caritatis: iis prosterni adversarios omnes fidei Catholicæ, tum qui terrena sapiunt, ut Timotheani pedites; tum qui superbiâ eriguntur, ut equites. Sed istius historiæ altâ significatione opus non est, quàm planâ & obviâ: de Angelorum erga Dei amicos custodiâ, & vindictâ in inimicos, de quâ tum nos alibi, tum alii pluribus.

Timotheus fugit Gazaram.

℣. 32. TIMOTHEUS VERÒ CONFUGIT IN GAZARAM, Ephraiticæ tribûs oppidum Gazer; aut Gador, seu Gedor Judææ: non autem illud, quod Simon l. 1. c. 13. & c. 14. dicitur munisse, etsi ita Salianus existimet. Vide dicta ad eum libri 1. locum, & ad ejusdem l. c. 4. v. 15. & c. 7. v. 45. Dicitur fuisse *præsidium munitum*, & ei præfuisse *Chæreas*, quem Timothei fratrem v. 37. Hagiographus appellat: ut iste meritò ad illum ex fugâ sese receperit.

Necessaria historiæ choro-chronographia.

Ad hujus aliorúmque locorum faciliorem intelligentiam, consule identidem, quam libro priori præmisimus, Judææ tabellam: cujus certè me non pœnitet, quamvis à scalpro rudis & impolitæ, meliore tamen & ad historiam nostram aptiore carentibus non infructuosæ. Prorsùs enim necessaria est historias scribenti, interpretanti, legenti, regionum & urbium cognitio, quomodò & consignatio temporum: sive ut quidam loquuntur, duas pariter graphias habeat oportet, qui lucem in historiis quærit, choro, & chrono. Recentior ad libri prioris novem capita Scriptor, in temporum rationibus admodùm diligens, in situum ratione non infrequenter de via sese abduci passus est, Oriolani aliorumque interpretum, quos nusquam nobis videre contigit, studiosus non aberraturus, opinor, si qualemcumque sibi chorographicam tabulam annotatis accuratè situbus concinnâsset.

Obsidentur, & capto præsidio occiduntur.

℣. 33. usque ad 38. MACHABÆUS AUTEM, ET QUI CUM EO ERANT, quatriduanâ obsidione præsidium vallavêre. Obsessis interim *firmitate*, Græcè ἐρυμνότητι, id est præerupto ac præcipiti situ *loci*, confisis, & probrosa dicta in obsidentes jactantibus, & *sermones* in Deum ipsum atque religionem Judaicam *nefandos*: justâ ac religiosâ irâ accensi juvenes viginti, Machabæo familiares, per abrupta ad muros evasêre, *die obsidionis quintâ*, non autem vicesimâ quintâ, ut quidam Græci codices habent, contra fidem cæterorum, & historiæ seriem. Animati exemplo alii commilitones, certatim ascenderunt, ignemque turribus, ac portis, unde maledici hostes sacrilega probra jaciebant, injecerunt. Ita captum præsidium. Biduum vastatio tenuit. Timotheus in *loco* quodam, Græcè λάκκῳ, id est lacu, fossâve, aut, ut alii vertunt, cavo vel cuniculo latitans, occisus est, additusque mortis socius Chæreas frater, & Apollophanes.

Gratiæ de victoria Deo persolutæ.

℣. 38. QUIBUS GESTIS fortiter, ac prosperè, Judas & sui Hierosolymam reversi, comportatis spoliis, & prælatis etiam cæsorum ducum, ad publicæ lætitiæ spectaculum & incrementum, capitibus, ut verosimiliter indicat Gorionides, *in hymnis, & confessionibus*, tum in itinere, tum in urbis Hierosolymitanæ ingressu, tum in Templo præsertim, *benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israel, & victoriam dedit illis*: accepta beneficia ferentes auctori. De gratitudine quædam sparsim dicta sunt libro primo: uberiùs dicemus Excursu ad capitis sequentis versum 9. Hic nobis ad alia excurrendum, adversùs eos maximè, quos in Timotheo, & sociis, Gazaram confugientibus, adumbrat Rabanus: *Hæretici*, inquit, *ab unitate rectæ fidei divisi, ac separati, errorum suorum latibulis se communientes, confidentes versutia sua munimine, maledictionis verba jactant contra Catholicos.*

F X C V R-

EXCURSUS

Ad cap. 10. *v.* 8. Decreverunt communi præcepto, & decreto, universæ genti Iudæorum agere dies istos.

De legibus humanis, festis, templis.

SECTIO PRIMA.

An, & qua, hominibus legitimè jubentibus obedientia debeatur?

I. Diabolus inobedientiæ spiritus.

AD majorem ab Onia alienationem, a sectis & hæresibus aversionem, erga Onianos Ægyptios ac sectariorum miserationem; Christianos sæpè monere expedit, à quibus initiis Onion cœperit, quid primi erraticæ illius synagogæ auctores, de anarchiâ, & obedientiæ omnibus hominibus debitæ recusatione, populos licentiæ effrenis cupidos docuerint. Nam vel ex hoc capite solo, manifestè tenebitur, vertiginosus ille, & jugi impatiens spiritus, qui malesanos Filios Belial Hierosolymâ excitos conclusit in terrâ Cham. Quod enim ipse fecit, ut conditoris sui jussa indignaretur; quod Adamo, & Evæ insusurravit, ut inobedientiâ felicitatem amitterent: idem Ægyptiacæ synagogæ persuasit, ut jugum legitimæ inter homines potestatis excuterent, arbitrióque suo vivere vellent, ac regi.

II. Lutheri adversùs superiores quoslibet rebellio.

Istius spiritûs impulsu Lutherus librum vulgavit de captivitate Babylonicâ: ubi generatim adversùs potestatem omnem, tum sacram, tum civilem, invehitur. Eâdem vi actus edidit libellum adversùs falsò nominatum Ordinem Episcoporum: & in responso ad edicta Cæsarea Caroli V. ausus est *Principes appellare deliros, fatuos, mente captos, impudentes tyrannos*; prorsùs ut de Antiocho quopiam Epiphane, aut Tryphone, non de Christianis hominibus scribere videretur. Hujus buccinæ ferali sonitu exciti rusticani, bellum in dominos movêre, & Germaniæ partem magnam concussêre, ob quod bellum quia doctor novellus in invidiam vocabatur, retractationem edidit, & pro Principibus ac magistratibus civilibus scripsit, sentiendi & dicendi vertumnus. Perstitit nihilominus in obstinatâ rebellione adversùs Summorum Pontificum auctoritatem, Canones sacros exurendos curavit, à Pontifice provocavit ad Concilium, à Concilio ad seipsum, ut Exc. ad c. 4. sect. 6. diximus.

III. Quis de illa Calvini sensus?

Calvinus, etsi minus concitato impetu ferretur, continere tamen sese non potuit, quin scriptis suis varia potestati civili vel disertè adversa, vel occultè contraria, inspergeret. Hujusmodi illud est l. 4. Instit. c. 20. v. 1. quod, quia Latina ejus editio ad manum non est, ex Gallico sermone reddam: *Libertas in Evangelio promissa, quæ Regem & dominum in hominibus non agnoscit: sed Christo soli adhæresit.* De obedientiâ vero, Ecclesiæ ejusque capitibus debitâ, omninò pronuntiat, conscientiam illâ obligatam non teneri; Deo illam non deberi; soli deferendam exteriori gubernationi; magisque ad decorum spectare, quàm ad justum; ritibusque accensendam, non legibus, eumque in finem, ut cæremoniæ observentur, adhiberi censuras & excommunicationes, id est submotiones ab exteriori participatione communium.

IV. Quomodò ubi spiritus ibi libertas?

Erroris sui fundamentum Calvinus posuit libertatem in Evangelio promissam? Lutherus in hac Paulli 2. Cor. 3. sententia fixit, *Ubi spiritus, ibi libertas.* Quæ autem, inquiunt, ea libertas est, si humanæ regulæ, legésve, conscientiam nostram obligatam tenent? Sed absit, ut Christus obedientiæ Magister, Paullus obedientiæ commendator, tale libertatis portentum publicârint. Erat legis Mosaicæ jugum importabile humeris plurimorum, ut Act. 15. Petrus in Concilio dixit: *Sarcina innumerabilium observationum*, quomodò loquitur Aug. serm. 9. de ver. Dom. crassam & animalem Judaicam plebem arctabat: enumerabantur affirmativa præcepta ad numerum dierum anni unius 365. negativa ad numerum ossium humanorum 318. Ita vulgò recensuêre. Hanc libertatem Christus spopendit, Paullus prædicavit, ne Judæi Christianos opprimerent in servitutem, inquit Guil. Paris. lib. de leg. Libertas altera, quâ Christus nos liberavit, a peccato est: qui enim facit peccatum, servus est peccati. Tertia libertas, impotentium affectuum & passionum tyrannidem excutit: *Ubi enim spiritus, ibi non tantùm libertas* est à peccando, sed etiam ab incentivis occasionibusque peccandi.

V. Quid de obedientia, hominibus debita, sentiat Paullus?

Itaque, ad insanam illam ab obsequendi necessitate libertatem, Ægyptios excivit Antichristi spiritus, non spiritus Christi. Quod ut evidentiùs appareat, aliquot de multis Scripturæ sententias consulamus. Omitto legis Mosaicæ edictum Deut. 17. v. 12. ubi, quisquis Pontifici aut Judici obedire noluerit, jubetur interfici; quæ utique pœna nisi crimini non infligitur. Illum ipsum libertatis prædicatorem Paullum audiamus Rom. 13. *Omnis anima*, Lutheri etiam & Calvini, *potestatibus sublimioribus subdita sit*, sive ea sublimitas sacra sit, seu civilis. *Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt*; ut Deo, in homine quovis legitimè jubente, deferatur, & debeatur obsequium. *Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, non humanâ modò sententiâ, sed Dei, cujus ordinationi refractarii sunt. *Ideò necessitate subditi estote, non tantùm propter iram*, metu vindictæ

aut

aut supplicii, justâ hominis irâ infligendi: *sed etiam propter conscientiam*, homini potestate legitimâ utenti obstrictam.

VI. Quod mobedientibus comminetur supplicium?

Scripturæ sententias aliquot modò promittebam: sed frustra fuerint descriptæ ex 1. Thess. 4. ex Heb. 13. ex Act. 15. post ista tam manifesta, & significantia, Paulli verba: quibus si Ægyptii fratres non percelluntur, supplicium caveant rebelli Core, seditiosisque sociis, divinitùs inflictum. Describitur eleganter ab Ambrosio ep. 25. ad Eccl. Vercell. ubi pro eligendo Episcopo factiones eruperant: *Immugiens terra in medio plebis scinditur, abripiuntur noxii, & ab omnibus hujus mundi ablegantur elementis; ut nec aerem haustu, nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulcro.* Indignos cælo sese fecêre, qui obtemperare detrectant: quia ordinatissimi motus cælorum sunt, & siderum. Elementis digni non sunt: quia superiorum influxibus inferiora reguntur. Sola ipsis convenit inferorum sedes, ubi nullus ordo, sed sempiternos horror inhabitat. Quamquam apud inferos quidpiam ordini non absimile videtur inveniri: quando potentiori dæmoni impotentior, minorque, obsequitur. Ut si quid inferis inferius, & deordinationis regno deordinatius uspiam foret, illuc inobediens, dehiscente terrâ, demergendus videretur.

VII. An Catholici multis ab Ecclesia legibus onerati?

At verò, inquiunt, quis jugum illud canonum, & decretorum, & bullarum, & censurarum ferat? Plura dierum numero præcipiuntur: plura ossium multitudine vetantur: multiplicantur in dies decreta, & pœnæ. Quod ipsum questus Augustinus ep. 119. ad Januarium, ubi post inventionum præsumptionumve humanarum exempla adducta, ait, sic illis onerari Catholicos: *ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui, etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur.* Sic disputaverit forsan Ossanorum aliquis. Sed respondero primùm: humanas non esse præsumptiones Ecclesiastica præcepta, cùm à rectè ordinata potestate proficiscuntur, ut modò Paullus commonebat, & in eadem epistola loquitur Augustinus; à quibus præceptis quicumque alieni sunt, *caussam odii in seipsis habent*, inquit Salv. lib. 4. ad Eccl. *omne fastidium non in præcepto legis, sed in moribus suis.* Deinde dixero: ad universam Catholicorum multitudinem pertinere pauca omninò præcepta: illam autem legum, & canonum silvam ad alias, atque alias hominum classes spectare, ad quas nemo invitus adlegitur, atque adeò invitus nemo legibus istis adstringitur.

VIII. Jugum leve est volentibus.

Sed, posteaquam sponte in ejusmodi vitæ apud Catholicos institutum sese induit, det operam, ut quod semel voluit, semper velit. *Ante omnia caveamus*, inquit Eusebius Gall. hom. 8. *ut, quod nobis agere necesse est, non agamus inviti.* Nam, quomodò ait Salvianus lib. 4. ad Eccl. *Totum durum est, quidquid imperatur invitis*: & lib. 2. de Prov. Isthæc *non omnibus sunt onerosa tolerantibus, sed tolerare nolentibus. Sive enim hæc gravia, sive levia, animus tolerantis facit. Nam sicut nihil tam leve est, quod ei grave non sit, qui invitus facit: sic nihil est tam grave, quod non ei, qui id libenter exequitur, leve esse videatur.* Quare obsequendi studiosus non modò non tergiversabundè jussa excipiet, sed ultrò anteveniet. Ita levem sibi sarcinam fecit D. Epiphanius, postquam sese in Crispini Ticinensis Episcopi, decessoris sui, potestatem ac disciplinam tradiderat. Sic enim de illo loquitur in ejus vita Ennodius: *Cujus manifestè quidquid optâsset fieri, ante jussionem suam videbat Crispinus impletum. Præsentiunt enim bonæ mentes eorum imperia, quibus cum integritate famulantur.*

IX. Antevenit imperia obediens.

Non exspectat jussa perfectum obsequendi studium, sed occupat: & ut occupare possit, explorat, quà potest, moderatoris sui voluntatem; vocúmque articulos, & nutuum indicia, propensionumque observat. De obedientia Deo debita scribit Tertullianus lib. de Exh. cast. *Cum in hoc probetur nostra erga Deum mens, an ea volumus, quæ cum voluntate ipsius faciunt; altè & impressè recogitandam esse dico Dei voluntatem, quid etiam in occulto velit.* Sic erga illos etiam nobis agendum est, qui Dei vicem imperant: altè & impressè recogitandum, quid etiam in occulto velint. De se dicebat Psalmista: *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Cernimus quotidie jumenta, ad obsequendum exercitata, ita sessoris sui voluntati parere, ut præsentiscere videantur: idque eò facere proclivius, quò nobiliora & generosiora sunt. Quò excelsior est animus hominis obedientiæ addicti, eò propensiùs ad obtemperandum fertur, prævolatque imperiis. *Obedientia* enim, ut ait Eusebius hom. 3. ad mon. *in junioribus adhuc necessitas, in senioribus verò, & provectioribus gradu, meritove, dignitas.*

X. Promptè jubentem exequitur.

Si tamen obsequiosa mens jubentis animum scrutari, præceptúmque antecurrere, nequit: id saltem præstabit, ut simul illud audierit, vel acceperit, tantâ promptitudine exequatur, quantâ flectitur navis in tranquillo, ad quemlibet gubernaculi motum. Huic promptitudini commendandæ prodigia non pauca referuntur, quibus Deus testatus est, quàm sibi jucundum sit, caussâ suâ, homines hominibus esse sine cunctatione & tergiversatione morigeros. Unum, non passim cognitum, recitat Raderus noster Bavariæ sanctæ tomo 3. B. Fredericus, ex D. Augustini religioso instituto monachus, dum in cella vinaria de dolio vinum in obbâ hauriret, subitò per superiorem vocatus, obediendi studio protinus accurrit, fluentis dolii immemor, epistomiumque gestans cingulo appensum. Id ut superior animadvertit, continuò cucurrit ad cellam, invénitque aperto canale nihil prorsùs liquoris profluere. Qui sub obedientis Petri, & Mauri plantis aquas duraverat, idem ad monachi obedientis nutum vina defixit: & qui aures ipsi ad imperantis vocem aperuerat, idem os dolio clausit.

XI. Quamdiu voluntas superioris ignota est, suam habet suspensam.

Quid autem fecerit obediens, si superioris sui voluntas comperta esse non potuit? Interim animi pendeat, & velut in bilance suam ipse libret voluntatem, donec de illa constiterit. Altiora navigia velis tantùm aguntur, ventosque ad motum exspectant; minora, remis impelluntur. Quò quis hominum virtute major est, eò magis ab alieno moderatorum impulsu regitur: de vulgo homines promovent ipsi sese, & concitant. Dicebat Petro Christus Joan. 21. *Cum esses junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget.* Tenerior, & adolescentior, virtus multa impetu agit: adultior, & maturior, quæ licèt nihil faciat nisi obsequio. Talem narrat Sacchinus Petrum Canisium Vitæ lib. 2. qui, rogante Othone Truchsesio Augustano Episcopo Cardinale, ut Augustæ tam necessario tempore maneret, hoc unum respondit: *Faciam quod superiores volent.*

Qui,

Qui, cùm provinciam regeret, decretos sibi à consiliis, gravioresque Patrum alios consultos, viam inibat exercendæ obedientiæ. Nam sic ejusmodi erat similior parenti, quàm jubenti, quando consilia sequebatur: ut idem Sacchinus lib. 3.

XII. Affectus exuat, qui promptè vult obtemperare.

Ad tantæ sublimitatis gradum numquam ascendet, qui sese priùs non exuerit rerum omnium supervacuo, extra Dei voluntatem, affectu. Quo enim pacto suspensam, velut in libripende, mentem teneat, si ad partium alteram desiderio, vel amore, urgetur? Narrat Spondanus ad annum 1278. Petrum Joannem Olivi, ex Minorum ordine, cùm tractatus quosdam de Virgine scripsisset, quibus eam ultra modum efferebat: eos Præpositi sui Generalis jussu manibus ipsummet suis in ignem conjectos exussisse, affirmasseque, plus sibi voluptatis in illis pro ingenii sui modulo lucubrandis non fuisse, quàm in comburendis ex Prælati imperio. Fuit hic Prælatus postmodùm Pontifex Maximus Nicolaus IV nomine, fassusque est, quando de Petri doctrinâ fortè coram ipso agebatur; illum non tam errasse, quàm nova scripsisse, jussumque igni tractatus suos damnare, non tam in pœnam, quàm ut luxuriantem ingenii subtilitatem circumcideret. Sacchinus libro 3. vitæ Canisii, narrat, Canisium Everardi Mercuriani Præpositi Generalis jussu à scribendo destitisse, tomisque de D. Virgine & D. Joanne tertium de D. Petro non addidisse: ait, tantam obedientiæ promptitudinem fuisse *monumentum, quodcumque stylo adere potuisset, admirabilius.* At certè longè illud admirabilius fuit, non modò à scribendo destitisse, sed scripta jam & lucubrata, & luci parata, flammis incunctanter, imò cum voluptate, abolere.

XIII. Considerante Dominum videntem, & jubentem.

Quantæ voluptati sint ingenii partus, novère, quicumque diligunt veritatem. Iidem noverunt, quanto dolori sit eorum jacturam facere: quid autem propriis manibus eos ad interitum impellere, velut Isaacum Abrahamus? Voluptas obedienti illi scriptori in re tam difficili non fuisset, nisi affectum à rerum quarumvis extra Deum amore jam pridem abduxisset: neque enim sine dolore relinquitur, quod cum amore possidetur. Accessit ad jucunditatem spectaculi, quòd holocaustum arsit in monte Moria, in loco *Dominus videt*, Dominus jubet. Quisquis incunctanter, libenter, jucundè obedire vult, Dominum videntem attendat, Dominum jubentem audiat. Equidem jubet Dominus, & videt Dominus: mandator idem, & exactor mandati: testis obedientiæ, inobedientiæ vindex. Itaque meritò Ephesios monebat Paullus cap. 6. ut obedirent *dominis carnalibus, sicut Christo . . . servientes sicut Domino, & non hominibus:* idemque Colossenses docuit cap. 3. De obedientiâ epistolam habes S. Ignatii nostri, inprimis sanctè & solidè scriptam. Illius virtutis modum, & encomia, in Samuele luculentè exhibet Mendoza noster tomo 2. in libros Regum. Mihi sufficerit obediendi necessitatem Ægyptiis fratribus breviter demonstrâsse: perfectionem Hierosolymitanis, ex observationum aliquarum nostrarum umbra, delineâsse.

SECTIO SECUNDA.

Ecclesiasticorum de festis præceptorum observatio.

I. Rectè festa ab Ecclesia imperantur, rectè servantur.

ISTIS generatim pro obtemperando præstitutis, gradus ad Ecclesiastica præcepta quælibet, ad festorum nominatim dierum observationem, facilis est. Cùm enim ligandi atque solvendi potestas Petro, successoribusque, collata sit, ut ex Christi promisso Matth. 16. constat: cùmque etiam terna esse constet ligaminum, vinculorùmve genera, leges, culpas, pœnas; ad quæ vincula ex æquo Petri potestas extenditur, quemadmodùm & Christi generale promissum: Inde consequitur, à Petro, à successoribus, ab Ecclesiâ obligari Christianos posse ad observationem festorum. Rectè itaque ut ait, à Calvino appellatus *fidelissimus antiquitatis interpres*, Augustinus serm. 203. de temp. *Festa Ecclesiæ colunt, qui se Ecclesiæ filios recognoscunt:* sive ea festa sint, quibus Sanctorum quorumdam celebriorum recolenda memoria proponitur: sive ad beneficiorum divinorum commemorationem pertinent, ut loquitur August. lib. 10. de Civ. c. 4. *Deo beneficiorum ejus, solemnitatibus, festis, & diebus statutis dicamus, sacramusq, memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio.*

II. Alia divini juris sunt, alia humani.

Sed antequam de festorum fine, cultusque modo ac ratione, dicamus: eorum variæ classes signandæ, & genera partienda sunt. Partiri autem genera possumus, vel ex jure, vel ex titulo, vel ex tempore. Divini enim alia, alia humani juris sunt. De his Ægyptia synagoga nobis quæstionem movit; jam satis absolutam, postquam ostendimus, humanæ potestati obtemperandum. Divini juris apud nos est Dominica dies; cujus observatio cùm à Christianis abhinc secula quinque valdè negligeretur, lapsam illi commendandæ de cælo epistolam Hierosolymis, ad altare S. Simeonis in Golgotha, delatamque ad Innocentium III. atque ab eo publicatam, & anno proximè sequente portatam in Angliam, per Eustathium quemdam sanctum Abbatem; ad cujus conciones miracula multa patrata sint, refert Spondanus an. 1200. ex Rogerio, verbatim epistolam recitante. Sed nos, cum Spondano, fidem literarum istarum cælestium auctori relinquimus. aliisque literis, ac monitis, quàm Apostolicâ traditione, Dominicam diem divinitùs sancientibus; non egemus. Divini item juris sunt quædam festorum præcipua, humani cætera: qua de re Baronius ad annum 58. ubi existimat, festorum de Sanctis Martyribus institutionem ab Apostolis esse: de Confessoribus postmodùm ab Ecclesiâ inductam. Apud Judæos olim generum itidem duorum festa fuêre: divinæ legis mandato imperata, ut Paschæ, Tabernaculorum, Pentecostes: humano præcepto sancita, ut dies Phurim seu Sortium, Encæniorum, Nicateriorum.

III. Festorum apud Christianos tituli tres: unus olim apud Judæos solum. Cur his non fuere festa Angelorum.

Ex titulo triplex festorum genus est. Nam Deum alia directò spectant, quædam Deum-hominem, Sanctos cætera. Ad Deum pertinent Dominicæ, seu Domini dies, in Sabbatorum vicem substitutæ. Deo-homini sacratæ sunt dies Nativitatis, Resurrectionis, aliæque. Sanctorum titulo dedicatæ sunt, quæ ad D. Virginem, Beatosque Angelos, aut homines, referuntur.

Generum

Generum istorum unicum apud Judæos fuit: quia nondum factus erat Deus-homo: neque homines adhuc beatitudinis æternæ compotes erant, festosque adeò ipsimet dies non agebant. Angelis autem, etsi beati erant, illos tamen diei sacræ honores deferri non expediebat; eamdem ob caussam, propter quam ignotum Deus esse sepulti Moysis locum voluit. Prona enim ad superstitionem Hebræa natio, & Ægyptiorum, apud quos adoleverat, imitatione ad idololatriam facilè lapsura, si Mosis tumulum novisset, divinos illi honores deferre voluisset. Ita si Angelorum titulo, Mosaicâ lege, solennium dierum indicta fuisset celebritas; sacrificiorum illis, cæterorumque honorum divinorum, offerendorum, occasionem inde Hebræi arripuissent.

IV.
Genera festorum à ratione temporis.

Festorum apud nos, à temporis modo, alia mobilia dicuntur, quæ certo anni diei affixa non sunt: alia immobilia, quæ eumdem semper anni diem tenent. Immobilibus Dominicas dies aggregamus: quæ licèt statum semper anni diem servare non possint, aptantur tamen ad Solis cursum, mensiumque & hebdomadarum, non lunarium, sed solarium. Apud Hebræos, sabbatorum septimo quoque die recursus fiebat ad anni solaris modum: atque adeò illa, Dominicarum nostrarum instar, immobilibus festis accensenda erant. Dies autem Paschæ, Pentecostes, aliique, ad Lunæ cursum aptandi, æquè mobiles erant ac lunæ ipsæ, per intercalationes triennales nunc promovendæ, nunc retardandæ. Sic olim apud Romanos superstitio, religionis æmula, festorum varia tempora induxerat, teste Macrobio lib. 1. cap. 16. *Stativæ feriæ* dicebantur, quæ immobiles erant, certoque anni diei defixæ. *Conceptivæ feriæ* erant, quæ statum anni diem non habebant, sed Pontificum arbitrio conceptum ac designatum. *Intercisi dies* appellabantur, semifesti: *profesti* erant, quos dicimus operosos.

V.
Fines Judaicorum festorum generales primarius, quies animi in Deo.

Quorumcumque festorum, quovis jure sancitorum, quovis titulo institutorum, quovis tempore celebrandorum, fines generales bini sunt, animi & corporis quies. Eos fines Sabbati appellatio, septimæ diei indita, significat. Animi autem quies, finis primarius, in eo est, ut humana mens in Deo, perquem & ad quem condita est, acquiescat: sicut Deus in semetipso, post universi conditionem, conquievisse dicitur. B. Eugenius junior, in additamento ad Dracontii Hexaëmeron, rationes afferens, cur septima dies sit dicta Requies, sive Sabbatum, hanc non omisit. Versus illius, & Augustini sententiam, quam secutus nobis videtur, reperies l. 1. c. 2. ad v. 39. ubi dicimus quidpiam de sabbatismo spirituali.

VI.
Secundarius finis generalis, quies corporis.

Finem alterum generalem, quietem corporis, apertè indicat Deus, tum alibi passim, tum Deut. cap. 5. *Septimus dies Sabbati est, id est requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, servus, & ancilla, & bos, & asinus, & omne jumentum tuum, & peregrinus, qui est intra portas tuas: ut requiescat servus tuus, & ancilla tua, sicut & tu. Memento, quòd & ipse servieris in Ægypto*; adeoque & ipse expertus sis, quàm labore fatigetur corpus, quamque alterna quiete indigeat. Itaque non profani solùm sapientes, quomodò recentior quidam censere videbatur, festa quieti corporum inventa dixêre: sed Scriptura divina idipsum apertè pronuntiavit. Plato apud Clementem Alexan. l. 5. Strom. aiebat, humano generi, ad labores nato, deorum misericordiâ indictos dies festos, ut interdum à laborum assidua contentione respirarent. Vitam enim, sine festorum alternatione, longam esse sine diversoriis viam; ut inquiebat Democritus. *Legum conditores*, inquit Seneca lib. de Tranq. sub finem, *festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publicè cogerentur: tamquam necessarium laboribus interponentes temperamentum.* Sic profani dixêre, non profanè tamen: quandoquidem Deus ipse ore Moysis, & calamo, Sabbata præscribat, ut requiescant herus simul & famulus, hera pariter & ancilla.

VII.
Particulares fines, beneficii memoria, aut mysterii celebratio.

Ad fines illos generales accessêre fines quidam alii singulares, pro ratione festorum. Vel enim beneficium aliquod præcipuum, Fidelibus publicè collatum, recolendum fuit: vel commendandum peculiari celebritate quodpiam divinitatis, religionisve, mysterium. Ad gratæ acceptæ in Ægyptiaco egressu memoriam, festum Paschæ, transitûsve, institutum est: ad ducatûs præstiti, mannæque in solitudine præbiti monumentum, Tabernaculorum dies destinati sunt: ad pœnitentiæ & lustrationis commendationem, indictus Expiationum dies celeberrimus; Tubarum item dies, ad cultûs divini renovationem significandam, atque excitandam. Ritus illos exhibet cap. 23. liber Levitici. In hisce Machabæorum libris Nicanoria indicuntur, ad obtentarum divinitùs victoriarum commemorationem: Encænia præscribuntur, ad divini cultûs innovati monumentum, simul ad Templi religionem sanctimoniamque commendandam.

VIII.
Christianorum festorum fines.

Hebræis isthæc sancita sunt: Christianis, ad quietem animi ac corporis, plura decernuntur, eademque augustiora longè tum ad gratitudinem, tum ad pietatem. Dominicæ omnes memorando creationis beneficio, & beatæ resurrectionis spei, destinantur, ut Ambrosianus Dominicarum hymnus concinit. Nascentis, Resurgentis, Ascendentis Christi dies beneficia simul, & mysteria, recolunt: dies itidem Pentecostes, Ven. Sacramenti, aliique. Festa, D. Virginis, Angelorum, Sanctorumque titulis dedicata, eosdem pronùs fines habent. Iis enim id primùm agimus, ut Deo, pro beneficiis in ipsos liberaliter profusis, gratias debeamus: deinde, ut ad divinorum mysteriorum ipsis vel cognitorum, vel frequentatorum, venerationem excitemur. Huc pertinet, quod Naz. ait orat. 16. ad cultum Martyrum festa instituta: & quod Aug. lib. 2. con. Faus. *ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum societur, atque orationibus adjuvetur* populus Christianus: & quod Bern. serm. in vig. SS. Petri & Pauli dicit, spectari in Sanctorum festis, *auxilium Sancti, exemplum ejus, confusionem nostram.*

IX.
Servilia opera ad eos fines vetita, & plexa.

Ex hisce instituendorum festorum finibus, de facili conficitur ratio transigendorum. Ante omnia, quod Judæis olim præscriptum, *Opus servile non facietis in eo*, idem Christianis edictum est, ut, feriante à laboribus corpore, mens quietior in Deum intendere, sanctumque otium agere possit. Apud Judæos legis istius violatio capitalis fuit, publicoque lapidationis supplicio sancita. Apud Christianos mortis pœnâ sublatâ, & in pecuniariæ mulctæ obligationem mollitâ, manet tamen reatus criminis, quod si pœnitentiâ hîc non expietur, divinam alibi ultionem expectabit. Quamquam hic etiam Deus interdum, ad salubrem publicè terrorem, damnis, morbisve, irreligiosos festivæ quietis transgressores punivit. *Ignosci enim*, inquit Salv. l. 5. de Prov.

aliquatenus

aliquatenus ignorantia potest, contemptus veniam non meretur. Sic apud Florimondum Ræm. Antich. c. 38. fabro cæmentario contigit, opus quoddam in ædibus suburbanis caussidici Burdegalensis molienti, idque die D. Joannis continuanti. Cùm enim ab advocato monitus, tantisper cessisset, eo tamen abscedente opus resumpsit, moxque in comitialem morbum, quem Burdegalenses vulgò S. Joannis morbum appellant, incidit, horrendéque ululare cœpit: etsi anteà numquam eo morbo tentatus fuisset, viribusque integerrimis polleret. Non absimile quidpiam perhibuêre nuper de Japone Christiano narrationes anni vicesimi quinti. Solenni die, frustra dehortantibus amicis, lignatum ivit, alteroque securis ictu digitum sibi abscidit, parumque ex vulnere abfuit a mortis periculo, sapientior exinde & sanior. Ad annum nuper quadragesimum nonum agricola quidam Tirvillanus, propè Virdunum, Dominicâ mergites demessos carro ivit impositum, contra disertam prohibitionem. Cùm carrum secundo tertióve mergite oneraret, repentè mortuus concidit. Ita in Opere manuali scribit P. Blancus è Societate nostrâ, qui tunc Virduni agebat, & de narrationis veritate accuratè quæsivit, attonitâ ad casum viciniâ omni regione.

X. *Festis, cavenda præcipuè servilia peccatorum.*

Jam verò, si externis illis servilium operum laboribus per festos dies abstinendum est: multò ampliùs ab istis cavendum operibus, quæ internæ & spiritualis servitutis sunt. Ob hoc enim ipsum illa sunt prohibita, ut diligentem ab istis continentiam doceamur: neque idcircò duntaxat otium indicitur, ut corpus conquiescat; sed ideò præsertim, ut in Deo tranquilla sit, & quieta mens, quod esse sincerè non potest, nisi sese à peccando continuerit. Aberrant itaque maximè à ratione festorum Christiani, qui per commessationum insanias, aliasve indignas & indecoras relaxationes, transigunt. Licet equidem tunc aliquid lætitiæ indulgere, idque vel ex Tertulliano disco in Apologetico, *Si diem Solis*, id est Dominicam, *lætitiæ indulgemus, alia longè ratione, quàm religione Solis.* Ea tamen recreatio corporis post mentis cultum poni debet; & intra modestiæ ac temperantiæ Christianæ limites sumi. Alioqui Christiani ab Augustino idem, quod Judæi, audient, tract. 3. in Joan. à nobis etiam adducto ad l. 1. c. 2. v. 39. &c. *Judæi serviliter observabant diem Sabbati ad luxuriam, ad ebrietatem. Quantò melius feminæ eorum lanam facerent, quàm in Neomeniis saltarent? Absit, fratres, ut illos dicamus observare Sabbatum. Spiritualiter observat Sabbatum Christianus, abstinens se ab opere servili. Quid est enim ab opere servili? A peccato. Et unde probamus? Dominum interroga. Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Libro itidem de 10 chordis, *Melius*, inquit, *faceret Judæus in agro aliquid utile, quàm in theatro seditiosus existeret. & melius feminæ Judæorum domi lanam facerent, quàm totâ die in Neomeniis impudicè saltarent.* Tantumdem, opinor, Christianis nonnullis, viris ac mulieribus, per potationum, rixarum, saltationum omniumque ludorum licentiam festos dies agentibus, Augustinus hodie dixerit, si redeat.

XI. *Præceptum audiendi Sacri. & cur?*

Nec sufficit Christiano per festos dies malis operibus abstinuisse, nisi etiam bonis sese addixerit. Inprimis Ecclesiæ præceptum notissimum est, ut Sacro Fideles intersint. Cùm enim idcircò præcipuè festa instituta sint, ut Deo vacetur, ejusque cultui religio ac pietas impendatur: non potuit Christianæ pietati excelsius quidquam augustissimo sacrificio imperari. Nam pretii immensi victima Numini offertur, æquaturque ipsius majestas; & vilitas offerentis compensatur, doni magnitudine. Præterea, cùm beneficiis divinis recolendis festa dicata sint: non poterat id fieri commodiùs, & efficaciùs, quàm Eucharistiâ, gratiis agendis destinatâ, gratiarumque omnium fontem continente, unde beneficia cælestia in hominum quoslibet ubertim manavêre.

XII. *An audiendi verbi divini præceptum sit?*

Ad religionem proximè pertinet verbi divini auditio: quam aliqui à Concilio Tridentino indictam existimavêre, cùm sess. 5. de ref. cap. 2. tum præsertim sess. 24. c. 4. ubi gravibus verbis necessitas ad populum dicendi, & dicentes audiendi, commendatur. Ea necessitas, quia mihi jam pridem usu cognita est: lubens in illorum sententiam irem, nisi contra opinantium multitudo, & consuetudo, obsisteret. Esto ergo istud consilii tantùm: donec populi Christiani Patribus de præcepto statuendum videatur. Quod equidem optârim, in Dominicas saltem dias, festásve solenniores præscribi: nisi legitimi impedimenti ratio gratiam legis faciat. Hoc enim pacto multi de plebe, sciendorum prorsus ignari, & salutis suæ immemores, ad audiendum ac discendum cogentur, vel peccandi metu, vel pœnæ mulctæve, ab exactoribus legum infligendæ, formidine. Nam, ut ait Ambr. ep. 25. ad Eccl. Vercell. *in consilio utilitas est*, quâ non omnes capiuntur, *in præcepto laqueus*, quo comprehenduntur universi. *Consilium invitat voluntarios: præceptum stringit etiam invitos.*

XIII. *Festos dies decent opera caritatis.*

Consilii præterea fuerit, per dierum festorum lætitiam in opera caritatis incumbere. Christi exemplo, quem sabbatis ægros sanâsse legimus, ad Pharisæorum usque invidiam. Ægri visitentur, quibus commodum est: stipes liberaliùs effundantur, quibus promptum est. Mittantur partes egentibus: ut non ipsi modò festis conquiescamus, sed opis etiam aliquid, ad aliorum quietem, afferre conemur. Narrat scriptor vitæ Alexandri Luzzagii: illius patri vicum fuisse in agro Brixiensi, cujus incolæ rusticani consuêssent, Divi tutelaris festum per saltationes indecoras, ludósque infrunitos, agere. Pravæ consuetudini emendandæ, docendisque agrestibus dierum festorum sanctitatem; Alexandrum illuc, eo die, nobilibus quibusdam Brixiensibus comitibus, concessisse, & palam cum illis pauperes collegisse, ad mensam invitâsse, invitatisque ministrâsse. Sic olim agapas suas, & convivia, celebravêre Christiani, advocatis in partem pauperibus: ut sacros dies conjunctâ religioni sacratissima caritas sacratiores efficeret; operum etiam servilium, pro miserorum solatio, licentiam facilè datura, ubi necessitatis ratio appareret. Neque enim minùs aliena necessitas, quàm nostra, præstandarum quovis die, aut exigendarum operarum, facultatem concedit.

XIV. *Sunt magis nos & perfectiores æterni festi.*

In hisce vitæ mortalis feriis intercurrunt non pauca, ob quæ, tum nostrâ, tum alienâ caussâ, corporis quietem aliquando interrumpere oporteat: intactâ interim, & integrâ semper, quantum per rerum temporúmque vicissitudines licuerit, animi quiete. At in illis immortalis vitæ feriis, cujus hæ prægustus quidam, & specimen sunt, cum æterna quieta mentis, erit eadem imperturbata corporis quies. Nulla illic tenebit, nisi diligendi Dei, necessitas: perpetua dabunt ab opera omni servili, & à peccato quovis,

&c. *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet.* Confeſſionem autem vocat Scriptura generaliter, *quidquid manifeſtè, ſicut creditur, enuntiatur*, ut ait Auguſtinus q. 9. in Matthæum; ubi illa Matthæi & Lucæ verba profert, explicatque illud confeſſionis nomen, propter ſimpliciores fratres, qui percutiebant pectora ſua, quando vocabulum illud à Lectore pronuntiatum audiebant, quaſi ſemper confeſſionem peccatorum ſignificaret. Confeſſi ſunt Chriſtum Apoſtoli, manifeſtum illum ſicut viderant enuntiavêre, teſtimonium de illo perhibuêre: quia *ab initio* fuêre cum illo. Nonne & nos *ab initio* cum Chriſto ſumus, ſi genus noſtræ primordia intueamur, jam inde ab Apoſtolicis temporibus Chriſtianæ? Nonne *ab initio* vitæ noſtræ ſumus cum Chriſto, eodem die regenerati quo nati, Chriſtiani antè fermè quàm homines? Nonne *ab initio* ſaltem vitæ melioris cum ipſo ſumus, ſalutis noſtræ reparatore, qui nos fecit, non hoſpites & advenas, ſed *cives familiarum?*

XV. Docere debemus, aut ſaltem dedi- diſſe Chriſti legem.

Perhibeamus itaque, pro gradu quiſque noſtro teſtimonium Chriſto, quemadmodum Apoſtoli. Si Chriſtianam doctrinam prædicare aut explicare non potes in corona, at potes in familia: ſi neque hoc potes, illam ſaltem profitere, &c. ut protueäris, calle. Scribit Auguſtinus ep. 67. Alipio ſeni, de Dioſcoro Archiatro, qui quod poſt baptiſmum *ſymbolum non tenebat, vel tenere forſan recuſaverat*, paralyſi omnibus fermè membris ſolutus eſt. Chriſtianus credendorum ignarus, agendorum ſimul impotens erit: paralytica fiet. & ad rectè commovere ſeſe voluntas non poterit, ſi communibus ſaltem fidei decretis, & præceptis, intellectus ſeſe informare neglexit. Neque enim voluntas feretur ad incognitum: & Chriſtus tam indignâ ſocordiâ offenſus, qualis heu nimis ſæpè in Chriſtianiſſimis etiam civitatibus deprehenſa eſt, beneficiorum ac gratiarum ſuarum, ad excitandam hominis ſolertiam neceſſariarum, ubertatem reſtringet.

XVI. Miracula lubentes audire, & narrare.

Miracula hodie ampliùs firmandæ fidei exigenda non eſſe, docuit Gregorius hom. 29. in Evangelia. Quemadmodùm enim aquam arboribus, recèns in terram depactis, affundimus; poſtquam radices egêre, & ævum firmavêre, ab irrigatione ceſſamus: ita naſcentis Eccleſiæ incrementa miraculis provocata, quorum auxilio ampliùs non egeat, poſtquam radicata eſt, ætatemque duravit. Sic omninò res habet: neceſſaria amplius non erant, Chriſtianæ religioni ſtabiliendæ miracula; non deſiit tamé identidem illa Deus, Fidelium ſuorū ſolatio, pudori Infidelium operari. Hoc ipſo ſæculo conſpicua, & certa plurima, variis locis patrata ſunt, ut Exc. ad c. 1. ſect. 4. ſcripſimus: verumque adhuc iſtud Chriſti eſt, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Eorum, qui credunt, nonnulli, Eccleſiæ univerſæ nomine, opera divina faciunt: cæteri, quibus id non datur, illa lubentes audiunt, læti commemorant, ut in ſe fidem excitent, in aliis augeant. Iiſdem enim fides adulta roboratur, quibus infans educata eſt: nec lactis reſpuit alimentum, etſi ſolido cibo utitur.

XVII. Exemplo Infideles ad fidem allicere.

Docere Chriſtianam legem, & patrare miracula, paucorum eſt. vivere, & mori, omnium eſt. *Vita autem vera æſtimatio*, ut ait Gregorius l. 1. dial. c. ult. *in virtute eſt operum, non in oſtenſione ſignorum. Nam ſunt plerique, qui etſi ſigna non faciunt, ſigna tamen facientibus diſpares non ſunt.* Satage, ut inter hos numereris: ſic mores inſtitue, *ut & doctrina tibi vita ſit*, quomodò ad Victricium Paulinus ſcribebat epiſt. 28. *& vita doctrina. Nam tu hoc traditum & formatum cæli beneficio, plus agendo populum inſtitues, quàm loquendo*, ut Ennodius ait, in dictione datâ Stephano vicario, pro Maximo Epiſcopo. De præſtantiſſima bonorum exemplorum vi, ad convertendos Infideles, quædam diximus ad calcem ſect. 4. Exc. ad cap. 1. Alii alia narravêre. Recentiora pauca perſtringo. Anglus hæreticus ſpectatâ Pii V. modeſtiâ, Ven. Sacramentum in ſupplicatione circumgeſtantis, &, quod Pontifices non conſuevêre, pedibus, decimo quinto poſt die ad pedes ejus accidit, hæreſimque ejuravit: ita in Pii V. vita perhibetur. Polonus ſenex, Lutheranæ ſectæ Miniſter, viſâ per Jubilæum anni 1575. Catholicorum pietate, Gregorii XIII. & Cardinalium erga pauperes ac peregrinos caritate, publicè in Baſilica D. Petri ad genua Pontificis abjectus, errores ejuravit, abſolutuſque, viſitatis ad Jubilæi conſecutionem templis, triduo pòſt, magno animi ſui ſolatio mortuus eſt: recitat Spondanus. Apud eumdem, hæreticorum multi, qui ad Jubilæum 1600. confluxerant, viſâ Clementis VIII. pauperum pedes abluentis, confeſſiones quorumlibet excipientis, officia divina celebrantis, caritate ac pietate, converſi: in his Stephanus Calvinus, affinis Joannis Calvino, quem Pontifex amore paterno alendum ſuſcepit: iſque poſteà Carmelitanum ordinem ingreſſus, religiosè vixit, & feliciter obiit. Narrat Allegambe in Biblioth. principem fœminam Polonam, Palatinam, Eliſabetham Radzivilam, ex Calviniana Arianam, ex Ariana Judæam, ſacræ Scripturæ, quam memoriâ tenebat, peritâ Catholicis doctoribus inſultantem, fidei Catholicæ denique nomen dediſſe, inſpectâ diu, proximo integerrimâ vitâ P. Benedicti Herbeſti Poloni, ex Canonico in Societatem noſtram adlecti.

XVIII. Et Fideles ad pœnitentiam, ac pœnitentiam.

Neque, ad Infidelium modò converſionem recta facta plurimùm valent; ſed ad Fidelium, quamvis obduratorum, reſipiſcentiam. Margareta Auſtriaca, ex Germania in Hiſpaniam ad Philippi III. nuptias proficiſcens cum matre, tanta Mediolani, & toto paſſim itinere, edidit virtutum exempla: ut Genuenſi cuidam civi à Societatis noſtræ ſacerdote narrata, illicò pœnitentiam ſuaſerint, & peccatorum omnium generalem Confeſſionem expreſſerint, quam antè pridem contumaciſſimè recuſaverat, ad peccandum pariter obſtinatus, & ad non reſipiſcendum. Tantum vita Chriſtiana potuit: quid ſi vitæ mors teſtis accedat? Quid ſi martyrium; aut, quia jam vix apud nos martyrio locus eſt, quid ſi martyrii vice accedat dolorum, contumeliarum, damnorum invicta patientia, quâ virtute inter omnes mirabilior nulla, nulla ad motum efficacior? Ad eam te compara, Chriſtiane, illâ Chriſtum & Apoſtolos ſequere: *Quid times*, inquit Auguſtinus ſerm. 112. de Martyribus agens, quibus nomen factum Maſſa candida, *viam duram paſſionum, & tribulationum? Tranſiit ipſe. Reſpondes fortè, ſed ipſe. Tranſierunt Apoſtoli. Adhuc reſpondes, ſed Apoſtoli. Reſpondeo tranſierunt poſtea & multi viri. Erubeſce. tranſierunt & fœminæ.*

CAPUT

CAPUT DECIMUM.

ARGUMENTUM.

Machabaeus, continuato victoriarum cursu consternatis adversariis, Hierosolymam cum suis ingreditur, disturbatisq; sacrilegis daemonum aris ac delubris, Templum emundat, sacrificia offert, & octo diebus Encania celebrat, in morem festi Tabernaculorum: communiq; suorum consilio, sancit agenda quotannis ab omnibus ubique terrarum Iudaeis. Antiochi Epiphanis filius, & haeres, Eupator Lysiam negotiorum publicorum administrum adsciscit: postquam Ptolemaeus vitam veneno abruperat, animi aeger; tum quòd proditiones ipsi saepè objicerentur; tum quòd de nimia jam erga nationem Iudaicam propensione apud Regem accusaretur. Gorgias Iudaeos infestat: hi duce Machabaeo Idumaeos invadunt, munitiones eorum capiunt, occurrentes ac resistentes trucidant variis locis, ad viginti facilè millia: alios, qui sese in turres duas, amplas valdè & munitas, receperant, obsident. Vrgenda obsidionis curâ Simoni fratri, aliisq; ducibus demandatâ, Machabaeus ad alias expeditiones properat. Sed nuntiato, effugisse obsessorum aliquos, corruptis pecuniâ quibusdam obsidentium, illicò regressus, sumpto de perfidis supplicio, munitiones expugnat, & in iis interimit plus viginti hominum millibus. Inter has Timotheo, exercitum numerosum ad Iudaea perniciem trahenti, Iudas, imploratâ suppliciter divinâ ope, obviàm Hierosolymis procedit. Commisso praelio cùm victoria penderet, caelitùs apparuêre hostibus equites quinque: quorum duo Iudam stipabant, tuebanturq;, & in illos fulmina, ac tela jaculabantur. Turbatis itaque mentibus & ordinibus, caesi, fugatiq;, periêre supra millia viginti & unum. Timotheus Gazaram, praesidium munitum, elapsus obsidetur. Obsessi, munitionis suae fiduciâ, Iudaeis probrosè insultabant: sed carò ipsis linguae petulantia stetit. Nam, quinto die, viginti promptioribus juvenum in muros eniti aggressis, caeteri exemplum secuti, pars scalis, pars per abruptas igne portas, praesidium irrupêre, biduoq; vastavêre, & Timotheum de latibulo protractum, Chareámque ejus fratrem praesidii praefectum, & Apollophanem occidêre: ad gratias deinde exercituum Domino, victoriae largitori, agendas conversi.

multitudinis: & congregato equitatu Asiano, advênit quasi armis Iudæam capturus. 25. Machabæus autem, & qui cum ipso erant, appropinquante illo, deprecabantur Dominum, caput terrâ aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti, 26. ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus, & adversariis adversaretur, sicut lex dicit. 27. Et ita post orationem, sumptis armis, longiùs de civitate procedentes, & proximi hostibus effecti, resederunt. 28. Primo autem solis ortu utrique commiserunt: isti quidem victoriæ & prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes: illi autem ducem belli animum habebant. 29. Sed, cùm vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cælo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: 30. ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant: in adversarios autem tela & fulmina jaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant. 31. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, & equites sexcenti. 32. Timotheus verò confugit in Gazaram præsidium munitum, cui præerat Chæreas. 33. Machabæus autem, & qui cum eo erant, lætantes obsederunt præsidium diebus quatuor. 34. At hi qui intus erant, loci firmitate confisi, supra modum maledicebant, & sermones nefandos jactabant. 35. Sed cùm dies quinta illucesceret, viginti juvenes ex his qui cum Machabæo erant, accensi animis propter blasphemiam, viriliter accesserunt ad murum, & feroci animo incedentes ascendebant: 36. Sed & alii similiter ascendentes, turres portasque succendêre aggressi sunt, atque ipsos maledicos vivos concremare. 37. Per continuum autem biduum præsidio vastato, Timotheum occultantem se, in quodam repertum loco peremerunt: & fratrem illius Chæream, & Apollophanem, occiderunt. 38. Quibus gestis, in hymnis & confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israël, & victoriam dedit illis.

COMMENTARIUS AD CAPUT DECIMUM.

Templi expurgatio.

℣. 1. usque ad ℣. [illegible] MACHABÆUS AUTEM, ET QUI CUM EO ERANT, &c. Narratur Judæ & sociorum adventus Hierosolymam, Templi expurgatio, populi lætitia, anniversariæ memoriæ indictio: quæ cùm l. 1. c. 4. v. 36. &c. usque ad finem fusè explicaverimus, ea nunc solùm edisseremus, quæ hujus loci propria sunt, in quæstiunculas digesta.

Quando recepta per Machabæũ Hierosolyma?

Ac primùm, quod v. 1. dicitur MACHABÆUS TEMPLUM, ET CIVITATEM RECEPISSE: An ea duntaxat recepit paullò ante expurgandum Templum? Videtur ex c. 8. suprà v. 31. 32. 33. statim à cæsis Timotheo & Bacchide Hierosolymam venisse Judas, eòque spolia contulisse, & epinicia illic egisse. Ex libri tamen primi c. 4. contrà videatur, post victum demum anno proximè sequenti Lysiam, Hierosolymam profectus, idque mihi credibile esse indicavi ad l. 1. c. 4. v. 39. ubi etiam suspicabar, ab Hagiographo libri secundi auctore narratum c. 8. Judæ ingressum Hierosolymam per anticipationem. Favet huic meæ conjecturæ epiniciorum festum, quod c. 8. v. 33. memoratur, neque aliud forsan fuit, quàm solennis de victoriis reportatis lætitia, gaudio de Templi expurgatione conjuncta. Si tamen magis tibi placuerit, duplicem Judæ adventum ad Hierosolymitanam urbem, & duplex festum gaudiumve statuere; eam sententiam expressam reperies tum in Serie historica l. 1. num. 39. 41. tum num. 31. 33. Synopseos hujus libri. Quidquid autem difficultatis objici potest, enodatum habebis ad l. 1. c. 4. v. 39.

Ignisne de lapidibus calitus exceptus?

Quæres secundò. Quomodò DE IGNITIS LAPIDIBUS IGNE CONCEPTO SACRIFICIA OBLATA? Gorionides ait, *Exiliisse ignem de lapidibus altari suppositis, eumq; ad tertiam usque captivitatem durasse*: ut scilicet numquam in Templo ignis sacer miraculo excitatus, ac divinitùs missus defuerit. Eam Gorionidæ conjecturam non improbat Serarius; rejicit Salianus, dicitque, in lapidibus ignitis nihil quærendum esse mysterii, sed ignitos dici, ex quorum attritu ignis excutitur. Idem ante Salianum Liranus, Mariana, aliique existimavêre: & verò frustra est miraculum, ubi verba Scripturæ, & res subjectæ illud non exigunt.

An potiùs excussus de silice, & fomite conceptus?

In Græco textu habetur, πυρώσαντες λίθους, καὶ πῦρ ἐκ τούτων λαβόντες, ἀνήνεγκαν θυσίαν: cùm lapides ignivissent, *& ignem ex illis accepissent, obtulerunt sacrificium.* Diversimodè autem lapides igniri possunt: primùm excussis inde collidendo scintillis, ita ut igniti videantur, uti quotidie silicibus facimus: deinde mutuo affrictu, & attritu, citra collisionem tamen, excalfacti & excande-

excandefactis lapidibus: præterea in lapidis ſinum exceptis, ac denſatis, ſolaribus radiis, uti fit in ſpeculis uſtoriis: denique immiſſo in ignem lapide, & excandefacto. Ex his igniendorum lapidum modis, primum hoc loco à Sacerdotibus adhibitum fuiſſe, cenſent Auctores modò adducti, quibus accedo. Nam ſecundus ac tertius modus, à Serario indicati, nimis longi ſunt ac difficiles: quartus indicatus à Saliano, adhiberi non poterat ab iis, quibus ignem profanum altari inferre nefas fuit.

Quomodò post biennium sacrificia oblata?

Quæres tertiò: Quo pacto poſt biennium dicantur ſacrificia oblata, cùm conſtet tertio anno id factum, eâdemque ipsâ die, quâ Templum profanatum fuerat? Diximus de hac difficultate ad l. 1. c. 4. v. 54. biennium intelligendum de Judæ Principatu, idemque jam diximus, neque occurrit, quod addamus ad illic diſputata.

Quomodò purificatum Templum quo die profanatum fuerat?

Quæres quartò: Quomodò, QUA DIE TEMPLUM AB ALIENIGENIS POLLUTUM FUERAT, EADEM CONTIGIT PURIFICATIONEM FIERI, cùm conſtet ea die ſacrificia fuiſſe oblata, & Templum antecedentibus diebus emundatum? Reſpondeo: *Purificationem* hoc loco, uti & ſuprà c. 1. v. 18. & c. 2. v. 16. ſumi pro purificationis complemento, ſeu pro encæniis ipſis, aut Templi novâ dedicatione per holocauſtorum oblationem; quam anteceſſerant diebus procul dubio non paucis, non paucioribus ſaltem quàm 2. Paral. 29. v. 17. ſub Ezechia Rege, purificationes aliæ præparatoriæ, de quibus breviter v. 3. dicitur *purgato Templo*, & fuſius narratur l. 1. c. 4.

Cur ad modum festi Tabernaculorum acta Encænia?

Quæres quintò: Cur THYRSOS, ET RAMOS VIRIDES, prætulerint Judæi hiſce Encæniis? Ratio redditur v. 6. quia *diem Tabernaculorum ante modicum temporis egerant in montibus, more beſtiarum.* Omiſſam igitur iſtius feſti lætitiam recuperavêre, hocce Encæniorum gaudio, Judæi, & exemplum ad poſteros tranſmiſêre: à quibus feſtum dedicati per Machabæum Templi vocatur Scenopegia c. 1. v. 9. ſuprà. De feſto Tabernaculorum, ramiſque in illo adhiberi ſolitis, vide Lev. c. 23. & 2. Eſd. c. 8.

Quæres ſextò: Quid THYRSI hoc loco ſignificent? Rabanus, eumque ſecutus Liranus, explicat medios herbarum frutices. Sed quod ornamentum, & gaudii ſignum extitiſſet à circumlatis herbarum caulibus, quos Latinorum aliqui thyrſos vocavêre? Intelligendæ itaque hoc loco, quomodò apud poetas, haſtæ frondibus ornatæ, aut virgulta majora, qualia præferri lætis diebus ſolent, quibuſque olim, Plutarcho, & Appiano teſte, papiliones poſt victoriam ornabantur: ne exiſtimes bacchantium tantùm id geſtamen fuiſſe, eorumque ritum imitatos Judæos.

Unde anni mense Casleu extremo?

Quæres ſeptimò: Unde RAMI VIRIDES menſe Caſleu exeunte, id eſt Novembri? Feſto Tabernaculorum, quod in Septembrem incurrit, facilè inventi fuerint: at unde poſt menſes duos, ac defluvium foliorum Autumno adulto? Reſpondeo: palmas, oleas, hederas, myrtos, aliaſque id genus ſemper viventes, & ἀειζώους ut aiunt, plantas, in eâ regione amœnâ, ac fervidâ, abundè pullulâſſe: ut adultâ licèt, ac rigente hyeme, non deeſſet foliorum læta viriditas quò animorum, ex Templo inſtaurato reviviſcentium, gaudia Judæi teſtarentur.

Cur festi anniversarii præceptum dicatur commune?

Quæres octavò: Cur v. 8. dicatur, COMMUNI PRÆCEPTO ET DECRETO ſtatutum, ut gens univerſa Judæorum anniverſario gaudio agat *dies iſtos*? Nonne Judas erat Pontifex Maximus? Nonne illius erat leges condere, feſta ſancire? Quorſum ergo hic ponitur commune præceptum, & decretum: quaſi in æqualem præcipiendi, ac decernendi, cum Summo Pontifice poteſtatem ſubditi convenerint? Reſpondeo: commune præceptum dici, quia Judas quidem ſolus edixit, penès quem ſolum erat edicendi poteſtas; ex conſilio tamen ſeniorum, ac fratrum, & volentibus ac probantibus ſubditis. Vide lib. 1. c. 4. v. 59.

Proponitur de plebe festis quibusdam exoneranda:

Eâ occaſione dicendum nobis erit in Excurſu de legibus humanis, Eccleſiaſticis præceptis, debitâ ſubditorum obedientiâ, feſtis, templorum dedicatione: quorum omnium exempla manifeſta præbet iſthæc Templi inſtauratio. Hìc, in egenæ plebis gratiam, Patribus populi quâ par eſt reverentiâ propono, de feſtorum quorumdam vel abrogatione, vel deminutione. Etſi enim nuper Urbanus VIII. terna ſuſtulerit: pauperi tamen vulgo, quæ populi Chriſtiani pars maxima eſt, adhuc nimis multa videntur ſupereſſe, onere pleriſque difficulter tolerabili. Quippe cùm quotidiano fermè labore inopem vitam tolerent, ſuſtententque familiam: neceſſe eſt, quando multi dies otioſi intercurrunt, ut vel recula ſuas ad victum oppignorent, vel ventri miſeras ferias indicant, aliiſque gaudentibus lugeant; vel turpiter ſtipem emendicent.

Aut saltem ad audiendum dumtaxat Sacrum obstringenda:

Quid igitur agat paterna Paſtorum caritas quando etiam, ut Excursûs ſect. 2. num. 13. indicabimus, aliorum caritas legem illam ſolvere poteſt, ſublevandæ proximi neceſſitati? Agat, quod patres erga filios gementes ſub onere: allevet, quà poteſt, non digito ſolùm, ſed totâ clementiæ dexterâ. Circumſpiciat, ecquorumnam feſtorum, incommodè incurrentium, abolitione exonerari poſſint? Quidni ſaltem aliqua relinquantur arbitrio pietatis, inductâ ſolùm audiendi Sacri neceſſitate quibuſlibet: feriò commendatâ locupletioribus feriandi, & ab operibus ſervilibus ceſſandi, conſuetudine? Publicârat Leodii concionator quiſpiam Urbani VIII. Bullam de abrogatis feſtis quinque, in his feſto Virginis Conceptæ & Viſitantis; atque inter eam publicandam indicârat, operæ ſe, ut iſta nihilominus feſta obſervarentur. Deſcendenti de cathedrâ, cordatus quidam civis: Tu verò, inquit, & ego, conſimileſque alii, quibus vacat, feſta iſthæc celebremus: at miſerum popellum, operâ ſibi pretium, non obruamus inutili otio. Idem dixero, ſi quis hanc noſtram de dierum aliquorum in profeſtos mutatione propoſitionem ſugillet.

Nec multis urgenda.

At enim, inquis, quorſum talis ſublevandæ plebi mutatio? Nonne ſatis fuerit, quod promptum eſt, à Confeſſariis egenos privatim moneri de laborando intrà privatos parietes; fieri ius gratiam legis humanæ, lege naturæ; nec præcipi, quod ſervari non poteſt? Commodè quidem tu loqueris, ſi egenis omnibus intra privatos parietes labor paratus eſt, ſi omnibus Confeſſariorum conſilia prompta & nota ſunt. Sed quid faciant miſeri, quando clam operari non omnium eſt, palàm multorum? quando inſtant apparitores, &, quam in atrocia crimina rectiùs impenderent, in illos exercent diligentiam?

Nominatim festo S. Silvestri.

Nuſquam igitur, niſi à Patribus populi, Paſtorúmque benignitate remedium eſt: cui nominatim commendo ſcribendo, quod commendavi dicendo, ut D. Silveſtri die incommodiſſimam, tot feſtis intercurrentibus, à populo feriationem ſeverè non exigant. Cujus feriationis non urgendæ

gendæ & hæc peculiaris caussa est; quòd Romivenæ affirmant, nusquam fermè totâ Italiâ, ubi tamen publicatissima est Urbani Bulla, observari extra Romanos fines: quia nempe lex passim non obligat, cujus ferendæ ratio locum passim non habet, quemadmodùm eo in festo videtur non habere. Isthæc si Patrum caritati placuerint, amplectantur; si displicuerint, rejiciant, non damnatâ tamen proponentis caritate.

Repetitio de morte Antiochi.

℣. 9. Et Antiochi quidem, qui appellatus est nobilis, sive illustris, *vita excessus ita se habuit*, quemadmodùm suprà narratur. Repetit, seu recapitulat Hagiographus narrationem de Epiphanis interitu, ut significet accidisse post Templum emundatum: quod ex c. 6. v. 7. libri primi constat, & indicavimus ad ejusdem libri c. 4. v. 39. ubi etiam diximus ὕστερον πρότερον, sive anticipationem narrationum, Scripturæ frequentem esse, huic nominatim Hagiographo.

Gesta Eupatoris.

℣. 10. Nunc autem de Eupatore, Antiochi impii filio, quæ gesta sunt, narrabimus. In Sixtinis Græcis habetur, *Nunc autem quæ ad Antiochum Eupatorem pertinent τοῦ ἀσεβοῦς γενόμενα, qui impii filius fuit.* Advertit tamen Nobilius, in quibusdam Græcis exemplaribus haberi, non γενόμενα, sed γινόμενα, *gesta* seu *facta*, convenienter vulgatæ. Quanquam istud, *quæ gesta sunt*, videtur redundare, cùm sublatâ eâ particulâ constet sensus, & commodior sit totius versûs locutio, sine ejusdem particulæ geminatione parum concinnâ. Habentur enim mox eædem voces in alterâ parte versûs: unde verisimile est, ab aliquo non satis accurato librario traductas ad priorem partem, & duplicatas.

Quomodò ab Hagiographo breviata.

Breviantes mala, quæ in bellis gesta sunt. Ab Hagiographo nostro præterita eorum non pauca, quæ in libro priore, de rebus per Eupatoris regnum gestis, narrantur, patet ex serie nostrâ historicâ. Patet etiam inde, nonnulla ab Hagiographo nostro referri, quæ prioris libri Scriptor prætermiserat. Rabanus existimat, nominatim præteriri in posteriore libro pugnam Eupatoris, in quâ Eleazarus suffosso Regio elephanto interiit. Liranus autem non prætermitti censet, sed in capite 13. attingi: uti & nos in serie historicâ num. 72. &c. indicavimus.

Lysias Eupatoris Minister.

℣. 11. Hic enim, Antiochus Eupator, suscepto regno ope Lysiæ, ut habetur l. 1. c. 6. eumdem *Lysiam constituit super negotia regni* totius, universisque Asiaticæ monarchiæ regionibus præfecit; seu, ut hodie loquimur, primum Ministrum creavit, potestate & auctoritate post Regiam summâ. Præfecerat illum Epiphanes omni cis Euphratem regioni, ut habetur l. 1. c. 3. nunc Eupator universi regni curam illi committit.

Præfectus simul Cœlesyriæ, & Phœnices.

Phœnicis et Syriæ militiæ principem, πρώταρχον vocat textus Græcus, id est primum ducem. Erat quidem Lysias universi regni Asiatici sub Eupatore Administer: habebat tamen etiam Cœlesyriæ, quæ hic Syriæ generali nomine intelligenda est, ac Phœnices, nobilium provinciarum privatam ac peculiarem curam, & præfecturam. Quod enim dicitur fuisse militiæ princeps, intellige simul provinciarum præfectum fuisse, ut in Serone notavimus ad l. 1. c. 13. v. 13. Sic hodieque Ministris Regiis, generalem licèt sub Regis auctoritate rerum omnium curam habentibus, præfecturæ quædam peculiares, seu dignitati augendæ, seu percipiendis emolumentis, seu conciliandis animis, tuendæve securitati, solent attribui.

Amoto Ptolemæo suffectum.

℣. 12. Nam Ptolemæus, qui dicebatur Macer, Græcè Macron, idem de quo c. 8. v. 8. ubi dux vocatur Cœlesyriæ & Phœnices; idem etiam, ut illic putavimus, de quo c. 4. v. 45. etsi aliter Liranus censeat. Redditur autem hic ratio, non cur administratio regni Lysiæ credita sit, ut Liranus existimare videtur: sed cur Lysiæ data sit præfectura Phœnices, ac Syriæ coeles. Dux enim earum provinciarum erat Ptolemæus, & ab eo officio amotus, quia in Judæos cœperat esse proclivior: *justi*, inquit Hagiographus, *erga Judæos tenax esse constituit, & pacifice agere cum eis*, neque, ad ipsos vexandos, ex finitimis Judææ locis curæ suæ creditis militem suministrare. Animum ergà Judæos antè, ut ex c. 4. apparet, non satis æquum, mutârat *præcipuè*, *propter iniquitatem quæ facta erat in eos*: miseratio oppressorum ab Epiphane innocentium, ut humanioribus contingere solet, ipsum commoverat.

Prima Ptolemæo caussa fatalis, ab accusatione, & abdicatione præfecturæ.

℣. 13. Sed ob hoc accusatus ab amicis apud Eupatorem; accusatus dicitur Ptolemæus de nimiâ ergà Judæos propensione *ab amicis*, sive Eupatoris, sive etiam suis: neque enim solida amicitia magni est, præ utilitate suâ, & favore Principis. Accusatione istâ sperârunt, sese gratiam apud Eupatorem ac Lysiam inituros: simul animum Ptolemæi altissimè vulnerârunt. Arbitramur enim, ejus criminationis occasione ipsum Lysiam, præfecturâ Phœnices, & Syriæ coeles, quam sibi cupiebat, illum amovendum curâsse: unde ingens ipsi dolor, & primus ad desperandam, aut indignandam vitam, impetus.

Altera, ex proditoris appellatione.

Altera doloris caussa fuit ex eo, quòd *frequenter proditor audiret*, eòque infami titulo notaretur, quia *Cyprum, sibi creditam à Philometore Ægypti Rege, deseruisset*, & Epiphani eam consignâsset, ad eum *transfugiens*. Cyprum enim Ægyptiis Regibus abstractam fuisse, & Antiocho Epiphani obedisse, vel ex c. 4. v. 29. colligitur, ubi Sostratus Cypriis datur præfectus. Nobilis erat insula, & Syriæ objecta, maximéque illi opportuna, interjecto angusto freto; paullò tamen, & forsan altero tanto latiore, quàm chalcographus noster in tabellâ Judeæ expresserit.

Proditores suspecti, & exosi, quivis honorentur.

Itaque Ptolemæus exinde ab Epiphane honoratus, & in Apollonii ac Seronis locum Cœlesyriæ regendæ suffectus: quia non expediebat in Cypro relinqui, ne, quomodò à Philometore transfugerat, ita ad eum rediret. Prima hæc proditorum labes est, quòd Principibus, ad quos transfugiunt, meritò semper suspecti sint; ne fidem, quam semel abrupêre, iterum fallant. Cari tamen illis sunt, aut cara potiùs est proditio, quia utilis, adeóque mercede & honore non caret, ut eâdem spe alii hostium ad transfugiendum illiciantur. Cavetur tamen, ne merces ista, aut dignitas, proditori occasionem præbeat reconciliandi proditione novâ prioris domini. Altera proditorum labes est, ab odio publico, eorum etiam ad quos refugerunt, & quibuscum versantur: infame enim est apud quaslibet nationes, quantumvis barbaras, fidem fallere Principi, patriam prodere, depositum publicum fraudare. Hinc objectum frequenter Ptolemæo, ab æmulis præsertim, & præfecturâ illum deturbare molientibus, proditoris nomen.

Quomodò Ptolemæus ad Epiphane recessit?

Nec proditor solùm dicebatur, quòd Philometorem *deseruisset*; sed *quòd, ad Antiochum Nobilem transfugiens, etiam ab eo recessisset*. Non quia, partibus Epiphanis desertis, rursum transisset ad Ægyptios: sed quia Epiphanis institutum, in persequen-

perſequendis Judæis, ſequi deſierat, ut rectè explicat Liranus. Eam enim cum Judaïcæ nationis reliquiis conniventiam exaggerabant æmuli, apud Eupatorem ac Lyſiam, & proditionem aut proditionis molitionem interpretabantur: calumniámque eò probabiliùs texebant, quia facilè creditur de vitioſo peccatum, & de proditore proditio.

Crudelitas Principem odioſum facit.

Quid ſi Ptolemæus apertè Epiphanis adversùs Judæos crudeſia facta damnabat? Quid ſi, nuntiis mortis auditis, juſtum Dei judicium efferre auditus eſt? Quid ſi odium in immanem illam belluam conceptum detexit? Humanos enim ſubditos maximè à Principibus abalienat injuſta crudelitas; velut indignis, qui homines regant, cùm humanitatem ignorent, & ſocietatem civilem diſſipent. Si autem crudelitati turpitudo morum acceſſerit, & varia in unum vitia conveniant, quomodò Antiocho factum; tunc verò juſtum, ac fermè neceſſarium, ſanis ſubditis odium videbatur. Eam ob cauſſam Imperatorum Romanorum non paucos ſubditi confecêre, velut adversùs inſanientes feras, & monſtra ſævientia, armati: juſto quidem dolore, at non legitimâ poteſtate, ſi Imperatores illi legitimi erant.

Ptolemæus veneno vitam abrumpit.

Veneno vitam finivit. Ex his Vulgatæ verbis non poterat intelligi, ultróne ipſe ſibi Ptolemæus mortem epoto veneno conſciverit; an ab Eupatore bibere compulſus ſit, uti in hiſtoriæ ſerie indicavimus. Sed ex textu Græco omnis dubitatio tollitur: ſic enim habet, in Sixtinis & correctioribus exemplaribus: μηδ' εὐγενῆ τὴν ἐξουσίαν ἔχων ἐπ' ἀθυμίας φαρμακεύσας ἑαυτὸν, id eſt ad verbum, *nec nobilem poteſtatem habens, præ triſtitiâ ſeipſum pharmaco potavit*: amotus nobili Phœnices ac Cœleſyriæ præfecturâ, omniq́ue aulicâ dignitate ſpoliatus, cùm ignominiam præ animi defectu ferre non poſſet, pharmaco vitam abrupit. Serarius, εὐγενῆ ἐξουσίαν, interpretatur, *animum nobilem & generoſam libertatem*, quâ deſperabundus Ptolemæus caruit.

Ex animi defectu.

Rectiſſimè autem dicitur, præ triſtitiâ & animi defectu, vim ſibimet intuliſſe. Id enim fecit, quia res adverſas, calumniaſque, ac dedecus fortiter tolerando ſuperare non poterat. Atqui, ut poſt Peripateticos Philoſophos, inprimis Ariſtotelem, canebat Ethnicus poëta Martialis:

Rebus in adverſis facile eſt contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

& quem, non ſolùm quaſſatæ dignitatis ac famæ, ſed etiam fracti & illabentis orbis Impavidum ferient ruinæ.

An mors hujuſmodi dici queat generoſa?

Advertit Nobilius, in quibuſdam exemplaribus haberi, μετ' εὐγενοῦς τῆς ἐξουσίας ἐξουσιάζων, *nec nobili poteſtate, ſeu generoſâ libertate, nobiliter utens*: quo etiam modo loquendi notatur infirmus & abjectus Ptolemæi, in conſciſcendâ ſibi morte, animus. Exemplaria tamen quædam, contrariâ prorſus ſententiâ, pro ἐπ' ἀθυμίας, *ex triſtitiâ, ſeu animi defectu*, habent ἐξ εὐγενείας, *ex animi generoſi magnitudine*: quæ locutio accedit ad illam capitis 14. v. 42. de Razia, *eligens nobiliter mori*. An ergo generoſi, ac nobilis animi, exiſtimavit Hagiographus ſpontaneam mortem? Reſpondeo: hic eum loqui, ſi tamen ita locutus eſt, ex Stoicorum ſententiâ, tunc pervulgatâ apud Ethnicos, & Judæorum nonnullos: non autem ex ſua, & Dei, citra cujus imperium de vitæ ſtatione diſcedere non licet. De Razia loco ſuo videbimus.

Gorgias Judæis infeſtus.

℣. 14. Gorgias autem, cùm esset dux locorum, Idumææ Auſtralis præfectus, ut alibi dictum eſt: *aſſumptis advenis*, Græcè ξενοτροφῶν, *peregrinum militem alebat*, puta Thraces, Galatas, Cretes: quorum auxilio *frequenter Iudæos debellabat*, incurſabat, & infeſtabat, Græcè πρὸς τοὺς ἰουδαίους ἑκάστοτε ἐπολεμοτρόφει, *quotidie in Iudæos bellum alebat*. Gorgias ergo militem externum, & bellum alebat, adversùs Judæos, irruptionibus & excurſionibus quotidianis.

E: Idumæi.

℣. 15. Judæi verò, Græcè Ἰδουμαῖοι, *Idumæi*, & ſic in Vulgata legendum cenſent Serarius, Salianus, Tirinus, aliiq́ue. Ii ergo Idumæi, *qui tenebant opportunas munitiones*, Hieroſolymis vicinas ad Auſtrum, impios & tranſfugas, *fugatos per Judam Machabæum ab Hieroſolymis, ſuſcipiebant, & bellare tentabant*, Græcè πολεμοτροφεῖν ἐπεχείρουν σὺν τούτῳ, *bellum alere cum illo*, Gorgia ſcilicet duce ſuo, *conabantur*: ſubditur, quod in texto noſtro abeſt, ἐγύμναζον τοὺς ἰουδαίους, *exercebant Iudæos*. Unde patet, rectè monuiſſe Serarium, initio versûs *Idumæi* reponendum pro *Iudæi*: quod etiam apparet ex verſu ſequenti, ubi munitiones Idumæorum impugnantur à Juda.

Horum à Judæis clades.

℣. 16. 17. Hi verò qui erant cum Machabæo, præeunte generoſo duce, *per orationes Dominum rogantes*; Græcè ποιησάμενοι λιτανείαν, *factâ litaniâ ſeu ſupplicatione*, quæ olim apud Chriſtianos, Gregorio Magno teſte, litaniæ nomine ſignificabatur: vide dicta Excurſu ad c. 3. hujus libri ſect. 7. Iſti ergo *impetum fecerunt in munitiones Idumæorum*, receptacula latronum & impiorum: *multaq; vi obſiſtentes* loca obtinuerunt, & ut fieri ſolet locis vi captis, *occurrentes interemerunt*: in Græcis quibuſdam additur πάντας, *omnes*, nemini occurrentium intra loca per vim capta pepercerunt. *Et omnes ſimul non minus viginti millibus trucidaverunt*: in Græcis additur, *omnesq; qui in muro pugnabant, alii ſunt*. Significatur, cæſos à Judæis hoſtes omnes, qui pro muris munitionum ſtabant, aliósque quotquot occurrêre: & cædem illam univerſim expléſſe viginti minimùm capitum millia, promiſcui videlicet ſexûs, & ætatis.

Applicatur ad mores numerus cæſorum.

Olim in Vulgata legebantur viginti quinque millia; unde Rabanus, *quia, ſecundum quinarii numeri in ſemetipſo multiplicationem, viginti quinque millia trucidata referuntur, ſignificat, quòd omnes, qui quinque corporis ſenſibus per carnalia deſideria diabolo*, in Gorgia ut alibi dictum eſt adumbrato, *militant, morte condignâ mulctentur*. Si iſthæc ad mores applicatio placuerit, retentâ hodiernâ & verâ lectione de numero viginti millium cæſorum, advertere poteris: eum numerum conſtare ex quinque quater ductis, & ſignificari interitum omnium, qui ſenſibus non rationi ſerviunt per ætates quatuor, pueritiam, juventutem, virilitatem, ſenectutem.

Duæ turres captæ proditoris.

℣. 18. uſque ad 24. Quidam autem cùm confugissent in duas turres. In quibuſdam exemplaribus Græcis habetur, uti & in Vulgata, συμφυγόντων τούτων, in Sixtinis eſt, συμφυγόντων δὲ οὐκ ἔλαττον τῶν ἐνακισχιλίων, id eſt, *cùm refugiſſent non minus novem millibus, in duas turres valde munitas*, adde & valdè magnas, cùm v. 23. dicantur in illis occiſa ſuprà viginti capitum millia: niſi dixerimus, turrium nomine etiam ſubjecta oppida, quibus turres præſidio erant, intelligi. Ad earum ergo turrium *oppugnationem relicto Simone & Ioſepho*, id eſt Joanne Gaddi, ut ſuprà c. 8. ita cenſent Salianus ac Tirinus, & veroſimile putat Serarius,

Serárius, *itemq́; Zachæo*, de quo alibi mentio nulla: Judas ad majora *conversus est*. Sed, eo absente, quidam militum Simonis effugium aliquibus hostium aperuêre pecuniâ corrupti, *acceptisq́; didrachmis*, seu, ut Græcè est drachmis *septuaginta millibus*, id est plus octo millibus coronatorum Saliano, Tirino aureis scutis 5833. & unâ tertiâ, si drachmæ erant Atticæ & argenteæ: summa tamen duplicanda erit, si didrachmæ propriè sumantur pro duplicibus drachmis. Illi *proditores* convicti, *quòd pecuniâ fratres vendidissent*; nam qui hostibus incolumitatem pretio donat, salutem suorum eodem pretio vendit: salvos enim eos dimittit, qui vitam suis auferre possunt. Isti ergo proditores, Judæ jussu, extremum supplicium subiêre, moxque *turres* seu *munitiones* duæ captæ.

Caussa Christi prodita perimo, per avaros Ecclesiasticos.

Commoda est hoc loco allegoria Rabani, de hostibus Ecclesiæ devictis, fidem tamen amplecti recusantibus, & ad superbiæ atque idololatriæ turres refugientibus. Contra quos missi milites pecuniâ corrumpuntur: *quia sæpe contingit, ut hi, quibus sacerdotalis dignitas, ac spiritalis agonis militia commissa est, per cupiditatem terrenam decepti, magis avaritiæ suæ satisfacere velint, quàm contemptis terrenis commodis, Christi voluntatem legitimè pugnando explere.* Atque utinam pauci sint ejusmodi, qui caussam Christi & virtutis pretio prodant, & pœnas extremas proditione infami merentur, aut saltem, ut Rabanus ait, *anathematis ultionem.*

Princeps lenitè & consilio puniat.

Advertat in Juda Princeps puniendorum reorum modum. Cùm enim ipsi *nuntiatum esset, quod factum est* à venalibus militibus: *principibus populi congregatis*, ut eorum sententiam exquireret, *accusavit* seu accusationem instituendam curavit. Civili & Pontificia potestate pollebat: reos tamen quamvis manifesti criminis punire noluit, nisi post caussæ cognitionem, & adhibitis ad consilium primoribus. Lenta, explorata, & consultata damnatio, clementiæ Principalis ac Regiæ virtutis manifestum indicium, ac præjudicium est. Jovius plectere videtur, qui, tardè & consilio plectit. Olim aiebant Jovem propitia fulmina solùm mittere; noxia non torquere nisi ex Deorum consilio. Princeps de se ultrò beneficus sit: supplicia non irroget, nisi meditato, & consulto, ac velut coactus.

Timothei expeditio & mala fiducia.

℣. 24. At Timotheus, qui prius a Judæis fuerat superatus, idem utique, quem capite 8. Hagiographus noster narravit cum Bacchide profligatum, etsi Salianus dubitet: *convocato exercitu peregrinæ multitudinis*, Græcus textus vocat δυνάμεις ἀλλοφύλους, *copias numerosissimas*: adhæc, quia copiæ illæ peregrinæ ferè erant pedestres, *congregato equitatu Asiano*, de finitimis Judææ præsidiis excito, *velut quasi armis*, Græcè δοριάλωτον, *Judæam capturus*, parem resistendo ratus futurum neminem, certamque sibi victoriam, quemadmodùm Nicanor, ante experiendum pollicitus.

Machabæus, & socii, Deum precantur.

℣. 25. 26. Machabæus autem, et qui cum ipso erant, Sacerdotes videlicet, quibus solis fas fuit ad altaris crepidinem, ut mox dicetur, accedere. *In appropinquante illo*, Timotheo, *caput terrâ aspergentes lumbosq́; ciliciis præcincti*, humili & consueto pœnitentium habitu, *ad altaris* holocaustorum *crepidinem* infimam, seu ad gradus infimos, *provoluti*, ut pœnitentia, locus, habitus, situs, orationi vim adderent: *deprecabantur Dominum*, adjutorem in tribulationibus, *ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus*, *& adversariis adversaretur*, justus in hostes, & clemens in suos: *sicut lex dicit.* Liranus putat alludi ad istud Deut. c. 7. *Tradetq́; Reges eorum in manus tuas: nullus poterit resistere tibi.* Longè aptiùs, &, ut consequentia se habent, ex vero Salianus existimat, alludi ad istud Exo. c. 23. *Quòd si audieris vocem ejus, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, præcedetq́; te Angelus meus.* Mox Deus liberaliter promissum exsolvet: Angelos quinque auxiliares Machabæo submittet, cùm unum solummodò promiserit.

In hostem progrediuntur.

℣. 27. Et post orationem pleni fiduciâ, *sumptis armis, longiùs de civitate* Hierosolymitanâ *procedentes*, Occidentem versùs, ut apparet ex fugâ Timothei infrà, nam Gazara Hierosolymæ ad Occidentem erat; *& proximi hostibus effecti*, ut sine prælio discedere non possent, *resederunt*, Græcè ἐφ' ἑαυτῶν ἦσαν, *in seipsis erant*: id est substiterunt, castra fixerunt, collectis ordinibus, animisque & corporibus ad decretorium certamen curatis.

Pugnam committunt.

℣. 28. Primo autem Solis ortu utrique commiserunt. Non indicatur ab utrâ parte cœptum sit prælium: verosimile est ab utraque simul, præconceptâ utrimque spe victoriæ ad pugnam excitante. Judæi enim, *victoriæ & prosperitatis sponsorem, cum virtute, Dominum habebant*: seu, ut Græcè est, *refugium ad Deum, cum virtute, pignus erat boni successûs, & victoriæ.*

Impetus, dux malus rerum agendarum.

Syro-Macedones autem *habebant ducem belli animum*: Græcè θυμὸς, id est ira, vel *impetus*. Quibus rerum gerendarum καθηγεμὼν, seu ductor, est ὁ θυμός, *impetus*, nihil prosperi ferè vel solet, vel potest accidere: aut si accidit, immeritis accidit, & fortuitò, quemadmodùm destitutæ gubernatore navi contigit aliquando portum tenuisse. At quibus in pugnâ corporali spiritualive adest Deus, & ratio: illi certum tenent pignus illustris victoriæ, quâ partâ benedicant Dominum, & dicant: *Non ego, sed gratia Dei mecum.*

Angeli quinque apparent.

℣. 29. Sed cùm vehemens pugna esset, & Marte dubio diu penderet: *Apparuerunt adversariis*, Gorionides dicit, neque improbabiliter, etiam apparuisse Judæis ad eos animandos, ut factum capite sequenti: *de cælo viri quinque in equis*, quò eminentiores supra pedestre Judæorum agmen, & spectabiliores forent: *frenis aureis decori*, unde reliquum habitum æstimare liceat. Gorionides certè non inconvenienter dicit, eorum indumenta aurea fuisse: *ducatum Judæis*, omnibus fermè aut maximam saltem partem peditibus, *præstantes*; id est, illis velut præeuntes.

Duo Judam defendunt, tres in hostem pugnant.

℣. 30. Ex quibus duo Machabæum medium habentes; itaque verosimile est in eo prælio Machabæum equitâsse, alioqui difficillimè ab adversariis medius inter equites duos videretur: *armis suis circumseptum incolumem conservabant*, quocumque se verteret, in media ruens pericula: *in adversarios autem tela, & fulmina jaciebant*, an iidem duo, an verò reliqui tres? Hoc potiùs existimârim, ut suum Judæ defendendi officium duobus datum sit, tres offendendorum hostium munus acceperint. Ita etiam explicat Gorionides. Neque abs re stipantes Judam Angeli duo non pugnaverint, ne strenuo duci impavidè discrimina invadenti, generosissimè pugnanti, &, modò defenderetur, hostem satis offensuro, fortitudinis gloriam minuere viderentur. Tribus autem aliis tela fulminea jaculantibus, *cadebant* hostes

hostes *cæcitate* ob vibrantem fulgorem *confusi*, *& perturbatione repleti*.

Incredulè hujus historiæ explodantur.

Istam de Angelis historiam adversarii quidam pro parùm credibili habent, & ipsi *cæcitate confusi*, *& perturbatione repleti*. Quid enim illis supra fidem est? An quia forsan apud Sadducæos, & Epicuræos, Angeli non videntur? An quia nusquam antehac de Angelis Scriptura mentionem fecit, in Agare, Mose, Josue, Davide, Elizæo? An quia Josephus historiæ tam nobilis non meminit: qui utique multa non minora prætermisit, & ex hoc libro nihil in suas de Machabæis narrationes intexuit? An quia prioris libri Scriptor eandem historiam vel tacuit omninò, vel paucis ac generalibus verbis solùm innuit? Quasi novum vel in veteri Testamento foret, vel in novo, aliam ab aliâ narrationem suppleri, libris Regum libros Paralipomenon auxiliari, Joannem Matthæo addere, Lucam Marco? Apage cavillatores, & calumniatores ineptos, & malè conciliatos.

Quid illâ historiâ doceamur?

℣. 31. INTERFECTI SUNT AUTEM VIGINTI MILLIA QUINGENTI, ET EQUITES SEXCENTI: numerus facilè credibilis, quamvis incredulis, ubi quinque Angeli pugnavêre. Rabani allegoria ad hunc locum longè arcessita est: dicit enim quinque equitibus cœlestibus quinque libros legis significari; duobus latera Judæ stipantibus, duo præcepta caritatis: iis prosterni adversarios omnes fidei Catholicæ, tum qui terrena sapiunt, ut Timotheani pedites; tum qui superbiâ eriguntur, ut equites. Sed istius historiæ aliâ significatione opus non est, quàm planâ & obviâ: de Angelorum ergà Dei amicos custodiâ, & vindictâ in inimicos, de quâ tum nos alibi, tum alii pluribus.

Timotheus fugit Gazaram.

℣. 32. TIMOTHEUS VERÒ CONFUGIT IN GAZARAM, Ephraiticæ tribûs oppidum Gazer; aut Gador, seu Gedor Judææ: non autem illud, quod Simon l. 1. c. 13. & c. 14. dicitur munisse, etsi ita Salianus existimet. Vide dicta ad eum libri 1. locum, & ad ejusdem l. c. 4. v. 15. & c. 7. v. 45. Dicitur fuisse *præsidium munitum*, & ei præfuisse *Chæreas*, quem Timothei fratrem v. 37. Hagiographus appellat: ut iste meritò ad illum ex fuga sese receperit.

Necessaria historiæ choro-chronographia.

Ad hujus aliorumque locorum faciliorem intelligentiam, consule identidem, quam libro priori præmisimus, Judææ tabellam; cujus certè me non pœnitet, quamvis a scalpro rudis & impolitæ, meliore tamen & ad historiam nostram aptiore carentibus non infructuosæ. Prorsus enim necessaria est historias scribenti, interpretanti, legenti, regionum & urbium cognitio, quomodò & consignatio temporum: sive ut quidam loquuntur, duas pariter graphias habeat oportet, qui lucem in historiis quærit, choro, & crono. Recentior ad libri prioris novem capita Scriptor, in temporum rationibus admodùm diligens, in situum ratione non infrequenter de via sese abduci passus est, Orinlani aliorumque interpretum, quos nusquam nobis videre contigit, studio: non aberraturus, opinor, si qualemcumque sibi chorographicam tabulam annotatis accuratè situbus concinnâsset.

Obsidentur, & capto præsidio occiduntur.

℣. 33. usque ad 38. MACHABÆUS AUTEM, ET QUI CUM EO ERANT, quatriduanâ obsidione præsidium vallavêre. Obsessis interim *firmitate*, Græcè *ὀχυρότητι*, id est prærupto ac præcipiti situ *loci*, confisis, & probrosa dicta in obsidentes jactantibus, & *sermones* in Deum ipsum aut religionem Judaicam *nefandos*: justâ ac religiosâ irâ accensi juvenes viginti, Machabæi familiares, per abrupta ad muros evasêre, *die* obsidionis *quintâ*, non autem vicesimâ quintâ, ut quidam Græci codices habent, contra fidem cæterorum, & historiæ seriem. Animati exemplo alii commilitones, certatim ascenderunt, ignemque turribus, ac portis, unde maledici hostes scelerata probra jaciebant, injecerunt. Ita captum præsidium. Biduum vastatio tenuit. Timotheus in *loco* quodam, Græcè *λάκκῳ*, id est lacu, fossâve, aut, ut alii vertunt, cavo vel cuniculo latitans, occisus est, additusque mortis socius Chæreas frater, & Apollophanes.

Gratiæ de victoria Deo persolutæ.

℣. 38. QUIBUS GESTIS fortiter, ac prosperè, Judas & sui Hierosolymam reversi, comportatis spoliis, & prælatis etiam cæsorum ducum, ad publicæ lætitiæ spectaculum & incrementum, capitibus, ut verosimiliter judicat Gorionides: *in hymnis*, *& confessionibus*, tum in itinere, tum in urbis Hierosolymitanæ ingressu, tum in Templo præsertim, *benedicebant Dominum*, *qui magna fecit in Israel*, *& victoriam dedit illis*: accepta beneficia ferentes auctori. De gratitudine quædam sparsim dicta sunt libro primo: uberiùs dicemus Excursu ad capitis sequentis versum 9. Hic nobis ad alia excurrendum, adversùs eos maximè, quos in Timotheo, & sociis, Gazaram confugientibus, adumbrat Rabanus: *Heretici*, inquit, *ab unitate rectæ fidei divisi*, *ac separati*, *errorum suorum latibulis se committentes*, *confidendo versutiæ suæ munimine*, *maledictionis verba jactant contra Catholicos*.

EXCUR-

EXCURSUS

Ad cap. 10. *v.* 8. Decreverunt communi præcepto, & decreto, universæ genti Iudæorum agere dies istos.

De legibus humanis, festis, templis.

SECTIO PRIMA.

An, & qua, hominibus legitimè jubentibus obedientia debeatur?

I. Diabolus inobedientiæ spiritus.

AD majorem ab Onia alienationem, à sectis & hæresibus aversionem, erga Onianos Ægyptios ac sectarios miserationem; Christianos sæpè monere expedit, à quibus initiis Onion cœperit, quod primi erraticæ illius synagogæ auctores, de anarchiâ, & obedientiæ omnibus hominibus debitæ recusatione, populos licentiæ effrænis cupidos docuerint. Nam vel ex hoc capite solo, manifestè tenebitur, vertiginosus ille, & jugi impatiens spiritus, qui maleficos filios Belial Hierosolymâ excitos conclusit in terrâ Cham. Quod enim ipse fecit, ut conditoris sui jussa indignaretur; quod Adamo, & Evæ insusurravit, ut inobedientiâ fœlicitatem amitterent: idem Ægyptiacæ synagogæ persuasit, ut jugum legitimæ inter homines potestatis excuterent, arbitrióque suo vivere vellent, ac regi.

II. Lutheri adversus superiores quoslibet rebellio.

Istius spiritûs impulsu Lutherus librum vulgavit de captivitate Babylonicâ: ubi generatim adversùs potestatem omnem, tum sacram, tum civilem, invehitur. Ejdem vi actus edidit libellum adversùs falsò nominatum Ordinem Episcoporum: & in responso ad edicta Cæsarea Caroli V. ausus est *Principes* appellare *deliros, fatuos, mente captos, impudentes tyrannos*; prorsùs ut de Antiocho quopiam Epiphane, aut Tryphone, non de Christianis hominibus scribere videretur. Hujus buccinæ ferali sonitu exciti rusticani, bellum in dominos movêre, & Germaniæ partem magnam concussêre, ob quod bellum quia doctor novellus in invidiam vocabatur, retractationem edidit, & pro Principibus ac magistratibus civilibus scripsit, sentiendi & dicendi vertamen. Perstitit nihilominus in obstinatâ rebellione adversùs Summorum Pontificum auctoritatem, Canones sacros exurendos curavit, à Pontifice provocavit ad Concilium, à Concilio ad seipsum, ut Exc. ad c. 4. sect. 6. diximus.

III. Quis de illa Calvini sensus?

Calvinus, etsi minus concitato impetu ferretur, continere tamen se se non potuit, quin scriptis suis varia potestati civili vel disertè adversa, vel occultè contraria, inspergeret. Hujusmodi istud est l. 4. Instit. c. 20. v. 1. quod, quia Latina ejus editio ad manum non est, ex Gallico sermone reddam: *Libertas in Evangelio promissa, quæ Regem & dominum in hominibus non agnoscit; sed Christo soli adhæresit.* De obedientia verò, Ecclesiæ ejusque capitibus debitâ, omninò pronuntiat, conscientiam illâ obligatam non teneri; Deo illam non deberi; soli deferendam exteriori gubernationi; magisque ad decorum spectare, quàm ad justum; ritibusque accensendam, non legibus, eumque in finem, ut cæremoniæ observentur, adhiberi censuras & excommunicationes, id est submotiones ab exteriori participatione communium.

IV. Quomodò ubi spiritus ibi libertas?

Erroris sui fundamentum Calvinus posuit libertatem in Evangelio promissam! Lutherus in hac Pauli 2. Cor. 3. sententia fixit, *Ubi spiritus, ibi libertas.* Quæ autem, inquiunt, ea libertas est, si humanæ regulæ, legésve, conscientiam nostram obligatam tenent? Sed absit, ut Christus obedientiæ Magister, Paulus obedientiæ commendator, tale libertatis portentum publicârint. Erat legis Mosaicæ jugum importabile humeris plurimorum, ut Act. 15. Petrus in Concilio dixit: *Sarcina innumerabilium observationum*, quomodò loquitur Aug. serm. 9. de ver. Dom. crassam & animalem Judaicam plebem arctabat: numerabantur affirmativa præcepta ad numerum dierum anni unius 365. negativa ad numerum ossium humanorum 218. Ita vulgò recensuêre. Hanc libertatem Christus spopondit, Paulus prædicavit, ne Judæi Christianos opprimerent in servitutem, inquit Guil. Paris. lib. de leg. Libertas altera, quâ Christus nos liberavit, à peccato est: qui enim facit peccatum, servus est peccati. Tertia libertas, impotentium affectuum & passionum tyrannidem excutit: *Ubi enim spiritus, ibi* non tantùm *libertas* est à peccando, sed etiam ab incentivis occasionibusque peccandi.

V. Quid de obedientia hominibus debita, senserit Paulus?

Itaque, ad insanam istam ab obsequendi necessitate libertatem, Ægyptios excivit Antichristi spiritus, non spiritus Christi. Quod ut evidentiùs appareat, aliquot de multis Scripturæ sententias consulamus. Omitto legis Mosaicæ edictum Deut. 17. v. 12. ubi, quisquis Pontifici aut Judici obedire noluerit, jubetur interfici; quæ utique pœna nisi crimini non infligitur. Illum ipsum libertatis prædicatorem Paulum audiamus Rom. 13. *Omnis anima*, Lutheri etiam & Calvini, *potestatibus sublimioribus subdita sit*, sive ea sublimitas sacra sit, seu civilis. *Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt*; ut Deo, in homine quovis legitimè jubente, deferatur, & debeatur obsequium. *Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, non humanâ modò sententiâ, sed Dei, cujus ordinationi refractarii sunt. *Ideo necessitate subditi estote, non tantùm propter iram*, metu vindictæ

aut

aut supplicii, justâ hominis irâ infligendi: *sed etiam propter conscientiam*, homini potestate legitimâ utenti obstrictam.

VI.
Quod inobedientibus conveniens supplicium?

Scripturæ sententias aliquot modò promittebam: sed frustra fuerint descriptæ ex 1. Thess. 4. ex Heb. 13. ex Act. 15. post ista tam manifesta, & significantia, Pauli verba: quibus si Ægyptii fratres non percelluntur, supplicium caveant rebelli Core, seditiosisque sociis, divinitùs inflictum. Describitur eleganter ab Ambrosio ep. 25. ad Eccl. Vercell. ubi pro eligendo Episcopo factiones eruperant: *Immugiens terra in medio plebis scinditur, abripiuntur noxii, & ab omnibus hujus mundi ablegantur elementis; ut nec aerem haurirent, nec cælum viso, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulcro.* Indignos cælo sese fecêre, qui obtemperare detrectant: quia ordinatissimi motus cælorum sunt, & siderum. Elementis digni non sunt: quia superiorum influxibus inferiora reguntur. Sola ipsis convenit inferorum sedes, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Quamquam apud inferos quidpiam ordini non absimile videtur inveniri: quando potentiori dæmoni impotentior, minorque, obsequitur. Ut si quid inferis inferius, & deordinationis regno deordinatius uspiam foret, illuc inobediens, dehiscente terrâ, demergendus videretur.

VII.
An Catholici multis ab Ecclesia legibus onerati?

Ac verò, inquiunt, quis jugum illud canonum, & decretorum, & bullarum, & censurarum ferat? Plura dierum numero præcipiuntur: plura ossium multitudine vetantur: multiplicantur in dies decreta, & pœnæ. Quod ipsum questus Augustinus ep. 119. ad Januarium, ubi post inventionum præsumptionumve humanarum exempla adducta, ait, sic illis onerari Catholicos: *ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui, etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur.* Sic disputaverit forsan Oenanorum aliquis. Sed respondero primùm: humanas non esse præsumptiones Ecclesiastica præcepta, cùm à rectè ordinata potestate proficiscuntur, ut modò Paullus commonebat, & in eadem epistola loquitur Augustinus; à quibus præceptis quicumque alieni sunt, *caussam odii in seipsis habent*, inquit Salv. lib. 4. ad Eccl. *omne fastidium non in præceptis legis, sed in moribus suis.* Deinde dixero: ad universam Catholicorum multitudinem pertinere pauca omninò præcepta: illam autem legum, & canonum silvam ad alias, atque alias hominum classes spectare, ad quas nemo invitus adlegitur, atque adeò invitus nemo legibus istis adstringitur.

VIII.
Jugum leve est volentibus.

Sed, postea quam sponte in ejusmodi vitæ apud Catholicos institutum sese induit, det operam, ut quod semel voluit, semper velit. *Ante omnia caveamus*, inquit Eusebius Gall. hom. 8. *ut, quod nobis agere necesse est, non agamus inviti.* Nam, quomodò ait Salvianus lib. 4. ad Eccl. *Totum durum est, quidquid imperatur invitis*: & lib. 1. de Prov. *Isthæc non omnibus sunt onerosa tolerantibus, sed tolerare nolentibus. Sive enim hæc gravia, sive levia, animus tolerantis facit. Nam sicut nihil tam leve est, quod ei grave non sit, qui invitus facit: sic nihil est tam grave, quod non ei, qui id libenter exequitur, leve esse videatur.* Quare obsequendi studiosus non modò non tergiversabundè jussa excipiet, sed ultrò anteveniet. Ita levem sibi sarcinam fecit D. Epiphanius, postquam sese in Crispini Ticinensis Episcopi, decessoris sui, potestatem ac disciplinam tradiderat. Sic enim de illo loquitur in ejus vita Ennodius: *Cujus ministerio quidquid optâsset fieri, ante jussionem suam videbat Crispinus impletum. Præsentiunt enim bona mentes eorum imperia, quibus cum integritate famulantur.*

IX.
Antevenit imperia obediens.

Non exspectat jussa perfectum obsequendi studium, sed occupat: & ut occupare possit, explorat, quà potest, moderatoris sui voluntatem; vocúmque articulos, & nutuum indicia, propensionumque observat. De obedientia Deo debita scribit Tertullianus lib. de Exh. cast. *Cum in hoc probetur nostra erga Deum mens, an ea velimus, quæ sua voluntate ipsius faciunt; altè & impressè recogitandam esse ejus Dei voluntatem, quid etiam in occulto velit.* Sic erga illos etiam nobis agendum est, qui Dei vicem imperant: altè & impressè recogitandum, quid etiam in occulto velint. De se dicebat Psalmista: *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Cernimus quotidie jumenta, ad obsequendum exercitata, ita sessoris sui voluntati parere, ut præsentiscere videantur: idque eò facere proclivitùs, quò nobiliora & generosiora sunt. Quò excelsior est animus hominis obedientiæ addicti, eò propensiùs ad obtemperandum fertur, prævolatque imperiis. *Obedientia* enim, ut ait Eusebius hom. 3. ad mon. *in junioribus adhuc necessitas, in senioribus verò*, & provectioribus gradu, meritove, *dignitas.*

X.
Promptè jubentem exequitur.

Si tamen obsequiosa mens jubentis animum scrutari, præceptúmque antecurrere, nequit: id saltem præstabit, ut simul illud audierit, vel acceperit, tantâ promptitudine exequatur, quantâ flectitur navis in tranquillo, ad quemlibet gubernaculi motum. Huic promptitudini commendandæ prodigia non pauca referuntur, quibus Deus testatus est, quàm sibi jucundum sit, caussâ sui, homines hominibus esse sine cunctatione & tergiversatione morigeros. Unum, non passim cognitum, recitat Raderus noster Bavariæ sanctæ tomo 4. B. Fredericus, ex D. Augustini religioso instituto monachus, dum in cella vinaria de dolio vinum in obbâ hauriret, subitò per superiorem vocatus, obediendi studio protinus accurrit, fluentis dolii immemor, epistomiumque gestans cingulo appensum. Id ut superior animadvertit, continuò cucurrit ad cellam, invênitque aperto canale nihil prorsùs liquoris profluere. Qui sub obedientis Petri, & Mauri plantis aquas duraverat, idem ad monachi obedientis nutum vina defixit: & qui aures ipsi ad imperantis vocem aperuerat, idem os dolio clausit.

XI.
Quamdiu voluntas superioris ignota est, suam habet suspensam.

Quid autem fecerit obediens, si superioris sui voluntas comperta esse non potuit? Interim animi pendeat, & velut in bilance suam ipse libret voluntatem, donec de illa constiterit. Altiora navigia velis tantùm aguntur, ventosque ad motum exspectant; minora, remis impelluntur. Quò quis hominum virtute major est, eò magis ab alieno moderatorum impulsu regitur: de vulgo homines promovent ipsi sese, & cunctant. Dicebat Petro Christus Joan. 21. *Cum esses junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas. cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget.* Tenerior, & adolescentior, virtus multa impetu agit: adultior, & maturior, quà licèt nihil agit nisi obsequio. Talem narrat Sacchinus Petrum Canisium Vitæ lib. 2. qui, rogante Othone Truchsesio Augustano Episcopo Cardinale, ut Augustæ tam necessario tempore maneret, hoc unum respondit: *Faciam quod superiores volent.*

Qui,

Qui, cùm provinciam regeret, decretos sibi à consiliis, graviores que Patrum alios consulens, viam inibat exercendæ obedientiæ. Nam sic etiam erat similior parenti, quàm jubenti, quando consilia sequebatur: ut idem Sacchinus lib. 3.

XII. Affectus exuat, qui prompte vult obtemperare.

Ad tantæ sublimitatis gradum nunquam ascendet, qui sese priùs non exuerit rerum omnium supervacuo, extra Dei voluntatem, affectu. Quo enim pacto suspensam, velut in libri pende, mentem teneat, si ad partium alteram desiderio, vel amore, urgetur? Narrat Spondanus ad annum 1278. Petrum Joannem Olivi, ex Minorum ordine, cùm tractatus quosdam de Virgine scripsisset, quibus eam ultra modum efferebat: eos Præpositi sui Generalis jussu manibus ipsummet suis in ignem conjectos exussisse, affirmasseque, plus sibi voluptatis in illis pro ingenii sui modulo lucubrandis non fuisse, quàm in comburendis ex Prælati imperio. Fuit hic Prælatus postmodùm Pontifex Maximus Nicolai IV nomine, jussusque est, quando de Petri doctrinâ fortè coram ipso agebatur; illum non tam errasse, quàm nova scripsisse, jussumque igni tractatus suos damnare, non tam in poenam, quàm ut luxuriantem ingenii subtilitatem circumcideret. Sacchinus libro 3. vitæ Canisii, narrato, Canisium Everardi Mercuriani Præpositi Generalis jussu à scribendo destitisse, tomisque de D. Virgine & D. Joanne tertium de D. Petro non addidisse: ait, tantam obedientiæ promptitudinem fuisse *monumentatum, quod cumque stylo edere potuisset, admirabilius*. At certè longè illud admirabilius fuit, non modò à scribendo destitisse, sed scripta jam & lucubrata, & loci parata, flammis incunctanter, imò cum voluptate, abolere.

XIII. Considerante Dominum videntem, & jubentem.

Quantæ voluptati sint ingenii partus, novêre, quicumque diligunt veritatem. Iidem noverunt, quanto dolori sit eorum jacturam facere: quid autem propriis manibus eos ad interitum impellere, velut Isaacum Abrahamus? Voluptas obedienti illi scriptori in re tam difficili non fuisset, nisi affectum à rerum quarumvis extra Deum amore jam pridem abduxisset: neque enim sine dolore relinquitur, quod cum amore possidetur. Accessit ad jucunditatem spectaculi, quòd holocaustum arsit in monte Moria, in loco *Dominus videt*, Dominus jubet. Quisquis incunctanter, lubenter, jucundè obedire vult, Dominum videntem attendat, Dominum jubentem audiat. Equidem jubet Dominus, & videt Dominus: mandator idem, & exactor mandati: testis obedientiæ, inobedientiæ vindex. Itaque meritò Ephesios monebat Paulus cap. 6. ut obedirent *dominis carnalibus, sicut Christo . . . servientes sicut Domino, & non hominibus*: idemque Colossenses docuit cap. 3. De obedientiâ epistolam habes S. Ignatii nostri, inprimis sanctè & solidè scriptam. Illius virtutis modum, & encomia, in Samuele luculentè exhibet Mendoza noster tomo 2. in libros Regum. Mihi sufficerit obedienti necessitatem Ægyptiis fratribus breviter demonstrâsse: perfectionem Hierosolymitanis, ex observationum aliquarum nostrarum umbra, delineâsse.

SECTIO SECUNDA.

Ecclesiasticorum de festis præceptorum observatio.

I. Rectè festa ab Ecclesia imperantur, rectè servantur.

Istis generatim pro obtemperando præstitutis, gradus ad Ecclesiastica præcepta quælibet, ad festorum nominatim dierum observationem, facilis est. Cùm enim ligandi atque solvendi potestas Petro, successoribusque, collata sit, ut ex Christi promisso Matth. 16 constat: cumque etiam terræ esse constet ligaminum, vinculorumve genera, leges, culpas, poenas; ad quæ vincula ex æquo Petri potestas extenditur, quemadmodùm & Christi generale promissum. Inde consequitur, à Petro, à successoribus, ab Ecclesiâ obligari Christianos posse ad observationem festorum. Rectè itaque ut ait, à Calvino appellatus *fidelissimus antiquitatis interpres*, Augustinus serm. 203. de temp. *Festa Ecclesiæ colunt, qui se Ecclesiæ filios recognoscunt*: sive ea festa sint, quibus Sanctorum quorumdam celebriorum recolenda memoria proponitur: sive ad beneficiorum divinorum commemorationem pertinent, ut loquitur August. lib. 10. de Civ. c. 4. *Deo beneficiorum ejus, solemnitatibus, festis, & diebus statutis dicamus, sacramusq; memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio.*

II. Alia divini juris sunt, alia humani.

Sed antequam de festorum fine, cultusque modo ac ratione, dicamus: eorum variæ classes signandæ, & genera partienda sunt. Partiri autem genera possumus, vel ex jure, vel ex titulo, vel ex tempore. Divini enim alia, alia humani juris sunt. De his Ægyptia synagoga nobis quæstionem movit; jam satis absolutam, postquam ostendimus, humanæ potestati obtemperandum. Divini juris apud nos est Dominica dies; cujus observatio cùm à Christianis abhinc sæcula quinque valdè negligeretur, lapsam illi commendandæ de cælo epistolam Hierosolymis, ad altare S. Simeonis in Golgotha, delatamque ad Innocentium III. atque ab eo publicatam, & anno proximè sequente portatam in Angliam, per Eustathium quemdam sanctum Abbatem, ad cujus conciones miracula multa patrata sint, refert Spondanus an. 1200. ex Rogerio, verbatim epistolam recitante. Sed nos, cum Spondano, fidem literarum istarum cælestium auctori relinquimus: aliisque literis, ac monitis, quàm Apostolicâ traditione, Dominicam diem divinitùs sanciente, non egemus. Divini item juris sunt quædam festorum præcipua, humani cætera: qua de re Baronius ad annum 58. ubi existimat, festorum de Sanctis Martyribus institutionem ab Apostolis esse: de Confessoribus postmodùm ab Ecclesiâ inductam. Apud Judæos olim generum itidem duorum festa fuêre: divinæ legis mandato imperata, ut Paschæ, Tabernaculorum, Pentecostes: humano præcepto sancita, ut dies Phurim seu Sortium, Encæniorum, Nicateriorum.

III. Festorum apud Christianos titulus triplex: unus olim apud Judæos solum. Cur his non fuere festa Angelorum.

Ex titulo triplex festorum genus est. Nam Deum alia directò spectant, quædam Deum-hominem, Sanctos cætera. Ad Deum pertinent Dominicæ, seu Domini dies, in Sabbatorum vicem substitutæ. Deo-homini sacratæ sunt dies Nativitatis, Resurrectionis, aliæque. Sanctorum titulo dedicatæ sunt, quæ ad D. Virginem, Beatosque Angelos, aut homines, referuntur.

Generum

Generum iſtorum unicum apud Judæos fuit: quia nondum factus erat Deus-homo: neque homines adhuc beatitudinis æternæ compotes erant, feſtoſque adeò ipſimet dies non agebant. Angelis autem, etſi beati erant, illos tamen dici ſacræ honores deferri non expediebat; eamdem ob cauſſam, propter quam ignotum Deus eſſe ſepulti Moyſis locum voluit. Prona enim ad ſuperſtitionem Hebræa natio, & Ægyptiorum, apud quos adoleverat, imitatione ad idololatriam facilè lapſura, ſi Moſis tumulum noviſſet, divinos illi honores deferre voluiſſet. Ita ſi Angelorum titulo, Moſaicâ lege, ſolennium dierum indicta fuiſſet celebritas; ſacrificiorum illis, cæterorumque honorum divinorum, offerendorum, occaſionem inde Hebræi arripuiſſent.

IV. *Genera feſtorum à ratione temporis.*

Feſtorum apud nos, à temporis modo, alia mobilia dicuntur, quæ certo anni diei affixa non ſunt: alia immobilia, quæ eumdem ſemper anni diem tenent. Immobilibus Dominicas dies aggregamus: quæ licèt ſtatum ſemper anni diem ſervare non poſſint, aptantur tamen ad Solis curſum, menſiumque & hebdomadarum, non lunarium, ſed ſolarium. Apud Hebræos, ſabbatorum ſeptimo quoque die recurſus fiebat ad anni ſolaris modum; atque adeò illa, Dominicarum noſtrarum inſtar, immobilibus feſtis accenſenda erant. Dies autem Paſchæ, Pentecoſtes, aliique, ad Lunæ curſum aptandi, æquè mobiles erant ac lunæ ipſæ, per intercalationes triennales nunc promovendæ, nunc retardandæ. Sic olim apud Romanos ſuperſtitio, religionis æmula, feſtorum varia tempora induxerat, teſte Macrobio lib. 1. cap. 16. *Stativæ feriæ* dicebantur, quæ immobiles erant, certoque anni diei defixæ. *Conceptivæ feriæ* erant, quæ ſtatum anni diem non habebant, ſed Pontificum arbitrio conceptum ac deſignatum. *Interciſi dies* appellabantur, ſemi-feſti: *profeſti* erant, quos dicimus operoſos.

V. *Fines Judaicorum feſtorum generalis primarius, quies animi in Deo.*

Quorumcumque feſtorum, quovis jure ſancitorum, quovis titulo inſtitutorum, quovis tempore celebrandorum, fines generales bini ſunt, animi & corporis quies. Eos fines Sabbati appellatio, ſeptimæ diei indita, ſignificat. Animi autem quies, finis primarius, in eo eſt, ut humana mens in Deo, per quem & ad quem condita eſt, acquieſcat: ſicut Deus in ſemetipſo, poſt univerſi conditionem, conquieviſſe dicitur. B. Eugenius junior, in additamento ad Dracontii Hexaëmeron, rationes afferens, cur ſeptima dies ſit dicta Requies, ſive Sabbatum, hanc non omiſit. Verſus illius, & Auguſtini ſententiam, quam ſecutus nobis videtur, reperies l. 1. c. 2. ad v. 39. ubi dicimus quidpiam de ſabbatiſmo ſpirituali.

VI. *Secundarius finis generalis, quies corporis.*

Finem alterum generalem, quietem corporis, apertè indicat Deus, tum alibi paſſim, tum Deut. cap. 5. *Septimus dies Sabbati eſt, id eſt requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, ſervus, & ancilla, & bos, & aſinus, & omne jumentum tuum, & peregrinus, qui eſt intra portas tuas: ut requieſcat ſervus tuus, & ancilla tua, ſicut & tu. Memento, quòd & ipſe ſervieris in Ægypto;* adeoque & ipſe expertus ſis, quàm labore fatigetur corpus, quamque alterna quiete indigeat. Itaque non profani ſolùm ſapientes, quomodò recentior quidam cenſere videbatur, feſta quieti corporum inventa dixêre: ſed Scriptura divina idipſum apertè pronuntiavit. Plato apud Clementem Alexan. l. 3. Strom. aiebat, humano generi, ad labores nato, deorum miſericordiâ indictos dies feſtos, ut interdum à laborum aſſidua contentione reſpirarent. Vitam enim, ſine feſtorum alternatione, longam eſſe ſine diverſoriis viam; ut inquiebat Democritus. *Legum conditores*, inquit Seneca lib. de Tranq. ſub finem, *feſtos inſtituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publicè cogerentur: tamquam neceſſarium laboribus interponentes temperamentum.* Sic profani dixêre, non profanè tamen: quandoquidem Deus ipſe ore Moyſis, & calamo, Sabbata præſcribat, ut requieſcant herus ſimul & famulus, hera pariter & ancilla.

VII. *Particulares fines, beneficii memoria, aut myſterii celebratio.*

Ad fines illos generales acceſſêre fines quidam alii ſingulares, pro ratione feſtorum. Vel enim beneficium aliquod præcipuum, Fidelibus publicè collatum, recolendum fuit; vel commendandum peculiari celebritate quodpiam divinitatis, religionisve, myſterium. Ad gratiæ acceptæ in Ægyptiaco egreſſu memoriam, feſtum Paſchæ, tranſituſve, inſtitutum eſt: ad ducatûs præſtiti, mannæque in ſolitudine præbitæ monumentum, Tabernaculorum dies deſtinati ſunt: ad pœnitentiæ & luſtrationis commendationem, indictus Expiationum dies celeberrimus; Tubarum item dies, ad cultus divini renovationem ſignificandam, atque excitandam. Ritus illos exhibet cap. 23. liber Levitici. In hiſce Machabæorum libris Nicteria indicuntur, ad obtentarum divinitùs victoriarum commemorationem: Encænia præſcribuntur, ad divini cultûs innovati monumentum, ſimul ad Templi religionem ſanctimoniamque commendandam.

VIII. *Chriſtianorum feſtorum fines.*

Hebræis iſthæc ſancita ſunt: Chriſtianis, ad quietem animi ac corporis, plura decernuntur, eademque auguſtiora longè tum ad gratitudinem, tum ad pietatem. Dominicæ omnes memorando creationis beneficio, & beatæ reſurrectionis ſpei, deſtinantur, ut Ambroſianus Dominicarum hymnus concinit. Naſcentis, Reſurgentis, Aſcendentis Chriſti dies beneficia ſimul, & myſteria, recolunt: dies itidem Pentecoſtes, Ven. Sacramenti, aliique. Feſta, D. Virginis, Angelorum, Sanctorúmque titulis dedicata, eoſdem prorſus fines habent. In enim id primùm agimus, ut Deo, pro beneficiis in ipſos liberaliter profuſis, gratias debeamus: deinde, ut ad divinorum myſteriorum ipſis vel cognitorum, vel frequentatorum, venerationem excitemur. Huc pertinet, quod Naz. ait orat. 16. ad cultum Martyrum feſta inſtituta: & quod Aug. lib. 2. con. Fauſt. *ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum ſocietur, atque orationibus adjuvetur* populus Chriſtianus: & quod Bern. ſerm. in vig. SS. Petri & Pauli dicit, ſpectari in Sanctorum feſtis, *auxilium Sancti, exemplum ejus, confuſionem noſtram.*

IX. *Servilia opera ad eos fines vetita, & piena.*

Ex hiſce inſtituendorum feſtorum finibus, de facili conficitur ratio tranſigendorum. Ante omnia, quod Judæis olim præſcriptum, *Opus ſervile non facietis in eo*, idem Chriſtianis edictum eſt, ut, feriante à laboribus corpore, mens quietior in Deum intendere, ſanctumque otium agere poſſit. Apud Judæos legis iſtius violatio capitalis fuit, publicoque lapidationis ſupplicio ſancita. Apud Chriſtianos mortis pœnâ ſublatâ, & in pecuniariæ mulctæ obligationem mollitâ, manet tamen reatus criminis, quod ſi pœnitentiâ hîc non expietur, divinam alibi ultionem exſpectabit. Quamquam hîc etiam Deus interdum, ad ſalubrem publicè terrorem, damnis, morbiſve, irreligioſos feſtivæ quietis tranſgreſſores punierit. *Ignoſcit enim*, inquit Salv. l. 5. de Prov.

aliquatenus

aliquatenus ignorantia potest, contemptus veniam non meretur. Sic apud Florimondum Ræm. Antich. c. 38. fabro cæmentario contigit, opus quoddam in ædibus suburbanis caussidici Burdegalensis molienti, idque die D. Joannis continuanti. Cùm enim ab advocato monitus, tantisper cessâsset, eo tamen abscedente opus resumpsit, moxque in comitialem morbum, quem Burdegalenses vulgò S. Joannis morbum appellant, incidit, horrendéque ululare cœpit: etsi anteà numquam eo morbo tentatus fuisset, viribusque integerrimis polleret. Non absimile quidpiam perhibuêre nuper de Japone Christiano narrationes anni vicesimi quinti. Solemni die, frustra dehortantibus amicis, lignatum ivit, alteroque securis ictu digitum sibi abscidit, parumque ex vulnere abfuit à mortis periculo, sapientior exinde & sanior. Ad annum nuper quadragesimum nonum agricola quidam Tirvillanus, propè Virdunum, Dominicâ mergites demessos carro ivit impositum, contra disertam prohibitionem. Cùm carrum secundo tertióve mergite oneraret, repentè mortuus concidit. Ita in Opere manuali scribit P. Blancus è Societate nostrâ, qui tunc Virduni agebat, & de narrationis veritate accuratè quæsivit, attonitâ ad casum viciniâ omni regione.

X. Festis, cavenda præcipuè servilitas peccatorum.

Jam verò, si externis illis servilium operum laboribus per festos dies abstinendum est: multò amplius ab istis cavendum operibus, quæ internæ & spiritualis servilitatis sunt. Ob hoc enim ipsum illa sunt prohibita, ut diligentem ab istis continentiam doceamur: neque idcircò duntaxat otium indicitur, ut corpus conquiescat; sed ideò præsertim, ut in Deo tranquilla sit, & quieta mens, quod esse sincerè non potest, nisi sese à peccando continuerit. Aberrant itaque maximè à ratione festorum Christiani, qui per comessationum insanias, aliásve indignas & indecoras relaxationes, transigunt. Licet equidem tunc aliquid lætitiæ indulgere, idque vel ex Tertulliano disco in Apologetico, *Et diem Solis*, id est Dominicam, *lætitiæ indulgemus, alia longè ratione, quàm religione Solis.* Ea tamen recreatio corporis post mentis cultum poni debet, & intra modestiæ ac temperantiæ Christianæ limites fieri. Alioqui Christiani ab Augustino idem, quod Judæi, audient, tract. 3. in Joan. à nobis etiam adducto ad I. 1. c. 2. v. 58. &c. *Judæi serviliter observabant diem Sabbati ad luxuriam, ad ebrietatem. Quantò melius feminæ eorum lanam facerent, quàm in Neomeniis saltarent? Absit, fratres, ut illos dicamus observare Sabbatum. Spiritualiter observat Sabbatum Christianus, abstinens se ab opere servili. Quid est enim ab opere servili? A peccato. Et unde probamus? Dominum interroga. Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Libro itidem de 10. chordis, *Melius*, inquit, *faceret Judæus in agro aliquid utile, quàm in theatro seditiosus existeret. Et melius feminæ Judæorum domi lanam facerent, quàm totâ die in Neomeniis impudicè saltarent.* Tantumdem, opinor, Christianis nonnullis, viris ac mulieribus, per potationum, rixarum, saltationum otiaque lascivamque licentiam festos dies agentibus, Augustinus hodie diceret, si rediret.

XI. Præceptum audiendi Sacri, & cur?

Nec sufficit Christiano per festos dies malis operibus abstinuisse, nisi etiam bonis sese addixerit. Inprimis Ecclesiæ præceptum æquissimum est, ut Sacro Fideles intersint. Cùm enim idcircò præcipuè festa instituta sint, ut Deo vacetur, ejusque cultui religio ac pietas impendatur: non potuit Christianæ pietati excelsius quidquam augustissimo sacrificio imperari. Nam pretio immensi victima Numini offertur, æquaturque ipsius majestas, & vilitas offerentis compensatur, doni magnitudine. Præterea, cùm beneficiis divinis recolendis festa dicata sint: non poterat id fieri commodiùs, & efficaciùs, quàm Eucharistiâ, gratiis agendis destinatâ, gratiarumque omnium fontem continente, unde beneficia cælestia in hominum quoslibet ubertim manavêre.

XII. An auditio verbi divini præceptum sit?

Ad religionem proximè pertinet verbi divini auditio: quam aliqui à Concilio Tridentino indictam existimavêre, cùm sess. 5. de ref. cap. 2. tum præsertim sess. 24. c. 4. ubi gravibus verbis necessitas ad populum dicendi, & dicentes audiendi, commendatur. Ea necessitas, quia mihi jam pridem usu cognita est: lubens in illorum sententiam irem, nisi contra opinantium multitudo, & consuetudo, obsisteret. Esto ergo istud consilii tantùm: donec populi Christiani Patribus de præcepto statuendum videatur. Quod equidem optârim, in Dominicas saltem dies, festásve solenniores præscribi: nisi legitimi impedimenti ratio gratiam legis faciat. Hoc enim pacto multi de plebe, sciendorum prorsùs ignari, & salutis suæ immemores, ad audiendum ac discendum cogerentur, vel peccandi metu, vel pœnæ mulctæve, ab exactoribus legum infligendæ, formidine. Nam, ut ait Ambr. ep. 25. ad Eccl. Vercell. *in consilio utilitas est*, quia non omnes capiuntur, *in præcepto loquens*, quo comprehenduntur universi. *Consilium invitat volentes: præceptum stringit etiam invitos.*

XIII. Festos dies decent opera caritatis.

Consilii præterea fuerit, per dierum festorum lætitiam in opera caritatis incumbere: Christi exemplo, quem sabbatis ægros sanâsse legimus, ad Pharisæorum usque invidiam. Ægri visitantur, quibus commodum est: stipes liberaliùs effundantur, quibus promptum est. Mittantur partes egentibus: ut non ipsi modò festis conquiescamus, sed opis etiam aliquid, ad aliorum quietem, afferre conemur. Narrat scriptor vitæ Alexandri Luzzagii: illius patri vicum fuisse in agro Brixiensi, cujus incolæ rusticani consuêssent, Divi tutelaris festum per saltationes indecoras, ludósque infrunitos, agere. Pravæ consuetudini emendandæ, docendisque agrestibus dierum festorum sanctitatem; Alexandrum illuc, eo die, nobilibus quibusdam Brixiensibus comitibus, concessisse, & palàm cum illis pauperes collegisse, ad mensam invitâsse, invitatisque ministrâsse. Sic olim agapes suas, & convivia, celebravêre Christiani, advocatis in partem pauperibus: ut sacros dies conjunctâ religioni sacratissima caritas sacratiores efficeret; operum etiam servilium, pro miserorum solatio, licentiam facile datura, ubi necessitatis ratio apparuerit. Neque enim minùs aliena necessitas, quàm nostra, præstandarum quovis die, aut exigendarum operarum, facultatem concedit.

XIV. Sunt imagines & prælusiones æterni festi.

In hisce vitæ mortalis feriis intercurrunt non pauca, ob quæ, tum nostrâ, tum alienâ caussâ, corporis quietem aliquando interrumpere oportèat: intactâ interim, & integrâ semper, quantum per rerum temporúmque vicissitudines licuerit, animi quiete. At in illis immortalis vitæ feriis, quarum hæ prægustus quidam, & specimen sunt, cum æterna quiete mentis, erit itidem imperturbata corporis quies. Nulla illic tenebit, nisi diligendi Dei, necessitas: perpetua dabitur ab opere omni servili, & à peccato quovis,

immunitas: regnabit sine fine suavissima, nec laboriosa, caritas. Illic beneficiorum divinorum recordatio sempiternum exiget tributum gratiarum, & sacrificium laudis. Divinorum illic mysteriorum, in ipsius Verbi divini adytis, aperta contemplatio auditores pariter, & concionatores, citra ullum fastidii periculum pascet. Festum illic agemus lætantes, & securi, quod hic, lætitiæ & securitatis imitatione, agere discimus. Mobilia festa nostra sunt, & conceptiva; imò intercisa potiùs, ac profesta: stativum illud, & immobile. Sic per mobilia nostrum pietatis, atque obedientiæ, studium transeat: ut in immobili religio nostra, & caritas, conquiescat.

SECTIO TERTIA.

Templa Christiana quanto sint Hierosolymitano sanctiora?

I. Encænia, festa re Dedicationû, meritò læta Christianis.

ISIDORUS lib. 1. de Eccles. off. c. 35. agens tum de festivis diebus generatim, tum præcipuè de Encæniis, seu anniversariis templorum dedicatorum: *Propterea*, inquit, *dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter conveniant, ut è conspectu mutuo fides crescat, & lætitia major oriatur.* Læta festa omnia sunt; atque adeò lætum esse, ac festum, idem fermè est. Illorum tamen festorum iopsimis gaudiis publicè celebrantur, quæ recolendæ templorum dedicationi sacrata sunt. Neque immeritò sibi Christiana plebs de istius diei memoria gratulatur; quandò fixum est tabernaculum Dei cum hominibus, & habitavit cum eis, collegitque immensæ bonitatis suæ majestatem in humanæ domûs angustias; ut beneficiorum omnium illic monumentum simul statueret, & fontem aperiret. Et verò, si Judæos æquum fuit Hierosolymitani templi structurâ, & instauratione, gaudere, gaudiique annuam commemorationem seræ posteritati indicere: quantò æquius fuerit lætari Christianos, de sacris suis ædibus excitatis, Salomonico illo aut Zorobabelico templo, quantulæcumque sint, longè sanctioribus.

II. Templi Salomonici ars, & opes, mirabilia.

Justinianum Imperatorem ferunt, Constantinopolitanâ æde S. Sophiæ Sapientiæve incarnatæ exstructâ, in aditu vestibuli post januam collocâsse statuam Salomonis, velut occultantis sese, & vinci erubescentis. At quanam parte superatum à se Salomonem Justinianus gloriari potuerit? Non magnificentiâ, opinor, ac divitiis: neque enim aureorum millionum millia terna in ædem illam impenderat; quantum à Salomone in templi Hierosolymitani exædificationem, & ornamenta, consumptum fuisse, Pineda censuit, aliique accensuêre; argenti, ærisque, & metallorum ceterorum rationibus, extra summam illam sepositis. Neque arte structuræ, & architectonicæ elegantiâ, victorem sese Justinianus facilè apud illos ferre audeat, qui Villalpandos aliósve id genus Scriptores, de Salomonici templi fabrica legêre, & Philippum II. Hispaniarum Regem audiêre, descriptionibus illis sæpè hæsisse attonitum, inclamasseque, O mirandum ædificium!

III. Sanctitudo in Templis longè potior magnificentiâ.

Demus tamen Justinianæam basilicam Salomonico templo certare, palmamque, materiæ opulentiâ, & operis pulcritudine, præripere potuisse. Sed quid exinde egregiæ laudis, & præcipuæ commendationis, merebitur? Mox enim pagani certatim & hæretici, idem delubris suis, & fanis, decus afferent. Hinc nobis prisci Ephesiæ Dianæ templa, Beli Babylonii delubra jactabunt. Hinc recentiores Mempliticum Mosquarum, Indica, Sinensia, Peruviana, Mexicana fanos efferent. Ostentabuntque ubique superbæ moles, & minantia cælo culmina, dæmonum cultui, asseclarum usui, dedicata. Ut pro magno venditare ædis suæ opulentiam, & elegantiam, Justinianus non debuerit: quando parem habent, aut potiorem, ista *feralium mysteriorum sepulcra*, quemadmodum aptè appellat Codex Theodos. de hæreticis, leg. 7. Christianorum templorum summa, & eximia, ex sanctitate laus est, quia sanctitatis fonti, amatori, muneratori consecrantur. Convenit equidem illorum magnificentiis majestati Numinis: at longe magis sanctimonia congruit sanctitati; quam olim etiam in Mosaicæ legis umbris fuisse potiorem, Psalmista docuit, quando vel solius sanctitudinis in domo Dei meminit, vel eam saltem magnificentiæ anteponit: *Sanctitas & magnificentia in sanctificatione ejus: Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.*

IV. Ædes omnes sacræ Christianorum quo genere sanctitatis excellant?

Atqui, ex hoc capite, non illa modò Justiniani ædes Salomonicam incomparabiliter exsuperat; sed Christiana templa quælibet, & sacella: ut ad singulorum vestibulum si Salomon ipse redivivus sistatur, admiratione sanctimoniæ defixus sese ultrò cedere fassurus sit. De interiori sanctitate hic non agimus, cujus genera duo sunt. Prima, quam essentialem appellamus, uni Deo propria est: quia ex naturæ necessitate *nemo bonus, nisi solus Deus.* Altera, quam accidentalem dicimus, creatæ naturæ non debita, sed addita, gratiæ divinæ participatione. Exterior sola templis convenit, eò major futura, quò propiùs, & directiùs, vel Essentialem Dei, vel Accidentalem creatarum mentium sanctitatem respiciet, aut attinget. Respectus autem ille tribus ex capitibus peti potest: primùm, à consecratione: deinde, ab actionibus loco destinatis: denique, ab hominibus, Angelisve, illic versari solitis. Tria isthæc capita mihi Ecclesia spectâsse videbatur, cùm ista Christi ad Zachæum, festis Dedicationum, recitari jussit: *Hodie in domo tua oportet me manere.* Manet enim in sacris Christianorum ædibus Christus, consecrationis officio, actionum merito, personarum affectu: consecrationi divinam suam magnitudinem ac potentiam acclinat, actionibus accommodat gratiæ suæ auxilium, personis societatem suam in Ven. Sacramenti præsentia conjungit.

V. Templa Christiana, quocumque tituli, Deo dedicantur.

Augustinus lib 4. con. Cresconium Grammaticum, templa Christiana appellat, *Omnipotenti parietes consecratos, Ecclesiam venerandam:* ideircò utique venerandam, quia parietes habet omnipotenti consecratos. Hæc prima sanctitatis templorum nostrorum causa est, necessarius ex fine suo ad sanctitatem essentialem respectus. Nam, ut Levit. ult. Deus ipse constituit, *Quidquid semel consecratum fuerit Domino, sanctum sanctorum erit.* Deo autem templa omnia nostra dedicari constat, imo alteri dedicari non posse, citra supremi cultûs, immenso Numini debiti, labem. Sive ergo Virginis titulo ac memoriæ, seu Angelorum Sanctorumve nomini, posita dicantur: illius tamen ante omnia honori dicata sunt, & ad illum referuntur, cui Sancti, & Angeli, & Virgo ipsa servivêre, ut sanctimoniam compararent. Eamobrem existimo, templorum Christianorum situm, jam olim ex nascentis Ecclesiæ instituto, ad

Orientem

Orientem obverti solitum: ut vel inde intelligeretur, Ei eo esse consecrata, qui ascendisse dicitur super cælos cælorum ad Orientem.

VI. Cur eorum situs Orientem spectat?

Quamquam Gregorius Nyssenus delectum imprimis situm illum existimat; quia paradisus, cujus amœnitatem ac felicitatem per templa repetimus, ad Orientem plantatus fuit. Justino placet, eo nos situ doceri, consecrandam obsequio Numinis nobilissimam animi nostri partem: præcipuam enim partem Universi Orientem esse, indéque motum inchoari. Augustino visum est, ex istius situs ratione discendum, quò mentium nostrarum facies & intentio dirigenda sit, quémque orando finem spectare oporteat, ut oriatur nobis lux indeficiens. Alii censuêre, significatam Ecclesiæ Christianæ, semper orientis, numquam defecturæ, claritatem: idque inde magis apparere, quòd Mosaici tabernaculi ostium Orienti obversum erat, atque adeò altare, & sacrificantes, atque adorantes Occidentem spectabant; quia Hebraica Synagoga sic orta fuit, ut occidere aliquando deberet; ut Ecclesia sic exorta est, ut numquam occideret. Alii alia super positûs istius mysteriis eleganter, ac piè, disseruêre, Baronius inprimis ad annum Christi 57. Mihi videbatur, eo potissimùm à sapientissimis majoribus nostris fine delectos: ut vel sic appareret, esse domos Dei, qui timentibus nomen suum propitius, ac beneficus, semper exoritur, & sanitas in pennis ejus.

VII. Cur Crucis, & Christi cruci affixi, figurâ sint?

Eamdem forsan ob caussam, templa Christiana, Crucis formam exhibent, ut partibus omnibus suis Deo prorsùs addicta esse intelligantur; quemadmodùm crux & passio ac vita Christi universa, qui Patri factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Imò non crucis dumtaxat idcirco figuram, sed Christi ipsius cruci affixi imaginem exprimunt. Si enim ad eam imaginem, quomodò Villalpandus tomo 2. pag. 475. opinabatur, Hierosolymitanum templum, velut vaticinio quodam, effictum est: longè id verosimilius de templis Christianis, Christi exemplo ad Numinis gloriam & cultum dedicatis, dixerimus. Et, si quod Vitruvius aiebat lib. 3. c. 1. *Non potest ulla ædes sine symmetria, atque proportione, habere rationem compositionis; nisi, uti ad hominis benè figurati, membrorum habuerit exactam rationem:* ædium nostrarum sacrarum symmetria, atque proportio, compositióve nulla esse poterit, quàm quæ ad optimè figuratum Christi corpus exigetur. Quemadmodum autem corpus Christi, partésque ejus universæ, obsequiis divinis omninò servière: ita templa nostra, membráque illorum omnia, ex structuræ suæ ratione, cultui divino, quem latriam dicimus, ordinantur.

VIII. Templa omnia Hebræorum Deo dicata fuêre.

Quid autem hîc, inquies, de Christianis templis proferimus eximii, cùm Deo dicata dicimus? Idem non de tabernaculo modò Mosaico, Salomonicóve templo, aut Zorobabelico, quod Machabæus noster instauravit, affirmetur: sed de Herodiano ipso, quod abominandæ memoriæ tyrannus exstruxit. Neque Oniam ab Ægyptiacis Judæis alteri, quàm uni ac summo Numini, consecratum est. Nec Samaritanum delubrum alii cultui, quàm divino, Manasses Sacerdos excitavit. Quid ergo mihi Christianorum templorum sanctitatem ex eo commendas, quòd essentialem sanctitatem de proximo respiciant: cùm exinde ista etiam profana, & schismatica delubra illis paria sint? Faciamus, ex illo capite esse æqualia, & in consecrationis fine prorsus convenire: at longè dispariâ sunt, ex conditione consecrantis: *Tecta*, quamvis egena, & *vilia*, *de consecrantis nobilitate decorantur*, inquit Ennodius in dictione missa Maximo Episcopo, pro Dedicatione templorum Sancti Joannis Baptistæ & Evangelistæ. Da mihi ædem sacram, quantumlibet vilem, Christiana modò sit; decus suum, ac pretium tamen præ Hierosolymitano sumet, de nobilitate consecrantis.

IX. Templa Christiana cælitus consecrata.

Hierosolymitanum Salomon, ac deinde Zorobabel, cum suis sui Pontificibus dedicavêre: Christiana quis consecravit? Non hîc refero divinitùs, aut cælitùs consecrata: quomodò D. Petri templo Londinensi, ab ipso D. Petro factum, narrant Baronius anno 610. & scriptor vitæ Divi Edoardi Regis. Quod a Christo ipso, comitibus Petro & Paulo Apostolis, Martyribusque Dionysio Rustico & Eleutherio, collatum basilicæ Dionysianæ perhibet Gaguinus lib. 3. & Fulgosus. Quod, apud Raderum in Bavaria sancta, contigisse sacello D. Virginis per Eberhardum Abbatem cellæ S. Meginardi in Helvetiis exstructo, scripsit D. Conradus Episcopus Constantiensis, oculatus testis. Evocatus enim unà cum Udalrico Episcopo Augustano, ad istius sacelli, & basilicæ Mauritianæ circumjectæ consecrationem, sub mediam noctem illuc ad orationem concessit. Dum orat, *Descendit Dominus de cælo, cum casula violacea, ante altare, ad sacrum officium celebrandum:* ipsa ejus verba sunt, ex fragmento voluminis inscripti, Secretum secretorum, *cui quatuor Evangelistæ infulam capiti ejus imponentes, & more consueto deponentes; Angeli, aurea thuribula deferentes, alii sua & ramis arborum stabant juxta Dominum. S. Gregorius flabellum in manu tenens: S. Petrus in manu baculum pastoralem: Sanctus verò Augustinus, & Ambrosius, stabant ante Dominum: Maria Virgo ante altare stabat splendida sicut fulgur. S. Michael præcentor erat: S. Stephanus legebat Epistolam, S. Laurentius Evangelium. Sanctus sic cantabatur; Sancte Deus in aula gloriosæ Virginis, miserere nobis. Benedictus Mariæ Filius, in æternum regnaturus qui venit. Agnus Dei sic. Agnus Dei miserere viventium in te credentium, miserere nobis. Agnus Dei miserere mortuorum in te piè quiescentium, miserere nobis. Agnus Dei da pacem vivis, & defunctis, in te piè regnantibus. Ad Dominus Vobiscum respondebant Angeli, Qui sedes super Cherubim, & intueris abyssos.* Visi admirabilitate, & suavitate, fermè impos sui Conradus, cùm in sacello ad meridiem usque hæreret, ad eum adiêre, qui consecrationem ædis tandem postularent. Visum ipsis enarrat: urgentibus nihilominus consecrationem, audita ter illæ de cælo voces: *Cessa frater, cessa: divinitùs Capella consecrata est.* Historia hæc, etsi fidem difficulter apud nonnullos inveniet, fecit tamen non apud Leonem modò, quem Baronius Antipapam vocat; sed apud multos deinceps Pontifices Maximos, à quibus rata illa consecratio habita est, uti Leo habuerat literis datis anno 964.

X. Dedicata per Episcopos templa ex antiquissimo Ecclesiæ instituto.

Sed omissis narrationibus istiusmodi, quales ex hujus occasione Raderus congerit; de Augustano in Vindelicis odæo, quem veterem chorum appellant, ab Angelis consecrato, quamobrem agitur quotannis memoria dedicationis Angelorum: de D. Rhomedô ædicula, quam ab Angelo dedicari vidit S. Vigilius: de æde D. Michaelis in Gargano, structâ per Angelos, & sacratâ: de sacello Sanctæ Crucis, quod nobiles duo Suntzebergii Leonem IX. Pontificem,

IV.
Scientia & impietas adverſùs Evangelium conſpirant.

Quietam prædicationem Apoſtoli non ſperabant, quibus Chriſtus diſertè prædixerat, *Ecce ego mitto vos, ſicut oves inter lupos: abſque ſynagogis facient vos: trahemini ante Reges & præſides: trademini à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis.* Præſcii itaque laborum, & malorum, in Evangelica lege promulganda tolerandorum, Apoſtoli; munus ſuum intrepidè tamen aggreſſi ſunt, & puriſſimam doctrinam vitioſis, altiſſimam doctis, publicavêre. Fremebat contrà *ſcientia quæ inflat*, magnis argumentorum agminibus ſtipata; rationem fidei ſubdere, quæ non intelligeret diſcere, rudibus atque infacundis hominibus magiſterium concedere, & audientiam accommodare, indignata. Ringebatur impietas, numeroſis cincta pellicatuum, ſcortorum, furtorum, ambitionum, ſuperſtitionum turmis, ſeque palàm damnari non patiebatur apertâ commendatione virtutis. Fœderantur ſcientia, & impietas, adversùs naſcentem Eccleſiā, eamq́ue primùm clamoſis diſputationibus Hieroſolymæ, Athenis, Romæ, obruere conantur. Sed cùm falſitas arrogans cōtra modeſtā veritatē nihil evinceret; auxiliares à tyrānide copias flagitavêre.

V.
Auxiliari tyrannide.

Adfuit illico viribus armata, poteſtate terribilis, rapinarum, contumeliarum, carnificinarum multitudine formidandum, ferociâ horrendum exercitum trahens: velut unico flatu vixdum benè progerminantem de ſemine ſuo plantulam eradicatura. Sed ivêre Apoſtoli gaudētes à cōſpectu cōcilii, quia digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati. Apoſtolorum diſcipuli ſuſcepêre verbū in tribulatione multa, & rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſtinuêre. Nec probrorū infamia, nec paupertatis incommoda, nec tormentorum atrocitas, quidquam adversùs veritatis patientiam profecere. Ubique pugnatum eſt, diu, acerrimè; ut religionis præcones vel ſævitiâ terrerentur, vel diuturnitate laſſarētur, vel varietate ſaltem incurſuum diſtracti debilitarentur. In Romani imperii ſolo, *ſilvâ frementium beſtiarum, & turbulentiſſima profunditate Oceano*, ut loquitur D. Leo; per terna fermè ſæcula horribiles Chriſtianis perſecutiones incubuêre. Denas vulgò numerant nō quia plures non fuerunt, ſed quia iſtæ atrociſſimæ præ cæteris. Cæſarum primus in Chriſtianos ſævit Nero: *Tali dedicatore damnationis noſtræ gloriamur*, inquit Tertullianus in Apolog. *qui enim ſcit illum, intelligere poteſt, non niſi grāde aliquod bonum à Nerone damnatum.* Iſtius monſtri juſſu, Chriſtiani, pice inuncti, Romæ noctu in plateis tædarum vice arſêre: ut vel ſic lux in tenebris luceret. Adriano graſſante, militum millia decē loco uno & tēpore, pro Chriſtiana lege obiêre. Lugduni, & in viçinia, ſtrages tanta Chriſtianorum, Antonino Vero jubēte, edita eſt, ut ad novemdecim illic Martyrum millia numerentur. Diocletiano graſſante, imperium omne Romanū Chriſtiano ſanguine exundavit: Nicomedia, & Treviris, nobiliſſimæ urbes, commune fermè civium omnium, quotquot Chriſtum colebant, ſepulcrum fuêre, vel buſtum.

VI.
Quale incrementum Evangelii incrementum?

Quatuor tantùm perſecutiones attingo, & pauca loca deſigno, in locorum cæterorū ac temporum ſpecimen. Per tam horribiles tempeſtates, bacchantibus ventis, irruentibus procellis, quale tamen doctrina Chriſtiana incrementū accepit? Quàm altè exiguum iſtud ſinapeos ſemen cœlum excelſum, brachia diffudit? Quanta cæleſtium volucrum multitudo, hominū ſapientium, potentium, locupletium in illius ramis nidulata? Quæ Univerſi mutatio in melius Evangelii prædicationem comitata, vel ſecuta eſt? Illuſtriori longè miraculo, quàm ſi, ut vaticinabatur Iſaias, in ſolitudine nemorum amœnitas læta repentè conſurgeret: & ſi in cubilibus draconū oreretur viror calami, & junci. Jam inquit Hieronymus ep. ad Nepot. & ad Lætam, nō Latini ſolum, Græcique, & Hebræi, quorum linguas crucis titulus Chriſto conſecravit, divinorum bonorum & beatæ immortalitatis fiduciâ eriguntur: ſed Perſæ, Gothi, Ægyptii, Indi eâdem ſeſe ſpe conſolantur. Thracum & Scytharum feri clamores in ſuavē tranſiêre crucis melodiam. In Septemtrionū nivibus ardet calor Chriſtianæ caritatis: & ſub zonæ torridæ ignibus benignus manſuetudinis imber, & ros gratiarum cæleſtium, ſentiuntur.

VII.
Quàm admirandum!

Si Chriſtiana religio citra obicem ullum ſuccreſceret; ſi abſque prælio, & ſanguine, homines ab idololatria & vitiis ſeſe abduci ſinerent: mira tamen planè foret mutatio, inquit Chryſoſtomus, homil. 4. quòd Chriſtus ſit Dominus. Quantò magis ſtupendum, per tot obſtantia tantam, & tam ſubitò, ad meliora converſionem extitiſſe, tam paucis & tam parùm idoneis præconibus, ac teſtibus, ſi cum auditorum multitudine, ingenio, potentiâ comparentur? Inter lupos undique frementes diſperguntur agni duodecim, alius aliò; & lupos, poſitâ ſæva in agninam indolem vertunt. Dulcis aquæ guttulis duodecim, aliis alibi fuſis, mare magnū repentè amiſsâ ſalſedine dulceſcit. Quis, quamvis Joanne & Mambre dementior, quamvis Ægyptio quolibet obduratior, non exclamet, *Digitus Dei hic eſt?* Multis variis priſcorū ſæcula tulêre ſapientes homines, ac diſertos. Uno fermè ævo Græcia Socrates, Platones, Theophraſtos, Zenones, Ariſtoteles audivit. Quantum iſti docendo, ſcribendoq́ue, profecêre? Platonis reſpublica in ideis Platonicis manſit. Pauculi diſcipuli ad aliquot orbis particulas erepſêre. Amare tenebras ſuas, & in fæcibus volutari non deſiit genus humanum. Hodie permultos habet orbis Chriſtianus concionatores litteratos, eloquentes, pios. Dicunt ad benevolum auditorem, malorum metu nullo, approbationis fiduciâ. Quot tamen ex illorum dictionibus converſiones morum exiſtunt? In digitis fermè digeri poſſent, ſicut racemi, cùm fuerit finita vindemia.

VIII.
Quam ſupra intellectus & voluntatis vires?

Quid agis, ſuperba hominis intelligentia? Unus tibi Deus & trinus credendus proponitur, prædicatur Deus-homo ſuſpendio extinctus, promittitur redivivæ carnis poſt innumeras transformationes excitatio, oſtēduntur à ſenſibus remota, ſæculis diſſita, ratione ſuperiora: credis tamen, etſi incredibilia videri poterant. Voluntas humana, bono jucundo hactenus fovere aut utili appetendo aſſueta, quid agis? Caſtitas inducitur, ſobrietas imperatur, juſtitia præcipitur, humilitas commendatur: iſthæc tamen reclamante ſolitâ conſuetudine, obluctantibus affectibus, amplecteris? Quid ex nova profeſſione boni exſpectas? Opesne forſan? Sed illis ſpoliabere. An honores? Sed pro ſacrilego, impio, mago habebere. An vitam? Sed tormenta coràm adſpicis, ſed paratā mortē inſueris. Victorini Rhetoris Romani converſionem auditam, Auguſtinus nobis legendam tranſmiſit lib. 8. Conf. c. 2 & 5. Quid tali converſione ſperabat laudis ſator, honoris plenus, divitiarum affluens homo? Quid Cōſtantinus Cæſar à Chriſtiana religione, in præſens, emolumenti vel voluptatis quærebat? Quid antè homines innumeri, primores patres ac plebeii, docti & indocti, inter quotidiana vitæ pericula, tormentorum ſpectacula, ſuppliciorum experimenta, ſibi propoſuêre, ut Chriſtiani fierent? *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.*

IX.
Superſtitionum incrementa facillima, difficillima veræ religionis.

At, inquis, nonne idolorum etiam cultus à parvis initiis orbem totum implevit, ut Sap. 4. narratur? Mahumetiſmus itidem nonne ex projectæ ſementiculæ cocco Aſiam fermè univerſam, Africæque & Europæ partem, occupavit? Excrevêre omninò, fœcundo ac feſtinato proventu, fœdæ ſuperſtitiones: quemadmodùm ex lignis putribus fungi. Oſtentabat idololatria in deorum factis exempla libidinum, & impunitatem criminum: quid mirum, ſi proclivis ad voluptates

voluptates humana sese illuc appetentia provolvisse? Proponebatur à Mahumetismo satietas voluptatum, sensibus amicarum: quid novum, si totæ illuc nationes concurrêre? Accedebat ad irritamenta luxuriæ, terror potestatum, & metus armorum. Ad idololatriam Reges edictis, & pœnis, urgebant: ad Mahumetismum compellebant armati exercitus. Christianam verò religionem, nec sensibus blandam, nec rationi obviam, inermes armatis, viles honoratis, indocti sapientibus Apostoli, eorumque discipuli, persuasêre, & admirationem cæteris expressêre, quos ab accipienda fide vel mala formido, vel mala spes, prolubuerunt.

X.
Apostoli voce testimonium perhibuêre religioni Christianæ.

Propiùs lubet intueri, qua ratione id operis per tales Christus effecerit? Apostoli *profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Voce promulgavêre Christianam legem, promulgatã miraculis firmavêre: accessit voci, & miraculis, integritas vitæ: sigillũ testimonio impressit mors generosa, eamobrem appellata martyrium. Docti non erant Apostoli, facundi non erant; nec, qui linguas ipsis igneas dederat, artem simul eloquentiæ contulerat. Imo plerisque *sermo erat contemptibilis*, & imperitus. *Loquebantur* nihilominus *cum fiducia verbum Dei*, certi de veritate. quæ, quò simplicior est, & minùs ornata, eò persuadet efficaciùs. Auditor enim in argutiis ratiocinationum, & facundiæ ambagibus, facilè dolos & insidias suspicabitur, metuetque sibi, ne quã circumveniatur, velut à circulatore. At in aperto sermone, remque ipsam citra circuitum exponente, nihil intuetur nisi veritatem; quæ *splendorem suum nuda commendat. Ad unguem verò formantur illa, quæ volumus non tam speciem recti habere, quàm similitudinem*, ut ait Ennod. dict. pro Steph. Itaque, ad Apostolicas prædicationes, sincerã narratione gestorum, adhuc recentium, convicta multitudo nunc ad terna, nunc ad quaterna capitum millia, nomen Christo dedêre. Sic postmodum Paganus philosophus nudâ fidei Christianæ veritate, per S. Spiridionem, simplicem Episcopum, propositâ, perculsus errores illico abjuravit: ut ex aliis narrat Baronius ad annum 325.

XI.
Et miraculis:

Veritatis simplex oratio est, Inquit ex Tragico quopiam Seneca ep. 49. *ideo'q; illam implicare non oportet.* Id etiam isti agnovêre, quibus tamen ornata falsitas in pretio fuit. Multò id magis experti sunt illi, quibus, pro veritatis ornamento, non fuci verborũ dabantur, sed miraculorum signa demonstrabantur. Concionabatur Petrus: mox à concione umbrã illius contacti ægri quilibet convalescebant, claudus ad Templi portã exiliebat, Tabitha de feretro exsurgebat. Prædicabat Paulus, & continuo Eutychium ex præcipiti lapsu enectũ à mortuis evocabat, semicinctiis ad languidos deportatis morbos pellebat, navigationis comitibus futura prædicebat. Evangelium Apostoli cæteri, locis quisque suis, publicabant: & illi ò patrabant genus omne beneficiorum prodigiorum. Quomodò enim ubique prædicavêre, ita & ubique signa secuta sunt: neque ille falli poterat, qui dixit, *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, ipse faciet, & majora horum faciet.* Ad ista spectacula Infideles attoniti non dubitabant, quin humanã fide altius aliquid loqueretur, qui humanã omni arte longè altiora patrabant. statuebantque vera esse, quæ dicerent, etsi naturam superarent, quando quidem supra naturam etiam essent, quæ facerent.

XII.
Et morum sanctimonia.

Non imparem miraculis auctoritatem obtinuit inculpata vitæ ratio. De philosopho scribebat Seneca ep. 6. *Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodo audisset. Vitæ ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum, an ex formula sua viveret.* Sic Apostolis fecêre auditores sui. Spectabantur Angelici inter contumelias vultus, læti inter verbera, inter discrimina securi. Videbantur impensi ad aliorum commoda labores perpetui, emolumento nullo: tanto quæstûs omnis contemptu, ut propter nihil possiderent, pecuniam oblatam respuerent, manibus potiùs victum tolerarent, quàm cuiquam esse vellent onerosi. Tam incontaminata castitas cernebatur, ut ne scurrilitatis quidem toleraretur appellatio, nedum scurrilitas ipsa. Tantam morum integritatem postquam auditores inspexerant, & cum sui aliorũmque comparârant, plus oculis credentes, quàm auribus, sic apud se ratiocinabantur: supra communem hominum sortẽ magister fuerit, necesse est, cujus discipuli tam exactam sanctimoniam colunt: putandaque omninò, ac divinam legẽ esse oportet, cùm adeo puri sint, qui ex ea vivunt. D. Pachomium ad Christianam religionem adduxit Christianorum erga tirones, militare coactos, in quo numero erat, caritas, apud Baronium an. 316. *Ioannes Fernandius noster, Sodalium nostrorum Ultrahispanensium exemplo ad Societatem invitatus, cum Xaverio comes in Japoniam isset, & ad confertam multitudinem in publico diceret, unus de plebe provocatum à pectore phlegma illi in os obscœnè contorsit, & cachinnos faciens una cum sociis celebravit. At Ioannes, educto modestè strophiolo, vultum purgavit, &, tamquam nihil ad se pertineret, sermonem pertexuit. Ea res virum gravem, qui fortè aderat, explodendæ potiùs quàm hauriendæ doctrinæ causâ, ita permovit, ut veritatẽ dogmatis ex operis celsitudine æstimatã, primum se ad Ioannis pedes abjecerit, & primitias Spiritûs per baptismum Amanguciis acceperit. Ab hoc initio ducta est tot Japonum postea conversio.* Ita narrat totidem verbis Alegambe in Bibloth.

XIII.
Morte denique.

Tanta vis exempli unius in Apostolico homine fuit: quanta fuerit quotidianorũ in Apostolis exemplorum, præsertim postquã sanguine ab omnibus, unico excepto Joanne Evangelista qui par tamẽ morti supplicium tulit, consignata sunt? Mori autem omnes in religionis causa Deus voluit: tum ut sibi certissimam esse illius veritatem palàm testarentur, ipsâque adeo vitâ, cujus amittendæ sensus tenerrimus est, cariorem: tum ut in extremo illo actu, qui maximè attendi solet, virtutum suarum illustrissima specimina, & in spectatorum mentibus plurimùm momenti habitura, ostenderent. *Iacuit testis fidelis inter pœnas pœna sua fortior*, ut de Celerino scribit Cyprianus ep. 34. *inclusus includentibus major; jacens stantibus celsior; vincentibus firmior vinctus; sublimior judicantibus judicatus.* Patientiam exercêre tormenta; caritatem, & mansuetudinem, exercuêre supplicia. Ducebantur ad crucem intrepidi, ad gladium læti: inter patibuli ferales brachia, sub carnificis armata manu, inter dolores & vulnera, pro hostibus & tortoribus suis Deum clarâ voce, ut animitus fieri appareret, magistri sui exemplo precabantur. Tanta virtutis spectaculo adstantes commoti revertebantur percutientes pectora sua, & dicebant, *Verè Filius Dei erat iste*, qui tales docuit: vera non esse nequit religio, ubi sic vivitur vita, sic mors oppetitur. Ita populi universi ad Christianam legem convenêre. Apostoli, *ut ista populorum, tamquam germinum, copiosissima fertilitas surgeret, terram suo sanguine rigaverunt. Fructus ergo laboris illorum etiam nos sumus.* Ita hæc Augustinus serm. 103. de diversis, in Natali SS. Perpetuæ & Felicitatis, dicebat de Martyribus omnibus generatim; sed Apostolis, testibus primariis, præordinatis à Deo præcipuè congruunt.

XIV.
Et nos testari fidem Christi debemus quia ab initio sumus cum Christo.

Cùm ergo fructus Apostolici laboris etiam nos simus: respondeat fructus labori, germen semini. Testes illi fuêre Christianæ religionis; & nos testes esse debemus. Dixit enim de quibuslibet disciplinæ suæ sectatoribus Christus, *Quicumque confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo:*

&

&, *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.* *Confessionis autem vocat Scriptura generaliter, quidquid manifeste, sicut creditur, enuntiatur*, ut ait Augustinus q. 9. in Matthæum; ubi illa Matthæi & Lucæ verba profert, explicatque illud confessionis nomen, propter simpliciores fratres, qui percutiebant pectora sua, quando vocabulum illud à Lectore pronuntiatum audiebant, quasi semper confessionem peccatorum significaret. Confessi sunt Christum Apostoli, manifestum illum sicut viderant enuntiavêre, testimonium de illo perhibuêre: quia *ab initio* fuêre cum illo. Nonne & nos *ab initio* cum Christo sumus, si generis nostræ primordia intueamur, jam inde ab Apostolicis temporibus Christianæ? Nonne *ab initio* vitæ nostræ sumus cum Christo, eodem die regenerati quo nati, Christiani antè fermè quàm homines? Nonne *ab initio* saltem vitæ melioris cum ipso sumus, salutis nostræ reparatore, qui nos fecit, non hospites & advenas, sed *cives sanctorum*?

XV. *Docere debemus, aut saltem didicisse Christi legem.*

Perhibeamus itaque, pro gradu quisque nostro testimonium Christo, quemadmodum Apostoli. Si Christianam doctrinam prædicare aut explicare non potes in corona, at potes in familia. si neque hoc potes, illam saltem profitere, &, ut profitearis, calle. Scribit Augustinus ep. 67. Alipio seni, de Dioscoro Archiatro, qui quòd post baptismum *symbolum non tenebat, vel tenere forsan recusaverat*, paralysi omnibus fermè membris solutus est. Christianus credendorum ignarus, agendorum simul impotens erit: paralytica fiet, & ad recta commovere sese voluntas non poterit, si communibus saltem fidei decretis, & præceptis, intellectum sese informare neglexit. Neque enim voluntas fertur ad incognitum: & Christus tam indignâ socordiâ offensus, qualis heu nimis sæpè in Christianissimis etiam civitatibus deprehensa est, beneficiorum ac gratiarum suarum, ad excitandam hominis solertiam necessariarum, ubertatem restringet.

XVI. *Miracula lubenter audire, & narrare.*

Miracula hodie ampliùs firmandæ fidei exigenda non esse, docet Gregorius hom. 29. in Evangelia. Quemadmodùm enim aquam arboribus, recèns in terram depactis, affundimus; postquam radices egêre, & ævum firmavêre, ab irrigatione cessamus: ita nascentis Ecclesiæ incrementa miraculis provocata, quorum auxilio ampliùs non egeat, postquam radicata est, ætatemque duravit. Sic omninò res habet: necessaria ampliùs non erant, Christianæ religioni stabiliendæ miracula; non desiit tamē identidem illa Deus, Fidelium suorū solatio, pudori Infidelium operari. Hoc ipso sæculo conspicua, & certa plurima, variis locis patrata sunt, ut Exc. ad c. 1. sect. 4. scripsimus: verumque adhuc illud Christi est, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Eorum, qui credunt, nonnulli, Ecclesiæ universæ nomine, opera divina faciunt: cæteri, quibus id non datur, illa lubentes audiant, læti commemorent, ut in se fidem excitent, in aliis augeant. Iisdem enim fides adulta roboratur, quibus infans educata est: nec lactis respuit alimentum, etsi solido cibo utitur.

XVII. *Exemplo Infideles ad fidem allicere.*

Docere Christianam legem, & patrare miracula, paucorum est, vivere, & mori, omnium est. *Vita autem vera æstimatio*, ut ait Gregorius l. 1. dial. c. ult. *in virtute est operum, non in ostensione signorum. Nam sunt plerique, qui etsi signa non faciunt, signa tamen facientibus dispares non sunt.* Satis, ut inter hos numereris, sic mores institue, *ut & doctrina tibi vita sit*, quomodò ad Victricium Paullinus scribebat epist. 28. *& vita doctrina.* Nam *tu hic eruditus & formatus cœli beneficio, plus agendo populum instituis, quàm loquendo*, ut Ennodius ait, in dictione datâ Stephano vicario, pro Maximo Episcopo. De præsentissima bonorum exemplorum vi, ad convertendos Infideles, quædam diximus ad calcem sect. 4. Exc. ad cap. 1. Alii alia narravêre. Recentiora pauca perstringo. Anglus hæreticus spectatâ Pii V. modestiâ, Ven. Sacramentum in supplicatione circumgestantis, &, quod Pontifices non consuevêre, peditis, decimo quinto post die ad pedes ejus accidit, hæresi`que ejuravit: ita in Pii V. vita perhibetur. Polonus senex, Lutheranæ sectæ Minister, visâ per Jubilæum anni 1575. Catholicorum pietate, Gregorii XIII. & Cardinalium erga pauperes ac peregrinos caritate, publicè in Basilica D. Petri ad genua Pontificis abjectus, errores ejuravit, absolutusque visitatis ad Jubilæi consecutionem templis, triduo pòst, magno animi sui solatio mortuus est: recitat Spondanus. Apud eumdem, hæreticorum multi, qui ad Jubilæum 1600. confluxerant, visâ Clementis VIII. pauperum pedes abluentis, confessiones quorumlibet excipientis, officia divina celebrantis, caritate ac pietate, conversi: in his Stephanus Calvinus, affinis Joanni Calvino, quem Pontifex amore paterno alendum suscepit: isque posteà Carmelitanum ordinem ingressus, religiosè vixit, & feliciter obiit. Narrat Allegambe in Biblioth. principem fœminam Polonam, Palatinam, Elisabetham Radzivilam, ex Calviniana Arianam, ex Ariana Judæam, sacræ Scripturæ, quam memoriâ tenebat, peritiâ Catholicis doctoribus insultantem, fidei Catholicæ denique nomen dedisse, inspectâ de proximo integerrimâ vitâ P. Benedicti Herbesti Poloni, ex Canonico in Societatem nostram adlecti.

XVIII. *Et Fideles ad pœnitentiam, ac patientiam.*

Neque, ad Infidelium modò conversionem rectè facta plurimùm valent; sed ad Fidelium, quamvis obduratorum, resipiscentiam. Margareta Austriaca, ex Germania in Hispaniam ad Philippi III. nuptias proficiscens cum matre, tantâ Mediolani, & toto passim itinere, edidit virtutum exempla: ut Genuensi cuidam civi à Societatis nostræ sacerdote narrata, illicò pœnitentiam suaserint, & peccatorum omnium generalem Confessionem expresserint, quam antè pridem contumacissimè respuerat, ad peccandum pariter obfirmatus, & ad non resipiscendum. Tantùm vita Christiana potuit: quid si vitæ mors testis accedat? Quid si martyrium; aut, quia jam vix apud nos martyrio locus est, quid si martyrii vice accedat dolorum, contumeliarum, damnorum invicta patientia, qua virtute inter omnes mirabilior nulla, nulla ad motum efficacior? Ad eam te compara, Christiane, illâ Christum & Apostolos sequere: *Quid times*, inquit Augustinus serm. 112. de Martyribus agens, quibus nomen factum Massa candida, *viam duram passionum, & tribulationum? Transiit ipse. Respondes fortè, sed ipse. Transierunt Apostoli. Adhuc respondes, sed Apostoli. Respondeo: transierunt postea & multi viri. Erubesce: transierunt & fœminæ.*

CAPUT

CAPUT DECIMUM.

ARGUMENTUM.

Machabæus, continuato victoriarum cursu consternatis adversariis, Hierosolymam cum suis ingreditur, disturbatisq; sacrilegis damonum aris ac delubris, Templum emundat, sacrificia offert, & octo diebus Encania celebrat, in morem festi Tabernaculorum: communiq; suorum consilio, sancit agenda quotannis ab omnibus ubique terrarum Iudæis. Antiochi Epiphanis filius, & hæres, Eupator Lysiam negotiorum publicorum administrum adsciscit: postquam Ptolemæus vitam veneno abruperit, animi æger; tum quòd proditiones ipsi sæpè objicerentur; tum quòd de nimia jam erga nationem Iudaïcam propensione apud Regem accusaretur. Gorgias Iudæos infestat: hi duce Machabæo Idumæos invadunt, munitiones eorum capiunt, occurrentes ac resistentes trucidant variis locis, ad viginti facilè millia: alios, qui sese in turres duas, amplas valdè & munitas, receperant, obsident. Vrgenda obsidionis curâ Simoni fratri, aliisq; ducibus demandatâ, Machabæus ad alias expeditiones properat. Sed nuntiato, effugisse obsessorum aliquos, corruptis pecuniâ quibusdam obsidentium, illicò regressus, sumpto de perfidis supplicio, munitiones expugnat, & in iis interimit plus viginti hominum millibus. Inter hæc Timotheo, exercitum numerosum ad Iudææ perniciem trahenti, Iudas, imploratâ suppliciter divinâ ope, obviàm Hierosolymis procedit. Commisso prælio cùm victoria penderet, cælitùs apparuère hostibus equites quinque: quorum duo Iudam stipabant, tuebanturq;, & in illos fulmina, ac tela jaculabantur. Turbatis itaque mentibus & ordinibus, cæsi, fugatiq;, periêre supra millia viginti & unum. Timotheus Gazaram, præsidium munitum, elapsus obsidetur. Obsessi, munitionis suæ fiduciâ, Iudæis probrosè insultabant: sed carò ipsis linguæ petulantia stetit. Nam, quinto die, viginti promptioribus juvenum in muros eniti aggressis, cæteri exemplum secuti, pars scalis, pars per abruptas igne portas, præsidium irrupêre, biduoq; vastavère, & Timotheum de latibulo protractum, Chareámque ejus fratrem præsidii præfectum, & Apollophanem occidêre: ad gratias deinde exercituum Domino, victoriæ largitori, agendas conversi.

Ir. Iudæum Comment. in Machab. Tom. II.

 TEXTUS

multitudinis: & congregato equitatu Asiano, advenit quasi armis Iudæam capturus. 25. Machabæus autem, & qui cum ipso erant, appropinquante illo, deprecabantur Dominum, caput terrâ aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti, 26. ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus, & adversariis adversaretur, sicut lex dicit. 27. Et ita post orationem, sumptis armis, longiùs de civitate procedentes, & proximi hostibus effecti, resederunt. 28. Primo autem solis ortu utrique commiserunt: isti quidem victoriæ & prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes: illi autem ducem belli animum habebant. 29. Sed, cùm vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cælo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: 30. ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant: in adversarios autem tela & fulmina jaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant. 31. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, & equites sexcenti. 32. Timotheus verò confugit in Gazaram præsidium munitum, cui præerat Chæreas. 33. Machabæus autem, & qui cum eo erant, lætantes obsederunt præsidium diebus quatuor. 34. At hi qui intus erant, loci firmitate confisi, supra modum maledicebant, & sermones nefandos jactabant. 35. Sed cùm dies quinta illucesceret, viginti juvenes ex his qui cum Machabæo erant, accensi animis propter blasphemiam, viriliter accesserunt ad murum, & feroci animo incedentes ascendebant: 36. Sed & alii similiter ascendentes, turres portasque succendere aggressi sunt, atque ipsos maledicos vivos concremare. 37. Per continuum autem biduum præsidio vastato, Timotheum occultantem se, in quodam repertum loco peremerunt: & fratrem illius Chæream, & Apollophanem, occiderunt. 38. Quibus gestis, in hymnis & confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israël, & victoriam dedit illis.

COMMENTARIUS AD CAPUT DECIMUM.

Templi expurgatio.

℣. 1 Machabæus autem, et qui cum eo erant, &c. Narratur Judæ & sociorum adventus Hierosolymam, Templi expurgatio, populi lætitia, anniversariæ memoriæ indictio: quæ cùm l. 1. c. 4. v. 36. &c. usque ad finem fusè explicaverimus, ea nunc solùm edisseremus, quæ hujus loci propria sunt, in quæstiunculas digesta.

Quando recepta per Machabæos Hierosolyma?

Ac primùm, quod v. 1. dicitur Machabæus Templum, et civitatem recepisse: An ea duntaxat recepit paullò ante expurgandum Templum? Videtur ex c. 8. suprà v. 31. 32. 33. statim à cæsis Timotheo & Bacchide Hierosolymam venisse Judas, eóque spolia convexisse, & epinicia illic egisse. Ex libri tamen primi c. 4. contrà videatur, post victum demum anno proximè sequenti Lysiam, Hierosolymam profectus, idque mihi credibile esse indicavi ad l. 1. c. 4. v. 39. ubi etiam suspicabar, ab Hagiographo libri secundi auctore narratum c. 8. Judæ ingressum Hierosolymam per anticipationem. Favet huic meæ conjecturæ epiniciorum festum, quod c. 8. v. 33. memoratur, neque aliud forsan fuit, quàm solennis de victoriis reportatis lætitia, gaudio de Templi expurgatione conjuncta. Si tamen magis tibi placuerit, duplicem Judæ adventum ad Hierosolymitanam urbem, & duplex festum gaudiumve statuere: eam sententiam expressam reperies tum in Serie historica l. 1. num. 39. 41. tum num. 31. 33. Synopseos hujus libri. Quidquid autem difficultatis objici potest, enodatum habebis ad l. 1. c. 4. v. 39.

Ignisne de lapidibus calitus exceptus?

Quæres secundò. Quomodò de igniti lapidibus igne concepto sacrificia oblata? Gorionides ait, *Extulisse ignem de lapidibus altari suppositis, eumque ad tertiam usque captivitatem durasse*: ut scilicet numquam in Templo ignis sacer miraculo excitatus, ac divinitùs missus deficeret. Eam Gorionidæ conjecturam non improbat Serarius, rejicit Salianus, dicitque, in lapidibus ignitis nihil quærendum esse mysterii, sed ignitos dici, ex quorum attritu ignis excutitur. Idem ante Salianum Lyranus, Mariana, aliique existimavêre. Et verò frustra est miraculum, ubi verba Scripturæ, & res subjecta illud non exigunt.

An potius excussus de silice, & fomes exceptus?

In Græco textu habetur, πυρώσαντες λίθους, καὶ πῦρ ἐκ τούτων λαβόντες, ἀνήνεγκαν θυσίας: *cùm lapides igniti essent, & ignem ex illis arripuissent, obtulerunt sacrificium.* Diversimodè autem lapides igniri possunt: primùm excussis inde collidendo scintillis, ita ut igniti videantur, uti quotidie silicibus facimus: deinde mutuo affrictu, & attrita, citra collisionem tamen, excalfacti & excande-

excandefactis lapidibus: præterea in lapidis sinum exceptis, ac densatis, solaribus radiis, uti fit in speculis ustoriis: denique immisso in ignem lapide, & excandefacto. Ex his igniendorum lapidum modis, primum hoc loco à Sacerdotibus adhibitum fuisse, censent Auctores modò adducti, quibus accedo. Nam secundus ac tertius modus, à Serario indicati, nimis longi sunt ac difficiles: quartus indicatus à Saliano, adhiberi non poterat ab iis, quibus ignem profanum altari inferre nefas fuit.

Quomodò post biennium sacrificia oblata?

Quæres tertiò. Quo pacto post biennium dicantur sacrificia oblata, cùm constet tertio anno id factum, eâdemque ipsâ die, quâ Templum profanatum fuerat? Diximus de hac difficultate ad l. 1. c. 4. v. 54. biennium intelligendum de Judæ Principatu, idemque jam dicimus, neque occurrit, quod addamus ad illic disputata.

Quomodò purificatum Templum quo die profanatum fuerat?

Quæres quartò: Quomodò, QUA DIE TEMPLUM AB ALIENIGENIS POLLUTUM FUERAT, EADEM CONTIGIT PURIFICATIONEM FIERI, cùm constet ea die sacrificia fuisse oblata, & Templum antecedentibus diebus emundatum? Respondeo: *Purificationem* hoc loco, uti & suprà c. 1. v. 18. & c. 2. v. 16. sumi pro purificationis complemento, seu pro encæniis ipsis, aut Templi novâ dedicatione per holocaustorum oblationem; quam antecesserant diebus procul dubio non paucis, non paucioribus saltem quàm 2. Paral. 29. v. 17. sub Ezechia Rege, purificationes aliæ præparatoriæ, de quibus breviter v. 3. dicitur *purgato Templo*, & fusiùs narratur l. 1. c. 4.

Cur ad modum festi Tabernaculorum acta Encænia?

Quæres quintò: Cur THYRSOS, ET RAMOS VIRIDES, prætulerint Judæi hisce Encæniis? Ratio redditur v. 6. quia *diem Tabernaculorum ante modicum temporis egerant in montibus, more bestiarum.* Omissam igitur istius festi lætitiam recuperavêre, hocce Encæniorum gaudio, Judæi, & exemplum ad posteros transmisêre: à quibus festum dedicati per Machabæum Templi vocatur Scenopegia c. 1. v. 9. suprà. De festo Tabernaculorum, ramisque in illo adhiberi solitis, vide Lev. c. 23. & 2. Esd. c. 8.

Quæres sextò: Quid THYRSI hoc loco significent? Rabanus, eumque secutus Liranus, explicat medios herbarum frutices. Sed quod ornamentum, & gaudii signum extitisset à circumlatis herbarum caulibus, quos Latinorum aliqui thyrsos vocavêre? Intelligendæ itaque hoc loco, quomodò apud poëtas, hastæ frondibus ornatæ, aut virgulta majora, qualia præferri lætis diebus solent, quibusque olim, Plutarcho, & Appiano teste, papiliones post victoriam ornabantur: ne existimes bacchantium tantùm id gestamen fuisse, eorúmque ritum imitatos Judæos.

Unde anni mense Casleu exeunte?

Quæres septimò: Unde RAMI VIRIDES mense Casleu exeunte, id est Novembri? Festo Tabernaculorum, quod in Septembrem incurrit, facilè inventi fuerint: at unde post menses duos, ac defluvium foliorum Autumno adulto? Respondeo: palmas, oleas, hederas, myrtos, aliasque id genus semper virentes, & ἀειθαλεῖς ut aiunt, plantas, in eâ regione amænâ, ac fervidâ, abundè pullulâsse: ut adultâ licèt, ac rigente hyeme, non deesset foliorum læta viriditas quò animorum, ex Templo instaurato reviviscentium, gaudia Judæi testarentur.

Cur festi anniversarii præceptum dicatur commune?

Quæres octavò: Cur v. 8. dicatur, COMMUNI PRÆCEPTO ET DECRETO statutum, ut gens universa Judæorum anniversario gaudio agat *dies istas*? Nonne Judas erat Pontifex Maximus? Nonne illius erat leges condere, *festa sancire*? Quorsum ergo hîc ponitur commune præceptum, & decretum: quasi in æqualem præcipiendi, ac decernendi, cum Summo Pontifice potestatem subditi convenerint? Respondeo: commune præceptum dici, quia Judas quidem solus edixit, penès quem solum erat edicendi potestas; ex consilio tamen seniorum, ac fratrum, & volentibus ac probantibus subditis. Vide lib. 1. c. 4. v. 59.

Proponitur de plebe festis quibusdam exonerandа:

Eâ occasione dicendum nobis erit in Excursu de legibus humanis, Ecclesiasticis præceptis, debitâ subditorum obedientiâ, festis, templorum dedicatione: quorum omnium exempla manifesta præbet isthæc Templi instauratio. Hîc, in egenæ plebis gratiam, Patribus populi quâ par est reverentiâ propono, de festorum quorumdam vel abrogatione, vel deminutione. Etsi enim nuper Urbanus VIII. terna sustulerit: pauperi tamen vulgo, quæ populi Christiani pars maxima est, adhuc nimis multa videntur superesse, onere plerisque difficulter tolerabili. Quippe cùm quotidiano fermè labore inopem vitam tolerent, sustententque familiam: necesse est, quando multi dies otiosi intercurrunt, ut vel reculas suas ad victum oppignorent, vel ventri miseras ferias indicant, aliisque gaudentibus lugeant; vel turpiter stipem emendicent.

Aut saltem ad audiendum dumtaxat sacrum obligandi:

Quid igitur agat paterna Pastorum caritas: quando etiam, ut Excursûs sect. 2. num. 13. indicabimus, aliorum caritas legem illam solvere potest, sublevandæ proximi necessitati? Agat, quod patres erga filios gementes sub onere allevet, quà potest, non digito solùm, sed totâ clementiæ dexterâ. Circumspiciat, ecquorumnam festorum, incommodè incurrentium, abolitione exonerari possint? Quidni saltem aliqua relinquantur arbitrio pietatis, indictâ solùm audiendi Sacri necessitate quibuslibet: seriò commendatâ locupletioribus feriandi, & ab operibus servilibus cessandi, consuetudine? Publicârat Leodii concionator quispiam Urbani VIII. Bullam de abrogatis festis quinque, in his festo Virginis Conceptæ & Visitantis; atque inter eam publicandam indicârat, optare se, ut ista nihilominus festa observarentur. Descendenti de cathedrâ, cordatus quidam civis: Tu verò, inquit, & ego, consimilesque alii, quibus vacat, festa isthæc celebremus: at miserum popellum, operari cupientem, non obruamus inutili otio. Idem dixero, si quis hanc nostram de dierum aliquorum in profestos mutatione propositionem sugillet.

Nec multis urgenda.

At enim, inquis, quorsum talis sublevandæ plebi mutatio? Nonne satis fuerit, quod promptum est, à Confessariis egenos privatim moneri de laborando intra privatos parietes; fieri in gratiam legis humanæ, lege naturæ; nec præcipi, quod servari non potest? Commodè quidem tu loqueris, si egenis omnibus intra privatos parietes labor paratus est, si omnibus Confessariorum consilia prompta & nota sunt. Sed quid faciant miseri, quando clam operari non omnium est, palàm multorum? quando instant apparitores, &, quam in atrocia crimina meliùs impenderent, in illos exercent diligentiam?

Nominatim festo S. Silvestri.

Nusquam igitur, nisi à Patribus populi, Pastorúmque benignitate remedium est: cui nominatim commendo scribendo, quod commendavi dicendo, ut D. Silvestri die incommodissimam, tot festis intercurrentibus, à populo feriationem severè non exigant. Cujus feriationis non ur-

gendæ & hæc peculiaris caussa est; quòd Romæ vetat affirmare, nusquam fermè totâ Italiâ, ubi tamen publicatissima est Urbani Bulla, observari extra Romanum fines: quia nempe lex passim non obligat, cujus ferendæ ratio locum passim non habet, quemadmodum eo in festo videtur non habere. Illihæc si Patrum caritati placuerint, amplectantur; si displicuerint, rejiciant, non damnatâ tamen proponemus caritate.

Repetitio de morte Antiochi.

℣. 9. ET ANTIOCHI QUIDEM, QUI APPELLATUS EST NOBILIS, sive illustris, *vita excessus ita se habuit*, quemadmodum suprà narratur. Repetit, seu recapitulat Hagiographus narrationem de Epiphanis interitu, ut significet accidisse post Templum emundatum: quod ex c. 6. v. 7. libri primi constat, & indicavimus ad ejusdem libri c. 4. v. 19. ubi etiam diximus ὕστερον πρότερον, sive anticipationem narrationum, Scripturæ frequentem esse, hunc nominatim Hagiographo.

Gesta Eupatoris.

℣. 10. NUNC AUTEM DE EUPATORE, ANTIOCHI IMPII FILIO, QUÆ GESTA SUNT, NARRABIMUS. In Sixtinis Græcis habetur, *Nunc autem quæ ad Antiochum Eupatorem pertinent* ... *gesta sunt*. Advertit tamen Nobilius, in quibusdam Græcis exemplaribus haberi, non γενόμενα, sed γεννώμενα, *gesta seu facta*, convenienter vulgatæ. Quanquam istud, *quæ gesta sunt*, videtur redundare, cùm sublatâ eâ particulâ constet sensus, & commodior sit totius versûs locutio, sine ejusdem particulæ geminatione parum concinnâ. Habentur enim non easdem voces in alterâ parte versûs: unde verosimile est, ab aliquo non satis accurato librario traductas ad priorem partem, & duplicatas.

Quomodò ab Hagiographo breviata.

BREVIANTES MALA, QUÆ IN BELLIS GESTA SUNT. Ab Hagiographo nostro præteriti eorum non pauca, quæ in libro priore, de rebus per Eupatoris regnum gestis, narrantur, patet ex serie nostrâ historicâ. Patet etiam inde, nonnulla ab Hagiographo nostro referri, quæ prioris libri Scriptor prætermiserat. Raianus existimat, nominatim præteriri in posteriore libro pugnam Eupatoris, in quâ Eleazarus suffosso Regio elephanto interiit. Liranus autem non præteriri censet, sed in capite 13. attingi: uti & nos in serie historicâ num. 72. &c. indicavimus.

Lysias Eupatoris Minister.

℣. 11. HIC ENIM, Antiochus Eupator, SUSCEPTO REGNO ope Lysiæ, ut habetur l. 1. c. 6. eundem *Lysiam constituit supra negotia regni* totius, universíque Asiaticæ monarchiæ regionibus præfecit; seu, ut hodie loquimur, primum Ministrum creavit, potestate & auctoritate post Regiam summâ. Præfecerat illum Epiphanes omni cis Euphratem regioni, ut habetur l. 1. c. 3. nunc Eupator universi regni curam illi commisit.

Præfectus simul Cœlesyriæ, & Phœnices.

PHŒNICES ET SYRIÆ MILITIÆ PRINCIPEM, στρατηγὸν vocat textus Græcus, id est primum ducem. Erat quidem Lysias universi regni Asiatici sub Eupatore Administer: habebat tamen etiam Cœlesyriæ, quæ hîc Syriæ generali nomine intelligenda est, ac Phœnices, nobilium provinciarum privatam ac peculiarem curam, & præfecturam. Quod enim dicitur fuisse militiæ principem, intellige simul provinciarum præfectum fuisse, ut in Serone notavimus ad l. 1. c. 13. v. 13. Sic hodieque Ministris Regiis, generalem licèt sub Regis auctoritate rerum omnium curam habentibus, præfecturæ quædam peculiares, seu dignitatis augendæ, seu percipiendis emolumentis, seu conciliandis animis, tuendæve securitati, solent attribui.

Amotus Ptolemæus successus.

℣. 12. NAM PTOLEMÆUS, QUI DICEBATUR MACER, Græcè MACRON, idem de quo c. 8. v. 8. ubi dux vocatur Cœlesyriæ & Phœnices: idem etiam, ut illic putavimus, de quo c. 4. v. 45. etsi aliter Liranus censeat. Redditur autem hîc ratio, non cur administratio regni Lysiæ credita sit, ut Liranus existimare videtur: sed cur Lysiæ data sit præfectura Phœnices, ac Syriæ cœles. Duarum enim earum provinciarum erat Ptolemæus, & ab eo officio amotus, quia in Judæos cœperat esse proclivior. *Iusti*, inquit Hagiographus, *erga Iudæos tenax esse constituit, & pacifice agere cum eis*, neque, ad ipsos vexandos, ex finitimis Judææ locis curæ suæ creditis militem immittere. Animum ergà Judæos autè, ut ex c. 4. apparet, non satis æquum, mutârat *præcipuè, propter iniquitatem quæ facta erat in eos*: miseratio oppressorum ab Epiphane innocentium, ut humanioribus contingere solet, ipsum commoverat.

Primo Ptolemæo causâ traditur, ab accusatione, & abdicatione præfecturæ.

℣. 13. SED OB HOC ACCUSATUS AB AMICIS APUD EUPATOREM; accusatus dicitur Ptolemæus de nimiâ ergà Judæos propensione *ab amicis*, sive Eupatoris, sive etiam suis: neque enim aulicis amicitia magni est, præ utilitate suâ, & favore Principis. Accusatione illâ sperârunt, sese gratiam apud Eupatorem ac Lysiam inituros, simul animum Ptolemæi altissimè vulnerârunt. Arbitramur enim, ejus criminationis occasione usum Lysiam, præfecturâ Phœnices, & Syriæ cœles, quam sibi cupiebat, illum amovendum curâsse: unde ingens ipsi dolor, & pronus ad desperandam, aut indignandam vitam, impetus.

Altera, ex proditione appellatione.

Altera doloris caussa fuit ex eo, quòd *frequenter proditor audiret*, eoque infami titulo notaretur, quia *Cyprum, sibi creditam a Philometore Ægypti Rege, deseruisset*, & Epiphani eam consignâsset, ad eum *translatus*. Cyprum enim Ægyptiis Regibus abstractam fuisse, & Antiocho Epiphani obedîsse, vel ex c. 4. v. 29. colligitur, ubi Sostratus Cypriis datur præfectus. Nobilis erat insula, & Syriæ objecta, maximéque illi opportuna, interjecto angusto freto; paulò tamen, & forsan altero tanto latiore, quam chalcographus noster in tabellâ Judææ expresserit.

Proditores suspecti, & cari, quibus honor comes.

Itaque Ptolemæus exinde ab Epiphane honoratus, & in Apollonii ac Seronis locum Cœlesyriæ regendæ suffectus: quia non expediebat in Cypro relinqui, ne, quomodò à Philometore transfugerat, ita ad eum rediret. Prima hæc proditorum labes est, quòd Principibus, ad quos transfugiunt, meritò semper *suspecti* sint, ne fidem, quam semel abrupêre, iterum fallant. Cari tamen illis sunt, aut cara potiùs est proditio, quia utilis, adeóque mercede & honore non caret, ut eâdem spe alii hostium ad transfugiendum illiciantur. Caretur tamen, ne merces ista, aut dignitas, proditori occasionem præbeat reconciliandi proditione novâ prioris domini. Altera proditorum labes est, ab odio publico, eorum etiam ad quos refugerunt, & quibuscum versantur: invisum enim est apud quaslibet nationes, quantumvis barbaras, fidem fallere Principi, patriam prodere, depositum publicum fraudare. Hoc objectum frequenter Ptolemæo, ab æmulis præsertim, & præfecturâ illum deturbare molientibus, proditoris nomen.

Quomodò Ptolemæus ad Epiphanem recesserit.

Nec proditor solum dicebatur, quòd Philometorem *deseruisset*; sed *quòd, ad Antiochum Nobilem translatus, etiam ab eo recessisset*. Non quia, partibus Epiphanis desertis, rursum transîsset ad Ægyptios: sed quia Epiphanis institutum, in

persequen-

persequendis Judæis, sequi desierat, ut rectè explicat Liranus. Eam enim cum Judaicæ nationis reliquiis conniventiam exaggerabant æmuli, apud Eupatorem ac Lysiam, & proditionem aut proditionis molitionem interpretabantur: calumniámque eò probabiliùs texebant, quia facilè creditur de vitioso peccatum, & de proditore proditio.

Crudelitas Principem odiosum facit.

Quid si Ptolemæus apertè Epiphanis adversùs Judæos crudelia facta damnabat? Quid si, nuntiis mortis auditis, justum Dei judicium efferre auditus est? Quid si odium in immanem illam belluam conceptum detexit? Humanos enim subditos maximè à Principibus abalienat injusta crudelitas; velut indignis, qui homines regant, cùm humanitatem ignorent, & societatem civilem dissipent. Si autem crudelitati turpitudo morum accesserit, & varia in unum vitia conveniant, quomodò Antiocho factum; tunc verò justum, ac fermè necessarium, sanis subditis odium videbitur. Eam ob caussam Imperatorum Romanorum non paucos subditi confecère, velut adversùs insanientes feras, & monstra trementia, armati: justo quidem dolore, at non legitimâ potestate, si Imperatores illi legitimi erant.

Ptolemæus veneno vitam abrupit.

VENENO VITAM FINIVIT. Ex his Vulgatæ verbis non poterat intelligi, ultróne ipse sibi Ptolemæus mortem epoto veneno consciverit; an ab Eupatore bibere compulsus sit, uti in historiæ serie indicavimus. Sed ex textu Græco omnis dubitatio tollitur: sic enim habet, in Sixtinis & correctioribus exemplaribus: μὴ εὐγενῆ τὴν ἐξουσίαν ἔχων ὑπ' ἀθυμίας φαρμακεύσας ἑαυτὸν, id est ad verbum, *nec nobilem potestatem habens, præ tristitiâ seipsum pharmaco potavit*: amotus nobili Phœnices ac Cœlesyriæ præfecturâ, omnique aulicâ dignitate spoliatus, cùm ignominiam præ animi defectu ferre non posset, pharmaco vitam abrupit. Serarius, εὐγενῆ ἐξουσίαν, interpretatur, *animum nobilem & generosam libertatem*, quâ desperabundus Ptolemæus caruit.

Ex animi defectu.

Rectissimè autem dicitur, præ tristitiâ & animi defectu, vim sibimet intulisse. Id enim fecit, quia res adversas, calumniasque, ac dedecus fortiter tolerando superare non poterat. Atqui, ut post Peripateticos Philosophos, inprimis Aristotelem, canebat Ethnicus poëta Martialis:

Rebus in adversis facilè est contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

& quem, non solùm quassatæ dignitatis ac famæ, sed etiam fracti & illabentis orbis Impavidum ferient ruinæ.

An mors hujusmodi dici queat generosa?

Advertit Nobilius, in quibusdam exemplaribus haberi, μετ' εὐγενοῦς τῆς ἐξουσίας [illegible], *nec nobili potestate, seu generosâ libertate, nobiliter utens*: quo etiam modo loquendi notatur infirmus & abjectus Ptolemæi, in consciscendâ sibi morte, animus. Exemplaria tamen quædam, contrariâ prorsus sententiâ, pro ὑπ' ἀθυμίας, *ex tristitiâ, seu animi defectu*, habent ἐξ εὐψυχίας [illegible], *ex animi generosi magnitudine*: quæ locutio accedit ad illam capitis 14. v. 42. de Razia, *eligens nobiliter mori*. An ergo generosi, ac nobilis animi, existimavit Hagiographus spontaneam mortem? Respondeo: hic eum loqui, si tamen ita locutus est, ex Stoicorum sententiâ, tunc pervulgatâ apud Ethnicos, & Judæorum nonnullos: non autem ex sua, & Dei, citra cujus imperium de vitæ statione discedere non licet. De Razia loco suo videbimus.

Gorgias Judæis infestus.

℣. 14. GORGIAS AUTEM, CÙM ESSET DUX LOCORUM, Idumææ Australis præfectus, ut alibi dictum est: assumptis advenis, Græcè ξενοτροφῶν, peregrinum militem alebat, puta Thraces, Galatas, Cretes: quorum auxilio *frequenter Judæos debellabat*, incursabat, & infestabat, Græcè ἐπολεμοτρόφει πρὸς τοὺς Ἰουδαίους ἑκάστοτε, *quotidie in Judæos bellum alebat*. Gorgias ergo militem externum, & bellum alebat, adversus Judæos, irruptionibus & excursionibus quotidianis.

Et Idumæi.

℣. 15. JUDÆI VERÒ, Græcè Ἰδουμαῖοι, *Idumæi*, & sic in Vulgata legendum censent Serarius, Salianus, Tirinus, aliique. Ii ergo Idumæi, *qui tenebant opportunas munitiones* Hierosolymis vicinas ad Austrum, impios & transfugas, *fugatos per Judam Machabæum ab Hierosolymis, suscipiebant, & bellare tentabant*, Græcè πολεμοτροφεῖν ἐπεχείρουν σὺν τούτῳ, *bellum alere cum illo*, Gorgia scilicet duce suo, *conabantur*: subditur, quod in textu nostro abest, ἐγύμναζον τοὺς Ἰουδαίους, *exercebant Judæos*. Unde patet, rectè monuisse Serarium, initio versûs *Idumæi* reponendum pro *Judæi* quod etiam apparet ex versu sequenti, ubi munitiones Idumæorum impugnantur à Juda.

Horum à Judæis clades.

℣. 16. 17. HI VERÒ QUI ERANT CUM MACHABÆO, præeunte generoso duce, *per orationes Dominum rogantes*; Græcè ποιησάμενοι λιτανείαν, *factâ litaniâ* seu *supplicatione*, quæ olim apud Christianos, Gregorio Magno teste, litaniæ nomine significabatur: vide dicta Excursu ad c. 3. hujus libri sect. 7. Isti ergo *impetum fecerunt in munitiones Idumæorum*, receptacula latronum & impiorum: *multaque vi insistentes* loca obtinuerunt, & ut fieri solet locis vi captis, *occurrentes interemerunt*: in Græcis quibusdam additur πάντας, *omnes*, nemini occurrentium intra loca per vim capta pepercerunt. *Et omnes simul non minus viginti millibus trucidaverunt*. in Græcis additur, *omnesque, qui in muro pugnabant, ultri sunt*. Significatur, cæsos à Judæis hostes omnes, qui pro muris munitionum stabant, alióque quotquot occurrêrent & cædem illam universim explêsse viginti minimùm capitum millia, promiscui videlicet sexûs, & ætatis.

Applicatur ad mores numerus cæsorum.

Olim in Vulgata legebantur viginti quinque millia; unde Rabanus, *quia, secundum quinarii numeri in semetipso multiplicationem, viginti quinque millia trucidata referuntur, significat, quòd omnes, qui quinque corporis sensibus per carnalia desideria diabolo*, in Gorgia ut alibi dictum est adumbrato, *militant, morte condignâ mulctentur*. Si istæc ad mores applicatio placuerit, retentâ hodiernâ & verâ lectione de numero viginti millium cæsorum, advertere poteris: cum numerum constare ex quinque quater ductis, & significari interitum omnium, qui sensibus non rationi serviunt per ætates quatuor, pueritiam, juventutem, virilitatem, senectutem.

Duæ turres captæ: puniti proditores.

℣. 18. usque ad 24. QUIDAM AUTEM CÙM CONFUGISSENT IN DUAS TURRES. In quibusdam Græcis habetur, uti & in Vulgata, συμφυγόντων [illegible], in Sixtinis est, συμφυγόντων δὲ εἰς δύο πύργους [illegible], id est, *cùm refugissent non minùs novem millibus, in duas turres valdè munitas*, adde & valdè magnas, cùm v. 23. dicantur in illis occisa suprà *viginti capitum millia*: nisi dixerimus, turrium nomine etiam subjecta oppida, quibus turres præsidio erant, intelligi. Ad earum ergo turrium *oppugnationem relicto Simone & Josepho*, id est Joanne Gaddi, ut suprà c. 8. ita censent Salianus ac Tirinus, & verosimile putat Serarius,

Serapius, *itemq; Zachæus*, de quo alibi magno nullo: Judas ad majora *conversus est*. Sed, eo absente, quidam militum Simonis effugium aliquibus hostibum aperuêre pecuniâ corrupti, *acceptisq; didrachmis*, seu, ut Græcè est drachmis *septuaginta millibus*, id est plus octo millibus coronatorum Salinoo, Tirino aureis scutis 5833. & unâ tertiâ, si drachmæ erant Atticæ & argenteæ. summa tamen duplicanda erit, si didrachmæ propriè sumantur pro duplicibus drachmis. Isti *proditores* convicti, *quòd pecuniâ fratres vendidissent*; nam qui hostibus incolumitatem pretio donat, salutem suorum eodem pretio vendit: salvos enim eos dimittit, qui vitam suis auferre possunt. Isti ergo proditores, Judæ jussu, extremum supplicium subiêre, mox que *turres* seu *munitiones* dux cepit.

Causa Christi proditor pretio, per avaros Ecclesiasticos.

Commoda est hoc loco allegoria Rabani, de hostibus Ecclesiæ devictis, fidem tamen amplecti recusantibus, & ad superbiæ atque idololatriæ turres refugientibus. Contra quos multi milites pecuniâ corrumpuntur: *quod sæpe contingit, ut hi, quibus sacerdotalis dignitas, ut spiritale agone militia commissa est, per cupiditatem terrenam decepti, magis avaritiæ suæ satisfacere velint, quàm contemptis terrenis commodis, Christi voluntatem legitimè pugnando explere.* Atque utinam pauci sint hujusmodi, qui caussam Christi & virtutis pretio prodant, & poenas extremas proditione infami incurrant, aut saltem, ut Rabanus ait, *anathemata mereantur.*

Princeps lenis & consilio pollens.

Advertas in Juda Principis puniendorum reorum modum. *Cùm enim ipsi nuntiatum esset, quod factum est à venalibus militibus. principibus populi congregatis*, ut eorum sententiam exquireret, *accusatoris* sibi accusationem instituendam curavit. Civili & Pontificia potestate pollebat: reos tamen quamvis manifesti criminis punire noluit, nisi post caussæ cognitionem, & adhibitis ad consilium primoribus. Lenta, explorata, & consulta damnatio, clementiæ Principalis ac Regiæ virtutis manifestum indicium, ac præjudicium est. Invitus plectere videtur, qui tardè & consilio plectit. Olim aiebant Jovem propriis fulmina solùm mittere; noxia non torquere nisi ex Deorum consilio. Princeps de se aliò beneficum sit: supplicia non irroget, nisi meditato, & consulto, ac velut coactus.

Timothei expeditio & manis fiducia.

℣. 24. AT TIMOTHEUS, QUI PRIUS A JUDÆIS FUERAT SUPERATUS, idem utique, quem capite 8. Hagiographus noster narravit cum Bacchide profligatum, etsi Salianus dubitet: *convocato exercitu peregrinæ multitudinis*, Græcus textus vocat δυνάμεις παμπλήθεις, *copias numerosissimas*. adhæc, quia copiæ illæ peregrinæ ferè erant pedestres. *congregato equitatu Asiano*, de finitimis Judææ præsidiis excito, *venit quasi armis*, Græcè δορυάλωτον, *Judæam capturus*, parum resistendo retus futurum neminem, certamque sibi victoriam quemadmodum Nicanor, ante experiendum pollicitus.

Machabæus, & socii, Deum precantur.

℣. 25. 26. MACHABÆUS AUTEM, ET QUI CUM IPSO ERANT, Sacerdotes videlicet, quibus solis fas fuit ad altaris crepidinem, ut mox dicetur, accedere. *Is appropinquante illo*, Timotheo, *capiti terrâ aspergentes lumbosq; ciliciis præcincti*, luctuosi & confracto poenitentium habitu, *ad altaris holocaustorum crepidinem infimam*, seu ad gradus infimos, *provoluti*, ut poenitentia, locus, habitus, situs, orationi vim adderent: *deprecabantur Dominum*, adjutorem in tribulationibus, *ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus,* *& adversariis adversaretur*, justus in hostes, & clemens in suos: *sicut lex dicit*. Lirandis putat alludi ad illud Deut. c. 7. *Tradetq; Reges eorum in manus tuas, nullus poterit resistere tibi.* Longè aptiùs, &, ut consequentia se habent, ex vero Salianus existimat, alludi ad illud Exo. c. 23. *Quòd si audieris vocem ejus, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, præcedetq; te Angelus meus.* Mox Deus liberaliter promissum exsolvet: Angelos quinque auxiliares Machabæo submittet, cùm unum solummodò promiserit.

In hostem progrediuntur

℣. 27. ET POST ORATIONEM plena fiduciâ, *sumptis armis, longiùs de civitate* Hierosolymitanâ *procedentes*, Occidentem versùs, ut apparet ex fuga Timothei infrà, nam Gazara Hierosolymis ad Occidentem erat; *& proximi hostibus effecti*, ut sine prælio discedere non possent, *resederunt*, Græcè ἐφ' ἑαυτῶν ἦσαν, *in seipsis erant*: id est substiterunt, castra fixerunt, collectis ordinibus, animisque & corporibus ad decretorium certamen curatis.

Pugnam committunt.

℣. 28. PRIMO AUTEM SOLIS ORTU UTRIQUE COMMISERUNT. Non indicatur ab utrâ parte coeptum sit prælium: verosimile est ab utraque simul, præconceptâ utrimque spe victoriæ ad pugnam excitante. Judæi enim, *victoriæ & prosperitatis sponsorem, cum virtute, Dominum habebant*: seu, ut Græcè est, *refugium ad Deum*, [illegible] *virtute, pignus erat boni successûs, & victoriæ.*

Impetus, dux malus rerum agendarum.

Syro-Macedones autem *habebant ducem belli animum*. Græcè θυμὸν, id est ira, vel *impetus*. Quibus rerum gerendarum ἡγεμὼν, seu ductor, est ὁ θυμὸς, *impetus*, nihil prosperi ferè vel solet, vel potest accidere: aut si accidit, immeritò accidit, & fortuitò, quemadmodum deficiente gubernatore navi contigit aliquando portum tenuisse. At quibus in pugnâ corporali spiritualive adest Deus, & ratio: illi certum tenent pignus illustris victoriæ, quâ partâ benedicant Dominum, & dicant: *Non ego, sed gratia Dei mecum.*

Angeli quinque apparent

℣. 29. SED CÙM VEHEMENS PUGNA ESSET, & Marte dubio diu penderet: *Apparuerunt adversariis*, Gorionides dicit, neque improbabiliter, etiam apparuisse Judæis ad eos animandos, ut factum capite sequenti: *de cælo viri quinque in equis*, quò eminentiores supra pedestre Judæorum agmen, & spectabiliores forent: *frenis aureis decori*, unde reliquum habitum æstimare liceat. Gorionides certè non inconvenienter dicit, eorum indumenta aurea fuisse. *ducatum Judæis*, omnibus fermè aut maximam saltem partem peditibus, *præstantes*; id est, illis velut præeuntes.

Duo Judam defendunt, tres in hostem pugnant.

℣. 30. EX QUIBUS DUO MACHABÆUM MEDIUM HABENTES; itaque verosimile est in eo prælio Machabæum equitâsse, alioqui difficillimè ab adversariis medius inter equites duos videretur: *armis suis circumseptum incolumem conservabant*, quocumque se verteret, in media ruens pericula: *in adversarios autem tela, & fulmina jaciebant*, an iidem duo, an verò reliqui tres? Hos potiùs existimârim, ut suum Judæ defendendi officium duobus datum sit, tres offendendorum hostium munus acceperint. Ita etiam explicat Gorionides. Neque abs re stipantes Judam Angeli duo non pugnaverint, ne strenuo duci impavidè discrimina invadenti, generosissimè pugnanti, &, modò defenderetur, hostem satis offensuro, fortitudinis gloriam minuere viderentur. Tribus autem aliis tela fulminea jaculantibus, *cadebant*

 hostes

hostes *caecitate* ob vibrantem fulgorem *confusi*, *& perturbatione repleti*.

Incredibili bonus historiae explodantur.

Istam de Angelis historiam adversarii quidam pro parùm credibili habent, & ipsi *caecitate confusi*, *& perturbatione repleti*. Quid enim illi supra fidem est? An quia forsan apud Sadducaeos, & Epicuraeos, Angeli non videntur? An quia nusquam antehac de Angelis Scriptura mentionem fecit, in Agare, Mose, Josue, Davide, Elisaeo? An quia Josephus historiae tam nobilis non meminit: qui utique multa non minora praetermisit, & ex hoc libro nihil in suas de Machabaeis narrationes intexuit? An quia prioris libri Scriptor eandem historiam vel tacuit omninò, vel paucis ac generalibus verbis solùm innuit? Quasi novum vel in veteri Testamento foret, vel in novo, aliam ab alia narrationem suppleri, libris Regum libros Paralipomenon auxiliari, Joannem Mathaeo addere, Lucam Marco? Apage cavillatores, & calumniatores ineptos, & malè conciliatos.

Quid illâ historiâ doceamur?

℣. 31. INTERFECTI SUNT AUTEM VIGINTI MILLIA QUINGENTI, ET EQUITES SEXCENTI: numerus facilè credibilis, quamvis incredulis, ubi quinque Angeli pugnavère. Rabani allegoria ad hunc locum longe arcessita est: dicit enim quinque equitibus caelestibus quinque libros legis significari; duobus latera Judae stipantibus, duo praecepta caritatis: ita prosterni adversarios omnes fidei Catholicae, tum qui terrena sapiunt, ut Timotheani pedites; tum qui superbiâ eriguntur, ut equites. Sed istius historiae aliâ significatione opus non est, quàm planâ & obviâ: de Angelorum erga Dei amicos custodiâ, & vindictâ in inimicos, de quâ tum nos alibi, tum alii pluribus.

Timotheus fugit Gazaram.

℣. 32. TIMOTHEUS VERÒ CONFUGIT IN GAZARAM, Ephraiticae tribûs oppidum Gazer; aut Gador, seu Gedor Judaeae: non autem illud, quod Simon l. 1. c. 13. & c. 14. dicitur munisse, ersi ita Salianus existimet. Vide dicta ad eum libri 1. locum, & ad ejusdem l. c. 4. v. 15. & c. 7. v. 45. Dicitur fuisse *praesidium munitum*, & ei praefuisse *Chaereas*, quem Timothei fratrem v. 37. Hagiographus appellat: ut iste meritò ad illum ex fuga sese receperit.

Necessaria historiae chorographus.

Ad hujus aliorumque locorum faciliorem intelligentiam, consule identidem, quam libro priori praemisimus, Judaeae tabellam; cujus certè me non poenitet, quamvis a scalpro rudis & impolitae, meliore tamen & ad historiam nostram aptiore carentibus non infructuosae. Prorsùs enim necessaria est historias scribenti, interpretanti, legenti, regionum & urbium cognitio, quemodò & consignatio temporum: sive ut quidam loquuntur, duas pariter graphias habeat oportet, qui lucem in historiis quaerit, chorographiam & chronographiam. Recentior ad libri prioris novem capita Scriptor, in temporum rationibus admodùm diligens, in situum ratione non infrequenter de via sese abduci passus est, Oriolani aliorumque interpretum, quos nusquam nobis videre contigit, studio: non aberraturus, opinor, si qualemcumque sibi chorographicam tabulam annotatis accuratè sitibus concinnasset.

Obsidetur, & capto praesidio occiditur.

℣. 33. usque ad 38. MACHABAEUS AUTEM, ET QUI CUM EO ERANT, quatriduanâ obsidione praesidium vallavêre. Obsessis interim *firmitate*, Graecè ἐρυμνότητι, id est praerupto ac praecipiti situ *loci*, confisis, & probrosa dicta in obsidentes jactantibus, & *sermones* in Deum ipsum aut religionem Judaicam *nefandos*: justâ ac religiosâ irâ accensi juvenes viginti, Machabaeo familiares, per abrupta ad muros evasère, *die* obsidionis *quintâ*, non autem vicesimâ quintâ, ut quidam Graeci codices habent, contra fidem caeterorum, & historiae seriem. Animati exemplo alii commilitones, certatim ascenderunt, ignemque turribus, ac portis, unde maledici hostes sacrilega probra jaciebant, injecerunt. Ita captum praesidium. Biduum vastatio tenuit. Timotheus in *loco* quodam, Graecè λάκκῳ, id est lacu, fossâve, aut, ut alii vertunt, cavo vel cuniculo latitans, occisus est, additusque mortis socius Chaereas frater, & Apollophanes.

Gratiae de victoria Deo persolutae.

℣. 38. QUIBUS GESTIS fortiter, ac prosperè, Judas & sui Hierosolymam reversi, comportatis spoliis, & praelatis etiam caesorum ducum, ad publicae laetitiae spectaculum & incrementum, capitibus, ut verosimiliter indicat Gorionides: *in hymnis, & confessionibus*, tum in itinere, tum in urbis Hierosolymitanae ingressu, tum in Templo praesertim, *benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israel, & victoriam dedit illis*: accepta beneficia ferentes auctori. De gratitudine quaedam sparsim dicta sunt libro primo: uberiùs dicemus Excursu ad capitis sequentis versum 9. Hic nobis ad alia excurrendum, adversùs eos maximè, quos in Timotheo, & sociis, Gazaram confugientibus, adumbrat Rabanus: *Haeretici*, inquit, *ab unitate rectae fidei divisi, ac separati, errorum suorum latibulis se committentes, confidendo versutiae suae munimine, maledictionis verba jactant contra Catholicos*.

EXCUR-

EXCURSUS

Ad cap. 10. *v.* 8. Decreverunt communi præcepto, & decreto, universæ genti Iudæorum agere dies istos.

De legibus humanis, festis, templis.

SECTIO PRIMA.

An, & qua, hominibus legitimè jubentibus obedientia debeatur?

I. Diabolus inobedientiæ spiritus.

AD majorem ab Onia alienationem, à sectis & hæresibus aversionem, erga Onianos Ægyptios ac sectarios miserationem, Christianos sæpè monere expedit, à quibus initiis Onion cœperit, quod primi erraticæ illius synagogæ auctores, de anarchiâ, & obedientiæ omnibus hominibus debitæ recusatione, populos licentiæ effrænis cupidos docuerint. Nam vel ex hoc capite solo, manifestè tenebitur, vertiginosus ille, & jugi impatiens spiritus, qui maledictos filios Belial Hierosolymâ exciton conclusit in terrâ Cham. Quod enim ipse fecit, ut conditoris sui jussa indignaretur; quod Adamo, & Evæ persuaserit, ut inobedientiâ felicitatem amitterent: idem Ægyptiacæ synagogæ persuasit, ut jugum legitimæ inter homines potestatis excuterent, arbitrióque suo vivere vellent, ac regi.

II. Lutheri adversus superiores quoslibet rebellio.

Istius spiritûs impulsu Lutherus librum vulgavit de captivitate Babylonicâ: ubi generatim adversùs potestatem omnem, tum sacram, tum civilem, invehitur. Eodem ut actus edidit libellum adversùs falsò nominatum Ordinem Episcoporum: & in responsis ad edicta Cæsarea Caroli V. ausus est *Principes appellare deliros, fatuos, mente captos, impudentes tyrannos;* prorsùs ut de Antiocho quopiam Epiphane, aut Tryphone, non de Christianis hominibus scribere videretur. Hujus buccinæ ferali sonitu exciti rustici, bellum in dominos movêre, & Germaniæ partem magnam convulsêre, ob quod bellum quia doctor novellus in invidiam vocabatur, retractationem edidit, & pro Principibus ac magistratibus civilibus scripsit, sentiendi & dicendi vertumnus. Perstitit nihilominus in obstinatâ rebellione adversùs Summorum Pontificum auctoritatem, Canones sacros exurendos curavit, à Pontifice provocavit ad Concilium, à Concilio ad scripturam, ut Exc. ad c. 4. sect. 6. diximus.

III. Quæ de illa Calvini sententia?

Calvinus, etsi minus concitato impetu ferretur, continere tamen se se non potuit, quin scriptis suis varia potestati civili vel disertè adversa, vel occultè contraria, inspergeret. Hujusmodi illud est l. 4. Instit. c. 20. v. 1. quod, quia Latina ejus editio ad manum non est, ex Gallico sermone reddam: *Libertas in Evangelio promissa, quæ Regem & dominum in hominibus non agnoscit: sed Christo soli adhæresiet.* De obedientia vero, Ecclesiæ ejusque capitibus debitâ, omninò pronuntiat, conscientiam illâ obligatam non teneri; Deo illam non deberi; soli deferendam exteriori gubernationi; magisque ad decorum spectare, quàm ad pactum; rubusque accendendam, non legibus, eumque in finem, ut cæremoniæ observentur, adhiberi censuras & excommunicationes, id est submotiones ab exteriori participatione communium.

IV. Quomodò ubi spiritus ibi libertas?

Erroris sui fundamentum Calvinus posuit libertatem in Evangelio promissam? Lutherus in hac Pauli 2. Cor. 3. sententia fuit, *Ubi spiritus, ibi libertas.* Quæ autem, inquiunt, ea libertas est, si humanæ regulæ, legésve, conscientiam nostram obligatam tenent? Sed absit, ut Christus obedientiæ Magister, Paulus obedientiæ commendator, tale libertatis portentum publicârint. Erat legis Mosaicæ jugum importabile humeris plurimorum, ut Act. 15. Petrus in Concilio dixit: *Sarcina innumerabilium observationum,* quomodò loquitur Aug. serm. 9. de ver. Dom. crassam & animalem Judæorum plebem arctabat: numerabantur affirmativa præcepta ad numerum dierum anni unius 365. negativa ad numerum ossium humanorum 248. Ita vulgò recensuêre. Hanc libertatem Christus spopondit, Paulus prædicavit, ne Judæi Christianos opprimerent in servitutem, inquit Guil. Paris. lib. de leg. Libertas altera, quâ Christus nos liberavit, à peccato est: qui enim facit peccatum, servus est peccati. Tertia libertas, impotentium affectuum & passionum tyrannidem excutit: *Ubi enim spiritus, ibi non tantùm libertas* est à peccato, sed etiam ab incentivis occasionibusque peccandi.

V. Quid de obedientia, hominibus debita, sentiat Paulus?

Itaque, ad insanam istam ab obsequendi necessitate libertatem, Ægyptios excivit Antichristi spiritus, non spiritus Christi. Quod ut evidentius appareat, aliquot de multis Scripturæ sententias consulamus. Omitto legis Mosaicæ edictum Deut. 17. v. 12. ubi, quisquis Pontifici aut Judici obedire noluerit, jubetur interfici; quæ utique pœna nisi crimini non infligitur. Illum ipsum libertatis prædicatorem Paulum audiamus Rom. 13. *Omnis anima,* Lutheri etiam & Calvini, *potestatibus sublimioribus subdita sit,* sive ea sublimitas sacra sit, seu civilis. *Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinatæ sunt;* ut Deo, in homine quovis legitimè jubente, deferatur, & debeatur obsequium. *Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt,* non humanâ modò sententiâ, sed Dei, cujus ordinatione refractarii sunt. *Ideo necessitate subditi estote, non tantùm propter iram,* metu vindictæ

aut

tot supplicii, justâ hominis irâ infligendi: *sed etiam propter conscientiam*, homini potestate legitimâ utenti obstrictam.

VI. Quod inobedientibus conveniens supplicium?

Scripturæ sententias aliquot modò promittebam: sed frustra fuerint descriptæ ex 1. Thess. 4. ex Heb. 13. ex Act. 25. post ista tam manifesta, & significantia, Pauli verba: quibus si Ægyptii fratres non percelluntur, supplicium caveant rebelli Core, seditiosisque sociis, divinitùs inflictum. Describitur eleganter ab Ambrosio ep. 25. ad Eccl. Vercell. ubi pro eligendo Episcopo factiones erumpebant: *Immugiens terra in medio plebis finditur, abripiuntur noxii, & ab omnibus hujus mundi ablegantur elementis; ut nec aërem haustu, nec cælum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulcro.* Indignos cælo sese fecêre, qui obtemperare detrectant: quia ordinatissimi motus cælorum sunt, & siderum. Elementis digni non sunt: quia superiorum influxibus inferiora reguntur. Sola ipsis cuvenit inferorum sedes, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Quamquam apud inferos quidpiam ordini non absimile videtur inveniri: quando potentiori dæmoni impotentior, minorque, obsequitur. Ut si quid inferis inferius, & deordinationis regno deordinatius uspiam foret, illuc inobediens, dehiscente terrâ, demergendus videretur.

VII. An Catholica multis ab Ecclesia legibus necantur?

At verò, inquiunt, quis jugum illud canonum, & decretorum, & bullarum, & censurarum ferat? Plura dierum numero præcipiuntur: plura ossium multitudine vetantur: multiplicantur in dies decreta, & pœnæ. Quod ipsum questus Augustinus ep. 119. ad Januarium, ubi post inventionum præsumptionumve humanarum exempla adducta, ait, sic illis onerari Catholicos: *ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui, etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur.* Sic disputaverit forsan Ottanorum aliquis. Sed respondero primùm: humanas non esse præsumptiones Ecclesiastica præcepta, cùm à rectè ordinata potestate proficiscantur, ut modò Paullus commonebat, & in eadem epistola loquitur Augustinus; à quibus præceptis quicumque alieni sunt, *caussam odii in seipsis habent*, inquit Salv. lib. 4. ad Eccl. *omne fastidium non in præcepto legis, sed in moribus suis.* Deinde dixero: ad universam Catholicorum multitudinem pertinere pauca omninò præcepta: illam autem legum, & canonum silvam ad alias, atque alias hominum classes spectare, ad quas nemo invitus adlegitur, atque adeò invitus nemo legibus istis adstringitur.

VIII. Jugum leve est volentibus.

Sed, posteaquam sponte in ejusmodi vitæ apud Catholicos institutum sese induit, det operam, ut quod semel voluit, semper velit. *Ante omnia caveamus*, inquit Eusebius Gall. hom. 8. *ut, quod nobis agere necesse est, non agamus inviti.* Nam, quomodò ait Salvianus lib. 4. ad Eccl. *Totum durum est, quidquid imperatur invitis*: & lib. 1. de Prov. Isthæc *non omnibus sunt onerosa tolerantibus, sed tolerare nolentibus. Sive enim hæc gravia, sive levia, animus tolerantis facit. Nam sicut nihil tam leve est, quod ei grave non sit, qui invitus facit: sic nihil est tam grave, quod non ei, qui id libenter exequitur, leve esse videatur.* Quare obsequendi studiosus non modò non tergiversabundè jussa excipiet, sed ultrò antevenict. Ita levem sibi sarcinam fecit D. Epiphanius, postquam sese in Crispini Ticinensis Episcopi, decessoris sui, potestatem ac disciplinam tradiderat. Sic enim de illô loquitur in ejus vita Ennodius: *Cujus mandere quidquid optâsset fieri, ante jussionem suam videbat Crispinus impletum. Præsentiunt enim bonæ mentes eorum imperia, quibus cum integritate famulantur.*

IX. Antevenit imperia obediens.

Non exspectat jussa perfectum obsequendi studium, sed occupat: & ut occupare possit, explorat, quà potest, moderatoris sui voluntatem; vocúmque articulos, & nutuum indicia, propensionumque observat. De obedientia Deo debita scribit Tertullianus lib. de Exh. cast. *Cum in hoc probetur nostra erga Deum metus, an ea velimus, quæ cum voluntate ipsius faciunt; altè & impressè recogitandam esse dico Dei voluntatem, quid etiam in occulto velit.* Sic erga illos etiam nobis agendum est, qui Dei vicem imperant: altè & impressè recogitandum, quid etiam in occulto velint. De se dicebat Psalmista: *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Cernimus quotidie jumenta, ad obsequendum exercitata, ita sessoris sui voluntati parere, ut præsentiscere videantur: idque eò facere proclivius, quò nobiliora & generosiora sunt. Quò excelsior est animus hominis obedientiæ addicti, eò propensiùs ad obtemperandum fertur, prævolatque imperiis. *Obedientia* enim, ut ait Eusebius hom. 3. ad mon. *in junioribus adhuc necessitas, in senioribus verò, & provectioribus gradu, meritove, dignitas.*

X. Promptè talem exequitur.

Si tamen obsequiosa mens jubentis animum scrutari, præceptúmque antecurrere, nequit: id saltem præstabit, ut simul illud audierit, vel acceperit, tantâ promptitudine exequatur, quantâ flectitur navis in tranquillo, ad quemlibet gubernaculi motum. Huic promptitudini commendandæ prodigia non pauca referuntur, quibus Deus testatus est, quàm sibi jucundum sit, caussâ suâ, homines hominibus esse sine caussatione & tergiversatione morigeros. Unum, non passim cognitum, recitat Raderus noster Bavariæ sanctæ tomo 2. B. Fredericus, ex D. Augustini religioso instituto monachus, dum in cella vinaria de dolio vinum in obbâ hauriret, subitò per superiorem vocatus, obediendi studio protinus accurrit, fluentis dolii immemor, epistomiumque gestans cingulo appensum. Id ut superior animadvertit, continuò cucurrit ad cellam, invênitque aperto canale nihil prorsùs liquoris profluere. Qui sub obedientis Petri, & Mauri plantis aquas duraverat, idem ad monachi obedientis manum vina defixit: & qui aures ipsi ad imperantis vocem aperuerat, idem os dolio clausit.

XI. Quando voluntas superioris ignota est, suam habet suspensam.

Quid autem fecerit obediens, si superioris sui voluntas comperta esse non potuit? Interim animi pendeat, & velut in bilance suam ipse libret voluntatem, donec de illa constiterit. Altiora navigia velis tantùm aguntur, ventosque ad motum exspectant; minora, remis impelluntur. Quò quis hominum virtute major est, eò magis ab alieno moderatorum impulsu regitur: de vulgo homines promovent ipsi sese, & concitant. Dicebat Petro Christus Joan. 21. *Cum esses junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget.* Tenerior, & adolescentior, virtus multa impetu agit: adultior, & maturior, quæ licèt nihil faciat nisi obsequio. Talem narrat Sacchinus Petrum Canisium Vitæ lib. 2. qui, rogante Othone Truchsesio Augustano Episcopo Cardinale, ut Augustæ tam necessario tempore maneret, hoc unum respondit: *Faciam quod superiores volent.*

Qui,

Qui, cùm provinciam regeret, decretos sibi à consiliis, gravioresque Patrum alios consulens, vitam initiat exercendæ obedientiæ. Nam sic ægram erat familior parenti, quàm jubenti, quando consilia sequebatur: ut idem Sacchinus lib. 5.

XII. Affectus exuat, qui promptè vult obtemperare.

Ad tantæ sublimitatis gradum, nunquam ascendet, qui sese priùs non exuerit rerum omnium supervacuo, extra Dei voluntatem, affectu. Qui enim pacto suspensum, velut in libripende, mentem teneat, si ad partium alteram desiderio, vehementer, urgetur? Narrat Spondanus ad annum 1278. Petrum Joannem Olivi, ex Minorum ordine, cùm tractatus quosdam de Virgine scripsisset, quibus eam ultra modum efferebat: eos Præpositi sui Generalis jussu manibus ipsummet suis in ignem conjectos exussisse, affirmasseque, plus sibi voluptatis in illis pro ingenii sui modulo lucubrandis non fuisse, quàm in comburendis ex Prælati imperio. Fuit hic Prælatus postmodùm Pontifex Maximus Nicolai IV nomine, fassusque est, quando de Petri doctrinâ forte coram ipso agebatur; illum non tam errâsse, quàm nova scripsisse, justumque igni tractatus suos damnare, non tam in pœnam, quàm in luxuriantem ingenii fœcunditatem circumcideret. Sacchinus libro 5. vitæ Canisii, narrato, Canisium Everardi Mercuriani Præpositi Generalis jussu à scribendo destitisse, lucemque de D. Virgine & D. Joanne tertium de D. Petro non addidisse: ait, tantam obedientiæ promptitudinem fuisse monumentum, quod nunquam stylo edere potuisset, admirabilius. At certè longè illud admirabilius fuit, non modò à scribendo destitisse, sed scripta jam & lucubrata, & luci parata, flammis incunctanter, imò cum voluptate, abolere.

XIII. Considerante Dominum videntem, & jubentem.

Quantæ voluptati sint ingenii partus, novêre, quicumque diligunt veritatem. Iidem noverunt, quanto dolori sit eorum jacturam facere: quid autem propriis manibus eos ad interitum impellere, velut Isaacum Abrahamus? Voluptas obedienti illi scriptori in re tam difficili non fuisset, nisi affectum à rerum quarumvis extra Deum amore jam pridem abduxisset: neque enim sine dolore relinquitur, quod cum amore possidetur. Accessit ad jucunditatem spectaculi, quòd holocaustum arsit in monte Moria, in loco *Dominus videt*, Dominus jubet. Quisquis incunctanter, libenter, jucundè obedire vult. Dominum videntem attendat, Dominum jubentem audiat. Equidem jubet Dominus, & videt Dominus: mandator idem, & exactor mandati: testis obedientiæ, inobedientiæ vindex. Itaque meritò Ephesios monebat Paulus cap. 6. ut obedirent *dominis carnalibus, sicut Christo . . . servientes sicut Domino, & non hominibus*: idemque Colossenses docuit cap. 3. De obedientiâ epistolam habes S. Ignatii nostri, inprimis sanctè & solidè scriptam. Illius virtutis modum, & encomia, in Samuele luculentè exhibet Mendoza noster tomo 2. in libros Regum. Mihi sufficerit obediendi necessitatem Ægyptiis fratribus breviter demonstrâsse: perfectionem Hierosolymitanis, ex observationum aliquarum nostrarum umbra, delineâsse.

SECTIO SECUNDA.

Ecclesiasticorum de festis præceptorum observatio.

I. Rectè festa ab Ecclesia imperantur, rectè servantur.

IS T I S generatim pro obtemperando præstructis, gradus ad Ecclesiastica præcepta quælibet, ad festorum nominatim dierum observationem, facilis est. Cum enim ligandi atque solvendi potestas Petro, successoribusque, collata sit, ut ex Christi promisso Matth. 16 constat: cumque etiam terrena esse constet ligaminum, vinculorumve genera, leges, culpas, pœnas; ad quæ vincula ex æquo Petri potestas extenditur, quemadmodùm & Christi generale promissum: Inde consequitur, à Petro, à successoribus, ab Ecclesiâ obligari Christianos posse ad observationem festorum. Rectè itaque ut ait, à Calvino appellatus *fidelissimus antiquitatis interpres*, Augustinus serm. 103. de temp. *Festa Ecclesiæ colunt, qui se Ecclesiæ filios recognoscunt*: sive ea festa sint, quibus Sanctorum quorumdam celebriorum recolenda memoria proponitur: sive ad beneficiorum divinorum commemorationem pertinent, ut loquitur August. lib. 10. de Civ. c. 4. *Deo beneficiorum ejus, solemnitatibus, festis, & diebus statutis dicamus, sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio.*

II. Alia divini juris sunt, alia humani.

Sed antequam de festorum fine, colendique modo ac ratione, dicamus: eorum variæ classes signandæ, & genera partienda sunt. Partiri autem genera possumus, vel ex jure, vel ex titulo, vel ex tempore. Divini enim alia, alia humani juris sunt. De his Ægyptia synagoga nobis quæstionem movit; jam satis absolutam, postquam ostendimus, humanæ potestati obtemperandum. Divini juris apud nos est Dominica dies; cujus observatio cùm à Christianis abhinc sæcula quinque valdè negligeretur, lapsam illi commendandæ de cælo epistolam Hierosolymis, ad altare S. Simeonis in Golgotha, delatamque ad Innocentium III. atque ab eo publicatam, & anno proximè sequente portatam in Angliam, per Eustachium quemdam sanctum Abbatem, ad cujus conciones miracula multa patrata sint, refert Spondanus an. 1200. ex Rogerio, verbatim epistolam recitante. Sed nos, cum Spondano, fidem literarum istarum cælestium auctori relinquimus: aliisque literis, ac monitis, quàm Apostolicâ traditione, Dominicam diem divinitùs sancientem, non egemus. Divini item juris sunt quædam festorum præcipua, humani cætera: qua de re Baronius ad annum 58. ubi existimat, festorum de Sanctis Martyribus institutionem ab Apostolis esse: de Confessoribus postmodùm ab Ecclesiâ inductam. Apud Judæos olim generum iisdem duorum festa fuere: divinæ legis mandato imperata, ut Paschæ, Tabernaculorum, Pentecostes: humano præcepto sancita, ut dies Phurim seu Sortium, Encæniorum, Nicateriorum.

III. Festorum apud Christianos trelices: unum olim apud Judæos solum. Cur hic non festa Angelorum.

Ex titulo triplex festorum genus est. Nam Deum alia directò spectant, quædam Deum-hominem, Sanctos cætera. Ad Deum pertinent Dominicæ, seu Domini dies, in Sabbatorum vicem substitutæ. Deo-homini sacratæ sunt dies Nativitatis, Resurrectionis, aliæque. Sanctorum titulo dedicatæ sunt, quæ ad D. Virginem, Beatosque Angelos, aut homines, referuntur.

Generum

Generum iſtorum unicum apud Judæos fuit: quia nondum factus erat Deus-homo: neque homines adhuc beatitudinis æternæ compotes erant, feſtoſque adeò ipſimet dies non agebant. Angelis autem, etſi beati erant, illos tamen dici ſacræ honores deferri non expediebat; eamdem ob cauſſam, propter quam ignotum Deus eſſe ſepulti Moyſis locum voluit. Prona enim ad ſuperſtitionem Hebræa natio, & Ægyptiorum, apud quos adoleverat, imitatione ad idololatriam facilè lapſura, ſi Moſis tumulum noviſſet, divinos illi honores deferre voluiſſet. Ita ſi Angelorum titulo, Moſaicâ lege, ſolemnium dierum indicta fuiſſet celebritas; ſacrificiorum illis, cæterorumque honorum divinorum, offerendorum, occaſionem inde Hebræi arripuiſſent.

IV. Genera feſtorum à ratione temporis.

Feſtorum apud nos, à temporis modo, alia mobilia dicuntur, quæ certo anni diei affixa non ſunt: alia immobilia, quæ eumdem ſemper anni diem tenent. Immobilibus Dominicas dies aggregamus: quæ licèt ſtatum ſemper anni diem ſervare non poſſint, aptantur tamen ad Solis curſum, menſiumque & hebdomadarum, non lunarium, ſed ſolarium. Apud Hebrzus, ſabbatorum ſeptimo quoque die recurſus fiebat ad anni ſolaris modum: atque adeò illa, Dominicarum noſtrarum inſtar, immobilibus feſtis accenſenda erant. Dies autem Paſchæ, Pentecoſtes, aliique, ad Lunæ curſum aptandi, æquè mobiles erant ac lunæ ipſæ, per intercalationes triennales nunc promovendæ, nunc retardandæ. Sic olim apud Romanos ſuperſtitio, religionis æmula, feſtorum varia tempora induxerat, teſte Macrobio lib. 1. cap. 16. *Stativæ feriæ* dicebantur, quæ immobiles erant, certoque anni diei defixæ. *Conceptivæ feriæ* erant, quæ ſtatum anni diem non habebant, ſed Pontificum arbitrio conceptum ac deſignatum. *Intercisi dies* appellabantur, ſemifeſti: *profeſti* erant, quos dicimus operoſos.

V. Finis Judaicorum feſtorum generalis primarius, quies animi in Deo.

Quorumcumque feſtorum, quovis jure ſancitorum, quovis titulo inſtitutorum, quovis tempore celebrandorum, fines generales bini ſunt, animi & corporis quies. Eos fines Sabbati appellatio, ſeptimæ diei indita, ſignificat. Animi autem quies, finis primarius, in eo eſt, ut humana mens in Deo, per quem & ad quem condita eſt, acquieſcat: ſicut Deus in ſemetipſo, poſt univerſi conditionem, conquieviſſe dicitur. B. Eugenius junior, in additamento ad Dracontii Hexaëmeron, rationes afferens, cur ſeptima dies ſit dicta Requies, ſive Sabbatum, hanc non omiſit. Verſus illius, & Auguſtini ſententiam, quam ſecutus nobis videtur, reperies l. 1. c. 2. ad v. 39. ubi dicimus quidpiam de ſabbatiſmo ſpirituali.

VI. Secundarius finis generalis, quies corporis.

Finem alterum generalem, quietem corporis, apertè indicat Deus, tum alibi paſſim, tum Deut. cap. 5. *Septimus dies Sabbati eſt, id eſt requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, ſervus, & ancilla, & bos, & aſinus, & omne jumentum tuum, & peregrinus, qui eſt intra portas tuas: ut requieſcat ſervus tuus, & ancilla tua, ſicut & tu. Memento, quòd & ipſe ſervieris in Ægypto*; adeoque & ipſe expertus ſis, quàm labore fatigetur corpus, quamque alterna quiete indigeat. Itaque non profani ſolùm ſapientes, quomodò recentior quidam cenſere videbatur, feſta quieti corporum inventa dixêre: ſed Scriptura divina id ipſum apertè pronuntiavit. Plato apud Clementem Alexan. l. 3. Strom. aiebat, humano generi, ad labores nato, deorum miſericordiâ indictos dies feſtos, ut interdum à laborum aſſidua contentione reſpirarent. Vitam enim, ſine feſtorum alternatione, longam eſſe ſine diverſoriis viam; ut inquiebat Democritus. *Legum conditores*, inquit Seneca lib. de Tranq. ſub finem, *feſtos inſtituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publicè cogerentur: tamquam neceſſarium laboribus interponentes temperamentum.* Sic profani dixêre, non profanè tamen: quandoquidem Deus ipſe ore Moyſis, & calamo, Sabbata præſcribat, ut requieſcant herus ſimul & famulus, hera pariter & ancilla.

VII. Particulares fines, beneficii memoria, aut myſterii celebratio.

Ad fines illos generales acceſſêre fines quidam alii ſingulares, pro ratione feſtorum. Vel enim beneficium aliquod præcipuum, Fidelibus publicè collatum, recolendum fuit: vel commendandum peculiari celebritate quodpiam divinitatis, religioniſve, myſterium. Ad gratiæ acceptæ in Ægyptiaco egreſſu memoriam, feſtum Paſchæ, tranſitiiſve, inſtitutum eſt: ad ducatûs præſtiti, mannæque in ſolitudine præbiti monumentum, Tabernaculorum dies deſtinati ſunt: ad pœnitentiæ & luſtrationis commendationem, indictus Expiationum dies celeberrimus; Tubarum item dies, ad cultus divini renovationem ſignificandam, atque excitandam. Ritus illos exhibet cap. 23 liber Levitici. In hiſce Machabæorum libris Nicateria indicuntur, ad obtentarum divinitùs victoriarum commemorationem: Encænia præſcribuntur, ad divini cultûs innovati monumentum, ſimul ad Templi religionem ſanctimoniamque commendandam.

VIII. Christianorum feſtorum fines.

Hebræis iſthæc ſancita ſunt: Chriſtianis, ad quietem animi ac corporis, plura decernuntur, eadémque auguſtiora longè tum ad gratitudinem, tum ad pietatem. Dominicæ omnes memorando creationis beneficio, & beatæ reſurrectionis ſpei, deſtinantur, ut Ambroſianus Dominicarum hymnus concinit. Naſcentis, Reſurgentis, Aſcendentis Chriſti dies beneficia ſimul, & myſteria, recolunt: dies itidem Pentecoſtes, Ven. Sacramenti, aliique. Feſta, D. Virginis, Angelorum, Sanctorumque titulis dedicata, eoſdem prorſus fines habent. Iis enim id primùm agimus, ut Deo, pro beneficiis in ipſos liberaliter profuſis, gratias debeamus: deinde, ut ad divinorum myſteriorum ipſis vel cognitorum, vel frequentatorum, venerationem excitemus. Huc pertinet, quod Naz. ait orat. 26. ad cultum Martyrum feſta inſtituta: & quod Aug. lib. 2. con. Fauſt. *ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum ſocietur, atque orationibus adjuvetur* populus Chriſtianus: & quod Bern. ſerm. in vig. SS. Petri & Pauli dicit, ſpectari in Sanctorum feſtis, *auxilium Sancti, exemplum ejus, confuſionem noſtram.*

IX. Servilia opera ad eos fines vetita, & plena.

Ex hiſce inſtituendorum feſtorum finibus, de facili conficitur ratio tranſigendorum. Ante omnia, quod Judæis olim præſcriptum, *Opus ſervile non facietis in eo*, idem Chriſtianis edictum eſt, ut, feriante à laboribus corpore, mens quietior in Deum intendere, ſanctumque otium agere poſſit. Apud Judæos legis iſtius violatio capitalis fuit, publicoque lapidationis ſupplicio ſancita. Apud Chriſtianos mortis pœnâ ſublatâ, & in pecuniariæ mulctæ obligationem mollitâ, manet tamen reatus criminis, quod ſi pœnitentiâ hic non expietur, divinam alibi ultionem exſpectabit. Quamquam hic etiam Deus interdum, ad ſalubrem publicè terrorem, damnis, morbiſve, irreligioſos feſtivæ quietis tranſgreſſores punivit. *Ignoſce enim*, inquit Salv. l. 5. de Prov.

aliquatenus

aliquatenus ignorantia potest, contemptus veniam non meretur. Sic apud Florimondum Ræm. Antich. c. 38. fabro cæmentario contigit, opus quoddam in ædibus suburbanis causidici Burdegalensis molienti, ipsoque die D. Joannis continuanti. Cùm enim ab advocato monitus, tantisper cessasset, eo tamen abscedente opus resumpsit, moxque in comitialem morbum, quem Burdegalenses vulgò S. Joannis morbum appellant, incidit, horrendéque ululare cœpit: cùm antea numquam eo morbo tentatus fuisset, viribusque integerrimis polleret. Non absimile quidpiam perhibuêre nuper de Japone Christiano narrationes anni vicesimi quinti. Solenni die, frustra dehortantibus amicis, lignatum ivit, alterique secans ictu digitum sibi abscidit, parumque ex vulnere abfuit à mortis periculo, sapientior exinde & sanior. Ad annum nuper quadragesimum nonum agricola quidam Tirvillanus, propè Virdunum, Dominicâ mergites demessos carro ivit impositum, contra disertam prohibitionem. Cùm currum secundo tempore mergite oneraret, repentè mortuus concidit. Ita in Opere manuali scribit P. Blancus è Societate nostrâ, qui tunc Virduni agebat, & de narrationis veritate accuratè quæsivit, attonitâ ad casum viciniâ omni regione.

X. Festis, cavendo præcipuè servilem peccatum.

Jam verò, si externis illis servilium operum laboribus per festos dies abstinendum est, multò amplius ab istis cavendum operibus, quæ internæ & spiritualis servilitatis sunt. Ob hoc enim ipsum illa sunt prohibita, ut diligentem ab istis continentiam doceamur: neque idcircò duntaxat otium indicitur, ut corpus conquiescat; sed ideò præsertim, ut in Deo tranquilla sit, & quieta mens, quod esse sincerè non potest, nisi sese à peccando continuerit. Aberrant itaque maximè à ratione festorum Christiani, qui per comessationum infamias, aliasve indignas & indecoras relaxationes, transigunt. Licet equidem tunc aliquid lætitiæ indulgere, idque vel ex Tertulliano disco in Apologetico, *Si diem Solis*, id est Dominicam, *lætitiæ indulgemus, alia longè ratione, quàm religione Solis.* Ea tamen recreatio corporis post mentis cultum poni debet, & intra modestiæ ac temperantiæ Christianæ limites sisti. Alioqui Christiani ab Augustino idem, quod Judæi, audient, tract. 3. in Joan. à nobis etiam adducto ad Luc. 2. v. 38. &c. *Judæi serviliter observabant diem Sabbati ad luxuriam, ad ebrietatem. Quantò melius feminæ eorum lanam facerent, quàm in Neomeniis saltarent? Absit, fratres, ut illos dicamus observare Sabbatum. Spiritualiter observat Sabbatum Christianus, abstinens se ab opere servili. Quid est enim ab opere servili? A peccato. Et unde probamus? Dominum interroga. Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Libro eodem de 10. chordis. *Melius*, inquit, *faceret Judæus in agro aliquid utile, quàm in theatro seditiosus existeret: & melius feminæ Judæorum die Sabbati lanam facerent, quàm totâ die in Neomeniis impudicè saltarent.* Tantumdem, opinor, Christianis nonnullis, viris ac mulieribus, per potationum, lusuum, saltationum nimiam laxamque licentiam festos dies agentibus, Augustinus hodie diceret, si rediret.

XI. Præceptum audiendi Sacri, & cur?

Nec sufficit Christiano per festos dies malis operibus abstinuisse, nisi etiam bonis sese addixerit. Imprimis Ecclesiæ præceptum æquissimum est, ut Sacro Fideles intersint. Cùm enim idcircò præcipuè festa instituta sint, ut Deo vacetur, ejusque cultui religio ac pietas impendatur: non potuit Christianæ pietati excelsius quidquam augustissimo sacrificio imperari. Nam pretii immensi victima Numini offertur, æquaturque ipsius majestas, & vilitas offerentis compensatur, doni magnitudine. Præterea, cùm beneficiis divinis recolendis festa dicata sint: non poterat id fieri commodiùs, & efficaciùs, quàm Eucharistiâ, gratias agendo destinatâ, gratiarumque omnium fontem continente, unde beneficia cœlestia in hominum quoslibet uberrimè manavêre.

XII. An audiendi verbi divini præceptum sit?

Ad religionem proximè pertinet verbi divini auditio: quam aliqui à Concilio Tridentino indictam existimavêre, cùm sess. 5. de ref. cap. 2. tum præsertim sess. 24. c. 4. ubi gravibus verbis necessitas ad populum dicendi, & dicentes audiendi, commendatur. Ea necessitas, quia mihi jam pridem usu cognita est: lubens in illorum sententiam irem, nisi contra opinantium multitudo, & consuetudo, obsisteret. Esto ergo illud consilii tantùm: donec populi Christiani Patribus de præcepto statuendum videatur. Quod equidem optârim, in Dominicas saltem dies, festave solemniores præscribi: nisi legitimi impedimenti ratio gratiam legis faciat. Hoc enim pacto multi de plebe, sacrorum prorsus ignari, & salutis suæ immemores, ad audiendum ac discendum cogerentur, vel peccandi metu, vel pœnæ mulctæve, ab exsecutoribus legum infligendæ, formidine. Nam, ut ait Ambr. ep. 25. ad Eccl. Vercell. *in consilio utilitas est*, quâ non omnes capiuntur, *in præcepto legerum*, quo comprehenduntur universi. *Consilium invitat voluntatem, præceptum frangit etiam invitos.*

XIII. Festis decent opera caritatis.

Consilii præterea fuerit, per dierum festorum laxitatem in opera caritatis incumbere Christi exemplo, quem sabbatis ægros sanâsse legimus, ad Pharisæorum usque invidiam. Ægri visitentur, quibus commodum est: stipes liberaliùs effundantur, quibus promptum est. Mittantur partes egentibus: ut non ipsi modò festis conquiescamus, sed opes etiam aliquid, ad aliorum quietem, afferre conemur. Narrat scriptor vitæ Alexandri Luzzagi: illius patri vicum fuisse in agro Brixiensi, cujus incolæ rusticani consuêssent, Divi tutelaris festum per saltationes indecoras, ludósque infrunitos, agere. Pravæ consuetudinis emendandæ, docendique agrestibus dierum festorum sanctitatem; Alexandrum illuc, eo die, nobilibus quibusdam Brixiensibus comitibus, concessisse, & palam cum illis pauperes collegisse, ad mensam invitâsse, invitatisque ministrâsse. Sic olim agapes suas, & convivia, celebravêre Christiani, advocatis in partem pauperibus: ut sacros dies conjunctâ religioni sacratissimâ caritas sacratiores efficeret. Operum etiam servilium, pro miserorum solatio, licentiam facilè datura, ubi necessitatis ratio apparuerit. Neque enim minus aliena necessitas, quàm nostra, præstandarum quovis die, aut exigendarum operarum, facultatem concedit.

XIV. Sunt imagines & præcursores æternæ festi.

In hâc vitæ mortalis feriis intercurrunt non paucæ, ob quas, tum nostrâ, tum alienâ causâ, corporis quietem aliquando interrumpere oportet: intactâ interim, & integrâ semper, quantum per rerum temporúmque vicissitudines licuerit, animi quiete. At in illis immortalis vitæ feriis, quarum hæ prægustus quidam, & specimen sunt, cum æternâ quiete mentis, erit eadem imperturbata corporis quies. Nulla illic tenebris, nisi diligendi Dei, necessitas: perpetua dabitur ab opere omni servili, & à peccato quovis, immunitas

immunitas: regnabit sine fine suavissima, nec laboriosa, caritas. Illic beneficiorum divinorum recordatio sempiternum exiget tributum gratiarum, & sacrificium laudis. Divinorum illic mysteriorum, ut ipsius Verbi divini adytus, aperta contemplatio auditores pariter, & concionatores, citra ullum fastidii periculum pascet. Festum illic agemus laetantes, & securi; quod hic, laetitiae & securitatis imitatione, agere discimus. Mobilia festa nostra sunt, & conceptiva; imò intercisa potiùs, ac profesta: stativum illud, & immobile. Sic per mobilia nostrum pietatis, atque obedientiae, studium transeat: ut in immobili religio nostra, & caritas, conquiescat.

SECTIO TERTIA.

Templa Christiana quanto sint Hierosolymitano sanctiora?

I.
Encaenia, festive Dedicationum, memento laeta Christianis.

ISIDORUS lib. 1. de Eccles. off. c. 35. agens tum de festivis diebus generatim, tum praecipuè de Encaeniis, seu anniversariis templorum dedicatorum: *Propterea*, inquit, *dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter conveniant, ut è conspectu mutuo fides crescat, & laetitia major oriatur.* Laeta festa omnia sunt; atque adeò laetum esse, ac festum, idem fermè est. Illorum tamen festorum inprimis gaudia publicè celebrantur, quae recolendae templorum dedicationi sacrata sunt. Neque immeritò sibi Christiana plebs de istius diei memoria gratulatur; quando fixum est tabernaculum Dei cum hominibus, & habitavit cum eis, collegitque immensae bonitatis suae majestatem in humanae domûs angustias; ut beneficiorum omnium illic monumentum simul statueret, & fontem aperiret. Et verò, si Judaeos aequum fuit Hierosolymitani templi structurâ, & instauratione, gaudere, gaudiique annuam commemorationem serae posteritati indicere: quantò aequius fuerit laetari Christianos, de sacris suis aedibus excitatis, Salomonico illo aut Zorobabelico templo, quantumlibet sint, longè sanctioribus.

II.
Templi Salomonici ars, & opes, mirabilia.

Justinianum Imperatorem ferunt, Constantinopolitanâ aede S. Sophiae Sapientiaeve incarnatae exstructâ, in aditu vestibuli post januam collocâsse statuam Salomonis, velut occultantis sese, & vinci erubescentis. At quanam parte superatum à se Salomonem Justinianus gloriari potuerit? Non magnificentiâ, opinor, ac divitiis: neque enim aureorum millionum millia terna in aedem illam impenderat; quantum à Salomone in templi Hierosolymitani exaedificationem, & ornamenta, consumptum fuisse, Pineda censuit, aliique accensuêre; argenti, aerisque, & metallorum ceterorum rationibus, extra summam illam sepositis. Neque arte structurae, & architectonices elegantiâ, victorem sese Justinianus facilè apud illos ferre audeat, qui Villalpandos aliósve id genus Scriptores, de Salomonici templi fabrica legêre; & Philippum II. Hispaniarum Regem audiêre, descriptionibus illis saepè haesisse attonitum, inclamasseque, O mirandum aedificium!

III.
Sanctitudo in Templis longè potior magnificentia.

Debuerat tamen Justinianaeam basilicam Salomonico templo certare, palmamque, materiae opulentiâ, & operis pulchritudine, praeripere potuisse. Sed quid eandem egregiae laudis, & praecipuae commendationis, merebatur? Mox enim pagani certatim & haeretici, idem delubris suis, & fanis, decus afferent. Hinc nobis prisci Ephesiae Dianae templa, Beli Babylonii delubra jactabunt. Hinc recentiores Memphiticarum Mosquarum, Indica, Sinensia, Peruviana, Mexicana fana efferent. Ostentabuntur ubique superbae moles, & minantia caelo culmina, daemonum cultui, asseclarum usui, dedicata. Ut pro magno venditare aedia suae opulentiam, & elegantiam, Justinianus non debuerit: quando parem habent, aut potiorem, ista *feralium mysteriorum sepulcra*, quemadmodum aptè appellat Codex Theodos. de haereticis, leg. 7. Christianorum templorum summa, & eximia, ex sanctitate laus est: quia sanctitatis fonti, amatori, muneratori consecrantur. Convenit equidem illorum magnificentia majestati Numinis: at longè magis sanctimonia congruit sanctitati; quam olim etiam in Mosaicae legis umbris fuisse potiorem, Psalmista docuit, quando vel solius sanctitudinis in domo Dei meminit, vel eam saltem magnificentiae anteponit: *Sanctitas & magnificentia in sanctificatione ejus: Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.*

IV.
Aedes omnes sacrae Christianorum quo genere sanctitatis excellant?

Atqui, ex hoc capite, non illa modò Justiniani aedes Salomoniam incomparabiliter exsuperat; sed Christiana templa quaelibet, & sacella: ut ad singulorum vestibulum si Salomon ipse redivivus sistatur, admiratione sanctimoniae defixus sese ultrò cedere fassurus sit. De interiori sanctitate hic non agimus, cujus genera duo sunt. Prima, quam essentialem appellamus, uni Deo propria est: quia ex naturae necessitate *nemo bonus, nisi solus Deus.* Altera, quam accidentalem dicimus, creatae naturae non debita, sed addita, gratiae divinae participatione. Exterior sola templis convenit, eò major futura, quò propiùs, & directiùs, vel Essentialem Dei, vel Accidentalem creatarum mentium sanctitatem respiciet, aut attinget. Respectus autem ille tribus ex capitibus peti potest: primùm, à consecratione: deinde, ab actionibus loco destinatis: denique, ab hominibus, Angelisve, illic versari solitis. Tria isthaec capita nulli Ecclesia spectâsse videbatur, cùm ista Christi ad Zacchaeum, festo Dedicationum, recitari jussit: *Hodie in domo tua oportet me manere.* Manet enim in sacris Christianorum aedibus Christus, consecrationis officio, actionum merito, personarum affectu: consecrationi divinam suam magnitudinem ac potentiam actionibus, actionibus accommodat gratiae suae auxilium, personis societatem suam in Ven. Sacramenti praesentia conjungit.

V.
Templa Christiana, quocumque titulo sint, Deo dedicantur.

Augustinus lib 4. con. Cresconium Grammaticum, templa Christiana appellat, *Omnipotenti parietes consecratos, Ecclesiam venerandam*: idcircò utique venerandam, quia parietes hâbet omnipotenti consecratos. Haec prima sanctitati templorum nostrorum caussa est, necessarius ex fine suo ad sanctitatem essentialem respectus. Nam, ut Levit. ult. Deus ipse constituit, *Quidquid semel consecratum fuerit Domino, sanctum sanctorum erit.* Deo autem templa omnia nostra dedicari constat, uno alteri dedicari non posse, citra supremi cultûs, immenso Numini debiti, labem. Sive ergo Virginis titulo ac memoriae, seu Angelorum Sanctorumve nomini, posita dicantur: illi tamen ante omnia honori dicata sunt, & ad eum referuntur, cui Sancti, & Angeli, & Virgo ipsa serviêre, ut sanctimoniam compararent. Eamobrem existimo, templorum Christianorum situm, jam olim ex nascentis Ecclesiae instituto, ad

Orientem

Orientem obverti solitum: ut vel inde intelligeretur, Deo esse consecrata, qui ascendisse dicitur super cælos cælorum ad Orientem.

VI. Cur templa sint Orientem spectantia?

Quamquam [illegible] gorius Nyssenus delectum imprimis situm [illegible] illum existimat; quia paradisus, cujus amœnitatem ac felicitatem per templa repetimus, ad Orientem plantatus fuit. Justino placet, eo nos situ doceri, consecrandam obsequio Numinis nobiliorem mundi nostri partem: præcipuam enim partem Universi Orientem esse, indeque motum inchoari. Augustino visum est, ca[illegible] fidei ratione discendum, quod mentium nostrarum facies & meratio dirigenda sit, quemque orando locum spectare oporteat, ut oriatur nobis lux indeficiens. Alii censuere, significatam Ecclesiam Christianam, semper orientis, numquam defecturæ, claritatem: idque inde magis apparere, quod Mosaici tabernaculi ostium Orienti obversum erat, atque adeò altare, & sacrificantes, atque adorantes Occidentem spectabant, quia Hebraica Synagoga sic orta fuit, ut occidere aliquando deberet; at Ecclesia sic exorta est, ut numquam occideret. Alii alia super positûs istius mysteriis eleganter, ac piè, disseruêre, Baronius imprimis ad annum Christi 57. Mihi videbatur eo potissimum à sapientissimis majoribus nostris hunc delectus: ut vel sic appareret, esse domum Dei, qui timentibus nomen suum propitius, ac beneficus, semper exoritur, & sanitas in pennis ejus.

VII. Cur Crucis, & Christi cruci affixi, figurâ sint?

Eamdem forsan ob caussam, templa Christiana, Crucis formam exhibent, ut partibus omnibus suis Deo penitùs subjecta esse intelligantur; quemadmodum crux & passio ac vita Christi universa, qui Patri factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Immò non crucis duntaxat idcirco figuram, sed Christi ipsius cruci affixi imaginem exprimunt. Si enim ad eam imaginem, quomodò Villalpandus tomo 2. pag. 475. opinabatur, Hierosolymitanum templum, velut vaticinio quodam, effictum est: longè id verosimilius de templis Christianis, Christi exemplo ad Numinis gloriam & cultum dedicatis, dixerimus. Et, si quod Vitruvius aiebat lib. [illegible] c. 1. *Non potest ulla ædes sine symmetria, atque proportione, habere rationem compositionis, nisi, uti ad hominis bene figurati, membrorum habuerit exactam rationem:* ædium nostrarum sacrarum symmetria, atque proportio, compositior nulla esse potuerit, quàm quæ ad optimè figuratum Christi corpus exigetur. Quemadmodum autem corpus Christi, partesque ejus universæ obsequiis divinis omnino servierê: ita templa nostra, membraque illorum omnia, ex structuræ suæ ratione, cultui divino, quem latriam dicimus, ordinantur.

VIII. Templa omnia Hebræorum Deo dicata fuere.

Quid autem hîc, inquis, de Christianis templis proferimus eximii, cùm Deo dicata dicimus? Idem non de tabernaculo modò Mosaico, Salomonicóve templo, aut Zorobabelico, quod Machabæus noster instauravit, affirmetur, sed de Herodiano ipso, quod abominandæ memoriæ tyrannus extruxit. Neque Oniam ab Ægyptiacis Judæis aliter, quam uni ac summo Numini, consecratum est. Nec Samaritanum delubrum alii cultui, quàm divino, Manasses Sacerdos excitavit. Quid ergo nobis Christianorum templorum sanctitatem ex eo commendas, quod eamdem sanctitatem de proximo respiciant: cùm eadem illa etiam profana, & schismaticorum delubra [illegible] parta sint? Fatemur, ex illo capite esse æquabis, & in consecrationis sine prorsus convenire

ut longè dispares sunt, ex conditione consecrantis. Tellus, quamvis egena, & vilis, *de consecrantis nobilitate decoratur*, inquit Ennodius in dictione missa Maximo Episcopo, pro Dedicatione templorum Sancti Joannis Baptistæ & Evangelistæ. Da mihi ædem sacram, quantumlibet vilem, Christiana modò sit, illius situm, ac pretium tamen par Hierosolymitano sanet, de nobilitate consecrantis.

IX. Templa Christiana cælitus consecrata.

Hierosolymitanum Salomon, ac deinde Zorobabel, cum suis sed Pontificibus dedicavêre: Christiana quis consecravit? Non hîc refero divinitùs, aut cælitus consecrata: quomodò D. Petri templo Londinensi, ab ipso D. Petro factum, narrant Baronius anno 610. & scriptor vitæ Divi Eduardi Regis. Quod à Christo ipso, comitibus Petro & Paulo Apostolis, Martyribusque Dionysio Rustico & Eleutherio, collatum basilicæ Dionysianæ perhibet Gaguinus lib. 3. & Fulgosius. Quod, apud Raderum in Bavaria sancta, contigisse sacello D. Virginis per Eberhardum Abbatem cellæ S. Meginradi in Helvetiis extructo, scripsit D. Conradus Episcopus Constantiensis, oculatus testis. Evocatus enim unà cum Udalrico Episcopo Augustano, ad ditias sacelli, & basilicæ Mauritianæ circumjectæ consecrationem, sub mediam noctem illuc ad orationem concessit. Dum orat, *Descendit Dominus de cælo, cum casula violacea, ante altare, ad sacrum ejus celebrandum.* Ipsa ejus verba sunt ut fragmento voluminis inscripti, Secretum secretorum, *cui quatuor Evangelistæ insidiant capiti ejus ministrantes, & mare consueto deponentes; Angeli, aurea thuribula deferentes, alii sua & ramo arborum stabant juxta Dominum. S. Gregorius flabellum in manu tenens. S. Petrus in manu baculum pastoralem: Sanctus verò Augustinus, & Ambrosius, stabant ante Dominum. Maria Virgo ante altare stabat splendida sicut fulgur. S. Michael præcentor erat: S. Stephanus legebat Epistolam, S. Laurentius Evangelium. Sanctus sic cantabatur; Sancte Deus in aula gloriosa Virginis, miserere nobis. Benedictus Mariæ Filius, in æternum regnaturus qui venit. Agnus Dei sic. Agnus Dei miserere viventium in te credentium, miserere nobis. Agnus Dei miserere mortuorum in te pie quiescentium, miserere nobis. Agnus Dei da pacem vivis, & defunctis, in te pie regnantibus. Ad Dominus vobiscum respondebant Angeli, Qui sedes super Cherubim, & intueris abyssos.* Visi admirabilitate, & suavitate, somnè tempus sui Conradus, cùm in sacello ad meridiem usque hæreret, ad eum adsunt, qui consecrationem ædis tandem postularent. Videns ipse enarrat urgentibus nihilominus consecrationem, audita ter illæ de cælo voces: *Cessa frater, cessa divinitùs Capella consecrata est.* Historia hæc, cui fidem difficulter apud nonnullos inveniet, fecit tamen non apud Leonem modò, quem Baronius Antipapam vocat; sed apud multos deinceps Pontifices Maximos, à quibus rata illa consecratio habita est, ubi Leo hanc erat litteris datis anno 964.

X. Dedicata per Angelos templa ex antiquissimo Ecclesiæ instituto.

Sed omissis narrationibus ejusmodi, quales ex hujus occasione Raderus congerit; de Augustano in Vindelicis choro, quem veterem chorum appellant, ab Angelis consecrato, quamobrem agitur quotannis memoria dedicationis Angelorum: de D. Rhenedii ædicula, quam ab Angelo dedicari vidit S. Vigilius: de æde D. Michaelis in Gargano, structâ per Angelos, & sacratâ: de sacello Sanctæ Crucis, quod nobiles duo Suurtzburgi Leonem IX. Pontificem,

Ratisbonæ

Ratisbonâ Norimbergam euntem, rogarêre ut consecratum veniret; cùmque ille, de via signo Crucis formato, benedixisset, invenêre in sacello signa Crucis, characterum figuras, aliaque consecrationis indicia. Istis omissis, eam tantùm consecrationem attendamus, quæ per Episcopos fieri solita est, ex prisco & Apostolico Ecclesiæ instituto. Scripsit enim de ritu dedicandarum Ecclesiarum epistolam ad Episcopos Lucaniæ Gelasius Pontifex. Joannes I. epistolam item ad Episcopos Italiæ. Eadem de re egêre Concilia, Carthaginense V. & Agathense: meminit Paullinus ep. 2. ad Delphinum: Clemens epistolâ 2. ad Jacobum fratrem Domini. Leguntur Fulgentii, Augustini, Ambrosii, aliorumque Patrum sermones ad plebem, in Dedicationum anniversariis habiti. Ut meritò ab Apostolis ritum illum manâsse, & ab Ecclesiâ continuatum censeamus; de templis, Episcoporum oratione, & sacrarum cæremoniarum usurpatione, consecrandis. Quæ autem est Episcopalis officii dignitas, & sanctitas, præ Regum Pontificúmque gradu in Mosaica lege unctorum? Quantum utique Christiana lex Mosaicæ, quantum Ecclesia Synagogæ, antecellit. Quantò igitur propensiùs de Christiano templo Deus dicturus est, quàm de Salomonico pronuntiavit 3. Reg. 9. *Exaudivi orationem tuam; & sanctificavi domum hanc, quam ædificâsti!*

XI. Quantò sanctiora sacrificia in templis Christianis, quàm in Hierosolymitano offeruntur?

Faciamus tamen, ædem Christianam, uso solo, actionibúsque piis, consecratam: ista etiam Hierosolymitano templo eò sanctior erit, quò sanctiores fuerint actiones. Non eas refero vitiosorum hominum, quas in profanis etiam locis damnaremus, Excurso ad cap. 13. sect. 5. à nobis proscribendas. Eas considero, quibus exercendis sacræ domus exstructæ sunt. In Hierosolymitano templo supplicationes ad Deum fiebant, publicè privatimque dona offerebantur, sacrificia generum trium immolabantur. In templis Christianis, ut orationes & dona prætercam, sacrificiorum adolentur genera tria, Deo acceptissima. Genus unum, est *spiritus contribulatus*, pœnitentiæ vel sacramento vel virtute; quo si peccata sua, & vitia, Salomon immolâsset, plus multò apud Deum potuisset, quàm mactatis centum millibus arietum, & viginti duobus millibus boum. Alterum genus, est *sacrificium laudis*, tum quando divina officia celebrantur; tum quando verbi divini sermones audiuntur. Quem templorum nostrorum finem singulariter notatum voluit Augustinus l. 2. de Civ. cap. 6. in fine; & cap. 28. hisce verbis: *Populi confluunt ad Ecclesias castâ celebritate, honestâ utriusque sexus discretione, ubi audiant, quam bene hic ad tempus vivere debeant, ut post hanc vitam beate semperque vivere mereantur. Ubi sanctâ Scripturâ, justitiæque doctrina, de superiore loco in conspectu omnium personante, &, qui faciunt, audiant ad præmium, &, qui non faciunt, audiant ad judicium.* Genus tertium, est divinum Eucharistiæ sacrificium, cujus dignitate inferius est quidquid intelligi, nedum explicari potest: ad cujus oblationem unicam sacrificia legum antiquarum universa tantumdem sunt, quantum umbra corpori: quid autem si cum multis illius millibus, quot in plerisque Christianorum majoribus templis fieri singulos in annos solent, comparentur?

XII. Quàm sancta templa nostra, ex

Pererius noster, postquam in Commentariis ad Genesin, mihi paginâ 302. de operum memorandorum, olim jussu divino fabricatorum, nobilitate disputavit, Noëmicæ navis, tabernaculi Mosaici, arcæ fœderis: pro hac denique pronuntiat, ob usum finémque proximum sanctiorem. Atqui in Christianis templis quàm multa sunt, usûs finísque arcâ istâ longè sacratioris? Inde Sanctorum corporum exuviæ ostenduntur, ad altaria jam olim recondi solitæ. Indidem Sanctorum animæ, exuviarum suarum amatores, quas idcircò D. Joannes Apoc. cap. 6. vidit *subtus altare*. Hinc Angelorum beatorum turmæ, quorum reverentiâ Paullus 1. Cor. 11. capita mulierum obvelata esse voluit: quos Pauli discipulus Joannes Chrysostomus, adorantium submississimo habitu, sacrificiis adstantes conspexit. Angelus unicus Mosi visus Exod. 3. ait, *Solve calceamenta de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est.* Sanctior, credo, longè ista est, ubi tot Angeli versantur, & ipse denique Angelorum Dominus, Ven. Sacramenti veste celatus; ut quos majestatis suæ excelsitate absterreret, familiaritatis suæ demissione invitet. *Major erit gloria domûs hujus novissimæ* Zorobabelicæ, magis *quam primæ*, inquit cap. 2. Aggæus: quia domum Zorobabelicam, à Machabæo instauratam, ab Herode ornatam, ac locupletatam, Christus Dominus aliquando erat per intervalla visurus. Christianæ domûs gloria ideircò major est, quàm priorum: quia illam Christus non per intervalla visit, sed continuæ habitationis sede dignatur.

Paullinus, epistolâ 34. ad Macarium, de nautico sene scribit, cui Christus naviganti adfuerat, quem sopitum foverat, cujus expergefaciendi aures contigerat; eas autem, tactu Domini consecratas, a se osculis penè detritas fuisse, ex suavi pietatis affectu: neque immeritò, *si religiosa cupiditas est loca videre, in quibus Christus ingressus, & passus est. Si præsepe nati, si fluvius baptizati, si hortus orantis Magistri, si atrium judicati, si columna districti, si spina coronati, si lignum suffixi, si saxum sepulti, si locus resuscitati evectique, memorat divina quondam præsentia celebratur.* Hac ratiocinatione conficit Paullinus, amabiles sibi & honorabiles fuisse aures nautici senis, memoria divini contactûs: eâdem nos confecerimus, a[illegible]u nostro ac veneratione dignissimas esse sacras Christianorum ædes; neque Hierosolymitano m[illegible] templo, sed sacris quibusque P[illegible]is, Christi quondam præsentiâ honoratis, digniores. Quia locorum istorum pleraque Christus horis pauculis contigit; alia, diutiùs licèt, non continenter tamen: at templa nostra continuæ præsentiæ honore ad incomparabilem evehit dignitatem.

XIV. Quæ nobis inde esse debeat admiratio, gratitudo, fiducia?

O Salomonis anima, quocumque tandem loco es, sive in cælis jam beata, ut quidam opinantur; sive apud inferos, ut nonnulli verentur; sive in purgantibus flammis, ut aliqui divinitùs almæ judicatum: sed ubivis locorum es, si ad nos redeas, illudque de divina Christi in templis nostris præsentia audias, & credas latere Dominum in medio nebulæ sacramentalis, quàm altè illud tuum exclames, 2. Paral. 6. *Domine Deus Israël, non est similis tui Deus in cælo, & in terra, qui custodis pactum, & misericordiam, cum servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo. Ergóne credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram? si cæli cælorum te non capiunt, quantò magis domus ista, quam ædificavi!* Exclamemus & nos cum Salomone, neque in sterili hæreamus admirationis affectu: sed animos nostros ad tam beneficæ bonitatis divinæ jucundam recordationem excitemus, gratiasque illi habeamus, quales

Zacchæus

SECTIO QUARTA.

Templa Christiana cœlis comparata, eodemque modo, quo cœli, spectanda.

similia modò [illegible] sed eadem sine. Neque [illegible] opinabatur apud Isaiam c. 14. gloriabundus R[illegible] Babylonius [illegible] *in cælum ascendam* [illegible] plum Hierosolymitanum, [illegible] *super astra Dei exaltabo solium meum, [illegible] testamenti*: in montem Moria, [illegible] templum [illegible] tum est, Regiâ potestate victor elatus, supra cælos sidereos, ad summas usque Dei sedes [illegible] ctus videbor. Sic Insid[illegible] ipsi de Hierosolymitani templi majestate, ac sanc[illegible] [illegible]. Quantò nos id altius [illegible] vemus, de augustâ templorum C[illegible] in [illegible] itate [illegible] tiamus quibus [illegible] ud Jacob [illegible] c. 28. E[illegible] meritò ap[illegible] *Terribilis est [illegible] d [illegible] Dei est, & porta [illegible], & [illegible] aula Dei*.

V. Beatorum sedem non facit locus.

Et vero C[illegible] sostomus, qui [illegible] templa vulgò *basilicas*, *Martyria*, *oratoriorum loca*, nominari (qui ab Eu[illegible] io [illegible] tat l. 1. vitæ Const. c. 46. appellata, *divinam virtutum palatiam*. qui hom. 24. de baptismo Chr[illegible] ocñes *spiritalem animæ portum*, It homilia 36. in ep. ad Cor. omnibus illis appellationi[illegible] is non contentus, magnificè ea nominat, *locum Angelorum*, *locum Archangelorum*, *cælum ipsum*. Ne tamen existimet quispiam, oratoriam hanc esse facundi[illegible] Patria exaggerationem, concil[illegible] auditoribus erga templa reverentiæ. intueamur, quàm istud ex vero dici potuerit. Cælum Beatorum, seu paradisum, non locus, opinor, facit, in extimo cælo positus; dæmones alioqui [illegible] paradiso conditi fuissent; neque Angeli in paradiso essent, quamdiu custodiæ nostræ intenti apud nos versantur; nec Christi anima beatitudinis compos fuisset, quan[illegible] o Zachæo dixit: *Hodie salus domui huic facta est*. Paradisum itaque faciunt personæ, & actiones: quinam ibi sint, quid fiat, videndum est.

VI. Iidem in templis sunt & in Paradiso.

Deus illic, manifestâ in luminis sui splendore præsentiâ, cernitur sicuti est, unus ac trinus. Assidet sacratissima Christi humanitas, & Christi mater. Angelorum decies centena millia assistunt illi, ac ministrant: Sanctorum item animæ, turba quam nemo dinumerare potest, aliquorum etiam ante communem beatæ resurrectionis sortem corpora rediviva. De templis Chri[illegible] anis verissimè istud dici potest, quo [illegible] Jacobus de quietis suæ loco dicebat Gen. 28. *Verè Dominus est in loco isto*: quod 2. Mach. [illegible] de templo Hierosolymitano Heliodorus profit[illegible] batur, *Virtus Dei [illegible] est*: quod per Ezech. c. 43. Deus pronuntiabat: *Locus solii mei, & locus vestigiorum meorum, ubi habito*; ubi me videndum & amandum præbeo, ubi singulari familiaritate, & favore domesticos meos excipio, & alloquor, ubi, ex fidelitatis meæ ac promissi debito, præsentiam meam & audientiam C[illegible] atus accommodaturus [illegible] um, etsi ex immensitatis meæ ratione [illegible] non essem. Christi itidem humanitas, tum [illegible] Ven. Sacramento templa nostra incolit, tum, quamvis hoc abesset, adest tamen eam ex[illegible] licite in fide oporteret, [illegible] in nomine ipsius congregamur, & Ecclesiam facimus. An[illegible] elorum in templis præsentiam vel inde d[illegible] imus, quod Divis Chrysostomo, Gr[illegible] orio, Osua[illegible] o Vi[illegible] nensi, Bonifacio Lausanensi, [illegible] e sacris ambus adesse v[illegible] si sunt. Sancti [illegible] pla fre[illegible] tam certum [illegible] st, quam ipsorum [illegible] sacras exuvias asservari. V[illegible] non omi[illegible] R. A[illegible] Fe[illegible] ano ad aras facienti [illegible] fuit: neque m[illegible] lo suo [illegible] lo Constantiensi [illegible] piscopo Conra[illegible] o spect[illegible] ta [illegible] neque uni loco affectuos suum, ac beneficen[illegible], adstrinxit.

Beatorum actio pe[illegible] D[illegible] amo[illegible] e, ac laud[illegible] c[illegible] ac [illegible] [illegible] cæstis ac [illegible] *te [illegible] iuvat. Alma [illegible]* quem[illegible] cæli ab [illegible] no can[illegible] læ[illegible] Trinitatis la[illegible] auditi [illegible] C[illegible] rae ab Anacl[illegible] [illegible] ud [illegible] fratres de mo[illegible] *hoc [illegible] in cælis, nempe va[illegible] are Deo. [illegible]* pon[illegible] *Quod in cælis, hoc [illegible] in templis.* [illegible] spectans [illegible] antu[illegible] ni[illegible] ones [illegible], qu[illegible] o [illegible] Dei, [illegible] Dei? Q[illegible] cæremoniæ ac [illegible] um [illegible] fiat [illegible] agitur [illegible], qu[illegible] ut [illegible] ente [illegible] D[illegible] S. Beatorum, laude[illegible] d[illegible] cantantium, spe[illegible] beat[illegible] C[illegible] R[illegible] cant, [illegible] el[illegible] vi[illegible] str[illegible] rum [illegible] & [illegible] eu[illegible] um maj[illegible] tum D[illegible] R[illegible] foret par[illegible], d[illegible] sæ[illegible] in [illegible] C[illegible] [illegible] m te po[illegible], [illegible] un[illegible], ac vasa[illegible]

Atqui, inquit qu[illegible], operæ [illegible] lus[illegible] D[illegible] t com[illegible], nonn[illegible] ra Cl[illegible] templa, adytaque ip[illegible], fiunt [illegible] aliquando, certè amorem ac laudem n[illegible] f[illegible] sub divinorum oculorum censura [illegible] quando, quasi Deus non v[illegible] eat? In[illegible] gredientes video, quo[illegible] ta[illegible] mitteret, Ozias superb[illegible] P[illegible] Eudoxias crudeles, av[illegible] E[illegible] tro[illegible] Q[illegible] autem inde conficis? Male, inquis [illegible] templa cum Beatorum se[illegible] ubi [illegible] neque isti versantur, compone[illegible]. Q[illegible] ob ea ipsa, quæ objicis, non compo[illegible] sed anteponi posse, dixero? Quod [illegible] paradiso non fit, id fit in templis; at [illegible] mundemur, ut probi homines [illegible] Videas Clodovæum, arrogantia[illegible] tem; Thaidem, castimoniæ [illegible] Theodosium, cædium do[illegible] re[illegible] lum, in pauperum subsidia pr[illegible]

Si cui tamen templa Cl[illegible] [illegible] lisse, istâ comparati[illegible] v[illegible] per me licebit. ad cæli a[illegible] murcensis templi nostri [illegible] fuimus, similitudinem. N[illegible] ter oculorum spectacula mag[illegible] nos [illegible] cæli, astrorumque in illo vel[illegible] tum, contem[illegible]. Inde olim [illegible] templa [illegible], candi[illegible] inque f[illegible] ob [illegible] l[illegible] bræ puer[illegible] in [illegible] ntur. *Benedictus [illegible]* Quamquam in contemplati[illegible] cæl[illegible] tuum mens & m[illegible] est. [illegible] so[illegible] o capu[illegible] pul[illegible] imo quod [illegible] in Persæ [illegible] træ [illegible] e, pr[illegible] d[illegible] intr[illegible] t motum [illegible] u[illegible] in compositum [illegible] tum v[illegible] tu[illegible] tum. Sapien[illegible], [illegible] cælon[illegible] siderum [illegible], m[illegible], [illegible] dictoris n[illegible], & [illegible] pre[illegible] to[illegible] M[illegible] obverf[illegible] iter [illegible] er [illegible] obtut[illegible] facere consueverat, [illegible] brem [illegible] tu[illegible]

E[illegible] tum[illegible] Cl[illegible] m[illegible] cerant, triplex iudex [illegible] Syn[illegible], T[illegible]

q[illegible] in externa [illegible], quemadmodum [illegible], ab [illegible] Episcopo Reg[illegible] [illegible] laudator apud Spond. an. [illegible]

[illegible]

[illegible] sua temporibus [illegible] [illegible] solitudo, vast[illegible] [illegible] [illegible] S[illegible] [illegible] Me[illegible] [illegible] quoque [illegible] refanat[illegible] [illegible], ad quod [illegible] quod, ab Au[illegible] [illegible] Auctore [illegible] Vesperam de P[illegible]

XI. Dep[illegible] [illegible], & [illegible], templorum [illegible] illorum & infimam spe[illegible] [illegible] sunt [illegible] labor, [illegible] do [illegible] est. Sic olim S[illegible] Zorobabelem prædicavit, & Jesum [illegible], *[illegible] ædificaverunt domum, & [illegible]averunt templum [illegible] Domino, paratum* [illegible]. Sic Augustinus [illegible] de D[illegible] Deo gratias agit, [illegible] constructam [illegible] [illegible]

[illegible]

XII. [illegible] postquam [illegible] templorum structuram [illegible]

XIII. Quam spectabilis [illegible]

[illegible] dignitati, cum [illegible] intereunt, [illegible] ex [illegible] illud Apoc. [illegible] ex [illegible] [illegible] dicere poss[illegible], *[illegible] tabernaculum Dei cum hominibus*, [illegible] Domini [illegible] permutat [illegible] [illegible] ipsos, [illegible] pro[illegible] [illegible] loci. Quam [illegible] ut tota [illegible] in quibus per ulla [illegible] [illegible] omnia [illegible] templum ipsi est, contemplator, [illegible] & [illegible] tremus ipsi [illegible], & carent [illegible] res nullius [illegible] ut ca[illegible] [illegible] *cum [illegible] ratione gloria sua* [illegible] & [illegible] sibi [illegible], ac [illegible] auditu [illegible], dignetur? Quam [illegible] R[illegible] bonitas ut [illegible] [illegible] ad [illegible] nostras [illegible] collocat, & de [illegible] cælorum, atque [illegible] spectat [illegible] *hominum*.

XIV. Jam quanta dignitas animorum [illegible] & pretium est; ab [illegible] omnis temp[illegible] [illegible], & opulentia, [illegible] post Dei gloriam, [illegible] Dei, & animorum [illegible] sunt; ut qu[illegible] & quomodo ipsi [illegible] salus [illegible] tem [illegible] contempti [illegible] Christianorum fabricis, [illegible] apparatu & [illegible] dedicatum, incompa[illegible] bi[illegible] esse nobiliorem [illegible] partib[illegible] omnibus, eo [illegible] esse, quo [illegible] dignum est, & [illegible] domus excelsior. Se[illegible] [illegible] nostrorum templ[illegible] compar[illegible] [illegible] ingenio mediantibus [illegible]

XV. Prima, quam nobilem [illegible] [illegible] templorum [illegible], homi[illegible] [illegible] An[illegible] At, an [illegible] humanæ opi[illegible] cernitur, immensis [illegible] [illegible] bonitatis [illegible], [illegible] labore. Illud [illegible] dedic. serm. 4. de Dedic. *Quamvis [illegible] sint templa [illegible] quæ videmus [illegible] tamen pius apud [illegible] [illegible] [illegible] corpora nostri [illegible] [illegible] carnali, illa ab artifice mundi.* Ca[illegible]

XVI. Apud [illegible] *sancta* [illegible] appella[illegible] [illegible] adeo spectas [illegible] [illegible] hæreat, [illegible] ergo [illegible], & cultus [illegible] [illegible] Græcis

specie negligatur [illegible] quemadmodum [illegible] demus rusticano homines in templa [illegible] frontium ornatarum contemplatione de[illegible] : & quem [illegible] animi. Indorum idololatrarum delub[illegible] auro & gemmatis collucere, cùm in [illegible] mosis altaribus effigie monstrosæ pro[illegible] [illegible] vim animæ aptè diceremus vim ima[illegible] & appetitum utriumque passionib[illegible], ut nonnulli numeravere, [illegible] quod [illegible] Namurcensis [illegible], ubi hæc di[illegible], [illegible] suffulta est. [illegible] & pene [illegible] animi, mens est [illegible] altaribus totidem, [illegible] grata b[illegible] [illegible] um [illegible] moratur, cùm facit [illegible] laudes, quod [illegible] rantur.

XVII. Con[illegible] & d[illegible]. hominem atque illo[illegible].

Templum sacris [illegible] copus, [illegible] est Pater patrum ac Sacer[illegible] animam humanam [illegible] Apostolus, id est Episcoporum pater [illegible] Tertullianus [illegible] de Pudicitia, Paullus [illegible] *dedicavit non scitis vos templum Dei [illegible] habitare: Qui & templo [illegible] vificaverit, [illegible] legem scripsit: Si quis templum Dei violaverit, violabit illum Deus.* Sed [illegible] longè, & augustius, animorum Christianorum prima dedicatio, ad Spiritum [illegible] refertur Tertulliano itidem, post D. Paullum præeunte lib. de cul. fem. *Cum omnes templum sumus Dei, illato in nos [illegible] consecrato Spiritu [illegible] ejus templi æditua & antistes pudicitia est, quæ [illegible] immundum & profanum inferri sinat.*

XVIII. Ritus dedicationis ac [illegible].

Rituum, quibus templa Christiana consecrantur, generis quinque sunt, apud Bernardum sermone I. de Dedicat. *Aspersio, inscriptio, unctio, illuminatio, benedictio.* Animum Christianum aspersit Baptismus, & charactere indelebili inscripsit; unxit idem & illuminavit, ac replevit omni benedictione in spiritualibus in Christo. Accessit unctio Confirmationis, illuminatio Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. exspectatur benedictio numquam defutura beatitudinis æternæ. Dubitetne ullus, quin Christiani mens quælibet templo augustior longè [illegible] sit [illegible] templa illam pro fine spect[illegible], [illegible] domus & [illegible] Cui [illegible] animæ [illegible] Ecclesiam suam Christus [illegible] dei petra [illegible] sui [illegible] fecit, C[illegible] [illegible] Sacrame[illegible] [illegible] templ[illegible] [illegible] Dei [illegible] *templum* [illegible] *dida* [illegible], *sc*[illegible] *luce* [illegible] *natur*

[illegible] æstimat [illegible] veritatis cui ol[illegible] dilectat [illegible] *hujusmodi* [illegible] *oculos* [illegible] Omn[illegible] tanti [illegible] hec [illegible] do illum [illegible] O D[illegible] animas [illegible] & amatos, qui pau[illegible] quàm pauci tuam [illegible] Sol fermè cognita est [illegible] superbæ [illegible] cujus *Dominus Deus templum* [illegible] *lucerna* [illegible] *Agnus* in [illegible] lumine [illegible] lumen mi[illegible] tionum tuarum. [illegible] sunt *tabernacula tua, Domine virtutum*, & Deus pacis! [illegible] nostrum & caro [illegible] in te De[illegible] vum, adspirant ad beatam cognitionem tuam, [illegible] helant ad perpetuum amorem tuum, in [illegible] templorum cælestium [illegible] ut [illegible] illa [illegible] nisi summa votorum [illegible] & in templis mentium suarum, [illegible] te.

CAPUT

CAPUT UNDECIMUM.

ARGVMENTVM.

Lyſias, clades dedecuſq; ſuorum ulturus cum peditum millibus octoginta, atque Aſiatico exercitu univerſo, Iudæam pervadit; & Bethſuram, præſidium Hieroſolymæ vicinum, obſidet. Machabæus, & ſui, Deum in tanto diſcrimine invocant, ſumptiſque armis prodeunt, ad opem obſeſſis ferendam. Procedentibus præire viſus de cælo eques albatus, in armis aureis, haſtam vibrans, maximos animos & certam victoriæ ſpem dedit. Primo congreſſu, cæſa ex hoſtibus peditum millia undecim, equitum mille ſexcenti: cæteri fuſi. Lyſias per ſe vim Iudaicorum armorum expertus, ubi ſe ex fuga & clade collegit, ultrò ad Iudæos miſit, qui de honeſta pace proponerent, Regis ſuoq; nomine. Vtilem publicè tractatum reſpuere viſum non eſt. Scriptæ a Machabæo conditiones pacis, & à Rege omnes conceſſæ. Ea de re Lyſiæ ad Iudæos literæ, Eupatoris ad Lyſiam, Romanorum item ad Iudæos referuntur.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

℣. 1. SED parvo pòſt tempore, Lyſias procurator regis, & propinquus, ac negotiorum præpoſitus, graviter ferens de his quæ acciderant, 2. congregatis octoginta millibus, & equitatu univerſo, veniebat adversùs Iudæos, exiſtimans ſe civitatem quidem captam Gentibus habitaculum facturum, 3. templum verò in pecuniæ quæſtum, ſicut cætera delubra Gentium, habiturum, & per ſingulos annos venale ſacerdotium: 4. nuſquam recogitans Dei poteſtatem, ſed mente effrænatus, in multitudine peditum, & in millibus equitum, & in octoginta elephantis confidebat. 5. Ingreſſus autem Iudæam, & appropians Bethluræ, quæ erat in anguſto loco, ab Ieroſolyma intervallo quinque ſtadiorum, illud præſidium expugnabat. 6. Ut autem Machabæus, & qui cum eo erant, cognoverunt expugnari præſidia, cum fletu & lacrymis rogabant Dominum, & omnis turba ſimul, ut bonum angelum mitteret ad ſalutem Iſraël. 7. Et ipſe primus Machabæus, ſumptis armis, cæteros adhortatus eſt ſimul ſecum periculum ſubire, & ferre auxilium fratribus ſuis. 8. Cumque pariter prompto animo procederent, Ieroſolymis apparuit præcedens eos eques in veſte candida, armis aureis haſtam vibrans. 9. Tunc omnes ſimul benedixerunt miſericordem Dominum, & convaluerunt animis: non ſolùm homines, ſed & beſtias ferociſſimas, & muros ferreos parati penetrare. 10. Ibant igitur prompti, de cælo habentes

adjutorem,

adjutorem, & miſerantem ſuper eos Dominum. 11. Leonum autem more impetu irruentes in hoſtes, proſtraverunt ex eis undecim millia peditum, & equitum mille ſexcentos: 12. univerſos autem in fugam verterunt, plures autem ex eis vulnerati nudi evaſerunt. Sed & ipſe Lyſias turpiter fugiens evaſit. 13. Et quia non inſenſatus erat, ſecum ipſe reputans, factam erga ſe diminutionem, & intelligens invictos eſſe Hebræos, omnipotentis Dei auxilio innitentes, miſit ad eos: 14. promiſitque ſe conſenſurum omnibus quæ juſta ſunt, & regem compulſurum amicum fieri. 15. Annuit autem Machabæus precibus Lyſiæ, in omnibus utilitati conſulens: & quæcumque Machabæus ſcripſit Lyſiæ de Iudæis, ea rex conceſſit. 16 Nam erant ſcriptæ Iudæis epiſtolæ à Lyſia quidem hunc modum continentes: Lysias populo Iudæorum ſalutem. 17. Ioannes & Abeſalom, qui miſſi fuerant à vobis, tradentes ſcripta, poſtulabant ut ea, quæ per illos ſignificabantur, implerem. 18. Quæcumque igitur regi potuerunt perferri, expoſui: &, quæ res permittebat, conceſſit. 19. Si igitur in negotiis fidem conſervaveritis, & deinceps bonorum vobis cauſa eſſe tentabo. 20. De cæteris autem per ſingula verbo mandavi, & iſtis, & his qui à me miſſi ſunt, colloqui vobiſcum. 21. Benè valete. Anno centeſimo quadrageſimo octavo, menſis Dioſcori die vigeſima & quarta. 22. Regis autem epiſtola iſta continebat: Rex Antiochus Lyſiæ fratri ſalutem. 23. Patre noſtro inter deos tranſlato, nos volentes eos, qui ſunt in regno noſtro, ſine tumultu agere, & rebus ſuis adhibere diligentiam, 24. audivimus Iudæos non conſenſiſſe patri meo ut transferentur ad ritum Græcorum, ſed tenere velle ſuum inſtitutum, ac propterea poſtulare à nobis concedi ſibi legitima ſua. 25. Volentes igitur hanc quoque gentem quietam eſſe, ſtatuentes judicavimus, Templum reſtitui illis, ut agerent ſecundùm ſuorum majorum conſuetudinem. 26. Benè igitur feceris, ſi miſeris ad eos, & dexteram dederis: ut cognita noſtra voluntate, bono animo ſint, & utilitatibus propriis deſerviant. 27. Ad Iudæos verò regis epiſtola talis erat: Rex Antiochus ſenatui Iudæorum, & cæteris Iudæis ſalutem. 28. Si valetis, ſic eſtis ut volumus: ſed & ipſi benè valemus. 29. Adiit nos Menelaüs, dicens velle vos deſcendere ad veſtros, qui ſunt apud nos. 30 His igitur, qui commeant uſque ad diem trigeſimum menſis Xanthici, damus dextras ſecuritatis, 31. ut Iudæi utantur cibis & legibus ſuis, ſicut & priùs: & nemo eorum ullo modo moleſtiam patiatur de his, quæ per ignorantiam geſta ſunt. 32. Miſimus autem & Menelaum, qui vos alloquatur. 33. Valete. Anno centeſimo quadrageſimo octavo, Xanthici menſis quinta-decima die. 34 Miſerunt autem etiam Romani epiſtolam, ita ſe habentem: Quintus Memmius & Titus Manilius, legati Romanorum, populo Iudæorum ſalutem. 35. De his, quæ Lyſias cognatus regis conceſſit vobis, & nos conceſſimus. 36. De quibus autem ad regem judicavit referendum, confeſtim aliquem mittite, diligentiùs inter vos conferentes, ut decernamus, ſicut congruit vobis: nos enim Antiochiam accedimus. 37. Ideóque feſtinate reſcribere, ut nos quoque ſciamus cujus eſtis voluntatis. 38. Benè valete. Anno centeſimo quadrageſimo octavo, quinta-decima die menſis Xanthici.

COMMENTARIUS AD CAPUT UNDECIMUM.

Apparatus Lysiæ ad bellum Judaicum.

℣. 1. usque ad 5. SED PARVO POST TEMPORE LYSIAS &c. Narratur apparatus Lysiæ ad bellum Judæis inferendum, sarciendamque jacturam ac reparandam ignominiam, Asiatico regno per Machabæum inflictam, tum suâ, tum postremis Gorgiæ & Timothei cladibus. Sentiebat illas maximè Lysias, quòd sub procurationis suæ ac ministerii auspicia, ineunte regnum Eupatore, imò vivadum aut nondum forsan mortuo Epiphane, accidérant, vergebantque in administrationis suæ dedecus. Eam ob caussam vires omnes contrahit, ad peditum millia octoginta, equitatumque copiosum, ut Asiaticus mos erat, & elephantos octoginta. Cum tantis copiis, velut securus victoriæ, infamias de Templo & religione calcanda cogitationes versabat, nusquam recogitans Dei potestatem: etsi anno proximè præterito illam sensisset, fusus à Judæis, fugatusque, ut l. 1. c. 4. narratur.

Unde Lysiæ elephanti octoginta?

In textu nihil est difficultatis, nisi in elephantorum numero. Constat enim, ex pacis, Romanos inter & Antiochum Magnum initæ, conditionibus, non licuisse Regibus Asiaticis elephantos alere. Deinde, in expeditione per Eupatorem paullò pòst adversus Judæos susceptâ, numerantur ut l. 1. c. 13. omninò viginti duo elephanti, qui postmodùm ad triginta duos progrediente exercitu, excrevêre, ut ad libri prioris caput 6. diximus. Unde ergo nunc Lysiæ elephanti octoginta? De conditionibus pacis cum Romanis non est magnopere laborandum: neque enim admodùm religiosè servabantur ab hominibus minimè religiosis, & omnia ex utilitate metientibus: & elephantos quidem constat eo tempore ab Asiæ Regibus nutritos; cùm Octavius, Romanorum legatus in Asiam post Epiphanis mortem, inter mandata acceperit, subnervandos elephantos. De numero elephantorum Eupatoris duo dici possunt: primum anni unius spatio, quantum inter Lysiæ & Eupatoris expeditiones intercessit, valdè imminui potuisse vel morbis, vel cædibus, &, quod omninò credibile est, jussu Romanorum, pacis conditiones urgentium: alterum, in Eupatoris exercitu numerari solùm elephantos præcipuos, doctos ad prælium; in Lysiæ expeditione recenseri quoslibet promiscuos. Seu hoc, sive illud dicatur, satisfit difficultati.

Lysias quomodo propinquus Antiochi?

In ℣. 1. Lysias dicitur propinquus Regis: erat enim ut l. 1. c. 3. habetur ex genere Regali. Non ergo solùm propinquus affectu, dignitate, consuetudine Orientalium Regum cognatos vocantium quotquot erant de primoribus; sed propinquus sanguine, ac genere. Eamdem ob caussam infrà v. 22. Antiochus eum fratrem in epistola sua appellat; Romani item in sua vocant cognatum Regis v. 35.

Græci pro Gentibus, & contrà, sæpius.

In ℣. 2. ubi Interpres noster posuit Gentiles, Græcè habetur Græcos, uti alibi frequenter, in novo præsertim Testamento. Cùm enim sub hæc tempora, ac deinceps, Græci in regionibus omnibus Judææ conterminis dominatum exercerent, essentque omnes idololatræ, consuetudo apud Judæos obtinuerat, ut Gentiles quivis, sive idololatræ, Græcorum nomine appellarentur. Inde apud Paulum, illa, Non est distinctio Judæi, & Græci. Inde apud Patres Orientales Hellenismus positum pro idolorum cultura, & orationes adversùs Græcos, id est adversùs Paganos.

Bethsuram obsidet Lysias.

℣. 5. INGRESSUS AUTEM JUDÆAM, ET APPROPIANS BETHSURÆ &c. cujus descriptionem dedimus, quantum fas est, tum in Commentariis ad l. 1. tum in chorographica tabula. Ex hoc loco manifestum est, fuisse in angusto loco, distans ab Hierosolymis intervallo quinque stadiorum communitum. Illud præsidium expugnabat, id est expugnare tentabat Lysias, oportunum firmandæ arci Hierosolymitanæ, & civitati opprimendæ: & ob eas caussas à Machabæo munitum, ut l. 1. c. 4. ad v. 61. diximus.

Judæi ad Deum per orationes confugiunt.

℣. 6. UT AUTEM MACHABÆUS, ET QUI CUM EO ERANT, cum Judæi conditionis cujusvis, tum maximè Sacerdotes, uti c. sup. v. 25. cognoverunt expugnari præsidia; neque enim eò usque Lysias progredi potuerat non expugnatis aliquibus præsidiis: deinde, expugnari, potest sumi, ut præcedente versû, pro impugnari: cum fletu, & lacrymis, rogabant Dominum, illi nempe quorum munus erat peccata populi convicere, & orare pro populo: & omnis turba simul cum Machabæo, ac Sacerdotibus: ut bonum Angelum mitteret ad salutem Israel. Id petebant, tum ex legis sponsione, de qua suprà c. v. 26. tum ex nuper ab Angelis experientia, in nupero Timotheano prælio.

Progrediuntur ad pugnam, præeunte equite cælesti.

℣. 7. usque adei. ET IPSE PRIMUS MACHABÆUS SUMPTIS ARMIS, &c. Ab oratione surgens Machabæus, primus strenui ducis more arma sumit, & commilitones hortatur ad audendum. Cumque omnes ad pugnam accincti magnis animis procederent, præire agmen visus est eques hastatus, albâ veste, armis aureis. Gorionides scribit, sublimem in aëre, sive inter cælos & terram, visum: sed illud præcedens verbum videtur, hoc loco & occasione, indicare incessum communem. Itaque de divino auxilio certi, & de victoria minimè dubii, periculisque omnibus fortiores, ac per quævis obstantia eniti, in hostem rectà ducunt.

Ubi Angelus apparuerit?

Quærendum primò, quo loco Angelus Judæis apparuerit? In Scriptura sic est: Cumq; pariter prompto animo procederent Ierosolymis apparuit, &c. Si post vocem Ierosolymis ponatur cæsura, seu comma, ut in quibusdam, antiquioribus præsertim, exemplaribus: intelligetur eques tunc demum apparuisse, cùm ordines & cunei Hierosolymis exirent, Bethsuram versùs. Sin comma postponatur verbo procederent, & præponatur Ierosolymis, ut in Sixtinis quibusdam correctioribus: intelligitur, Angelum in ipsa civitate videri, & agmini de Templo plateisque vicinis prodeunti præire cœpisse. Et hoc mihi magis placet, situm Bethsuræ Hierosolymis vicinæ, & copiarum Asiaticarum multitudinem considerantı: vix enim portis civitatis egredi poterant Judæi, quin hostibus circumfusis incurrerent. Itaque intra portas, ante erumpendum, acies disponendæ fuerunt, & Angelus in urbe apparere debuit; ut ante incursum, & congressum, cælesti spectaculo roborarentur.

Quis Angelus apparuerit?

Quæritur deinde, quis ille Angelus fuerit? Gabrielem dixerit Hieronymus, cujus hæc verba sunt in Danielis cap. 8. Gabriel præpositus est prœliis,

prælii, quia nempe *in linguam nostram vertitur fortitudo, vel robustus Dei.* Michaelem mallet Divus Gregorius, quia *quotiescumque aliquid miræ virtutis agitur, Michael mitti perhibetur:* eámque sententiam video hodie passim placere, eò maximè quia D. Michael Ecclesiæ tum Judaicæ olim, tum Christianæ hodie à Deo præpositus est. Itaque non hic modò illum apparuisse ecosent, sed postmodùm, quandocumque magni aliquid ad Ecclesiæ bonum, Angeli alicujus interventu; actum est.

D. Michael solitus adesse Christianis.

Ita, quod Gulielmus Tyrius l. 16. perhibet, Balduini III. optimi Hierosolymorum Regis, de Damascenâ regione in Judæam per aspera & infesta Ituræa loca redeuntis, agmini præisse albatum equitem, qui periculis emensis evanuerit: eum equitem D. Michaelem interpretabuntur, Ecclesiæ præsidem, Palæstinæ patronum singularem, expeditionis Christianæ ad Hierosolymam recuperandam antesignanum, a generoso Heroe Godefrido Bullonio adscitum, cui etiam in Oliveti monte, per obsidionis Hierosolymitanæ molestias, visus esse dicitur. Panegyristes Constantini Magni: *In ore*, inquit, *omnium Galliarum versatur, visos qui se divinitùs missos præferebant. Et quamvis cælestia sub oculos hominum venire non soleant, quòd crassam & caligantem aciem simplex & inconcreta substantia naturæ tenuis eludat: illi tamen auxiliatores tui, audiri adspiciq; patientes, ubi meritum tuum testificati sunt, mortalis visus contagium refugerunt. Sed quænam illa dicitur fuisse species? Qui vigor corporum? Quæ amplitudo membrorum? Quæ alacritas voluntatum? Flagrabant verendum nescio quid, umbone coruscii: & cælestium armorum lux terribilis ardebat. Tales enim venerant, ut tui crederentur. Hæc ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant: Constantinum petimus, Constantino imus auxilio.* In iis Constantini divinis auxiliaribus primum Michaelem fuisse, eamdem ob caussam censebimus: uti & in iis quinque auxiliaribus Machabæi, de quibus cap. sup. Plura de S. Michaële dicta sunt Exc. 2. ad c. 8. sect. 3.

Quæritur denique, quid eques ille, expeditionor Judæorum antecedens adversùs Lysiam, significet? Præter obviam significationem de Angelorum in bellis spiritualibus auxilio, quod Deus tum aliàs sæpè, tum in psalmis promisit, *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos:* præter illam ergo significationem, aliam valdè piam affert Rabanus, de Deo-homine, cujus *vestis candida*, *id est incarnatio mundissima*, *cujus arma aurea*, *id est dicta & exempla clarissima atque pretiosissima sunt.* De illo belli spiritualis duce diximus ad l. 1. c. 3. Exc. 2. sect. 2. Dionysius Areop. l. 1. de cæl. hier. c. 15. ait, vestibus Angelorum pellucidis, & igneis, indicari vim illuminandi; hastis verò, vim dissimilia separandi, strenuitatémque, & efficientiam.

Vincitur Lysias, & Bethsuræ obsidionem deserit.

℣. 11. & 12. LEONUM AUTEM MORE irruerunt Judæi in agmina Lysiæ, & *peditum undecim millia, equites sexcentos, prostraverunt*, id est interfecerunt: *universos autem* reliquos *in fugam verterunt*, quorum *plures*, id est maxima pars, *vulnerati & nudi*, id est abjectis armis, & desertis impedimentis, evasêre. *Lysias ipse, turpiter fugiens*, dissipatis copiis, paucis de tanto numero, ut in ea consternatione par est credere, comitibus, *evasit*.

Cur pauciores Timotheo amisit

Petat quis, neque immeritò, cur de Timothei exercitu longè plures ceciderint, quàm de Lysiæ copiis, multò, ut res ipsa indicat, numerosioribus? Ratio hæc mihi occurrit: quòd cum Timotheo justum prælium fuit, totis utrimque copiis congressis. Cum Lysiæ verò acie universâ non pugnatum, quia Bethsuram undique vallabat: impetus solùm in partem castrorum quà maximè oportunum videbatur, aut quà cælestis eques anteibat, factus, occupatique quotquot ibi occurrêre, cæteri consternati, ac lymphatico terrore dissipati, vim prædæ magnam victoribus reliquêre.

Prædicat Dei potestatem, & pacem postulat.

℣. 13. 14. ET QUIA NON INSENSATUS ERAT omninò Lysias, & licèt antè fastu desipuisset, jam ex calamitate sanior; quámque antè non recogitârat Dei potestatem, damno suorum, dedecore suo, expertus, *& intelligens Hebræos Dei auxilio innitentes invictos esse*, quomodò Nicanor c. 8. prædicârat esse invulnerabiles: *misit ad eos*, de pace æquis atque honestis conditionibus faciendâ, *promisitq; se consensurum omnibus quæ justa forent*; & Regem puerum, quem habebat in sua potestate, *compulsurum amicum fieri*, id est consilio & auctoritate, quâ erga illum pollebat, adducturum ad stabiliendam pacem, firmandámque cum Judæis amicitiam.

An ex animo, & serio?

Quæres, an ex animi sententia Lysias existimârit, Judæos Dei auxilio invictos esse, & an seriò amicitiam cum illis stabilem ac perpetuam voluerit? Ita censere videtur Liranus, cùm dicit; Lysiam non humanitùs, sed divinitùs, seu *virtute divina*, intellexisse Hebræos invictos: & oratores de pace misisse, ne pugnaret contra Deum. Sed ex iis, quæ antecesserè, & quæ consecuta sunt, longè probabiliùs idem de Lysia Liranus dixisset, quod de Nicanore: jactatum scilicet ab illo auxilium erga Judæos divinum, ad minuendam acceptæ cladis ignominiam. Pax verò post amissum exercitum postulari potuit, ut esset spatium reparandarum virium: sed, si seriò postulata est, diu non tenuit.

Quomodo Lysias pacem precatus?

℣. 15. ANNUIT AUTEM MACHABÆUS PRECIBUS, id est postulatis *Lysiæ*. Sic enim pacem flagitâsse putandus est, ut dignitatem servârit, nec se Regiámque majestatem nimis demiserit. Sed Scriptura utitur voce precandi, ut rem magis, quàm modum, significet. nam qui ultrò pacem obtulit post acceptam cladem, revera precatus est; etsi neque abjectè, neque humiliter, nec precantis more id fecerit. Machabæum enim & Judæos induxit, ad postulanda quædam etiam scripto, quæ Rex concessit.

Quomodo utilitati Judas consuluerit in omnibus?

Machabæus verò, *in omnibus utilitati consulens*, pacem oblatam admitti debere judicavit. At quid istud, *in omnibus utilitati consulere?* An ergo idolum utilitatis Heros noster, cum pseudopoliticis, adorare cœpit? An gloriâ divinâ, religione, honesto, consilia omnia sua desiit expendere? Neutiquam. Sed utilitati consulere dicitur, cùm religioni & honesto consulit. Nihil enim publicè utilius est, quàm ut religio salva sit, & honestum servetur, ac constet. Itaque mox, ex literis Antiochi ad Lysiam, apparebit, primum caput pacis fuisse, ut Judæis religio & lex sua integra essent. Adde optimis quibusque politicis, post Dei gloriam & religionis integritatem, præcipuam esse boni publici, & communis utilitatis curam: scriptumque etiam illis hoc præceptum, *Salus populi suprema lex esto.* Primum attenduit, quid liceat; tum, quid deceat; denique, quid expediat.

℣. 16.

Epistola Lysiæ ad Judæos.

℣. 16. usque ad 22. Refertur epistola Lysiæ ad populum Judæorum, in quâ quædam notanda. Primum, quod alibi etiam notavimus, *salutis* formulam ab interprete Latino ex Latinorum consuetudine expressam. Alterum, quod v. 17. habetur *Mandatis scripta*, Græcè est [illegible], Machabæi scilicet: & quod mox [illegible] versu habetur, *quæ per illas significabantur*, Græcè in Sixtinis & Tigurinis est, δι' αὐτοῦ, *per illud*, scilicet scriptum Machabæi. Tertium, v. 18 *proponebantur* Græcè est [illegible], *oportebat* ubi etiam adverte, quod antè monuimus, servatam à Lysia Regis ac suam dignitatem, inductumque Machabæum, ut à Rege quædam etiam [illegible] postularet. Quartum, v. 19 pro [illegible] Græcè est [illegible], *benevolentiam*. Quintum, v. 20 per *ille*, intellige legatos Judæorum, per, *hi qui à me*, intellige missos ad Machabæum à L[illegible].

Quis mensis Dioscorus?

Sextum & potissimum notandum est, de mense *Dioscoro*, quem mensem Rabanus, D. Thomas, Liranus, Sa, Junium existimant quia sub *mensi* loquitur Rabanus, *signum Geminorum*, sive [illegible], aut [illegible], *adscribitur*, unde poeta ait:

Tunc æquatur cælo videt ire Laconas.

Sed mensem Dioscorum Junio respondere, non patitur rei gestæ series. Epistola enim Lysiæ data est sub idem tempus, quo epistola Eupatoris, alterâ forsan aut tertiâ hebdomadâ ante, vel pòst, ut mox dicemus. Salianus opinatur, mensem fuisse embolimæum, sive intercalarem, mensibus Macedonicis Dystro & Xanthico [illegible] solitum, adducitque pro sententiâ suâ Massium, & Serarium, quorum tamen neuter id dicit: Scaligerum potius p[illegible] se addixisset, id apertè [illegible] tenentem, & M[illegible] concedere, apud Syros intercalari mensi nomen fuisse Tebuch. Serarius multis contra Scaligerum disputat, eum mensem non fuisse intercalarem, sed Dystro respondisse, qui hoc anno incideret in mensem Nisan: imò suspicatur legendum *Dystrum* [illegible]-*thium*, non autem *Dioscorinthium*, quia, inquit, ex Demosthenis oratione de corona constat, Corinthios in mensium appellatione Græcis aliis succedere: ut primum mensem ponunt, eum alii secundum.

Respondet mensi Nisan, aut illo est posterior.

Hanc de intercalaris mensis nomine disceptationem unde decidam, non hab[illegible]. Id [illegible] pro certo statuo: hoc anno centesimo quadragesimo octavo æræ Seleucidarum, Dioscorinthium mensem respondere debuisse Hebraico mensi Nisan, aut illo fuisse posteriorem: sive id acciderit, quia tunc intercalatum est à Macedonibus, sive quia prius fuerat intercalatum, & anni Syro-Macedonici, sive Macedonici, per istam intercalationem aliquantum recesserant. Ratio autem, cur Dioscorus mensi Nisan respondere debuerit, petitur ex serie rerum gestarum. Mortuus est enim Antiochus Epiphanes, anno centesimo quadragesimo nono Judaico ineunte: post ejus mortem, Lysias, Eupatore jam regnante, hanc expeditionem suscepit, & pacem fecit, anno centesimo quadragesimo octavo Syro-Macedonico, mense Dioscoro. Ergo mensis Dioscorus in mensem Nisan, quo Epiphanes mortuus est, incurrit, aut illo est posterior. Nisi enim alterutrum istorum statuatur, rerum gestarum & chronologiæ series non constabit, ut fusius disputatum est ad l. 1. c. 1. v. 11.

Lysiæ literæ an posteriores?

Superest quæstio de tempore datarum epistolarum: datæne sint à Lysia priùs, à Rege ac Romanorum legatis posteriùs, an contrà. Eam *[ies an Eupatoris?]* quæstionem ad illum libri 1. locum attigimus, indicavimusque, nobis verosimilius videri, Regias literas Lysianis anteriores esse, quia Lysias meminit rerum aliquarum concessarum, quas nisi nomine [illegible] Regis concedere non poterat. Sic tunc opinabamur: nunc verò sententiam dividimus, putamusque, Regias ad Lysiam literas, quæ temporis notam non habent, anteriores esse [illegible] ipsius Lysiæ, aut simul [illegible] forsan & ab [illegible] Lysia [illegible] post R[illegible]. Regis autem literas ad Judæos, uti & L[illegible] R[illegible]norum, esse posteriores quia mentionem [illegible] q[illegible] u[illegible] [illegible]que [illegible] literas [illegible] quæ datæ sunt Dioscori mensis [illegible]. [illegible] De[illegible] [illegible] Nisan, ad[illegible] Xanthico respon[illegible] anno mensi sequenti Zio seu Iar. Vide [illegible] nostram mentionem ad locum citatum libri primi.

Epistola Eupatoris ad Lysiam à Lysia quo forsan tempore.

℣. 22. usque ad 27. Recitatur epistola Regis ad Lysiam quam à Lysia simul cum sua ad Judæos missam existimamus forsan & ab [illegible] per-[illegible]ipsam Regis [illegible], quamvis absente [illegible]. Solent enim hujusmodi Procuratores, & M[illegible] pupillorum Regum, chartas puras habere, Regio nomine subscriptas, quibus, quod res [illegible], in[illegible] Regio [illegible] sigillum apprimunt. U[illegible] [illegible] tractatus pacis cum [illegible], ut [illegible] [illegible] abolerentur, & [illegible] periculo [illegible] damnorum [illegible] Jud[illegible] [illegible].

Cur Eupator Lysiam fratrem appellet?

Miratur Sa[illegible] [illegible] ab Eupatore solemni [illegible] non [illegible] quo modo [illegible] à Der[illegible] vocatur, a[illegible]. Ne[illegible] etiam [illegible] fuisse, [illegible] officio tutoris, & administratoris. Resp[illegible] ipse admirationi suæ Salianus, eam fratris appellationem benevolentiæ forsan, & intimæ familiaritati datam. Nos verò [illegible] [illegible], [illegible] fratrem [illegible], quia propinquus erat Eupatoris, non affectu modò, verum & sanguine: soliti autem erant Syri, uti & Hebræi, consanguineos liberaliore fratrum nomine impertiri, neque ad Græcos [illegible]...usitatum.

Decorum Regiæ adhibitum servatum.

In epistolæ textu, adverte primum quod [illegible] monuimus, à Lysia datam operam, ut in hoc tractatu pacis, quamvis pr[illegible], servaretur decorum Regiæ dignitatis. Concedit enim Rex Judæis [illegible] [illegible] quod [illegible] recuperare T[illegible]plo [illegible] affect[illegible] libertatem agendi [illegible] consuetudine majorum, Græcè [illegible], quo verbo Salianus putat plus aliquid significari, quàm patriam religionem, civiles scilicet etiam mores, & usum. Nihil autem populo suavius est, quàm avita religio, & instituta majorum.

Apotheosis Antiochi Epiphanis.

Adverte præterea v. 23. ridiculam Ethnicorum opinionem de apotheosi Regum. Inter Deos translatus sit Epiphanes quippini? Furiosus Epiphanes, ad furentem Herculem: scortator, ad luxuriosum Jovem: ebriosus, ad Bacchum vacillantem: carnifex, ad homicidam Martem: perjurus & sacrilegus, ad Mercurium furem: avarus, ad divitem Plutum, aut optimè ad Ditem, & Plutonem. Quod eodem versu Eupator dicit, *nos volentes*, Græca quædam habent Βουλομένου *volente*, ut ad patrem referatur, quasi ipse com[illegible] subditorum omnium

paci studuerit, quando scripsit omnibus regni sui gentibus, ut esset populus unus libro primo c. 1. Cæterùm ex hac imaginaria Epiphanis apotheosi non incommodè conjectabat recentior, Eupatorem, ut ad cap. 13. dicetur, interposito patris sui diis adscripti nomine, pacem cum Machabæo postmodùm sanxisse.

Cur Regis epistola inscripta Senatui Judæorum?

℣. 27. usque ad 34. Exhibetur epistola Regis ad Judæos, sive ad Senatum Judæorum, quomodò Lysias scripsit populo Judæorum. At nonne Machabæus scripserat Lysiæ, ut habetur v. 15. supra? Cur ergo Machabæo Duci, & Pontifici, non rescribitur? Respondet commode Salianus, scriptum quidem à Machabæo, sed communi nomine, commendandámque in eo Herois magni modestiam. Id autem verum esse, vel inde colligo, quòd v. 17. Lysias dicat Joannem & Abesalom, sive Abšalonem, aut Absalonis, missos à populo: uti & Rex v. 29. scribit secum egisse Menelaum, communi Judæorum nomine, non privato Machabæi. Meritò itaque ad populū, & Senatum Judæorum rescribitur; cujus nomine agi Machabæus cum Lysia, & Eupatore, voluerat.

Quis Menelaus, de quo in ea epistola?

Quæritur primò; quis iste Menelaus? Impium ejus nominis Pseudo-Pontificem adhuc egisse Antiochiæ, & gratiam pueri Regis deprecari studuisse, constat ex c. 13. v. 3. Potuit ille, gratiæ Judæorum conciliandæ, Regem nunc adiisse, & pro illorum legatis Antiochiam admittendis egisse. Quia tamen iste, de quo hic Menelaus missus videtur à Judæis; missus saltem est ab Eupatore ad Judæos, ut eos *alloquatur* Græcè παρακαλέσοντα, ut consoletur seu animet, benevolentiâ Regiâ ergà illos demonstratâ; eamobrem probabilius est, quod affirmat Salianus, alium hunc fuisse Menelaum ab illo Pseudo Pontifice. Neque enim consolandis, de[f]endisve Judæis, misisset Antiochus exosum piis Judæis hominem, & Machabæo inimicum, ejúsque dignitati invidentem.

Quorsum Judæi Antiochiam proficisci volunt?

Quæritur secundò: quid illud sit, *vos velle descendere ad vestros, qui sunt apud nos?* Quinam Judæi, & quorsum, in Syriam aut Antiochiam volebant proficisci, sive descendere de Judææ montanis? Græcè habetur, *velle vos descendere, & esse cum propriis*: cùm autem istud *propriis* ambiguum sit, & tum rebus tum hominibus possit applicari; inde quidam sic intellexêre, quasi Judæorum aliqui ad suas in Syria possessiones recognoscendas securitatem petierint, sive, ut loquimur hodie, salvum conductum. Alii malunt de hominibus intelligere, id est de Judæis Syriæ incolis, aut advenis, quos Judæi alii visum ire voluerint; ut per tempus, quo de pace agebatur, ipsos in lege servandâ confirmarent: ita Lyranus. Salianus existimat, Judæorum aliquos voluisse ad Regem ipsum adire, & adjungi legatis aliis, qui jam præcesserant; ut caussam religionis suæ, ac libertatis, apud illum agerent. Utramvis seu Lyrani, seu Saliani sententiam amplectaris, Vulgatæ nostræ sententia salva erit.

De pacéne actum inter Judæos, & Eupatorem, an de induciis solùm?

Quæritur tertiò, quorsum Rex ad quindecim solummodò dies, usque *ad trigesimum mensis Xanthici*, det *dextras securitatis*, concedat usum legis Judaicæ, & promittat amnistiam, ut *nemo patiatur de his, quæ per ignorantiam gesta sunt*? An ergo de pace non agebatur, sed de induciis tantùm, iisque ad tantillum tempus? Respondeo, actum de pace, ut ex tanto molimine patet, & ex iis, quæ de Lysia diximus. Hi tamen dies quindecim securitatis & induciarum dantur, interim dum pax tractata, & promulgata sit: quemadmodò hodie, quando de pace agitur, concedi solet cessatio ab armis.

Romanorum legati ad Judæos scribunt.

℣. 34. usque ad finem. Scribunt legati Romanorum populo Judæorum, non Machabæo, ob easdem, quas Lysias & Eupator, rationes. Vocantur *Quintus Memmius, & Titus Manlius* pro Manlio. Græcè est *Manlius*, quod etiam Latini frequentabant, dicebantque æquè Manlios ac Manilios: Nobilius advertit, in quibusdam Græcis non haberi μάνλιος sed μάλλιος Majus. Retinendum *Manlius*, seu *Manilius*. Fuit Titus Manlius Torquatus Consul cum Cnæo Octavio, anno Urbis 588. id est abhinc biennium.

Unde illi legati in Syria?

At unde legati illi Romanorum in Syriam, eo commodum tempore venere? An fortè Romæ auditum jam tunc erat, de morte Epiphanis? Potuit auditum fuisse: sed tam citò ob eam caussam decerni legatio, apparari, & appellere non potuit: missáque est demum post menses aliquot, postquam Demetrius Seleuci filius, audito patrui obitu, postulavit, ut Senatus paternum sibi regnum restitueret. Ejus legationis caput fuit Cnæus Octavius, sociis Sp. Lucretio, & L. Aurelio. Itaque Memmius, & Manlius aliâ occasione in Asiam venerant; iidem forsan quâ missi, sub anni superioris exitum, Sulpitius, & Sergius, ut inspicerent, quid in Asia moveretur, tum ab Epiphane in itinere Persico, tum à Lysia in apparandâ primâ adversùs Judæos expeditione.

Legatorum munus præcipuum.

Solebant enim Romani, undecumque motus aliquos audiebant, eò legatos confestim, si liceret, mittere, per speciem tractandorum negotiorum: reverâ autem, ut motus de proximo inspicerent, & consilia explorarent. Estque id de præcipuis secretatis publicæ capitibus, ut fidi ac sagaces exploratores sub specioso aliquo obtentu, apud finitimos æmulósve populos habeantur, ad scrutanda rerum arcana, résque suas ex eorum notitia ordinandas. Id Romani maximè agebant, mittendis legationibus, seu gratulandi causâ, seu amicitiæ renovandæ, aut firmandæ, seu negotiorum gerendorum, aliarúmve ex re nata honestarum occasionum.

Cur illi Judaicarum rerum satagunt? An inde Machabæo occasio foederis cum Romanis sanciendi?

Cur autem hi legati Judaicis sese rebus miscuerunt? Verosimile est, interpellatos fuisse à Judæis, cùm dicant, *quæ Lysias concessit, & nos concessimus*, non utique ultrò, sed rogati. Quamquam insuetum Romanis non erat, ultrò sese in populorum negotia ingerere, præsertim oppressorum per potentes vicinos, ut ea justitiæ ac clementiæ laude, apud gentes omnes commendatissimâ, sibi amicos & socios pararent. Hoc etiam monent, ut de reliquis cum Eupatore tractandis ad se festinent *rescribere* Judæi, seu, ut Græcè habetur, *mittere aliquos*. Et hanc puto primam fuisse Judæ Machabæo occasionem cogitandi de societate cum Romanis ineundâ. Quam societatem ex naturæ lege & divina non vetitam, meritò nobiscum censet recentior: culpâ tamen vel diffidentiæ intempestivæ, vel minoris prudentiæ non vacare, multo Comm. ad c. 8. lib. 1. disputat. Nos aliud illi nihil opponendum existimamus, quàm quod ad ejus capitis calcem diximus: nec prudentiæ defectu peccâsse Machabæum, neque idcirco mortuum, uti nec Jonathan Simonémque ipsius fratres eamdem ob caussam postmodum occisos: imò prudentiæ potiùs fuisse, & consideratæ ad publicum bonum virtutis opus, talem in tempore cum præpotentibus sociis conjunctionem.

Sed

Quâ auctoritate agant in regno Asiæ.

Sed quâ auctoritate in alieni regni rebus dicunt Romani *se concedere*, & *petunt ad se mitti*, tamquam omnia in Asia possint? Planè omnia poterant, in obnoxio ipsis & tributario regno, pupillo præsertim Rege, neque adhuc per Senatum firmato. Nec dubito, quin se pro illius curatoribus, seu tutoribus, gesserint, illicò ab intellecta morte Epiphanis: ideòque Antiochum accesserint, donec Senatus, de ea morte monitus, legatos alios submitteret, quos inde retulimus, cum mandatis, ut tutelam Eupatoris susciperent.

Serarius ad hoc caput multis emendat emendatorem temporum Scaligerum: cujus præcipuus error est, quòd hanc pacem, Lysiæ consilio cum Judæis initam, eamdem esse existimet illi, quæ l. 1. c. 6. narratur. Manifestum tamen est, diversas esse. Nam illa post expeditionem Eupatoris facta est, de qua etiam infrà c. 13. Hæc autem, ante illam expeditionem. In illa præsens Eupator fuit, & res gessit, aut spectavit: in hac absfuit, oportuitque cum eo per nuncios & literas agere. Sunt & alia longè diversa: quæ si Scaliger attendisset, non ita hujus libri difficultatè exaggerâsset.

Pax hæc alia à pace postmodum inita cum Eupatore.

EXCURSUS MORALIS

Ad cap. 11. *v.* 8. Omnes simul benedixerunt misericordem Dominum.

Gratitudo commendatur.

SECTIO PRIMA.

Cur erga Deum gratos esse oporteat.

I. *Cultus Dei gratitudo est.*

MACHABÆI fratrumque exemplis, tum hoc libro sæpè, tum priore sæpissimè, didicimus gratitudinem erga Deum. Eamdem virtutem à Christo, virtutum omnium magistro edocti, quotidianis ab Ecclesia monitis, de numquam intermittenda illius observantia, commonemur. Apud D. Lucam c. 17. leprosorum decem, à Christo sanatorum, unicus, mox ut sanitatis se compotem sensit, ab itinere Hierosolymitano reversus ad beneficii auctorem, procidit in genua, gratias agens. Fecerat Christus, quod Deus solet: fecit leprosus, quod homo debet. *Nihil*, inquit Philo lib. de plant. Noe, *Deo magis proprium, quàm benefacere: nihil item creaturæ, quàm gratias agere, cum præterea nil rependere valeat.* Augustinus existimat, gratitudinem fastigium esse religionis, neque umquam melius coli Deum, quàm agendis ob beneficia gratiis: lib. de spir. & lit. cap. 11. *Dei cultus in hoc maximè constitutus est, ut anima ei non sit ingrata. Unde & in ipso verissimo, & singulari sacrificio, Domino Deo nostro gratias agere admonemur.*

II. *In sacrificio ad gratitudinem excitamur.*

Ævo Augustini in Missæ *sacrificio singulari, & verissimo*, audiunt Ægyptii fratres, idem fiebat quod hodie à sacerdotibus Christianis: excitabantur clarâ voce auditores, ad gratias Deo agendas, eóque modo celebrandam, ut par est, Eucharistiam. Quod disertius, & ipsis hodiernis verbis, scribit epistolâ 57. ad Dardanum: *Nisi in quo sacrificio dicatur: Gratias agamus Domino Deo nostro.* Ista verba pronunciat sacerdos, in ea quam Præfationem Missæ dicimus, estque velut propinquior præparatio, & excitatio mentium, ad attendendum mysterium consecrationis mox secuturæ. Respondet minister, circumstantis totius plebis nomine: *Dignum, & justum est.* Tum sacerdos clarâ rursum voce: *Verè*, inquit, *dignum, & justum est, æquum, & salutare, nos tibi semper, & ubique, gratias agere, Domine sancte, &c.*

III. *Non omnes philosophi erga Deum ingrati.*

In iis verbis elegantissimè, & procùl divinè, Ecclesia veluti compendio complexa est rationes omnes, & modum agendarum per nos Deo gratiarum. Quæris, cur agendæ sint? Quia *dignum, justum, æquum, & salutare est.* Quæris, quomodò agendæ sint? *Semper, & ubique.* Bernardus serm. 6. in Cap. de Gentilium sapientibus agens, eos summæ erga Deum ingratitudinis damnat, quòd benefactorem ne agnoscerent quidem: *Experiebantur beneficium, sed latebat eos beneficus. Gaudebant de bonis Domini, & Dominum sabaoth, ob quòd cum tranquillitate judicaret omnia, omninò nesciebant. Ab ipso erant, sed non cum ipso. Per ipsum vivebant, sed non ipsi. Ex ipso sapiebant, sed non ipsum: alienati, ingrati, insensati.* Sed, bonâ Bernardi veniâ, de philosophis generatim omnibus pronunciari verè non potest, ingratos fuisse. Deum non cognoverunt illorum quidam: alii, cum dominum gloriæ cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt: nonnulli & cognoverunt, & glorificaverunt.

IV. *Qualis erga illum Seneca.*

Paganus certè Seneca, si umquam, fuit, quando de beneficiis scripsit. Ille tamen libro 4. adeò erga liberalem creatorem ingratus non est, ut invehatur adversùs ingratos, eósque argumentis urgeat. *Non dat Deus beneficia. Unde ergo ista quæ possides, quæ das, quæ negas, quæ servas, quæ rapis? Unde hæc innumerabilia, oculos aures animum mulcentia? Unde illa, luxuriam quoque instruens, copia? Neque enim necessitatibus tantummodò nostris provisum est: usque in delicias amamur.* Deinde recensitâ eorum tantummodò parte, quæ ad usum hominum terra, aqua, aer vel offert, vel recondit: *Si pauca*, inquit, *quis tibi donâsset jugera, accepisse te diceres beneficium... si pecuniam aliquam tibi donaverit... si domus tibi donetur, in qua marmoris aliquid resplendeat.* Quanto majus est terram universam, metalla omnia, domicilium ingens cui cælum pro tecto est, usui hominum condita esse? Tum allatis poetæ versibus, ubi illum sibi ait semper Deum fore, qui *errare boves* ipsius permiserat,

& *ludere* quæ vellet *calamo agresti* · *ille*, inquit, *Deus est non qui paucos boves, sed qui per totum orbem armenta divisit... qui tot artes, tot vocum varietates, tot sonos... commentus est.* Denique respondet ingratis, qui isthæc sese à natura accepisse dicerent, non à Deo: *Non intelligis te, cùm hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natura, quam Deus, & divina ratio, toti mundo & partibus ejus inserta?*

V. *Divina beneficia gratiorum & ... dandissima sunt.*

Iste homo si reviviscat, si Christianam fidem doceatur, si credat, creatorem eumdem & conservatorem hominum, per dira supplicia redemptorem illorum esse voluisse: si Sacramentorum nostrorum miracula intelligat: si ad paratam piis gloriam animos erigat: si acceptorum generatim, & particulatim, beneficiorum omnium rationes ineat: si ponderet, attentéque consideret, non solùm qualia, sed quanta, & quàm gratuito affectu, & quantus Deus, quantulo homuncioni, contulerit. Illis omnibus rectè perpensis, ea ratione & fide, quid de liberalissimo Numine sensisset Seneca, quid dixisset, quid scripsisset? Inclamanti sacerdoti, *Gratias agamus Domino Deo nostro*, quàm animitus ipse respondisset, *Dignum, & justum est?* Tu Domine universorum dignum ducis, super hujusmodi aperire oculos tuos: nonne dignum est, ut hujuscemodi aperiat oculos ad videnda beneficia tua, & cor ad diligenda, & os ad laudanda?

VI. *Gratitudo pars justitiæ est.*

Imò & *justum est.* Habet enim gratitudo justitiæ partem, non illius quidem, quam strictam nominamus, & civilis actioni fundamentum præbet: sed generalis, & communis, quam si quis violet, etsi propterea trahi ad tribunalia non soleat, debiti tamen fraudator appellari potest. Simul enim ut quis beneficium accepit, gratitudinem debet donatori: prorsùs, ut si ingratus fiat, donatio quantumvis irrevocabilis rescindi possit. Cùm autem ad omnes generatim benefactores ea gratitudinis obligatio, justitiæque implendæ necessitas, pertineat: ad Deum tamen singulariter spectat, non solùm ob beneficiorum immensitatem; sed etiam quia ita jubet, & quia aliud ipsi nihil reddere possumus.

VII. *Imperat Deus gratitudinem, & exigit.*

Cùm Deus imperat homini, homo ad obtemperandum obligatur, non generalis modò justitiæ, sed singularis illius & strictæ debito: quemadmodùm hero servus, subditus Principi. Vult autem, flagitat, exigit gratitudinem Deus ab hominum quolibet. Quod enim Judæis imperatum est ad gratiæ unius, neque illius inter omnes maximæ, memoriam; id ad universos homines, pro maximis & plurimis gratiis, pertinet: *Erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos.* *Ipsius*, inquit Paullus ad Eph. cap. 2. *factura sumus*, Græcè ποίημα, poema: ut, poematis & Cantici perpetui instar, factoris ac redemptoris nostri laudes perpetuò concinamus, dicamusque quotidie affectu novo cum Psalmista, *Deus canticum novum cantabo tibi.* Et ne hic objiciat aliquis, obligationem singularem homini erga Deum non esse, ob generale beneficium: audiat quid ea de re disseruerit ad plebem Gallicanus Eusebius: *Forsitan dicas, quid me ita constringis, quasi solus acceperim? Quid me in publico munere privatâ lege obligas? In muneri atque, quod omnibus Deus in commune largitus est, unumquemque specialiter non constringet ad debitum generale beneficium. Non est ita, nec ideò unus minùs debet, si & alius idem debeat. Christus enim sicut pro cunctis passus est, sic pro singulis. Sicut ei totum debent universi, sic totum singuli. Sed quodammodò plus singuli, quàm universi: quia quantum acceperunt universi, tantum singuli.*

VIII. *Nil aliud ipsi gratius reddere possumus.*

Quod Eusebius iste de redemptione, idem de creatione dixero. Sol enim lucet singulis, quemadmodùm universis: nec magis Adamo, quàm alteri cuivis homini cætera cælorum, terrarúmque, condita sunt. Sed si mentem generalia ista non feriunt, particularia intuere. Vivis utique privatâ vitâ tuâ, ingenio tuo viges, sensibus tuis uteris, spiritu tuo animaris & regeris: propria tibi ista sunt, propriúmque tibi debitum pariunt. Adde, quæ solus forsan nôsti, vitata pericula animi & corporis; pertransitos torrentes aquæ intolerabilis; singularium gratiarum cumulos, in lumine intellectûs, in voluntatis ardore. Quid retribues Domino, pro omnibus illis, quæ retribuit tibi? Aliâ utique re non indiget, quàm gratitudine, neque aliud postulat psalmo 49. quam *sacrificium laudis*. Quia ipsius est orbis terræ, & pulcritudo agri cum ipso est: nec quidquam nobis magis proprium est, quàm affectus noster. *Res est potestatis nostra*, inquit Paullinus, *noster affectus: hunc Domino impendamus, & solvemus.* Deinde, quamvis aliud Deo reddere possemus, nihil tamen ipsi foret acceptius sacrificio laudis. Gloriæ enim amans est, & gloriâ dignissimus: *gloriosis* autem, ut ait Cassiodorus, *magis placent præconia, quàm tributa.*

IX. *Natura ad gratitudinem generalis inductio.*

Faciamus tamen, singulari justitiæ præcepto nos ad gratitudinem non obstringi: at saltem, eò nos invitat æquitas, & quædam communis atque ingenita universæ rerum naturæ propensio. Pigrum Sapiens amittit ad formicaria: ingratum ablegat Isaias ad præsepia, ubi bos agnoscit possessorem suum, & asinus dominum suum. Ambrosius 6. Hexam. c. 4. vocat ingratum ad canem Tobiæ, qui post tantum temporis, quàm abfuerat, dominis tamen suis abblandiebatur: *Muta specie bestia sanctus Raphael Angelus Tobia juvenis, quem tuendum receperat, ad celebrationem gratia erudiebat affectum. Quis enim non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cùm videat etiam bestias refugere crimen ingrati? En illa, imperterrita, alimonia servant memoriam: tu non servas salutis accepta?* De canum erga heros gratitudine multi scripsêre. Accidit apud nos ad an. 1299. ut rusticanorum quorumdam, ab Huensibus in civili bello cæsorum, cadavera Leodium deferrentur, excitandis ad vindictam Leodiensibus. Ea cùm jam computrescerent, terræ mandata sunt: mansêre tamen canes immoti ad herorum sepulcra dies non paucos, ne alimentorum quidem memores, nisi à civibus Leodiensibus, canum constantem gratitudinem mirantibus, projicerentur.

X. *Universum gratitudinis schola est.*

Quid autem canes, animalia domestica & familiaria commemoro? Quando de murænis Luculli, de delphino puerulo, de aquila virguncula, de leonibus Androdi & Gerasimi celebratissimæ historiæ recitantur? Quando tellus ipsa gratitudinis perpetuum nobis exemplum; & Universum virtutis illius, per res omnes creatas, communis quædam schola est. Ut illuc etiam spectâsse Jobus videatur cap. 12. amicum ablegans ad animantium & inanimorum exempla: *Nimirum interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris.* Certè D. Ambrosius l. 1. Off. c. 31. à tellure documentum sumit: *Imitanda nobis est natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatiore solet numero reddere, quam acceperit.*

Deo

XI. [illegible]

Deo reddere cum fœnore non possumus, nisi quia, redd[illegible]do, [illegible] facimus. Quemad[illegible] enim de [illegible] dictum est, *[illegible] Domino, qui miseretur pauperis* [illegible] de gratitudine verissime dici possit, *Fœneratur Domino, qui [illegible] gratias agit.* Habita fuerat concio, de [illegible] Deo gratiis, coram Au[illegible] Episcopo. [illegible] D. Augustinus epistola ad [illegible] 77. *[illegible] melius, & animo geramus, & ore [illegible], [illegible] experimamus, quam Deo gratias? [illegible] dici brevius, nec audiri latius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.* Nihil majori cum [illegible] agere possumus, quam gratias Deo [illegible] beneficiorum novorum impetratio [illegible] acceptorum grata commemoratione. [illegible] spectâ, [illegible] Lazarum, [illegible] Eucharistiam, [illegible] Patri agentem, & [illegible] beneficiorum, quæ [illegible] erat, semina jacientem. Specta [illegible] in montem Oliveti [illegible] edoceat, ab [illegible] & actionibus gratiarum [illegible] viam ad [illegible] pinguedinem, & montem pacis ac miser[illegible] divinæ. *Exaltationes Dei sint in faucibus* Christianorum; *[illegible] gladii ancipites in manibus eorum*, ad [illegible] tandas. [illegible] gentes occupandum: quemadmodum [illegible] a. Par[illegible] de [illegible].

XII. [illegible]

Ad [illegible] unde exeunt flumina revertuntur, ut [illegible]. Nam [illegible] Oceano non [illegible] fontium [illegible] perennem scaturiginem ab Oceano haurire [illegible] rentur. Ita [illegible] Si bona sua ad [illegible] gratias agendo, [illegible] volvunt merito, [illegible] arescunt. *Peremptoria res est ingratitudo* [illegible] Bern. serm. de [illegible] miser. *[illegible] gratiæ, & [illegible] fuerit illa, jam gratia [illegible] non [illegible].* Cum res nimis propè ad oc[illegible] vertitur, videri vel omnino non possunt, vel difficulter [illegible], ut commode spectentur, longius pro facultate oculorum removeri debent. Eumdem in modum ingrato Deus facit, [illegible] orat. 5. in Mart. Julii. Non [illegible] beneficia divinitus accepta, non [illegible] memores. removeantur [illegible] tantisper [illegible] pereat, opes [illegible], [illegible], fama [illegible], [illegible] animi quatiatur [illegible] labo[illegible], donec [illegible] post amissionem, atque [illegible] in bona [illegible] ingratitudine [illegible].

XIII. Semper & ubique agenda gratia.

Quid ergo faciendum [illegible] gratiam, ne [illegible] ob ingratitudinem bo[illegible], non tantum sperata, sed [illegible] Ambrosius ab Ec[illegible] *[illegible], æquum [illegible] salutare, semper & ubique gratias agere.* Plane [illegible] agendæ sunt Deo gratiæ [illegible] aperit manum suam, ut [illegible] impleat benedictione. Si [illegible] tuæ partem, [illegible] gradum ullum designare potes, quo ben[illegible] non sustentaris, & vivas [illegible], ut [illegible] gratias referendis abstineas. Sed [illegible] quidem particulam, immo nec [illegible], neque horæ, ne momentum [illegible] Deus liberalitate erga te sua abire sinit, [illegible] ne momento quidem à gratitudine cesses. Idem de loco, quod de tempore, decernimus. Da mihi locum, ubi beneficia Dei non experiris: imò da locum, qui beneficium Dei non sit. In templo es, Dei beneficium est. Domi es, [illegible] Dei beneficia sunt.

Quidquid calcas, tangis, vides, audis, capis, spiras, quidquid vigeas & vivis, à benefico Numine proficiscuntur. Quod de Numine Areopagita [illegible] Paulus, *In ipso vivimus, movemur, & sumus*: [illegible] de divinis beneficiis pro[illegible], in illis nos vivere, moveri, esse, illis nos circumfundi, [illegible], illis tegi; illis impleri, illis componi. [illegible] *semper, & ubique*, Deo, [illegible] protinus libe[illegible], gratias [illegible].

XIV. Vita ex recte sese [illegible] perfectissima est gratitudo.

Quis enim, inquis hoc faciat? Quicunque constantem Deo [illegible] & [illegible] momenti omnibus voluntatem [illegible] ad rectum semper [illegible] intendit, & [illegible] scient à [illegible] deviare. Ita [illegible] Clemens Alex [illegible] ad [illegible] cum [illegible], hominem, qui [illegible] sese perf[illegible], elegantem esse D[illegible] & hymnum. Et [illegible] teste Augustino [illegible] de Civ. [illegible] mundus hic [illegible] *pulcherrimum carmen est* quam[illegible] laudando Deo car[illegible] homo, [illegible] mundi [illegible] conditori? [illegible] ille ergo bene [illegible] gratissimus est, qui fidel[illegible] laudatissima in [illegible] Principem gratitudo, cujus constantissima obsequia sunt [illegible] Numini [illegible] gratiarum exsolvit [illegible] absolutissime mandatis ejus obtemperat.

XV. Gratiæ Deo agendæ quotidie in Sacro præsertim Eucharistico.

[illegible] præter communem illam piis omnibus gratitudinem [illegible] quam factorum appellare possumus, adhibenda etiam [illegible] alia est cogita[illegible], ac verborum. Suadet Ambrosius, ut [illegible] bonus, mane [illegible], & [illegible] decurrentibus [illegible] exemplum [illegible] 5. [illegible] & [illegible] *die, [illegible] vel adorando semper [illegible], [illegible] condatur.* [illegible] *Qui [illegible] beneficiis gerens [illegible] exhibeat, sine psalmorum* [illegible] est [illegible] Deo gratiarum, *celebritate diem claudere, cum etiam munerosissima aves solemni devotione, & dulci carmine, ortus dierum & noctium prosequantur?* Idem Sanctus Doctor, & Præsul, in hymnis, quos composuit, exemplo nobis præit commemorandi per singulas [illegible] mane dies singularis alicujus beneficii divini [illegible] potentiæ, quotidiana gratiarum novitate, ad gratitudinem excitemur. Et hoc ipsum magno cum fructu, & [illegible] peccatis, a multis fieri non dubito. Sed maxime proprium agendarum gratiarum tempus est, [illegible] divino Eucharistiæ sacrificio ubi Christus est, a[illegible] & munerator, gratitudinis nostræ. *Samaritas*, inquit Tertullianus lib. 4. [illegible] Marc. *[illegible], fides tua te salvum fecit, audit, quia intellexerat, verum se Deo omnipotenti [illegible], gratiarum [illegible] et [illegible], apud verum templum, & verum Pontificem ejus Christum, facere debere.*

SECTIO SECUNDA.

Inspicitur fœda ingratitudinis lepra.

I. Peccator [illegible] ingratitudinis leproso [illegible] hæreticus.

VUl[illegible] apud Christianos cognitum est, [illegible] lepræ morbo grave quodlibet peccatum [illegible] præsertim si consuetudine in habitum transiit, vitæque universum hominem infecit. Rogavit [illegible] ex aulicis [illegible] quempiam D. Ludovicus Rex, leprosusne mallet esse, an peccator? Cumque hic, [illegible] Christianus,

respondisset, illud quidem se malle, lepræ enim fœditatem sibi toto... eandem esse, peccata tolerati... atque, inquit Rex, ... potius debuerat, quid in ... vita fœda ... sit, & intolerabile. Quodvis igitur peccatum, & vitium, lepræ turpitudine adumbratur: particulatim Augustinus hæresim non ... modo exprimi ait, lib. 2. qq. Evang. q. 4. *... intelligi possunt, qui, ... doctrinas profitentes erroris* ... etiam leprosus vitiato colore bonum habet ... ita hæreticus pravæ doctrinæ vera quædam interserit & hæreticus vitandus est, longèque ab Ecclesia ... quemadmodum leprosus ... consortiis arcebatur. ... Augustinus ... Addi potest, quod ex D. Paulo, *Sermo eorum* hæreticorum ... lepra, ... ex medicorum sententia, est totius corporis cancer, ut mox dicemus.

II. Vitiorum capitalium imago, aut supplicium, lepra.

Sunt qui culpas, adversum præcepta decalogi sigillatim admissas, lepra existimant apte ... posse. eoque spectare denarium leprosorum numerum, à Christo simul persanatorum. Liceat ejusdem morbi rationes singulis ... capitalibus vitiis. Onæ superbia ... officium invadentis, lepra plectitur. Avarum Giezi, famulum Elisæi, lepra invadit. Iræ, odii, ... obsequens Joabus imprecatione lepræ ... domo ejus non recessura, percutitur. Naamane Syro, &, ut ejus gentis ævique ... ferebant, libidinoso, septies ut curetur lavando, luxuria pungitur: invidia Simonis leproso, peccatricis mulieris gratiam apud Christum non ferente. Intemperantiam & gulam, leprosi quatuor, Samariâ obsessâ, & fame enectis civibus, sese ingurgitantes, exhibent. pigritiam, & acediam, leprosus, quem Christus, à se sanatum & ... volentem, ejecit, jussitque ad sacerdotes proficisci.

III. Lepræ natura in causis, & effectis, deprehenditur.

Habemus itaque in lepra vitiorum capitalium singulorum vel imaginem, vel supplicium, vel utrumque: adeòque lata nobis ad discurrendum planities aperitur. Sed omissis istis, quæ forsan alii ... nihil potest aptius leprâ exprimi posse, quàm vitium ingratitudinis, quo leprosi novem, corpore sani non mente, post mitteu... à Christo patratam laboravere. Similitudinis ... à morbi natura faciemus: causisque illius & effectis, natura cognoscendæ, inspiciemus. Tetra labes, ex atræ bilis exundantia oritur, accedente interdum acri mordacéque pituitâ. Olim a parentibus plerumque transfundebatur in liberos, infecti sanguinis derivatione. Cæli & auræ temperies contagionem, non rarò vulgavit, in Syria præsertim, Syriæque portione Palæstina: unde multi, post sacrum sub Godefrido nostro bellum, lepra ... redière, structaque passim ex illo leprodochia, quæ ferè ... vocitata sunt. Victus etiam illuc multum faciebat ... que ob rem, Lege Judæis prohibitum ... carnium ... atro crassoque sanguine, quales porci sunt, pecus lepræ admodum obnoxium. Ea labes si exquisita est, hoc primum efficit habet ... ut sanguinem prorsus corrumpat, ... indéque ad membra omnia, sanguinis ... tractentis, diffundatur, quemadmodum, fonte infecto, aquas inde manantes infici necesse est. Hac de causa medici cancrum totius corporis appellavère: eademque ratio est cur afflatu, halitu, consortio, ab ægris ad sanos transeat.

IV. Vis ingratitudinis naturam nosse? *Perfectam* ...tiam est Bernardo, in ipso sermonis ... titulo. *... infamem, impium, cui nec patres, nec magnus ...*, Gregorio Thaumaturgo, oratione de Origene pro agendis gratiis. Si profanorum sententiam audire grave non fuerit, Publii hæc est, *Omne maledictum dixeris, ingratum hominem dixeris*: ista Menandri, apud Ausonium epigr. 13: *Nil homine terra pejus ingrato ...* ... eodem loco ... quo superbia, ... *Nihil ... tam ... quam ingratum ...*, ... Hieronymus apud D. Thomam 2. 2. q. 162. art. 4. ... primis etiam parentibus ..., qui dæmonis serpentis afflatu ... contraxère, & summè erga Deum ingrati ... esse ... Cælo ... ingratitudo enim ... vitium est, ut ait Bern. serm. 11. in Cant. *Nam vel indevotorum ..., de quibus scriptum est ... fuerant ... nefalli...* ... vitium est ... animal, ... ratius, alentem ... gratuitate, ... oggrunnit, decutientem glandes ... non suspicit, alimentorum ac beneficiorum partem proculcat.

V. Effecta illius duo.

Primum ingratitudinis effectum est, quod vitæ fontem infiscat, id est beneficia gratiæ ... corrumpat, & ad extremum prorsus del... Nam *gratiarum cessat decursus, ubi ... non fuerit*, inquit Bernar. lud. serm. 1. in ... Quæ autem vitæ ... nostræ ... est, quam Dei gratia, beneficiaque hominum, per quos nos Deus vivere, & rectè vivere, voluit? Accedit effectum alterum, contagio. Neque enim inhalatu, vel tactu, pestilentior lepra est, quàm ingratitudo sermonibus, aut exemplis. Murmurat ingrata Maria Numer. 12. adversus fratrem, & benefactorem. simul Aaron admurmurat, nec dubium, quin talium exempla plures imitati sint. Quare *Maria*, mox convenienti ingratis supplicio percussa, *apparuit candens leprâ quasi nix.* Quod supplicium si ingratos hodie omnes sequeretur, capiendis ægris spatia leprodochiorum vacuorum laxanda essent. Damnant enim ingratitudinem ... universi, cavent paucissimi, neque ... nisi quibus excelsa & generosa indoles est.

VI. In quo sita exactè gratitudo?

Theologicè magis ingratitudinem ... noscere? Ex gratitudinis natura perspiciemus. Virtus ea est, quæ ex honesti ratione homines ad beneficii agnitionem, redhibitionemque, inclinat. Tàm ferè sententiâ, etsi verbis aliis, definit D. Thomas 2. 2. q. 106. art. 1. in corp. & ad 2. Ejus itaque virtutis ratio, seu formale objectum, est ex honesti debito materia agnoscendo, compensandoque, beneficio versatur. Inde Theologi gratitudinem ... justitiæ affinem ita esse, ut tamen eadem non sit. Affinis est, quia ex debito oritur eadem non est, quia ad æqualitatem omnimodam non ... & restituendi obligatione non tenetur. Itaque ob rem vulgò ... ingratum non ... est olim teste Seneca ... de Benef. apud Persas lege dictum fuerit ingratis supplicium ... que idem lib. 4. ... Macedonem Philippi Regis, ... Alexander patrem ... fuisse ... stigmatibus ... quia rustis, à quo ... naufragus exceptus ... prædia ingratus ... Rex donari impetrasset. Vide c. 4. ...

VII. Ingratitudinis genera varia ex objecto.

Ex ista gratitudinis definitione conficitur, ingratitudinem vitium esse, per quod honesti debito in agnoscenda, redhibendave, gratiâ non fatisfit. Cùm autem id debitum ubique æquale non

non sit, nec par semper accepta gratiæ mensura [illegible] est, [illegible] titudines varios [illegible] gradus, ingratitudine inter [illegible] diversos, quomodo lepræ multæ varia genera sunt. Elephantiasim primo loco medici [illegible], cadaverosam corporis humani temperiem: ea erit ingratitudo erga Deum, [illegible] modo [illegible] universa. Proxima huic, patris debitam [illegible] gratitudinem [illegible] picturam [illegible] est, quæ [illegible] respicit. Sequuntur ordine longo [illegible], pro pretio & qualitate bonorum, quæ contulere [illegible] tutis, salutis, vitæ, famæ, [illegible], commodorum.

VIII. Gratitudinis gradus [illegible].

Melius fortasse ingratitudinem [illegible] versitate partiemur, ex gratitudinis [illegible] positione [illegible]. Ejus [illegible] actus in tergeminos [illegible] D. Thomas 2. 2. [illegible] art. 2. [illegible] beneficii, laudem [illegible] tam actionem, redhibitionem pro [illegible] nerio percommode omnes comprehendi [illegible] existimem. Primum, ut [illegible] acceptum & beneficium dantis animum, pro merito [illegible] accipiendum æstimant multi [illegible] accepta parvi pendunt [illegible] res [illegible] [illegible] modo [illegible] Antonius [illegible] de [illegible] ut grate accipiatur, cum animi [illegible] & [illegible] testificatione: nam *qui grate [illegible] accepit, primam ejus pensionem solvit*, [illegible] Seneca lib. 2. de Benef. Præterea [illegible] trò & propensè agat, qui gradus prior [illegible] quidem affinis est, diversus tamen; postquam [illegible] mare beneficium, ejusque æstimationem testari, nondum tamen gratias agere. Sic aliud in Noemo fuit, magnitudinem incolumitatem [illegible], quæ Deo [illegible] demonstrare, aliud [illegible] trò gratias statim a diluvio agere sacrificii oblatione, ut ait Ambrosius lib. de Noe & arca c. 22. Certè actum actionem sequitur [illegible] beneficii apud [illegible], aut [illegible] commemoratio, quo fortasse tres priscorum poetarum Charites [illegible], [illegible] spectavêre [illegible] ut [illegible] [illegible] grate accepta [illegible] testis [illegible] beneficientur, inde gratitudinis [illegible]. Sic David [illegible] bundus [illegible] Berzellai [illegible] memoriam renovavit, & [illegible] suo pro [illegible] esse voluit.

IX. Perfectissima gratitudo, non par pari [illegible] reddita, sed amplius.

Summum gratitudinis culmen est, ut beneficium, quia potest [illegible] æquali, vel majori gratia. Habet enim, ut modo dicebamus, hæc virtus justitiæ partem ac [illegible], quia debiti rationem [illegible]. Justitiæ autem officium est æqualitatem servare, [illegible]. Commutativa rebus res [illegible] [illegible] Legali æquum [illegible] obedientiam [illegible] Vindicativa [illegible] pœnam exæquat. [illegible] gratitudo æquum amat benefactori rependere [illegible] si generosa est, non pari tantum mensura, sed conferta, & coagitata, & [illegible] remetitur. *Beatius est enim dare, quam accipere*, ex Verbi divini sententia. Itaque in [illegible] beneficio insitum à natura est, ait Salvianus l. 4. ad Eccl. *Natura ipsa hominum, [illegible] hoc quasi generali cunctos lege [illegible], ut a quo [illegible] liberalitatis aliquid accepimus, plus ei gratiæ debeamus.* Idemque opinabatur Ambrosius l. 1. Off. c. [illegible]. *Nec mensura par, sed uberiore reddendum arbitror. Etenim superiorem non esse in [illegible] ferendo, quam in conferendo beneficio, hoc est minorem esse*, [illegible] *tando [illegible] est in hoc quoque natura terrarum, quæ [illegible] semen multiplicatum solet numero reddere, quam acceperit.*

X. Illustria gratitudinis exempla.

[illegible] V. [illegible], quem rursus Lacurso ad caput [illegible] memorabimus, docere [illegible] gratitudine hominum animos conciliari, ita [illegible] exercuit, ut, Pontificatus sui initio, [illegible] hominem aureis [illegible] donârit, [illegible] in singularum ipsius filiarum dotem attribuit, [illegible] illo sese hospitaliter exceptum, quando B[illegible], quia Inquisitoris Censuræve officio [illegible] æquitate, Dominicanus adhuc sacerdos, functus fuerat, [illegible] coactus est. Juvenem item [illegible] per [illegible] iter facienti, & [illegible] pedè onusto, occurrerat eques, [illegible] equo suo imposuerat, officio donavit [illegible] annua [illegible] aureorum. Non [illegible] gratitudine fuit apud Spondanum in anno [illegible] Clemens VI [illegible] Pontifex [illegible] cum de D. Benedicti familia monachus esset, [illegible] ad Monasterium iter [illegible], vestibus ad nudum [illegible] per latrones, à Stephano Aldebrando sacerdote [illegible], [illegible] vesti [illegible] ac [illegible] [illegible] instructus [illegible], et quando gratiam [illegible] posset [illegible], inquit sacerdos, quando Pontifex Maximus fueris. Ejus dicti memor Clemens, [illegible] electus, Aldebrandum [illegible] Pontificium, tum Archiepiscopum T[illegible] creavit.

XI Species ingratitudinis, & gradus.

Ex oppositio [illegible] omnes ingratitudinis gradus inveneriamus. Infimus enim, & maxime vetitus est, qui gratitudinis [illegible] opponitur summus, qui gratitudinis infimo. Benefactorem uberiore aut æquali saltem gratiâ, non remunerari, cùm officia cætera [illegible], ingratitudinis vitium est. Quis autem [illegible] non possum per facultates; aut per tempus, aliasve causas, non licet. Remedium impotentiæ tuæ offert Ecclesia, cùm te pro benefactoribus docet orationes ad Deum fundere. Nec spernenda philosophi Romani ad [illegible] documenta lib. 4. de Benef. *Duo sunt genera grati hominis. Gratus dicitur, qui aliquid pro eo, quod acceperat, reddidit.* ... *[illegible] gratus, qui bono animo accepit beneficium, bono debet.* ... Artifex est etiam, cui ad exercendam artem instrumenta non supperunt. [illegible] Disertus etiam, qui tacet ... Gubernator [illegible] in sicco. Non potes reddere, ingratus non [illegible] si potes, ac debes [illegible], aliquoties commemorare beneficium, nec commemoras, ingratus es [illegible] gratus [illegible] accepto non agis, magis [illegible] ingratus, si [illegible] accipis.

XII. Quæ omnium pessima ingratitudo?

Quis autem ingratissimus [illegible] erit, ex gratitudinis [illegible] ratione, qui beneficium nihili facit. Seneca lib. 4. de Benef. deterrimo eum loco ait esse, qui adeò gratiam spernit, ut ne meminerit quidem. *Multa sunt genera ingratorum, ut furum, homicidarum, quorum una culpa, cæterùm in partibus varietas magna. Ingratus est, qui beneficium accepisse negat, quod accepit. Ingratus est, qui dissimulat. Ingratus est, qui non reddit. Ingratissimus omnium, qui oblitus est.* In eo numero fuit Assuerus, detectæ à Mardochæo conspirationis immemor. Pharao [illegible] Josephi. [illegible] minimum multi, [illegible] indoles est, *injuriæ meminisse, potiùs beneficia rescribere.* [illegible] oblivionum genus pessimum [illegible], & [illegible] [illegible] humana pravitas pejores [illegible], *qui retribuunt mala pro bonis*, ut Davidi Saul, Joas Zachariæ, Ptolemæus

 Simoni.

Simoni. Sex retribuendi modos enumerat Auguſtinus in pſ. 118. quorum ille deterrimus: adeò tamen frequentatus, ut pro diverbio apud Arabes celebretur. *Quidquid plantaveris in horto, utilitatem tibi afferet: hominem ſi plantes, eradicabit te.* Apologus vetus cervo id genus ingratos comparat, ſub vitis umbra venatores eludente, eámque arrodente; aut ſerpenti ruſticanum hominem, à quo in ſinu recreatus & recalefactus hyeme fuerat, inficienti. Plutarchus hederæ confert, in altum adminiculo murorum ſurrectæ, eóſque ſubruenti. D. Ignatius Martyr cum leopardis comparabat, feratum atrociſſimis, & homanem exoſiſſimis: ſic decem cuſtodes ſuos eſſe, *quibus, cum benefeceris, pejores ſiunt.*

XIII. *Indicium ingratitudinis, inſenſibilitas.*

Etſi ingratitudinem ab actibus ſuis agnoſcere facillimum eſt, ut à fructibus arborem: alia tamen etiam indicia duo, quemadmodum in lepra, dabimus. Primum ex natura, aliud ex inſtituto ac moribus hominum eſt. Lepram naturaliter prodit inſenſibilitas. Sic agnita in Almarici Hieroſolymitani Regis filio Balduino, qui æqualibus pueris colludens, cùm in brachio pungeretur, aut unguibus ſtringeretur, neque exclamabat, nec motum ullum demonſtrabat quod magnitudini primùm animi ſeſe tribuiſſe perhibet Gulielmus Tyrius, Regis pueri præceptor, at paulò pòſt morbum deprehendiſſe. Hominem vides amantem ſui, affectum nulli, ſecum tantùm bona ſua & ptia patientem, ad aliorum commoda vel incommoda ſentienda ſtupidum? Temerè non judicàris, ſi tecum tacitus pronunties, ingratum eſſe, aut fore; niſi vitium naturæ vis medicamentorum correxerit. Indicationem iſtam ex inſigni medico ſpirituali didici D. Paullo 2. Tim. 3. ubi ἀχαρίστους, ingratos, iis jungit qui *ſceleſti ſunt, ſine affectione, ſine pace.*

XIV. *Alterum, ſeparatio à communi conſortio.*

Lepræ ſignum ex inſtituto eſt, ſeparatio ab hominum conſuetudine communi. Inde leprodochia apud Chriſtianos condita, ut contagio ſecluderetur. Apud Judæos non ſejungebantur modò ægri, ſed eminus ſtare jubebantur, ore obtecto, capite nudo, veſtimentis diſſutis, Levit. cap. 13. v. 45. Conſummatæ, atque exquiſitæ, ingratitudinis certiſſima humanitus nota eſt; ſi quem videris à beneficiis ac benefacientibus paſſim deſtitutum, probiſque ac generoſis inviſum. *Ingrati*, inquit benè non bonus vir, tunc tamen, cùm hæc in Euſebiæ Imperatricis laudem dicebat, bonus Julianus Cæſar, *ſunt omnium hominum inimici.* Pauciſſimos excipias heroicæ, & ad divinum exemplum formatæ virtutis, qui ingratis benefaciant ſicut pauciſſimi fuère, quamvis egregiæ caritatis, qui leproſorum oſcula, complexus, obſequia, domos ipſas, ac veſtes non exhorruerunt.

XV. *Lepræ & ingratitudini nondum inveteratæ remedium.*

Lepræ naturam, gradus, ſigna vidiſſe fruſtra ſit, niſi oſtendatur remedium. Inveteratæ difficillimum eſt, aut nullum niſi à Deo, per Chriſtum, aut Chriſti [illegible], quales Divi Ludovicus & Franciſcus [illegible] perhibentur ille cubili ſuo, iſte amplexu, leproſos repentè medicati. Nondum inveteratæ [illegible] miſſione ſanguinis, alimentorum calidorum ſubtractione, uſu frigidorum. Ut [illegible]tudinem nondum conſummatam, & totâ [illegible] animi radicatam, ſanes, ſanguinem minue, ſubtrahe alimenta: ingratus egeat, ut ſubſidia & beneficia reſpectet, atque imploret. Joſephus Gen. 40. bis monet pincernam Pharaonis, ut priſtinæ conditioni redditus, ipſius meminerit: meminit tamen dumtaxat biennio pòſt adeo beneficiorum obliviosa eſt proſperitas. Eam ob rem pauperibus gratitudinis plus eſſe ſolere, Ambroſius ait lib. 2. Off. c. 25. quam divitibus; quia hi minùs egent.

XVI. *Inveteratæ medicamentum à Chriſto.*

Ingratitudini ad ſummum provectæ, &, ut medicè loqui ſolent, ad ἀκμήν, medicinam aliunde, quam à Chriſto, non dabimus. Gratiæ auctor, gratitudinis ſimul largitor eſt. Adjice potentiſſimum exemplum ſive hominem, ſeu Deum, in illo intuearis. Quà homo, egere voluit, ut beneficentiam ergà ſe provocaret, beneficia gratitudinem cumulatam rependeret. Quid enim accepit beneficii, quod protinus centuplicato fœnore non exſolverit? Excipitur à Zachæo, alitur à Magdalena, defenditur à latrone: *alterum hoſpitii mercedem* reddit, miracula, ſanitatem mentis, animi ſalutem; defenſionis præmium ſpondet, hodiernam paradiſi poſſeſſionem. Quà Deus, bonorum noſtrorum non eget, neque egere poteſt: ipſo nos in momenta indigemus, ipſi omnia debemus, &, poſt obſequia præſtita, ſervi inutiles ſumus, quia fecimus quod nos facere oportuit. Ille tamen [illegible], officiorum noſtrorum nihil inremuneratum prætermittit, ne calicem quidem aquæ frigidæ, datum in nomine diſcipuli. Incurabilis eſt ingratitudo, quam tanta Dei-hominis gratitudo non ſanat.

CAPUT DUODECIMUM.

ARGUMENTUM.

Pace cum Eupatore initâ, Iudæis tamen diu quietis esse non licuit: turbantibus, qui manserant, ducibus Syrorum. Ioppitæ Iudæos cives suos ad navigationem festivam, communis gaudii specie, invitant: provectisque in altum scaphis, eorum ducentos demergunt; Machabæus sceleratorum hominum perfidiam ulciscitur, succenso nocte Ioppes portu, cæsisq; qui flammas evaserunt, & relicto cæteris Ioppitis metu imminentis excidii. Idem factum Iamniæ portu, ut incendium ab Hierosolyma usque esset conspicuum. Iamniâ progredienti ad Timotheum, Syrorum ducem, compescendum, Arabes armati obsistere ausi, profligatique, pacem petiere, & impetravere, quòd amicitia eorum non inutilis futura esset. Inde Casphin, civitatem miscellaneis gentibus habitatam adortus, vi cepit; &, quia cives infamia probra in obsidentes jactârant, tantâ in illos cæde grassatus est, ut vicini stagni aqua sanguis viderentur. Progressus ad Tubianæos Iudæos, ut Timotheum assequeretur, copias divisit. Pars cum Dositheo, & Sosipatre, præsidium decem millium, à Timotheo relictum, delevit. Machabæus cum sex millibus assecutus Timotheum ingenti exercitu stipatum, primo statim conspectu avertit in fugam. Cecidère in lymphatico terrore, partim suis partim Iudæorum armis, facilè triginta millia. Timotheus ipse fugiens incidit in Dositheum, & Sosipatrem, captúsque, promissâ liberatione captivorum multorum Iudæorum, & ipse liber dimissus est. Post tam pronam victoriam, Iudas aggressus præsidium Carnion munitissimum, ubi impedimenta Timothei servabantur, vi perrupit, occiditque ad capitum viginti quinque millia: totidem, Ephrone expugnatâ, periêre, Scythopolis urbs benignè habita, quòd cum Iudæis humaniter illic ageretur. Post Pentecosten itum adversus Gorgiam, commissóque prælio, captus per Disotheum Gorgias, auxilio Thracis equitis, qui capientis humerum abscidit, liberatus est, recepítque se in Maresa. Pendente interim certamine, Iudas in preces effusus, sublatóque ingenti clamore, terrorem & fugam hostibus, adhuc obsistentibus, incussit. Sabbato per quietem, & pietatem, acto: postridie reditum est ad certaminis locum, ad efferenda cæsorum Iudæorum corpora,

poris, sub quorum vestibus reperta sunt donaria profana, ex Iamnia delubris rapta. Cùm id lege prohibitum esset, dubitatum non est, quin ea fuisset cædis caussa. Quare Iudas, ab eo exemplo divinæ iustitiæ, hortatus cæteros ad accuratam divinæ legis observationem, corrogatâ pecuniâ Hierosolymam mittit ad sacerdotes, ut sacrificia Deo, Manibus illorum propitiando, offerrent: eoq́ facto testatus est, certam sibi esse fidem de animarum purgatione, & resurrectione corporum.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

ỳ. 1. His factis pactionibus, Lysias pergebat ad regem, Iudæi autem agriculturæ operam dabant. 2. Sed hi qui resederant, Timotheus, & Apollonius Gennæi filius, sed & Hieronymus, & Demophon super hos, & Nicanor Cypriarches, non sinebant eos in silentio agere, & quietè. 3. Ioppitæ verò tale quoddam flagitium perpetrârunt: rogaverunt Iudæos, cum quibus habitabant, ascendere scaphas, quas paraverant, cum uxoribus & filiis, quasi nullis inimicitiis inter eos subiacentibus. 4. Secundùm commune itaque decretum civitatis, & ipsis acquiescentibus, pacísque causa nihil suspectum habentibus: cùm in altum processissent, submerserunt non minùs ducentos. 5. Quam crudelitatem Iudas in suæ gentis homines factam ut cognovit, præcepit viris, qui erant cum ipso: & invocato iusto iudice Deo, 6. venit adversùs interfectores fratrum, & portum quidem noctu succendit, scaphas exussit, eos autem, qui ab igne refugerant, gladio peremit. 7. Et cùm hæc ita egisset, discessit quasi iterùm reversurus, & universos Ioppitas eradicaturus. 8. Sed cùm cognovisset & eos, qui erant Iamniæ, velle pari modo facere habitantibus secum Iudæis, 9. Iamnitis quoque nocte supervênit, & portum cum navibus succendit: ita ut lumen ignis appareret Ierosolymis à stadiis ducentis quadraginta. 10. Inde cùm iam abussent novem stadiis, & iter facerent ad Timotheum, commiserunt cum eo Arabes, quinque millia viri, & equites quingenti. 11. Cúmque pugna valida fieret, & auxilio Dei prosperè cessisset, residui Arabes victi, petebant à Iuda dextram sibi dari, promittentes se pascua daturos, & in cæteris profuturos. 12. Iudas autem, arbitratus verè in multis eos utiles, promisit pacem: dextrísque acceptis, discessere ad tabernacula sua. 13. Aggressus est autem & civitatem quamdam firmam, pontibus murísque circumseptam, quæ à turbis habitabatur Gentium promiscuarum, cui nomen Casphin. 14. Hi verò qui intus erant, confidentes in stabilitate murorum, & apparatu alimoniarum, remissiùs agebant, maledictis lacessentes Iudam, & blasphemantes, ac loquentes quæ fas non est. 15. Machabæus autem, invocato magno mundi Principe, qui sine arietibus & machinis temporibus Iesu præcipitavit Iericho, irruit ferociter muris: 16. &, capta civitate per Domini voluntatem, innumerabiles cædes fecit, ita ut adiacens stagnum stadiorum duorum latitudinis, sanguine interfectorum fluere videretur. 17. Inde discesserunt stadia septingenta quinquaginta, & venerunt in Characa ad eos, qui dicuntur Tubianæi, Iudæos: 18. & Timotheum quidem in illis locis non comprehenderunt, nullóque negotio perfecto regressus est, relicto in quodam loco firmissimo præsidio.

præsidio. 19. Dositheus autem & Sosipater, qui erant duces cum Machabæo, peremerunt à Timotheo relictos in præsidio, decem millia viros. 20. At Machabæus, ordinatis circum se sex millibus, & constitutis per cohortes, adversùs Timotheum processit, habentem secum centum viginti millia peditum, equitúmque duo millia quingentos. 21. Cognito autem Iudæ adventu, Timotheus præmisit mulieres, & filios, & reliquum apparatum, in præsidium, quod Carnion dicitur: erat enim inexpugnabile, & accessu difficile propter locorum angustias. 22. Cumque cohors Iudæ prima apparuisset, timor hostibus incussus est, ex præsentia Dei, qui universa conspicit, & in fugam versi sunt alius ab alio, ita ut magis à suis deiicerentur, & gladiorum suorum ictibus debilitarentur. 23. Iudas autem vehementer instabat puniens profanos, & prostravit ex eis triginta millia virorum. 24. Ipse vero Timotheus incidit in partes Dosithei & Sosipatris: & multis precibus postulabat ut vivus dimitteretur, eo quod multorum ex Iudæis parentes haberet, ac fratres, quos morte eius decipi eveniret. 25. Et cùm fidem dedisset restituturum se eos secundum constitutum, illæsum eum dimiserunt propter fratrum salutem. 26. Iudas autem egressus est ad Carnion, interfectis viginti quinque millibus. 27. Post horum fugam, & necem, movit exercitum ad Ephron civitatem munitam, in qua multitudo diversarum gentium habitabat: & robusti iuvenes pro muris consistentes fortiter repugnabant: in hoc autem machinæ multæ, & telorum erat apparatus. 28. Sed, cum Omnipotentem invocassent, qui potestate sua vires hostium confringit, ceperunt civitatem: & ex eis qui intus erant, viginti-quinque millia prostraverunt. 29. Inde ad civitatem Scytharum abierunt, quæ ab Ierosolymis sexcentis stadiis aberat. 30. Contestantibus autem his, qui apud Scythopolitas erant, Iudæis, quòd benignè ab eis haberentur, etiam temporibus infelicitatis quod modeste secum egerint: 31. gratias agentes eis, & exhortati etiam de cætero erga genus suum benignos esse, venerunt Ierosolymam die solemni septimanarum instante. 32. Et post Pentecosten abierunt contra Gorgiam præpositum Idumææ. 33. Exivit autem cum peditibus tribus millibus, & equitibus quadringentis. 34. Quibus congressis, contigit paucos ruere Iudæorum. 35. Dositheus vero quidam de Bacenoris eques, vir fortis, Gorgiam tenebat: &, cùm vellet illum capere vivum, eques quidam de Thracibus irruit in eum, humerumque eius amputavit: atque ita Gorgias effugit in Maresa. 36. At illis, qui cum Esdrin erant, diutius pugnantibus & fatigatis, invocavit Iudas Dominum adiutorem & ducem belli fieri: 37. incipiens voce patria, & cum hymnis clamorem extollens, fugam Gorgiæ militibus incussit. 38. Iudas autem collecto exercitu venit in civitatem Odollam: &, cum septima dies superveniret, secundum consuetudinem purificati, in eodem loco sabbatum egerunt. 39. Et sequenti die venit cum suis Iudas, ut corpora prostratorum tolleret, & cum parentibus poneret in sepulchris paternis. 40. Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Iudæos: omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse. 41. Omnes itaque benedixerunt iustum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifesta. 42. Atque ita ad preces conversi, rogaverunt, ut id quod factum erat delictum oblivioni traderetur. At verò fortissimus Iudas hortabatur populum conservare se sine peccato, sub oculis videntes quæ facta sunt pro peccatis eorum qui prostrati sunt. 43. Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans.

(44. nisi

(44. niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret: ſuperfluum [illegible] retur & vanum orare pro mortuis) 45. & quia conſiderabat quod hi, [illegible] cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam [illegible]. 46. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a [illegible] ſolvantur.

COMMENTARIUS AD CAPUT DUODECIMUM.

Stabiliuntur ſecus hoſtes.

℣. 1. HIS FACTIS PACTIONIBUS LYSIAS PERGEBAT AD REGEM. Itaque Rege abſente Lyſias, ante redeundum in Syriam, de pace mittere accipereque nuntios ac literas cœpit, ſtatim à clade accepta: ut non mireris à nobis l. 1. c. 1. ad v. 11. in unius circiter menſis ſpatium congeſta iſthæc omnia, mortem Epiphanis, auſpicia novi regni, expeditionem in Judæos, cladem, pacis tractatum. Cùm enim expeditionis apparatum antè Lyſias feciſſet, eſſentque ad manum copiæ, potuerunt omnia illa commodè tantillo ſpatio concludi. *Judas autem.* Lyſia copias in Syriam, aut Judææ ulteriora Syris adhuc parentis, deducente, *agricultura operam dabant*, meſſi inſtabant: erat enim Dioſcoro & Xanthico menſibus, Aprili & Maio reſpondentibus, tempus metendarum in Judæa frugum.

Turbatur pax per aliquos Syrorum duces, bello compendium ſectantes.

℣. 2. SED HI QUI RESEDERANT, id eſt vicinorum locorum aut provinciarum præfecti, qui, Lyſia copias ſuas in Syriam reducente, cum ſuis ſinguli præſidiis ac militia manſerant, plùſque compendii ex bello, quàm ex pace, ſperabant: &, ut cupidi turbatores iſtiuſmodi ſolent, præ lucro nec quietem publicam, neque induciarum ſanctitatem, neque aliud quidquam, penſi habebant. Ii ergo *non ſinebant* Judæos *in ſilentio agere, & quiete*: Græcè, ἐκεῖνοι, καὶ τὰ τῆς ἡσυχίας ἄγειν, *in bono ſtatu eſſe, & agere, quæ quietis ſunt.* Turbatorum iſtorum primus, Timotheus nominatur: utique non ille Gazaræ interfectus ſuprà capite 10. etſi Rabanus ſuſpicetur, ibi narratam ejus cædem per anticipationem. Deinde nominatur *Apollonius Gennæi filius*, alius à Mneſthei & Tharſeæ filio: tum *Hieronymus*: *Demophon ſuper hos*, id eſt præter hos, non autem *ſuperior*, quemadmodùm apud Salianum legerunt Dionyſius & Sa: denique *Nicanor Cypriarches*, quod epitheton additur, ad eum diſtinguendum à Nicanore Patrocli, de quo c. 9. Dici autem videtur Cypriarches, quia Cypro inſulæ præfectus, & adversùs Judæos, facili per mare commercio, Joppitas ac Jamnitas ſollicitabat, de quibus mox. Lyranus putat fuiſſe Cypri inſulæ principem, longè a vero, & a fide hiſtoriarum ejus ævi, quæ Cyprum Ægypti & Aſiæ Regibus aſſerunt paruiſſe.

Joppitarum in Judæos ſcelus punitum.

℣. 3. uſque ad 8. JOPPITÆ VERO TALE QUODDAM FLAGITIUM PERPETRABANT. Invitatos ad navigandum Judæos, cives ſuos, cum uxoribus & liberis, & nihil fraudis ſuſpicantes, ferè ducentos in alto demerſêre. Judas, facinori promptè ulciſcendo, cum expeditis portum Joppenſem aggreſſus, ignem domibus navibúſque injecit, *eos qui ab igne refugerant*, ſeu, ut in Græco eſt, eos qui illuc confugerant, undique & flammas forſan arcere conabantur, obtruncavit. *Et cum hæc ita egiſſet, diſceſſit.* Græcè eſt, *ipſa autem regione* χωρίου, quæ vox oppidum ſignificare poteſt, *conclusâ abiit*: quibus Græcis Tigurinus interpres, & Salianus, putant ſignificari, Judam oppido Joppenſi potiri non potuiſſe, quia clauſum erat, in improviſo licèt aſſultu. Diſceſſit itaque Judas, ſed terrore & exſpectatione relictus, *quaſi iterum reverſurus*, auctis copiis, *& univerſos* Joppitas eradicaturus, Græcè; ἐκριζῶσαι τὸ τῶν Ἰοππιτῶν πολίτευμα, *ad omnem Joppitarum eradicandam rempublicam.*

Quomodo Joppitæ Judæos in fraudem pellexerint?

Quo autem colore, ac ſpecie, uſi ſunt Joppitæ, ut Judæos, ad navigandum cum uxoribus ac liberis, & in fraudem inducerent? Salianus arbitratur, factum id per ſpeciem profectionis cujuſpiam, communi decreto civium inſtitutæ: ſed quæ ea profectio fuerit non explicat. An ad tranſnavigandum forſan, cum uxoribus & liberis? Longè probabilius eſt, quod dicit Lyranus, invitatos *ſub ſpecie pacis & amicitiæ, ad videndum ludum, quem debebant in mari exercere.* Quorſum autem ii ludi, utique *ſecundum commune decretum civitatis*, faciendi fuerunt? Veroſimillimum eſt, indictos fuiſſe ad celebranda novi regni auſpicia; forſan & ad teſtandam de pace Judaica lætitiam. Quò ſceleratiores fuerunt Joppitæ, ſi in ipſis de pace ludis pacem tam atrociter violârunt.

Jamnitarum molimen à Juda occupatum.

℣ 8. & 9. SED CÙM COGNOVISSET ET EOS, QUI ERANT JAMNIÆ, urbe ejuſdem oræ maritimæ, paucis à Joppe horis, de qua lib. 1. c. 5. *velle pari modo facere Judæis* civibus ſuis; flagitioſum conſilium, certò cognitum atque exploratum, & mox exitioſo pari conatu erupturum, prudenti ac juſtâ ultione prævênit: &, *nocte* incendium Joppenſe ut videtur ſubſequente, improviſus *portum* Jamnicenſem *cum navibus ſuccendit*; *ut lumen ejus Hieroſolymis* cerneretur, inde licèt diſtantibus intervallo *ſtadiorum ducentorum quadraginta*, cui numero ſena ſtadia à Gorionide apud Tirinum addi diximus lib. 1. c. 5. Tirinus ex Serario hauſit, ex illis ſtadiis conficiente milliaria decem Germanica, ſeu dies itineris duos; meliùs decem leucas horarias, & diem itineris unum dicturo, ni magnopere fallor, uti etiam in tabella noſtra expreſſi.

Pugna & pax cum Arabibus Nomadibus.

℣. 10. 11. 12. INDE CÙM IAM ABIISSENT NOVEM STADIIS, paullò plùs horæ parte tertiâ, & in regionem Tranſjordanianam *ad Timotheum*, qui primus quietem turbaverat, *iter facerent*, commiſit cum eo Arabum manus, *quinque millia viri pedites, equites quingenti*, quos lib. 1. c. 5. ad v. 25. putavimus à Timotheo immiſſos in Judææ interiora, ad diſtinendum Judam. Ancipiti aliquamdiu victoriâ, & *validâ pugnâ reſiſtens*, Græcè νομάδες Nomades, *Arabes victi*, pacem petiêre, polliciti *ſe paſcua*, Græcè βοσκήματα, quod *pecora* commodè verti poterat, *daturos*. Utroque, tum paſcuis concedendis, tum pecoribus dandis, utiles futuri erant Machabæo. Itaque *promiſit eis pacem. dextrîſq́;* ad ſubitæ ex tumultuaria pugna pacis teſtimonium, ac pignus, *acceptis, diſceſſerunt ad taber-*

ad tabernacula sua, in quibus passim pascentes habitabant.

Casphin urbs capitur cum civium strage.

℣. 15. usque ad 17. Aggressus est autem et civitatem quamdam firmam, ac benè munitam, non solùm *muris circumseptam* sed etiam *pontibus*, unde colligas aquis circumfusam fuisse, de stagno derivatis aut stagnum efficientibus: *quæ à turbis habitabatur Gentium promiscuarum*, referta erat civibus variarum nationum idololatris. *Casp*, aut *Caspin*, ut Græcè est: cujus situm descripsi ad l. 1. c. 5. v. 21. recessique ab Adrichomio, & modò Salianum ab eo etiam rec[...]isse invenio, censuitque eam urbem longè ulteriùs ad Meridiem statui debere, Arabiam versùs. Illius cives, cùm loci firmitate freti agerent remissiùs, Græcè ἀναγαγότερον, quod exp[...] potest *insolentiùs*, & *Judam maledictis lacesse[rent]*, sacrilega etiam ac blasphema verba jactarent: Judas *invocato Deo, qui temporibus Jesu*, seu Josue, *sine machinis præcipitavit muros Jericho*, *irruit ferociter muris*, civitatem vi captam cædibus implevit; prorsùs, *ut stagnum adjacens, stadiorum duorum latitudinis*, majoris multò, ut ex pontibus urbi circumjectis colligitur, longitudinis, *sanguine fluere videretur*, Græcè [...] *ut fluens sanguine plenum videretur.*

Quomodò ea urbs capta?

Quærat aliquis: an in hac urbis Casphin oppugnatione muri, quemadmodum in obsidione Jerichuntis, corruerint, tamque Judas aperuerit? Videatur forsan id factum, tum quia Judas illud Jerichuntis miraculum, in sua ad Deum oratione, commemoravit; tum quia tam munita civitas primo impetu capta est. Sed gratis miracula astruenda non sunt, quando eorum in Scriptura apertum indicium non est, & res non exigit: quomodò hic necessaria non fuit. Potuit enim pontem urbis primo impetu Judas occupasse, civibus petulanter simul ac temerè agentibus: deinde vel scalis in murum enti, vel igne portam aperire, ut Gordonides conjicit; vel testudine in pinnas evadere. Nam quod Salianus ait, incusso ariete prostratos muros, non admodùm probabile est. Neque enim ejusmodi machinas Machabæus trahebat, in expedito agmine, & ad Timotheum properante. Nisi arietem intelligamus, trabem aliquam de suburbanâ domo raptam, & opere tumultuario formatam, ac libratam, quassandis mænibus.

Tubianæi, qui?

℣. 17. Inde discesserunt stadia septingenta quinquaginta, id est leucas prætereà propter duas supra triginta, ut l. 1. c. 5. ad v. 21. supputavimus. Tubianæos Græcè [...], *Tubienos*, ad quos progreditur Judas, dicimus ejusdem capitis v. 9. esse incolas locorum Tubin seu terræ Tob. Rabanus ait, *auditum à se quemdam Judæum disserentem, Tubianæos Judæos illos nuncupari, qui ex alienigenis convenerant in auxilium Judæ venerant. & dictos Tubianæos, quasi alienos tubis conductos.* Eamdem originationem ex Rabano mutuati sunt D. Thomas, & Lyranus. Sed Judæus iste Rabano imposuerat, ridiculo figmento: quasi Latina lingua eo tempore ita Judæis frequentata esset, ut inde nomina traherentur.

Quid Characa?

Paullo probabiliorem ex Græca lingua etymologiam nominis Characa Salianus adducit, à χάραξ, id est, vallum: quòd locus esset, urbs, aut munimentum, vallo munitum. Nec verò tunc lingua Græca Palæstinis inusitata erat, ut ex propriis multorum hominum nominibus manifestum est. Crediderim tamen potiùs, quod & lib. 1. c. 5. ad v. 21 indicavi, Characam ex Hebræo denominatam, vox enim illa fenestram significat: unde suspicor, edito positu munimentum fuisse, de quo latè subjecta Galaaditis circumspectaretur, velut de fenestrâ, aut speculâ.

Frustra ibi quæsitus Timotheus.

℣. 18. Et Timotheum quidem in illis locis non comprehenderunt, id est non sunt assecuti, sedes mutantem, & pugnare iterum cum Machabæo, cujus paullò ante vires damno suo expertus erat, metuentem. *Nullo negotio perfecto regressus est*: Judas, an Timotheus? Ille, Timotheo non deprehenso: an hic, facinore nullo adversùs Judæos patrato? De Juda intelligendum suadere videatur casus rectus, ex versu 15. & 16. repetitus. De Timotheo tamen, etsi casus accusativus præcedens non congruit, Lyranus & Salianus intellexêre: eum, postquam in Tubianæos Judæos operæ pretio nullo duxisset, inde regressum, *relicto tamen in quodam loco firmissimo præsidio*, parte scilicet exercitus sui, ut mox patebit ex numero cæsorum. Quis autem erat locus ille firmissimus? An Characa, de qua antè: quam tamen Hagiographus videtur indicaturus fuisse, proximè præcedenti versu nominatam? An alius potiùs Galaaditidis Manassiticæ locus, nondum à Judæis captus?

Præsidium Timothei expugnant à ducibus Machabæi.

℣. 19. Dositheus autem, et Sosipater, ipsâ nomenclaturâ Græcâ, quæ donum Dei & patrem salvantem sonat, commendabiles, *qui erant duces ordinum*, forsan chiliarchæ, aut tribuni, *cum Machabæo*, jussi sunt Timotheanum præsidium oppugnare: neque enim id, ejus injussu, tentare ausi fuissent. Attributos ipsis ad istam oppugnationem homines bis mille diximus in serie historica num. 64. Colligitur id ex eo, quòd l. 1. c. 5. v. 20. Judas *octo millia* ducat in Galaaditim: & hic itidem *ordinato solùm circùm se sex millibus* in Timotheum ducat. Reliqua ergo millia duo Dositheo, & Sosipatri; qui mandata strenuè executi, *peremerunt à Timotheo relicta in præsidio*, quod sine dubio vi occupârunt, *decem millia viros.*

Concordia, & studium Scripturæ, commendatur.

Caritatis & concordiæ commendationem habemus in Dositheo, & Sosipatre. Juncti affectu pergunt spirituales bellatores adversùs hostem fidei, aut sanctimoniæ; de victoria certi, quamdiu concordes. Duo virorum millia, Machabæi auspiciis, eorum ductu pugnatoria, utriusque Testamenti sacras literas commodiùs significabunt; quam Dositheus ipse & Sosipater, ut Rabanus volebat. Sacrâ tum veteris tum novi Testamenti doctrinâ instructi concionatores, animis juncti consoni verbis, irrumpent quodlibet hæreseos, aut vitii præsidium: & à latere illorum cadent mille, *decem millia à dextris eorum.*

Machabæus, quærit Timotheum declinantem certamen.

℣. 20. At Machabæus ordinatis circùm se sex millibus, quot ipsi supererant, post relicta Dositheo millia duo; *& constitutis per cohortes*. In Græcis codicibus hodie non inveniuntur expressus numerus sex millium; sed olim expressum fuisse non dubito. Unde enim aliòqui eum numerum hausisset Interpres noster? An finxisset sibi exercitum in duodecim ordinatò cohortes divisum fuisse, singulas quingentorum militum, ut conjicit Salianus? Cùm hoc manu, turmatim distributâ, *adversùs Timotheum processit*, sedes mutantem, antè in Manassitica Galaadite agentem, tum in Gaditica, rursus in Manassitica: ut dictum l. 1. loco sæpiùs citato, quem consule ad clariorem hujus historiæ intelligentiam. Habebat autem Timotheus ex confusa multitudine,

centum viginti millia peditum, equitumq́, duo millia quingentos. Pleraque exemplaria Græca, etiam Sixtina, habent tantum mille quingentos equites: Tigurina; Vulgatæ consentiunt. Et verò, ut rectè advertit Salianus, equitum bis mille quingentorum numerus, in tanto peditatu, nimis magnus non est, vitiataque exemplaria Græca fuerint per librarios, ἢ χιλίους scripto pro δισχιλίους.

Timotheus ad prælium se comparat.

℣. 21. COGNITO AUTEM JUDÆ ADVENTU, TIMOTHEUS cùm jam teneretur, hinc præsidio per Dositheum capto, inde Juda instante; neque ampliùs, sine dedecore aut jactura ingenti, prælium declinare posset: *præmisit mulieres, & filios* impubes, armis gestandis inhabiles, utique & filias, *& reliquum apparatum* impedimentorum, quem trahebat, sive ut Judæorum deprædationi subduceret, sive ut in Judæam velut ad sedes novas induceret. Ea impedimenta præmisit *in præsidium quod Carnion dicitur*, & Carnaim, a libri prioris scriptore. *Erat enim inexpugnabile*, id est munitissimum, ideòque, cùm urbs esset, præsidium etiam vocatur: *& accessu difficile propter locorum angustias*, quales passim in Galaaditide occurrebant, regione montosâ.

Timotheanorum fuga, & clades, tum mutua, tum à Juda.

℣. 22. & 23. CUMQUE COHORS JUDÆ PRIMA APPARUISSET, Jaboc torrente transmisso, ut habetur cap. 5. lib 1. unde multa hic supplenda sunt: neque enim dubitamus, quin idem utrobique certamen narretur. Vide ibi à nobis dicta, & historiæ seriem num. 65. & 66. Juda ergo trans torrentem, cum prima è cohortibus, pugnam parante, *timor hostibus incussus est*; non ex Angelorum conspectu; quomodò suspicatur Salianus, nullo in Scriptura miraculi istius indicio: sed *ex præsentia Dei, qui universa conspicit*, & momenta omnia & occasiones novit, ac dispensat. Lymphatico itaque timore Timotheanis, ob ducis sui omen de Judæ transitu, aliásque occultas causas, immisso, *in fugam versi sunt alius ab alio*, & mutuis inter se vulneribus, ac cædibus, ut in promiscua multitudine variarum nationum vix inter se noscentium accidit, sævière; instante cum suis Juda, & terga cædente. Triginta facilè hostium millia eo non tam prælio, quàm fugâ & carnificinâ, corruère.

Hæreticorũ inter se compugnantia.

Faxit Deus, ut Timotheani hodierni, confusa hominum multitudo vix inter se noscentium, & dissona loquentium, mutuis inter se aliquando vulneribus fæliciter concidant. Concordes dixeris, quando adversùs Christiano-Catholicos, sub Juda Machabæo militantes, procedunt: at ubi ad arma, & argumenta ventum est, dissonis inter se clamoribus dissidium testantur. Lutherano Calvinista dissidet: Calvinistæ Anabaptista obstrepit: alii aliis repugnant, ipsi inter se tam discordes, ut meritò non pridem libellus Parisiis hoc titulo prodierit. *Entre mangerie Huguenotique, Huguenotorum mutua devoratio.* Nec verò aliter fieri potest, ut Hilarius de ævi sui hæreticis scribebat l. 2. ad Const. Aug. *Dum sua scribunt, & non quæ Dei sunt prædicant, orbem æternum errorum, & redeuntem in se certaminum circumuolutant... Miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates: & tot doctrinas esse, quot mores: & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt.* Spiritûs privati, de quo mox quidpiam, necessaria consecutio est, varietas sectarum.

Mutuo hæreticorum certamine fides Catholica firmatur.

Ex istius autem varietatis dissonantia id Ecclesia utilitatis accepit; quod hæretici, inter se certando, & opiniones utriusque confutando, fidem stabiliunt. *Hæretici*, inquit Eusebius Gallic. homiliâ ad plebem, *fidem nostram destruunt singuli, adstruunt universi.* Madianitæ mutuo inter se conflictu alii alios vicère, & prostravère: sibi tamen non vicère, sed Gedeoni. Superavit cohors Israelitarum inermium hostilem aciem universam, contra illos militantem, sed pro illis pugnantem. *Ita hæretici omnes contra Ecclesiam veniunt: sed dum hæretici omnes se invicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt. Victoria enim eorum Ecclesiæ triumphus ex omnibus est: dum in eo hæresis contra alteram pugnat, quod in hæresi altera Ecclesiæ fides damnat*, ut ait Hilarius l. 7. de Trin.

Timotheus vivus capitur.

℣. 24. IPSE VERÒ TIMOTHEUS fugiens, INCIDIT IN PARTES DOSITHEI ET SOSIPATRIS, ab expugnatione præsidii redeuntium: captúsque, multis precibus postulabat, ut vivus dimitteretur: rationem efficacem addebat, *quod multorum ex Judæis parentes haberet ac fratres captivos, quos, si ipse occideretur, decipi eveniret*, id est, inquit Sa, frustrari spe liberationis. Græcè pro, *decipi*, habetur ἀλογηθῆναι, id est *despici*. Dicebat Timotheus fore ut, si ipse occideretur, captivi qui apud suos tenebantur procul dubio lucrent, nihilique omninò fierent, &, ad mittendas sibi inferias, tamquam vilia mancipia mactarentur. Adverte etiam, Timotheum allegare nomen non fratrum modò, sed etiam parentum, ut potentiùs caritatem moveat.

Et dimittitur, ad captivorum Judæorum libertatem.

℣. 25. ET, CÙM FIDEM DEDISSET, RESTITUTURUM SE EOS, SECUNDÙM CONSTITUTUM, sive ex pacto, *illæsum eum dimiserunt, propter fratrum salutem*: pluris meritò facientes laudem & coronam ex cive servato, quàm ex hoste interfecto; convenienter nomini Sosipatris ac Dositheì. In Græco pro, *illæsum*, habetur ἀπέλυσαν illæsos, refertúrque ad Judæos, hoc modo: *Cùm fidem dedisset restituturum se eos, secundùm constitutum, illæsos, eum dimiserunt.* Oportet sic à Timotheo fidem datam; ut etiam obsides daret, qui de fide caverent; forsan etiam ut captivorum partem liberaret, antequam dimitteretur. Alioqui nudis hominis Asiatici, & captivi, pollicitationibus non satis prudenter starent, essetque istorum Judæ sociorum parùm oculata caritas.

Judas Carnion capit, spiritûs privati figuram.

℣. 26. JUDAS AUTEM EGRESSUS EST, seu progressus cum suis, *ad Carnion, ubi Timotheus impedimenta reposuerat*: eoque potitus est, *interfectis*, ibi scilicet, aliis *viginti quinque millibus*, promiscui sexûs & ætatis. Mulieres enim, & liberos, eò Timotheani præmiserant, rati ob loci firmitatem tutos fore. Sed fefellit eos inanis fiducia; quemadmodùm hæreticos, qui intra spiritûs privati præsidium, mulieres præsertim, ac liberos insigni judicii compingunt, & claudunt: ut quidquid ipsis per Catholicos concionatores aut doctores, argumentorum objiciatur, putent retusum iri facillimè generali unico responso: Deus id dicit, spiritus hoc nobis suggerit.

Atargates Dea fanum Carnense.

In Græcis, ad Carnion additur καὶ τὸ Ἀταργατεῖον, uti etiam l. 1. c. 5. advertimus: quam tamen vocem in quibusdam exemplaribus Græcis paulò aliter legi, in quibusdam abesse, scribit Nobilius. Erat autem Atargate Dea Syrorum. Plinius de illa lib. 5. c. 23. *Hierapolis*, inquit, *Syris vocatur Magog: ibi prodigiosa Atargatis, Græcis autem Derceto dicta colitur.* Ab Ovidio *Dercetis* vocatur l. 4. Metam. A Strabone l. 4. *Athara & Athergata.* A Macrobio l. 1. *Atergatis.* Cicero, Diodorus, Lucianus *Astarthen* vocant, nomen Scripturis sacris celebratum, uti & *Astaroth* plurale, ab *Astara*: quam Veneri eamdem plerique faciunt.

faciunt, Lunæ alii, Junoni nonnulli, ut fusè tradit Serarius ad caput 2. libri Judicum, & origines istorum nominum inquirit.

Ejus idoli origo.

Athenagoras in apologia scribit, *Derceto* fuisse Semiramidis matrem, lascivam mulierem, & homicidiis infamem: filiam ex impudico adolescente suscepisse, Veneris matris suæ lenociniis; eam filiam columbis nutriendam dedisse, seque paullò post, sero facinoris pudore, in stagnum præcipitasse, ubi ipsa in piscem mutata sit, filia in columbam. Quare, inquit Diod. l. 5. Syri piscibus abstinent, templumque in stagni litore construxerunt, Derceto ibi collocatâ, supernè forma mulieb ri eleganti, cætera pisce. Et forsan, ut sub finem Commentariorum ad cap. 10. l. 1. dictum est, allusit Horatius de arte poetica:

— — — Turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa supernè.

Ad columbam autem Semiram[i]dem alludit Tibullus: *Alba Palæstino sancta columba Syro.*

Pictura spiritus privati hæretici.

In prodigiosa illa dea ad cujus fanum, velut ad asylum, Syro-Macedones refugerant, non indecorè iterum occurrit figura spiritûs privati hæretici. Fœmininum decorem simulat, ipsissimam veritatis ac scientiæ divinæ imaginem, si partem tantùm adspicias. Sed attende, quâ oriatur, quò desinat. Oritur Derceto ex Venere, muliere luxuriosa & infami, in piscem desinit. Oritur spiritus privatus ex hæresi, cujus vitia libidinibus & cædibus infamia fiunt. Finis stagno immatat, &, Sirenum instar, cantat ... quia ex hæresi progratus, trahit ad alias ... alias hæreses, ut *sibi quisque sint arbitri religionum, cùm tamen religionis opus ... sit* ... quomodò Hilarius de hæreticis ævi sui loquitur lib. 1. de Trin. Et lib. 8. de Trin. *Unde sunt, qui simulantes fidem, non subditi sunt fidei: ... fidem ipsi potius constituunt, quàm accipiunt, ... humanæ mentis ... dum ea, quæ volunt, sapiunt; & nolunt sapere ea, quæ vera sunt: cum sapientiæ ea virtus sit, ea interdum sapere, quæ nolis.*

Ejusdem descriptio.

Suadebamus Proleg. sect. 4. ut in congressu cum hæreticis vitetur omnis acerbitas. Sic agere solitus memoriâ nostrâ Rupefucaldius Cardinalis, in frequentissimis contra hæreticos scriptis, & disputationibus, comitate tantùm & gravitate, veritati sociatis, pugnare solebat. At paullò aliter Lucifer Calarit. cujus ardentia in Constantium Imper. Arianorum fautorem, Athanasii damnatorem, verba l. 2. ... apprimè videntur spiritui privato Calvinistico congruere: *Intelligens esse filium pestilentiæ, tenebrarum fetus, gurges omnium malorum, caput totius nequitiæ, fontana omnium blasphemorum, hæreticorum fomes, radix amaritudinis, arbor ... destinata, quippe afferens fructus mortiferos, inimicus Dei, hostis Ecclesiæ, veritatis interpolator, pravitatis commendator, injustitiæ amator, justitiæ adversarius, totus in tenebras, & quidem inextricabiles, conversus, factus verò templum ... dæmonum.*

Ephron capta, & vastata a Machabæo.

℣. 27. 28. Post horum fugam, et necem, fugato Timotheo, cæsâ ingenti Timotheanorum multitudine, tum in fugâ, tum in confugii loco, Machabæus in Judæam interiorem copias suas, & Judæos Galaaditidis incolas reducturus, venit *ad Ephron, civitatem munitam*, eamque, ob negatum transitum, vi captam cædibus implevit, masculis omnibus omnis ætatis, *ad viginti quinque capitum millia*, interfectis. De ea Ephrone abundè diximus libro primo cap. 6. ad vers. 46. &c.

Rabanus Ephrone urbe significari putat Judæos, qui, post Evangelii promulgationem, mordicùs observantiam extinctæ legis retinuêre: item Ebionitas, aliósque hæreticos, de confusis Gentibus, qui legem Evangelio jungere voluerunt. Sic Casphin, miscellaneis Gentibus habitatam, ait esse imaginem mundi, ad quem capiendum Apostoli missi sunt. Arabes figuram gerere sapientium hujus sæculi, qui à Juda victi, fidelibusque Judæis fæderati, deinceps Ecclesiis utiles fiunt. Jamnitas, quibus à mari nomen, esse schismaticos perpetua tempestate jactatos. Joppitas, hæreticos esse, qui fidelium simpliciores pulcris lenonum ... circumveniunt. Hæc in summam contracta indicasse sufficeriit.

Rabani allegoria de variis populis hujus capitis.

℣. 29. 30. 31. Inde ad civitatem Scytharum, Scythopolin, sive Bethsan, transito Jordane abierunt: quæ urbs *ab Hierosolymis sexcentis stadiis aberat*, id est horis itineris viginti quinque, quomodo in tabellula Judææ exprimere conatus sum. De ea urbe diximus l. 1. c. 5. v. 52. memoratur etiam Judith c. 3. v. ult. in Græco, & dicitur Holofernes castra metatus ἀναμέσον Γαιβαὶ καὶ Σκυθῶν πόλεως, inter Gabaa & Scythopolin. *Judæi autem*, Scythopolitarum civibus, *testantibus* se ab illis semper benè habitos, *etiam temporibus infelicitatis*, per Antiochi furiosam persecutionem: gratias egêre Machabæus, & sui, hortatique, ut de cætero sic erga Judæos se haberent, Hierosolymam pervenêre, *die solemni septimanarum instante*, id est Pentecoste. Quod festum appellatur dies septimanarum ex Deuteron. c. 16. & quia Levit. c. 23. jubentur numerari *septem hebdomadas plenas, id est quinquaginta dies*, à die oblati manipuli primitiarum.

Scythopolis Judæis amica, quam longè ab Hierosolymis.

Adverte, quantâ in hisce expeditionibus celeritate usus sit Judas. Xanthico mense fœdus initur: mox fœdus à Syro-Macedonum ducibus abrumpitur: Judas Joppen, Jamniam, Casphin, Galaaditin universam, Petrææ Arabiæ partem percurrit, prælia serit, reducit suos diebus aliquot ante Pentecosten, ut ad festum purificari ac præparari legitimè possint, ex præscripto legis Num. c. 31. v. 19. &c. Pentecoste autem incidere solebat in Majum exeuntem, aut ineuntem Junium. Xanthicus Martio respondebat, aut Aprili forsan, hoc quidem anno ob intercalationem Dioscori. Itaque septimanis sex, aut circiter, tot expeditiones peractæ, iisque forsan non totis.

Judæ celeritas in expeditionibus.

Adverte deinde, in Scythopolitis, veræ amicitiæ conditionem genuinam. *Temporibus infelicitatis* erga Judæos humaniter agunt, *benignè, modestè*: insultatione adversus miseros nullâ, imò sincerâ erga oppressos benevolentiâ, forsan & profusa in egenos beneficentiâ. De amicitia scribens Ambrosius lib. 3. Off. c. 16. *Meliores*, inquit, *sunt amicitiæ inopum plerumque, quam divitum: & frequenter divites sine amicis sunt, quibus abundant pauperes. Non est enim vera amicitia, ubi est fallax adulatio. Divitibus itaque plerique assentatorie gratificantur.* Inter paupertatis & infelicitatis bona postremum non est, quòd calamitosi veros amicos a falsis internoscant, & experimento discant, ubi deinceps fiduciam tutò collocare possint. Vide Eccl. 6. v. 7. &c. & nos Excurs. 2. ad c. 8. hujus libri, sect. 3. num. 19.

Vera erga miseros amicitia.

Adverte denique, in iisdem Scythopolitis, idem quod Christus Samaritani parabolâ expressit: non eos semper esse proximos caritate, qui proximi sunt sanguine. Imo contra non infrequenter accidis,

Proximi sanguine, non semper proximi caritate.

cidit, ut ab iis plus miſericordiæ & auxilii ſentiatur, qui minùs propinqui ſunt. Arabes, Moabitæ, Ammonitæ, avitâ ſtirpe Judæos contingebant; regione, & linguâ finitimi erant: Scythopolitæ peregrino ſolo inſiti, peregrinis moribus, & linguâ. Ab illis tamen, Judæi multa paſſi: ab his benignè habiti, eoque ipſo tempore, quo Ammonitas, Arabas, Moabitas, in Machabæi exitium armatos trahebat Timotheus. Linguâ Hebraicâ, conſanguinei omnes fratrum nomine appellari ſoliti ſunt. Fratrum appellatio deinceps aliis linguis ad amicos traducta eſt; hodièque in epiſtolarum ſubſcriptionibus apud quoſdam inolevit, ut notetur. *Tuus velut frater.* Notari poſſit interdum, *Tuus pluſquam frater*: pluris enim multò eſt veræ amicitiæ, quàm fraternitatis germanitas.

Judas cum expedita manu in Gorgiam movet.

℣. 32. 33. Et post Pentecosten abierunt Judæi, duce Machabæo, in omnes occaſiones rei benè gerendæ intento, contra Gorgiam, antè ſæpiùs memoratum, præpositum Idumææ Auſtralis. Exivit autem, Judas utique ex Hieroſolymitana urbe, non autem Gorgias ut quidam ſuſpicantur. Gorgias enim tam exiguas copias adverſùs talem hoſtem non duxiſſet. Exivit ergo Judas cum tribus millibus peditum, et quadringentis equitibus. Hic primùm diſerta fit mentio equeſtris cum Juda militiæ: antè tantùm conjectura fuit. Sed an ipſi licuit equeſtrem militiam habere? Vide nos de ea quæſtione in Joanne Hircano l. 1. c. 16. v. 4. & corrige, quod ibi diximus, patrem ejus, ac patruum equitatu numquam uſos. Cùm enim iſtud ſcripſi, vel hunc verſum non attenderam, vel cum quibuſdam de Gorgiæ copiis interpretabar. Quamquam & modò mihi ſuſpicio eſt, equites hoſce non Judæos, ſed Arabas Nomades, de quibus ſuprà v. 10. &c. diximus, fuiſſe.

Cur tam paucos ſecum educat?

Quæres, cur Judas, qui de octo millibus ſecum in expeditionem eductis amiſerat neminem, & copias fratri Simoni attributas receperat, cum tribus ſolummodò millibus Gorgiam aggrediatur? Dicendum, pluribus ei opus non fuiſſe, idque ipſi per exploratores compertum, adeóque cum promptioribus exiiſſe, exterâ commilitonum, continuatis itineribus fatigatorum, turbâ Hieroſolymis quieſcente, ac vires reparante.

Pugnatur: cadunt Judæorum aliqui.

℣. 34. Quibus congressis, poſt captam & ſuccenſam Hebronem, ut ex lib. 1. ſupplendum eſt, & in hiſtoriæ ſerie num. 59. expreſſimus. Tunc enim collecto milite Gorgias Judæ ſe objecit: ne in præfecturæ ſuæ interiora penetraret; aut ut de incenſa urbe ſibi ſubditâ, ac ſuorum clade, ultionem expeteret. Commiſſo igitur prælio, *contigit aliquos ruere Judæorum*: quod adhuc nondum à pace violata per tot expeditiones contigiſſe, conſtat ex l. 1. c. 5.

Doſitheo eripitur Gorgias captivus.

℣. 35. Narratur inſigne facinus Doſithei cujuſdam, ex Machabæi militibus, qui Gorgiam comprehenderat, vivumque abduxiſſet; niſi Thrax eques hoſtilis, humerum illi amputâſſet. Sic liber Gorgias Mareſam evaſit: de quâ urbe vide dicta ad lib. 4. c. 5. v. 65. Ne autem mireris, in Gorgianis equitibus Thracem nominari, memento ſuprà dictum ab Hagiographo, Gorgiam peregrino milite uſum. Neque etiam, opinor, mirabêris, humerum equitis ictu uno demeſſum cùm legeris, cataphractum à Godefrido Bullonio medium deſectum, ut Antiochiam equus, pendentibus utrimque ſolis equitis ſui cruribus, regrederetur.

Doſitheus ille, ſive idem fuerit, de quo ſuprà mentio facta eſt, dicatúrque *de Bacenoris*, vir Bacenoris filius, vel nepos, ut Serarius cum Corneli nide cenſet: ſeu potiùs, ex Saliani ſententia, fuerit miles gregarius, ut colligitur ex appoſito *quidam*, & quia dicitur Græcè τῶν τῆς Βακήνορος, *de Bacenoris turma*. Doſitheus ergo ille videtur unus de iſtis fuiſſe, qui Jamnienſia donaria uſurpârant: ideóque elapſum illi Gorgiam, & humerum deſectum commemorari, ſtatim poſt narratam generatim cædem quorumdam reorum iſtius culpæ. Nam cur ita commemoretur: & cur illi Deus in tam præclaro facinore non adfuerit, ſi eamdem noxam, quam interemptorum in eo prælio Judæorum cæteri, non admiſerat? Niſi dicamus, deſectum quidem illi humerum fuiſſe, ſed è prælio ſubductum obligato vulnere, veniisque aut igni, aut pulvere, obturatis, mortuum non eſſe; atque adeò in ipſum non cadere notam verſûs 40. Deus autem ipſi in inſigni conatu non adfuerit, ob rationes alias arcanas: quomodò nec ſemper Machabæo adfuit, Jonathæve, aut Simoni: nec verò Dei amicis ſemper licet, aut expedit eſſe felicibus.

Quis ille Doſitheus, & an fuerit ex donariorum Jamnienſium raptoribus?

Judas Deum invocat in periculo ſuorum.

℣. 36. 37. At illis, qui cum Esdrin erant, diutiùs pugnantibus et fatigatis. Eum Eſdrin Tiranus exiſtimat ſocium Gorgiæ fuiſſe, manſiſſeque in prælio, eo jam elapſo in Mareſa. At longè probabilius eſt, fuiſſe Judæ ſocium, qui, cum parte Gorgianorum congreſſus, periclitabatur ancipiti victoriâ. Alioqui Judas, niſi in ſuorum periculo, Deum non invocâſſet, patriâ, id eſt Hebraicâ, *voce, & cum hymnis* pſalmorum, in ejuſmodi eventis uſurpari ſolitorum, *clamorem extollens*. Quo clamore timor reliquiis Gorgianorum incuſſus, certáque ac plena fuit victoria. Agnoſcis eumdem ſemper ubique Machabæum, à Deo pendentem, in ejus præſentiam intentum, ſub ejus oculis, & cum ejus manu, omnia agentem.

Judas Odollæ ſabbatum agit.

℣. 38. Judas autem collecto exercitu, & à perſequendis hoſtibus revocato, *venit in civitatem Odollam*, quam Scriptura alibi ſpeluncam appellat. In iis montoſis regionibus novum non eſt, ut vel ex Gulielmi Tyrii hiſtoriis conſtat, ſpeluncas pro munimentis ac præſidiis eſſe, quibus circum-ædificentur domus, & in urbes paullatim accreſcant, confluentibus ob præſidii ſecuritatem agreſtibus. Ibi Judas cum ſuis ſabbatum egit, poſt peractam legitimam à cædibus purificationem, quantum per temporis anguſtias licebat. Intervalla enim omnia, Num. c. 31. præſcripta, illic ſervari non poterant. Hinc conficitur prælium die Paraſceves, ſeu Veneris, commiſſum.

Poſtridie curat corpora interemptorum de ſuis.

℣. 39. Et sequenti die, qui in Dominicam incidebat, vocabatúrque Judæis prima ſabbati, *venit cum ſuis Judas, ut corpora proſtratorum tolleret*, & Hieroſolymam aliòve transferenda curaret, *poneretque in ſepulcris patrum*. Majo exeunte, Junióve ineunte, quo tempore hæc pugna accidit, æſtus erat in Judæa. Jacuerant cadavera ſeſquidiem, aut circiter, ſub dio. Corrupta itaque erant æſtu pleraque. Caritas tamen ea tangere non timuit, ut ſupremo illo, & Judæis jam olim magni æſtimato erga corpora officio, fungeretur. Imo apud gentes qualibet id officii militibus in pretio fuiſſe, Curtius ſcribit l. 5. à Serario & Tirino non prætermiſſus: *Vix alium tam ſolemnem morem in bello, quam humandi ſuos.* Solemnius tamen mos videbimus, orandi pro ſuis.

℣. 40. In-

Invenisse habuisse de donariis idolorum.

℣. 40. INVENERUNT AUTEM SUB TUNICIS INTERFECTORUM, cùm expoliarent corpora, ut commodiùs transferrentur, *de donariis idolorum:* ἱερόσυλα, Græcè, vocantur ea donaria, id est sacrata. Erant ergo anathemata quæpiam, eáque verosimiliter aurea, aut saltem argentea, per superstitiosos idololatras in idolis seu delubris appensa: qualia modò, commendabili religione, in templis Christianorum appenduntur ab ægris, aliove, ad beneficii alicujus impetrationem, aut monumentum. Potuerunt etiam esse vasa aliqua, tanquam ampullæ aut urceoli, aliave instrumenta profanorum sacrificiorum, ac delubrorum, *quæ apud Iamniam fuerunt.* Ab iis lex *prohibet Iudæos*, indicata Exodi c. 34. v. 13. expressiùs lata Deut. 7. v. 5. & versu 25. ubi disertè habetur: *Sculptilia eorum, idololatrarum, igne comburetis: non concupisces argentum & aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam.*

Causa mortis iis manifesta.

Omnibus ergo manifestum factum est, in istius criminis pœnam, in hoc postremo prælio, cecidisse. At unde id manifestum? Ex eo utique, quòd Deus, quomodò in aliis ejus anni præliis omnes Judæ commilitones conservârat, ita & in hoc prælio conservaturus fuerat, nisi peccatum aliquod obstitisset. illud scilicet peccatum, quod Deus aperuit, & velut designavit in ipso humandorum corporum apparatu. Neque enim sine divina providentia singulari illa donaria reperta sunt, nec sine Numine iis solis occurrêre, qui ea gestabant.

Cur antè non occidit?

Quæres primò: cur antè, in præliis post hanc [illegible] commissionem depræ[illegible] non de[illegible]? A divinæ clementiæ moribus petenda est istius moræ ratio. Neque enim Deus omnes peccantes continuò solet plectere: sed spatium illis indulget ad pœnitendum, præveniendámque pœnitentiâ vindictam. Adde: si hi vel in prælio contra Arabas, statim post Jamniensem portum succensum, cecidissent, vel in oppugnatione urbis Casphio, imminutus fuisset militum Judæorum numerus, & animus quorumdam, ad Galaaditicam expeditionem necessarius: atque adeò pœna peccati non sontes modò involvisset, sed etiam insontes attigisset, cum gloriæ divinæ detrimento. Hanc quæstionem ipse mihi proposui, & dissolvi: quia ab adversariis nostris ad elevandam hujus libri auctoritatem proponi potest, etsi apud nullum invenerim, uti & quasdam earum quas subjicio.

Cur tamdiu donaria gestârint?

Quæres secundò: cur Judæi isti tamdiu donaria idolorum circumtulerint? Cur Hierosolymis saltem, ubi festum Pentecostes egerant, séque ac vestes suas purificârant, non deposuerunt? Respondeo: deposuisse forsan cum vestibus militaribus, ad dies aliquot: sed cum iisdem vestibus ad expeditionem resumpsisse, ut usui forent ad emenda, si occasio foret, necessaria. Circumferebant ergo donaria ista, vel integra vel comminuta; prout parva erant aut magna, ut parvæ pecuniæ, quâ tunc Judæi non abundabant, vicem implerent.

Quomodò ea Jamniæ rapta?

Quæres tertiò: quomodò de fanis Jamniensium donaria Judæi rapuerint, cùm oppidum ab illis, hac quidem expeditione, captum non fuerit, sed portus tantum succensus? Dicendum, suburbana, ut apud idololatras solebat in lucis & montibus, delubra fuisse: solita item in portubus sacella exstrui, ubi navigaturi dona deponerent, & appellentes vota solverent. In illis delubris, subitâ incursione occupatis, prædam invenêre, eámque secum asportavêre, Judâ properante in Galaaditin.

Quale peccatum sit rapiendo admissum?

Quæres quartò: quale peccatum commiserint isti Judæ commilitones, usurpandis illis profanis donariis? Dubitandum non est, quin materia fuerit gravis ac letiferæ culpæ, ex verbis legis Deut. 7. *Neque assumes ex eis idolis tibi quidquam, ne offendas, proptereà quòd abominatio est Domini Dei tui. Nec inferes quidpiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut & illud est.* Eam legem ignorâsse potuerunt homines de vulgo: adeóque ex ignorantia sic peccâsse, ut materiam criminis, non formam, admitterent, atque adeò nec peccarent. Si tamen ignorantiam talem cum Serario rejicis, dicendum erit contra legem quidem peccâsse, at non contra rationem legis, Ratio enim illius erat, ne donaria ejusmodi sumpta & asservata, vel illicium essent idololatriæ, vel tacita professio. Utrumque hic abfuit in militibus, qui solâ verosimiliter necessitate stimulante fana spoliârunt: & in isto articulo, etsi imprudenter, statuerunt gratiam legis fieri. Quanquam necessitati potius cupiditatis aliquid fuisse admistum: cujus sibimet conscii, spolia ejusmodi sub vestibus occultabant; eaque Hierosolymæ Judæis aurifabris, aut scrutariis, vendere ausi non fuerant, nec purificare forsan ex præscripto legis Num. c. 31. v. 22.

Cur veniale peccatum morte plexum?

Quæres quintò: si ex imprudentia solùm ac levi cupiditate, id est venialiter, peccârunt, cur ergo Deus illis tantam pœnam inflixit? Respondeo, mortem temporalem magnum non esse supplicium præ alterius vitæ suppliciis: neque eam novam esse, aut insolitam, venialis noxæ pœnam, ut in Oza, uxore Loth, Davidis & Ezechiæ vanâ gloriâ, gloriolæ in Josepho & Azaria desiderio, aliisque argumentis, ostendimus l. 1. c. 5. in Excursu 4.

Etiam mortale potuit pœnitentiâ deleri.

Si tamen quispiam affirmatè volet evincere, ab iis militibus peccatum graviter: non tamen inde consequetur, orandum pro illis mortuis non fuisse. Potuerat enim Deus, pro se & religionis causâ pugnantibus, adfuisse, & pœnitentiæ spatium dedisse, cui tamen vel unicum momentum benè impensum sufficit. Potuerunt superstites id sibi de illis persuadere; adeóque non eos, tanquam exleges, sepulturâ asini sepelire, sed in patria sepulcra inferre: neque eorum animas, tanquam desperatorum, sine solatio relinquere, sed orationibus sublevare, quia *cum pietate dormitionem acceperant.*

Non indicandum ante tempus.

℣. 41. OMNES ITAQUE BENEDIXERUNT JUSTUM JUDICIUM DOMINI, cujus justitia laudanda est pariter ac clementia; & cujus omniscientia, ad superstitum ac posterorum documentum, *occulta fecerat manifesta.* Itaque ad illam usque manifestationem divini judicii suum ipsi suspenderant, feceruntque, quod postmodùm Christianis omnibus Paulus commendavit: *Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum.* O si eumdem in modum Christiani de rebus alienis judicium non ferrent, antequam Deus *occulta* fecerit *manifesta!* Non haberet Chrysostomus caussam dicendi lib. 1. de compunctione: *Etiamsi vitiis omnibus careremus, hoc solum nobis damnandis sufficeret. Quis enim vel monachus, vel clericus ab eo liber?*

Judicii temerarii gravitas.

Enimverò graviter peccat, quisquis non levi modo suspicione res alienas perstringit; sed graviter judicii, ac velut certi, ex incertis tamen argumentis, pronunciati obelo temerè configit.

Gravem enim injuriam proximo infert, Deo itidem gravem. Jus proximi, quod ad bonam de se apud alios opinionem habet, invadit: præterquam quod detractionibus, susurrationibus, contumeliis aditum latè patentem aperit. Dei potestatem usurpat: *Unus est enim legislator & judex. Tu autem quis es, qui judicas proximum?* Jac. 4. *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Rom. 14. *Numquid pro Deo judicare mittimini?* Job. 4.

Ejus caussæ quatuor.

D. Thomas 2. 2. q. 60. a. 3. tres istius mali caussas profert, ego malim quatuor, ab intellectu binas, binas item à voluntate. Ab intellectu movet curiositas sciendi, quam concupiscentiam oculorum Augustinus vocat. Trahit arbor scientiæ boni, & mali. Si boni tantùm scientia traheret, optabilis omninò foret curiositas. At mali cognoscendi de aliis desiderium inquietum maximè sollicitat. Accedit curiositati præcipitatio, & citò credendi levitas: sive ea quæ videmus, quasi visus numquam falleretur: sive ea, quæ audimus, quasi numquam auditus mentiretur: sive ea, quæ conjecturis & signis assequi nos putamus, quasi numquam conjecturæ nostræ aberrent. Judicium ex se præceps impellit frequenter superba voluntas: sive ne infra alios deprimatur, sive ut supra alios emineat. Si enim homo vitiosus est, alios sui similes libenter existimat, ne solus sit. *Insanus omnis furere credit cæteros*, inquit Publius Mimus. Si virtutis aliquid videtur sibi comparâsse, aliorum vitia scrutatur, & extollit in majus, ut eorum comparatione sese magnificentiùs circumspiciat. Quando autem superbiæ accedit odium, tunc judicia teterrima præcipitantur. Qui se ad lignum putre calefaciunt, pallidos vident circumstantium vultus. Aiunt oleum posse confici, quod si lampadi affundatur, ad ejus lumen formæ omnes quasi diabolicæ appareant. Tale oleum, & lignum, sunt vindicta, invidia, ira, &c.

Ejusdem remedia totidem.

Ex caussis facilè remedia invenire est. Primum vitanda curiositas rerum alienarum, & in se vertenda. Dictum omnibus: *Attende tibi.* Rogatus aliquando Cardinalis Aldobrandinus, in colloquio familiari, quæ optima omnium esset memoria, aliis alia dicentibus: respondit ipse, Memoriam sui. Deinde præcipitatio cohibenda, nec primò objectis credendum, liquorque inspiciendus, non lagena, ut Rabbi Joseph Babylonius monebat. Aug. tract. 90. in Joannem: *In his*, inquit, *tenebris rerum humanarum, hoc est cogitationum alienarum: etsi suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus: judicia tamen, id est definitas firmasq; sententias, continere debemus.* Opponenda præterea superbiæ humilitas: Quis sum? Quis esse possum? Vide D. Bern. serm. 40. in Cant. Ad extremum caritas operit *multitudinem peccatorum*, & vulnera aliena obligat, ac tegit. Abimelechus Gen. 20. quàm humaniter judicat de Abrahamo? Quantæ caritatis juvenis ille, qui moribundus dicere potuit, *Neminem judicare?* Apud Baronium anno 599. Satis ista fuerint, exsolvendo promisso nostro ad l. 1. c. ult. Exc. 1. sect. 3.

Peccata quomodò possint deleri imperfectè?

ỳ. 42. Atque ita ad preces conversi, Judæi, viso Dei judicio, *rogaverunt* ἐξαλειφθῆναι: quædam exemplaria parùm convenienter habent ἐκαύτρες, *canentes*, sive *occinentes*: *ut id, quod factum erat delictum, oblivioni traderetur*. Græcè vertitur ἐξηλείφθαι, *perfectè deleretur*. Existimabant itaque Judæi, posse delictum aliquod partim tantùm & imperfectè deleri: non parte culpæ residuâ post veniam; sed parte pœnæ vel hic luendæ, vel in altera vita. Exempla Davidis & Manassis obvia sunt, & nos alibi resolvimus.

Paterna Judæ pro animis suorum superstitum sollicitudo.

At vero fortissimus Judas, simul ac sapientissimus, eâ occasione *hortabatur populum, conservare se sine peccato*, & sub oculos ponebat exemplum justitiæ divinæ. En verè populi Patrem, cui nulla benefaciendi occasio elabitur. Studet incolumitati suorum, illi præcipuè, quæ præcipua est. Defendit illos à Syro-Macedonibus: sed magis à peccatis. Asserit in libertatem avitam: sed potissimùm in libertatem filiorum Dei. Sciebat antè Christum, quod Christus dicturus erat: Nihil prodesse universi mundi lucrum, cum animi detrimento. Utinam & Pontifices, & Duces Christianæ plebis, illud exemplum imitentur, & animis suorum magis, quàm suis ipsi corporibus, consulant.

Et pro animabus defunctorum.

ỳ. 43. Et facta collatione &c., *misit Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum*. Caritas Judæ erga suorum animas non sistit intra hujus vitæ angustos terminos, neque hæret ad limen sepulcri: ad alteram usque vitam, & ad Purgatorii carceres, extenditur. Collationem seu collectam faciendam curat, non quod solus ipse habens non impendisset; sed ut plurium caritate, ac suffragiis, efficaciùs defuncti juvarentur, quomodò hic commodè advertit Serarius.

Quæ summa collata pro defunctis?

Pro *duodecim millia drachmas*, Græcè est solùm δισχιλίας, *duo millia*, elapsâ voce μυρίας. Reponenda hæc foret, tum quia jam olim in Vulgatis *duodecim millia* legit Prosper p. 2. c. ult. de prædictionibus: tum quia duorum millium summa in tali caussâ, & collectione, non satis magna fuerit. Conficerent enim Atticarum drachmarum, de quibus hic auctor loqui videtur, millia duo, vix aureos octoginta supra centum; Hebræarum duplum: sic vulgò numerant, etsi alii paullò aliter, non longè tamen ab eo numero.

Sacrificatum pro mortuis.

Quod Latinè habemus *pro peccatis mortuorum sacrificium*, Græcè abest vox *mortuorum*, estque solùm περὶ ἁμαρτίας θυσίαν, *sacrificium pro peccata*, quale scilicet Levit. 4. & 6. describitur. Sed interpres Latinus vel olim legit in Græcis τεθνηκότων, *mortuorum*; vel quod res erat, & ipsâ sententiâ, etsi non verbis, significabatur, expressit. Manifestum est enim ex antecedentibus, & consequentibus, ea sacrificia non pro superstitum peccatis oblata; sed ut delicta mortuorum omninò expiarentur, id est pœnæ delictis debitæ: sic enim in hisce versibus nomen delicti, & peccati sumendum est, pro pœna, non pro culpa, ut sæpè alibi in Scriptura.

An tamen eleemosynæ impensa?

Credibile putat Salianus, summæ istius partem in eleemosynas & subsidia pauperum impensam, ex Danielis consilio. Sed cùm Scriptura disertè dicat, eam summam ad sacrificium utique non unum, sed plura, singulari nomine significata, destinatam: non video, cur conjiciamus aliò derivatam. Potiùs ex Machabæi pietate, commilitonum fraterna caritate, conjecero, stipem aliunde in pauperes eo nomine erogatam, forsan & jejunia eodem fine indicta: ut mortuis non oratio solùm & sacrificium subveniret, sed etiam jejunium & eleemosyna, commendatâ Tobiæ per Angelum societate.

An milites bello sacro fiant Martyres?

Milites in bello sacro mortuos quidam pro Martyribus habent: passim recenset Gulielmus Tyrius, & nos aliquid diximus ad l. 1. c. 2, Exc. 1. num. 8.

num. 8. Sed Machabæus in ea sententia fuisse non videtur. Erat enim sacrum cum Syro-Macedonibus bellum. Vult tamen orari pro istis, qui in eo ceciderê; etsi non modò *cum pietate*, sed etiam pro pietate *dormitionem acceperunt*. Existimat ergo Martyres non esse, vel illud nescit, quod post Augustinum omnes didicêre: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.*

Conjunctio resurrectionis corporum cum immortalitate animorum.

℣. 44. Nisi enim eos, qui ceciderant &c. Docerat Hagiographus in fine præcedentis versûs, Machabæum orationes pro mortuis rogâsse, de resurrectione benè & religiosè cogitantem; seu, ut Græcè est, *benè ac præclare factitantem, quod de resurrectione cogitaret*: jam hujus dicti rationem reddit: *Nisi enim*, inquit, *eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.* Quo autem pacto, inquis, constat ea illatio? Quæ corporum resurrectioni cum animarum salute, & immortalitate, connexio? Respondeo: ab Hagiographo ista connecti valdè consequenter: primùm, quia qui resurrectionem corporum negant, facilè negabunt immortalitatem animorum, eratque ævo Hagiographi uterque error Sadducæorum hæreticorum: deinde, quia rectè ex animorum immortalitate infertur corporum resurrectio, propter illorum erga hæc innatam appetentiam, rationésque alias in Excursu deducendas.

Confidebat Judas pro mortuis oratos religiosè dormisse in Domino. quæ?

℣. 45. Et quia considerabant, quia iii, mihites, *qui cum pietate*, in vera religione, *dormitionem*, mortem somno similem, unde in resurrectione evigilabitur, *acceperant*, *optimam haberent* sibi à Deo, justo remuneratore, *repositam gratiam*, χαριστήριον. Attulit Hagiographus v. 43. primam rationem, cur Machabæus pro defunctis orandum curârit: quia nempe de resurrectione, ut oportet, rectè sentiebat. Alteram jam causam adducit: quia sciebat, apud Deum non tantum esse copiosam redemptionem, sed etiam *maximam gratiam*, seu mercedem, piè morientibus destinatam. Adverte, hoc loco usurpatam locutionem, Novo Testamento frequentem, de dormitione mortis, quam etiam apud profanos invenies. Callimachus Anthol. l. 3. *Hic Saon sacrum somnum dormit; mori ne dixeris viros probos.*

Sancta ejus cogitatio.

℣. 46. Sancta ergo, et salubris, est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Aliter ista in Græcis interpunguntur, & prima versûs pars refertur ad præcedentem versum, epiphonematis instar & approbationis: hoc modo ad verbum: *Deinde inspiciens, Judas, his, qui cum pietate dormiissent pulcerrimam repositam gratiam, sancta & pia cogitatio. Quapropter pro mortuis propitiationem fecit, ut a peccato solverentur*: ob illam scilicet sanctam, & piam, de resurrectione ac repositâ piis mercede, cogitationem. Ista est Græci textûs germana sententia, quam vel aliter interpunctam legit interpres noster, vel rem ac sententiam expressit, non verba. Adverte nominatim, pro eo quod Græcè est εὐσεβὴς, *pia*, interpretem nostrum posuisse *salubris*: idcirco, opinor, quia *pietas ad omnia utilis est*, & salubriter impenditur; ea præsertim pietas, quâ sublevantur defunctorum piacula, ut Exc. sect. 6. dicetur.

Sensus communis de Purgatorio.

Superest, ut contra adversarios nostros ostendamus, quàm doià κοινὸς ἐννοίας invicem, quàm *sancta sit & pia cogitatio pro defunctis exorare*. Id in Excursu faciemus, quantum satis est ad falsitatem convincendam, firmandámque veritatem, & populi Christiani pietatem instruendam. Præmitto interim, velitationis instar, argumentum illi non absimile, quod dictionis de animæ immortalitate præmisimus. Argumentum veritatis est, aliquid omnibus videri. Atqui Gentibus omnibus jam olim visum est, videtúrque hodie, Purgatorium esse. Est igitur.

Judæorum, Turcarum, Paganorū, Hæreticorum opinio.

Orat, inquit Postellus lib. 2. de concordia, *Judæus pro defuncto, & commodat cum pauperibus Musulman*, Turca eleemosynam animabus defunctorum infundit. De Judæis rituales ipsorum indubitatè testantur: estque oratio, quæ incipit à voce *Cadis*, *Sanctus*, pro mortuis recitanda, & illis expostulatur vita, pax, consolatio. In Glossa ord. congeruntur sententiæ Rabbinorum, de Purgatorio disertè loquentium: expressissima est Rabbi Kimhi in psal. *Domine ne in furore*: *Ergo*, inquit, *intelligeret David, se hoc ob peccatum puniri: angebatur tamen usque de illo, si fortè absolutum omnino non esset, vellétque, in futuro sæculo pœna aliqua luenda, perficienda purgatione*. Apud Paganos olim pervulgatam fuisse de purgandis animabus cogitationem, vel ipsæ poëtarum fabulæ testantur: ut Platonicos, qui de illarum expiatione, & separatione à concreta materia philosophati sunt, prætermittam. Hodie Japones, & Chinenses, idololatrarum argutissimi & scientissimi, preces & donaria pro defunctis & erogant, & corrogant. Hæretici ipsi non rarò mortuis benè precantur, vovent ut illis benè sit, postulant ut ad æternam vitam resuscitentur. quod unius non ignobilis inter eos scriptoris pro præceptore suo votum est, apud Serarium hoc loco. Neque ita pridem affirmant, Trajecti ad Mosam, pro concione commendatam à Ministro quodam hæretico auditorum precibus animam viri cujuspiam Principis. Ita scilicet etiam invitis erumpit interdum apertæ veritatis confessio.

Munsteri figmentum de coronide hujus capitis.

Serarius Munsterum rectè & meritò exagitat, quòd hujus capitis coronidem; de orando pro defunctis, dicat ab audaculo quopiam assutam: eam enim in Gorionidæ historia non haberi; nusquam alibi in veteri Testamento memorari precationem pro defunctis; Judæis in more eam hodiéque non esse. Respondet Serarius, Gorionidem non omnia hujus historiæ recitâsse: non tollendum de Scriptura, quod in alio ejus loco non invenitur, alioqui tollendum admirabile *In principio erat Verbum*: Judæorum consuetudinem quotidie audiri, & spectari, ut etiam fatetur Munsterus, palinodiam cantans in Deut. cap. 14.

EXCURSUS PRIMUS

Ad cap. 12. *vers.* 44. Nisi eos, qui mortui sunt, resurrecturos sperarent, superfluum videretur orare pro mortuis.

Ex animorum immortalitate rectè colligitur Resurrectio corporum humanorum ad immortalitatem.

I. Insolita veritas solet allatrari.

DIvus Augustinus epist. 120. ad Honoratum explicans illud psal. 21. *De manu canis unicam meam.* Canem, inquit, *appellavit mundum, non ratione, sed consuetudine, contra insolitam veritatem latrantem. Haec est enim canum natura, ut eos quibus habent consuetudinem, sive illi boni sive mali sint, non ad eos latrent: insolitorum autem personis visis, etiam innocentibus, irritentur.* Veritatem resurrecturae ad immortalitatem carnis humanae, peregrinam olim, & fermè incognitam, mirum non est ab Infidelibus ante Christi adventum allatratam, veluti novum hominem à cane. Etsi enim à Judaeis passim crederetur, si quosdam Sadducaeos Epicuraeis similes excipias: nec modò post suscitatos ex mortuis tres ab Elia & Elisaeo, sed etiam antè, pro certo haberetur, ideòque maxima cura de sepulcro Patriarchae sibi providere soliti essent, vellentque corpora sua sanctorum & amicorum corporibus jungi. Etsi ab Ethnicis ipsis philosophis non ignoraretur, affirmante Platone, sanctas animas ad humana corpora redituras, apud Aug. 22. de Civit. cap. 27. Quamvis etiam vulgò apud quasdam nationes Infideles persuasum id esset: uti de Aegyptiis constat, ex condiendorum corporum & tumulandorum mirabili diligentia: & de Druidibus Gallis, populisque ad Septemtrionem sitis, canit Lucanus lib. 1.

> .—— *Regit idem spiritus artus*
> *Orbe alio: longa, canitis si cognita, vitae*
> *Mors media est. Certè populi, quos despicit Arctos,*
> *Felices errore suo, quos ille timorum*
> *Maximus haud urget leti metus. Inde ruendi*
> *In ferrum mens prona viris, animaeque capaces*
> *Mortis, & ignavum est rediturae parcere vitae.*

Etsi ergo non paucis Infidelibus resurrectio corporum inaudita, & incognita non esset; passim tamen vel nesciebatur, vel non credebatur. Itaque D. Paullo Athenis ad judices severos dicente, in urbe scientiarum & artium matre an noverca, ubi de resurrectione mentio facta est, *quidam quidem irridebant, alii verò dicebant, Audiemus te de hoc iterum.* Act. c. 17.

II. Resurrectio certa Christianis.

Gratulandum nobis est de felicitate nostra, discipulis Christi, Ecclesiae filiis: quibus veritatis istius certitudo tot argumentis demonstrata est; ut de ea non magis, quàm de Deo, dubitemus. Filius Dei immensum de caelis ad terras & humanam conditionem iter emensus est; ut istud eo doctore disceremus, qui nec falli potest, nec fallere. Filius Dei mortuus resurrexit; & indubitatis frequentibusque apparitionibus id manifestè testatus est; ut non nesciremus, ejus nos exemplo resurrecturos. Filius Dei Apostolos suos quaquaversum dimisit, ut ad eam fidem ac spem mundum universum excitarent, non persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed signis atque portentis. Credidit mundus paucis hominibus, ignobilibus, imperitis, externis, vilibus; &, ut alia credendi deessent argumenta, vel inde id credibile & credendum esse testatus est, quia sic credidit; quomodò eleganter & doctè adversus Infideles ratiocinatur Augustinus lib. 22. de Civ. c. 5. *Incredibile est, Christum resurrexisse in carne, & in caelum ascendisse cum carne. Incredibile est, mundum rem tam incredibilem credidisse. Incredibile est, homines ignobiles, infirmos, paucissimos, imperitos, rem tam incredibilem tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis, persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum nolunt isti, cum quibus agimus, credere: secundum coguntur & cernere; quod non inveniunt, quomodò sit factum, si non credunt tertium.*

III. Appetitus animae ad corpus.

Sed istis supranaturalibus omissis: ad manifestam fidei nostrae cum ratione convenientiam ostendendam, rationes duntaxat adhibeamus naturae communi non ignotas, & in medio sitas; primam ex philosophia petitam, alteram ex morali seu politica consideratione, ab experientia tertiam. Simul inter haec objectionibus respondeamus, quas stulta incredulitas sibi ipsa fingere solet. Quia verò connexa est animae immortalitas cum resurrectione corporis, altera superstruetur alteri, & quod Excursu 1. ad c. 8. sect. 2. breviter expositum est, hic breviùs repetetur. Animam nostram immortalem esse, hac philosophi ratiocinatione demonstrant. De se res nulla agere potest supra naturam suam, adeoque nec anima hominis. Atqui anima hominis de se prorsùs spiritualiter agit, ut ex operationibus intellectûs, & voluntatis, compertum est. Est ergo spiritualis, alioqui ageret supra naturam suam; quod fieri tamen non potest. Si spiritalis est, ergo & immaterialis. Si immaterialis, ergo & incorruptibilis: quia ea solum substantia corrumpitur, quae materiam habet. Si incorruptibilis est, ergo & immortalis. En ratiocinationem philosophicam,

losophicam, quâ ad immortalitatem animæ pervenitur. Eâdem ego ratiocinatione ad corporis resurrectionem usus, & immortalitatem demonstrandam: Mathematicosque, ex cognitione unâ gradum ad aliam facere solitos, imitabor. Esto igitur naturaliter perspecta immortalitas animæ: inde consequetur, per omnia quàm latè patent, æternitatis spatia, illam erga corpus suum propensam fore. Habebit enim eosdem appetitus, & qualitates naturales, quibuscum creata est. Atqui earum est una, ut corporis societatem desideret: cùm pars tantùm sit, & substantia de se non perfecta, sed ordinata ad conjunctionem cum alia, cui connexa perficitur, & totum constituit. Perfici autem res omnes desiderant. Unde ulteriùs consequitur, animam naturaliter ferri ad ejusdem corporis conjunctionem repetendam: quia ad hoc corpus hæc anima ordinata aut destinata est, si minùs intimo quodam & substantiali respectu, at conditoris saltem arbitrio: prætereàquam quòd, ipsâ cum hoc corpusculo conjunctione ac familiaritate, consuetum partis ad partem induit affectum.

IV.
Ex illo inferius resurrectio corporum.

Indicavêre naturalem istum appetitum Divi Paullus, & Joannes. Ille *Rom.* 8. cùm dicit, Creaturam ingemiscere, exspectare revelationem filiorum Dei. Hic *Apoc.* 6 cùm ait, *Vidi subter altare animas interfectorum*, quo scilicet loco corpora reposita erant, quibus animæ delectabantur. Sentimus eundem omnes, quando, quantumvis misera, moriendum est. videre præcipui philosophorum; ne illos moremur, qui animabus corpore exsolutis odium illius esse fingebant, & horrorem eò regrediendi, velut ad carcerem. Dari itaque bibendam aquam Lethæi fluminis, ut malorum præteritorum obliviscantur,

Rursus & incipiant in corpora velle reverti.

Sed aliter Plato ratiocinatus est, cùm etiam sanctis animabus dixit, redeundum esse ad corpora, ut suprà ex August. indicavimus. Aliter Epicurei & Sadducæi ratiocinati, quibus idem erat animæ immortalitatem, & corporum resurrectionem, tamquam inter se connexa, & pendentia, ob animæ & corporis conjunctionem, abnegare. Et verò stabilitâ immortalitate animæ non dispicio, quid possit ad hæc argumenta philosophicè responderi. Frustra foret indita animæ naturalis ad corpus suum propensio, æternùm duratura, si corpus resurrecturum non esset: non est frustra indita, nec aliquid à natura frustra fit: est ergo corpus resurrecturum, ut appetitus ille conquiescat. Item: Animæ, quantumvis sanctæ & heroicæ, æternùm erunt imperfectæ, si corpori, quod cum illis componitur, non rejungantur, ut totum ex partibus coalescat: sed perfectæ erunt: corporibus itaque rejungentur. Alioqui dicendum foret, ex naturæ suæ conditione, & secundùm creationis suæ statum, magis perfectas fuisse animas heroüm, vitæ brevis & miseræ spatio; quàm per omnem, quâ longissimè protenditur, beatam æternitatem futuræ sint.

V.
Eadem probatur ex sapientia Dei.

Philosophicam ratiocinationem fulciet moralis; hâc formulâ, ad bonos hominum mores accommodatissimâ. Sapiens est, potens, & justus Deus, alioqui Deus non foret. Sapiens autem potens & justus non esset, nisi anima foret immortalis. Sapientis enim & potentis non est, rei alicui imperium dare ad id, quod assequi nequit: justi non est mercedem malè ac benè factis, cùm res postulat, non reddere. Atqui si animæ hominum non sint immortales, Deus multa scelera impunita relinquet, virtutes multas indonatas prætermittet: hominis item ingentem illam ad futura se extendendi propensionem frustra, & imprudenter, ingeneravit. Itaque sapiens, potens, & justus Deus animas fecit immortales. Eodem fermè modo colligitur corporum resurrectio. Quam collectionem Exc. ad c. 15. sect. 3. n. 12. & 13. Commentariorum tomo 1. ex Tertulliano attigimus. Hic pressiùs paullò digerenda est ratiocinatio: ac de sapientia primum. Nefas est cogitare, frustra aliquid factum ab auctore naturæ: quod enim frustra fit, insipienter fit: insipienter autem aliquid fieri à Deo, quis sine horrore vel suspicetur? Atqui animæ inditus est à Deo appetitus ad corpus, ita innatus & radicatus, ut evelli non queat: frustra autem is foret æternitate universâ, si corpus redivivum non esset. Erit ergo redivivum, aut Deus opus quodpiam insipienter compegerit.

VI.
Item ex justitia.

Hoc ipsum fermè argumentum numero superiore attigimus. Ex justitia petitum aliud omninò est, nec minùs ad æstimationem moralem efficax. Iniquus judex sit, qui sociorum culpæ non punit, si potest, altero tantùm punito. Nec justè agat Princeps, si uni tantùm virtutis præmium donet, altero benefacti consorte neglecto. Hic pariter, atque illic, assuit aliquid acceptionis personarum admittetur; & Vindicativa Distributivaque justitia labis quidpiam patientur, si uterque sociorum parem sortem non sobeat. Socii hujus vitæ tempore animus, & caro, vel rectè egêre, vel peccavêre. Justúmne fuerit, animam solam vel mercede, vel supplicio, affici, carne sepositâ? At verò, inquis, nimium hîc probas. Eâdem enim formâ consequetur, corpus etiam in Purgatorii ignibus ardere cum anima debere, quando aliquid luendum piè defunctis superest. Constat autem non fieri: cùm seposito interim corpore exsangui, & nil sentiente, sola anima expietur. Respondero: aliud longè esse parvas culpas expiare transeuntibus suppliciis; aliud, magnas & inexpiabiles æternis tormentis luere. In hisce, socium pœnæ subtrahi infiniti res momenti foret, quia sempiternæ durationis: in illis socium abesse, non magni est, quia non diuturnum; prætèrquam quòd, corpus interim corrumpitur, & computrescit vitâ orbatum, quod ipsum pars pœnæ est, effectúsque peccati. Maneat itaque argumento ex justitia confecto robur suum: quod, præter alibi adductas sententias, *Tertullianus* etiam istâ intorsit libro de resurr. carnis; *Hæc erit ratio in ultimum diem destinati judicii, ut exhibitione carnis, omnis divina censura perfici possit.* Et lib. 5. con. Marc. *Non id damnatur in quo male fit, sed id quod fit. Venenum dare scelus est, calix tamen, in quo datur, reus non est. Ita corpus carnalium operum vas est: anima est autem quæ in illo venenum alicujus mali facti temperat. Quale autem, ut si anima auctrix operum carnis, merebitur Dei regnum; per expiationem eorum quæ in carne admisit, corpus ministrum solummodo in damnatione (id est morte) permaneat. Veneficio absoluto calix erit puniendus.*

VII.
Potest Deus reficere, quod fecit.

Huic argumento quid Infidelis opponat, nisi vulgare illud, ac protritum, pertinacium omnium, & incredulorum, Quomodò? Sed inanitèr omninò, atque insipienter, hæretur in modo, cùm de re constat. Certum tibi est debere corpora resurgere; ne ergo dubita modum esse, quo resurgant, etsi non nôris. Posse equidem à Deo id fieri, ambigat nemo, si quid humanum sapit. Cuivis enim notum est, non Christiano tantùm,

aut

aut Judæo, aut Mahumetano, qui unum Deum colunt, sed etiam Pagano, Deum esse omnipotentem, aut Deum non esse. Vident omnes, quod Tertullianus lib. de Resurr. carnis: *Plenius est reficere, quàm fecit; quanto plus est fecisse, quàm refecisse; materiam dedisse, quàm reddidisse.* Neque ignoratur, quod non nescivit *Aug. 22. de Civ. c. 19.* à Deo corpora restitui posse in integrum; immò sanctis reddi, quàm antè, pulcriora & absolutiora: quando non absimile quiddam cernimus ab artificibus quotidie fieri; ut statuas, nuper fusas, conflent rursus, & elegantiores refingant, materiæ parte prorsus nulli deperditâ.

VIII. *Potest immortalia facere corpora.*

Dubitationem aut tergiversationem forsan incredulis mentibus moveat, quòd immortalia corpora resurrectura sint, non extinctis mortis seminibus, id est materiâ ipsâ, caloréque & humore naturali. Sed objectioni isti occurrit *Tert. l. de Resurr. Quod vestimenta, & calceamenta filiorum Israelis, quadraginta illis annis, indetrita & inobsoleta manserunt. . . Quod Babylonis ignes tribus fratribus nec tiaras, nec sarabara, quamquam Judæis aliena, læserunt. Quod Ionas devoratus à bellua maris, in cujus alvo naufragia digerebantur, triduo post incolumis exspuitur. Quod hodie Elias & Enoch . . . æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni injuria & contumelia, immunitatem carnis ediscunt, eiuinam fidei testimonium signant, nisi, quæ credi oportet, has futuræ integritatis esse documenta.* Atqui, inquis, ex Scripturis sacris ista repetuntur: nos autem hic ex rationis solius documentis disputamus. Age igitur, & illud ipsum experire, numquid non, citra talium exemplorum usurpationem, recta ratio te doceat, divinæ id potentiæ non denegandum, cujus exemplum hominibus conceditur? Condimentis putredinem cadaverum ad longissima sæcula pollinctores Ægyptii arcuêre: nequeat Deus, perpetuo potestatis conservatricis influxu, mutationem, & mortem à redivivis corporibus æternùm prohibere? Pessimè de Deo, naturâque ac seipsis sentiant, & mereantur, qui auctoris sui potentiam ad cogitationum suarum angustias coarctent.

IX. *Potest donare dotibus spiritualibus.*

At verò, inquit incredulus, immortalia sint corpora, sed corpora sint; non mutentur in spiritum, ut Paullus ait, seminari corpus animale, surgere spirituale. Ista verò agilitas ista, & subtilitas, & impassibilitas, & lux corporum beatorum, cantatissimæ ista Christianis dotes, quid aliud sunt, quàm expers fermè materiæ omnis materia? Revolveris iterum, mi homo, ad frigidam illam interrogationem, Quomodò, de qua jam diximus quid sentiendum sit, ubi de re & facto constat. Suffecisse responsio ista debuerat: ex Tertulliano tamen auctarium accipe, qui tot jam sæculis interrogationem tuam antevênit lib. de Resurrectione. *Seritur solummodò granum, sine folli ali veste, sine fundamento spica, sine munimento aristæ, sine superbia culmi. Exsurgit autem copiâ fœneratum, compagine ædificatum, ordine structum, cultu munitum, & usquequaque vestitum . . . Serva igitur exempli, & conserva spem carnis, eamdem credens [illegible] beatitatem, quæ sit seminata, [illegible]am, etsi pleniorem; non aliam, etsi aliter revertentem. Accipiet enim & ipsa suggestum, & ornatum, qualem illi voluerit Deus superducere secundum merita.* Nondum satis [illegible] tua itane a jura est [illegible] tuæ debilitas? Adjicit alteram Tertullianus. *Quo te, si famulum tuum libertate donaveris, quia eadem caro & anima permanebunt, quæ flagellis, & [illegible], & [illegible] obnoxia retro fuerant; idcircone illa eadem pati oportebit? Non, opinor. Atquin & vestis albæ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine ac tribu, & mensa honoratur. . . Ita mutabit quidem caro etiam post resurrectionem, eateniis passibilis, quà ipsa, quà eadem [illegible]a tamen impassibilis, quà in hoc ipsum manumissa à Domino, ne amplius pati possit.*

X. *Membra [illegible] corporis [illegible].*

Submurmurat iterum Incredulitas inquieta, vix enim eloqui audeat; indecoram fore, & supervacaneam resurrectionem, si corpora integra excitabuntur, usque cum stomacho, aliisque corporis partibus, usui deinceps non futuris: quando nec species amplius propagabitur, neque individuo conservando studebitur. Huic etiam submurmurationi pridem respondère Tertullianus, atque Augustinus: ut Christum prætercam, crassis Sadducæis, de matrimonio in altera vita percunctantibus, respondentem, in futuro sæculo nuptias non fore, *Erunt enim sicut Angeli Dei.* Ille, libro sæpius recitato de resurrectione carnis, hæc habet. *[illegible] enim jam, inquiunt, spelunca haec oris, & dentium statio, & gulæ lapsus, & compitum stomachi, & alvi gurges, & intestinorum perplexa proceritas, cum esui & potui locus non erit? Quid ejusmodi membra admittunt, subigunt, devolvunt, dividunt, digerunt, egerunt? Manus ipsæ, & pedes, & operarii quoque artus? . . Ipsa, liberatâ tunc vita à necessitatibus, liberabuntur & membra ab officiis, nec ideò non erunt necessaria: licet enim ab officiis liberentur, sed judiciis retinentur, ut quis referat per corpus, prout gessit.* Hic serm. 6. de diversis habito feriâ quinta Paschæ, adductâ objectione philosophorum adversus beatorum corporum resurrectionem: *Si integra resurgent, ergo etiam cum pudendis membris, quæ generationi, vel egestioni serviunt. Etiamsi*, inquit, *tunc usus aliquorum membrorum non erit, tamen erit pulcritudo. quomodo nunc barba, & mamillæ in viris, non habent usum, habent tamen pulcritudinem. Sic credite, sic tenete, multorum membrorum ibi usum non futurum, sed decus nullius defuturum.* Ista aperte scripta, & ad plebem pronuntiata ab Augustino, referre non piget, nec dicere pudebit, ubi prudentia judicârit, auditoribus molestum nocivúmve non fore. Apud eumdem Augustinum, variis lib. 22. de Civit. capitibus, legi poterunt Infidelium vanæ de Resurrectionis integritate quæstiones, cum solidis responsis: quid abortivis corporibus fiet, quid parvis, quid nimis procerιs, quid obesis, unde illorum materia supplebitur, quæ horum tolletur, si in eodem corpore sumus resurrecturi? Isthæc animali imaginationi difficultatis aliquid offerunt, sed humanæ rationi nihil. Scit enim Deo idem esse, quod non est, & quod est: tamque ab illo facilè restitui, multiplicari, extendi, in nihilum redigi, quamlibet materiam, atque ex nihilo ficta & producta est.

XI. *Experientia probat resurrectionem.*

Sed [illegible] clusis incredulorum importunis & inanibus quæstiunculis, [illegible] tertiam ab experientia probationem resurrectionis videamus. Animæ immortalitas historiis variis stabiliri solet. Duas ego imprimis [illegible] legerim. Prima est, quam Baronius ad annum Christi 412. de Evagrio philosopho: altera de Michaele Mercati [illegible] & Marsilio Ficino: [illegible] utraque Excursu [illegible] cap. 8. [illegible] Quot autem [illegible] historiæ, ad mortuorum [illegible] probandam, suppetunt? Sacris [illegible] non aliam nunc fidem habeamus, quandoquidem ex

solâ

solâ ratione pergimus agere, quàm historiæ profanæ viri sapientes habenda est. Narrantur in Regum libris suscitati pueri duo: paullò pòst, excitatum è tumulo cadaver ad contactum alterius. Res nota plurimis: videre diu redivivi, visi sunt, testimonium resurrectionis passim circumtulère. In Evangelio, clarâ luce puella, cui jam exequiæ parabantur, de morte velut è somno evigilat: adolescens, in ipsa exequiarum pompa, de feretro exsurgit: Juvenis, quatriduo mortuus, inspectante multitudine prodit in mortualibus linteis: Christus tertiâ die erumpit è sepulcro, auditur, videtur, palpatur sæpius, etiam ab incredulis. Narrant ista viri boni, sanctis summo studio veritatem, fructu mendacii nullo.

XII. Alia ad eandem rem sumuntur historiæ.

Si ad posteriores narrationes digrediamur, innumeri occurrent ad vitam revocati Divorum precibus. Tabitham omitto à D. Petro, adolescentem Eutychum à D. Paullo, excitatos. Historias Ecclesiæ perstringamus. Mortuos octo supra triginta, post mortem D. Vincentii Ferrerii, ad ejus invocationem revixisse, scribit D. Antoninus apud Spond. an. 1419. vir utique talis, cui nec consilium mentiri, neque honorificum, neque utile, nec facile, cùm facillimè posset de falsitate convinci, scribens res ævi sui, sub oculos positas. Quid jam alia remotiora accersam resurrectionis monumenta, ex D. Hiacynthi, Xaverii, aliorumque gestis, ubi animæ, supra viginti, in corpora revocatæ ab utroque memorantur. Quid quod innumeri vidère apud nos de D. Christina? Unus pro omnibus fuerit D. Augustinus, tanti vir nominis, prudentiæ, sanctimoniæ, auctoritatis; sex mortuos suscitatos testatus lib. 22. de Civit. c. 8. in matres in civitate sua, non toto, antequam ista scriberet, biennio. Isthæc ego quidem non vidi, inquit pertinaciter quispiam. At diem vidisti renascentem, annum resurgentem, flores redivivos, repullulantia arbusta. *Lux quotidie interfecta resplendet, semina nonnisi corrupta & dissoluta fecundius surgunt, omnia pereundo servantur, omnia de interitu reformantur.* Ista in Apologetico, & fusius libro de Resurrectione, Tertullianus incredulitati impingit, ut aliquando tandem non fidei tantùm, sed rationis etiam sermone victa, conticescat.

XIII. Animus, & solamen, ex ea veritate.

Fidelibus id solum commemorasse sufficiat, quod Tertullianus in sui de Resurrectione tractatûs capite posuit: *Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum.* Vide lib. 1. ad cap. 13. Excurs. sect. 3. num. 14. ubi ea de fiducia dictum. Quibus adjice totum Augustini sermonem 120. de diversis, librúmve de resurrectione; est enim libri instar. En tibi ex eo unicam pro specimine sententiam: *Et quia ignavus frumentum seminarum plangeret, quasi perditum, diceretur ipsi, expecta messem: ita & de corporibus nostris loquendum. Solent videri per annos singulos messes, generis autem humani una ultima in fine sæculi messis assurget.* Messi comparat resurrectionem Augustinus; veri Minutius in Octavio: *Vide adeò, quàm in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergit, & nascitur: astra labuntur, & redeunt: flores occidunt, & reviviscunt: post senium arbusta frondescunt: semina nonnisi corrupta revirescunt. Ita corpus in sæculo, ut arbores in hiberno, occultant virorem ariditate mentitâ. Quid festinas, ut cruda adhuc hyeme reviviscat, & redeat? Expectandum nobis etiam corporis ver est.* D. Paullus Philemoni scribit, ab eo discessisse Onesimum ad horam, *ut æternùm illum reciperet.* Idem nobis cogitandum à Paullo commendatur, de corpore nostro, de parentibus, de amicis: ut non contristemur, sicut & cæteri qui spem non habent. Ne tamen spes illa futilis, & arenæ innixa sit; sic mortalem vitam instituamus, ut beatè æternùm vivere mereamur. Cadaverosa anima per peccatum non fiat: aut si cadaver fuit, per pœnitentiam exsurgat. Hæc prima resurrectio est, de qua Aug. l. 20. de Civ. c. 6. *Resurgat in prima, qui non vult in secunda resurrectione damnari.*

EXCURSUS SECUNDUS

Ad cap. 12. *v.* 46. Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.

De Purgatorio.

SECTIO PRIMA.

Probatur esse purgatorium locum in alterâ vita, pro animabus hic non perpurgatis.

I. Quod de Purgatorio blaterent hæretici quidam.

Ubicrae, imò sacrilegas & blasphemas voces, in pulpitis ac libris, de Purgatorio, seu, ut Lutherus deridiculò appellare solebat, Punitorio, jactatas per Lutherum, Zuinglium, Calvinum, & asseclarum aliquos, recensere difficile est. Centies iterarunt, Ignem illos alibi non ardere, quàm in coquina Summi Pontificis, ac sacerdotum. Inde fumare adscialia prandia, & cœnas augurialibus meliores: æstuare cibis præcordia, fumare potu cerebella: sine illis Missarum solennia destitui, Officiorum sacerdotalium clamores quiescere, Monasteriorum fundamenta subrui. Ista de triviis priscorum hæreticorum arrepta, in nos hodieque jaculantur digna majoribus suis progenies, Albigensibus, Valdensibus, Petrobrusianis: quibus Purgatorium vocari solitum, penu Ecclesiasticorum, & horreum Clericorum: quibus oblatio pro defunctis dicebatur, sacrificium Deo Mammonæ, seu Pluto, à sacerdotibus, ut inquiebant, adorato.

Præterea

Praiverat praeclari dux agminis Aerius, à multis retro saeculis; qui ex faece Arianae colluviei, ausus & ipse aliquid, ut haeresiarcha fieret, ad Arii errores & hunc addiderat; defunctis nil prodesse, quidquid in eorum gratiam à vivis fieret. Idcirco à Divis Epiphanio & Augustino inter haeresiarchas accensetur: ut vel inde praejudicium causae Catholicae, ac veritatis, adversus hodiernos haereticos habeamus, tanto abhinc tempore in Aërio praedamnatos.

II. *Primum haereticorum argumentum eluditur.*

Etsi id nobis ad eorum damnationem sufficiebat, demus tamen aliquid amplius defensioni veritatis: ac primum videamus, quo potissimùm argumentó ab illa discessionem fecerint. Rationibus deinde tribus invictis Catholicam sententiam fulciemus. Praestitêre id ante me multi: non tamen ideo celeberrimum hunc Scripturae locum intactum praeterire debui. Mutuabor quaedam ab aliis: de meo addam nonnihil; & praeterea ordinatum aliquid ad sermones populares subministrabo. Tria omnino argumenta ab ipsis exaggerata invénio. Atrica primarium, & machina muralis, ex tribus verissimis propositionibus compingitur, sed cum conclusione pessimè coagmentatum. Misericordia Dei maxima est: operum nostrorum plurimi sunt defectus, & imperfectum nostrum ubique fermè viderunt oculi divini: Christus plenissimè pro hominum omnium peccatis satisfecit. Certissima isthaec. Sed quid inde infertis? Ergo Purgatorium non est. Quia scilicet Deus misericors, & opera nostra imperfecta, & Christus satisfecit? Eadem formâ confecissetis, infernum non esse, & miseris peccatoribus metum tandem omnem excussissetis. Quorsum enim ardeant inferi, si Deus misericors; si opera nostra non possunt non esse mala; si Christus pretium dependit pro omnibus, non electis modò quod fatemini, sed rejectis etiam quod fateri vos oportet? En quò ipsos ducat argumentatio: cui directò respondeo: Qui misericors, idem & justus: Opera nostra imperfecta sunt, meriti tamen habent aliquid nonnulla, alioqui Paullus non expectâsset coronam justitiae: Satisfecit Christus, medicamentum salutare composuit, sed applicetur aegris necesse est; hinc Sacramenta instituta, orationes mutuae, castigationes corporis, ne reprobi efficiamur. Si istis fidem non habent, abrogent Divis Paullo, Petro, Jacobo, Christo ipsi, qui operum bonorum necessitatem affirmavêre, & nobis tradidêre. Sed haec disputatio alterius loci est.

III. *Medius locus non est post diem judicii.*

Alterum ipsorum argumentum hujus controversiae proprium est; in Scriptura duorum omninò statuum alterius vitae mentionem fieri. Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui non crediderit, condemnabitur.* Clariùs Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium aeternum: justi autem in vitam aeternam.* En beatam in caelo mansionem, pro justis; infelices inferorum carceres, pro improbis: quid inter illa medium est, ubi animae excoquantur, & expurgentur? Nec nobis umquam, nec sano ulli judicii in mentem venire potuit, post judicii diem, quo de tempore Christum in ea parabola loqui manifestum est, tertium esse aliquem locum, tormentis transitoriis destinatum. Aeterna tunc erunt & gaudia, & supplicia, duaeque omninò civitates, visio pacis Jerusalem caelestis; & Babylon damnatorum, ad quam etiam pertinebunt parvuli sine originalis peccati remedio mortui, & in damnatione omnium levissimâ, damnatione tamen, futuri.

IV. *Ne propterea quidem non baptizatis.*

De hac parvulorum caussâ explicari debet sententia Auctoris hypognosticon, sive Augustinus, seu quis alius est, lib. 5. sub finem ita loquentis: *Primum locum fides Catholicorum divinâ auctoritate credit esse regnum caelorum... Secundum gehennam... Tertium penitus ignoramus, immò neque esse in Scripturis sanctis penitus invenimus.* Ubi ineptè Erasmus ad marginem apposuit, *Purgatorium*, quasi indicaos hac auctoris istius sententiâ explodi. Sed legere debuerat sequentia, & vidisset, non de Purgatorio esse quaestionem, verùm de medio aliquo beatitudinis aeternae loco, quem Pelagiani fingebant parvulis non baptizatis separatum. *Finge*, inquit, *Pelagiane locum ex officina perversi dogmatis tui, ubi alieni a Christi gratia vitam requiem, & gloriam, possidere parvuli possint.* Sic etiam exponendum, quod Augustinus dicit lib. 1. de pecc. meritis & remiss. cap. 28. *Ipse Dominus volens auferre de cordibus male credentium istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere; ut quasi merito innocentiae sint in vita aeterna, sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno ejus; definitivam protulit, ad haec ora obstruenda sententiam, ubi ait: Qui mecum non est, adversum me est.*

V. *Media loca ante judicii diem.*

Medius igitur locus non est post Judicii diem, ne pro parvulis quidem non baptizatis. Nec Theologia facilè patietur Catharini & Pighii, doctorum licèt virorum, sententias, de parvulis tunc vacuam terrae spatium innoxiè occupaturis. At ante diem extremum media quaedam loca agnoscamus, necesse est. Quid enim sibi vult sinus ille Abrahae, in quem Lazarus defertur Luc. 16. in divitis Epulonis sive historia, sive parabola? Dicantne adversarii nostri, eam fuisse beatitudinem aeternam, quâ potirentur animae justorum, antequam primogenitus mortuorum resurgeret à mortuis, & educeret, in sanguine testamenti, vinctos de lacu, in quo non erat aqua? Ne Calvinus quidem ipse hoc ferat, qui, in Psychopannychia, non vult mirari quemquam, si carcere includuntur Patres qui redemptionem Christi exspectabant. Jam quo loco erat filius viduae Sareptanae, Sunamitidis, Naimitidis, filia Jairi, Lazarus, Tabitha, Eutychus; priusquam ab Elia, Elisaeo, Christo, Petro, Paullo suscitarentur: ut alios plurimos praeteream ad vitam revocatos in Ecclesiasticis historiis? Ausintne sibi fingere, animas eorum fuisse in inferno, ubi nulla est redemptio? Dicántne, de beatitudinis aeternae possessione deturbatas, & repulsas ad miseram vitam, tristi & poenitendo beneficio? Medium itaque statum astruere oportet, in quo animae illae penderent, donec in corpora sua reducerentur: quem quocumque tandem nomine appellare voluerint, elisa est vis omnis plumbei illius argumenti.

VI. *Non omnes justi statim ab obitu beati.*

Ejusdem metalli est ratiocinatio deducta ex Luc. 23. ubi Christus dicit latroni, *Hodie mecum eris in paradiso.* & ex illis Paulli verbis ad Phil. 1. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Audis', inquiunt, à Paullo societatem beatam Christi cum morte conjungi, purgatorii mentione nulla? Ergo justorum animae statim à morte admittuntur in caelum. Et ne quis excipiat, Paulli praerogativam eam fuisse qui, castigando corpore & in servitutem redigendo, eò venerit, ut non solùm optata auderet certam ac securam felicitatem, sed etiam mereretur, quid de latrone dicamus, digna facto recipiente? An & ille eamdem Paullo praerogativam sperare potuit, & mereri tantillo spatio,

spatio, post vitam omnem per latrocinia & homicidia exactam? Planè, & sperare potuit, ex misericordissima Christi patientiæ liberalitate; & mereri, intensis caritatis actibus & conformitatis cum divina voluntate, elicitis per illius gratiam, quicum lubens & volens, ad expianda peccata sua, patiebatur. Concessa illi fuerit ista prærogativa, concessa Paullo, concessa aliis nonnullis, qui ante mortem culpas omnes & pœnas exsolverant: an idcircò omnibus conceditur? Quænam, quæso, ea Logica est, ut ex propositione particulari inferatur universalis? Pepercit Jerichuntinæ Rahab miles Hebræus, ergo Jerichuntinis omnibus. Gabaonitis Josue servavit, ergo Palæstinos omnes. Jebusæo Hornan vita condonata est a Davyde, ergo Jebusæis & alienigenis omnibus. Bonus latro, & Paullus, aliique sanctiores, statim ab obitu beati fuêre: ergo omnibus justis id contingit. Quis puerorum dialecticorum non rideat id consequentiæ ludibrium?

VII. Scriptura indicat Purgatorium.

Imò ex ipsis boni latronis verbis 'cons licet colligere, in alterâ vitâ purgationi delictorum locum superesse. Ut quid enim, si id non credebat, dixit Christo brevi morituro, & ipse mox moriturus: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum*. Idem nobis indicatum voluit Christus his verbis Luc. 12. *Cùm autem vadis cum adversario tuo, &c. & exactor tradat te in carcerem. Dico tibi non exies inde, donec novissimum minutum reddas.* Uti factum debitori illi Evangelico Matt. 18. qui missus fuit in carcerem, *donec redderet debitum*. Atqui apud inferos debitum exsolvi non potest: æterna est culpa, æterna & ejus exsolutio. Necesse est itaque locum alium esse, ubi debita exsolvi possint ad novissimum usque minutum: locum autem istum quomodocumque appellare placuerit, purgatorium tamen intelligere oportet. Congeruntur & aliæ sententiæ ex Scriptura Mat. 12. *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Sunt ergo peccata, quæ in altera vita condonantur, & expurgantur, uti colligit Aug. 21. de Civ. cap. 24. Et frustra sese torquent adversarii, Beza imprimis, ut hoc telum effugiant. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt?* inquit D. Paullus 1. Cor 15. v. 9. Ubi baptismus pro mortuis, apud doctissimos interpretes, est voluntaria corporis afflictatio, ultro suscepta pro solatio defunctorum. Quo sensu Christus ipse sumit nomen baptismi Mar. 10. & Luc. 12. *Potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari. Baptismo habeo baptizari.* Idem Paullus 1. Cor. 3. *Uniuscujusque*, inquit, *opus quale sit, ignis probabit. Ipse autem salvus erit, sic quasi per ignem.* Quem locum passim Patres de Purgatorii igne, reliquiarum peccatorum emundatoro, interpretantur. Unum pro omnibus produco Gregorium, & in Gregorio Augustinum, in ps. 1. pœnit. v. 1. *Quia post mortem ignem alii æternum deputantur supplicium, alii ad vitam per ignem transeunt purgationis; fidelis anima non solùm furorem timet, sed etiam iram exhorret: teste B. Augustino* (in eumdem versum) *Hi omnes qui non posuerunt sibi fundamentum Christum, in furore arguuntur; quia æterno igne cruciantur. Qui autem eidem fundamento superposuerint lignum, fœnum, stipulam, in ira corripiuntur, quia igne purgati ad beatitudinis requiem reducentur.*

VIII. Culpæ expiandæ in altera vita.

Sed quia ea est adversariorum nostrorum modestia, ut in explicatione Scripturarum sensum ipsi seorsum, non modò Patrum sententiæ, sed etiam Ecclesiæ totius interpretationi præponant: auctoritati sacrarum Literarum, rationem addamus fide illuminatam, & prorsus invictam, si verum fateri velint, neque erroribus alios atque alios novum cumulent. Accidit frequenter, ut justus aliquis, vel ex morbi impatientiâ, vel ex causis aliis, veniale peccatum in ipso ferè mortis momento contrahat; adeóque spatium non habeat pœnitendi, neque, ut ipsi loquuntur, apprehensâ per fidem justitiâ Christi peccatum commissum tegendi, velut fœdum ulcus palearâ lacinâ. Fit etiam non rarò, ut justus, morte subitâ occupatus, venialia antè patrata non expiârit. Quemnam in locum ille iturus est? Ad inferosne damnabitur ob levem noxam? Apage insanos illos, qui peccata omnia paria faciunt, & a misericordi Deo volunt æternâ pœnâ torqueri etiam minimas culpas. Carnificina illa fit, non judicium. An ad cælos admittent non expiatum? Clementius quidem hoc, non verum tamen. Jam olim enim præscriptum est: *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cælorum, Apoc. 21.* Mundo prorsùs corde sint necesse est, qui Deum videant. Ad cælos itaque non admittetur: ad inferos non deturbabitur. Quid superest, nisi ut in Purgatorio maculam illam excoquat? Frustra hic Ægyptius frater effugium quærat in Hierosolymitanarum quorumdam lectionis, undique exitum præcludente veritate.

IX. Pœna exsolvenda.

Accedit, plerisque justorum, etsi culpæ non supersint, pœnæ tamen aliquid luendum restare; tum ob venialia peccata, nuper commissa; tum ob mortalia fortè olim patrata. Quemadmodùm à Rege supplicium extremum reo condonari potest, inductâ tamen, ad satisfaciendum justitiæ, pœnâ carceris, exilii, aut aliâ cujusmodi leviore. Absaloni David condonat fratricidium; ab aula tamen & conspectu suo jubet abstinere. Ita Deus Adamo, Evæ, Israelitis murmurantibus, Mariæ Mosis sorori, Mosi ipsi, Aaroni, Davidi, Manassi veniam dedit peccatorum, reservatâ tamen in posterum pœnâ: quam Adamus & Eva longæ vitæ doloribus, Israelitæ quadraginta annorum itinere & morte properatâ, Maria probroso lepræ morbo, Moses & Aaron morte extra terram promissam, David rebellione filii ac peste, Manasses denuntiato patriæ post mortem suam excidio exsolverunt. Persoluturi sine dubio in altera vita, si hic non satisfecissent. Justitiæ alioqui divinæ æqualitas non servaretur. Hinc monuit Augustinus in ps. 44. ad illa verba, *Dilexisti justitiam: Differt Deus mentem à peccatis tuis, tu noli differre: converte te ad puniendа peccata tua, quia impunita esse non possunt: puniendum ergo erit, aut à te, aut ab ipso.* Similia habet in ps. 50. *Ecce enim veritatem dilexisti. Non, Domine, non erit impunitum peccatum meum. Novi justitiam ejus, cujus quæro misericordiam. Non impunitum erit: sed ideò nolo, ut me punias, quia ego peccatum meum punio: ideò peto, ut ignoscas, quia ego agnosco.* Vide dicta Exc. 2. ad l. 1. cap. 4 sect. 2. num. 4.

X. Oratur pro defunctis.

Argumento isti nihil est, quod adversarii nostri ullâ, vel tenuissimâ, verisimilitudine possint opponere. Posse tamen faciamus: sed tertio, si quid adhuc sapiunt, cedere oportebit. Oratur in Ecclesia Catholica, oratúmque fuit semper, pro defunctis: orari autem non potest pro damnatis; non debet pro Beatis, ne ipsis fiat injuria, quia crederentur se aliquâ indigere, adeóque non esse Beati. Locum igitur quempiam tertium esse oportebit, ubi sint qui precibus egeant, &

juvari possunt: quem nos locum Purgatorium dicimus. Orationi priscis Ecclesiæ sæculis pro solatio defunctorum, ne Calvinus quidem negavero, lib. 3. Inst. cap. 5. Si inficiari ausit, occlament illius temporum omnium Christianorum voces, à scriptoribus nostris non paucis collectæ, & in ordinem digestæ. Aliquot hic Patres testes dabimus: alios item dabimus sectione sequenti, qui de incorruptorum sæculorum consuetudine certissimam fidem faciant. Paullinum nemo non suspicit. Is epistolâ ad Delphinum 19. fratris sui demortui animam ejus precibus commendans: *ut illius*, inquit, *animam, vel de minimo familiaritatis tuæ digito distillans; refrigerii gutta respergat.* Idem epist. 33. ad Alethium narrat, quid hic conjugi demptitur persolverit: quomodò pro ejus anima orationes pauperum, prandio illis apparato, mendicâris: *Sua enim cuique parte debita persolvisti, lacrymas corpori fundens, eleemosynas animæ infundens. Patronos animarum nostrarum pauperes, qui stipem totâ Româ meritant, in aulam Apostoli congregâsti.* Ambrosii locus illustris est, oratione de obitu Theodosii, ubi isthæc præcipuè verba expendenda: *Quadragesimum celebramus, assistente sacris altaribus Honorio principe. . Dilexi virum ... & præsumo de Domino, quòd suscipiat vocem orationis meæ, quâ prosequor animam piam. Da requiem perfectam servo tuo Theodosio . . Prosequor eum usquead regionem vivorum, nec deseram, donec precibus & fletu inducam, quò merita vocant.*

XI. Semper factum id in Ecclesia Dei.

Antecessit Paullinum, & Ambrosium, Arnobius fermè sæculo toto. Libro 4. contra Gentes, hæc habet: *Nostra scripta cur ignibus meruerunt dari? Cur immaniter conventicula dirui? in quibus summus oratur Deus, pax cunctis & venia postulatur, Regibus, familiaribus, minoribus, adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum vinctione?* Tertulliano magistro didicisse potuit Arnobius: ille enim lib. de Monogamia, viduam describens mariti memorem, & amantem: *Pro anima*, inquit, *ejus orat, & refrigerium interim adpostulat ei, ... & offert annuis diebus dormitionis ejus.* Antetiores Tertulliano Dionysium Areopag. si tamen ipse est, & Clementem Petri discipulum prætereo; hunc epistolâ 1. dicentem à D. Petro commendatam orationem pro mortuis: illum, à sacerdote in funeribus orari, ut Deus animam defuncti in lucis ac pacis regione constituat. De Synagogæ ante Ecclesiam consuetudine, indubitatum hinc testimonium est. Frustra enim Ægyptii pugnent, in sacrarum Literarum censu libros Machabæorum non habendos. Haberi pro sacris debere, in utrisque libri prolegomenis abundè probavimus, nisi pertinax privati spiritûs vertigo obsistat. Obfirmet tamen sese quantumlibet; & pro Scripturæ divinæ narrationem istam, cui Excursum hunc damus, non agnoscat: concedet tamen illi, si quid communis sensûs habet, auctoritatem communis historiæ. Constabit itaque, Machabæorum ævi, ex ejus ævi suppare historico, sanctissimos quosque Judæorum, Hassidæos, Essenos, Pharisæos, pro defunctis orâsse, obtulisse, sacrificâsse, adeoque de Purgatorio non dubitâsse. Et hinc patet calumnia impudens Calvini, qui ab imitatione Gentilium ait, in Ecclesiam manâsse illa pro defunctis officia. Lossii item mendacium, eorum originem referentis ad Gregorii Pontificis spectra, & terriculamenta. At nos, obstrepente quantumvis falsitate, conficiamus cum Aug. c. 1. & c. 4. pro mortuis, *ex Machabæorum libris & universa Ecclesiæ auctoritate ... Non esse prætermittendas supplicationes pro spiritibus mortuorum: quas faciendas pro omnibus, in Christiana & Catholica societate defunctis, suscepit Ecclesia.*

SECTIO SECUNDA.

Sacrificia, & oblationes pro defunctis.

I. Adversarii quàm ineptè Missam impugnant.

Ut probemus sacrificari in Ecclesia pro defunctis, præstruendum erit, primò, in Ecclesia esse sacrificium; deinde, sacrificium istud esse propitiatorium; unde consequetur, etiam pro defunctis illo Deum propitiari. Quatuor sunt, quæ adversarii in adorando Missæ sacrificio impugnare conantur. Enimvero conantur: reipsa enim non impugnant, aut vulnerant: quia *sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmata sunt contra eos linguæ eorum.* Primum est ipsum Missæ nomen: quod posteaquam eâdem prorsus, quâ nobis, significatione usurpatum legerunt Latinorum Patrum gravissimis, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, aliisque; pudet ipsos tam ridiculam de nomine movisse quæstionem. Alterum, quod admordent, sunt cæremoniæ, in Missis adhiberi solitæ: sed earum majestas, sanctitas, significatio, tam sæpè probata est, ut frustra sit de illis disserere: præsertim, cùm Lutheri præcursor Erasmus Roterodamus, libro de amabili Ecclesiæ concordia, asserat; non videre se, cur Missa adeò execranda sit, quando in ea nihil, quàm sanctum ac pium, spectetur & audiatur.

II. Est sacrificium.

Tertium, in quod vehementiùs invehuntur, est sacrificii appellatio. Tenere hic calamum Calvinus non potest, totus effervescit, & in fermento est: nihil ipsi bilis sua suggerit, nisi detestationes, sacrilegia, blasphemias, Crucis opprobria, Passionis & sanguinis Christi dedecus, idololatriam, horrendam impietatem. Ita sacrilegus ille 4. Inst. c. 18. licèt, siquidem aliquid tunc boni meminerat, non nesciret, à se pessumdatas nostrum Scripturam Dei, Traditionem Ecclesiæ universæ, Conciliorum auctoritatem. Nicænum Concilium admittunt, neque inficiari audent hæc verba ab illo esse, ἀμνὸν ἀναιμάκτως θυόμενον, *Agnum incruentè immolatum*: en immolationem, id est sacrificium, à Nicæno Concilio agnitum, & ipsum quidem incruentum. Nusquam autem, nisi in Missa, dici potest Agnus Dei incruentè immolari. Sumpsisse videntur eum loquendi modum Patres à D. Andrea Apostolo, paullò ante mortem magnificè professo, *à sese quotidie immolari Agnum, qui postquam a populo manducatus est, integer perseverat, & vivit.*

III. Indicatur frequentia Patrum.

Eâdem formulâ usi Patres omnes, qui liturgias scripsêre: passim illic videre est, vocem Victimæ, Hostiæ, Immolationis, Incruenti sacrificii. Ista hic non infercio, quæ alibi apud varios occurrent. Nec Gregorium Magnum adduco libro 4. Dialogorum in fine, dicentem, *in ipsa immolationis hora*, ad sacerdotis vocem cælos aperiri, Christum adesse, &c. Neque Hieronymum ep. ad Marcellam, ubi ait, *Mysterium Christianum in Salvatoris corpore & sanguine dedicatum.* Neque Ambrosium epist. ad sororem, & alibi ad Theodosium, ubi *altare, Missam, sacrificium, oblationem sacrificii, sacerdotale munus*, legere est. Neque Augustinum lib. 10. de Civ. cap. 20. dicentem esse *quotidianum Ecclesiæ sacrificium: Hujus summa*

summo vero, sacrificio cuncta sacrificia falsa cessisse. Loqui mox Augustinus poterit, loqui postmodùm & alii. Jam Scripturæ tantisper dent locum; neque ipsi tamen extendendæ, sed indicandæ duntaxat.

IV. Ex Scriptura.

Malachiæ 1. prædicitur fore, ut offeratur *in omni loco nomini divino oblatio munda*: divinent Ægyptii fratres, ecquænam illa sit, si sacrificium nostrum Christianum non est; ubi, quomodò Hebræi ipsi explicant, panis extollitur super capita sacerdotum. Interroganti Samaritanæ, quo loco adorandum, id est sacrificandum, sit; respondet Christus, ubique deinceps adoraturos iri, sive homines Deo litaturos: quonam autem sacrificio perlitatur, nisi Christiano? Paullus 1. ad Corinthios monet, participes ipsos esse non posse *mensæ Domini & idolorum*: igitur, quomodò idola victimas habent, ita Dominus hostiam suam, utique non aliam, quàm quæ in Missa immolatur. In sacra cœna instituenda Luc. 22. Christus dicit, Corpus suum dari διδόμενον in præsenti, calicem effundi τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *pro vobis*: sacrificium itaque tunc Christus offerebat, cùm saluti hominum id faceret, & propitiando Numini, quod unum est de sacrificii effectis. Jussit Christus *hoc* ipsum ab Apostolis fieri: Apostoli itaque, quemadmodum Christus, & ipsummet quod Christus sacerdos in æternum, sacrificium obtulerunt, eodémque fine ac fructu.

V. Est sacrificium propitiatorium.

Jam hinc Missam non sacrificium esse solummodò, sed propitiatorium etiam, consecimus. Idem ipsum possemus ratiocinatione firmare, ex D. Augustino deducta lib. 17. de Civit. cap. 20. ubi sapientiæ convivium, mensámque, ac vinum in Salomonis Proverbiis, Eucharistiæ accommodatâ sententiâ aptat, aliaque ejusmodi verba in Ecclesiaste. *Quid*, inquit, *credibilius dicit intelligitur, quàm quod ad participationem hujus mensæ pertinet, quam & sacerdos ipse mediator Testamenti novi exhibet, secundùm ordinem Melchisedech, de corpore & sanguine suo? Id enim sacrificium successit omnibus sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri. Propter quod etiam vocem illam ejusdem mediatoris, per prophetam loquentis, agnoscimus: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Quia pro omnibus illis sacrificiis, & oblationibus, corpus ejus offertur, & participantibus ministratur.* Asserit evidentissimè Augustinus, sacrificium Christianis esse; non aliud quàm corporis & sanguinis Domini, quod offertur & participatur: idque sacrificium successisse omnibus veteris Testamenti. Atqui in veteri Testamento erant hostiæ Holocaustorum, Pacificorum, Pro peccato. Consequitur itaque sacrificium Missæ, non holocaustum modò esse ad divinam majestatem adorandam, sed etiam Impetratorium, & Propitiatorium.

VI. Ecclesiæ usus perpetuus.

Atque ita ab omni memoria, & ab ipsis usque Apostolicis temporibus, in Ecclesia, nunquam interruptâ lege faciendi quod Christus fecerat, observatum est. Testes sunt antiquissimæ Apostolorum liturgiæ: D. Matthæi, ubi orat, *ut sacrificium suum pro suis, & aliorum peccatis, sit redemptio*. D. Petri, ubi *ait offerri pro Ecclesia Catholica panem vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ*: D. Jacobi itidem, citata in Concilio sexto œcumenico, ubi rogat, *ut Deus respiciat nostrum rationabile obsequium, sicut Abelis dona, Samuelis pacifica, Davidis pœnitentiam*, &c. D. Marci, ubi Deum obsecrat, *ut rationabilis & incruenta*

λατρεία adoratio, seu sacrificium, sit in remissionem peccatorum suorum, & totius populi. Eâdem sententiâ Ambrosius in psal. 38. *Vidimus principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus & audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum. Sequamur, ut possumus, sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio: quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur: immò ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium quod offertur.* Quibus verbis ita, quæ ad nostras cum hæreticis disputationes faciunt, complexus est Ambrosius, ut arma nobis adversus illos ministrasse voluisse videatur. Nec minùs apertè Hieronymus in cap. 1. epist. ad Titum: *Si laicis imperatur, ut propter orationem abstineant se ab uxorum coitu: quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est hostias?* Effectum propitiationis, qui videre volet, legat August. lib. 22. de Civit. cap. 8. ubi de domo Hesperii narrat, quæ malignorum spirituum vim noxiam perpetiebatur: *Perrexit unus Presbyter, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessavit.*

VII. Est propitiatorium pro defunctis.

Diu forsan nimis in illa de sacrificio generali disputatione hæremus. Quid enim de defunctis? Quid de propitiando pro illis Deo, per istius sacrificii oblationem? En tibi ex clarissimis Patrum sententiis probationes tam manifestas, ut qui illas non videant, noctuæ sint necesse sit, cum in Sole ipso cæcutiunt. Cyrillus Hierosolym. vixit aureo Doctorum Ecclesiæ sæculo, ætate filiorum Constantini, celeberrimâ doctrinæ, sanctitatisque, & certissimæ fidei famâ. Is catechesi 5. mystagogicâ: *Deum*, inquit, *benignissimum oramus, ut super illa proposita sanctum Spiritum emittat: ut panem quidem faciat corpus Christi, vinum verò sanguinem Christi. Omnino enim, quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur, & transmutatur. Deinde verò postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum, pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, pro afflictis, & in summa pro iis omnibus, qui egent auxilio. Rogamus te, inquam, nos omnes, & hoc sacrificium tibi offerimus, ut meminerimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt: primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum, & deprecationibus, suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis sanctis Patribus, & Episcopis: & generatim pro omnibus oramus, qui inter nos vitâ functi sunt; maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio, sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificii.* Quæ verba postrema sic sunt Græcè: καὶ πάντων ἁπλῶς τῶν ἐν ἡμῖν προκεκοιμημένων, μέγιστην ὄνησιν πιστεύοντες ἔσεσθαι ταῖς ψυχαῖς, ὑπὲρ ὧν ἡ δέησις ἀναφέρεται τῆς ἁγίας καὶ φρικωδεστάτης προκειμένης θυσίας.

VIII. Aperitur Cyrilli sententia super illa quæstione.

Quamvis verba illa tam clara sint, ut de sententia dubitari non possit: ne tamen quis cavilletur, addamus sequentia: *Scio multos esse, qui dicant: ecquidnam prodest animæ, quæ in peccato decessit, si in isto sacrificio commemoretur? Et quidnam? Miserit Rex in exilium quempiam, a quo offensus sit, deinde, amici exulis diadema facientes nectant, & Regi delinendo offerant: nonne in ipsorum gratiam aliquid remittet de pœna exilii? Ita nos, offerentes*

orationibus ad solatium defunctorum, quamvis peccatorum, non coronam texemus, sed JESUM Christum pro peccatis nostris immolatum offerimus, ut clementissimum Dominum ipsis, & nobis, propitiemus. Anteriorem, Cyrillo Ægypti fratres optârint? Audiant Cyprianum, de cujus laudibus Gregorius Nazianz. Cyrillo æqualis orationem scripsit. Is epist. 66 ad Presb. Diac. & plebem: *Episcopi antecessores nostri... censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam, vel curam Clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur; neque enim ad altare Domini meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes, & ministros, voluit avocare.* Eo scilicet tempore, quo pauci erant, nec sæcularibus negotiis debebant implicari. Habes in ea sententia oblationes, sacrificia, preces pro mortuis, non ævo dumtaxat Cypriani, sed qui eum antecesserant Episcoporum.

IX. Quid Chrysostomus senserit?

Velint Cyrillo celebriorem? In omni Ecclesia Orientali, nominatior Chrysostomo nemo: sed neque ullus, etiam hodie scribentium, dicere super hoc argumento manifestiùs possit; ut videatur, orituras undecim post se sæculis hæreses prævidisse, & jugulare voluisse. Libro 6. de sacerdotio, agens de sacerdotis sacrificantis munere: *Qualem illum oportet esse, qui pro urbe universa: Quid pro urbe, inquam? Imò pro universa terra legatione fungitur, oratque, ut propitius sit Deus peccatis omnium οὐ τῶν ζώντων μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀπελθόντων, non viventium modò, sed & eorum, qui excessêre.* Item homil. 3. in epist. ad Philippenses, cap. 1. *Non sine causa Apostolis statuerunt, ut inter sacrosancta mysteria commemoratio fiat eorum, qui excessêre ἐπὶ τῶν φρικτῶν μυστηρίων μνήμην γίνεσθαι τῶν ἀπελθόντων. Sciebant inimicum multum inde ipsis utilitatis provenire. Cum enim stetit populus omnis extensis in cælum manibus, sacerdotalique ministerium adest, & victima sacrosancta, quomodo propitiationem non impetremus pro illis Deum orantes*, ὑπὲρ τούτων τὸν θεὸν παρακαλοῦντες. Homilia 41. in 1. ad Corinthios. *Nec temerè, qui altari assistit, inter horrenda mysteria clamat: Pro omnibus in Christo dormientibus, & pro his qui memoriam eorum celebrant... Si Iobi liberos patris victima purgavit, quid dubites à nobis quoque, si pro dormientibus offeramus, solatii aliquid accessurum?* Homil. 21. in Acta in eamdem sententiam, οὐχ ἁπλῶς ὁ διάκονος βοᾷ, ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων: *Non frustra diaconus clamat, Pro iis qui obdormierunt, & qui eorum memoriam faciunt. Non est diaconus qui eam vocem emittit, sed ipse Spiritus sanctus*, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. En indubitatam orandi, & sacrificandi, pro defunctis, & eorum auxilio, primitivæ Ecclesiæ consuetudinem: eámque, asseverante Chrysostomo, ab Apostolis traditam, è Spiritu sancto conditam, de quo equidem ambigi nequibat, cùm animæ Ecclesiæ sit.

X. Quid Augustinus eadem de re scripserit?

Sed prætermissis Chrysostomi multis aliis locis, præteritis etiam cæteris Patribus; quis de indubitata Ecclesiæ consuetudine, & fide, ambiget, qui vel unicum Augustinum legerit, aut audierit? Videndus l. 1. de anima & ejus origine ad Renatum, cap. 10. & 11. ubi de defunctis agens dicit, *Oblatum corpus Christi pro membris Christi... Offerre sacrificium corporis & sanguinis Christi pro baptizatis.* Videndus quæstione 2. ad Dulcidium, ubi suam ipse sententiam ex libro de cura pro mortuis recitat, *Non prodesse* scilicet *orationes & oblationes pro mortuis, nisi iis, qui, dum viverent, meruerunt ut prodessent sibi; & hoc esse, quod quisque recipiat, prout gessit.* Videndus Tract. 84. in Joan. *Ideo ad ipsam mensam*, Eucharistiæ, *non sic eos*, Martyres, *commemoramus, sicut alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis orent ipsi pro nobis.* Quomodò etiam loquitur serm. 17. de verbis Apostoli: *Habet Ecclesiastica disciplina, quod Fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur: pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria enim est pro Martyre orare.* Videatur prætereà serm. 32. de istis Apostoli verbis: *De dormientibus nolo contristemini. Orationibus Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum, universa observat Ecclesia, ut pro iis, qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur... Non omninò ambigendum est, ista prodesse defunctis; sed talibus, qui ita vixerunt ante mortem, ut possent eis hæc utilia esse post mortem.*

XI. Nominatim in Enchiridio & Confessionibus.

Ut toties idem ab Augustino inculcatum non haberemus; sufficiebant loca duo, quæ hæreticis ostensa, quamvis durissimæ frontis, non possint non ruborem offundere. Inspiciant caput totum 110. Enchiridii, ubi sæpiùs iteratur, sacrificia altaris & eleemosynas prodesse defunctis, clauditúrque caput his verbis: *Cum ergo sacrificia sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum, pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis, gratiarum actiones sunt; pro non valdè malis, propitiationes sunt; pro valdè malis, etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, vel certè tolerabilior fiat ipsa damnatio*, id est pœna. En tibi tres status animarum post mortem, distinctissimè expositos, & sacrificii usum singulis dispertitum. Liber Confessionum pressim manibus teritur: lib. 9. c. 11. moribunda Monica mater Augustini, *Peto*, inquit, *ut ad altare Domini memineritis mei.* Cap. 12. Augustinus ipse loquens de funere materno: *Cum offerretur*, inquit, *pro ea sacrificium pretii nostri.* En quid Augustinus ipse sentiat, ac pronuntiet; ne impudens forsan aliquis impingat seniculæ Monicæ superstitiosum delirium. Idem lib. 10. c. 13. orans pro illa: *Sed tantummodò memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, unde sciret dispensari victimam sanctam, quâ deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis... Inspira, Domine Deus meus, inspira servis tuis, fratribus meis, filiis tuis, dominis meis, quibus voce, & corde, & literis servio, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ.*

XII. Ante mortem propitiandum Deus.

Istas mihi ex ipso Augustino excerptas sententias seposueram, confundendis adversariis: quorum me vicem pudet, si ita depuduêre, ut hic non erubescant. Sed illis, si obduruêre, relictis; dudum est Catholicis breve, non à me, verùm à maximo Pontifice Gregorio monitum. Is postquam toto 58. cap. libri 4. dialogorum de sacra hostia, ejusque pro mortuis utilitate dixit, hæc subjungit: *Inter hæc autem pensandum est, quod tutior sit via, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi, agat ipse per se dum vivit. Beatius quippe est, liberum exire, quam post vincula libertatem quærere.* Tibi ipsi potius, quam aliis fidas: amicior enim te tibi nemo. Si illos pro te defuncto oraturos, vel sacrificia curaturos putas; tu ipse tibi jam nunc provide. Plus vero prosunt, quàm

quàm mortuo, cùm hîc misericordiæ locus sit, ibi justitiæ. Laudanda Elisabetha Austriaca, Princeps Belgarum, quæ pro mariti anima Sacrorum millia quadraginta curavit. Laudanda Margareta Philippi III. uxor, quæ in testamento cavit, ut mille pro se Sacra fierent, quibus pro ipsa maritus viginti millia addidit. Laudanda anniversaria sacrificia, aliæque consuetudines, à priscis sæculis deductæ. Maximè tamen laudandum, in vita, puritatis & bonorum operum studium.

SECTIO TERTIA.

Expenditur ad veritatis regulam magnitudo pœnarum Purgatorii.

I. Non exaggerandæ pœnæ Purgatorii.

QUæ à Ecclesiastæ quidam de tormentis animarum in Purgatorio detentarum exaggeratè dicere solent, ut vel metum auditoribus incutiant, vel misericordiam excitent, ideo non apud hæreticos modò, sed etiam apud Catholicorum minùs credulos, & justitiæ divinæ judicia non satis æstimantes, pœnitùs fidei carent. Difficile enim illis intellectu videtur, quomodo à misericordi Domino non septimanas modò, sed menses, & annos totos, in suppliciis, supra omnem intelligendi vim atrocibus, detineantur animæ hominum, piè in fide & caritate Christianâ mortuorum, post vitam in exercitiis virtutum & fuga vitiorum sanctè exactam. Quod autem, si pro tantorum ac tam diuturnorum suppliciorum causâ culpæ afferentur, quarum maculas vix acutissima cernendi facultas possit internoscere? Tunc verò laborat credulitas: & quia nimium dici de re quantumvis vera videtur, rei tamen ipsius veritas fermè revocatur in dubium. Statui itaque; citra amplificationem ullam, à qua, in tam seriis & sanctis argumentis, quantum quisquam alienus sum, exponere, quod de magnitudine pœnarum Purgatorii solidè, & ad Theologiæ rationisque ac fidei normam, dici possit. In magnitudine autem, cùm acerbitatem tormentorum, tum durationem, comprehendo. Atrocia enim tormenta, etsi brevi tempore continuentur, magna vocanda sunt: diuturna item, etsi levia, multùm tamen ipsâ diuturnitate torquent. Jam si atrocitas cum diuturnitate conjuncta sit, quod in hac vita vix solet potissimè contingere; tunc demum exquisitissimum supplicii genus inventum est.

II. Gravitatis mensura ex Justitia divina.

Utramque autem in Purgatorii pœnas convenire, ostendam imus. Ac primum, acerbitatis dolorum mensuras quatuor designo: diuturnitati deinde totidem. Prima sit ex consideratione Justitiæ divinæ: cujus theatrum, locúsque, ac tempus proprium altera vita est. Vita hæc nobis tempus est merendi, & *tempus misericordiæ ejus*. hîc Deus peccata dissimulat, hîc diu inspectat peccatores, hîc gratiis suis sollicitat ut revertantur, hîc reversos amanter excipit, hîc brevi ac levi satisfactione plenam indulgentiam donat: culpas & pœnas condonat. At postquam per totam Misericordia perfecerit, sumet Justitia. Ideòque Psalmista ait: *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine*: primò Misericordiam, deinde Justitiam. Tunc amplius non erit tempus miserendi ejus: nec nobis tempus merendi. Justitia pro meritis, gaudia rependet in cælo: pro demeritis, tormenta persolvet in Inferno, vel in Purgatorio. Nec, qui missi fuerint in carcerem, exibunt, donec solvant novissimum quadrantem: nec, qui traditi fuerint tortoribus, liberabuntur, donec reddiderint universum debitum. Jam autem, si in hac vitâ, quando suaves Misericordiæ tempus est, peccata tamen tam severè à Deo puniuntur, quidnam altera vita fiet, ubi regnum est acris Justitiæ? Peccat Adamus, uxoris suasu, enimvero graviter, mox tamen conversus reconciliatâ cum Deo gratiâ, ut fama omnibus constat: nihilominus annis nongentis, & quod excurrit, vescitur pane suo in sudore vultûs sui, lacrymosum funus carissimi Abelis spectare cogitur, Caini primogeniti facinus & logam, nepotum abnepotúmque crimina, assiduam lugendi patiendique materiam. Dilectus Deo Moses, cujus memoria in benedictione est, aliquantum in fiducia Deo debita vacillat ad aquas contradictionis. Venialis culpa erat, & mox abolita, iteratis fiduciæ atque amoris divini actibus. Pœnam tamen tantillæ, & tam citò expiatæ culpæ ferre cogitur, annorum quadraginta errore per solitudinem; & illis exactis, in ejusdem peccati pœnam, in terram promissam, cujus è monte conspectum ceperat, ingredi non sinitur. Si in Misericordiæ suæ delicta tam atrociter puniuntur, quid fiet inter justitiæ manus? Quid eo loco irrogabitur supplicii, ubi animæ justorum, nondum repurgatorum, ab ingressu terræ promissæ, & paradisi, flammeo vindictæ divinæ gladio prohibentur?

III. Ex genere pœnarum.

Altera mensura est, ex instrumentis supplicii. Potissimum, ut loquimur, unum est, aliud privativum: illud, applicatio ignis, hoc, subductio luminis. Futurum ut igne torqueantur, *mirâ sed vera modo*, colligimus ex 1. Cor. 3. quæ Pauli sententia supra indicata est. discimus ex Patrum consensu: nec dubitari amplius potest citra hæresin, aut affinem hæresi errorem, ex quo in Florentino Concilio Græcorum sententia consutata est. Atqui acerbior dolor nullus est, quàm ex sensu ignis. Congerant tyranni equuleos, fidiculas, rotas, ferreos ungues. In mare demergant, laqueo damnatos præfocent, pendulos depressos deorsum capite in scrobes demittant, infusâ in aquæ ingurgitatos distendant. Postquam per isthæc omnia tormentorum genera cucurrerit diligens crudelitas, atrocius nihil terribiliúsque igne, lento præsertim, comminiscetur. Et hoc est Purgatorii primum supplicium. Alterum longe majus, à luminis privatione existit, seu pœna damni, ut vocant. Anima simul à corpore sejuncta est, & velut è tenebris carceris in apertam lucem educta, ad Dei conspectum tota adspirat. Cogita, quàm vehementi impetu lapis ad centrum delabatur, quam inquietè ignis sursum contendat evadere, quantâ propensione cervus desideret ad fontes aquarum: longè magis ista, que Deum desiderat anima, centrum suum, fontem suum, omne bonum suum. Cohibetur interim, & culpâ suâ cohibetur, atque ipsa ignorat unde tanta culpæ cruciatus interni atrocitas, ut incomparabiliter omnes hujus mundi dolores excedat, inquit D. Th. in 4. dist. 21. art. 1. Probat id solidè Suarez noster tomo 4. disp. 46. de Purg. sect. 3. Tristitia de bono amisso eò major est; quo majus est bonum, quò perfectior ejus cognitio, quò vehementior erga illud affectus: quod, uti sponte, in liberis pro varia eorum dispositione facilè possis intelligere. Jam verò beatitudo cælestis,

in Dei visione & amore sita, tanta est, ut vel una ejus hora bonis universis aliis potior sit. Animæ illæ sanctæ, sensuum & imaginationis nebulis liberæ, boni illius magnitudinem perspiciunt, & ad illud, tamquam ad centrum suum ac finem, toto impetu feruntur. Necesse est itaque, summè ipsas dolere, quando mens illis sua quotidie objicit: *Hic est Deus tuus*, à cujus possessione culpâ ipse tuâ temere interim exclusisti?

IV. Ex sensu Patrum.

Tertia mensura sumenda ex Patrum, ac Doctorum sententiis; qui non scientiâ solùm, sed etiam sanctitate, celebres, adeóque propiùs ad divinum lumen admoti, multò quàm alii perspicaciùs vidêre, quo se pacto in sæculi alterius arcanis res habeant. Cyrilli Hierosolymitani epistola circumfertur 206. inter Augustini epistolas, estque de miraculis D. Hieronymi: ubi inter alia habetur, à D. Hieronymo post mortem affirmatum, pœnas Purgatorii acerbitate pares esse pœnis inferorum, duratione solâ differre. Sed quia Cyrillus Hierosolymitanus, ex cujus catechesi 5. orationes & sacrificia pro defunctis probavimus, non paucis ante Hieronymum annis obiit; Cyrillum istum supposititium esse necesse est: adeóque ejus auctoritate & ipse uti nolo, & alios nolim. Prætereo item Dionysium Carthusianum, è maximis ævi sui virum, qui libro de Judicio animarum cap. 14. & sequentibus, idem asserit, & tuè probat: afferréque possimus, fulciendæ ejus sententiæ, verba isthæc quæ axiomatis instar apud aliquos obtinuêre; *Eodem igne purgatur justus, & crematur damnatus.* Et orationem hanc Ecclesiæ: *Libera, Domine, animas omnium Fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus.* Scio equidem, eam orationem ab aliquibus de mortis tempore, aut judicii particularis intelligi: at certè clarissima, & minimè distorta, explicatio foret ex Dionysii sententia. Prætereo Cæsarium Arelatensem Augustino suppatem, hom. 8. monentem illos, qui parùm suâ interesse aiebant, quamdiu morarentur in Purgatorio, tantùm ut ad vitam æternam pervenirent: *Nemo*, inquit, *hoc dicat, fratres carissimi, quia ille ipse purgatorius ignis durior erit, quàm quod possit pœnarum in hac vita aut accidere, aut sentiri, aut cogitari.* Non *sentiri* tantùm, sed *cogitari*: quantum autem cogitationi licet, quod sensus ferre non potest? Accedit ad Cæsarii sententiam D. Anselmus Cantuariensis in Elucidario, affirmans, tormentorum Purgatorii *minimum majus esse, quam maximum quod in hac vita excogitari potest*, non *sentiri* tantùm: plus enim multò sibi cogitatio fingere, quàm natura pati poterit. Prætereo D. Thomam loco supra citato, asserentem, solius pœnæ damni acerbitate, in Purgatorio, superari *hujus mundi supplicia universa*: non singula solùm, sed *universa*, seu omnia simul sumpta, & in unum congesta.

V. Illos non qui mitissime loquuntur.

Istis prætermissis, etsi auctoritate & rationibus validis fulciuntur: solam ponderemus sententiam, quâ nullam ego quidem umquam reperi apud ullum sanctorum Patrum mitiorem. A D. Bernardo est ser. de obitu Humberti. à Venerabili Beda in ps. 37. à D. Gregorio in eumdem psalmum, & ante ipsos à D. Augustino ad eumdem locum. Hunc pro omnibus audiamus. Explicans verba illa, *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, sic Deum alloquitur: *Domine, ne in indignatione tua arguas me, ne sim inter illos quibus dicturus es, Ite in ignem æternum. Neque in ira tua emendes me, ut in hac vita purges me, & talem me reddas, cui emendatorio igne opus non sit. Propter illos, qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem.* Et paullò pòst: *Et quia dicitur, salvus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè, quamvis salvi per ignem. Gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid homo potest pati in hac vita. Et nôstis quanta hic passi sunt mali, & possint pati. Tanta tamen passi sunt, quanta potuerunt pati & boni. Quid enim quisque maleficus, latro, adulter, sceleratus, sacrilegus pertulit legibus, quod non pertulit Martyr, in confessione Christi? Ista ergo, quæ hic sunt mala, multò faciliora sunt. Et tamen videte, quemadmodum ea homines ne patiantur, quidquid jusserint faciunt. Quantò meliùs faciunt quod jubet Deus, ne illa graviora patiantur.* Si hic sit Augustinus, si ad vos ista dicat, quid quæso de purgatoriorum suppliciorum acerbitate vobis fuerit judicio? Dixit ad suos: Deus ad nos transmitti voluit; ut & ad vos dicerentur, & animis vestris insculperentur.

VI. Pœnæ voluntariæ propter peccata.

Quarta mensura non jam ex dictis sumitur, sed ex factis Sanctorum. Perpendite, quantas ipsi pœnas à se exegerint, quanta austeritate vixerint, quàm uberes lacrymas pro levibus delictis, aut pro gravibus jam expiatis, fuderint. Placétne ain Ægyptum, ad Divorum Paullorum, Antoniorum, Hilarionum cellas progredi? Ibimus ad speluncas Eliæ, Elisæi, Joannis Baptistæ, ad filios prophetarum, & qui illos postmodùm Ecclesiæ tempore in Palæstina secuti sunt? Inspiciemus atrox illud vivorum Purgatorium, ubi sanctus Joannes Climachus pœnitentes à se spectatos cum horrore perhibet? Illos intueamur duntaxat, qui modò nobiscum de Purgatorii atrocitate locuti sunt; videamúsque, factíne verbis respondeant. Peccârat Augustinus, resipuerat, vitam per labores continuos in Dei caussa egerat: moribundus tamen psalmos pœnitentiales in ore habet, lacrymas in oculis. D. Gregorius, actâ per virtutem pueritiâ, per religionem adolescentiâ & juventute, per studia & indefessos labores ætate reliquâ, morbis attritus; & ipse tamen jejuniis sese atterit. Castissimum corpus & lectum animum D. Bernardi nescit nemo: ille tamen sic sese voluntariis castigationibus afflixit, ut moriens à corpore veniam petierit tam severæ tractationis. Quid jam Carolos Borromæos, quid D. Volbodones nostros, quid D. Hubertos memorem? Notissima est eorum sanctimonia, notissimæ pœnæ quas de se sumpserunt; non nescii, quantum esset divinæ justitiæ pondus; neque ignari, quàm Deo placeant ultrò & sapienter adhibitæ corporis afflictationes. Quæ utique Deo non eam ob rem placent, quòd optimus ille pater filiorum cruciatu delectetur: sed quia, bono nostro, vel præveniri a nobis culpas maceratione carnis desiderat, vel castigari; ne ipse in altera vita castigare cogatur acerbiùs.

VII. Ex eâdem æstimatur longitudo, seu duratio.

Argumento eodem probavero, non durissima solùm esse Purgatorii supplicia, sed etiam multò longiora, quàm scriptor quispiam recentior, cæteroqui doctus, apud Bellarminum lib. 2. de gemitu columbæ cap. 9. existimavit: Non cruciari animas ullas ultra decennium, aut vicennium saltem; idque tum misericordiæ consentaneum esse; tum conjici ex orationibus, & actionibus innumeris, quas Ecclesia vivorum affert pro Ecclesia mortuorum. Sed si hoc foret, nec Divorum multi tamdiu sese de præteritis cruciassent: nec filiis suis olim Ecclesia tam diuturnas & graves ob peccata pœnas indixisset. Divus Gondebaldus, Episcopus

Episcopus Laudunensis, D. Remigii nepos, post annos multos magnâ morum integritate exactos, in peccatum labitur: permissam à D. Remigio pœnam sibi imponi postulat. jubetur in spelunca propè Laudunum, ab omni hominum consortio sejunctus, jejuniis, ac cilicio, aliisque eâ ætate frequentatis castigationibus sese excruciare septennium integrum: quod & implevit, ne momento quidem inde remissa. Nec soli hoc Genebaldo factum; cùm priscæ leges, canonesve Conciliorum, tantumdem fermè unico mortali peccato pœnæ imponerent. Cùm autem in hac vita ubi operandi, merendi, satisfaciendi, ac miserendi tempus est, tam diuturna satisfactio capesseretur, quid de altera dicemus, ubi non est, quando nemo potest operari?

VIII. Ex anniversariis.

Præterea, si Ecclesiæ consuetudo ut par est æstimetur, pro defunctis anniversaria sacra non annos solum viginti, sed seculis pluribus celebrantis: inde conficitur necesse est, ad plura secula animas subsidiis vivorum indigere posse. Frustra alioquin impenderentur illis nominatim, si indigere tamdiu non possint. Anni sunt circiter nongenti, cùm Chilpericus junior Franciæ Rex mortuus est; cujus Tornaci nuper aperto sepulcro insignia Regia reperta sunt, & ad Leopoldum Archiducem tunc Belgii Gubernatorem delata. Pro eo quotannis anniversarium sacrum in Ecclesia Tornacensi, hodieque, celebratur. In hac dioecesi mortuus abhinc annos fermè sexcentos Petrus Eremita, vir insignis per sacrum bellum pro Dei gloria laboribus inclytus in Novomonasterio, quod condidit, quotannis offertur pro ejus requie. Neigeren in D. Joannis recognitum, al. ter fuit eitata hujus Hubertus, parensque secundus ac conditor: actâ sanctè vitâ, voluit testamento pro anima sua anniversarium perpetuum fieri. Vix ulla Monasteria, aut Canonicorum Collegia sunt, ubi non idem caritatis ac gratitudinis officium pro pia fundatorum Manibus observetur: qui id scitè cavêre, ut semper sui apud Deum in precibus memoria fieret, & peccatorum suorum remissio peteretur: nequaquam id facturi, nisi ab antiquo persuasum Ecclesiæ fuisset, multos in Purgatorio ad diem usque Judicii, pro portione culparum, detineri posse.

IX. Ex sensu Patrum.

Accedit Patrum sententia: è quibus Ambrosius post quadragesimum diem, quam Theodosius Christianissimus Imperator obierat, sese modò dicebat ab orationibus & fletibus pro ejus anima non cessaturum: non dubius scilicet, valdè diu aliquos indigere, idemque ipsi forsan, quantumvis pio, occulto Dei judicio eventurum. Quid quòd Augustinus, pro sanctissima Monica matre sua, orationes tum ipse fundit, tum ab aliis postulat, tricesimo circiter ab ejus morte anno, quando Confessiones suas elucubravit? Cyprianus, epist. 52. ad Antonianum, de expiandis ad diem usque judicii culpis disertè loquitur: *Aliud est pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia passione purgasse: aliud denique pendere in die judicii ad sententiam Domini, aliud statim à Domino coronari.* Nec Tertullianus dubitanter loquitur libro de anima, cap. ult. *Judex te tradat Angelo executioni, & ille te in carcerem mandat infernum, sive inferiorem, unde non dimitteris, nisi modico quoque delicto morâ resurrectionis expensa.* Quid illud quæso est, expendere modicum quodque delictum morâ resurrectionis, nisi ad diem usque judicii, quo omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur, cruciari?

X. Ex apparitionibus.

Quartum, & ultimum de longitudine pœnarum Purgatorii probationem, ex historiis duabus repetemus; quas indubitatæ fidei esse judicavit, acerrimi & solidissimi judicii scriptor Bellarminus, loco supra citato. Primum, quia ex scriptoribus, ætatis suæ virtute & doctrinâ principibus, hausta sunt. Deinde, quia nihil non verbo Dei, sensuque Ecclesiæ, ac Patrum, congruum habent. Tum eò quòd fructus inde magnus ad salutem animarum, & gloriam Dei, extiterit. Venerabilis Bedæ celebre nomen est. Is ætate sua in Britannia, narrat, Drithelmum aliquamdiu mortuum, vitæ deinde restitutum, asseverâsse, demonstratas sibi Purgatorii pœnas horribiles, unde in die judicii animæ exituræ essent: multas tamen precibus, jejuniis, eleemosynis, & maximè celebrationibus Missarum adjuvari, ut citius liberentur: cùmque Drithelmum deinde asperrimam vitam duxisse, respondereque solitum interrogantibus, cur sese adeo cruciaret, *Austeriora vidi.* Narrationis altera Thomæ Cantipratani est, qui quod ipse ex D. Ludgarde, sanctissima virgine, audivit, posteris tradidit, apparuisse ipsi Innocentium Pontificem III. flammis cinctum, dixisseque, sese ope D. Virginis damnationem ad inferos evasisse, Purgatorio tamen addictum ad diem usque judicii. Sat mihi est historias illas perstrinxisse, fusius apud Bellarminum, aliosque, spectatas.

XI. Timor, & misericordia ex illis.

Deinceps, opinor, opus non fuerit conciliando nobis justo ac religioso timori, animas è Purgatorio evocare, ut exemplo & experimento suo commoveant, ne & nos veniamus ad istum locum tormentorum. Neque opus fuerit, aut filios parentes, aut fratribus fratres, aut amicos demortuos allegare superstitibus amicorum; ut lacrymabili voce, & luctuosi spectaculi imagine, immota viscera quatiant, & suppetiarum moras increpent. Plus apud sapientem ac seriam concionem veritas poterit, tot rationibus nixa, tot sententiis firmata, tantâ seculorum incorruptorum consensione & consuetudine roborata. Vitæ alterius tempus, regnum Justitiæ est: ignis ante ipsam præcedet, excoquetque scoriam omnem, nec parcet oculus ejus, nec miserebitur. Præveniamus Justitiæ tempus tempore Misericordiæ: in hoc potius tribunali, quàm in illo judicemur. Mihi fori sunt culpæ omnes nostræ, prævenienti locus est. eam, cùm vacat, cùm indulgentiæ dies sunt, amplectamur, ne mora incautos & tardos præveniat. Gregorii sapiens monitum est in 4. psalm. pœnitentialem ad illud: *Ecce enim veritatem dilexisti. Veritatem Deus diligit, quæ sine ultione delictum non deserit . . . . sive ergo sit magna, sive parva iniquitas, nisi puniatur ab homine pœnitente, punietur à Deo judicante.*

XII. Item caritas erga animas in Purgatorio detentas.

Dum ipsi nobis Sacramentorum usu, Indulgentiarum quæstu, bonorum operum exercitiis, Misericordiam Dei conciliabimus aliorum, qui decessêre, & sibimet ampliùs opitulari nequeunt, ne simus immemores. Christianam Mirabilem, vitæ palam clarâ luce redditam, & horrenda deinceps pro illis patientia subeuntem, ex Episcoporum duorum, qui eâdem ætate, in eadem nostra regione diu vixêre, Jacobi Vitriacensis, & Thomæ Cantipratani, fidelissimo testimonio non propono. res supra exemplum est. Non Dominicos, Franciscos Xaverios, aliosque Divorum, in se quotidie, ad Deum animabus illis

propitiandum,

propitiandum, sævientes ostendo: non omnium ista sunt. Sed quid prohibeat eleemosynas aliquas, orationes, Indulgentias illis impendere? Quæ se, ob hoc saltem caritatis officio, ætas, conditio, infirmitas, probabili ulla vel tolerabili caussatione liberet? Indignamur præteritum à viatoribus duobus miserum semi necem, relictúmque Samaritano misericordi. At illi sauciatum, sine mora, dispendio, periculo, imminentibus eo loco latronibus, juvare non poterant. Tu sine periculo, sine impensis, sine jactura temporis, defunctis potes succurrere; non succurris tamen. *Iudicium ergo sine misericordia, ei, qui non facit misericordiam.*

SECTIO QUARTA.

Orationes, & opera satisfactoria pro defunctis, opus misericordiæ eximium, in iis quæ spiritualia dicuntur.

I. Unguenta spiritualia terna.

DIvus Bernardus, lacteus ille, ille misericordiæ & caritatis alumnus, ille *fratrum amator, qui multum oravit*, plurimùm laboravit, se impendit totum & superimpendit *pro populo Dei, & sancta civitate*: serm. 12. in Cant. explicans illud sponsæ, *Manus meæ distillaverunt myrrham primam*, tria dicit esse unguentorum genera, quibus anima Deum & proximum amans utitur, eáque in unguentis totidem, quibus D. Magdalenæ amor corpus Christi perfudit, adumbrata. Primum, quo pedes Christi à pœnitente irrigati sunt, Contritionem, ac Pœnitentiam significat. Alterum, quod capiti Christi affusum est, Devotionis figuram exhibet, non jam in Christi pedibus hærentis, sed ad caput adspirantis. Tertium, quod toti corpori Christi paratum fuit, sed non impensum, indicat misericordiam; quam Christus corpori suo mystico, id est Ecclesiæ, & ejus membris omnibus, quamvis vilibus, etiam inimicis, impendi vult. *Quæcunque es anima*, inquit Bern. *sic affecta, sic imbuta rore misericordiæ, sic affluens pietatis visceribus; sic te omnibus omnia faciens, sic facta ipsa tibi tamquam vas perditum, ut cæteris præsto absque semper occurras, atque succurras; sic denique mortua tibi, ut vivas omnibus: tu planè tertium, optimumque, unguentum felix possides, & manus tuæ distillaverunt totius suavitatis liquorem.*

II. Misericordia virtus est summa, Divina, Christiana, Regia.

Necessarium est unguentum Contritionis: quis enim non peccavit, & non eget gratiâ Dei? Dulce est unguentum devotionis: quis enim effudit cor suum coram Deo, & ex animo memor fuit ejus, & non delectatus est? At super omnia eminet unguentum misericordiæ: ut, quomodò de Deo dicitur, *miserationes ejus super omnia opera ejus*; ita de Christianis dici possit, miserationes eorum super omnia opera eorum. Non hic disputo, an misericordia maxima sit virtutum omnium, quæ proximum respiciunt? Disputat D. Thomas 22. q. 30. v. 4. & definit. Videsis ipsum etiam 1. p. q. 21. v. 3 ubi quærit, *An Deo misericordia conveniat?* Atque virtutem istam de se esse maximam, ac planè Divinam, cùm misereri proprium Dei sit, ac perfectioni summæ conveniat alienos defectus supplere, quod misericordia præstat. Si ad illius laudes excurrere velis; adde Christianam ita esse, ut electos aliâ notâ à reprobis discerni nolle Christus videatur Matth. c. 25. Qui etiam vult nos esse misericordes Patris cælestis instar, & perfectos: ut perfectio ipsissima, sit misericordia. Eamdem virtutem esse Regiam, excelsæque indolis, intimè in natura humanam insitam: ut, qui eâ carent, non in bruta tantùm, sed in feras degenerâsse dicantur. Reperies ista apud varios Doctores, ipsumque D. Thomam: qui post allatam D. Augustini sententiam ex l. 9. de Civit. c. 5. pro istius virtutis commendatione, dignatur testem etiam producere Ciceronem orat. pro Q. Ligario: ubi, laudatis multis Julii Cæsaris virtutibus, dicit, *Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior est, nec gratior misericordiâ.* Cui sententiæ præponi poterat ista Mathathiæ 1. Mach. c. 2. *David, in sua misericordia, consecutus est sedem regni in sæcula.* Etsi enim, eo loco, misericordiam censuerimus poni pro pietate: constat tamen, Davidem misericordem inprimis fuisse, ejusque virtutis assiduo cultu regiam dignitatem plurimùm ornâsse.

III. Misericordia erga animas in Purgatorio omnibus eminet.

Sed hic id non agimus, ut misericordiam generatim commendemus: partis illius commendatione contenti, quæ defunctorum animas spectat, & eximium omnino misericordiæ opus est, imò cætera complectitur, & superat. Scholastici Doctores versibus duobus ea complexi sunt; quos refert, & expendit D. Thomas 2.2. q. 3. v. 2. ostenditque, perfectam istam esse ac completam divisionem. Opera Corporalia sunt:

Visito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo.

Opera Spiritualia:

Consule, Castiga, Solare, Remitte, Fer, Ora.

In hoc de spiritualibus versu, ut operum septenarius compleatur, *Consulendi* verbo intelliguntur officia duo, Docendi ignorantes, & Consiliandi, dandive consilium. Quare putabam paullò commodiùs exponi posse in hunc modum:

Formo, Rego, Moneo, Fero, Parco, Solor, & Oro.

IV. Pro proximo orare, omnium est.

Horum operum cum officiis erga defunctos in Purgatorio detentos comparationem, à spiritualibus inchoemus: ac primùm ab eorum extremo & facillimo. Neque enim omnium est, ignorantes instruere, ac Formare: neque omnium devios Regere consiliis, Monere errantes aut carpere cum auctoritate, Solari linguâ erudita contractos corde. Ferre aliorum defectus, & Parcere delinquentibus offensásque remittere, etsi Christianorum omnium est, difficultatis tamen habet non parùm: sed orare quis non possit, mente saltem, si amens non est? Quis etiam non debeat, cùm Christus, in orandi formulis, noluerit singulos pro se restrictè orare, sed generatim pro omnibus Dei filiis: ideóque nos jusserit dicere *Pater noster*, non Pater mi; *Panem nostrum*, non meum; *Debita nostra*, non mea? Adde 1. Tim. 2. à Christi præcone præscribi orationem *pro omnibus hominibus*. Quod accuratè præstitum constat in cœtibus Catholicorum, jam inde à primis religionis Christianæ sæculis, non omissis precibus pro requie mortuorum. Testimonium Arnobii sufficiat, recitatum suprà sect. 1. num. ult. Videbis in Christianorum conventibus orari semper solitum *pro cunctis*, nec iis tantùm qui adhuc vitam degerent, sed etiam *resolutis corporum vinctione.*

V. Pro illis præcipuè orandum.

Cui autem omnium meliùs oratio impenditur, quàm qui caritate & misericordiâ dignior est? Sed ecquisnam dignissimus est, cujus misereamur? Miserorum loca sunt Terra, & Subterranea. In subterraneis Inferi, Limbus, Purgatorium numerantur. In Terra, nec tuguria ulla,

nec

nec palatia à miseriis tuta sunt, inæqualibus tamen: aliud enim longè est animo miserum esse, aliud corpore: inter animi miserias longè cæteris majores sunt, quæ à culpis oriuntur: inter culpas eæ incomparabiliter infælicem faciunt, quas mortales dicimus. Itaque si probaverimus, animam in Purgatorio misericordiâ nostrâ & orationibus digniorem esse, quàm animam peccato mortali obstrictam: eâdem operâ confecerimus, infælicium omnium dignissimam esse, cujus misereamur. Nam, qui in Inferis & Limbo sunt, eorum misereri non debemus, efficaciter saltem non possumus: in illis enim redemptio prorsus nulla est, in isto nulla est mutatio. Miserorum autem, adhuc viventium, maximè calamitosi sunt peccatores: quibus tamen miserabiliores dicimus esse animas, in flammis purgantibus detentas.

VI. Peccatum mortale quanti rei periculi?

At, inquis, quo id pacto probari possit, cùm peccatum mortale, citra omne dubium, major Purgatorii suppliciis calamitas esse videatur? Nam primum in maximo omnium discrimine hominem ponit, ut vix ab æterna morte tantum absit, quantum est digiti intervallum. Sapiens c. 14. de navigantibus, *Exiguo*, inquit, *ligno credunt homines animas suas*, nihilque inter illos & mortem interest, nisi asseris unius spissitudo. At inter peccatorem, & inferos, nihil interjacet, nisi pelliculæ crassities, & momenti longitudo. A momento pendet æternitas, cœlestibus unici fluxu, aciculæ unius impulsu, definienda. Aptissimè igitur, quisquis ille pictor fuit, peccatorem exhibuit habitu nudi, cæci, ulcerosi hominis, sedentis in scabello, solâ araneæ telâ sustentato, super os putei. Omnino enim peccator nudus est, carens veste nuptiali; cæcus est, cùm periculum suum non advertat; ulcerosus est, & à planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas, ab imis affectibus ad summæ voluntatis apicem putrida omnia, & purulenta sunt. Prorsùs ut, qui peccatorem Deo, quà potest, reconciliat, unâ operâ doceat ignorantem, regat & moneat errantem, ægrum sanet, exulem famelicumque excipiat, nudum vestiat, omniaque in unum congerat misericordiæ officia. Ex eo tamen maximè miserandus est; quòd ipsum inter, & fundum putei abyssi irremeabilem, aliud sepimentum non est, quàm araneæ tela, id est, vita nostra, minimo flatu aut motu dissipanda.

VII. Quantum malum?

Nec periculum modò summum est à peccato mortali; sed etiam ipsum est summum malum. Avertit enim à summo bono: privatio autem summi boni non potest esse, nisi summum malum. Augustinus itaque meritò dixit: *Unum esse summum bonum, propter quod cætera bona amanda essent; unum summum malum, propter quod fugienda essent mala cætera.* Vide nos Excursu 4. ad lib. 1. cap. 4. sect. 1. Eam etiam ob caussam Sancti adeò à peccato abhorruêre, ut inferos ipsos illi præoptarent: etsi Christianorum nimis heu multi gravissimas offensas, pro tantillulis reculis, admittere non dubitent, quia fidem & mentem habent pravis affectibus obscuratam, aut consuetudine privatâ vel publicâ excæcatam; nec novêre, quid sit diligere Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua. Non adduco Catharinam Genuensem, cujus sensa variis expressi Excursu modò indicato. Etsi mulier adeò generosa fuit, ut viris ipsis proponi pro exemplo possit; fuit mulier tamen. Viros duos produco, doctissimum utrumque, utrumque Archiepiscopum, Edmundum & Anselmum. Ille ex intimo sensu sæpiùs iterare auditus: *Mallem insilire in rogum ardentissimum, quàm peccatum ullum admittere sciens in Deum meum*: in rogum, inquam, non solùm qualis ardebat Babylone, non qualis in Purgatorio, neque enim illi sunt ardentissimi: sed in ipsos ignes Tartareos, præ quibus flammæ nostrates vix urunt. Anselmus collegæ suo concinuit, cùm ex animi sententia scripsit: *Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessariò uni eorum immergi deberem, potiùs infernum quam peccatum appeterem.* Et alibi: *Mallem purus à peccato gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cælorum regna tenere.* Nec dubium, quin eadem foret Sanctorum omnium qui in cælo sunt, sententia, si singulos percunctari liceret. Sciunt enim, ac vident, quod Catholici credere debemus, Inferos esse à peccato mortali ut à caussa; in caussa autem totum contineri effectum: pœnam in culpa esse sicut rivum in fonte; adeóque pejus esse inferis peccatum; quemadmodùm fons rivo pejor esset, quantumvis venenato, si rivus totum à fonte venenum hauriret.

VIII. Orandum magis pro animabus, ob earum dignitatem.

Si ita se res habet, certè peccatum mortale Purgatorio infinitis partibus horribilius est, supra ipsa Inferorum æterna supplicia. Ergo peccator incomparabiliter miserior est, quam anima in flammis purgantibus. Et, quod inde necessariò consequi videtur, misericordiâ & auxilio dignior. Quid tam valido in speciem argumento opponamus? Non pauca, neque invalida, evicturáque, ni fallor, quod positum est. Ac primùm constat, quò quis miserior est, non continuò miserabiliorem esse. Attendenda dignitas personarum; quæ, quò major est, eò facit misericordiâ, in minori licèt calamitate, digniores. Videas hinc sicarium membratim discerpi, inde virum eximiæ virtutis cædi carnificis manu: utrius te magis, in tanta pœnarum inæqualitate, miserescet? Videas hinc Jechoniam Regem in carcere, inde mancipium in equuleo: utrius te fortuna vehementiùs tanget, postquam statum utriusque comparâris? Atqui animarum, quæ ignibus expiantur, tanta dignitas est, præ statu peccatoris; ut omnino nulla possit esse collatio. Illæ enim ad Dei amicitiam admissæ, regno cælorum auctoratæ, societati sanctorum destinatæ sunt. Hic, quamdiu in peccato hæret, vix vilis mancipii instar est, cùm ipse sese peccato, dæmoni, inferis mancipârit.

IX. Historiâ probatur.

Hæc, opinor, ratio sacerdoti Dominicano persuasit, ut sacrificia & preces animabus defunctorum impenderet: solis antè peccatoribus dare solitus. Divisisses saltem, quod D. Dominicus faciebat, quod Xaverius, quod Ignatius: ille singulis noctibus flagellationem unam peccatoribus dependens, alteram animabus, sibi tertiam: iste, cùm in Moluccis versaretur, noctu per plateas urbium circumire solitus, & animas pariter, ac peccatores, Christianorum precibus commendare: hic in continuo peccatorum convertendorum studio, ita de animabus juvandis solicitus, ut ad Xaverium Româ Indulgentias, Altare ut vocant privilegiatum, Sodalitiique pro defunctis erigendi facultatem transmiserit. Sed sacerdotis illius historiam recito verbis Fastorum Marianorum, qui ex annalibus D. Dominici hausêre. *Numeravit hic inter alumnos suos, duos præ cæteris pietati deditos, Bertrandum unum, alterum Benedictum. Ille pro peccantibus, hic pro lucentibus in flama*

piacuları

piacuları peccata multum solicitus, preces ac sacrificia quisque in suos congerenda credebat. Et pugnabat Benedictus magnis rationum momentis, & aiebat: illos, si modo velint, rebus suis abundè posse consulere, ore suo orare, manu sua avertere iram Numinis posse: hos verò, ut qui manus carent, utique auxiliari alterius egere. Contrà contendebat Bertrandus, tam hos suæ salutis, quam alteros illos, ni à præcepito abluerentur, interitûs certos esse: itaque graviùs periclitantibus succurrendum. Et perstitisset in hac sententia, nisi ex purganti igne anima una, omnium legatione functa, terrore sue sub noctem insequentem patrocinium suum, & sociarum, ita persuasisset, ut jam nemo alius pro his ad aram frequentius Bertrando oraret.

X.
Rationes aliæ ex mali caussa, sensu, remedio.

Primæ rationi, ductæ ab animarum dignitate, alteram adjungo à calamitatis caussa. Certum est, peccatum mortale ex judicio perfecto oriri, ac deliberata voluntate, adeóque peccatorem ærumnarum suarum sibi caussam esse. At peccata venialia, quæ in flamis expiantur, præterquam quòd humanæ fragilitati in totum inevitabilia sunt, hoc habent præcipuum, quòd plerumque vix advertentibus elabuntur: adeóque vix voluntaria sunt. Pœnæ autem ex culpis remissis reliquæ, multò etiam minùs venialibus sunt voluntariæ. De miseris verò, ii sunt minimè miserabiles, qui culpâ suâ miseri sunt: latrocinijs, aut negligentiâ non gravi, depauperatorum propensiùs multò miseremur, quàm ebriositate aut aliis vitiis ad mendicabuli sortem devolutorum. Accedit disparitatis ratio tertia, quòd calamitosorum sors eò plus lugenda sit, quò magis illam sentiunt. Atqui peccatorum plerique ducunt in bonis dies suos, & amant ipsi vulnera sua, maximaque mala pacem appellant: cùm contrà animæ in piacularibus flamis continenter opem inclament, & nos ad orandum satisfaciendúmque solicitent. Denique inter illos, & has, istud interest, quòd illi, si velint, ipsi juvare se possint: hæ vellent, sed nequeunt, quia ipsis est *nox, in qua nemo potest operari*. Validis mendicantibus vetabat Ludovicus Pius Imperator stipem ullam dari, in Capitularibus apud Baron. an. 820. Verba legis sunt: *Ubi tales inventi fuerint, qui sibi manibus laborent, nullus eis quidquam tribuere præsumat.* Senio, invaletudine, conductorum inopiâ, egentibus prudens caritas succurret.

XI.
Commendantur precibus animæ ab Ecclesia & à Christo.

Ea est purgantium animarum conditio. Juvare sese ipsæ non possunt: imò rarissimè per se ipsæ alienum auxilium petere sinuntur. Petit ipsarum vice quotannis Ecclesia, cum in finem anniversariâ commemoratione postridie Festi Sanctorum institutâ, ut potentiùs tangat comparata de vicino infælicitati fælicitas. Petit, ipsarum vice, sponsus Ecclesiæ Christus *aperiens ei suum*, misericordiæ fontem, & dicens, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Credis, mi Christiane, quod te religio mea docuit: miseras esse & miserabiles animas, quæ justitiæ meæ debitum exsolvunt? Credis commendatam à me misericordiam, & tibi exercendam si misericordiæ meæ particeps esse volueris? Credis eam à te facillimè, & fructuosissimè animabus per orationes, sacrificia, aliáque opera impendi posse? Si ea credis: quid ergo deinceps illarum, meâ, tuâ ipsius caussâ, præstabis? Præstabo, Christe: neque enim sic petenti recusare fas est. Sed & tu, obsecro, fac quod unâ omnes mente postulamus: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam*, post tantos dolores: & post obscuram extra lumen gloriæ noctem, *lux æterna luceat eis.*

XII.
Qui pro illis orat, dat instructiones, consilia, monet.

Diutiùs nos unicum misericordiæ spiritualis opus tenuit, quàm universa cætera. De his enim solum istud demonstrandum erit; in animæ Christianæ de flamis expiatoriis liberatione vel exerceri apertè, vel occultè contineri. Multùm de homine meretur, qui ingenium ejus quavis arte, vel scientiâ format: maximè si docet utile aliquid ad salutem, cujus ignorantia grande malum est, cognitio est scientia sanctorum. Quantum ergo merebitur, qui animabus scientiæ beatæ ignaris, aperiat lumen gloriæ; ut *ibi legant sine syllabis temporum*, in libro vitæ, quem visuræ alioqui non erant, nisi pluribus post annis, forsan & sæculis? Talis, opinor, commodissimè vocabitur *Adjutor Dei, Procurator salutis humanæ*, quem titulum, Salv. l. 7. de Prov. tribuit docenti ignaros cælestium, & *non tantùm id agenti, ut ipse bonus sit; sed etiam, ut alii mali esse desistant.* Dicebat priscus aliquis; *Homo, qui erranti comiter monstrat viam, Quasi lumen de suo lumine accendat, facit.* Cùm faculam alterius extinctam flammâ tuâ accenderis, nihil tibi decessit: tantumdem in tuis ignis superest, quantum antequam tribuisses. Ita, qui aliis viam monstrant, qui consilio regunt, qui pulcras ad verum bonumque amandum & agendum semitas ostendunt, nullo id impendio faciunt: nisi impendium appelles, temporis bene collocati usuram. Alioqui postquam rectum consilium dedisti, nihil tibi nec de ingenio, nec de sapientia, nec de virtute, nec de sanitate, nec de existimatione, nec de pecunia decessit. Magni tamen beneficii loco accipitur, oportunum utiléque consilium: & *cor boni consilii*, in præcipuo apud Siracidem, sapientérque omnes, pretio est; etiam cum de terrenis rebus, & ad caducam vitam spectantibus, agitur. Quanti ergo erit, prudenter suadere, cùm de anima & cælo res est? Quanti erit, Manibus defunctorum iter in cælum non reperientibus, nisi per incendia, brevem compendiosámque semitam, non solùm monstrare consilio, sed etiam expedire subsidio? Monita tempori data, imò correctio, & castigatio, ab amico animo profecta, caritatis officium sunt: præsertim si correctionis, quem paternus castigantis animus spectat, fructus ac finis acceleretur. Cur autem Deus Purgatorium ignem accendit; nisi ut animæ illic depurentur, & emendentur, antequam ad fontem immensæ puritatis accedant? Erubescimus, si error aliquis coram venerabili viro nobis imprudentibus excidit: imò, si maculosa nobis facies est, verecundiâ suffundimur. Quanti, putas, pudoris est sanctis, & Deo placendi studiosis, animabus coram illo, cum præteritorum errorum indiciis, macularúmque reliquiis, consistere? Quanti autem beneficii fuerit, eas maculas detersisse, & desideratæ correctionis, atque emundationis, fructum accelerâsse?

XIII.
Portat onus alterius.

Ferre patienter injurias, ut volgò explicatur, opus misericordiæ est, aut patientiæ potiùs: sed alienas infirmitates ac vitia ferre, seu ut loquitur Apostolus, *Alterius onera portare*, ex intima misericordia oritur, primasque obtinet inter caritatis fraternæ notas, ut Excurs. 2. sect. . ad cap. 8. suprà ex Paullo recensuimus. Laborant animæ sub pondere culparum, quæ sicut *onus grave gravata sunt* super eas: *iram Domini* portant, quia peccaverunt illi: sublevemus fatigatas, nec Pharisæis accedamus, digito suo movere onera importabilia,

importabilia, ab ipsis alligata licèt & imposita, nolentibus. Lex erat Hebræis, ut etiam asino, sub onere succumbenti, obvius quilibet succurreret: non opitulemur sanctis animabus, & Deo caris, sub pondere Justitiæ lassescentibus? Narrat Episcopus Genevensis l. 7. ep. 43. se, cùm diœcesim suam visitabundus obiret, ad locum venisse, ubi bubulcus bovem perditam quærens rimâ glaciei haustus in profundam vallem ceciderat, ibique frigore obriguerat: eductum ex ea voragine rigidum corpus ab ejus socio, funibus demisso, & retracto: narrationem utramque magno sibi incitamento fuisse ad misericordiæ opera. Quid enim, inquit, hominum saluti procurandæ non periclitor, si iste tantum pro eruendo bubulci cadavere, bubulcus pro quærendo bove, discrimen adière? Ita B. Franciscus Salesius secum ipse ratiocinatus est. Ita nobiscum de animabus in specum subterraneam delapsis differamus. Non misereat nos illarum, cùm jumenti fatiscentis, cùm burdonis lassi misereat? Cujus enim bos, aut asinus in foveam cadet, & non continuò extrahet illum?

XIV. *Parce delinquenti.*

Parcere delinquenti, & offensam remittere, maximè arduum, maximéque necessarium misericordiæ officium est. Nam Pater cælestis non remittet nobis nostra, nisi proximo remittamus debita sua: &, *qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit.* Quo autem pacto, aut quâ non longè arcessitâ similitudine vel imagine, opus illud erga gemebundas in piacularibus flammis animas exerceamus? Ecquando enim illæ nos, ex quo ibi sunt, offendêre, ut eis parcendi caussa sit? Sed Deum offendêre; & Deum adducere possumus, ut eis acceleratâ culparum veniâ ignoscat: atque adeò ipsis ignovisse videbimur, postquam nostrâ caussâ & interventu, exoptatam indulgentiam feliciter occuparint. Deinde inimicis parcamus, invidis, adversariis: idque opus misericordiæ, Deo acceptissimum, ad solatium animarum impendamus. Celebre est ex Osorio, aliisque, de Cajetana matrona, quæ, filio interfecto, homicidæ ut evaderet equum submisit. Paullò post anima filii, jam beati ac securè lætantis habitu, ad eam venit, egitque gratias matri secundùm suæ, à qua ad vitam primùm mortalem genitus, nunc ad immortalem regeneratus esset: remissi sibi momento pœnis omnibus, quas alioqui in Purgatorio diu luiturus erat, nisi mater judici summo pro se gratissimum lytrum, generosam illam remissionem injuriæ, obtulisset.

XV. *Solatur mæstos.*

Solari mæstos etsi facilius multò opus est, adeò tamen inter alia eminet, ut Deo velut proprium à Psalmista & ab Apostolo tribuatur. *Benedictus Deus*, Paulli verbis, *pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Psalmista illud Dei encomium, *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*, cum illo conjungit; *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*: & istud, *Dominus erigit elisos*, jungit cum hoc; *Dominus diligit justos.* Quasi tam peculiare sit Dei opus, elisos erigere & contritiones cordium alligare, quàm stellas creare & justis gratiam infundere. Non adeò tamen proprium est, ut quemadmodùm Samaritanus stabulario, ita ipse vicariam nobis curam non commiserit. Vult Christus nos misericordes esse, sicut Pater cælestis misericors est; & homines consolatoris, ubi est Deus consolationis. Solatio autem dignior nemo est, quàm qui majori tristitiâ urgetur. Atqui major nulla est, quam quæ ex majoris boni, magisque cogniti, jacturâ oritur. Bonum verò majus nullum est summo, cujus jacturam temporalem animæ istæ corpore exsolutæ fecerunt, & nôrunt, atque adeo acerbissimè sentiunt. *Omnis plaga*, id est maxima, inquit Ecclesiasticus, *tristitia cordis est*: & omnis, id est maxima, tristitia cordis in Purgatorio est. Nam licèt cum divina voluntate conjunctissimæ sint, non ideo tamen dolorem vehementissimum non sentiunt. Sicut Christus in horto, etsi nollet aliud quam Pater, doluit tamen, & velut agoniâ conflictatus est, & sanguine sudavit. Illis itaque mæstis Manibus refrigerium affundamus, afferamúsque omnium consolationum efficacissimam, de suis malis liberationem, qua possumus. Induamus nos, *sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ.*

SECTIO QUINTA.

Misericordia erga defunctos omnia ejus virtutis officia corporalia complectitur, & superat.

I. *Quanti sint opera misericordiæ corporalia.*

QUÆRIT D. Thomas 2. 2. q. 32. a. 3. *Utrum eleëmosynæ corporales sint potiores, quàm spirituales?* Adductis rationibus aliquot in illarum gratiam, denique in articuli corpore doctissimè ostendit, has longè potiores esse. Quod etiamsi certum omninò est, non ideò tamen suum illis pretium decedit, à Christo ipso fixum & publicatum, non alia in judicii sui descriptionibus opera misericordiæ commemorante, quàm corporalia: tamquam, visitare carceratum, hospitem colligere, esurientem reficere. Ecclesia Christi, legislatoris ac sponsi sui, judicium secuta, tanti illa fecit; ut non Sodalitia modò, sed Ordines etiam totos ad eorum exercitationem instituerit. Redimendis captivis destinati, quos in Gallis Mathurinos, in Belgio Trinitarios, in Hispania Patres à Mercede nominant. Ægris visitandis, fovendis, curandis, congregationem suam addixit B. Joannes, de Deo appellatus, ab aliis nominatus *Benefacite fratres*; à sententia, quam in ore habere solebat, dum pro ægris stipem corrogaret, *Benefacite fratres, dum tempus habetis.* Eidem ægrorum curæ addictus fuit à Camillo de Lellis Ordo suus, sub sæculi proximè elapsi finem. Peregrinis excipiendis institutus nobilissimus Equitum ordo, qui ab Hospitali primùm Hospitalarii dicti, & B. Joannis Hierosolymitani, Rhodii deinde, jam Melitenses. Nec tribus tantùm istis præcipuis, ut benè advertit Salm. T. 5. Tract. 16. ac nobilissimis operum misericordiæ corporalium generibus religiosæ familiæ ex instituto sese consecrârunt: sed etiam omnium infimo, quod est mortuos sepelire, Alexiani, sive Cellitæ, vitam suam addixêre. Quid jam Sodalitia titulo seu Misericordiæ, seu Caritatis, in Christianis civitatibus, ad eorum officiorum exercitationem, magno cum fructu erecta commemorem?

II. *Sodalitia Defunctorum.*

Commemoremus ista hîc potiùs, quæ ad solatium Defunctorum passim insigni cum pietate instituuntur. Quale Leodii in D. Andreæ parœcia surrexit annò hujus sæculi quadragesimo quinto,

quinto, mox primario Romano aggregatum, curâ præſertim atque inſtantiâ optimi parentis mei: qui inter patriæ motus aſſiduos, ac mala inteſtina, potius nihil eo ſodalitio habuit, & primus illi è civibus præfuit. Acceſſêre ex utroque ordine ſacro ac civili primarii quique, & ex civitate univerſa ingens ſodalium numerus, quanto vix uſquam, ut opinor, concurſu. Deus piis ſenis Manibus, anno ſæculi quinquageſimo ſeptimo, ætatis octogeſimo tertio functi, eam requiem donet ac lucem, quam aliis tanto ſtudio procurare conatus eſt. Tu verò, Lector, paternæ memoriam & exemplum parentis tibi propoſiti à filio; qui etiam, quantum in ſe fuit, ſolatium animarum commendavit, iſta ipſa quæ ſcribit dicendo: qualia & tu dicere poteris, imò meliora, cùm tua noſtris acceſſerint.

III. *Tria opera miſericordiæ corporalis expenduntur.*

Ægros viſitandi officium affinia multa complectitur, miniſtrandi, curandi, neceſſaria ad victum decubitúmve largiendi. Accedit ad illa non longè abſimile opus paſcendi eſurientes, & potandi ſitibundos: eſuries enim & ſitis morbi ſunt, quibus medicinam facit cibus ac potus: & plerique ægri non aliâ re magis per valetudinem ſuam torquentur, quàm ſiti; cujus ſenſus Chriſto ipſi querimoniam in Cruce expreſſit. Itaque opera, naturæ non diſſimilia, tractatione jungemus. Tam cara Chriſto fuêre, ut, poſt orationes ad Deum ac prædicationes ad plebem, non aliam magis occupationem amâſſe videatur. Triennio toto videas illum ſemper vel ſeorſim orantem, vel in multitudine concionantem, vel ægros alloquentem ac ſanantem, vel panes alendis turbis multiplicantem. Semel omnino legimus ab illo, in Bethſaida, ſeu Bethcheſda, languidum conſanatum, id eſt in miſericordiæ domo: ſed miſericordiæ domus ipſi fuit Judæa univerſa, quam *pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes.* Chriſti exemplô. Apoſtoli pauperibus, viduis, pupillis, ægris tanto ſtudio corrogare ſtipem & alimenta ſoliti erant; ut ad extremum Diaconos ſeptem adſciſcere coacti fuerint, ne verbum Dei derelinquere cogerentur, & miniſtrare menſis.

IV. *Ordinum religioſorum ab illis initia.*

Nec nobiliſſimus modò Diaconorum Ordo iſti caritatis obſequio ſeſe addixit, ad Divi uſque Laurentii ævum: ſed etiam præcipui quique religioſorum Ordinum inde initium ſumpſêre. Inter tirones militare cogebatur D. Pachomius adhuc Paganus, & malè ipſe ac commilitones habebantur: alimenta miſeris, aliáque neceſſaria ſuffecêre cives Alexandrini, tantâ caritate, ut Pachonius inde religionis Chriſtianæ capeſſendæ conſilium inierit, deinceps ad ſummæ ſanctitatis gradum emiſſus. Vide Bar. an. 316. apud quem etiam reperies an. 263. & 312. quid iidem Alexandrini cives, famis ac peſtis tempore, erga miſeros ægros & inopes præſtiterint. D. Baſilii familia Orientem fermè totum implevit, D. Auguſtini poſteritas multis ramis diffecta Occidentem: quantam eximius uterque Doctor curam egenis impenderit, locupletes ſunt teſtes eorum homiliæ, & epiſtolæ. D. Benedictus, ampliſſimi & illuſtriſſimi Ordinis, imò Ordinum parens, quam ipſe in adoleſcentia caritatem Romani expertus eſt, eamdem ſuis velut hæreditariam eſſe voluit. D. Dominicus in noſocomiis, & inter ægrorum ac mendicabulorum ſordes, eximiæ ſanctimoniæ rudimenta poſuit: eadem D. Franciſcus à leproſorum, aliorúmque contagioſis morbis laborantium, obſequio auſpicatus eſt. S. Ignatius noſter, cum primis vitæ melioris ſociis, ad ſacerdotium ſeſe per ſimilia officia comparavit: ſecutique illum ſui ubique terrarum; & porrò, ad ſæculorum uſque finem, Deo propitio ſubſequentur.

V. *Sanctorum exempla.*

Quid autem fundatores Ordinum religioſorum adducam; cùm vix Sancti ulli, inſignisque virtutis viri, aut fœminæ, non toti, quà licuit, in iſta caritatis obſequia incubuerint? Unum atque alterum recito; quorum adeò recens memoria eſt, ut fermè mihi adhuc ſub oculis verſari videantur. Vixit abhinc paucis annis Cardinalis Rupefucaldius, quem Cardinalis Surdiſius aliquando, in purpuratorum Patrum conſeſſu, Joannem Eleemoſynarium ætatis noſtræ, non immeritò, nominavit. Nam in magna annonæ penuriâ pavit ſumptibus ſuis pauperum millia quatuor: bibliothecam omnem ſuam divendidit, egenísque pretium diſtribuit, dicens, librorum multorum commutatione unum ſibi librum vitæ coemendum: mercatori Camgiacenſi cum infantulo ſtipem petenti, cùm aliud non haberet, veſtes ipſas ſuas intimas dedit. Hoſpitalem domum, cui Caritatis nomen eſt, Pariſiis erigendam ac dotandam curavit; in eáque ipſe frequenter ægris miniſtrare, & aſſidere viſus: quod, ejus exemplo, primores nobiliſſimæ civitatis me aliquando ſpectante fecerunt, hodiéque faciunt. Infirmiori ſexui, quem olim Fabiola illuſtriſſimis exemplis præivit, erecto omnium primo noſocomio, ægris ipſamet ſqualidis & ſanioſis ancillata, ut teſtis eſt locuples D. Hieronymus. Sed illi ſexui recentius exemplum Bavaram unicam propono, Mariam Archiducis Auſtriaci conjugem, Ferdinandi II. Cæſaris & Margaretæ Hiſpaniarum Reginæ matrem. Singulis feriis ſecundis ſolita pauperibus ſenibus duodecim agapen, Chriſtianúmve epulum, præbere: promicondam ipſa, pincernam, & ciborum ſectricem agebat: filiæ, parvo quamvis natu & delicatuli corpuſculi, linteis præcinctæ miniſtrabant. Alius quot hebdomadis dies eligebatur, viſendis per hoſpitalia ægris, ſolandis, juvandis, ſternendiſque eorum culcitris ac lectis: quo in munere occupatam Margaretam invênit nuntius de conjugio ipſius ab Hiſpaniarum Rege expetito.

VI. *Paſcendæ eſurientes, potandæ ſitibundæ animæ.*

Scio ad ejuſmodi opera nonnullis vires corporis non ſuppetere, aliis animum deeſſe, quibuſdam facultates, pleriſque otium. Hoſpitale itaque aliud oſtendo, & Bethcheſdâ, domúmque miſericordiæ capaciſſimam, à cujus viſitatione excuſare neminem poteſt vel infirmitas ſua, vel paupertas, vel occupatio. O quanta ibi multitudo famelicorum, ſitibundorum, claudorum, aridorum, febrientium, ulceroſorum, vulneratorum, omnigenorum ægrotorum, exſpectantium aquæ, id eſt gratiæ & miſericordiæ, motum! Non tibi videntur eſurire, & ſitire in Purgatorio animæ; cùm cibum illum & potum inviſibilem, quo Raphael Angelus veſci ſe dicebat, toto licèt mentis appetitu deſideratum, obtinere tamen non poſſint? Vita æterna convivio ſæpè in Scripturis conferri ſolet; & *Beati* pronuntiantur, *qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt*, ut manducent panem in regno Dei. Contrà infeliciſſimi ſunt, qui, de epularum loco ſecluſi, verſantur in tenebris exterioribus, ubi eſt fletus & ſtridor dentium. Pati non debemus, ut nobis objici de illis poſſit, *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* In cœlo Sancti inebriantur ubertate domûs Dei, & torrente voluptatis potantur, ad

quem

quem desiderant infælices animæ; quemadmodùm cervus ad fontes aquarum. Demus istis sitibundis calicem aquæ frigidæ; intingamus digitos nostros in aquam de Christi latere manantem, & refrigeremus ardorem sitientium, quod pro fratris anima postulabat à Delphino Paulinus supra sect. 1. Neque enim inter nos firmatum est chaos grande, quale Lazarum inter & Epulonem. Communio Sanctorum est, & orationum, ac meritorum communicatio Militantem inter, & Patientem Ecclesiam.

VII. *Ægra visitanda.*

Non tibi videntur animæ febrientium instar, cùm igne ardeant longe acriore, quàm quo D. Laurentius tostus est; ut testantur cum Patrum sententiæ, tum historiarum monumenta, in quibus flammeæ animæ contactu suo, non lintea modò, sed & ligna momento ussêre? Non eædem cogitationibus tuis velut ulcerosæ objiciuntur, Lazari instar aut Jobi, & vulneratæ sicut Jerichuntinus viator: cum ulcera, & vulnera, sint divisio continui, nec divisio ulla acerbior esse possit, quàm creaturæ à Creatore separatio violenta? Non quasi paralyticæ apparent omnes, cùm ipsæ sese commovere ac juvare non possint: non similes plurimæ languido dicenti, *hominem non habeo*: non multæ annos supra triginta octo habere in infirmitate? Intra, Christiane, in vastum illud nosocomium, visita, solare, juva, sana laborantes animas: *Fac eas*, quod à Deo Ecclesia petit, *de morte transire ad vitam*, de morte, inquam, quia morbi ipsis sua morte acerbiores sunt. Camillus de Lellis, quem institutorem esse diximus familiæ obsequiis ægrorum addictæ, occurrit aliquando per hyemem viro nobili, & ab illo interrogatus quò iret: ad hortum, inquit, floribus amenissimum, fructibus opulentissimum. Cùm autem iste mirabundus sciscitaretur, eccubi flores ac fructus eo tempore forent? Ad nosocomium, inquit, proficiscens, ibi flores mei sunt. Christiane, Purgatorium tibi pro nosocomio, & pro horto florifero & fructifero est. Spinæ illic nascuntur animabus, quæ convertuntur in ærumna sua, *dum configitur spina*: at tibi rosæ oriuntur, & poma Solis ac Lunæ, fructùsque collium æternorum. Inde tibi licet, & animabus ipsis, serta gratissima conficere, ut tibi & illis imponantur in cælo per Christum, *qui coronat te in misericordia, & miserationibus.*

VIII. *Vestimonudorum.*

Redimere captivos, & Tegere nudos inæqualia valdè opera sunt. Multò enim majus malum est captivitas, quàm nuditas: quomodo longè majus bonum est libertas, quàm vestis. Quamquam si tanta sit nuditas, ut pudorem obruat, multi ex utroque sexu non captivitatem illi modò, sed mortem præoptent. Et quamvis ad tantam verecundiæ labem non veniat, indecora tamen est quolibet tempore, & incommoda ac noxia hiberno. Hinc plenæ Sanctorum vitæ exemplis vestientium nudos, ut insignibus operibus: quarum aliqua narrat Drexelius p. 1. de Eleemos. c. 9. Celeberrimum ex priscis est, D. Martini chlamydem dimidiantis cum paupere. Ex recentioribus haud scio an illustrius quidquam reperiri queat, quàm D. Caroli Borromæi: qui pestis Mediolanensis tempore, ad cætera misericordiæ heroicæ exercitia, & hoc addidit, ut tapetes omnes suos, vela rhedarum, cortinas lectorum, supellectilem omnem lineam ac laneam, pauperibus tegendis discindi, deinde reconsui jusserit: non servato plusquam unico linteaminum mutatorio ad familiæ usum, & unicâ sibi retentâ tapetii substratura linea, quâ deinceps ad mortem usque pro mensæ suæ ornamento usus est.

IX. *Captivorum redemptio.*

Captivorum redemptio, & sublevatio, tanti apud Deum est; ut non alio magis opere Divus Leonardus excelsum sanctimoniæ gradum vivus, maximam mortuus nominis totâ Galliâ celebritatem adeptus sit, quàm visendis ergastulis, solvendisque compeditibus. Neque aliâ viâ Cimelius Mimus ad summum virtutis conscendit. Cùm enim Theodulus, ex Præfecto Prætorii Theodosii Magni, Sylites austerissimus, scire averet, cui ex viris sanctimoniâ insignibus par esset; audivit, sese in regno Dei æqualem fore Cimelio Mimo, Damasci vitam agenti, facultates suas omnes elargito ad sublevandam matronæ inopiam, cujus maritus ob debita in carcere detinebatur. Vide, si placet, eam narrationem apud Raderum in Viridario. Nec Sanctorum modo opus est captivos liberare, sed Angelorum, quòd plurimis Ecclesiasticis historiis ostendi queat. Una sit pro omnibus, de D. Petro, solutis catenis, apertisque per Angelum portis, è custodia eductio, Act. c. 12. Imò Dei ipsius istud officium est, qui Manassen captivum gratiâ suâ in tenebris carceris collustravit; fortitudine spiritus Jeremiam, & Danielem, in lacum projectos roboravit; prophetiâ Josephum implevit, *descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum*; D. Joannem Baptistam, veritatis & castitatis captivum, operum à Christo patratorum auditu recreavit; D. Pauli ac Silæ manus ad libertatem, & ora ad hymnorum modulationem, in imo carceris solvit; Apostolos & Martyres, compedibus oppressos, tenebris clausos, pædore obsitos, ad sortem sceleratorum ac damnatorum redactos, animavit, ut diabolum in ipsa domo sua conculcarent, quomodo loquitur Tertullianus; Confessoribus inter vincula tantam mentis, ac conscientiæ, libertatem concessit, ut non ipsi modò culpis absolverentur, sed alios etiam pœnis culparum absolverent, & Indulgentias largirentur, Pontificibus ratum habentibus, Ecclesiâque universâ.

X. *Carcer Purgatorii.*

Forsan sanctum istud, Angelicùmque, ac Divinum opus, Christiane, per te ipse præstare non potes. Neque enim omnibus ad ergastula aditus patet: &, ut pateat, non omnibus solvendi compeditos facultas est; imò nec consolandi. En igitur tibi, quisquis es, carcerem alium, à quo nec voluntas tua prohibeatur, nec facultas. Ergastula divinæ justitiæ subterranea tria sunt. Infimum, unde redemptio nulla est, quidquid de Trajani animâ liberatâ Divi Gregorii precibus quidam scripserint, doctè per Baronium refutati an. 604. Summum, ubi animæ solâ originali culpâ maculatæ detinentur, numquam etiam inde exituræ, nisi forsan, ex Catharini Pighiique conjectura, ad terræ superficiem incolendam post judicii diem. Medium, quod Purgatorium dicimus, & à V. Beda vocatur *Carcer pœnalis*, Christo præeunte, qui in parabola Regis rationes exposcentis Mat. 18. & hominis cum adversario ambulantis, commemorat carcerem, unde non exitur, nisi debitis ex asse persolutis. Vide sect. 1. num. 7. O durum & tetrum carcerem, seu situm intueare, seu tenebras, seu catenas, seu tormenta, seu longitudinem; seu quidquid aliud in ergastulis libertas, sanitas, dignitas, vita humana formidat. Situs, infra omnes carcerum fundos, in imo terrarum jacet: etsi aliquando inde animabus egredi licet, in cæca tamen, sicut

Bajazetus & Valerianus. Tenebræ densissimæ incumbunt, quia lumen gloriæ abest: nec Solis illuc radii, nisi per fidei ac spei lumen penetrant. Catenas nectit justitia divina, alteri nulli solubiles. Tormenta tanta sunt, ut quibus illa divinitùs per visum objecta fuêre, non alios putarent damnatis equuleos & catastas servari: qua de re videre poteris Spond. Cont. t. 1. an. 1206. De longitudine diximus suprà sect. 3. & verò ex multis etiam aliis historiis constat, sanctos viros diu in Purgatorio detentos, aliquando etiam diutiùs, quàm minoris virtutis quosdam: quia plus illi debitorum contraxerant, etsi erant meritis ditiores, & in aurum majore numero plus scoriæ deprehendebatur.

XI. Redimendæ illinc animæ.

Quid si ad isthæc accedat facinorosorum, & inimicorum Dei, execranda societas? Quid si animæ sanctæ interim, dum purgantur, dæmonibus permistæ sunt? Etsi enim id mihi non usquequaque probabile est, multi tamen docuêre, eodem igne, & eodem loco purgari sanctum, damnatumque cruciari. Meritò igitur exclamant captiva turba verbis Davidis, & Pauli, sed aliâ sententiâ: *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quis liberabit? Utique ille, qui lytrum persolvet; qui Judici summo justitiæque satisfaciet; qui exorabit Dominum solventem compeditos; qui, sicut Abdemelech c. 38. Jeremiam extrahet de lacu, submissis ad illum *funiculis Adam, vinculis caritatis.* Quisquis hoc fecerit, eâdem operâ liberaverit captivum, & nudum vestierit. Describuntur enim Beati Apoc. c. 7. *amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Stolis istis animæ carent, quia eas nondum *dealbaverunt in sanguine Agni.* Affunde sanguinem Christi adamantinis Purgatorii catenis, ut dirumpantur: eodem sanguine imbue vestes nuptiales, induendis animabus paratas, ut nuptiali convivio intersint. Monebat Nabuchodonosorem Daniël: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Non dicit eleemosyna, & misericordiâ, sed *misericordiis*: quia non uni operum generi Deus caritatem nostram alligari vult, sed extendi ad varia. Ecce autem tibi in unico varia, imò omnia.

XII. Sepelire mortuos opus caritatis.

Supersunt enim duo, quorum eadem quæ cæterorum ratio est, Colligendi peregrinos, & Condendi corpora defunctorum. Hoc & ordine, & dignitate, inter opera misericordiæ ultimum est: ideòque nusquam à Christo commemoratum, ut benè advertit D. Th. 2. 2. q. 32. v. 2. ad 1. Et verò parùm nostrâ videtur interesse, ubi jaceant corpora sensûs expertia; equidem ad vitam surrectura, ubicumque tandem jacuerint. Quia tamen viris sanctis cura fuit sepulturæ, ut passim videre est, nósque alibi indicavimus: & quia pertinet ad defunctorum memoriam, & honorem, superestque animis ad corpora, quamvis putrefacta, affectus ingenitus, ut ibidem D. Thomas: idcirco D. Augustinus libro de curâ pro mortuis, istud sepeliendorum corporum obsequium, tamquam insigne caritatis opus, etsi aliis minus, magnoperè commendat. Raphael item Angelus, cùm eleemosynas Tobiæ collaudat, fructumque earum designat c. 12. nullum magis officium respicit, quàm quo venerandus senex sedulò functus fuerat, humandorum projectitiorum cadaverum. Idem præstitêre ex utroque sexu Christiani plurimi; in quibus D. Ludovicus Galliæ Rex & Elisabetha Thuringis, tantò mirabiliores Tobis, quantò excelsiores, eminent. Ille, cùm in Asia esset, corpora projecta non Christianorum tantùm, sed etiam Saracenorum, exesa licèt & putrida, suis ipse manibus sepelire visus. Hæc pauperum, quos supra nongentorum numerum vivos alere solebat, defunctorum cadavera, sordibus obsita, contrectabat, lavabat, insuebat, ut honestè ad cœmeteria inferrentur. Nec prætermittere possum hoc loco P. Hieronymum Porcelium è Societate nostra: qui in oppido quodam Paraquariæ, ut annua ejus provinciæ relatio ad an. 35. perhibet, ad cætera caritatis officia, popularibus morbis per ædes omnes grassantibus, & hoc addidit, ut suis ipse manibus corpora mortuorum humaret, octona quotidie vel dena, paucis mensibus octingenta & duo supra quinquaginta. Nec prætereundi sodales D. Eligii, toto Belgio celebres; qui sese ex instituto, efferendis cadaveribus peste sublatorum, consecravêre. Vidi ipse Bethaniæ primores civium in eo officio; quorum neque ego, neque alius ullus, alloquium & consortium inde redeuntium fugiebamus. Persuasum enim est, miraculo perpetuo sodalium neminem, in ista actione, morbo afflari, neque afflatum ad alios vulgare. Miraculi certè magni instar est, tales ad tale obsequium tam constanter affectos: ut si Divus Dionysius Alexandrinus Episcopus redeat, in illis habeat quod prædicet, post civium suorum illustria in eodem genere caritatis exempla, à nobis num. 4. indicata.

XIII. Hospitalitatem quanti Deus faciat.

Si autem tanti est apud homines, Angelos, ac Deum, caritas humandis corporibus, brevi verminaturis, & in pulverem suum reversuris, impensa: quanti erit humanitas in peregrinos inopes, patriâ, domo, lecto, alimentis carentes, collocata? Quanti verò pluris erit operam dedisse, ut animabus cælo extorribus, inter flammarum globos errantibus, viam civitatis habitaculi non invenientibus, provideatur de portione sua in terra viventium, & de tabernaculo æterno? Digna prorsùs Christiano officia, Peregrinos excipere corporaliter, colligere spiritualiter: illós in terra, hos in cælis ipsis, dum in terra sumus. Mirantur nonnulli, neque immeritò, cur Luc. 16. Christus animam Lazari describat, portatam ab Angelis *in sinum Abrahæ*, quo etiam Augustinus receptam Nebridii sui animam aiebat. Eccur enim non in Adæ sinum, parentis communis? Si iste, quia peccavit, displiceat, at cur non in Noemi potiùs gremium, à quo fluxit omnis post diluvium humana progenies? An idcirco forsan colligendis piorum Manibus potissimùm Abrahamus deligitur; quia pater fuit credentium, & populi Dei, cui illi præscripta à Deo circumcisio, ad peccati originalis remedium? Imò, opinor, quia singulariter benignam hospitalitatem coluit, peregrinosque non excepit modò, sed etiam conquisivit: idcirco, ad propensæ humanitatis mercedem, sinus ipsius ex Dei voluntate pro communi velut hospitio animabus est, in limbum Patrum divertentibus, donec in patriam aditus Christo præeunte patuerit.

XIV. Christianis commendatur.

Paullus, dignus Christi & Abrahami filius, eam Patris credentium virtutem Ecclesiæ enixè voluit commendatam: *Hospitalitatem nolite oblivisci: Hospitalitatem sectantes*, Rom. 12. & Heb. 13. Quod Paulli consilium D. Paulla amplexa, in urbe Portuensi amplissimum xenodochium, Hieronymo teste, instituit. Eamdem virtutem à cæteris pariter Apostolis prædicatam, eorum

discipuli

discipuli ita complexi sunt; ut commendatitiæ literæ peregrinantibus Christianis pluris essent, quàm tabellæ collybisticæ locupletissimæ, ut variis locis notat Baronius. apud quem etiam anno 407. disces, si quis forte Christianorum sine legitimo literarum testimonio peregrinaretur, benignitate ubique maximâ excipi solitum, quamvis ad Sacramentorum participationem non admitteretur. Quare philosophus quidam, cui Peregrino nomen apud Lucianum, cùm regiones obire, & circumcursare in animo haberet, Christianum sese simulavit; & sine ullo impendio, imò non sine compendio ac lucro, itinera sua confecit. Deinceps, frigescente paullatim caritate, D. Zoticus senator Romanus, Constantinopoli, quò cum Constantino migrârat, xenodochium primus erexit, ne peregrinis egentibus tectum & alimenta deficerent, ut narrat Baronius ad an. 330. habetque plura de hospitalibus domibus, in Notis ad Martyrologium ult. Dec. Romæ primum omnium xenodochium à Fabiola seniore conditum esse, aliqui censuerunt, decepti vocabulo Hospitalis, quod à xenodochiis etiam ad nosocomia transiit. Nam à Fabiola nosocomium conditum esse, supra ex Hieronymo diximus. Vide & Baron. an. 400.

XV. *Etiam pauperibus.* Apud nos Leodii quàm antiquam originem habuerint hospitalia, nondum deprehendi. Hoc memoratu dignum est: à cerdone, sutoréve, præcipuam de multis hospitalem domum D. Abrahami initium sumpsisse, aliam item D. Juliani ab altero: illi nomen Joanni fuit, huic Ægidio. Prædicet D. Paull. ep. 2. Severum suum, quòd *domus sua hospes* sit, ut *sit hospitum domus.* Laudet Bavaria sancta D. Eberbardum Erardúmve Abbatem, ad an. 1164. mortuum; cui tanta fuit hospitalitatis cura, ut cum œconomus suus equitem excepisset, famulum dimisisset, eum famulo vicum ferre peditem jussit, Ratisbonam usque. Memoretur B. Margareta Bavara, Caroli II. Lotharingi conjux, solita colligere ex compitis pauperes, & peregrinos, pedésque eorum lavare, & comis resolutis tergere, plagásque fœtidissimas contrectare: quas, inquit Adolfus testis oculatus, ego ferre eminus non poteram. Proponatur exemplum D. Caroli Borromæi, peregrinis ad Jubilæum confluentibus pedes abluentis, & tantâ ipsius diligentiâ providentia, ut plerumque in dies eorum millia sex, impensis tum ipsius tum civitatis Mediolanensis, alerentur. Magna illa sunt: sed in tantis opibus non adeò forsan miranda, quantum in tenui fortuna artificum, minuta sua in gazophylacium Christi, viduæ Evangelicæ instar, conferentium.

XVI. *Christo gratissima.* Intuebantur sine dubio opulenti pauperes, & sapientes idiotæ, in illa Christi verba: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Audierant D. Gregorio Magno, D. Yvoni, Divorúmque aliis, Christum peregrini habitu assedisse. Neque ignorabant, opinor, quod D. Odæ, D. Lamberti discipulæ, D. Huberti amitæ acciderat; cùm, per magnam annonæ caritatem, non supellectilem modò, sed & penum omnem in egenos exhausisset, ne servato quidem sibi ac suis ad prandium pane. Cùm enim adolescens externus in ipso tempore hospitium petiisset, & in ædes deductus sedandæ fami aliquid postularet: sancta vidua, spei plena, penum, quam paullò antè exhaustam sciebat, cum domesticorum uno ingressa, panibus cibisque refertam invênit, indéque ad adolescentem, miraculo læta, detulit. At ille, actis benignè gratiis: *Tu me, inquit, aliàs in meis Oda suscepisti, hodie meipsum. Talis misericordia mercede æternâ digna est. Eam tibi jam nunc addico, & adpromitto nunquam defore, quod supra familiæ sumptus in egenos & peregrinos eroges.* His dictis, evanuit; & Oda, intimis cæli gaudiis perfusa, domesticos convocavit, ad comedendum prandium, quod miserat illis *Deus, tribuens omnia.* Accidit illud Amanii, oppido Leodium inter & Huum, ad sinistram Mosæ ripam, quò se nobilissima matrona, ex Regio Francorum sanguine, Ducis Aquitani vidua, receperat: uti jam olim in ejus vita, primùm per nos Gallicè editâ, scripsimus.

XVII. *Hospitalitas erga defunctorum animas.* Pluribus opus non est, ad hospitalitatem erga vivos commendandam: neque alius opus, ad persuadendam erga mortuos. Peregrini sunt, ideóque Ecclesia universa eorum nomine dicimus: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* D. Paullus Heb. 11. affirmat, priscos Patriarchas in papilionibus habitâsse, quia erant *peregrini & hospites super terram*: & Heb. 13. dicit; *Non habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* Animæ in Purgatorio non modò civitatem non habent, sed ne tentorium quidem aliud, nec tectum, nec lectulum, nec semitam, quàm ardentis busti vorticem: *erraverunt in solitudine, in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt, esurientes & sitientes.* O quoties illud iterant Augustini: *Cara patria, à longe te saluto?* Quoties illud nostrum repetere: *Ad te suspiramus gementes, & flentes in hac lacrymarum valle?*

XVIII. *Inexcusabiles qui hanc non exercent.* Si peregrino alicui sub vesperum in suburbiis occurras, fatigato, anhelo, inopi, vix pedes & vitam trahenti; possísque illum sumptu nullo, periculo nullo, incommodo nullo, in diversorium inducere, nec feceris: quis tam barbarus fueris, & efferus, ut te inhumanitatis non damnes? En tibi defunctorum animas, quovis peregrino longè miseriores. Civitas cælestis, Apoc. cap. 21. descripta, in proximo est. Sunt illic tabernacula, domus, cubicula, lecti, alimenta. Christus enim monuit, faciendos amicos de mammona, ut nos recipiant in æterna tabernacula; & in domo Patris sui multas esse mansiones; & tauros atque altilia occisa, & omnia ad nuptias parata. Dixit Psalmista, Sanctos in gloria exultaturos, & lætaturos in cubilibus suis. Dicunt Apostoli, esse Communionem sanctorum: dicit Ecclesia, orationibus, indulgentiarum applicationibus, bonis quibusque operibus, vivos peregrinantibus mortuis beatam in cælesti hospitio requiem accelerare posse. Non facis? Samaritano ergo immitior es, qui viatorem vulneratum sublevavit, & diversorio induxit, non parvis impensis, incommodo magno, maximo periculo. Judæis similis es, qui, postquam Christo cum palmis & oleis obviàm processerant, hospitio dignati non sunt; ut Bethaniam eodem die reverti debuerit.

SECTIO SEXTA.

Cogitatio pro defunctis *exorandi*, *non* sancta *solum est, sed etiam* salubris.

I. *Fulcra tria mundi, & Ecclesiæ.* IN sententiis Rabbinorum c. 1. *Simeon Iustus, qui fuit inter ultimos magnæ congregationis, mundum dicebat fulcris tribus niti, Cultu divino, Lege, Misericordia.* Non disquiro, fueritne Simeon iste Evangeli-

Evangelicus senex, *vir justus, & timoratus, & exspectans consolationem Israel*: sed quisquis fuerit, doctè omnino ac piè pronuntiavit, mundum fulciri religione erga Deum, lege erga rempublicam, misericordiâ erga proximum. Melius certè multò, quàm Alcoranus Mahometanorum, & philosophiæ Brachmanum somniem; terræ molem, Universúmque ipsum, columnis nescio quibus, & elephantis, incumbere. Ad Simeonis Justi exemplum, aptissimè diximus; Ecclesiam tripartitam tribus fulcimentis inniti. Triumphantem respicit Cultus, quem Angeli ac Beati exhibent Deo: nos ipsi debemus; quia nihil illic est, nisi perfectum, dignúmque honore, ac gloriâ. Militanti Lex necessaria est; quia omnimodam perfectionem non attigit, ut monet Aug. l. de Perf. justitiæ ad Cælestium, explicans istud Eph. 5. *ut exhiberet sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, neque rugam: Non enim*, inquit, *in tantis malis, in tantis scandalis, in tanta permistione hominum pessimorum, in tantis opprobriis impiorum, dicendum est, eam esse gloriosam.* Misericordia fulcrum est Patientis Ecclesiæ, eíque spes animarum, flamas piaculares tolerantium, innititur, exspectans à nobis, quod à justi Judicis severitate non potest.

II. Duplex misericordia, sensibilis, & rationabilis.

Quid ergo Senecæ faciemus, lib. 2. de Clementia, misericordiam inter vitia reponenti? Si ita est, dicamúsne animarum spem vitio incumbere? Verba ejus philosophi sunt: *Misericordia vicina est miseriæ; habet enim aliquid, trahit.q; ex ea. Imbecilles oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem & ipsi suffunduntur: tam mehercule, quam morbum esse, non hilaritatem, semper arridere ridentibus, & ad omnium oscitationem ipsum quoque os diducere. Misericordia vitium est animorum, nimis miseriæ faventium.* Ita ille; cujus sententiam si damnare non lubet, habes unde explices apud D. Thomam 1. p. q. 21. v. 3. in corpore: ubi duplicem dicit esse misericordiam. Prima in appetitu residet, pertinétque ad tristitiam; quæ, si nimia est, procul dubio vitiis annumerari debet, & ab illa dicetur *misericors, quasi miserum habens cor.* Altera, affectus est voluntatis, ad proximi calamitatem sublevandam ex ratione propensæ: qui affectus, cùm amoris laudabilis ac recti partus sit, & primogenitus quidem ac nobilissimus, quia ex affluentia & perfectione oritur; non potest virtus non esse.

III. Duplex item ex amore duplici.

Cùm autem Amorum sint genera duo; illius qui Amicitiæ dicitur, & perfecta caritas est; & istius, quem Concupiscentiæ vocamus, spémque respicit: Misericordiæ itidem genera duo sunt, ex caritate, & ex spe. Si Christianum pauperis misereat, quia Deo placet, quia Dei imago est, quia Christi frater, ejúsque sanguine redemptus; officio fungetur puræ & excelsæ caritatis. Sin offerat calicem aquæ frigidæ sitibundo, ut ardere ipse incontinentiâ desinat; si faciat amicos de mammona, ut in æterna tabernacula recipiatur: etsi laudabilis affectus est, ad caritatem tamen proximi minùs pertinet, quàm ad amorem sui. Eodem modo erga defunctorum animas misericordiam exercere licebit. Primùm, quia Dei amicæ sunt, Christi sponsæ, Ecclesiæ pars, auxilio nostro dignæ: etsi inde nihil nobis emolumenti proveniat, à Deo, Christo, Ecclesia, nobis commendatæ. Ea cogitatio orandi pro defunctis ab Hagiographo nostro *sancta* dicitur; quia ex sanctissima caritatis radice progerminans. Altera cogitatio *salubris*, suggeret nobis misericordiæ mercedem à Christo promissam, spem bonorum omnigenorum nobis per animas procurandorum: ut amare illas & juvare debeamus, si nos ipsi amamus, & juvari volumus.

IV. Salutaris nobis est misericordia erga animas.

Adhuc ferè argumenta duximus ex primo misericordiæ genere: nunc etiam proferemus ex secundo, ostendemúsque orationem pro defunctis salubrem esse publicis rebus urbium, ac provinciarum; salubrem familiis, salubrem singulis, non ad spirituale solummodò bonum, sed ad corporale: defunctos ipsos nobis, ubi necesse fuerit, adfuturos, at certè Deum nobis non defore. Monuit Christus Mat. 6. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*, Græcè δικαιοσύνην; pro quo aliqui posuêre ἐλεημοσύνην, *eleemosynam*, & sic habet postrema Bibliorum Græcorum editio Sixtina per Nobilium. Ubi advertere licet, justitiam pro misericordia poni, aut misericordiam pro justitia: forsan ut vel sic indicetur, operibus misericordiæ adimpleri omnem justitiam; quia unâ operâ quam Deo debemus caritatem, quam proximo, quam nobis, persolvimus.

V. Gratitudo animarum.

Poëta quidam Græcus in epigrammatum Anthologia l. 1. narrat: puerum naufragum super patris cadavere enatasse, bis ab eo genitum, semel in terra, iterum in pelago. Alium item vectorem, procelloso mari navigantem, effractâ ventis ac fluctibus navi, cadaver fluitans arripuisse pro tabula, & in eo ad litus enatâsse. Cadaver autem istud hominis fuisse, multis olim ab eo, qui enatavit, beneficiis affecti. Itaque non vivis solùm gratitudinem cordi esse, sed etiam mortuis. *Sunt*, inquit pro narrationis epiphonemate, *remuneratrices, & mortuis gratiæ.* Sunt omnino, nec dubitare potest ullus, qui rationem & fidem consulat, si de Sanctorum animabus loquimur, cujusmodi sunt in Purgatorio universæ. Si enim ingratæ sunt, nec sanctæ sunt, quia gratitudo pars est sanctitatis. Neque enim beneficia sibi præstita ignorant, cùm sublevari sese in tormentis sentiant: neque ipsis compensandi facultas deest, cùm Deum pro aliis precari possint. Si autem, non ignaræ beneficiorum, ea vel non æstimant, vel obliviscuntur, vel benefactores nôsse non laborant, vel par pari non reddunt cùm possint, profectò ingratitudinis probro non carent, quod in amicis Dei nefas est suspicari. Ut enim daremus, neque ita exactè scire, quis quid pro ipsis præstet; neque ad compensandum valere, quamdiu in reorum adhuc, & pœnitentium, ordine detinentur. Quamquam pro certo mihi est, quemadmodùm Jeremias & Onias in limbo scivêre Judæorum mala, & multùm pro illis oravêre: ita detentas Purgatorio animas per Angelos discere benefactorum suorum nomina, & pro iis Deum, quod pro se orquerunt, exorare. Sed ut daremus, nec nôsse tunc ad perfectum ista, nec facilè posse: at in cælo saltem pernoverint, & poterunt; &, quia poterunt, benefacient, ne ingratæ sint.

VI. Erga respublicas.

Ex hoc immobili gratitudinis principio consequitur, salutares esse rebus-publicis communes pro defunctis orationes, & sodalitia ad eorum solatium instituta. Nec jam opus fuerit, ut isti stabiliendæ veritati historias proferamos, quales à multis, qui de eodem argumento scripsêre, recitantur. Recèns in Americæ urbe exorto incendio, quod opem omnem exsuperabat: postquam votum de novendiali pro defunctis sacro conceptum fuit, illicò vim flamarum posuisse.

Vetustius

Vetustius est: Eusebium Sardoniæ Principem, Regémve, arctissimè ab hostibus circumsessum, & in summum discrimen adductum, repentè copias auxiliares albatorum vidisse, quarum ope insignem victoriam reportârit. Animæ erant, de Purgatorio liberatæ, Eusebii verè pii, suorúmque precibus: quæ liberatori suo præstitum venêre, quod olim Angeli Elisæo. Similia non pauca referuntur: quibus omissis, sola nobis ratiocinationis nostræ applicatio sufficiet. Sodalitiorum, in urbibus Catholicis erectorum, suffragia tantò plus animabus prosunt, quantò potiora sunt apud Deum quæ communiter, quàm quæ privatim, præstantur. Hoc sciunt animæ, etiam adhuc in ignibus detentæ; multò magis postquam cælis receptæ fuerint. Possunt rependere gratiam, cùm in ignibus ipsis Deo benefactores commendando, tum maximè quando illinc ad beatitudinem evolaverint. Faciunt ergo, & benefactores amant; &, quia amant, eorum incolumitati student. urbes, ubi ejusmodi societates coalvêre, quàm securissimas, & diutissimè incolumes esse cupiunt, satagúntque ut conserventur, non secus atque Angeli tutelares. Prorsus, ut ex vero dicere possimus: quomodò urbibus singulis, ac provinciis, Angelos custodes Deus attribuit; sic iisdem custodes tot beatas animas attributas, quot, operâ civium ac pietate, de flammis emerserint. Atqui dubitari non debet, quin animarum custodia Angelicæ par sit, cùm Angelis Dei à Christo comparentur: non quoad Incorruptionis duntaxat prærogativam, sed quoad cæteras inde consequentes. Magnum itaque præsidium civitatibus sunt Sodalitia Defunctorum.

VII. *Erga familias.*

Ecclesiasticus Siracides c. 44. agens de priscis Patribus: *Hi sunt*, inquit, *viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum permanent bona, hereditas sancta nepotes eorum*, &c. Celebrantur familiæ nonnullæ, quarum, ab affectu erga venerabile Sacramentum, dignitas cœpit. Sunt aliæ, quarum fundamenta D. Virginis cultui, & patrocinio, insistunt. Aliquibus ex defensa religione, aut justitiâ, celebritas stabilitásque accrevit. Obedientiam Abrahami, & Davidis, longævæ illustrisque posteritatis promissio comitata est. Obstetricibus Hebræis Deus *ædificavit domos*, quia ipsum magis, quàm Pharaonem, crudeli edicto filios Hebræorum perire jubentem, timuerunt. Istis virtutibus Scriptura sacra, & historiæ Ecclesiasticæ, familiarum quarumdam incrementa, & prosperitatem tribuunt. At Siracides generatim Patriarcharum omnium misericordiæ adscribit, quòd posteritas eorum in longa sæcula floruerit, & bonis temporalibus, & sanctimoniæ laude. Ne quis tamen elogium istud, *viri misericordiæ*, passivè interpretatur, non activè; ut significet viros Dei misericordiam expertos, non autem misericordes: en tibi aliquot, de quibus dubitari non potest, quin ipsis reddita sit jam tum misericordiæ merces, posteritatis fælici diuturnitate. Sidoniæ mulieri 3. Reg. 17. cum hospitalitate venit prosperitas. Sunamitidem matronam hospitalem fæcunditas insperata, & fæcunditati addita prolis suscitatio, iidem compensavêre. Tobias, sepeliendis mortuis vacare solitus, vidit ex unico filio *quintam generationem*. Job ipse non misericordiâ minùs, quàm patientiâ, eximius, jacturâ liberorum omnium probatus, vidit postea filios filiorum suorum usque ad quartam generationem.

Quorsum ista, inquis? Ad inferendum ex simili fructum misericordiæ erga defunctos, in prosperandis perpetuandisque familiis. Ethnicis Lares, & Penates erant, familiares Dii. ausimne dicere, Christianis suos etiam esse Penates, & Lares, si familiæ concordiâ orationum & operum animas Purgatorio eripuêre, & cælo transcripsêre? Dicamus potiùs, custodes esse domorum velut gentilitios, & advigilare, ut ibi fælicitas & stirps non deficiat, ubi misericordia non defecit.

VIII. *Erga singulos in rebus temporalibus.*

Gratitudinis illud officium est; uti etiam erga singulos, quorum opem senserint. Multos novimus ad negotiorum fælicem exitum, ad itinerum securitatem, ad valetudinis conservationem, aut recuperationem, sacrificia pro defunctis aut preces curâsse, & quod petebant, impetrâsse. Et recens, anno 1658. exeunte, scio Leodii deploratam jam pridem inter conjuges, ex atrocibus suspicionibus & conviciis, concordiam, post novendialia facta ex consilio meo pro animabus curata, repentè, ac velut miraculo, redintegratam. P. Franciscus Matthojon, seu Mathæus, Leodiensis, è Societate nostra, hoc ipso anno sexagesimo secundo, quo ista scribo, mihi coram asseveravit, mox literis testatus est: Dubris, Dorobernium alii nominant, Caleturn sese horis quatuor tenuisse, post votum à se Catholicisque quibusdam itineris comitibus conceptum, de sacris ac solariis, defunctorum solatio, persolvendis: licèt in navigationis procinctu mare esset turbatissimum, periculaque à piratis nuntiarentur. Aliàs, cùm in comitatu sacerdotum quatuor, de Societate itidem nostra, Leodium tenderet, adversâ omnino tempestate. post votum de Sacris in defunctorum gratiam faciendis, exoptatam auram protinùs affulsisse. Non ita pridem P. Marcello Mastrillo, ex lapsu lethaliter ægrotanti, apparuit D. Franciscus Xaverius magno agmine comitatus, velut mæstorum hominum: dixitque eos esse, qui Mastrilli sacrificiis juvabantur, Deumque orabant; ut citò sanaretur. P. Alexis Salo, scriptor è D. Francisci familia celebris, de se ipse par. 1. parag. 2. perhibet: quotiescumque sibi, aliisve, quidpiam impetratum vellet, quinquies orationem Dominicam & Angelicam salutationem, genibus humi positis, ad Defunctorum solatium recitare, & votorum omnium compotem fieri solitum. De aliis narrant, insidias hostium elusisse, præcipitia ruinasque vitâsse, naufragii discrimen evasisse, opportuno monitu animarum.

IX. *Et in spiritualibus multò propensius.*

Sed præcipuum earum opus est, animabus succurrere, à vitiis illas abstrahere, ab occasionibus peccandi amovere, ad iter cæli deducere. Istam nobis maximè misericordiam cupiunt, quam ipsis properavimus, ut æternùm Deo fruerentur. Sic erga Nolanum civem egêre anno 1600 cùm illum de morte imminente monuerunt: sic erga monachum de quo Baronius an. 716. quem periculo mortis æternæ eripuerunt: sic erga senem in America, inveteratum dierum malorum, pellicibus implicitum, qui repentè resipuit, postquam sacerdos è nostris eo fine pro defunctis fecit, & orandum curavit. Isthæc alii ad hoc argumentum narrant. Recentiora duo profero. Ad Edmundum Villiamum, Equestris ordinis nobilem Anglum, periculoso morbo Londini laborantem, satagente uxoris fratre submissus P. Franciscus Mathojuo, ut eum ad sanam religionem revocaret, nihil apud obfirmatissimum profecit. Donec à Patre Silisdonio monitus, impetratas sæpè

divinitus converſiones errantium, Sacris pro defunctorum ſolatio perſolutis: id ad uxorem ægri retulit, quæ illico Sacra tria ſupra triginta vovit ſeſe eo fine curaturam. Poſtridie, cùm Sacra fieri cœpiſſent; æger, uxore ad ſe accitâ: Habes, inquit, cariſſima, quod optâſti, volo eſſe Catholicus: ſentio enim illuc me validiſſimâ orationum vi impelli. Evoca itaque Patrem illum Franciſcum. Quo accito, inſtructus, ad Eccleſiæ gremium reductus, in eo magnâ pietate vixit, & mortuus eſt, poſt alterum menſem. Iſtam hiſtoriam Pater Franciſcus, in Belgium redux, cùm alteri è Societate ſacerdoti narraſſet: hic poſtridie ſub octavam matutinam Sacrum pro defunctis fecit, ad impetrandam Lutheranæ cujuſdam matronæ converſionem, quam tribus abinde menſibus non viderat. Sacro vixdum abſoluto, adeſt matrona, rogatque, ut liber ſibi ad Confeſſionem apparandam præbeatur, arcanâ ſeſe vi aliquâ ad id urgeri. Accepit, ritè abſoluta eſt, in vera religione deinceps conſtans & pia perſtitit. Iſta mihi coram Hui narrata, Pater Matthojon, de cujus fide ratio dubitandi nulla eſt, literis paullò pòſt abſens, rogatu meo, firmavit.

X.
Gratitudinis catena.

Pius V. Pontifex, de quo notè, Excurſu ad caput 11. mentionem fecimus, dicere conſuêrat, gratitudinem amoris catenam eſſe, conciliandiſque hominibus vix quidquam reperiri potentius. Nec dicebat melius, quàm agebat. Nam, cum primum Pontifex Maximus fuit, ruſticano homini quingentos aureos numerandos curavit; à quo olim, quando Bergamo ob Inquiſitoris munus ſtrenuè tractatum fugiebat, hoſpitio fuerat exceptus. Adoleſcentem item, Romam evocatum, officio locuplete donavit; memor ſeſe ab illo quondam ſarcinâ, cùm pedes iter faceret, ſublevatum, exſolutumque ab eodem, in alicujus urbis ingreſſu, vectigal quod de ſarcina exigebatur, ut c. 11. Exc. ſect. 2. num. 10. narravimus. Homines, ingratæ adhuc carnis ergaſtulo clauſi, tantillorum beneficiorum meminêre: non recordentur animæ, vinculis corporis exſolutæ, quando illas hoſpitio æterno exceperis, ſarcinâ pœnarum liberâris, vectigal, quod ante ingreſſum cæli debebant, perſolveris?

XI.
Dei erga miſericordes miſericordia.

Ut ipſæ, quod abſit, meminiſſe noluerint: at Deus oblivisci non poterit. Promiſſum ejus tenemus multiplex, & ſæpiùs iteratum. Per Siracidem monuit, ut abſcondamus eleëmoſynam in pauperis ſinu: futurum, ut ea pro nobis exoret apud Altiſſimum, & mercedem recipiamus, ſi non à paupere, *certè à Domino*. Per Filium ſuum unigenitum dixit: Beatos eſſe miſericordes, *quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*: non parvam illam ſolùm & Infidelibus communem, quâ temporalia bona conferuntur; ſed *magnam* iſtam, quæ ſpiritualia & æterna largitur. Nonne ſpopondit Chriſtus, certò illi fore mercedem ſuam, qui daret egenti *calicem aquæ frigidæ*? Non dixit, quidquid præſtaveritis *uni ex minimis*, pro ſibi præſtito habiturum? Nonne de minimis Chriſti animæ illæ ſunt, uſque ad inferos humiliandæ, poſtmodùm ad cælos elevandæ?

XII.
Caritas erga defunctos, pignus & incrementum beatitudinis æternæ.

Miſericordiam igitur erga defunctos, ut animabus noſtris ſalutarem, & jucundum ſempiternæ beatitudinis pignus, amplectamur. Non dubitavit non nemo, qui vernaculâ linguâ de hoc argumento ſcripſit, aſſerere, è certiſſimis eſſe prædeſtinationis ſignis, vel unam è Purgatorio animam liberâſſe: hanc enim ita impensè pro liberatore ſuo oraturam, ut petere denique non ſineretur. Probabile id quidem, & plauſibile eſt. Sed omnino certum, quod Salv. ſcripſit l. 3. ad Eccl. *Animæ ſolatium eſt ſola innocens vita; aut, quod proximum eſt bonæ vitæ, miſericordia.* Certum item illud Auguſtini ep. 62. ad Cæleſtinum Diaconum: *Non ſic impenditur caritas, ut pecunia... Impendendo hæc diminuitur, illa augetur.* Creſcit caritas utendo: ſimul Dei favor, & æternæ gloriæ præmium, caritati reſpondens, augeſcit.

SECTIO SEPTIMA.

Expenditur ſolennis precatio pro defunctis, pſalmus De profundis.

I.
Officium Defunctorum quando cœptum?

IN ore habemus frequentiſſimè omnes ex Ordine utroque tum ſacro, tum civili, pſalmum centeſimum viceſimum nonum, quando pro Defunctis aut publicè precamur, aut privatim. Quando autem ea conſuetudo in Eccleſia Romana initium habuerit, inde paullatim ad cæteras traducta, admodùm difficile eſt definire. Vix opinor ullus dubitârit, quin cœperit ſaltem cum Officio defunctorum. At quando iſtud ipſum Officium cœptum eſt? Ab Odilone Cluniacenſi profectum, quidam exiſtimavêre, Divo juvandis animabus, earúmque Commemoratione commendandâ, inprimis celebri. Sed omnino conſtat, longè ante Odilonem Officii pro defunctis recitandi morem invaluiſſe: cùm Amalarius Fortunatus, alterum ferè ſæculum Odilone anterior, ſcribat, id fieri *ſolito more*. Belethus, Pariſienſis Doctor ſæculi Chriſtiani decimi tertii, in libro de conſideratione Officiorum divinorum, ait inſtitutum illud ab Apoſtolis, auctum ab Origene, paullatímque ad omnes manaviſſe; adducitque in ſententiam ſuam Iſidorum de Off. Eccleſ. Idem cenſet, Belethum ſecutus, Durandus Epiſcopus Mimatenſis, in Rationali Officiorum divinorum, propriâ hoc de Officio tractatione.

II.
Qui ſint ſenſus pſalmi De profundis?

Quidquid ejus rei ſit: quia pſalmum centeſimum viceſimum nonum non ſufficit in ore verſare, ſi pietas non verſetur in corde; ad hanc excitandam, ſimúlque attentionem conciliandam, varios ſenſus ſeu literales, ſeu myſticos, ſive accommodatitios, interim habere in mente poterimus. Sunt qui de Davide ipſo, ſi quidem eum pſalmum ſcripſit, interpretandum eſſe exiſtiment: vel quando in voraginem peccati ſeſe demerſit; vel cùm in abyſſum calamitatum Saülis invidia, & ambitio Abſalonis, ipſum præcipitavêre. Lorinus mavult induci ſedentem, & flentem ſuper flumina Babylonis, captivitatem Judaicam. Valentiæ magis placuit intelligere, hiſtorica literalique ſententiâ, de Patribus in Limbo concluſis, ortúmque Meſſiæ exoptantibus. Myſtico ſenſu de quolibet Pœnitente privatim explicari commodiſſimè poteſt: ideóque inter Pœnitentiales Pſalmos ab Eccleſia reponitur, ex vetuſtiſſima conſuetudine, ut ex D. Gregorii Magni explanatione manifeſtum eſt: eamdémque forſan ob cauſſam Synagoga repoſuerat inter Cantica Graduum, ſeu quæ in aſcendendis Templi gradibus recitabantur; ſeu quæ conveniebant homini cuilibet, gradum à vitiis ad virtutes facturo. Liceat etiam aptare humano generi univerſo, inter hujus vitæ mala tum ſpiritualia, tum corporalia laboranti; & propitiam Dei manum, partim ſupplicibus gemitibus, partim ipsâ miſeriarum magnitudine,

nitudine, imploramus. Piæ quidem eæ sunt explicationes: sed quæ defunctis aptatur, eósque loquentes & Deo supplicantes inducit, pulsima omnium est, plenissimáque affectûs, & accommodatissima ad Ecclesiæ mentem, hunc psalmum illis, tamquam valdè convenientem, tribuentis; ut diligenter notavit Pipinus in ps. 7. Pœnitent. lect. 97. eumque secuti Genebrardus, Titelmannus, Bellarminus, &c.

III.
Quot partes?

Quatuor ejus Psalmi partes invenio, & totidem velut argumenta, flectendæ ad parcendum defunctis Misericordiæ divinæ. Prima, versibus duobus continetur, exhibétque infælicem statum animarum, de profundis clamantium ad Dominum, ut fiant aures ejus intentæ in vocem deprecationis. Altera, versum unicum habet, Deóque repræsentat humanæ naturæ infirmitatem, ejus clementiâ dignam. Tertia, versibus tribus complectitur spem defunctorum, & fiduciam nostram de propitiando Deo, ac sustinentiam in verbis ejus, à custodia matutina usque ad noctem. Quartam absolvunt ultimi versus duo, quibus suam Deo misericordiam allegamus, ut efficacissimam patronam, & exoratricem apud cor ipsius paternum. Istis partibus, & argumentis, subjungitur perorationis instar, clausula solennis, quâ desideratam requiem, & lucem perpetuam, defunctis adpostulamus. Eam clausulam vetustissimi usûs esse patet, vel ex Sacramentario Gregoriano, ubi frequenter repetitur: ut non temerè quidam affirmârunt, Apostolicis temporibus, adeóque ab ipsis Apostolis, usurpatam.

IV.
Quàm profundum Purgatorium.

De profundis clamavi ad te, Domine, in alta voragine jacens, longè abesse à te videns, ô Deus! Adest quidem Potentia tua; instat Justitia, urget Vindicta: sed Bonitatis manus expecto, sed Misericordiæ vultum requiro, sed Clementiæ aures pulso, ut *fiant intendentes in vocem deprecationis meæ*. Vociferor quantâ possum contentione: quemadmodùm viator voragine haustus solet, ut à prætereuntibus exaudiatur, & extrahatur. *De profundis*, ex Hebræo vertunt quidam *de profunditatibus*; Symmachus, *de profundissimis*. Quomodocumque efferas, ita Purgatorio convenit, ut nulli aptiùs calamitati. Vulgò dicimus profundam tristitiam, melancholiam profundam, cùm ejus magnitudinem significanter volumus exprimere. Dicimus etiam abyssum miseriarum, voraginem calamitatum, altissimum dolorum Oceanum. Quis autem dolor, quæ calamitas, tristitiáve Purgatorio major est, unde misericordia Dei inclamari possit? Profundiores sine dubio sunt pœnæ inferorum; sed ex illis, quia æternæ sunt, Deus non invocatur: *profundum est, ubi qui est non potest caput levare de profundo*, ut loquitur Augustinus, neque implorare auxilium, cujus desperatio misericordiæ ipsius Dei digito scripta est. Conquire itaque tibi cruciatus, tormenta, mæstitiam, dolores externos, internósve, quos Purgatorio compares. Quæsiêre ante te Sanctorum Patrum multi, &c. versatis in partem omnem ingeniis, non modò non invenêre sentiendo, sed ne cogitando quidem. Patrum sententias, aliáque de gravitate & diuturnitate pœnarum Purgatorii argumenta, protulimus suprà sect. 3.

V.
Ostenditur historiâ unâ.

Duas hîc sollim addo historias ex Dionysii Riquelii Carthusiani vita, verbis totidem, quot in Floribus Ecclesiæ Leodiensis recitantur. *Vixit sub ea tempora vir multâ virtute præditus: Magistrum Ioannem Lovaniensem appellârunt. Vitam agebat insigni temperantiâ, castitate, religione, justitiâ, amore publici boni, quod suo studiosè anteferebat. Verùm has laudes obscurare putabatur Beneficiorum Ecclesiasticorum multitudine, quæ possidebat. Eorum tamen fructus religiosè admodum, & ad insignem Divini numinis amplificationem expendebat. Nam Ruræmundæ Canonicis Regularibus cœnobium condidit, & justis instruxit vectigalibus; Coloniæ, & Daventriæ collegia iis, qui se Fratres bonæ voluntatis nuncupabant. Ægre tribulationis æternum effugisse interitum existimârunt. Annis sanè pluribus graves post mortem tormenta sustinuisse, certum est. Cùm enim in Carthusia Ruræmundæ sepultus fuisset, diem mortis anniversarium ibidem in perpetuum celebrare institutum est. Primo igitur anno vertente, dum id officii persolveretur, jamque commemoretur Zacharia carmen: vidit oculis suis Dionysius super Ioannis sepulcrum flammas in eum modum conglobatas, quæ fornacis speciem referret; sed fumi obscuritate, fætoréque sulphuris, horrendas. Graviter Dionysium affecit triste hoc spectaculum, at maximè de ejus salute incertitudo, quem viventem multarum virtutum fama celebrârat. Altero die anniversario idem se visum Dionysio obtulit, sed flammâ nonnihil clariore, & minùs acri. Post tertium denique annum cùm idem dies recurreret, supra se raptus in divina Dionysius, arcana Dei judicia didicit, & altâ mentis demissione veneratus, silentio occuluit pro sua prudentia, nisi quæ cognoscerat accelerare posse defuncti hominis salutem. Quare datis quamprimum literis ad quemdam, cui Ioannis testamentum procurare demandatum erat, serio monuit, ut, rejectâ omni morâ, quod posset demortuo dolorum levamentum afferret.*

VI.
Et alterâ.

Incessit aliquando Dionysium cupido cognoscendi, quomodo se haberet pater, post quam vitâ decesserat: idque forte ex Deo admodum studiosè quærebat, quando vocem hanc ad se delapsam accepit: De parentis tui anima cognoscendi, quo in desiderio torqueris? Num esse ignoras, pro mortuorum salute preces fundere? Ne dubita ergo: quidquid in tua positum est potestate, cave omittas. Nam si in tormentis est pater, sed in via ad salutem, tuis precibus magno illi erit solatio: sin autem, in utilitatem tuam tua convertetur pietas. Responsi hujus divinitus accepti ea vis fuit, ut in orandi studio perseverârit Dionysius, non instigante jam cupiditate, arcana Numinis consilia perscrutandi, sed opis alicujus patri ferendæ desiderio. Quadam ergo nocte leve depressus somno, patrem suum inter infulaces duos genios, Æthiope nigriores, medium vidit, magnâque vocis contentione clamantem audivit: Carissime fili, miserere mei parentis tui, mihique tuis precibus subveni. Vix illa dixerat; magnâ vi abstractum dæmones in caminum ardentem injecêrunt, foresque virgis cædunt. Quæ licet in somnis vidisset Dionysius, summáque suspectæ fidei semper arbitraretur, hæc tamen in dubium revocare numquam in mentem venit. Quapropter non priùs pro patre destitit orare, quàm ille miser esse desiit.

VII.
Ex Dionisii Carthusiani vita.

Non parùm, ni fallor, ponderis habebunt historiæ illæ apud nostrates, qui civem suum esse sciunt. Dionysium, in agro Leodiensi propè Trudonopolin vico Riquelio natum, in diœcesi Leodiensi educatum, Ruræmundæ, tunc Episcopatûs Tongrensis Leodiensisve oppido, summâ virtutis ac sanctimoniæ laude vixisse; eâdem cum eximiæ sanctitatis opinione decessisse ad annum 1471. Corpus ejus, Henrici Cuiquii Episcopi Ruræmundani jussu, effossum anno 1608. repertumque integrum, & aptè hærentibus membris; sed pollice & indice dexteris, quos libris scribendis atriverat, longè reliquo corpore incorruptio-

incorruptioribus. Iſta nos ſcimus: ſed univerſo etiam orbe Chriſtiano non neſciuntur, ex quo præſertim Bozius l. 2. de ſig. Eccl. poſt enumerata ſeptem librorum genera ab illo confecta, pronuntiavit, quamquam nimium forſan exaggeratè: vix ullum prodiiſſe, *alia ætate, & ex alia gente, ab orbis ipſius fabricatione*, tantâ ſimul doctrinâ & ſanctimoniâ ornatum. Ex talis viri geſtis, & ſcriptis, alia præterea exſcripſiſſe poteramus, ad magnitudinem dolorum Purgatorii exprimendam: ſed iſta fini noſtro ſufficiunt, ut oſtendamus, meritò nos illarum misereri, & iſtud inprimis argumentum ad implorandam Dei erga illas ſuavem miſericordiam adducere.

VIII. Fragilitas & numerus peccantium excuſat.

Alterum argumentum verbis hiſce ſubjungimus: *Si iniquitates obſervaveris, Domine, Domine, quis ſuſtinebit?* Exponitur fragilitas, & proclivitas generis humani univerſi ad peccandum, &, quæ fragilitatem illam conſequitur, peccantium ingens multitudo: ut, ſi criminibus Deus nolit parcere, ſaltem parcat infirmitati, & multitudini. Solent certè rationes illæ multùm etiam apud homines poſſe: faciliùſque ignoſcunt vel omnino, vel partim, ubi plurimi ſunt rei, quos in communem culpam exempla traxerunt. Hinc in exercitibus orta decimatio militum, & ſortitio, ubi coorta ſeditio multos eâdem cauſâ involvit. Inde ſolitæ per clementes Reges, ac Principes, publicari amneſtiæ, indulgentiáque publica rebellibus civitatibus ac provinciis, poſteaquam pauci luêre: reliquos excuſante numero, quos offenſa damnaret. Lorinus in hanc rem adducit Tiraquellum, juriſconſultum celebrem, in tract. de pœnis temperan. aut remitt. jura multa præſertim canonica proferentem, exempláque, ac ſententias, & in aliis hanc tritam: *Ob populum multum crimen permanſit inultum.* Nec divinæ miſericordiæ id inſolitum eſſe, agnoſcit ultrò ipſemet Deus poſt diluvii tempus Gen. 8. cùm dicit fore, ut non maledicat ampliùs terræ propter homines, *quia ſenſus eorum, & cogitatio, prava ſunt in malum.* Nam ſi ſemper eodem exemplo juſtitiam exercuiſſet, quotuſquiſque hominum populorúmve hodie ſupereſſet? O Deus, inquit Arnobius junior in hunc pſalmum, *ſi velles conſiderare contemptum noſtrum, olim deleſſes mundum, omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei.* Rom. 3. Et quandoquidem in Angelis ſuis repererit pravitatem, quantò magis in his, *qui habitant domos luteas?* Quibus ad inconſtantiam voluntatis, ad intelligentiæ obſcuritatem, ad corporis imbecillitatem, ad concupiſcentiæ nunc mollitiem, nunc ferociam, accedunt occaſiones innumeræ culparum, & quotidiana incentiva. *Nullus eſt*, inquit Lact. de Ira Dei c. 20. *qui non peccet; & multa ſunt, quæ ad peccatum irritent, ætas, violentia, egeſtas, occaſio, præmium. Adeò ſubjecta eſt peccatis fragilitas carnis, quâ induti ſumus: ut niſi huic neceſſitati Deus parceret, nimium fortaſſis pauci viverent... Si eos omnes, qui humanam pœnam effugiunt, cenſura divina damnaret, eſſet homo aut rarus, aut nullus.*

IX. Maximè in animabus Purgatorii.

Et nimiùm pauci longa in flamis piacularibus ſupplicia evaderent. Legimus in D. Ludgardis, è Tongrenſi virgine Ciſtercienſis religioſæ, vita, Simonem Fontacenſem Abbatem, quicum ipſi neceſſitudo arcta interceſſerat, virum rectè ſummopere amantem; nihilque aliud fermè peccantem, quàm quòd rigidus nimis eſſet virtutis exactor; ob eam ipſam cauſſam ad annos undecim ignibus purgantibus addictum: quod tempus preces, jejuniáque Ludgardis contraxêre. In eadem vita narratur: Jacobum Vitriacum Cardinalem, ſanctimoniæ eo ævo ſingularis, ternas noctes totas binóſque dies peccata flamis expiâſſe: idque ipſummet, Ludgardi apparentem, dixiſſe, cùm in cælum inter Beatorum agmina, jam ſuppliciis liber ac triumphandus, abſcederet. Edita fuit hoc ſæculo Gallicè vita B. Joannis de Montemirabili, ex Cameracenſi Caſtellano, in aula Francica Regiorum amicorum intimo, latifundiorum domino, opum largiſſimarum poſſeſſore, Ciſtercienſis religioſi in Longi pontis monaſterio. Is cùm adhuc aulam frequentaret, noſocomium in oppido ſuo Montemirabili exſtruxerat, faciebátque quotidie, quod aliquando D. Fabiola in ſuo; ſæpè, quod ſemel D. Catharina Senenſis & D. Franciſcus Xaverius, ut odorem putridorum corporum hauriret, & pus ipſum, ex ulceribus defluens, oſcularetur. Ocſinei, vico propè Cameracum, ubi toparcha erat, pauperes in lecto ſuo frequenter collocavit, humi ipſe decumbens: leproſos obvios amplecti ſolitus, ut fratres, unius aliquando putridam, & ſanie intinctam tunicam, cum ſua commutavit, aliàs generoſum equum ſuum cum ſtrigoſo alterius. Qui tam eminenter ſanctus fuit, inter exempla vitiorum: quid egit poſteà monachus Humilis; id enim ipſi agnomen datum eſt, inter exempla virtutum? Is tamen, tam inculpatè tranſactâ vitâ, ſimili morte defunctus, triduum totum in Purgatorio detentus eſt, perſolvendis culparum reliquiis. Si iſtis fidem habemus: quidni autem habeamus, cùm ratio divinæ juſtitiæ ad experientiæ teſtimonium accedat, ſenſuſque Eccleſiæ univerſæ, ut ſuprà diximus? Si ergo vera ſunt iſta: nonne meritò allegamus Deo multitudinem reorum, tormenta patientium? Quis enim non uretur, ſi tales arſêre? Cui non expianda poſt mortem plurima, diuque ſupererunt, ſi talibus ſuperfuêre? Si talium iniquitates Dominus obſervat, quis cæterorum ſuſtinebit? Itaque, cùm *contagio peccandi multitudinem invaſerit, divinæ diſciplinæ miſericordia neceſſaria eſt*: ut loquitur Auguſtinus l. 3. con. ep. Parm. c. 2. & refertur 23. q. 4. c. non poteſt.

X. Argumentum à ſpe in Deum.

Sed quia ratio iſta non omnino efficax eſt, ſubdimus potentiorem, à ſpe & fiducia in Deum; ejuſque virtutis motiva, naturam, durationem, pauculis verſibus complectimur alibi à nobis paullò fuſiùs indicata. Motiva ſunt, *Propitiatio* Dei, ſeu clementia ejus, facilè propitiabilis. *Lex* ejus, ubi ipſum timentibus, ſeróque ad juſtitiam converſis, ſæpiſſimè culparum omnium indulgentia promittitur: *Verbum* ejus, quod nec falli nec fallere poteſt, certiſſimâ in exequendis promiſſis omnibus fidelitate: Naturam ſpei ſignificant ea verba, *Speravit anima mea in Domino*: eſt enim ſpes non oris, labiorum, oculorum, ſed animæ motus in Dominum, ad quem ut bonum ſuum adſpirat, ipſiuſmet fretа præſidio. Durat autem *à cuſtodia matutina*, à pueritiæ ortu, *uſque ad noctem* decrepitæ ſenectutis, & mortis. In proſperitate Chriſtianos comitata, in calamitate non deſerit. In hujus vitæ crepuſculo mentes Fidelium conſolata, erigit etiam in Purgatorii tenebris, & cæli lumen inter umbras aperit. Miſerere igitur, ô Deus, ſperantium in te, qui per Mathathiam moribundum dixiſti: *Cogitate per generationem, & generationem, quia omnes, qui ſperant in illum, non infirmantur.* Id argumentum, ut valdè efficax, non prætermiſit Eccleſia, in

sacrificio pro defunctis, Deum deprecans pro quolibet filiorum suorum: *ut quia in te speravit, & credidit, non pœnas inferni sustineat, sed gaudia æterna possideat.* Quamquam & fragilitatem solitì sumus allegare: *Et quæ per fragilitatem carnis humanâ conversatione commisit, tu veniâ misericordissima pietatis absterge.*

XI. Potentissimum, à divina misericordia, & redemptione.

Validissima rationum omnium, quæ clementiæ divinæ exorandæ proponi possint, in ipso est; *Misericordia* ejus, *Redemptio* ejus. *Apud Dominum misericordia*; velut apud judicem assessor, advocatusque, & exorator. *Apud Dominum misericordia*, quia proprium ejus est opus, misereri: semper ad manum habet miserationes, quæ sunt super omnia opera ejus. *Et copiosa apud eum redemptio*: non sola apud ipsum est misericordia, sed etiam justitia: itaque, ut justitiæ satisfiat, *redemptio* apud illum est, seu pretium redemptionis, & quidem adeò copiosum, ut inde quantumlibet sumpseris, tantumdem residui sis inventurus. Arca enim ista, pro animarum nostrarum lytro, meritis Christi impleta est, quæ, quia infinita sunt, numquam exhaurientur. Illuc respiciebat Psalmista, tùm dixit; *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.* Dicamus nos modò, *Et ipse redemit Israël*: factum enim est, quod Psalmista tantò antè prævidit futurum: Christi *Mite corpus perforatum est, unde fluxit & cruor, Terra, Pontus, astra, mundus, Quo lavantur flumine.* Satis aquæ & sanguinis de perfosso Salvatoris latere manavit, ut terra irrigetur universa; ut solitudo limbi fœcundetur, & efflorescat; ut flammæ Purgatorii exstinguantur; ut ipsa Inferorum incendia obruantur, nisi damnati obstinatâ ad malum voluntate obsisterent. *Redemit* igitur Christus, & *apud Deum redemptio* est: sed nos arcam orationibus aperire, bonis operibus tamquam manibus pecuniam illinc sumere, & Justitiæ divinæ pro liberandarum animarum lytro exsolvere debemus. Manavit sanguis pacificæ victimæ: sed eum colligere & animabus affundere oportet; ut earum misereatur Deus, tùm secundùm miserias, fragilitatem & fiduciam ipsarum, tum præsertim *secundùm magnam misericordiam suam.*

XII. Misericordiæ divinæ insigne specimen.

Sic pro parentis sui requie egit, abhinc annos viginti, Elisabetha Thornia, Devoniensis in Anglia puella. Tricenaria erat, & triennio tantùm Catholica fuerat, quando parentem, ad extrema deductum, hortari cœpit, ut Catholicus moreretur, securiùs exiturus ad judicem. Assensit parens, & conquiri jussit sacerdotem: qui cùm nusquam inventus esset in vicino, morsque instaret; monuit parentem filia, ut actum Contritionis ederet, eique præivit. Abiêre duo, tresve, à morte paterna menses, cùm filiæ, soli in cubiculo Deum precanti, visus est homo syndone, cui crux rubra impressa erat, indutus. Non ausa percunctari quis esset, Patri Hillin è Societate nostra rem denarravit: à quo confirmata, ut bono animo esset, audactèrque, si rursus idem videretur, interrogaret, nihil enim mali cruce portendi: apparentem spiritum eâdem formâ, interrogavit, quid ageret, & vellet. Pater, inquit, tuus sum, vestróque actum gratias, quòd me docueris mori Catholicum, & rogo, ut sacra pro me tria cures, quibus factis quiescam, & tibi iterum gratias agam. Curata sunt sacra: denuò apparuit spiritus læto vultu; gratiisque habitis, rogavit filiam, ut matrem, sororem, fratrem, ad religionem Catholicam addicere conaretur. Vulgatâ per Angliam historiâ, Pater Franciscus Matthojon sub annum sæculi quinquagesimum, ut de veritate securus esset, Elisabetham ipsam, per timorem Dei, in re tanta summopere formidandi, adjuravit, ut fateretur quod res erat: fassa est, aliud nihil, quàm quod narravimus, à se dici coram Deo posse. Hæc mihi coram denarravit Pater Matthojon Martio anni sexagesimi secundi: scripsit, literis mihi redditis octavâ Aprilis.

XIII. Cur defunctis optemus requiem, & lucem.

Magna Dei misericordia est, *requies æterna, & lux perpetua.* Hanc Defunctis flagitamus: eò spectant postulationes nostræ, eò indulgentiæ & sacrificia: ut requiem illis Deus donet, & lucem. Illam in Purgatorio non habent, quia cruciantur pœnâ sensûs: hac etiam carent, quia torquentur pœna damni, nec Deum vident. In cælo requiem invenient, quia fugiet dolor & gemitus, & omnis lacryma abstergetur ab oculis Beatorum, sine ullius mali vel sensu, vel metu. Lucem in cælo adspicient, quia non solùm carebunt omni malo, sed bono etiam omni potientur. Fulgebunt ipsi sicut Sol, lucidam videbunt societatem Sanctorum, radiantem Virginis vultum intuebuntur, cernent micantia Salvatoris vulnera, admittentur in adyta intima lucis inaccessæ, & videbunt Deum sicuti est. O requies æterna! O lux perpetua! O summæ beatitudinis fons indeficiens! O satietas mentium beatarum! O desiderium animarum inter ignes gementium! O solatium Christianorum adhuc in corpore languentium! *De profundis clamavi ad te, Domine, Domine, exaudi vocem meam*: exaudi pro defunctis, exaudi pro vivis, exaudi pro aliis, exaudi pro me, qui non cessabo clamare ad te, donec aures tuæ intenderint in vocem deprecationis meæ.

CAPUT

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

ARGUMENTUM.

Antiochus Eupator, cum Lyſia & exercitu numeroſiſſimo, rurſus in Iudæam movet: Menelaumq́, qui ſeſe illi ſpe recuperandi Pontificatûs adjunxerat, præcipitem de turri in cineres dari jubet; monente Lyſia, ipſum eſſe malorum omnium auctorem. Iudas, audito hoſtium adventu, indictíſque publicis ac continuis orationibus, ad implorandam Dei opem, Hieroſolymâ cum ſuis ad oppidum uſque Modin progreditur, & nocturnâ irruptione Syrorum caſtra perturbat, caſiſq́, eorum millibus quatuor, & elephantorum regiorum maximo, revertitur. Rex poſt acceptam cladem cautior, promotis Hieroſolymam versùs copiis, Bethſuram obſidet. Obſeſſis neceſſaria ſubmittit Iudas, & Rhodocum quemdam, arcanorum ſuorum proditorem, comprehendit. Potitus tamen denique Bethſurâ Antiochus, paullò pòſt aliquam rurſus à Iuda cladem accipit: dein rebellione Philippi nuntiatâ conſternatus, Iudæ pacem offert, ipſumq́, honoribus & præfecturis ornat, Templum donariis; firmatáque amicitiâ in Syriam revertitur. Ægrè tulêre Ptolemaidenſes cives hanc Iudæ gloriam; propéque erat, ut tumultuarentur, niſi Lyſias, expoſitis pro concione cauſſis, motum compeſcuiſſet.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

℣. 1. ANNO centeſimo quadrageſimo-nono, cognovit Iudas Antiochum Eupatorem venire cum multitudine adverſus Iudæam, 2. & cum eo Lyſiam procuratorem & præpoſitum negotiorum, ſecum habentem peditum centum decem millia, & equitum quinque millia, & elephantos viginti duos, currus cum falcibus trecentos. 3. Commiſcuit autem ſe illis & Menelaüs: & cum multa fallacia deprecabatur Antiochum, non pro patriæ ſalute, ſed ſperans ſe conſtitui in principatum. 4. Sed Rex regum ſuſcitavit animos Antiochi in peccatorem: & ſuggerente Lyſia hunc eſſe cauſſam omnium malorum, juſſit (ut eis eſt conſuetudo) apprehenſum in eodem loco necari. 5. Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggeſtum undique habens cineris: hæc proſpectum habebat in præceps. 6. inde in cinerem dejici juſſit ſacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum 7. Et tali lege prævaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum. 8. Et quidem ſatis juſtè: nam quia multa

multa erga aram Dei delicta commisit, cujus ignis & cinis erat sanctus, ipse in cineris morte damnatus est. 9. Sed Rex mente effrænatus veniebat, nequiorem se patre suo Iudæis ostensurus. 10. Quibus Iudas cognitis, præcepit populo, ut die ac nocte Dominum invocarent, quò, sicut semper, & nunc adjuvaret eos: 11. quippe qui lege, & patriâ, sanctóque templo privari vererentur: ac populum, qui nuper paullulùm respirasset, ne sineret blasphemis rursus nationibus subdi. 12. Omnibus itaque simul id facientibus, & petentibus à Domino misericordiam, cum fletu & jejuniis, per triduum continuum prostratis, hortatus est eos Iudas ut se præpararent. 13. Ipse verò cum senioribus cogitavit, priùs quàm Rex admoveret exercitum ad Iudæam, & obtineret civitatem, exire, & Domini judicio committere exitum rei. 14. Dans itaque potestatem omnium Deo mundi creatori, & exhortatus suos ut fortiter dimicarent, & usque ad mortem pro legibus, templo, civitate, patria, & civibus starent, circa Modin exercitum constituit. 15. Et dato signo suis Dei victoriæ, juvenibus fortissimis electis, nocte aggressus aulam regiam, in castris interfecit viros quatuór millia, & maximum elephantorum cum his qui superpositi fuerant: 16. summóque metu ac perturbatione hostium castra replentes, rebus prosperè gestis, abierunt. 17. Hoc autem factum est die illucescente, adjuvante eum Domini protectione. 18. Sed Rex, accepto gustu audaciæ Iudæorum, arte difficultatem locorum tentabat: 19. & Bethsuræ, quæ erat Iudæorum præsidium munitum, castra admovebat: sed fugabatur, impingebat, minorabatur. 20. His autem, qui intus erant, Iudas necessaria mittebat. 21. Enuntiavit autem mysteria hostibus Rhodocus quidam de Iudaico exercitu, qui requisitus comprehensus est, & conclusus. 22. Iterùm Rex sermonem habuit ad eos, qui erant in Bethsuris: dextram dedit: accepit: abiit. 23. Commisit cum Iuda: superatus est. Vt autem cognovit rebellasse Philippum Antiochiæ, qui relictus erat super negotia, mente consternatus, Iudæos deprecans, subditusque eis, jurat de omnibus quibus justum visum est: & reconciliatus obtulit sacrificium, honoravit templum, & munera posuit. 24. Machabæum amplexatus est, & fecit eum à Ptolemaide usque ad Gerrenos ducem & principem. 25. Vt autem venit Ptolemaidam, graviter ferebant Ptolemenses amicitiæ conventionem, indignantes, ne forte fœdus irrumperent. 26. Tunc ascendit Lysias tribunal, & exposuit rationem, & populum sedavit, regressusque est Antiochiam: & hoc modo Regis profectio & reditus processit.

COMMENT. AD CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

Eupatoris in Judæam expeditio cum ingentibus copiis.

℣. 1. 2. ANNO CENTESIMO QUADRAGESIMO NONO, ex hujus libri & Macedonum chronotaxi, annos incipientium à mense Septembri: anno verò centesimo quinquagesimo ex chronotaxi libri prioris, & Judæorum annos inchoantium à mense Nisan, seu Lunæ Martii. En igitur anno, *Iudas cognovit Antiochum Eupatorem, & cum eo Lysiam* ingentes copias trahere in Judæam. Causa expeditionis notatur l. 1. c. 6. v. 18. obsidio scilicet arcis Hierosolymitanæ per Judam Machabæum. Ibidem v. 28. conciliavimus numeros copiarum, valdè discrepantes: diximusque, in hoc libro recenseri prout erant, cùm è Syria processere; in priore verò, prout erant, cùm Judæam auctiores intravêre.

Ad ejusdem capitis versum 37. *Super singulas bestias viri virtutis triginta duo*, dicebamus, primâ ejus de elephantorum oneribus difficultatis solutione, transpositionem seu hypallagen in ea sententia posse intelligi: ut non significentur viri triginta duo singulis elephantis impositi, sed elephantis triginta duobus milites impositi, numero utique vario pro virium portione. Eam solutionem à Mariana esse, non adverteramus, auctorem alioqui laudaturi: advertit recentior, à me postmodum lectus; & cum hoc dicto rejecit, *male Mariana*. Sed, recentioris istius pace, commendabilis est Marianæ explicatio, tantum abest ut condemnanda sit. Neque enim inusitatæ sunt Hagiographis locutiones istiusmodi translatitiæ, ut eo loco notavimus. Probo tamen, quod ait iste recentior, & nos ibidem non paucis adstruximus; in eo

Repetitur ex lib. 1. de oneribus elephantorum difficultas.

in eo elephantorum Indicorum robore & gestatione incredibile nihil esse.

Cur Lysias nuper elephantos plures habuerit, quàm modò Eupator?

Superest difficultas una, hujus libri propria. Suprà c. 11. v. 4. vidimus, Lysiam in expeditione sua numerasse *elephantos octoginta*: hic in ipsius Regis expeditione viginti duo tantùm recensentur, in libro priore omnino triginta duo. An ergo apparatu majore procurator Regius, quàm Rex ipse, processit? An mensium circiter tredecim spatio tantopere belluarum, Syris tam cararum, numerus imminutus est? Imminutus omnino esse potuit, cùm morbis caussisve aliis, tum Romanorum mandato, conditiones pacis urgentium, ut ad eum istius capitis locum diximus, ubi etiam aliam hujus difficultatis solutionem idoneam indicavimus.

Menelai justum supplicium.

℣. 3. usque ad 9. COMMISCUIT AUTEM SE ILLIS ET MENELAUS, & Regi se adjungit, artibus solitis satagens dignitatem, quam antè sacrilegè possederat, novis fraudibus rursum vindicare. Sed qui sese exaltare supra meritum conatus est, ex merito de excelsa turri dejectus in præceps, infælicem animam in cineribus evomuit, sacrorum cinerum profanus attrectator, & contaminator. Accusavit sceleratum hominem, & malorum Judææ incentorem Lysias: Eupator supplicio damnavit, quod Superi ratum habuêre, inferi excepêre.

Beroeæ necatus est.

Quæres, quo loco Menelaus interemptus? Latinus interpres omisit, aut librarii neglexêre: sed Græca exemplaria exprimunt v. 4. hunc in modum: *jussit*, Eupator, *ut consuetudo est, in eo loco, abductum Beroeam necari.* Est autem Beroea civitas Syriæ, quam quidam Hierapoli, alii Antiochiæ, nonnulli Epiphaniæ eamdem faciunt. Apud Salianum Ptolemæus eam ponit ad fluvium Singam propè Hierapolin: Procopius æquidistantem facit dieі itinere ab Hierapoli, & Antiochiâ. Apud Serarium Zonaras, Cedrenus, Nicetas, Turcici Pandectæ scriptor, eamdem esse aiunt, quæ hodie Alepum dicitur. Guilhelmi Tyrii historiis celebratur Alapia, unde Turcorum potentes Satrapæ, Antiochenis infestissimi, Christianorum jurati hostes, rediviva identidem bella suscitabant: donec Saladinus deturbato domino suo, eâ potitus, Christianos oppressit, & Latinum in Oriente nomen fermè totum extinxit.

Post hoc bellum, ut quidam censuêre, non incommode justitia.

Quæres deinde, quo tempore occisus? Ex narrationis ordine, quem seriei historicæ n. 73. & l. 1. c. 6. v. 31. secuti sumus, synopsis item num. 47. expressimus; videtur occidi jussus in ipsu ad bellum procinctu, ac profectione. Non rejicio tamen, quam Serarius non omnino respuit, Gorionidæ sententiam, dicentis, Menelaüm supplicio affectum, peracto Eupatoris cum Judæis bello, & pace initâ. Id etiam Salianus non improbabile censet; vix enim Menelaüs à Lysia commodiùs accusari potuit, quàm post pacem: tum ut omnis Machabæo tolleretur malæ fidei, & conniventiæ cum transfugarum capite, suspicio: tum ut in sceleratum unum caput conjiceretur caussa omnium malorum successuum, velut in publici odii victimam, & hircum emissarium: tum ut, partâ jam pace, & commeantibus ultrò citròque Judæis ac Syro-Græcis, celebrius esset ac notius, atque adeo utilius publicè supplicium, quandoquidem supplicia infligi magis ad exemplum debent, quàm ad pœnam: tum denique, ne in ipso ad bellum procinctu properata nimis pœna videretur, quam tamen distulisse plerumque non nocuit, quia festinata revocari nequit, quantumvis procrastinata infligi potest. Si, ob hasce rationes, placuerit Menelai supplicium paci, ab Eupatore cum Judæis initæ, postponere; dicas, ab Hagiographo nostro, qui de Menelai fraudibus & criminationibus narrare inceperat, eâdem narratione mortem absolutam: ut res, non tempore quidem, sed caussâ conjunctas non disjungeret.

Quæ caussa mortis?

Quæres tertiò, quæ Menelao caussa mortis? Si Deum adspicimus, vindictæ suæ exemplum voluit in illo statuere, ideóque *Rex Regum suscitavit* per Lysiam *animos Antiochi*. Si homines adspicimus, occiditur, eò quòd *caussa fuerit omnium malorum*, seu dissidiorum Judæos inter ac Syro-Macedones, Judæorúmque ipsorum inter se, ac præsertim Hierosolymitanorum civium, ut hic Lysias accusat v. 4. & ex antedictis c. 4. & 5. intelligitur. Occasio tamen proxima ferendæ in ipsum sententiæ fuit, quòd hoc ipso bello, spe potiundi Pontificatûs, Eupatorem circumvenerit *multâ fallaciâ*, Græcè εἰρωνείας ironiis, id est sermonibus fallis, atque figmentis, ut adversùs Judam sollicitaret.

Quod supplicii genus.

Quæres quartò, quo supplicii genere, aut modo, sublatus sit? Non satis aperta est Latini textûs sententia, Græco juvabitur: sic enim habet v. 5. & 6. *Est autem in eo loco turris quinquaginta cubitorum, plena cinere, aggestum habens in fundo cineris copiam. Hæc autem instrumentum habebat rotundum, undique præceps in cinerem: hîc sacrilegii reum, & quorumdam aliorum malorum patratorem, omnes protrudunt ad interitum.* Ex quibus intelligere est, intra editam turrim, plurimùm in imo cineris fuisse, in summo machinam circumversantem, in qua reus collocatus protrudebatur per satellites, aut carnifices, & circumvolutâ rotâ in cineres subjectos effundebatur. Quod ergo in textu nostro dicitur, ea turris *aggestum cineris undique* habuisse, intellige, undique intra muros, non autem extra: Cineres etiam illos, ut demergerent, ac suffocarent reum præcipitem, pulvereos ac minutos fuisse necesse est.

Cinerum supplicium usitatum.

Id supplicii genus Persis olim usitatum fuisse, testis est Ctesias, apud quem Artyphius & Arsites à Dario Notho, Secundianus Rex ab Ocho in cinerem conjectus traditur, apud Serarium. Commemoratur etiam ab Ovidio eleg. in Ibin,

Utque necatorum Darii fraude secundi,
Sic tua succensus devoret ossa cinis.

Ubi Ovidius videtur existimare, cineres illos adhuc ab igne recentes fuisse, imò & ignem sub illis latuisse: quod tamen non satis capio. De hoc supplicio plura reperies apud Alexandrum, ab Alex. l. 3. Genialium c. 5.

Quid illo supplicio significatum?

Quæres denique, quid illo Menelai supplicio significatum nobis Deus voluerit? Ex Hagiographo discimus, spectatam à Deo convenientiam pœnæ cum culpa: *Lege contigit mori, legis prævaricatorem; nec terra dari*, terræ turbatorem. *Et quia multa erga aram Dei delicta commiserat, cujus ignis & cinis erat sanctus; ipse in cineris morte damnatus est.* Addo, quemadmodùm sacrilegiis Menelai congruum omnino fuit supplicium, ita ejusdem ambitioni & calumniis apprimè conveniens. Pulvis enim & cinis est, quidquid ambitiosè in hac vita quæritur. Itaque de summa turri qui nimis sese extulerat deturbatus ad imum, pulvere satiatur moriturus ambitiosus: quomodò auro Cyrus avarus post mortem ingurgitatus est. Deinde ad linguam dolosam meritò adduntur sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis cineribùsque

cinerib usque jure obstruitur os loquentis iniqua.

Eupatoris in Judæos ira qualis.

℣. 9. SED REX MENTE EFFRÆNATUS; tum Menelai, tum aliorum criminationibus, adversùs Judam ac Judæos summopere exacerbatus, laxatis iræ præcipiti frænis *veniebat nequiorem se*, & crudeliorem, *patre suo*, quamvis epimane ac rabido, *Judæis ostensurus*, rapinisque, ac cædibus, & omni sævitiæ genere, in illos grassaturus. Quo autem pacto ira, furor, agitatio crudelium consiliorum, puero tribuantur, diximus l. 1. c. 6. ad v. 28.

Oratio Judæorum.

℣. 9. usque ad 13. QUIBUS JUDAS COGNITIS, PRÆCEPIT POPULO auctoritate Pontificia, *ut die ac nocte Dominum invocarent.* Obedivêre Judæi legitimæ potestati, & *per triduum continuum* adhibitis etiam *jejuniis* oravêre. Quod autem dicitur, illos toto triduo fuisse prostratos, intellige, id continenter factum à quibusdam *prostratis* ante altare in Templo, omnium nomine. Sacerdotum id erat officium, ut inter vestibulum & altare plorarent ministri Domini. Perpetuam suam consuetudinem servat Machabæus, ut omnia inchoet à Deo, uti ad Deum omnia referebat. Post orationem *hortatus est suos, ut se præpararent* ad discrimen imminens, nondum tamen solutâ omnino obsidione arcis Hierosolymitanæ, ut priore libro diximus c. 6. v. 32.

Judas cum suis progreditur adversus Eupatorem.

℣. 13. 14. IPSE VERÒ Machabæus, habito *cum senioribus* consilio, *cogitavit, priusquam Rex admoveret exercitum ad Judæam* strictè dictam, *& obtineret civitatem* Hierosolymam, quam mœnibus infirmam tueri adversùs tantas copias nimis difficile erat, *exire, & Domini* justo *judicio committere exitum rei.* Perstabat scilicet Judas in illo suo pii juxtà, ac fortis, animi decreto: *sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat* l. 1. c. 3. *Dans itaque potestatem omnium;* res omnes suas, & Judaicas, credens ac magnâ fiduciâ & indifferentiâ permittens *Deo, mundi creatori*, & iterum hortatus suos de more validissimis argumentis, à religione & libertate ductis, *ut pro legibus, Templo, civitate, patriâ*, omni terrâ fortiùs fuæ, *civibus starent*, circa Modin ubi recuperandæ libertatis initium à Mathathia factum erat, exercitum constituit, id est partem copiarum: alterâ ad continuandam obsidionem arcis relictâ.

Cur Modin versùs iverit?

Quorsum autem in Modin progressus est Machabæus? Libro enim priore c. 6. ad v. 31. existimavimus, Eupatoris copias per utramque Idumæam iter fecisse: de Cœlesyria in Galaaditim progressas, inde per Moabitidem ad mare mortuum, deinde sparsas per Australis Idumææ fines Judææ conterminos. Atqui Modin in eo itinere non erat, ut ibi Machabæus Eupatori occurrere vellet, antequam in Judæam penetraret. Potiùs Jordanem versùs & Jerichuntem, eundum fuerat, ut illi occurreretur. Respondeo: Eupatoris copias, cùm à Jordane in fines Idumææ Australis descendissent, latè fundi potuisse, tum prædandi causâ, tum pabulandi & aquandi; tum etiam ad quærendos à mari commeatus: ut commodè ad damnum illis inferendum procedere in Modin Judas potuerit. Per me tamen licet, ut dicatur Eupator Antiochiâ per Phœnicen in Palæstinam iter fecisse, commodiori ad accipiendos commeatus viâ: cumque Joppen aut Jamniam venisset, sursum versùs iter reflexisse, ubi Judas ipsi occurrerit, nocturnâque irruptione eum coegerit deflectere in Idumæam, non Hierosolymam rectà ducere.

Ejus irruptio prospera in castra Regis.

℣. 15. 16. 17. ET DATO SIGNO SUIS DEI VICTORIÆ, seu Dei victoris tesserâ militari indictâ; ut vel hoc ipso testaretur à Deo exspectari, eique jam nunc acceptam ferri victoriam: *juvenibus fortissimis electis*, eorum enim est agere, senum consultare, itaque cum senibus captum consilium exequuntur juvenes: *nocte aggressus aulam Regiam*, sive stationem Regis propiùs ad mare admotam, ad commodiorem situm, interfecit quatuor millia: in quibusdam Græcis apud Nobilium habetur *δισχιλίους* duo millia, olim in Vulgatis quibusdam legebatur quatuordecim millia: *& elephantorum maximum*, cum sessoribus, Regiáque castra terrore complevit. *Hoc autem factum est, die illucescente.* Nocte cœpta est irruptio sub crepusculum, quando sopor milites, seriùs indormiscere solitos, maximè occupat: horam unam atque alteram mutuum cædes tenuit: ita ad crepusculum, & ad auroram, sive ad diem illucescentem, pugna perducta est; *quibus rebus prosperè gestis* Judæi *abierunt*, séque celeriter Hierosolymam, quò Eupator tendebat, receperunt.

Duæ Judæ cum Eupatore pugnæ.

De hac pugna diximus lib. 1. c. 6. v. 31. & fusiùs v. 42. aliam omnino esse ab ea, quam ad Bethsuram accidisse narrat scriptor libri prioris. Hæc enim noctu contigit: ista autem luce jam clarâ, & Sole resplendente in clypeos aureos. In hac quatuor millia hostium cæsa; in ista omnino sexcenti. Hæc ante obsidionem Bethsuræ facta: ista obsidionis tempore. Utramque tamen pugnam Salianus confudit: alii distinxêre, & verò omnino distinguenda est.

Eupatoris elephanti duo occisi.

De elephantorum maximo occiso controversia esse potest, idémne sit, qui ab Eleazaro occisus ex libri prioris narratione, an alius. Liranus & Serarius, qui pugnas duas statuunt, eumdem tamen elephantum faciunt interfectum. Sed pugnis duabus positis, consequens est, ut dicamus, quod etiam libro priore diximus, elephantos duos interfectos: maximum unum in hac pugna: alterum, residuorum etiam maximum, Regiis ornatum insignibus, in obsidione Bethsurana. Constat enim ex hoc loco, in pugna nocturna, sub diem albescentem, elephantum unum occisum. Constat item ex illo prioris libri loco, post Solis ortum, postquam radii in montes & in arma inciderant, alterum suffossum. Ob easdem ergo rationes duplicanda est elephantorum cædes, ob quas pugna duplicatur.

Eupator obsidet Bethsuram.

℣. 18. 19. SED REX, ACCEPTO GUSTU AUDACIÆ JUDÆORUM, cautiùs ordines ducebat, nec viribus solùm: sed etiam *arte* difficultates *locorum*, quà ibatur, in montanis Judææ Idumæam versùs sitorum, *tentabat*: Bethsuræ præsertim capiendæ inhians, eò quia erat *præsidium Judæorum munitum*, arcique Hierosolymitanæ tuendæ, & continendis Hierosolymitis opportunissimum, ut libro 1. dictum est. Id præsidium cùm latè circumfuso exercitu vallâsset, machinisque obsidionalibus quassaret, *fugabatur, impingebat, minorabatur*, id est ejus copiæ variam cladem patiebantur, & atterebantur: erumpentibus scilicet nunc hac, nunc illâ parte, frequenter ac feliciter præsidiariis Bethsuranis, obsidionémque fortiter sustinentibus *dies multos*, ut habetur l. 1. c. 6. ubi etiam dicuntur obsessi succendisse machinas obsidentium, & pugnâsse viriliter.

Judas obsessis alimenta subministrat.

℣. 20. HIS AUTEM, QUI INTUS ERANT, JUDAS, nondum desertâ obsidione arcis Hierosolymitanæ, NECESSARIA MITTEBAT, id est

commeatum tum annonarium, tum bellicum: illum præsertim, quo verosimile est obsessos eguisse per annum sabbaticum. Et forsan inde, præter aliam caussam l. 1. c. 6. v. 53. indicatam, factum, ut Judas ipse, mox per Eupatorem in Templi munitionibus obsessus, citiùs opinione eguerit, diminutis scilicet penuariis, & apothecis, ad præsidii Bethsurani subsidium.

Per subterraneos meatus.

Quâ autem viâ submissus obsessis commeatus, trans hostiles copias, undique tendentes? Indicavimus seriei historicæ num. 76. factum id per occultos meatus, id est cuniculos subterraneos, quales facillimè duci potuerant à munimentis Templi ad munimenta Bethsuræ, quinque omnino stadiis Hierosolymâ dissitæ. Eratque id valdè commodum, ut tum Templum Bethsuræ præsidio esset, tum Bethsura Templo, contra faciem Idumææ, ut l. 1. c. 4. v. ult. dictum est.

Rhodocus eos prodit, & capitur.

℣. 21. ENUNTIAVIT AUTEM MYSTERIA HOSTIBUS; arcanos illos meatus alimentis Bethsuram inferendis Eupatori detexit, *Rhodocus quidam de Judaico exercitu*, adeòque illorum conscius: *qui requisitus, comprehensus est, & conclusus.* Quando, & à quo requisitos? An ab Eupatore, cùm Eupatoris milite, dum Bethsurâ, vel Hierosolymâ in Syro-Macedones erumperet: & tormentis fateri coactus, obi essent commeatuum occultæ viæ? Ita censet Liranus. In serie tamen historica Saliani, ac Tirini, longè probabiliorem, & Scripturæ verbis convenientiorem sententiam, secuti sumus: Rhodocum arcana perfidè prodidisse. Quod cùm Machabæo subolnisset, aut apertè per exploratores patuisset, quæsitus est proditor, captusque, & vinculis mancipatus; si fortè conscios aliquos criminis haberet, & accusaret.

Mors est conclusio.

Quamquam & vox, *conclusus*, significare possit interemptum, phrasi non incognitâ Scripturæ, neque incongruâ. Neque enim reorum ullus magis concluditur, quàm qui occiditur: morsque non corpus solum sepulcro claudendum tradit, sed animam colligandam ergastulo vel inferorum, vel purgatorii, vel eo ævo limbi. Itaque optimæ conclusio appellari potest: eâ etiam sententiâ, quâ conclusionem in scholis usurpamus. Sit enim vita argumentatio, aut in argumento habeat antecedentis vel præmissarum instar: mors consequens est, & conclusio, quæ imaginem habet antecedentis, & totam ab eo vim suam trahit. Nam mors talis, qualis vita. Invenio à Tertulliano aliquid non absimile dictum l. de Anima: *Nunc ad ordinem mortis, quia nec illam sine quæstionibus, licet finem omnium quæstionum.*

Bethsura dedita Eupatori.

℣. 22. ITERUM REX HABUIT SERMONEM ad præsidiarios Bethsuranos: sollicitârat ergo antè ad deditionem, sed nil profecerat. At nunc, proditis meatibus, & obturatis, ac prohibito commeatu, impetravit, ut honestis conditionibus oblatis præsidio excederent. *Dextram* itaque *illis dedit, & accepit*, fecit pacta conventa: *abiit*, deductis de Bethsura Judæis, suis immissis, exercitum omnem viresque & artes convertit ad Templi Hierosolymitani expugnationem, ut narrat Scriptor libri prioris.

Pugna Eupatoris cum Juda.

℣. 23. COMMISIT CUM JUDA, SUPERATUS EST. Qui versuum distinctiones, & notas, in hoc libro fecit, longè meliùs tum alibi, tum hic, eos potuerat divisisse. Ista enim verba, præcedentis versûs finem longè meliùs facerent, quàm hujus initium. Nam hic Eupatoris cum Juda congressus, de pugna ad Bethsuram intelligendus omninò videtur, cum Lirano: quia in isto bello non fuerunt nisi duæ omninò pugnæ, nocturna prior propè Modin, diurna posterior ad Bethsuram. Nisi dicamus, hîc verbum, *commisit*, seu congressus est, intelligi, sed non satis commodè, de eruptionibus per Judam in Templo obsessum factis, cum damno copiarum Eupatoris. Constat enim, obsessos machinis machinas opposuisse, & pugnâsse viriliter, ac diu, adversùs Eupatorem, ex l. 1. c. 6. v. 52. Utrò autem modo intelligamus, ista verba attexi debuerant versui præcedenti.

Quomodò in illa Eupator superatus?

Quæres, quomodò secundo prælio dici possit Eupator *superatus*: cùm libro priore c. 6. v. 47. dicantur Judæi, videntes Syro-Græcorum *virtutem & impetum*, se ab iis divertisse? Liranus, ut hunc nodum amputet, istud verbum *superatus* refert ad Judam: *commisit cum Juda* Eupator, *superatus est* Judas. Sed dura & violenta est explicatio. Nam de eodem intelligendum est, *superatus*, de quo *abiit, commisit, dedit, accepit*, quæ omnia eumdem casum rectum exigunt. Itaque ad solvendam difficultatem dicendum, verè superatum hoc secundo prælio Eupatorem, quia sexcentos de suis, & præcipuum elephantorum amisit: etsi Judas eâ victoriâ contentus, cùm se numero longè imparem videret, receptui maturè ac prudenter cecinerit. Quid in hujus prælii, ac receptûs, narratione peccârit Josephus, vide loco citato libri primi.

Rebellio Philippi caussa pacis.

UT AUTEM COGNOVIT REBELLASSE PHILIPPUM, arreptâ occasione rebellandi, per Eupatoris ac Lysiæ æmuli absentiam, uti diximus l. 1. c. 6. v. 55. & 56. Qui, Philippus, *relictus erat super negotia*, regni Asiatici procurator constitutus ab Epiphane moriente, ut suprà c. 9. dictum est: non autem ab Eupatore regnante. Eo audito Eupator *mente consternatus*, consternante eum Lysia, sibi ac suæ dignitati metuente, *Judæos deprecans*, ultrò pacem offerens, & hoc ipso *subditus eis*, servato tamen majestatis Regiæ decoro, quomodò in simili annotavimus cap. 12. suprà: *jurat de omnibus, quibus justum visum est*, honestis utrique parti & æquis conditionibus propositis: *& reconciliatus obtulit*, offerendum per sacerdotes curavit, *sacrificium, honoravit Templum* donariis, & *munera posuit.* Disjectas tamen ab ipso munitiones Templi, contra pacta conventa, constat ex libro priore; ubi etiam vide, quo id anno factum putaverimus.

Per quod numen juravit Eupator?

Multas ad eum libri prioris locum, de Eupatoris juramento, recentior quæstiunculas proponit: earum quasdam hîc reddo, ne quid utile, aut difficile prætermisisse videar. Primùm, per quæ numina juravit Eupator? Per Olympium Jovem, idolum patri suo venerabile: aut per ipsum numen patris sui, quem in deos relatum esse aut credidit, aut credi voluit, ut suprà cap. 11. vidimus.

Licuitne Machabæo exigere ab idololatra juramentum?

Deinde juramentumne exegit Machabæus, exigeréve licitè potuit? Exegisse constat: Eupatore alioqui ultrò non juraturo. Nec dubium, quin ab idololatra, jurando utique peccaturo, imò & mox juramenti fidem abrupturo, in caussa publici boni exigere, nedum accipere, potuerit juramentum, liberam ipsi relinquendo formulam. Sic enim habebat se permittentis instar, ut in Terminis aiunt Theologi, & quotidiana exempla sunt.

Tenebaturne Eupator juramento per falsum numen?

Præterea, fuitne verè juramentum falsorum numinum invocatione conceptum, adeóque an illo Eupator tenebatur? Planè tenebatur. Etsi enim idola nihil sunt, atque adeò juramentum

per illa

per illa nullum revera est, nedum illicitum: in superstitione tamen, qualem colebat Eupator, tum idola, tum eorum testium invocatio, aliquid esse censebatur æstimatione communi & morali apud eas gentes, & istius violator pro perjuro habebatur: imò ab ipsis veri Dei cultoribus habendus erat perjurii reus; quia, quisquis per falsos deos jurat, implicitè & interpretativè obligat se quantum potest, per divinitatis cultum ac testimonium. Unde ulteriùs conficio, quod recentior ille non satis advertisse videbatur; Eupatorem, si ad veræ religionis cultum conversus fidem sic firmatam violâsset, pro perjuro tamen etiamtum habendum fuisse.

An Machabæus, pejerante Eupatore, tenebatur juramento?

Denique, an Machabæus, quem vicissim jurâsse pro certo statuendum est, juramenti religione absolutus fuit, post violatam ab Epiphane fœderis sanctitatem, disjectis Templi munimentis? Constat, absolutum fuisse. cùm in mutua fœderum coitione, & adjuratione reciproca, contineatur semper tacita conditio, *si alter quoque promissis steterit*; eáque sententiâ intelligendus sit vulgaris versus, verior quàm perfectior, *Frangenti fidem fides frangatur eidem.*

Eupator quomodò Judam amplexus?

℣. 24. Machabæum amplexatus est, non animo tantùm & affectu, sed etiam brachiis, ut in ejusmodi reconciliationibus fieri solet. Dubitari enim non potest, quin Eupator & Judas inter se viderint: & hic reverentiam majestati Regiæ, quamvis in puero, debitam exhibuerit, ille convenientem virtuti, ac fortitudini Machabæi affectum, voce, vultu, gestu testatus sit.

Ducem illum constituit.

Et fecit eum. Eupator Machabæum, a Ptolemaide Phœnices civitate; apud Guil. Tyrium, Jacobum à Vitriaco, aliósque belli sacri scriptores, Acconis ferè vocabulo celebratâ: *usque ad Gerrenos principem, ac ducem*: in Græco est, *belli ducem à Ptolemaide, usque ad Gerrhenorum principatum.*

Gerreni qui?

Quinam autem Gerreni isti, sive Gerrheni? Gerræ nullæ in Scriptura memorantur: apud profanos variæ sunt; Straboni una est trans Gazam, Ægyptum versùs, eo forsan loco ubi castrum Darom à Christianis instauratum, apud Guil. Tyrium. An ad eas usque Gerras ducatus Judæ attributus est: ut tractum omnem maritimum à Ptolemaide in Ægyptum, summâ potestate sub Rege administraret? Improbabile non est: neque improbabile, quod Salianus conjicit, Gerrenos hic pro Gerasenis positos. Ut nempe à Ptolemaide, ad Jordanem usque, præfectura Galilææ universæ Machabæo attribueretur.

Ptolemenses pacem indignantur.

℣. 25. Ut autem venit Ptolemaidam, Eupator, brevissimo & commodissimo, ut Antiochiam festinaret, itinere: *graviter ferebant Ptolemenses talem cum Judæis amicitiæ conventionem*, sibi, ut rebantur, onerosam, ac damnosam, eámque ob rem tumultuari cœperant; *indignantes, ne forte fœdus irrumperent.* Indignabantur Ptolemaidenses cives: at de quibusnam metuebatur, ne fœdus violarent? De Judâne, & suis? An de Eupatore? An de Ptolemæensibus civibus, pace dedecorosâ exacerbatis? Versio Tigurina, apud Salianum, vult indignatos Ptolemenses, propter conditiones pacis violatas, utique per Eupatorem, cùm munimenta Templi disjecit. Sed Græcus textus aliud sonat, ubi sic est ad verbum: *indignabantur enim, pro quibus voluerant rumpere fœdera*, id est, ut rectè interpretatur Salianus, indignè ferebant quædam Judæis concessa, idcóque volebant irritum fieri istud cum illis fœdus.

Lysias eos placat.

℣. 26. Tunc ascendit Lysias tribunal, pro ævi istius apud Græcos ac Latinos more, expositisque ad concionem rationibus initæ cum Judæis amicitiæ, tumultum composuit. Neque enim opulentam ac potentem civitatem, rebúsque novandis idoneam, expediebat inquietam relinqui. Inde mox citatis itineribus *Antiochiam* cum Eupatore, & exercitu universo, *regressus*, Philippum oppressit. Consule dicta l. 1. c. 6. & seriem nostram historicam num. 81.

Regésne expediat ad bella circumduci?

In ista Lysiæ adversùs Judæos expeditione, pacis conventione, compositione seditionis Ptolemaidensis, festinato in Syriam reditu, rebellionis oppressione properatâ, multa sunt laude & imitatione in publicum digna. Sed in illis nonne illaudabile, quòd puerum impuberem ad talia pericula traxerit? Neque hoc illaudabile est. Nullibi enim tunc potuit puer esse securior, quàm apud militem, quem in fide contineri, ad fortiter agendum animari, ad pericula subeunda excitari expediebat, Regis præsentiâ. An ergo passim circumducendi ad bella Reges? Id quibusdam non probari non nescio; ideóque ab illis Regem textori, quæ similitudo prudentissimo Hispaniæ Regi Philippo II. placuisse dicitur, comparari: sedere enim utrumque, sed membris omnibus laborare. Aliis contrà probatum est; ut, sub oculis aut in vicinia Principis, miles ad audendum magis erigatur, hostis aut rebellis potentiùs percellatur: cavendum tantùm, ne temerè Princeps in media discrimina caput suum, & rempublicam, præcipitet; præsertim, quando de hærede, aut successore, disceptatio timenda est. Opinioni utrique rationes suæ sunt, & exempla: huic tamen, ni fallor, plura & potiora, tum apud Hagiographos, tum apud profanos scriptores.

Dæmon in Lysia adumbratus.

Alias in Lysia dæmonem adumbravimus: in Machabæo spiritualem bellatorem. Pulcra utriusque in hoc capite imago est. Lysias seu suo, seu pupilli Regis nomine redivivа identidem bella excitat, pacis fœdera vel simulata, vel parùm duratura sancit, arte tentat locorum firmitatem, alimentorum inopiâ maximè Judæos affligit. Dæmon seu nomine suo, seu passionum humanarum & puerilium, Christianam mentem variis irruptionibus inquietare conatur: pacem tamen interdum, aut quietem vel videtur indulgere, vel indulget: arte magis occultâ, quàm viribus apertis, firmatos in petra, qui est Christus, animos aggreditur: annonæ spiritalis inopiâ, id est verbi divini & Sacramentorum defectu, eos debilitat.

Spiritualis bellator quid agat exemplo Machabæi?

Judas obviàm procedit Lysiæ: nocturno & diurno prælio hostem ultrò aggreditur, elephantos occidit: ne obruatur numero hostium, intra munimenta Templi se continet. Christianus bellator obviàm dæmoni procedat, statim atque sensus aut imaginationem tentat: neque intrò in Judæam, id est ad intellectum aut voluntatem, si potest, sinat pervadere. Non timeat à negotio perambulante in tenebris, neque ab incursu & dæmonio meridiano, Behemoth elephanti. Si premitur multis tentationibus, & velut obruitur, confugiat ad munimenta Templi, ad arcem fidei, intra Ecclesiæ mœnia; ibi jacula inimici omnia retundentur.

Tentationum tempestates.

De tentationum incursibus, victoriis, varia diximus sparsim libro priore. Quædam magis particulatim attingemus ad hujus libri calcem,

concione ſecundâ ad Dom. 4. poſt Epiph. ubi nobis tentationum cauſſæ in tempeſtatum imagine pinguntur. Quomodò enim tempeſtatum aliæ à cauſſis naturalibus ac neceſſariis, aliæ à dæmone, quædam extra ordinem à Deo excitantur: ita tentationum alias facit natura hominum, alias dæmonis ingenium, alias Dei providentia ſingularis.

EXCURSUS MORALIS

Ad cap. 13. v. 8. Multa erga aram Dei delicta commiſit.

Quintuplicia Religionis vulnera.

SECTIO PRIMA.

Ipſa in ſe Religio multipliciter vulnerata.

I. Religionis natura, & eminentia.

DE impietate, quâ publicè perniciosa eſt, diximus pro modulo noſtro ad cap. 7. lib. 1. Exc. ſect. 2. Nunc de illa dicturi ſimus, quâ privatos reſpicit. Ut autem rectè impietatem intelligamus, antè nôſſe oportet quid ſit pietas: quam nos hic eamdem religioni facimus, quemadmodùm priſcorum plerique, Græcorum præſertim, εὐσέβειαν appellantes religioſum Dei cultum. Sic Iſidorus Peluſiota lib. 3. ep. 268. *Ut*, inquit, *in corpore potior formoſitatis pars eſt, oculorum pulcritudo: ita in anima præcipua formæ pars eſt pietas*, εὐσέβεια. Eamdem in ſententiam Philo lib. de caritate: *Solent pietatem comitari virtutes cæteræ, à qua non magis divelli poſſunt, quàm umbra à corpore. Proinde quotquot ad religionem noſtram ſe conferunt, protinus ſobrii fiunt, continentes*, &c. *Contra ſacrarum Legum deſertores videas intemperantes*, &c. Sententiam ſuam ex Aſclepio Triſmegiſti Mercurii cap. 8. mutuatus videri poſſit: *Ex intelligentia religionis divinæ, quâ omnia ſtabilita ſunt oritur vitiorum omnium medicina, & victoria. Perſeverante autem inſcitiâ atque imperitiâ, vitiorum univerſitas convaleſcit.* Sic iſti de pietatis religioniſve, id eſt virtutis, quâ debitus Deo cultus exſolvitur, præſtantiâ diſſeruêre

II. Quinque impietatis partes.

Inde facilè fuerit, quid, & quantum morbi ſit impietas, conficere: eò enim ægritudo pejor eſt, quò melior ſanitas: & tantò deteſtabilius vitium, quantò eminentior virtus. Quò pulchrius ac laudibilius eſt, debitum ſummo Numini cultum impendere: hoc monſtroſius, ac damnabilius eſt, illum vel denegare, vel fraudare, quod variis modis contingere poteſt. Aut enim ipſa in ſe religio violatur, aut in appendicibus ſuis: id eſt, ut priore libro loquebamur, vel ex directo impugnatur, vel ex obliquo pietas. Directò impetitur, quomodò virtutes cæteræ, vel defectu, quam irreligioſitatem nominamus; vel exceſſu, quam ſuperſtitionem priſci vocavêre. Vulnera iſthæc, religionis ipſius in ſe vulnera appellamus; quemadmodùm libidinibus caſtitas, ebrioſitate ſobrietas, vulnerari dicitur: non quia virtus ipſa læditur, lædive in ſe poteſt; ſed quia homines, quibus caram eſſe virtutem iſtam oportuit, vitiis ſeſe ipſi oppoſitis lædunt. Obliquè autem religio vulneratur, vel in hominibus cultui divino mancipatis, vel in locis ſacris; vel in rebus inſtrumentiſve itidem ſacris, aut ſacro loco commendatis; vel in uſu denique ſacratorum verborum. Itaque licèt libro priore, appoſitè ad finem noſtrum, tres ſolùm impietatis partes fecerimus: quinas hic ſtatuemus, totidem religionis vulnera rimabimur, atque in ſinus ſuos diſſecabimus; ut, quò apertior plaga, eò promptior medela ſit.

III. Apud Catholicos cavendæ.

Primum genus erit, quando in religionem ipſam directò pugnatur: alterum quando ſacris hominibus, religionis adminiſtris, aut miniſterio adjunctis, fit injuria: tertium, quando loca ſacra violantur: quartum, quando ſacris vaſis, inſtrumentiſve, temeritas non parcit: quintum, quando verba ſacra malè uſurpantur. Ad has claſſes confero quidquid irreligioſum patrari poteſt, etiam apud populos in avita religione conſtantes, & de intactæ fidei perpetua conſervatione, non inaniter, nec de nihilo, gloriantes. Sic eſt Legia, Romanæ Eccleſiæ filia, numquam à priſcæ integritatis, ac ſanctimoniæ, quod ad fidei rationem attinet, laude degener. Non ideò tamen nihil in civium quibuſdam irreligioſum habet, quod meritò reprehendatur; quemadmodùm in Hiſpanis ſuis Nierembergius reprehendit, à nobis adductus lib. 1. Excurſ. ad cap. 7. num. 13. ſect. 2.

IV. Exceſſivus verus Dei cultus non poteſt.

Dupliciter adversùs religionem, quomodò adversùs virtutes cæteras peccari poteſt; defectu, & exceſſu. Quo autem, inquis, pacto, in exhibenda immenſo, & infinitis honoribus digno Numini, religione excedi poteſt? Nonne, quantumcumque ſeſe homo infra Deum demiſerit, quidquid illi cultûs impenderit, ipſius ineffabili majeſtate longè inferius eſt? Satiſne unquam adorari poteſt, qui ſatis umquam amari nequit: tantum abeſt, ut amari nimis, & adorari poſſit? Veriſſimum iſtud quidem eſt, quod ad Dei cultum attinet, in ſpiritu, & veritate. Sic enim Deum colit, qui Deo fidem habet: fidei autem omnium haberi fideliſſimo non poteſt. Sic Deum colit, qui ſpem in illo collocat: ſpei autem nimium in optimo, ac potentiſſimo, poni non poteſt. Sic Deum colit, qui Deum amat: nimium autem diligi pulcerrimus, & perfectiſſimus,

mus, non potest. Ea est Dei adoratio in spiritu, & veritate; cui modus nullus ac limes præfigitur, atque adeò nullum transcurrendæ metæ periculum est.

V. Superstitio in supervacuis religionis officiis.

Sed sepositis illis primis atque eximiis veræ religionis officiis; alia sunt tum interna, tum externa, in quibus extra modum aliquando proceditur. Superstitionem appellamus; sic, ut arbitror, dictam quia superstantibus supervacuisve officiis religionem onerat, & cultum divinum vani ornatûs inanibus additamentis dehonestat. Sic sunt, qui sibi certos actuum interiorum numeros ita præscribunt; ut, nisi illos expleverint, quiescere non possint: etsi caritas erga seipsum, sanitati corporis animive servandæ, quietem imperet: etsi caritas erga proximum ad alias cogitationes avocet. Sic etiam illi sunt, quibus pars pietatis præcipua in devolvendis, & demurmurandis, precularum quarumdam recitationibus posita est: quique, etsi Deo satisfecerint, sibi nunquam satisfecêre. Sic denique sunt, qui ritus sacros, ab Ecclesia non approbatos, invehunt; & qui miracula incerta divulgant, ut famam novitiæ pietatis inventis concilient.

VI. Adulationi similis est, & Deo ingrata.

Illos superstitiosè religiosos commodè cum Maximo Tyrio dissert. 4. apellare possimus *adulatores Dei*. Nam quomodò adulator plus debito vel honoris, vel laudis, hominibus tribuit: ita superstitiosus plus officiorum Deo defert, quàm oporteat. Et quomodò adulator homini gravi, ac serio, non tantùm non placet, sed displicet; ita superstitiosus Deo ingratus est, tantum abest ut præmium mereatur. Quomodò denique adulatio vilium, & vanorum, hominum vitium est: ita superstitio ex infirmi judicii inanitate nascitur. *Homines vani, & leves*, inquit Demophilus Pythagoræus in Similitud. *quemadmodum vasa inania, facilè ins auribus prehensi ducuntur*: blandire insipienti, assentare stolido, palpare imprudenti, ipsius tibi gratiam conciliâsti. Absit, ut sic Deo agas, Christiane: Spiritus est: adorare eum oportet in spiritu & veritate, ex fidei rationisque præscripto. Ne illum inanibus officiis offendas, consule præcepta & mores Ecclesiæ: cætera tibi suspecta sint.

VII. Superstitiosa admensuratio, & ligatura.

Longè deterius superstitionis genus est, non ex inani religionis excessu, sed ex insano religionis defectu: quando sanandis hominum brutorumve morbis, aut recuperandis rebus amissis, adeuntur viri feminæve, certis ad brachium suum mensuris divinare soliti, quid orationum, sacrorum, peregrinationum, pro valetudinis jacturæve remedio adhibendum sit. Haud scio, an quidpiam non absimile indicatum voluerit Augustinus tract. 7. in Joan. *Ad hoc perducta est infirmitas hominum, & ita plangendi sunt homines, qui currunt ad ligaturas; ut gaudeamus, quando videmus hominem, in lectulo suo constitutum, jactari febribus, & doloribus, nec alicubi spem posuisse, nisi ut sibi Evangelium ad caput poneret: non quia ad hoc factum est, sed quia prælatum est Evangelium ligaturis. Si ergo ad caput ponitur, ut quiescat dolor capitis: ad cor non ponitur, ut sanetur à peccatis?* Ligaturas istas, aut sonium admensionem sanandis morbis, quia nimis crassa superstitio est, apud nos vix ulli in urbibus paullò cultioribus usurpant: apud rusticanos multos usus perniciosus inoleverat, nisi Pastorum vigilantia impedisset.

VIII. Execranda matrimoniorum odatio.

Sed aliam non minùs exitiosam superstitionis pestem etiam in urbibus, velut per jocum, grassari valdè dolendum est: quando, in ipso matrimonialis Sacramenti & contractûs tempore, furtiva ligula vel nodatur, & simul suscipiendorum liberorum spes omnis aufertur, quamdiu nodus ille illigatus non solvitur. Visi conjuges, quos ita ligatos tenuit, ut non menses modò plures aut annos, sed vitæ reliquum sterili connubio contabescentes exegerint: adhibitis frustrà remediis adversùs malum genium, in suo nocendi pacto ac studio contumacem. Neque enim nodus ille vim aliam habet ullam, quàm à prisco ac pervulgato cum dæmonibus pacto. Atque adeò quisquis illo utitur, non caritatem solùm violat conjugibus nocendo; nec justitiam tantùm lædit, mutuam conjugalis debiti exsolutionem prohibendo: sed sacrilegium admittit, & superstitionem execrandam, impediso quantum potest, per dæmonis opem, effectu Sacramenti, quod magnum est in Christo & in Ecclesia. Itaque in istiusmodi nodatores meritò ignibus, ut in sacrilegos & veneficos, advertatur: non laqueo duntaxat aut gladio, ut adversùs contumeliosos fures, & occultos grassatores, atque homicidas.

IX. Qualis debeat esse resipiscentia magorum, ut veniam mereantur.

Alia superstitionum execramenta, paucis apud nos cognita, &, ubicumque eruperunt, severis legibus ac justis suppliciis coercita, prætereo. Monstra enim criminum sunt, adversùs quæ non à concionatoribus, sed à judicibus agendum est; non verbis, sed fustibus: nisi ultrò confitens reus publicè privatimve noxius admodum non fuerit, & tum serò ac sanctè sine recidivæ periculo resipiscat, ut veniam mereatur. Sic fuêre Ephesiorum nonnulli Act. 19. qui ad Paullum veniebant, *confitentes & annuntiantes actus suos. Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati*, proverbio celebrata Ephesia grammata, *contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Eumdem fermè in modum egêre Patres Cantuariensis Synodi apud Spondanum an. 1419. cum Richardo Valchero, Vigorniensi Clerico. Cui de magia accusato, in ipso Synodi consessu, crimen fasso, ac profitenti parùm se in arte illa, quæ conatus suos sæpè destituisset, fiduciæ collocare: injunctum est, ut solenni supplicatione procederet, libris à fronte ac tergo pendentibus, moxque palàm exurendis. Convenientissima ejusmodi pœna fuerit omnibus, qui amuleta diabolica vel gestant, vel pronuntiant, sanandis animalium morbis, avertendis tempestatibus, accendis vulneribus: si tamen eâ gestatione, vel pronuntiatione, alii damnum non attulêre; nec porro in idem luti volutabrum relapsuri sint.

X. Blasphemi à magistratibus puniendi.

Proximè ad superstitiosæ magiæ odium accedunt, qui detestabili impietate Dei nomen sacrilegis verbis infamant, & immensam majestatem blasphemâ linguâ dehonestant. Si quis de Principe, quamvis absente, probrum jaculetur, protinus est læsæ majestatis reus: &, pro criminis qualitate, vel pecuniâ multatur, vel exilio proscribitur, vel vitâ privatur. Probrum de supremo Numine, ipsiusmet auribus ingestum, tu judex, Magistratus, Princeps, inultum patiêre? Tu pœnas à reo non reposcês, pro enormitate flagitii? *Cùm probrum jacitur in Principem*, inquit Aug. lib. 2. de Civ. cap. 9. *patria bonum atque utilem; nomine tantò est indignius, quantò à veritate remotius, & à vita illius alienius? Quæ igitur supplicia sufficiunt, cùm Deo fit ista tam nefaria, tam insignis injuria?*

XI. A privatis etiam coercendi.

Nec magistratibus dumtaxat vindicandæ divinæ injuriæ curam esse, voluêre Chrysostomus homil. 1. ad popul. & Theodoretus orat. 1. de providentia:

videntia: sed privato cuilibet. Privatum enim quemvis probrosos de patre suo sermones, se audiente, jactari non passurum: multò autem ampliùs à nobis Numini deberi, quàm patri: atque adeò à nostrûm nemine flagitiosas in Deum voces tolerandas esse. Sic Augustinus lib. de pec. merit. & remiss. cap. 25. perhibet, suo sibi quempiam fecisse de eorum numero, *qui cordatis exhibent delectum fatuitatis, quorum nomen, ex Græco derivatum, moriones vulgus appellat. Talium quidam, inquit, fuit Christianus, ut cum esset injuriarum suarum mirâ fatuitate patientissimus, injuriam tamen Christi nominis, vel in seipso, religionis reverentiâ quâ imbutus erat, sic ferre non posset, ut blasphemantes, videlicet cordatos, à quibus hæc ut provocaretur audiebat, infestare lapidibus non desisteret, nec in ea caussa vel dominis parceret.*

XII.
Vel verberibus, vel verbis, vel silentio.

Idem à cordatis quibuslibet in blasphemos fieri, quod ab isto morione, Chrysostomus ac Theodoretus suaserunt. Sed, sanctissimorum virorum pace, non omnibus id passim suadendum est. ne, magni mali coercendi imprudente studio, magna alia mala rixarum, & cædium oriantur. Quemadmodum in vicinia nostra, juveni contigit, sanguine mecum juncto: qui, cùm juvenem alium in lusûs jactura blasphemantem audiret, moneretque ut divino nomini parceret; ab eo ad duellum equestre provocatus, nec recusare pro illius ætatis damnabili consuetudine ausus, ipsum, unico vulnere, miserabiliter confecit. Itaque non tantùm non omnibus consultum erit blasphemos lapidibus appetere; sed neque expediet semper commonere: & satis plerumque fuerit, vel silentio, vel nutu demonstrâsse, quàm talia Christianis auribus displiceant. Nisi ea sit audientis præ dicente auctoritas, vel ex gradûs dignitate, vel ex gravitate morum, vel ex vitæ instituto, ut verbis tactisve castigare blasphemantem aut possit, aut debeat. Sic aurigis, subulcis, ac nautis, ætate nostrâ vectores viri religiosi fecêre; & pravam sacrilegarum vocum consuetudinem de meritoriis curribus, atque onerariis navibus, sustulêre. Sic fecit, Patrum nostrorum memoriâ, Camillus de Lellis: qui aliquando per vicos Romanos ambulans, cùm in rheda, viris nobilibus plenâ, audisset ab aliquo inchoatam blasphemiam, continuò manum per ostium rhedæ immisit, quasi blasphemo vellet os occludere, simul inclamans, Mi frater, abstine blasphemiam: támque inexpectato facto, ac dicto, vectores omnes exterruit simul, & docuit.

XIII.
Illaudabilia nonnullorum quorundam juramenta, aut perjuria.

Blasphemiæ affine est perjurium, intolerabili impietate Deum testem appellans pronuntiatæ falsitatis: quasi vel falsum omniscius nesciat, vel omnipotens tam indignam invocationem punire nequeat. De perjurii execratione, & suppliciis, abundè habet Drexelius in Phaetontis lingua jurante. Hoc solum ad mores nostros adverto: cùm apud nos perjuria irremissibiliter puniantur, mirum omnino esse, quòd quæ apertam perjuriorum speciem præferunt, &, si rectè inspiciamus, perjuria sunt, tolerentur tamen, imò jubeantur. Tamquam, quod in quibusdam Leodiensis ditionis urbibus fit, ut qui Consulare munus auspicantur, dejerent, sese nihil ejus dignitatis adipiscendæ causâ vel dedisse, vel dandum curâsse. Quod itidem alibi fit, ut, qui in Scabinos Judicésve perpetuos adleguntur, jurati asseverent, nil omnino pecuniæ, ne obolum quidem, ei officio comparando, à se, suisve impensum. Dedêre tamen liberaliter Consules, dedêre Magistratus, dedêre Scabini, plerique officia sua mercati. Juramentum nihilominus à confecto solenne offertur, exigitur, præstatur. Quo hic pacto vel eos excusemus qui juramentum oberudiunt, vel qui pronuntiant? Tu scis illum patrâsse, quod scis juraturum se non patrâsse: ergo ipsi caussa perjurii es. Tu verò non ignoras, à te factum, quod infectum jurabis: ergo perjurum te statues. Quâ hic arte circumlocutionum, quo anfractu amphibologiarum, quibus restrictionum ambagibus, perjurium evademus?

XIV.
Quæ sententia excuset potius?

Dicat forsan quispiam, istud poeticum,

Non ego juravi, legi jurantia verba.

Dicant alii paullò tolerabiliùs, juramenta istiusmodi non religionis amplius esse, sed cæremoniæ. longæ consuetudinis interpretatione aliam esse verborum, quàm appareat, sententiam: ex ea consuetudine sic intelligi, nihil datum per se ac suos, perperàm scilicet, malâ mente, & ad publicum incommodum: quandoquidem sic intelligatur, damnari perjurii non debere, vel teste Isidoro l. 2. sent. cap. 31. sent. 8. *Quacumque arte verborum, quisquis juret; Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.* Atqui, inquiunt, is, cui juratur in magistratûs auspiciis, ita intelligit, nihil omnino donatum, pravo utique fine, ac mente. Deus igitur, qui conscientiæ testis est, eumdem in modum verba jurantis accipit. Sic isti disserant, ut, quod malis moribus invectum est, à perjurii labe vindicent, illósque excusent, qui tali explicatione freti, præscriptam legitimè juramenti formulam non exhorruêre: etsi quidam vel timidiores, vel prudentiores, vel religiosiores, sibi de donatis conscii, illam vel refugerint, vel aloserint.

XV.
Melius talia nec præstentur, neque exigantur.

Sed longè satius fuerit, omnes istiusmodi juramentorum formulas penitùs tolli, quàm alienâ prorsus accipi à disertis verbis sententiâ. Neque enim, sine aliqua majestatis irreverentia, testis Deus invocatur tam detortæ locutionis, & abstrusæ intelligentiæ: nec sine quadam manifestæ veritatis injuriâ aliud dicitur, aliud significatur. Certè id à magistratibus, ac judicibus, Romanæ Ecclesiæ filiis factitari Augustinus non probaverit, quod lib. 3. de Civit. cap. 2. in Paganæ Romæ civibus damnavit: *Corruptissimis moribus ad hoc modò jurandi servabatur antiquitas, non ut à sceleribus metu religionis prohiberentur, sed ut perjuria quoque cæteris sceleribus adderentur.* Neque Augustinus Principalibus Commissariis suaserit, ut ludibria ista cavillosque juramentorum exigant, qui serm. 13. inter 17. suos hortatus est, ne facilè ullum, rerum etiam suarum repetendarum caussâ, adjurent: narrato, Tutumlymeni quemdam, civem Hipponensem, quòd aliquem negantem, quod debebatur, ad juramentum adegisset, & hic perjurium fecisset, noctu in somnis coram judice sisti jussum, & ab eo damnatum ad verbera, postridie vibices in dorso apparuisse.

XVI.
A juramento prorsus abstinendum citra necessitatem.

Suos idem Doctor valdè facundè, & vehementer, monuit serm. 28. ut à juramentis, quantum possent, omnino abstinerent, quò longiùs à perjuriis abessent, ex illa Jacobi sententia, *Ante omnia nolite jurare. Reum, inquit, linguam non facit, nisi mens rea. Quis est autem, qui non fallatur, etsi nolens fallere? Quis est homo, cui non surrepat fallacia? Ut tamen juratio ab ore non discedat, frequentatur: plura sunt plerumque juramenta, quam verba. Si discutiat homo quoties juret per totum diem, quoties se vulneret, quoties gladio linguæ se feriat, & transfigat, quis in illo locus invenietur sanus? Quia*

ergo

ergo grave peccatum est, pejerare: compendium dedit tibi Scriptura, Noli jurare.... Fac te ambulare in aliquo loco, ubi à parte dextra spatiosa sit terra, à sinistra praeceps locus: ubi eligis ambulare? &c. Ergo volebas verum jurare, audi consilium Dei, Noli jurare... Ait tibi Deus tuus: si verum juraveris, non damnabo: sed numquid, si non juraveris, damnabo? Duo sunt, inquit, qua non damno unquam, veram jurationem, & nullam jurationem: damno autem falsam jurationem.

XVII. Timore Dei, & metu dedecoris, tollenda jurandi consuetudo.

Adducit deinde suum ipsius exemplum: *Juravimus & nos passim habuimus illam tæterrimam consuetudinem, & mortiferam. Dico caritati vestræ, ex quo servire Deo cœpimus, & quantum malum sit in perjurio vidimus, timuimus vehementer, & veternosissimam consuetudinem timore frenavimus... Lingua in udo posita est, facilè in lubrico labitur. Quantò illa citiùs & faciliùs movetur, tanto tu adversus illam fixus esto. Domabis, si vigilabis: vigilabis, si timebis: timebis, si Christianum te esse cogitaveris.* Rursum serm. 12. inter 27. non erubescit de se exemplum, publicâ peccati confessione, statuere: *Nihil jam mihi facilius, quàm non jurare. Hoc ideò admoneo caritatem vestram, ut discatis. Quo pacto? O si Deus timeatur! O si perjuria expavescant! Lingua frenatur, veritas tenetur, juratio tollitur.* Adde Dei timori, metum dedecoris apud probum quemque, ac prudentem hominem. Nemo enim sapiens est, qui jurando astutum non protinus suspicetur mendacem, ac perfidum. Nec temeraria de Christiano suspicio est, cujus sermo ex Domini præscripto esse debuerat, *est est, non non.* quicumque plus istis voculis, citra necessitatem adjicit, debilis fidei suæ ac veracitatis infirmæ conscientiam profitetur. Similem in modum Philo, lib. de singular. legibus, adversùs ætatis suæ juratores pronuntiavit: *Nunc in tantum valet impietas quorundam, ut vel religiosissima, nec sine horrore audienda, Dei nomina, congerantur acervatim per summam impudentiam; quasi evicturi sint crebris dejerationibus, ut sibi credatur: fatui, qui non intelligunt consuetudinem crebrò jurandi argumentum esse perfidiæ, non fidei.*

XVIII. Ignorantia in religionis objecto tanta labes.

Plura de juramentis apud nos opus non sunt, cùm vix apud ullos, quàm apud infimæ sortis homines ac feminas, fæda consuetudo invaluerit. &, ut latiùs, atque altiùs serpsisset, illi eradicandæ sufficient, quæ ab aliis, à Chrysostomo præsertim, adversùs illam eloquenter ac copiosè prosequuntur. De ignorantia, quod postremum apud nos religionis vulnus est, quia ipsa etiam neque ad multos, neque ad magnos pertinet, pauca itidem dicenda sunt. Coli rectè Deus non potest, si rectè non cognoscitur, quantum per imbecillitatem humanæ mentis licuerit. *Nos adoramus, quod scimus*, inquit Christus Samaritanæ: *vos adoratis, quod nescitis.* Nonne idem interdum ex vero Christianis quibusdam objici potuerit: *vos adoratis, quod nescitis?* In talem nuper incidi ætatis robustæ, ingenii non mali, adeò tamen rudis & imperiti, ut ne Deum quidem unum esse sciret, tantum abest ut pro nobis incarnatum nôsset, & Trinitatis mysterium didicisset. Quid isthic potissimùm conqueramur? An supinam hominum, salutis suæ tam immemorum, negligentiam? An Pastorum, gregi non satis invigilantium, incuriam? An Concionatorum, plebem necessaria docere, quia satis plausibilia non sunt, dedignantium, vanitatem?

XIX. Et inscitiâ

Et hi religioni officiunt, quando non docent; & isti, quando ad discendum non adigunt; & illi maximè, quãdo discere tam vecorditer negligunt.

...mysteriorum Christianorum

Ad eumdem numerum aggregandi, qui licèt Deum, Christum, & Trinitatem nôrint: fidei tamen capita, & præcepta divina, & Sacramentorum numerum ac rationem, quibus religionis divinæ præcipui ac necessarii ritus comprehenduntur, non tenent. Tales non paucos, adultos, provectos, senes, variis locis non sine animi mærore, reperimus: ut meritò idem de tam pia & Christiana ditione expostulare possemus, quod de Hispania sua nuper Nierembergius à nobis adductus l. 1. Exc. ad c. 7. sect. 2. num. 13. Oro vos, fratres mei, domini mei, pastores, instate subditis vestris opportunè, importunè, in omni patientia, & doctrina; si satis vos ipsi non potestis, annuite sociis, qui sunt in alia navi, ut vobiscum, uno reti caritatis industriæ, trahant ad vitæ litus pisces elingues, & frigidos. Annuite illis, qui non ad pompam retibus sericis piscantur, sed qui ad commodum animorum loquuntur, & laborant.

XX. Post pastores concionatoribus potissima docendæ plebis necessitas.

Obsecro etiam vos fratres mei, collegæ mei, ecclesiastæ, demus operam ut officii nostri numeros omnes, aut utcumque potiùs numerum, nam plures Oratoribus sacris non sunt, impleamus. Priscis istis seminiverbiis, ad aures dicentibus, proposita erant terna, delectare, docere, movere. At verbi divini satoribus, ad animum dicentibus, duo sunt omnino proposita, docere, & movere. Qui benè docuerit Christianos, & moverit; unâ operâ, aliud agens, delectavit: imò, qui tantùm benè docuit, movit. Præcipuum oratoris Christiano est, solidè & dilucidè docere: doctrinæ divinæ intelligentiam sponte suâ in auditoribus affectus sequetur, quamvis contentè non insistatur ad motum. Pro Christo legatione fungitur, qui concionatur: legatus loquitur ad Principis sui normam, & formulam. Interpres Dei es, qui de semetipso profitetur, *Ego Dominus docens utilia.* Domini non est, quisquis ad ipsius exemplum utilia non docet.

SECTIO SECUNDA.

Religionis vulnera in hominibus sacris.

I. Monstrosa apud Christianos persecutiones Ecclesiasticorum.

ANNALIUM Ecclesiasticorum Continuator Spondanus, non nescius vitiorum juxtà & virtutum exempla posteritati prodesse, ad illorum horrorem, istarum amorem: multa sparsim recitat, apud varias Christianas nationes, turbatis publicè rebus; adversùs sacros homines peccata. Ad annum 1282. Patavii vitam Clericorum tam vili pretio addictam, ut grosso unico censeretur: quanti, opinor, passeres duo, qui veneunt dupondio. Ad annum 1367. à Petro Castellæ Rege passim in Clericos involatum: Archidiaconum, qui ad Hispalense litus adequitanti sententiam excommunicationis Pontificiæ, per speciem legendorum ex Oriente novorum pronuntiârat, ægrè manus in aquas ipsas insequentis evasisse. Ad annum 1387. Bythoniensem parochum, & concionatorem furibundè ab oppidanis submersos: mox, derepentè & in totum, venas argenti ac plumbi, quondam ibi fecundissimas, evanuisse. Ad an. 1375. ab Octoviris Florentinis in bona Ecclesiastica passim involatum; dissipatum Inquisitionis tribunal; monachum quempiam vivum sepultum;

Theologum tormentis tentatum ad exprimenda Confessionis arcana; Nuntium Apostolicum carcere diuturno clausum: ob quæ scelera, non formidolosam modò excommunicationem, sed proscriptionem horrendam incurrerint. Quam sententiam sexennio antè, sacris interdicti ob violatam Cleri immunitatem Colonienses, opportunè & sapienter avertêre, resarcitis quæ adversùs Ecclesiasticos admiserant.

II. *Irreligiositas religiositatis commendatione purgatur.*

Cùm isthæc criminum adversùs Ecclesiasticos hominum monstra, ex tristi cæterarum nationum memoriâ, repetiero: aurem mihi inde aliquis forsan vellicet, & Colubienorum, Exlegum, aliorúmque nominum ex Leodiensi nostra historiâ, jubeat meminisse; aut, si domestica tacere, inquinatorum & infelicium temporum odio, statuit est, etiam peregrina tegere silentio. Sileamus igitur consimilis notæ cætera; neque hic deinceps vulnera, religioni per Ecclesiasticorum latus inflicta, exponamus aliter, quàm oppositæ contrarii. Justitiam Distributivam Exc. ad l. 1. c. 16. sect. 1. num. 5. ex injustitiæ comparatione extulimus: hîc irreligiositatem, ex religiosâ adversùs sacrorum operatores & adjutores observantia, internoscemus; tantóque fœditatem illius magis abhorrebimus, quantò spectabilior erit istius formositas. Vitiosi sæpè virtutis commendatione vitia meliùs dedidicêre, quàm insectatione vitiorum: irreligioso forsan eâdem ratione potentiùs emendationem persuaserimus, si clarè conemur ostendere, quid Ecclesiasticorum gradui, famæ, rebus religiositas deferat.

III. *Reverentia erga sacros homines religionem sequitur.*

Quò religio majori apud populos ac civitates in pretio est: eò pluris illic sunt omnes Religionis administri. Hoc vel apud Ethnicos ipsos, qui vanam falsæ religionis umbram sectabantur, passim spectare est. Videas Sacerdotibus, Haminibus, Vestalibus, sacrificulorum adjutoribus, de via decedi: reos eorum intervento absolvi; plebem universam, ipsósque adeò magistratus, venientibus assurgere. Pars honoris ac reverentiæ erga sacros homines fuit: quòd vulgaribus judiciis liberi essent, & propria puniendis suorum noxis tribunalia haberent. Imò tantum illis venerationis deferebatur, ut ipsæ etiam illorum possessiones ac reliqua sustentandæ, quam religioso cultus consecraverant, vitæ necessaria, civilium judicum cognitioni non subessent; & communibus cæteræ populorum turbæ oneribus immunia censerentur. Quod apud Ægyptios jam olim ævo Josephi invaluisse, constat ex Genesis c. 47. ut Excursu ad cap. 7. lib. 1. sect. 2. num. 10. notatum est.

IV. *Maximè erga sacros in religione Christiana.*

Cùm autem Christianæ religionis summa sit sanctitas, ac majestas: consequens erit, illius administris venerationem tantò majorem deberi, quantò venerabilior religio est, cujus sese procurationi addixêre. Nam si de Sacerdotibus, Levitisque Judaicis, dixisse olim ex vero potuit Philo. lib. 2. de Monarchia: *Deo præ cæteris familiares esse, sitos in quodam divinæ humanæq; naturæ confinio*: atque adeò plurimùm illis reverentiæ, pro gradûs sui excelsitate, esse deferendum. Multò plus reverentiæ Christianis Sacerdotibus, Levitis, sacrorúmque administris debetur, ad longè augustiora sacrificia, ac mysteria adhibitis, & tantò propiùs ad Deum admotis, quantò Christiani ritus Judaicis diviniores sunt. Neque id viris solùm præstare oportet; quamvis soli ad sacrorum procurationem ex Christi institutione adhibeantur: sed etiam virginibus ac viduis, quæ ad religiosæ vitæ professionem admissæ, in proprium velut Dei peculium concessêre, & sanctimonialium appellationem accepêre à studio ac merito sanctitatis.

V. *Ideo reverentiæ consectanea exceptio fori.*

Ex eo prætereà reverentiæ debito consequens est, sacris in Christiana religione hominibus de utroque sexu accusationes apud profana, laicave, & civilia tribunalia inferendas non esse, de culpis, quas fortè admitterent. Nisi ejus generis culpæ forent, ut inter excepta crimina, morisque sacri tribunalis appellandi non patientia censerentur: ut lex naturæ ac publici boni necessitas, eo in articulo non hominem attendendum suaderet, sed crimen. Cum enim contra debitam ordini sacro reverentiam non peccet privatus, si injustè aggredientem, & jugulo imminentem sacerdotem repellat, lædat, cædat, intra justæ defensionis limites: imò si nefas non erit, laicam potestatem, seu brachium ut vocant sæculare, adversus Ecclesiasticum invocare, quando aliter à privato quopiam laico rerum suarum famæve integritas defendi nullâ ratione posset. Certè non peccabit accusator, testisve, aut judex: si, causâ & moderatione non dissimili, malum commune, à sacerdote Ecclesiasticóve imminens, publicæ auctoritatis necessariâ imploratione vel functione depellat.

VI. *Et cura tuendæ Ecclesiasticorum famæ.*

Observantiam item Ordini sacro debitam comitatur cura famæ, Ecclesiasticis muniis necessariæ. Honor enim, & fama, conjuncta sunt: & cui famam detraxeris, aut detrahi passus fueris, illi simul honorem minueris. Quid eo in genere Constantinus Imperator egerit, quid Christianis omnibus præstandum sit, diximus lib. 1. cap. 5. Excurs. 4. num. 13. At nos Ecclesiastici, sal terræ, lux mundi, civitas supra montem posita; quandoquidem famæ nostræ curam à laicis haberi volumus, eam ipsi ne prodigamus. Nam qui popularia vitia sectetur, qui terrena sapiat, qui lucris avidus inhiet, qui dignitatum cupiditate insatiatus distendatur: quâ is, quæso, fronte à popularibus honorem, & honori congeneam famam exigat? *Si custos meus, qui ovis sum, pastor meus & ipse incurvus graditur, vultum gerens demissum, & terram respiciens, & soli ventri uncto jejunus pabula quæritans, in quo discernimur?* Sic de trivio quispiam non absonè loquens inducitur à Bernardo, ep. 42. ad Archiep. Senon. ubi multa in luxum, ambitum, sordes, hæreditarias beneficiorum possessiones, aliáque Cleri vitia declamantur.

VII. *Pendet Ecclesiasticos ipsos præcipuam ejus curam esse oportet.*

Narrat Spondanus ad annum 1563. proposita in Concilio Tridentino ab Oratoribus Gallis capita quatuor supra triginta, pro Ecclesiastico ordine reformando: à Cæsareis, fermè totidem. Contrà per Legatos Concilii proposita Oratoribus Principum capita multa, pro istorum reformatione, quod ad immunitates Ecclesiasticas attinet: in iis præcipua tredecim, quibus Ferdinandus Cæsar Principésque alii reclamârint. Sed si ipsi sese Ecclesiastici ad pristinam vitæ normam, ad Ecclesiæ decorem, ad sanctimoniæ splendorem, ad cæterorum exemplum efformârint: Principes, optimos, & populi, ad eorum sese formam ultrò nec difficulter effingant; tantum abest, ut de reformandis illis cogitare inducant in animum. Cardinalis Baluâ vanè sese, & ambitiosè ad militares census, aliáque sæcularia officia, delegari à Ludovico XI. non petat. aulicus ab eodem Rege delegationem vicissim non postulabit, visitandæ Cardinalis diœcesi, quomodò postulatam ludibrio scribit Duplexius, aliíque Galli historici.

D. Damasi

D. Damasi Pontificis ævo, Clerici, indecoro & infrunito studio acervandarum privatarum opum, testamentis non immineant; ægris moribundisque donationes pro se, aut legata, avarè non inculcent: Valentinianus Imperator non edicet, neque in Christianis templis publicandum curabit, quod Baronius ad an. 370. Damaso conscio & assentiente factum perhibet, ne quem Clericum hæredem aut legatarium scribere liceret; si quis scripsisset, eam hæreditatem aut legatum fisci fore.

VIII. Libera Ecclesiæ possessio, & adeptio necessariorum, & commodorum.

Id edictum, malis tunc moribus summi ipsius Pontificis judicio congruum, privatos tantùm Clericos ab hæreditatibus, & legatis, prohibuit: non autem Ecclesias, & Congregationes, quæ tum illo tempore, tum deinceps, multâ prædiorum accessione creverunt. Et verò, ex reverentia Clericali gradui debita, consequitur, tum possessiones ipsas sacrorum hominum tribunalibus, & oneribus communibus, exemptas ac liberas esse; tum jus ipsis possidendi, & adipiscendi, pro hujus vitæ necessariis aut commodis, integrum atque illibatum servari debere. Quorum enim hominum gradui defertur, eorum vitæ consulitur: quorum vitæ consulitur, iis ad sustentandam vitam necessaria, aut commoda, non modò non prohibentur, sed ultrò subministrantur. Ita divino Jure, naturalis juris interprete, fundi luculenti, primitiæ, decimæ, aliáque olim Leviticæ tribui, quamvis Israeliticarum omnium minimæ, omnium tamen ditissimæ, attributa erant: ut Deo alacriùs, terrenorum curâ soluti, servirent.

IX. Immunitatis integritas indicium illibatæ religionis.

Idem apud quasvis benè institutas Christianæ Ecclesiæ gentes servatum est: eóque accuratiùs, ac constantiùs, quò populus retinentior religionis atque amantior fuit. Neque usquam in sacrorum hominum possessiones aut jura, quæ profanorum ac laicorum naturam non haberent, tribunalibus judicibúsve laicis data potestas; ubi religio intacta floresceret: fuitque argumentum evidens vacillantis, labantisque, aut diruti omnino cultûs divini; quando palàm in civitatibus ad profana tribunalia trahere, staréque juri à laicis dicto, sacri homines cogebantur. Nisi fortè manifesta necessitas usum aliquem, vel resectionem aut restrictionem possessionum sacrarum permitteret: consultâ, consciâ, & assentiente supremâ in rebus sacris potestate; citra cujus facultatem, quando per temporum aut caussarum momenta consuli potest, apud Christianos nefas est quidquam id genus conari.

X. Assensus summæ inter sacras potestatis, aut manifesta necessitas, dispensat.

Adde, nonnumquam assensum, ratihabitationis fiduciâ, rebus urgentibus occupari posse. Quidni enim rebus ac bonis fieri, tali in re ac tempore, liceat, quod ipsis etiam hominibus possit? Apud Spondanum Episcopum Apamiensem ad annum 1301. Philippus Pulcer per Nuntium à Bonifacio VIII. Pontifice postulavit, ut Episcopum Apamiensem Clericali privilegio exueret: *& Rex de illo proditore Dei & hominum, de quo emendatio sperari non posset, faceret per viam justitiæ sacrificium optimum.* Si Episcopus ille reverà perfidus proditor erat, & in supplicii mora publicum certò instabat discrimen: supplicium inferre, non exspectato Pontificis assensu, sperato tamen, licuisset. Si de hominibus ita statuitur, quantò magis de possessionibus sacris? Sed qui de his eum in modum, eáque legis gratiâ, ex necessitatis præsentis decreto statuerint; quamprimum licebit, indemnes Ecclesias Ecclesiasticósque, pro sua in illos observantia, præstare satagant.

XI. Heraclii Cæsaris exemplum spectabile.

Sic Heraclius Imperator, pro bello adversùs Cosrhoen Persam, mutuam à religiosis domibus, & Ecclesiasticis cæteris, pecuniam sumere coactus est. Cúmque ea pecunia, exhausto penitùs pridem ærario, non sufficeret, vasa ipsa sacra, aurea & argentea, conflanda curavit, ad militare stipendium. Confecto felicissimè bello, Ecclesiis mutua sua cum fœnore restituere destinabat: sed navis, cui eo fine maximam auri vim ex hostilibus spoliis commiserat, arcano Dei consilio demersa est. Itaque constituit, ut deinceps ad refusionem debitorum Clero & Monasteriis annui census à filio, pro rata cujusque, penderentur. Vide istud, apud Baronium annis 620. & 627. dignum imitatione Principum ac magistratuum omnium, nedum privatorum, Christianissimi Imperatoris exemplum.

XII. Concilii monita, Pontificis edicta, pro Ecclesiastica immunitate.

Quibus etiam prælectam optaverim insignem Cardinalis Rupefucaldii, pro immunitatibus Ecclesiasticis, ad Regem Ludovicum XIII. epistolam, ex libro vitæ tertio cap. 5. Quamquam, apud Christianos homines, plus admonitione, & hortatione, Cardinalis nutus, poterit sacrosancti Concilii Tridentini auctoritas; quod sess. 25. de reform. cap. 20. pronuntiat, *Immunitatem Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum, Dei ordinatione, & Ecclesiasticis sanctionibus constitutam esse:* & propterea *admonet Imperatorem, Reges, Respublicas, Principes . . . ut quò largius bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt ornati; eò sanctius quæ Ecclesiastici juris sunt, tamquam Dei præcepta, ejusque patrocinio tecta, venerentur; nec ab ullis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, maximéque Ministris ipsorum, lædi patiantur.* Nec minoris, apud cordatos & pios homines, ponderis erunt verba Pontificii edicti, quod Bullam cœnæ Domini vulgò appellamus, quia die Jovis sancto quotannis Romæ promulgatur, estque passim notissimum. Illius excommunicatio decima-quarta, & deinceps quinta, sexta, septima, fertur in eos, *Qui per se, vel per alios, cujusvis privilegii prætextu, avocant caussas spirituales, aut spiritualibus annexas, à Commissariis Papæ, aliisque judicibus Ecclesiasticis: Qui, quovis prætextu, trahunt ad forum suum personas Ecclesiasticas, præter juris Canonici dispositionem; aut pragmaticas, & leges condunt, quibus, in totum vel in partem, directè vel indirectè, immunitas Ecclesiastica læditur: Qui impediunt jurisdictionem judicum Ecclesiasticorum: Qui usurpant fructus, proventus, & redditus Ecclesiasticos.*

XIII. Candura peccata maximè omnibus cavenda; judicibus cogitandus judex supremus.

Erant, quæ ad mores hodiernos particulatim dicerentur, ex vero & cum spe fructûs. Sed quia, non quidquid utile est utiliter accipitur; nec, quidquid verum est, semper placet ipsis filiis veritatis: idcirco sat modò fuerit, privatum quemlibet monuisse, ut isthæc Concilii sapientissimi, & summi Antistitis verba seriò perpendat, eáque inprimis omni studio peccata cavenda existimet, quæ duplicem post se & horribilem scorpii caudam trahunt, onus restituendi, & censuræ pœnam. Judici autem cuivis idem commendo, quod Augustinus hom. 94. de tempore, habitâ ad mensam S. Cypriani: *Prius propter te esto judex in te. Prius judica de te; ut de penetrali conscientiæ tuæ securus procedas ad alium.* Inspice mentem tuam, & rimare, quò tendat: bonóne publico, an privato; utili, an honesto studeat, excitandis adversùs Ecclesiasticos controversiis: dilectióne vituli partes donodatæ remugiant; quod in ædibus Bernardini Bisciæ judicis Romani contigisse ferunt, præsente B. Fælice Cantalicio: an spes aliqua transversum

tranſverſum te agat, & ad irreligiosè pronuntiandum impellat. A D. Ivone, pauperum patrono, Redonenſis Archidiaconi Officiali, narrant, numquam ſine ſuſpiriis & lacrymis latam ſententiam ullam: quòd in eo articulo menti ipſius obverſaretur judex omnia contuens, & ſententias omnes recogniturus. O ſi omnium ea judicum mens ſit! O ſi ſecum identidem reputent, Deum ſtare in ſynagoga deorum, in medio autem deos dijudicare! *Excelſo excelſior eſt alius; inſuper univerſa terra Rex imperat ſervienti*: cunctis Deus ipſe, ſacri & juſti æternus exactor, imminet.

SECTIO TERTIA.

Religionis vulnera in locis ſacris.

I. Sacris locis debetur reverentia, immunitas, jus aſyli.

SACRORUM apud Chriſtianos locorum ſanctitas eò major eſt, quò propiùs ad ſanctitatis fontem accedunt, magiſque ad eſſentialem Numinis, vel accidentalem rerum creatarum ſanctitatem pertinent: ut Exc. ad cap. 10. hujus libri ſect. 3. num. 4. diſſeruimus. Eam ob cauſſam, præcipua templorum ſanctitas eſt: deinceps circumjectorum illis cœmeteriorum, ad Chriſtianam ſepulturam ſeparatorum; aut ædium, ſacris hominibus ad habitationem deſtinatarum. Iſtorum locorum ſanctitati reverentia debita eſt, pro portione ſanctitatis: reverentiæ defertur immunitas: immunitatem conſequitur jus aſyli, ad reorum imò & facinoroſorum confugium. Itaque templa, quia locorum omnium ſacrorum ſanctiſſima ſunt, maximè etiam ſunt venerabilia, atque immunia, & aſylorum primam prærogativam obtinent: ideóque de illis dumtaxat hic dicemus, facili ad loca cætera ſacra tranſitu, & deductione exempli.

II. Quomodò in templis, & contra quod jus, iſta lædantur.

Debita Chriſtianorum templorum ſanctitudini veneratio peccatis, intra illorum ſepta patratis, violatur; eò atrociùs, quò peccata graviora ſunt, aut ex communis rationis judicio puritati ſacrarum ædium magis adverſa. Immunitatem, ex veneratione templorum profectam, lædunt, qui, citra manifeſtæ neceſſitatis licentiam, illa vel tributis aliisve oneribus publicis gravant; vel ad præſidiorum, armamentariorum, aut munimentorum bellicorum, aliósve profanos ac promiſcuos uſus, deputant. Jus aſyli ex immunitate ortum invadunt, qui reos de templis extrahunt, extra criminum enormium & exceptorum caſum, qualia fuêre Joabi, eam ob rem Salomonis juſſu ab aræ ipſius complexibus abſtracti. Qui templorum ſanctimoniam culpis contaminant, contra Naturæ legem faciunt: eſt enim naturæ humanæ congenitum iſtiuſmodi culparum odium ſingulare. Qui in immunitatem & aſylum peccant, non Gentium modò jus violant, Eccleſiaſticúmque, & Civile, ſed Divinum: quia jure iſthæc Divino Chriſtianis templis conceſſa ſunt, ut dictum imus.

III. Jus aſyli in templis Chriſtianis divinum eſt.

Certè ſi Moſaïci tabernaculi, templique Hieroſolymitani religio, non humanis dumtaxat ſanctionibus, ſed divinæ voluntatis interpretatione jus aſyli obtinuit: Chriſtianorum templorum religioni, multò auguſtiori, idem non humanitus tantùm, ſed divinitus obtigiſſe, par fuit. Et verò, ſi Apoſtolicæ traditionis decretum eſt, quod ſemper Eccleſia Chriſti ſervavit: &, ſi divini juris eſt, quod Apoſtoli ſervandum Eccleſiæ tradidêre: conſequitur, jus aſyli in Chriſtianis templis divinitus eſſe conſtitutum, & ab Apoſtolis manâſſe; quia ubivis, & ſemper, apud Catholicos ſervatum eſt. Hâc ratiocinatione Theologi ſententiam noſtram collegêre: tredecim pro illa adducit Diana par. 3. tract. de imm. Eccl. reſ. 44. Ratiocinationis autem fundamentum, de perpetua jam inde ab Apoſtolicis temporibus intacti in Chriſtianis templis aſyli obſervantiâ, ex doctiſſimorum ac ſanctiſſimorum Patrum ſcitis, & hiſtoriis, conficitur.

IV. Ex perpetuo illud Eccleſiæ uſu deducitur.

Aliquorum ſpecimen propono. D. Baſilius, apud Gregorium Nanz. orat. de ejus laudibus, viduam, altare complexam, à Præſidis injuria defendit. Ambroſius, apud Paullinum in ejus vita, Creſconium, ad altare confugientem, à lictoribus defendere conatus eſt: cùm vim arcere nequiviſſet, abreptuſque Creſconius & in amphitheatro feris eſſet objectus; belluæ non paucos illorum, qui vim Eccleſiæ attulerant, dilaniavêre. Chryſoſtomus Eutropium, Eccleſiaſticæ licèt immunitatis violatorem, ne à ſacris altaribus abſtraheretur, prohibuit, eâque occaſione orationem de illo, quam hodiéque legimus, habuit: vide Baronium, annis 398. & 399. Auguſtinus, ep. 6. inter adjectas, Bonifacio Comiti ſacris interdixit, eúmque palàm Eccleſiaſticâ pœnâ caſtigâvit, propterea quòd reum de templo protrahendum curâſſet. Juſtus Lugdunenſis Epiſcopus, apud vitæ ſcriptores, aſperrimas à ſeſe ipſe pœnas exegit, deſertóque Epiſcopatu in Ægyptum ſeceſſit: quòd hominem, intra templi ſepta profugum, inde ejiciendum curâſſet, inconditis ac tumultuoſis populi clamoribus furoréque compulſus, jurato etiam antè magiſtratu, hominem illum mortis diſcrimine liberum fore.

V. Extra neceſſitatem nefas eſt profanis uſibus templa contaminare.

Excuſabat tamen ſanctum Præſulem imminentis, à concitata plebe, periculi neceſſitas: excuſâſſe etiam potuit criminis ab homine profugo patrati gravitas. Sunt enim nonnulla adeò enormia, adeò publicè exitioſa; ut nulla, illis ſupplicio eximendis, profit loci religio: quorum criminum hîc catalogum, ſatis aliunde notum, texere opus non eſt. Sed, ſi ſanctiſſimis viris tantæ curæ fuit, templorum ſecuritatem, reis qui illuc confugerant prodendis, non lædere: quanto ſtudio curaturi erant, ne ad profanarum ædium ſortem, habitationis uſu, operúmque familiarium exercitio deducerentur: ad quod aliquando pios Chriſtianos temporum adegit inevitabilis, adeóque inculpata, neceſſitas. Alios eò frequenter impulit inſana temeritas, præſenti non rarò ultione cælitus plexa: quemadmodùm in Hibernia nuper contigiſſe, narrant annuæ Societatis literæ an. 1650. Verba illarum refero.

VI. Divinitus puniuntur profana ejuſmodi contaminatio.

In clade Caſſelenſi, in templo ſeu rupe S. Patritii collocato hæreticorum præſidio militari, affuit intempeſtâ nocte Gubernatori præſidii ſenex auguſtâ ſpecie, & illum manu prehenſum, ac in editam templi turrim eductum, interrogavit: Ecquid eſſet, cur templum illud impiè adeò, indignéq., proſtituat? Simulq., trementem è ſumma turri in cœmeterium ſubjectum dedit præcipitem: ita tamen, ut reliquâ nocte vivus adhuc illic jacuerit, confractis oſſibus, inter dolores ac metum, vitamq. traxerit in lucem uſque ſequentem; quo rei tantæ ipſe locuples nuntius eſſe poſſet, ac teſtis idoneus, ad fidem ab omnibus facilè impetrandam. Miles conterritus, extemplò ſe ad ſecuriora recepit, ſubmiſſis in templum, ſui loco, equis & bobus vectariis tormentorum. Ibi arcano quopiam volut æſtro perciti, ac tumultuosè agitati equi, & boves, inter ſe ægrotem antea horridè complentem, inter-

trementibus

trementibus ad hæc hostibus, effecêre, ut templum liberum sit relictum. S. Patritium in illo sene omnes, refragante nemine, agnovêre. [*] *Vigilat pro suis Hibernis & Patrona regni Brigida virgo. Erat in Corcagiensis urbis suburbiis perantiquum templum, S. Brigidæ virgini sacrum. Id nuper demoliti hæretici in speculam mutavêre, unde contra Catholicos excubias agitarent. Aiunt ipsi experti, & explorata fides fama est, virginem in medios noctu excubitores advenisse, & milites hæreticos ab ea partim interfectos, partim luxatis ossibus, aut confractis, e summa turri ac fenestris præcipites exturbatos. Id quod ubi factum iterum tertiòq; vidêre, conterriti abstinuêre. Egressi Dublinio equites quadraginta hæretici cum fabris cæmentariis, vicinum S. Dulachii sacellum destruxêre, & ejusdem Sancti sepulcrum, celebri populi pietate frequentatum, ruderibus implevêre. Inde in urbem reducibus, & exultabundis, obvius occurrit ignotus quidam in splendido armorum apparatu eques, & duce è vestigio trucidato, reliquos in trepidam fugam avertit. Fugientes & fabros, & milites, intra quadraginta dierum intercapedinem, assecuta est divina vindicta, & mori, nemine illorum inter vivos reperto post dies quadraginta: uti & eos omnes paucorum dierum dysenteria extinxit, qui cryptam, seu purgatorium S. Patritii contaminârant, & ingestâ humo lapidibusq; oppleverant. Hæc ex veteri, quia nostris diebus, & usu, egregio sunt solatio, & ad solandum Catholicos jam in acie ultima periclitantes egregio adjumento; ad opem etiam a Deo per Sanctos indigetes exspectandam.* Sic narrant, scribunt, publicant, testes exceptione majores, de quorum fide nulla nobis potest esse suspicio.

VII. Cur pollutionum sacrilegia in templis commissa censeantur impudicitiâ, homicidio, furto?

Jam verò si illos, qui sacras ædes militibus, bobus, equis impleverant, tam severè ulta est divina Justitia: quantâ severitate in illos animadvertet, qui semetipsos, intra sacras ædes peccando, bobus, & equis similes faciunt? Tria præsertim peccatorum genera sanctimoniæ templorum contumeliosa censemus: impudicitiam, homicidium, furtum. Hoc, quia res velut Deo creditas, & apud ipsum securè depositas, custodiæ cælestis contemptor, invadit. Istud, quia ante Judicis oculos, in mansuetudinis domicilio, in caritatis sinu, coram Christo vindictæ & iræ prædamnatore, humanitatem obliviscitur. Illam, quia fœdè commaculat fontem ipsum puritatis, Copronymi instar, & in castissimos divinitatis oculos sordium suarum execramenta ingerit. De vi templis illata, cædibus, rapinisque patratis, divinitus punitis, quædam à nobis dicta sunt ad l. 1. c. 7. Exc. sect. 2. num. 3. & 9. & quamvis isthæc abessent, satis forent sola, ex hoc libro, Heliodori, & Antiochorum duorum, Sidetis atque Epiphanis, supplicia: horum in Persepolitani fani diripiendi conatu, illius in templi Hierosolymitani violatione.

VIII. Impudicitia in templis patrata abominatio.

Ad impudicitiæ in templa inductæ odium sufficit, quod de filiis Heli narratur 1. Reg cap. 2. v. 22. ac deinceps cap. 4. Arcam Domini, tabernaculum Mosi, imò ostium tabernaculi isti fœdavêre: tu abominationem desolationis audes statuere in loco sanctissimo, & propheticis vocibus non percutiêre, ut tinniant ambæ aures tuæ? Pagani ipsi leges condidêre, supplicia sanxêre in eos, qui delubra usu veneris polluerent: quas leges collegit Tiraquellus leg. 5. conn. num. 107. Ipsique adeò Poëtæ, profani libidinum incentores, edixêre,

Casta placent Superis, purâ cum veste venite.

Tu ante Filium Virginis, ante candidissimi Agni oculos; commaculatâ mente, contaminato corpore audebis consistere? Tremebat Hieronymus in sacrarum basilicarum ingressu, si quando inculpata ipsi contaminatio obtigerat: tu, in ipsis basilicis contaminatus, non contremiscas? *Ego*, inquit lib. adv. Vigil. *confiteor timorem meum. Quando iratus fuero, & aliquid mali in animo meo cogitavero, & me nocturnum phantasma deluserit: basilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus & corpore, & animo, perhorresco.*

IX. Detestandæ libidinosæ ad templa condictiones.

Lege eumdem Hieronymum ep. 48 in Sabinianum, adversùs quem copiosè & acerbè invehitur, quòd, de libidine exsatianda cogitans, in templum Dominici præsepis intrârat. Dominico præsepi templa Christiana non composuimus, sed pextulimus, Exc. ad c. 10. sect. 4. Eâdem igitur atque Hieronymus invectivâ eos urge, qui ad criminum præparationes in templa conveniunt, & inter se ad collocutiones, & affabulationes libidinosas, condicunt: vulgò assignationes nominamus. *Infelicissime mortalium, tu speluncam illam, in qua Dei Filius natus est, & veritas de terra orta est, & terra dedit fructum suum, de stupro condicturus ingrederis? Non times, ne de præsepi infans vagiat, ne puerpera Virgo te videat, ne Mater Domini contempletur?* Condictionibus istis, & colloquiis libidinosis intra sacras ædes evitandis, consueta olim fuit sexûs utriusque honesta separatio: quod vel ex Augustini sententiâ, à nobis adductâ Exc. ad cap. 10. sect. 3. conficitur. Hodièque, apud populos non paucos, idem in more est: apud omnes Christianos puritatis amatores id saltem in more esse deberet, quod Hieronymus Lætæ præscripsit ep. 7. ut filia nubilis *ad basilicas Martyrum & Ecclesias sine matre*, aut saltem sine custode, *non adeat*. Ubique firmanda custodia, maximè ubi gravioris peccati discrimen est.

X. Fulmine digni adspectus libidinosi in templis.

Neque abhorrendæ solummodò condictiones ad libidinosa colloquia, sed curiosi ipsi intuitus, quibus diabolo pejor fit, ut ait Cyprianus seu quis alius lib. de Sing. Cler. *qui in templo fœminarum adspectibus fruatur.* Vehementer adversùs tales inspectores perorat Chrysostomus hom. 74. in Mat. *Multi ad vultus fœmineos adspiciendos, ad adolescentulorum pulcritudinem curiosius contuendam in Ecclesiam intrant. Non miraris, quo pacto undique fulmina non involent, quomodo sursum deorsum omnia non vertantur? Isthæc enim non fulminibus duntaxat, sed inferorum suppliciis, dignissima sunt. Homo quid agis? Formas mulierum in templo curiosè contemplaris; neque exhorrescis ad tantam domui divinæ illatam contumeliam? Prostibuli typum forsan, & vilem foro, tibi Ecclesia videatur. Certè in foro pudor te prohibet, ne quis te videat mulierem sectari: audes tamen id in templo ipso, ubi te Deus alloquitur, & quando te maximè ab illis deterret?*

XI. Affabulationes ipsæ, & jocationes quantopere fugiendæ.

Devocata de cælo fulmina in libidinosos intra templa spectatores, à Chrysostomo, non miror; cùm hom. 24. in Acta, loquentes vel ridentes in templo dignos existimet, qui *non verbere, sed fulmine*, petantur. Nec longè à Chrysostomi sententia discessit Ven. Beda, ad illud Mat. 21. ubi narrantur eversæ à Domino cathedræ columbas vendentium. *Si Dominus*, inquit, *nec ea volebat vendi in templis, quæ in templis volebat offerri: quantâ putas animadversione puniret, si inveniret ibi aliquos risui, vel vaniloquio vacantes, aut alii cuilibet vitio mancipatos?* Si fortè in comitatu es Regis, ac Principis, quando Legatos excipit, aut primatibus seriam audientiam accommodat, jocis abstines,

abstines, os comprimis, silentio adstas. Atqui modò in aula Dei es, ad solium summi Regis domesticus & familiaris assistis, ubi Angelorum legationibus adoratur; Christianorum orationibus interpellatur. Negaris interim, & jocaris, & affabularis; facis ut Petrus Damianus ep. 129. aiebat, *de Ecclesia non oratorium, sed locutorium; non oraculum, sed conciliabulum*: nec times, ne de religioso divinæ familiæ comitatu exesse jubearis, mittarisque, ligatis manibus & pedibus, in tenebras exteriores?

XII. Expenor in templis reverentia, & modestia, vestis nuptialis.

Baronius ad annum 535. ex Justiniani sanctione conficit, in majori Ecclesia Constantinopolitana Clericos fuisse quadringentos viginti quinque, Ostiarios centum. Cui autem, inquis, bono tantum Ostiariorum numerum? Officii eorum fuit, non modò ostia claudere, & recludere; sed etiam de templo foras per ostia ejicere, qui ad Sacra indigni accederent, aut indecorè Sacris se gererent. Erant ergo illorum instar Regiorum in Evangelica parabola famulorum, qui hominem, non vestitum veste nuptiali, jussi sunt ligatis pedibus & manibus in plateam de convivii loco efferre; ubi, aliis epulantibus, strideret, & gemeret. Quidni enim, locum Regii convivii, templum interpretari liceat: quò intrare non debet, sine reverentiæ ac modestiæ veste nuptiali? Eâ qui careant, quocumque gradu sint, foras protrudentur: quemadmodùm non ab Ostiariis, sed à Deo ipso contigisse Alexandro Porphyrogenito Imperatori, Basilii filio, narrat Baronius ad an. 911. Christianis Imperatoribus consuetudo perpetua fuerat, templorum aperto capite reverenter ingrediendorum. Suasêre Alexandro adulatores, ut capite operto, ad majestatis ostentationem, ingrederetur. Ab ea irreverentia excusso paullatim timore Domini, ad majora ac majora in dies crimina prolapsus, fœdissimam mortem obiit.

XIII. Adhibenda [illegible] à ministris sacris.

Maximè tamen illos decet castigatus adspectus, compositus ad reverentiam vultus, factus ad modestiam status, & incessus; qui propiùs ad aras accedunt, & ad sanctimoniam victimis admoventur. Aiunt, in Peruvio sacerdotes Solis demisso semper vultu cum idolis suis colloqui solitos: imò ab aliquibus oculos sibi, venerationis ac modestiæ causâ, erutos. Nobis non oculi exsculpendi, sed excavanda curiositas, coërcendúsque intra pietatis ac decentiæ limites intuitus; quando ad Solem accedimus, qui nescit occasum, à cujus calore & lumine sese nemo potest abscondere. Neque ad aras tantummodò verecunda modestia obtinenda est: sed in cæteris templorum ministeriis, ac ritibus; quibus coli à nobis volunt sanctissima divinitas, & sanctitatis suæ participationem ad nos derivare. Nam, ut ait Tertullianus lib. de corona mil. *Per hæc exterioris hominis ministeria, interiori homini ministrantia, fructus munerum divinorum ad animam deducuntur à sensibus.*

XIV. Illa valdè capiuntur spectatores.

Modestiam igitur Deo Ecclesiastici debent in templis, debent & sibi: imò debent & Laicis ministeria divina spectantibus. Quemadmodùm enim indecoris moribus Ecclesiasticorum malè afficimur spectatores, & ex iis de ipsorum irreligiositate sententiam, non prorsus temerariam, ferimus: longiùsque interdum ad Christianorum sacrorum contemptum, quando contemptim obiri vident, provehuntur. Ita si reverenter, ac sanctè, celebrari vident; tum de bonis ministrorum moribus, tum de religionis majestate, altè sentire incipiunt; aut, si antè bené sentiebant, existimationem augent. Bellarminum hæretici, in Pontificia ut vocant Capella, seu officio divino cui Pontifex interesset, spectavêre tacitum, oculis semper vel ad aram, vel ad librum precarium intentis: nec minùs ipsius modestâ religione, quàm exquisitâ doctrinâ, captos sese professi sunt. Vidit hæreticus Pium V. Pontificem, magnâ pietate supplicabundum, cum Ven. Sacramenti hierotheca procedere, neque aliud ad conversionem incitamentum exspectavit: ut diximus Exc. ad c. 9 sect. 3. num. 17. Bercmanum nostrum, ut ait vitæ scriptor, composito ut solebat vultu in templo Romano orantem, spectavêre Genuenses nobiles, advenæque alii: & plùs eo adspectu, quàm longis concionatoris sermonibus ad virtutem profecêre. Ob modestiam ac decentiam nostrorum in templo Perusino spectatam, quidam Collegium illud, mutato priore testamento, bonorum suorum scripsit hæredem. Ita perhibent annuæ literæ Societatis nostræ an. 1650.

SECTIO QUARTA.

Religionis vulnus quartum in vasis sacris.

I. Vasorum sacrorum magnificentia templo congrua.

IN profanis superstitionis Paganicæ ritibus vasorum divitias non probabat Porphyrius, l. 2. de abst. *Ideò, inquit, prisci, per festa maximè solennia, vasculis figulinis, ligneis, & reticulis vimine textis, utebantur: quia isti sibi persuaserunt Numen delectari. Itaque in sacris figulina & lignea supellex, ob materiæ paupertatem, & artis simplicitatem, magis divina existimatur.* Contra Porphyrium sentiebat Aristoteles lib. 4. Eth. cap. 2. ubi de magnificis operibus agit: *Ex impensis, inquit, quas honorificas dicimus, ea sunt, quæ ad deorum donaria, ædificia, & sacrificia spectant, quæq; ad universum denique deorum numen pertinent.* In sacris Christianæ religionis ritibus, quidam forsan non longè à Porphyrii opinione discedent, D. Bonifacium Moguntinum Præsulem secuti, cujus illud celebre circumfertur: Cùm lignei essent calices, aureos fuisse sacerdotes; ligneos hos esse, ex quo illi sunt aurei. At contrà, Synagoga universa vasorum aureorum & argenteorum pompam ostentabat, divinis jussis in tabernaculo Mosaico cœptam, postmodùm in Salomonico templo auctam in immensum. Neque Hebræis parciores Christiani Principes, & populi, sacras ædes pretiosis donariis, ac vasculis, implevêre; frustra obstrepentibus Iscariotis, *Ut quid perditio hæc?*

II. Deo grata, hominibus utilis.

Scimus enim decoram esse cultui divino non sanctitudinem modò, sed magnificentiam. Primùm, quia majestati divinæ conveniens est, eámque augustius exhibet. Deinde, quia donantium piæ liberalitati congruit. Demque, quia utentes, & spectantes, magis ad sacrorum Christianorum venerationem advertit. Sallustius philosophus, opusculo de diis & mundo cap. 15. postquam quæsiit, Cur deos nullius indigos templis honoremus: respondet, Non ipsorum id causâ fieri, cùm non egeant, sed nostrâ, ut sic eorum providentiæ ac beneficiis aptiores simus. Quod ille de diis, hoc quæramus de Deo, & sapientiùs respondeamus; honorari illum templorum elegantiâ, sacrorum vasorum opulentiâ, vestium sacerdotalium sumptu, tum causâ suâ, tum nostrâ. Suâ, quia, etsi nullius indigus; gloriam tamen amet,

amat, & gloriæ instrumenta. Nostrâ, quis illa vel piè spectando, vel piè donando, plus à Deo accipimus, quàm damus. Nam, ut ait Salv. l. 1. ad Eccl. *Non bona præstat Deo beneficium in his, quæ dederit: sed Deus in his homini, quæ acceperit.*

III. Vasorum sacrorum profanatio punita.

Ceterùm postquam isthæc Deo addicta sunt, & sacro usui mancipata; quanti criminis sit, in profanos usus vertere, in funesto Balthasaris exitu Dan. cap. 5. ac alia Excursu ad c. 7 l. 1. sect. 2. à nobis adducta præteream, Deus ostendit: postquam ille *præcepit jam temulentus, ut afferentur vasa aurea, & argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuit in Ierusalem: & biberent in eis Rex & Optimates.* Impii Regis supplicio cautior Turcarum Princeps Solymannus, expugnatâ Rhodo, vetuit, ne quis vasa sacra, vestésve, Ordinis S. Joannis attingeret, quorum tamen opulentia etiam Christianorum militum avaritiam irritâsse potuerat: ut Duplexius narrat in vita Caroli IX. à nobis adductus ad lib. 1. cap. 4. v. 44. Enimverò ætate nostrâ multos vidimus Christianos milites, profanatis templis, donaria & instrumenta divinorum sacrorum contrectantes, rapientes, diffringentes sacrilegè: eáque patrantes, quæ Mahumetani ista ne cogitari quidem, nedum fieri, tentarive, paterentur. Ut excelsiores illos præteream, quibus istud Senecæ occini possit ep. 87. *Sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur.*

IV. Quando illa profanare nefas non sit.

Numquámne igitur illa profanare fas fuerit? Quando id liceat, disce ex Ambrosio lib. 2. Off. c. 28. *Verè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verè thesaurus est Dei, qui operatur quod sanguis ejus operatus est. Tunc vas Dominici sanguinis agnosco, cum in utroque videro redemptionem, ut calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redemit.* Post isthæc piè juxta & eleganter pronuntiata de captivorum redemptione, ad alia transit opera virtutum, quibus exercendis fas sit calices ipsos sacros impendere. *Nemo*, inquit, *potest queri, quia captivi redempti sunt. Nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est. Nemo potest indignari, quia humandis Fidelium reliquiis spatia laxata sunt. In his tribus generibus vasa Ecclesiæ, etiam initiata, confringere, conflare, vendere licet.* Quod de tribus istis generibus statuit Ambrosius, idem generatim de quolibet caritatis opere, quando necessitas urget, pronuntiandum: quia caritatis publicæ, privatæve, debitum exterioribus istis cultûs divini instrumentis pluris est. Idem generatim de cultûs divini necessitate, aut majori propagatione dicendum, si quando sacerdotalibus ministeriis fundandis, instaurandis templis, sacrificiis curandis, vasorum sacrorum venditio ac profanatio opus foret. cultus enim divinus, ejúsque ministri, ac templa, pluris sunt, quàm ornamenta templorum. Extra hasce caussas meritò cum Alexio Comneno, in Oratione quam bullam auream inscripsit, iram divinam imprecemur, si quis in posterum vasis sacris manus audeat injicere. De ea Bulla nos quiddam ex Baronio protulimus, Excursu ad c. 7. lib. 1. sect. 2. num. 9.

V. Vasis canticorum sacrorum profanè utentes carpuntur.

Ad vasorum sacrorum profanatores aggrego, qui musicis divinarum laudum instrumentis ad profanas cantiones abutuntur, vel sacra cantica ita componunt, aut resonant, quasi profana forent; choris theatricis, aut choreis tripudiantium, ne quid lascivius dicam, quàm cætibus orantium, Ecclesiæve, aptiora. Nolebant olim Judæi cantare *canticum Domini in terra aliena*: isti canticum alienæ terræ audent cantare in templo Domini; ut attentio ad orandum necessaria dissipetur, evanescat pietas, imaginibus scenicis aures & mentes impleantur, exeántque, qui ad templa convenerant, minùs quàm intrârant compositi.

VI. Musicam sacram oportet sobriam esse & piam.

Bernardi monitum est ad Guidonem Abbat. ep. 312. *Cantus ipse plenus sit gravitate, nec lasciviam resonet, nec rusticitatem. Sic suavis, ut non sit levis. Sic mulceat aures, ut moveat corda, tristitiam levet, iram mitiget, sensum litteræ non evacuet, sed fecundet. Non est levis jactura gratiæ spiritualis levitate cantûs abduci à sensuum utilitate, & plus sinuandis intendere vocibus, quam insinuandis rebus.* Quid modò dicat Bernardus, si, post Pontificum severa decreta de musicæ sacræ ad seriam pietatem compositione, audent tamen symphoniacorum plerósque adeo affectatâ vocum sinuatione blandiri, voces tam multis tinnitibus lyrarum & cithararum frangere, toties fugâ, concisione, fuscatione, suspiratione modulos variare; ut quantumvis auditus contendatur, verbum prorsus nullum ex integro excipi possit? Fritinnire dixeris potiùs avicularum instar, quàm humano sermone uti: aut balbutire identidem a a a, vel o o o; ut de se ex verò, etsi aliâ quàm Jeremias sententiâ, pronuntiare possint, *Puer sum, nescio loqui.*

VII. Carpuntur iidem profanè utentes pulsu campanarum.

Excéste de sacris ædibus indecori, profani, noxii cantores; neque hymnos nobis deinceps cantate de canticis Sion. Existimatis, sicut David vos habere vasa cantici: sed Donatistarum potiùs instar estis, qui, apud Augustinum ep. 119 *Ebrietates suas ad canticum psalmorum, humano ingenio compositorum, quasi tubas exhortationis, inflamant.* Et vos de sacris turribus excéste, qui æra campana, divino cultui dedicata, lascivorum canticorum sono profanatis, & urbes totas malesuadâ suavitate mulcetis. Apud Judæos olim, tubis sacris ad Tabernaculum Templumve advocari populus consuêrat; unde facta tubis significationum appellatio. Tintinnabulorum pulsu, apud alias gentes, actionum communium, aut publicarum, signa dari quondam solita, docet ex priscorum testimoniis Baronius an. 58. apud anachoretas autem Christianos usum frequentem fuisse crepitaculorum ligneorum. In tubarum, tintinnabulorum, crepitaculorum vicem successêre postmodùm æra campana, seu campanæ. An à Campania sic dictæ, quòd ibi primùm usus inoleverit, & quando ille usus exptus sit, apud scriptores non constat, etsi quidpiam divinent, qui de rerum inventione scripsêre.

VIII. Cur & quomodo initientur, ac sacrentur.

Ceterùm istiusmodi æra majora, quæ sacris ædibus, ad festorum officiorumve divinorum significationem, aut celebrationem consecrantur; quia quædam velut religionis ac pietatis linguæ sunt, prius piis multis ritibus initiari solent, cantu sacro adhibito, lustrali aquâ adspersâ, indito etiam nomine, unde apud vulgus baptizari dicuntur. Deinde, turribus appensæ, ex editiore loco resonant, ut latiùs fundatur pulsus, & hortationis instar sit, ad cultûs divini inchoationem. Iis tu divini cultûs instrumentis, tot sacrorum rituum initiatione consecratis, theatricas & tripudiales cantiones insonas: ut etiam pueri ad eas in plateis respondeant, & subsultent, velut ad mimicos cantus? In quorumdam Ægyptiorum fratrum urbibus, ubi nihil non profanum est, ne ipsæ quidem civicarum domuum campanæ aliud quidpiam, quàm pium, sonant. Non pudebit

Hierosolymis,

Hierosolymis, ex Templi vertice, tubis significationum Sotadica carmina, & Priapea, intelligi?

IX. Illis arcenda, non accendi dæmones.

Enimverò pudendum istud omnino est, & ab Ægyptius meritò in ora Hierosolymitarum ingerendum: quòd apud ipsos sacra de profanis fiant, apud nos profana de sacris. Quid quòd, cælo sonante, apud nos æra campana compulsari consuevère: non solùm ut aeris motu fatæ exhalationibus nubes, & noxia fulmina parturientes, aspellantur, sed ut aëreæ potestates, tempestatibus non infrequenter ad hominum damna usæ, sacrorum instrumentorum pulsu absterreantur? Heri dæmones sono campanarum arcebas: hodie illos earumdem cantu advocas? Heri metum illis incutiebas: hodie gaudium paras? Heri fulmina propulsabas: hodie vitia inflamas, & vindictam divinam incendis? Ferenda isthæc non sunt, non dissimulanter prætereunda, non obiter reprehendenda, si quò irrepsère. Obmurmurent quidam licèt, quemadmodùm mihi factum olpiam, ubi ex insperato errorem illum, nimis communem, & inoltum, carpsi pro merito, pro debito. Meliùs equidem taceatur prorsus, ista-ha, displicendi metu, tacenda sunt.

X. Abusus ille campanarum nequidquam excusatur.

Sed heus tu, inquit nonnemo, an ignoras cantus illos, qui de turribus nostris per festos dies, aliquando etiam per geniales occasiones insonant, etsi ab initio carminibus profanis adstricti fuerint, jam ad sacra traductos? Italicorum multorum canticorum lascivias & levitas, verbis à Bellarmino in seria piáque mutatis, sanctimoniam induit. Quàm multi vernaculâ Gallicâ linguâ, aliis itidem linguis quàm numerosi libri prodière, sacris cantionibus in numeros eosdem notásque illigatis, ac vulgares nec satis castæ cantiones? Quorsum igitur tam acerbè invehare in musicos ejusmodi campanarum compulsatores, siquando cantus illos ingerunt, qui sacris juxtà ac profanis verbis aptati sunt? Invehendum nihilominus: primùm, quia profana verba, cantibus illis aptata, multò sacris pervulgatiora & notiora sunt; atque adeo audientium mentibus cogitationes profanas frequentiùs multò & citiùs, quàm sacras, objiciunt. Deinde, quia ista qualiscumque cantionum levitas dedecet instrumentorum sacrorum gravitatem. Denique, quia cantionum, quæ in hunc modum de campanilibus audiuntur, pars maxima nova sunt, & de plateis ac choreis recèns illuc traductæ; antequam ullus de accommodandis ad verba sanctiora cogitârit.

SECTIO QUINTA.

Sacrorum verborum abusus vulnus religionis quintum.

I. Verba sacra duplicia, sunt literæ Dei ad nos, nostræ ad Deum: non commaculanda.

LONGA vehementiùs in eos invehendum, qui verba sacra profanis usibus contaminant. Sacra verò verba appello, primùm Scripturam sacram; tum orationes aliásque formulas, ad cultum divinum, ac ritus religiosos, adhiberi ab Ecclesia consuetas. Scripturam literas esse de cælo, & Dei ad nos, ait Aug. in ps. 140. *Venerunt ad nos literæ de patria nostra: ipsas vobis recitamus.* Et in ps. 64. *Quomodo in nobis reformatur amor civitatis nostræ, quam diuturna peregrinatione obliti fueramus! Sed misit inde ad nos epistolas pater noster, ministravit nobis Scripturas Deus, quibus epistolis fieret in nobis redeundi desiderium.* Quemadmodùm ergo, Augustini sententiâ, Scripturæ sacræ verba divinæ instar ac cælestis epistolæ ad nos sunt: ita Ecclesiasticorum officiorum, ac rituum, verba instar habent nostræ ad Deum responsoriæ epistolæ. Quid autem de filio dixeris, qui, quas accepit à patre literas, vel quas ad patrem destinèt, ultro commaculet, & fœdè conspuat? Sic aguot Christiani, qui sacra verba profanis sermonibus, aut scriptis polluunt.

II. Dei imago sunt, nec transferri debent ad bellunas imagines.

D. Irenæus lib. 1. adv. hær. cap. 1. idem ait sacrorum verborum abusu fieri, ac si quis Regis effigiam, ex gemmis scitè compactam, solvat, & in caninam aut vulpinam formam commutet. *Quemadmodum si quis elegantem Regis imaginem, de lapidibus pretiosis accuratè ab erudito artifice elaboratam, solvat, & hominis figurâ penitus destructâ, ex iisdem gemmis effigiem canis aut vulpeculæ coagmentet.* Id si ludibrio fecerit, reus proculdubio læsæ majestatis Regiæ agetur. Quid ergo illis fiet, qui ad caninam mordacitatem, aut vulpinas fallacias, monstrosásve sententias, usurpent sacra Scripturæ aut Ecclesiæ verba: quæ, prolata in tempore suo, sunt gemmulæ carbunculi in ornamento auri; unde in loquentium pariter, & audientium, mentibus imago divina formetur, piis virtutum affectibus?

III. Sunt Christi & sacerdotum vestes, profanis non induendæ.

Bellunos istos opifices, sacrorum verborum abusu in legentium auscultantiúmve animis vitiorum monstra effigiantes, cum militibus, vestimenta Christi inter se partientibus, aptè contulerimus. Iis enim omnibus convenit generatim, quod de hæreticis in ps. 21. scribit Ambrosius: *Vestimenta esse puta prophetias, vel Scripturarum cælestium lectiones, quibus Christi Domini annuntiatum est Sacramentum: quam prophetiam unum canentes, & unum per omnia nuntiantes, adversarii Salvatoris, hoc est perversi hæretici, qui quotidie in illum tanquam milites manus turpes ingerunt, pro sua dividunt voluntate, & unius corporis vestimenta per varia membra distribuunt: atque spoliantes Dominum sua falsa dogmata vestierunt.* Ecclesiasticorum ministrorum vestes, & ornamenta sacerdotalia, impuræ histrioniæ addici Christianus nemo patiatur. Scripturæ sententias, aut Ecclesiasticas locutiones, ex *Lana Agni*, ita sacra verba Cyprianus in præf. de exhor. marty. appellat, contextas, ad mimicos jocos, & obscænos sales, traduci feremus?

IV. Sunt calicibus sacris & ciboriis, sacratiora: adeóque majus crimen est illa profanare, quàm illa.

Eò sacratiora templorum Christianorum vasa sunt, quò propiùs Christi Corpus & Sanguinem tangunt. Itaque calix, & discus, quem patenam appellamus, ciboriúmque, & hierotheca, sacratissima censentur: quæ si fortè mimus quilpiam profanis manibus non attrectet modò, sed ad jocularia sua admoveat, quis immane sacrilegium non indignetur? Atqui Scripturæ & Ecclesiæ verba calicibus ipsis sacratiora esse, non dubitanter affirmâro: quandoquidem Augustinus illa ipsi etiam Corpori Christi comparare non dubitârit, æqualémque culpam facere, verba divina neglectim audientium, & Corpus Domini in terram labi sinentium. Quid ergo illis dicamus, qui sacris verbis linguas impuratas, velut impias manus injiciant, & jocos inde suos ac ludibria faciant?

V. Cur incantationes superstitiosæ sacris plerumque verbis fiant?

Scripturæ aut Ecclesiæ verbis abutentium quintuplex genus est: ut vel hinc, quod in Excursûs titulo positum est, quintuplicia vulnera religionis habeamus. Abutuntur magi per incantationes sacrilegas, satagente dæmone, vel in odium veritatis; vel ad sanctitatis contemptum; vel ut inde

sibi

sibi divinitatem arroget, divinorum oraculorum usurpatione vel denique, ut simpliciores recti specie in fraudem inducat, & superstitiosorum amuletorum usu illaqueet. Quemadmodum olim speciosis verbis, & pulcrâ serpentis formâ, gustandam persuasit arborem boni & mali, ut humanum genus ab hortis, divinis manibus consitis, amœnitate excluderet. Quocumque tandem fine ad mali genii institutuerint, constat tamen, plerasque admodum incantationes, & amuleta, quævis linguâ circumferri, in quibus sacræ voces aut narrationes non sunt, falsitate ad extremum aliqua vel ludibrio interpolatæ, aut clausæ, unde impietas deprehendatur, velut serpens ex cauda.

VI. Hæretici Scripturâ abuti ad errores stabiliendos.

Pro [illegible] istis genus hæretici [illegible] quos nominibus non eos [illegible] intelligo, qui sic vulgò appellantur, [illegible] qui sic appellandi sunt. Quæ de re diximus [illegible] leg. ad [illegible] lib. sect. 5. num. 2. &c. Et Augustinus, initio libri de utilitate credendi ad Honoratum monuit, aliud esse hæreticum, aliud hæreticis credentem: illum falsas vel novas opiniones fingere, aut sequi, commodi, gloriæ, aut voluptatis causâ? hunc ad eas opiniones amplectendas adduci imagine quadam veritatis. Illi ergo hæretici ut credulos fallant, & veneni pomi gustum inficiant, divina passim jactant oracula. Scripturam sacram perpetuò in ore habent, &, quemadmodum ait Tertull. lib. adv. Praxeam, *[illegible] ut nationes [illegible], ita & ipsi verbo idola fabricant [illegible] Deum, & alium Christum.* Augustinus lib. 4. ad Bonifacium con. epist. Pelag. [illegible] scriptum cap. 7. advertit, Pelagianos ut boni specie plebem sibi conciliarent, *quinque invidiosissimis laudibus*, creaturæ, nuptiarum, legis, liberi arbitrii, Sanctorum quasi de Manichæorum tendiculis [illegible] velle homines eruere. Similem in [illegible] hæretici hodierni, laudibus quinque invidiosis decipere conantur incautos, & velut totidem vulneribus veram religionem configunt. Laudant fidem, ut sine operibus bonis sufficientem salutis. Extollunt gratiæ divinæ efficacitatem, cui resisti nequeat. Merita Christi adeo commendant, ut nostris nihil tribuant, nisi illorum injuriam. Spiritum privatum tanti faciunt, ut Spiritui Ecclesiæ anteponant. Scripturam sacram ita prædicant, ut aliam sibi fidei regulam fingi non patiantur. Sed, ut monuit Tertull. lib. de præscriptione. *Illic & Scripturarum, & expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas invenitur disciplinæ*, [illegible] ea quæ [illegible] sit sue tradidit Christus, Apostoli docuere, Apostolici traduces ad nos usque derivare. De usu Scripturæ apud hæreticos dicta sunt a nobis quædam, Proleg. ad hunc librum sect. 1. num. 11. &c. & Proleg. ad l. 1. sect. 5. num. 2. &c.

VII. Damnandi concionatores, qui sacra verba vel negligunt vel jocosè detorquent.

Hortati [illegible] consumus collegas nostros concionatores ad Scripturæ studium [illegible] quod temerè sacræ cathedræ conscendantur, ut populus doceatur. Quid enim aliud est concionari, quàm verbum divinum exponere? Quo autem pacto exponet, qui vel non legerit, vel non intellexerit? Scio magni sit laboris [illegible], neque tangui [illegible] hoc etiam [illegible] quod [illegible] epigr. 65. cecinit?

Gratior est fructus, quem spes productior edit.

At postquam Ecclesiastes familiarem tibi assiduo studio Scripturam feceris, id summopere caveat, ne variis applicationibus illam dehonestet, aut captando risum ad jocularia detorqueat: culpâ, utique triplici [illegible] sacra verba, sacro in loco, & in sacra actione profanat. Damnamus cum

Paullo, & proscribimus spermologos cauponantes verbum Dei: cauponari autem dicendi sunt, non tam ii, qui, cauponum instar, ad mercedem concionantur; quàm qui, ut [illegible] caupones solet, auditorium jocis & vaniloquiis detinent: eò damnandi magis, quo sæpius jocorum materiam ex Scriptura desumunt, aut, quod proximum est, ex sacris Ecclesiæ verbis.

VIII. Sacrorum verborum à poetis aliisve scriptoribus, accommodatio quæ tolerandæ, quæ non?

Tolerandum existimemus in concionatore, quod ne us temporibus quidem ullis, imò neque in poeta, feminæ quamvis licentia artifice, tolerari debet? Scripturæ aut Ecclesiæ verba, ad res quaspiam honorificas, quamvis ab eorum sacrâ sententia alienas, civiles interdum etiam ac profanas, accommodari non indignè patiemur: quia istiusmodi accommodatio sacrorum verborum majestatem non minuit. Sic Austriacæ domui illud à Gulmano lib. 1. vitæ Marg. cap. 19. aptatum. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Ita Gallico Francorum regno, ex Salicæ legis præscriptis in masculos tantum eunte, accommodatum illud, *Lilia non nent.* Sic apud Spondanum an. 1534. Jacobus Mantinus Averrois interpres, Paullo III. Pontifici, ex Farnesiana familia liliorum insignia præferente, illud Canticorum applicavit, *Pharnes*, id est, linguâ Hetruscâ eademque Assyriâ & Hebræâ antiquâ, *Pastor inter lilia.* Ita Dux Bavariæ Albertus pro joco dicere de Petro Canisio, & Paullo Hoffæo, Societatis nostræ solitus fuit, apud Sacch. *Petrus Apostolus, & Paullus Doctor Gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam, Domine.* Eundem in modum illud Canticorum, *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*, sexagenis ædis primariæ Leodiensibus Canonicis accommodamus: & Leodiensem ditionem *terram sanctam*, Leodium *sanctam Civitatem* nominamus.

IX. Peccant, qui ad vulgares jocos illa abutuntur.

Talia non modo non damnantur, sed ab ingenio commendantur, nec sacrorum verborum auctoritati aut pietati quidquam derogant. Sed eorum verborum aut vilis traductio, aut turpis detruncatio, aut scurrilis imitatio, ad contumeliosa vel jocularia scripta, damnari prorsùs, & puniri debet. Nec ferendi, qui, simili licentiâ, in confessibus aut circulis, jocos & ludibria de sacris verbis inter colloquendum faciunt: etsi minus graviter, quam scriptores, peccant, quia non tam diuturnum nec tam latè patens dedecus est. Ad eos tamen, non ad petulantes tantùm poetas, aut histrionicos concionatores, pertinent, quæ [illegible] num. 8. & deinceps, adversùs sacrorum verborum profanationem diximus. Ad eos etiam spectat Concilii Tridentini decretum sess. 4. *Ut omnes hujus generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, juris & arbitrii pœnis per Episcopos coerceantur.*

X. Pestilens est, & mortifera, sacrorum irrisio.

Ad eosdem spectare videtur illud Psalmi primi, quo beatus pronuntiatur, qui *in cathedra pestilentiæ*, seu, ut alii legunt, *irrisorum*, Hebraicè Letsim, *non sedit.* Nullorum enim irrisorum pestilentior est conversatio, quàm qui ad ludibria sua sacratas voces adhibent, unaque operâ modestiam lædunt, pietatem percutiunt, religionem vulnerant. Ut [illegible] legimus in Martyrologio Genesium ardelionem, qui [illegible] sacrorum Baptismi [illegible] [illegible], magnâ Dei misericordiâ serio esse [illegible], quem de ridiculo se velle fingebat, Christianum Conversum ad meliorem vitam audimus Guilielmum Aquitanum, qui antè, ut ait Guilielmus Malmesb. *cum male faceret, gloriabatur tamen malefacta condiens facetiis*

nugarum atque facetiarum. Hoc duobus contigisse audimus: aliis forsan etiam, divinæ clementiæ singulari beneficio, evênit, quos ignoramus. At multò plures scimus, post frequentatos irreligiosos jocos, eâdem petulantiæ, non sine manifesto divinæ justitiæ judicio, immortuos: præfatâ jampridem Sapientiâ Prov. c. 1. *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo.*

XI. Christiani maximopere cavendæ illiusmodi ludificationes.

Rideant Luciani, jocentur Porphyrii, ludos faciant Juliani, sacris rebus & vocibus: & ad extremum, qui habitat in cælis irrideat eos, & Dominus subsannet illos. Divina Jeremiæ verba Judæi vertant in opprobrium, & in derisum totâ die: & ludibrio repetant Isaiæ vaticinia, *Manda, remanda; exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi: ut vadant retrorsum, & illaqueentur, & capiantur.* Derideant Areopagitæ Paullum, de ignoto Deo ac resurrectione mortuorum disserentem, & de cæcitatis suæ interioris tenebris provolvantur ad tenebras exteriores: ut de illis pronuntiaverit Isaias cap. 9. *Consummatus est omnis illusor, & succisi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatem, qui peccare faciebant homines in verbo, & arguentem in porta supplantabant.* At vos Christiani, sic eutrapeliâ, qua de virtute Divus Thomas agit 2. 2. q. 168. art. 2. utimini; sic hilaribus jocis, D. Ludovici, Bellarmini, virorúmque aliorum illustrium exemplo, sermones vestros temperate; ut facetiæ numquam in sacrorum Scripturæ, aut Ecclesiæ, verborum contumeliam vergant. *Nolite*, inquit Isaias cap. 28. *illudere, ne fortè constringantur vincula vestra.*

CAPUT

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

ARGUMENTUM.

Demetrius Seleuci filius, Tripolin cum classe & copiis appulsus, Regium nomen sumit, & multa pauco tempore Eupatori ac Lysia eripit. Eum Alcimus, in spem Pontificatûs erectus, demereri sibi conatur tum muneribus, tum Iuda sociorúmque criminationibus. Mittitur Nicanor elephantorum praefectus in Iudaeam, cum mandatis ut Iudam vivum captat, socios dissipet, Alcimo Pontificatum firmet. Hic auctis per iter, accessione alienigenarum per Iudaeos expulsorum, copiis, Simonem Iudae fratrem, repentino suo adventu conterritum, fugat: sed Iudam ipsum aggredi veritus, securamq; pacem incerto bello praeoptans, de ea legatos ad ipsum mittit. Constituitur de die ac loco colloquii. Iudas, ne fortè dolus subesset, armatos idoneis locis disponit. Amicè tamen actum, conventumq; de conditionibus pacis: & illa aliquamdiu bonâ fide ab utroque servata sunt; cum tanta mutua benevolentiae significatione, ut etiam Iudas Nicanoris consilio uxorem duxerit. Non tulit istam amicitiam Alcimus, profectusq; ad Demetrium; & Nicanorem, velut hostium Regiorum fautorem criminatus, literas ad eum expressit, quibus jubebatur mox Iudam vinctum Antiochiae sistere. Nicanor accepto mandato, etsi fides retinebat, Regis tamen indignationem veritus, obtemperare statuit: sed Iuda quod res erat suspicato, & cum paucis clam elapso, ad Templum adiit, sacerdotibusq; ac Templo multa minatus est, ni Iudam traderent. Digresso inde furioso homine, sacerdotes suppliciter Deum orant, ut domum suam ipse adversùs sacrilegos tueatur. Elusa spe Iudae capiendi, venit Nicanori in mentem, de capiendo Razia è primoribus Iudaeorum. Quingentis militibus submissis, ad circumsidendas & invadendas ejus aedes, cùm propè esset ut comprehenderetur, voluntariâ morte ludibria praevenit: adacto primùm in viscera gladio, tum de muro desiliens in vicum, denique defluentia viscera in circumstantes jaculatus, Deumq; precatus, ut ea sibi in resurrectione restitueret.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

✝. 1. SED post triennii tempus, cognovit Iudas, & qui cum eo erant, Demetrium Seleuci, cum multitudine valida, & navibus, per portum Tripolis ascendisse ad loca opportuna, 2. & tenuisse regiones adversùs Antiochum, & ducem ejus Lysiam. 3. Alcimus autem quidam, qui summus Sacerdos fuerat, sed voluntariè coïnquinatus est temporibus commistionis, considerans nullo modo sibi esse salutem, neque accessum ad altare, 4. vênit ad Regem Demetrium, centesimo quinquagesimo anno, offerens ei coronam auream, & palmam, super hæc & thallos, qui Templi esse videbantur. Et ipsâ quidem die siluit. 5. Tempus autem opportunum dementiæ suæ nactus, convocatus à Demetrio ad consilium, & interrogatus quibus rebus & consiliis Iudæi niterentur, 6. respondit: Ipsi qui dicuntur Assidæi Iudæorum, quibus præest Iudas Machabæus, bella nutriunt, seditiones movent, nec patiuntur regnum esse quietum. 7. Nam & ego defraudatus parentum gloria (dico autem summo Sacerdotio) huc veni: 8. primò quidem utilitatibus Regis fidem servans, secundò autem etiam civibus consulens: nam illorum pravitate universum genus nostrum non minimè vexatur. 9. Sed oro his singulis, ô Rex, cognitis, & regioni, & generi, secundùm humanitatem tuam pervulgatam omnibus, prospice. 10. Nam, quamdiu superest Iudas, impossibile est, pacem esse negotiis. 11. Talibus autem ab hoc dictis, & ceteri amici, hostiliter se habentes adversùs Iudam, inflammaverunt Demetrium. 12. Qui statim Nicanorem præpositum elephantorum ducem misit in Iudæam: 13. datis mandatis, ut ipsum quidem Iudam caperet; eos verò, qui cum illo erant, dispergeret, & constitueret Alcimum maximi Templi summum Sacerdotem. 14. Tunc gentes, quæ de Iudæa fugerant Iudam, gregatim se Nicanori miscebant; miserias & clades Iudæorum, prosperitates rerum suarum existimantes. 15. Audito itaque Iudæi Nicanoris adventu, & conventu nationum, conspersi terrâ rogabant eum, qui populum suum constituit, ut in æternum custodiret, quique suam portionem signis evidentibus protegit. 16. Imperante autem duce, statim inde moverunt, conveneruntque ad castellum Dessau. 17. Simon verò frater Iudæ commiserat cum Nicanore: sed conterritus est repentinò adventu adversariorum. 18. Nicanor tamen, audiens virtutem comitum Iudæ, & animi magnitudinem, quam pro patriæ certaminibus habebant, sanguine judicium facere metuebat. 19. Quam ob rem præmisit Posidonium, & Theodotium, & Matthiam, ut darent dextras atque acciperent. 20. Et cùm diu de his consilium ageretur, & ipse dux ad multitudinem retulisset, omnium una fuit sententia amicitiis annuere. 21. Itaque diem constituerunt, quâ secretò inter se agerent: & singulis sellæ prolatæ sunt, & positæ: 22. Præcepit autem Iudas armatos esse locis opportunis, ne fortè ab hostibus repentè mali aliquid oriretur: & congruum colloquium fecerunt. 23. Morabatur autem Nicanor Jerosolymis, nihilque iniquè agebat, gregésque turbarum, quæ congregatæ fuerant, dimisit. 24. Habebat autem Iudam semper carum ex animo, & erat viro inclinatus. 25. Rogavitque eum ducere uxorem, filiosque procreare. Nuptias fecit: quietè egit, communitérque vivebant. 26. Alcimus autem, videns caritatem illorum adinvicem, & conventiones, vênit ad Demetrium, & dicebat, Nicanorem

rebus

rebus alienis assentire, Iudamque regni insidiatorem successorem sibi destinâsse. 27. Itaque Rex exasperatus, & pessimis hujus criminationibus irritatus, scripsit Nicanori, dicens, graviter quidem se ferre de amicitiæ conventione, jubere tamen Machabæum citiùs vinctum mittere Antiochiam. 28. Quibus cognitis, Nicanor consternabatur, & graviter ferebat, si ea, quæ convenerant, irrita faceret, nihil læsus à viro: 29. sed, quia Regi resistere non poterat, opportunitatem observabat, qua præceptum perficeret. 30. At Machabæus, videns secum austeriùs agere Nicanorem, & consuetum occursum ferociùs exhibentem, intelligens non ex bono esse austeritatem istam, paucis suorum congregatis, occultavit se à Nicanore. 31. Quod cùm ille cognovit fortiter se à viro præventum, vênit ad maximum & sanctissimum templum: & sacerdotibus solitas hostias offerentibus, jussit sibi tradi virum. 32. Quibus cum juramento dicentibus nescire se ubi esset qui quærebatur, extendens manum ad Templum, 33. juravit, dicens: Nisi Iudam mihi vinctum tradideritis, istud Dei fanum in planitiem deducam, & altare effodiam, & templum hoc Libero patri consecrabo. 34. Et his dictis, abiit. Sacerdotes autem protendentes manus in cælum, invocabant eum, qui semper propugnator esset gentis ipsorum, hæc dicentes: 35. Tu Domine universorum, qui nullius indiges, voluisti templum habitationis tuæ fieri in nobis. 36. Et nunc sancte sanctorum omnium Domine, conserva in æternum impollutam domum istam, quæ nuper mundata est. 37. Razias autem quidam de senioribus ab Ierosolymis delatus est Nicanori, vir amator civitatis, & bene audiens: qui pro affectu pater Iudæorum appellabatur. 38. Hic multis temporibus continentiæ propositum tenuit in Iudaïsmo, corpusque & animam tradere contentus pro perseverantia. 39. Volens autem Nicanor manifestare odium, quod habebat in Iudæos, misit milites quingentos, ut eum comprehenderent. 40. Putabat enim, si illum decepisset, se cladem Iudæis maximam illaturum. 41. Turbis autem irruere in domum ejus, & januam disrumpere, atque ignem admovere cupientibus, cùm jam comprehenderetur, gladio se petiit, 42. eligens nobiliter mori potiùs, quàm subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis injuriis agi. 43. Sed, cùm per festinationem non certo ictu plagam dedisset, & turbæ intra ostia irrumperent, recurrens audacter ad murum præcipitavit semetipsum viriliter in turbas: 44. quibus velociter locum dantibus casui ejus, vênit per mediam cervicem: 45. & cùm adhuc spiraret, accensus animo, surrexit: & cùm sanguis ejus magno fluxu deflueret, & gravissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit: 46. & stans supra quamdam petram præruptam, & jam exsanguis effectus, complexus intestina sua, utrisque manibus projecit super turbas, invocans dominatorem vitæ ac spiritûs, ut hæc illi iterùm redderet: atque ita vitâ defunctus est.

COMMENT. AD CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

Demetrius in Syriam venit, & regnum Asiæ occupat.

℣. 1. & 2. NARRATUR breviter quomodò Demetrius, Seleuci filius, Asiæ regnum adversùs Antiochum & Lysiam occupârit. Quæ omnia POST TRIENNII TEMPUS, ab Epiphane mortuo, JUDAS COGNOVIT. Audiit scilicet antè, ipsum advenisse in Syriam; sed cùm regni occupatio spatium aliquod tenuerit, post triennii demum vel exacti, vel penè evoluti tempus, non adventum modò ipsius, sed prosperos successus intellexit. De hac temporis quæstione, uti & loci, aliisque ad hanc Demetrii expeditionem spectantibus, abundè dictum est l. 1. c. 7. ad vers. 1. &c.

Duplex Alcimi ad Demetrium profectio.

℣. 3. ALCIMUS AUTEM QUIDAM, eâ occasione prosperorum Demetrii successuum usus, adiit Demetrium, & bis quidem, ut disertè narratur l. 1. c. 7. Primùm, ut ab illo summum sacerdotium impetraret, quod etiam obtinuit, & invasit, adjumento Bacchidis. Deinde ut subsidium adversùs Judam flagitaret, passum impios, Bacchide in Syriam reverso, persequentem.

Priorem Hagiographus noſter ſilet, quia non pertinebat ad Templi commendationem.

De hac ſecunda Alcimi profectione Hagiographus noſter agit: priore prætermiſsâ; eò forſan, quia nihil in ea magni geſtum, ad eum, quem ſibi in ſcribendo propoſuerat, finem Templi Hieroſolymitani commendandi. Quod illius propoſitum, & ſtudium perpetuum, tum multis nos locis advertimus, tum per ſe lector etiam alibi notâſſe potuerit; uti cap 13. cùm dicitur Eupator honorâſſe Templum, & muneribus ditâſſe, ac ſacrificia obtuliſſe: cap. 12. cùm Judas narratur collatitiam pecuniam ſubmiſiſſe Hieroſolymam, ad offerenda in Templo ſacrificia pro defunctis: cap. 10. cùm idem ſcribitur ad altaris crepidinem in Templo orâſſe, antequam Angelis ſtipatus in Timotheum prodiret: de oratione item facta c. 11. intelligendum eſt, eam in Templo factam, & ab illa Angelum copiis Machabæi præiſſe.

Poſteriorem fusè commemorat ad Templi gloriam.

Poſteriorem autem Alcimi ad Demetrium profectionem Hagiographus noſter fusè commemorat: propterea quòd Nicanor tunc illi comes, & adjutor, in Judæam miſſus eſt, exemplum illuſtre daturus Templi non violandi. Unde etiam certò conficitur, ab Hagiographo præteritum prius Alcimi iter ad Regem, quo Bacchidem comitem accepit: nam poſteriore Nicanor illi comes datus, ut conſtat ex prioris libri narratione.

Conciliatur uterque liber de ſacerdotio Alcimi.

Ex hac profectionum diſtinctione, vaneſcit omnis difficultas ab antilogiæ ſpecie inter utrumque librum. Nam c. 7. libri prioris v. 5. dicitur de Alcimo, *qui volebat fieri Sacerdos*: hic autem dicitur, *qui ſummus Sacerdos fuerat*. Si volebat Pontificatum ambitiosè à Demetrio impetrare: quomodò *fuerat*? Aut cur fieri petebat, quod erat? Eam difficultatem attigimus lib. 1. & duplicem ejus ſolutionem indicavimus: jam uberiùs explicandam.

Conciliatio Serarii ſeponitur:

Serarius advertit in Græco hujus libri haberi, προγεγονὼς ἀρχιερεὺς, *antè factus ſacerdotum Princeps*: unde infert, ſtatim poſt Menelai Pſeudo-Pontificis interitum, ab Eupatore eumdem Pontificis titulum inanem accepiſſe. Serarium laudat, ac ſequitur Salianus. Sed, pace doctiſſimorum virorum, non videtur ullâ ratione credibile Eupatorem id Alcimo dignitatis donâſſe: præſertim, ſi ſtatuamus, Menelaüm Eupatoris juſſu occiſum, poſt pacem cum Juda factam, uti Serarius & Salianus probabile cenſuerunt. Illúmne enim Judam Eupator, quem amplexatus erat, quem oræ maritimæ præfecerat, quem ad invidiam uſque ſuorum extulerat, quo præſente & ſpectante Templum honorârat; ſacerdotio, poſt pacem ſolemnibus verbis jurátam, ſpoliare conaretur, in Alcimi gratiam? Sed, etſi faciamus Menelaum in procinctu belli, non pòſt, ab Eupatore occiſum, nuſquam tamen univerſo capite 13. de Alcimo fit mentio; nec libro priore uſquam, niſi poſt adventum Demetrii. Proſus, ut vel inde colligatur, numquam Alcimus de Pontificatu cum Eupatore egiſſe, ſed cum Demetrio ſolùm.

Expoſitio melior, & convenientior Scripturæ, atque hiſtoriæ

Itaque redeundum eſt ad duplicem Alcimi, pro conveniendo Demetrio, profectionem. In prima, *volebat fieri ſacerdos* ſummus: allegatiſque pro ſe impiorum ſuffragiis, piorum odiis, poſtulatum obtinuit. In altera jam *ſummus Sacerdos fuerat*, per vim injuſtam à Bacchide intruſus, per vim juſtam à Machabæo depulſus; & Demetrium, pro obtinendo ad recuperandam dignitatis jacturam auxilio, rursùm adire coactus. Sic, quidquid compugnantiæ in ſpeciem erat inter utriuſque libri verba, faciliimè ex ipſa hiſtoriæ & rerum ſpecie componitur.

Quàm indignum ſacerdotio Alcimus?

Sed voluntarie coinquinatus temporibus commixtionis. Particula *ſed*, ab Hagiographo poſita eſt correctionis loco, quaſi dicat: Alcimus fuerat ſummus Sacerdos à Demetrio conſtitutus; ſed tantâ dignitate prorſus indignus: nam antè fuerat *voluntariè*, ſponte non vi, adeóque turpiſſimè, *coinquinatus* profanis Gentilium ritibus, de quibus l. 1. c. 1. v. 12. & hoc lib. c. 4. v. 14. &c. 6. v. 4. &c. Gorionides apud Serarium ait, manducatas ab eo carnes porcinas. Tempora *commixtionis* ἐπιμιξίας, ea vocantur: quia tunc Iſraelitæ *commiſti ſunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum*, ac ſeſe illis, velut de grege Paganorum eſſent, miſcuerunt. Infrà v. 38. laudatur ἀμιξία, *continentia*, ubi agitur de Razia.

Rebus ſuis diffidit.

Conſiderans nullo modo sibi esse salutem. Bacchide reverſo in Syriam, Juda cum ſuis dominatum exercente, videbat Alcimus tuto ſibi nuſquam, ſine novis auxiliis, eſſe licere: multò minùs patere *acceſſum ad altare*, ut Pſeudo-Pontificis munus impleret. Itaque ad Regem iterum adire deliberat, eoque fine coacervat munera quorum partem ſurripuerat in Templo, cùm Pontificis ſcilicet munus paullò antè exerceret.

Et ad Demetrium iterum concedit quo anno?

℣. 4. Venit ad Regem Demetrium, centesimo quinquagesimo anno: in Græcis habetur *quinquageſimo primo*: Regia exemplaria habent ὡς *quaſi*: ſed Sixtina, & cætera omnia apud Nobilium, abſolutè ſine particula dicunt, *quinquageſimo primo*. Unde veroſimillimum eſt, particulam *primo*, excidiſſe de codicibus Latinis, & reſtituendam eſſe: uti diximus lib. 1. c. 1. ad v. 11. in diſputatione de chronologia horum librorum, ſub medium. Cùm ergo eâ ratione anni librorum duorum conveniant: conſequens erit, hanc ſecundam profectionem ab Alcimo inſtitutam ſub Autumnum, cœpto anno quinquageſimo primo Chaldaico, exactâ parte pluſquam dimidiâ anni quinquageſimi primi Judaici. Quo dimidio anno contigit adventus Demetrii in Syriam; Alcimi primum cum illo colloquium; Bacchidis expeditio in Judæam & diſceſſus; Judæ in impios, & Alcimi fautores, perſecutio.

Offert illi munera furtiva de Templo.

Venit autem Alcimus ad Regem, non ſine muneribus, quæ gratiſſimum illi facerent orationis exordium, & præjudicium eſſent exorandi. Obtulit enim *coronam auream, & palmam ſuper hæc & thallos, qui Templi eſſe videbantur*; id eſt, quos clarè apparebat eſſe de templo Hieroſolymitano ſublatos, certiſque indiciis conſtabat. Ne ergo iſtud, *videbantur*, ſumas quaſi dubitantis verbum, ſed aſſeverantis: nec pro, putabantur; ſed pro, cernebantur.

Thalli quid ſint?

Thallos Rabanus legit *talos*, ex quibuſdam vulgatis editionibus: eoſque interpretatur *vaſa offertoria in modum turrium facta*, in quibus per præcipua feſta ſacerdotes offerebant. Sed indubitatum eſt, vocem illam Græcam eſſe, & ſignificare *ramos*, ſicut θάλλω ſignificat *vireo, pullulo*. Solet autem vox iſta ſumi ſingulariter pro *ramis oleagineis*. Iſtiuſmodi ergo ramos, utique aureos, obtulit Demetrio Alcimus: ſimul cum corona aurea, & palmâ itidem aureâ; quæ etiam de Templo ſublata exiſtimat non immeritò Salianus, etſi de thallis ſolùm Hagiographus dicat.

Unde illa in Templo?

At, inquis, unde iſta ornamenta in Templo, avidis Antiochi Epiphanis ac ſuorum manibus toties ſpoliato? Si nihil ſacrilegam illius tyrannidiligentiam effugere potuerit: dicemus illa per Judam Machabæum in Templo poſita, quando

coronis

coronis aureis, & scutulis, ornarit faciem Templi l. 1. c. 4. aut postmodùm, quando ditior fuit. Quidni etiam conjiciamus, munera ista Eupatoris fuisse, de quibus capite præcedenti? Certè Reges talis Hierosolymitano templo donare solitos, vel ex eo constat, quòd apud Josephum lib. 12. c. 2. Ptolemæus Philadelphus dono illuc misit auream mensam, in qua ex auro & gemmis erat hedera & vitis. Thalli autem, id est oleæ rami, maximè decebant Eupatorem, & conveniebant paci cum Judæis factæ: neque incongrua erat corona aurea & palma, præsertim cùm palmarum ramis parietes Templi passim effigiati fuissent 3. Reg. 6.

Cur interpres vocem Græcam thallos retinuit.

Serarius eruditè interpretem nostrum defendit, adversùs eos, qui sugillare ipsum vellent, de voce Græca Latinè non reddita. Id enim factum more [illegible] ebræorum [illegible] : [illegible] em & Virgilium pro *litore* dixisse [illegible] Pl[illegible]um pro *ovibus* posuisse *probata*, & pro domibus populorum, posuisse, *ara populorum*. Terentium, *astu*, pro *urbe* dixisse. Interpres hic eâdem de caussa *thallos* retinuit, quâ libro 1. c. 13. *baheni* seu *bainem*: quia Latinis olim non ignotæ erant hæ voces, etsi hodie minùs notæ sint, & aliquam disceptandi materiam interpretibus præbeant.

Alcimi ars in calumniando Judâ.

Et ipsa quidem diu siluit, doctè & ex arte calumniatorum; q[illegible] non facilè, nisi interrogati, accusant [illegible]tos, ut [illegible] facere videri volunt. Exspectavit itaque, dum à Demetrio [illegible] vocaretur: cujus interim aures, & animum, oculi, spectandis speciosis ac pretiosis muneribus, præparabant. Nec dubium, [illegible] a [illegible] orum Regiorum, muneribus iisdem conciliatos, pr[illegible] de caussa sua instruxerit, ut, cum à Rege [illegible] cendum evocatus esset, patrocina[illegible] Il[illegible] bat præterea secum præcipuos [illegible], ejusdem mentis, ferreæ frontis, & duri oris homines, qui dicentis sermonem exciperent, & [illegible] ut infrà narratur vers. 11.

Oratio ad Regem contra Judam.

℣. 5. usque ad v. 12. Tempus opportunum nactus Alcimus, ad infaniæ suæ, quam Hagiographus dementiam vocat, habenas laxandas, *convocatus à Demetrio in consilium*, &, quod calumniator exspectabat, interrogatus, quid fiduciæ Judæis, ejus adversariis esset ad rebellandum: in Assidæos primùm generatim, tum in Judam Machabæum singulariter invectus est [illegible]te, quietis ac boni publici studiosum, ab eo de Pon[illegible] dignitate, sibi hæreditario jure debita [illegible] vexatos suos omnes: eo superstite pac[illegible] non posse. *Dicto illius cæteri amici* succum[illegible] sive amici Regis muneribus [illegible]; sive amici, quos secum eo fine Alcim[illegible] add[illegible], seu potiùs utrique.

Quomodò Assidæis Judas præfuerit?

De Assidæis, seu Asi[illegible] is sufficit, quod diximus l. 1. c. 2. v. 42. & hujus libri cap. [illegible] ultimâ de Eleazari conditionibus quæstione. Præfuisse illis aliquando Machabæum, decemvi[illegible] instar qui magistratus erat Essenorum, eorumdem cum Assidæis, ut Serarius aliique opinantur, dictum est suprà ad v. ult. c. 5. Et, quamvis id non fuisset, præfuit tamen illis, quando congregata est ad eum synagoga Assidæorum fortis viribus ut ipso duce bellaret bella Domini. Denique summum Pontificem, religionis defensorem, [illegible]tabantur sanctimoniæ studiosi, eo arctiore ac firmiore conjunctione, quòd paullò antè per Alcimum perfidè ac perjurè decepti fuerant l. 1. c. 7.

Nicanor à Demetrio mittitur in Judæam.

℣. 12. 13. 14. Audiens oratione Alcimi, & amicorum, Demetrius *statim Nicanorem, præpositum elephantorum ducem*, quæ præfectura erat nobilissima, *misit in Judæam*, cum *mandatis* de viro Juda capiendo, dissipandis ejus sociis, Alcimo in Pontificatum restituendo. Adjunxêre sese Nicanori *gentes*, id est Gentiles, quos Judas intra Judææ terminos consistere non patiebatur, & recèns, post Bacchidis discessum, undique fugaverat, & profligaverat. Ii, vindictæ avidi, in Judæorum perniciem ardebant, sibique accessurum credebant, quidquid illis decederet. Quis autem Nicanor fuerit, dictum est lib. 1. c. 7. v. 25.

Demetrius Simoniacorum exemplum.

Quæras hic, Alcimumne Demetrius voluerit se[illegible], & securè creatum Pontificem summum, deturbato Judâ? Respondeo, non aliter voluisse, quàm Antiochus Epiphanes nunc Jasonem voluit, nunc Menelaüm, Onia dejecto. Quærebant insaturabiles pecuniæ Reges qui plus offerret: ut, vel ex muneribus ab Alcimo delatis, manifestum est: donatorem veterem abdicaturi, si qua à novo spes ad[illegible] ostentar[illegible]. En qualia sequantur exempla, qui Christianorum munus sacris nundinas figunt.

Divide, ut regnes.

Volebant prætereà, aliorum ex aliis Pontificum substitutione primores Judæorum inter se committere, & populum in studia distrahere. Sic enim futurum, ut vel mutuis inter se vulneribus conciderent, manusque una præscinderet alteram, pes pedem contereret, oculos pollex erroderet: vel, divisione virium, facilem Syro-Macedonibus de se præberent victoriam, pullosque gallinaceos in certamen accensos milvus invaderet. Istud ergo attendit, quod tantùm pòst celebrari cœptum est, *Divide, ut regnes*. Divisit quidem Deus structores Babylonicæ turris, &, Dei exemplo, dividet interdum vir probus vitiosos, stabiliendo regno virtutis: at dæmoni, ejusque sectatoribus frequentissimum est, ad improborum conatuum feliciorem successum, discordiam inter obstantes serere.

Manere vult in obscuris.

Et istud Demetrius, ex Græcorum Romanorumque apud quos educatus fuerat artibus, non nesciverit, *Maneamus in obscuris*: ut, piscatorum exemplo, aquas fallendo pis[illegible] turbantium, certior sit ac locupletior captura. Etsi enim ea sententia non incommodam aliquam explicationem patitur, quia veritatem aliquando propalari non expedit; quia tamen longe sæpiùs nocet obscuratio veritatis, & latronum, lenonum, proditorum, apostatarum, diabolorum, omnium malignisatorum, ut c. 7. ad v. 35. indicabamus, est tenebras sectari; idcirco filiis lucis nec facile axioma istud persuadebitur, nec temere usurpabitur, usitatissimum filiis tenebrarum.

Judæi ad Deum orationibus confugiunt.

℣. 15. Audito itaque Judæi Nicanoris, hostis sui infestissimi adventu, & accedentium illi undique *nationum conventu*, ad vota de more conversi, habitu humili, *terrâ conspersi rogabant eum, qui populum suum constituit, ut in æternum custodiret, quique suam portionem*, seu partem & hæreditatem, id est populum Israeliticum, patrimonii & possessionis suæ singularis instar, *protegit*. In Græco pro, *qui populum suum constituit, ut in æternum custodiret*, habetur tantum, *qui populum suum constituit in æternum*: neque exprimitur quid Judæi rogaverint, sed [illegible] quem rogaverint. Quia tamen ex re ipsa satis intelligitur postulatum, idcircò interpres noster illud expressit.

Moventur adversus Nicanorem.

℣. 16. Imperante autem duce, quo? Machabæo, an Simone? Simonem Salianus existimat: sed verosimilius est de Juda intelligi, quo

viro

viro Simon numquam dux absolutè, & antonomasticè, nominaretur. Judæ ergo jussu *fratris sui*, Hierosolymâ opinor, ubi oratum, movetunt armati; *convenerunt, ad castellum Dessau.*

Dessau castellum ubi?

Castelli Dessaû nusquam alibi mentio. Capharsalama, quem locum scriptor lib. primi v. 31. memorat, Tirinus esse existimavit: eâ, opinor, de caussa, quod ibi exeat Nicanor obviam Judæ juxta Capharsalama, hic Judas ad castellum Dessaû copias suas colligat. Sed Tirinus non videtur advertisse, illum Nicanoris conatum in Capharsalama, & hoc Judæ iter in Dessaû, temporibus valdè disjungi. Nam, post collectas Judæorum copias in Dessaû, Simon pugnavit, pax cum Nicanore coaluit, de ea conquesturus Alcimus ivit tertio ad Regem, Nicanor abrupit pacta, Templo nisi Judas dederetur infanda comminatus est, denique ivit in Capharsalama. Itaque Dessaû locum quidem Hierosolymæ vicinum fuisse arbitror, quomodò & Capharsalama: rationem tamen, cur eumdem esse dicamus, non video.

Quomodò Simon cum Nicanore congressus, colloquio, an pugnâ?

℣. 17. SIMON VERÒ, FRATER JUDÆ, COMMISERAT CUM NICANORE. Salianus dubitat, tum ex Græco, tum ex Tigurina interpretatione, an hæc commissio, sive congressus Simonis cum Nicanore, debeat de colloquio, an de pugna, intelligi. Sic enim habet Græcus textus, repetito fine præcedentis versûs, ad intelligentiam rei faciente. συμμιγνύντες αὐτοῖς ἐπὶ κώμην Δεσσαού. Σίμων δὲ ὁ ἀδελφὸς Ἰούδα, συμβεβληκὼς ἦν τῷ Νικάνορι, βραδέως δὲ ἦν διὰ τὴν αἰφνίδιον τῶν ἀντιπάλων ἀφασίαν ἐπταικώς. In istis verbis notat Salianus, συμμιγνύντες, & συμβάλλειν, tam de colloquio, quam de pugna, posse intelligi: deinde ἀφασίαν significare vocem compressam, seu silentium. præterea ex lib. 1. c. 7. v. 27. haberi, à Nicanore desideratum colloquium cum Juda, & fratribus. Quare ex istis conficit, Simonem, virum consilii, præmissum à Juda ad colloquium cum Nicanore, ex hujus silentio insidias suspicatum, continuò recessisse.

Velitatione congressus, & victus

Sed, bonâ Saliani veniâ, Latinus textus longè aliud sonat, & Græcus longè aliud patitur, sic, ut ipsemet vidit, à Nobilio in Sixtinis Græcis redditus: *Et commiserunt se cis ad castellum Dessau. Simon verò frater Judæ commiserat cum Nicanore: paulùlùm verò, ob repentinum adversariorum adventum, tempore prolapsus.* Illam interpretationem, quam hæreticis Junio & Tremellio hujus libri ofonbus objicit Salianus, Tigurinæ meliùs prætulisset, & Latino textui inhæsisset; dixissetque pro certo, quod tamen innuit, præmissum à Juda cum parte copiarum Simonem, & cum hostibus velitatum, repentino plurium adventu territum, recepturi cecinisse. Nam, quod Salianus ait ex libro priore, à Nicanore expetitum cum Juda & fratribus colloquium: is locus libri prioris ad res, post tertium Alcimi in Syriam iter gestas, pertinet. Vide nos ad eum versum, & seriem historiæ à num. 87. & deinceps.

Nicanor timet Judam.

℣. 18. NICANOR TAMEN, etsi velitatione adversùs Simonem superior, ut vel ex ista correctione & subjunctione intelligitur; *audiens virtutem comitum Judæ, & animi magnitudinem*, expertúsque ipse, si quidem ipse ut arbitramur Patrocli filius alias à Juda superatus, *sanguine judicium facere metuebat*, verebatur subire belli discrimen cum multarum palmarum duce, quem lacessere tutum non erat, sustinere difficile.

Et de pace

℣. 19. QUAMOBREM PRÆMISIT, id est priùs misit, acturos de pace, imò & transacturos, si res ferret, datis acceptisque dexteris, *Posidonium, & Theodotium, & Mathathiam* quod postremum nomen, cùm Hebræum sit, suspicor, eum legatum ex Judaico genere fuisse. Nisi Idumæum dicere malumus: nec, si Judæus fuerit, consequatur contra patriam militasse, ponendùmque in apostatarum ac transfugarum numero, atque adeò parùm idoneum ut pacem cum Juda tractaret, istud hominum genus maximè peroso.

ultrò compellat.

Judæi ad illam propendent.

℣. 20. ET CUM DIU DE HIS, concordiæ pactis, *consilium* apud Judæos, post legationem auditam *ageretur: & ipse dux*, Machabæus, *ad multitudinem retulisset*, ut de communi bono communibus animis statueretur: *omnium una fuit sententia* accipiendam pacem, & amicitiæ annuendum. Honestæ paci par nulla quantævis victoriæ spes est.

Considunt duces de illis colloquuti.

℣. 21. ITA [illegible] DIEM CONSTITUERUNT, duces Nicanor & Judas, *qua secretò inter se agerent*, de pace: *& singulis sellæ prolatæ sunt, & positæ*, id est utrique duci, ut ad colloquium assiderent utrinque sunt sellæ positæ. Hæc est aperta & facilis textus nostri sententia. Græca, etsi eòdem recidunt, varias tamen habent lectiones, à N[illegible] con[illegible]. Quædam, καὶ προῆλθε, καὶ παρ' [illegible] παρῳχεῖ. [illegible]: *& prodiret*, utterque scilicet, *& ab unoquoque diversa posuerunt sellas*, id est à parte utriusque. Aliæ, καὶ προσῆλθε παρ' ἑκάστου δίφρος, vel δίφροι, [illegible]: *& [illegible] ab unoquoque sella, posuerunt sellas.* Nonnulla habent, διαφράγματα, [illegible], *intersepta*, ut Nobilius [illegible], melius dicturus *dissepimenta, posuerunt diversa*: ut sepimentum unum [illegible] pro Judæis, alterum pro Syro-Macedonibus, qui duces suos colloquentes spectarent, & custodirent.

Pacis inter Christianos Reges fructus optabilis.

℣. 22. PRÆCEPIT AUTEM JUDAS ARMATOS ESSE LOCIS OPPORTUNIS. Conventum erat sine dubio utrumque ducem de numero comitum: ut in ejusmodi tractatibus fieri solet, factumque est in nupero tractato celeberrimo, ad fines regnorum & Pyrenæorum montium radices, pro instauranda inter Reges duos pace, hoc ipso denique anno publicata, quo isthæc per subcisiva fermè m[illegible]enta inter varias occupationes scribo. Faxit Deus, ut, quam optata & necessaria, tam longæva & perpetua sit: fælicique illa concordia insuperabilis equi albi sessor Christianismus Apoc. 6. exeat vincens, ut vincat equi rufi sessorem Paganismum, nigri Hæresin, pallidi Mahumetismum nimis heu latè dominantem, & inferos secum trahentem.

Judas sibi prudenter cavet.

Ex ea itaque conventione de assectis, Judas comites in sepimento suo clausit: sed præter hos jussit etiam in armis esse alios de suis: *ne fortè ab hostibus aliquid mali oriretur*: & ne, per speciem tractandæ pacis, in ipsius vitam aut libertatem involaretur; quod Nicanor postmodùm abruptâ pace conatus est. Jam tamen sincerè egit; sed poterat sincerè non egisse: & prudentis est, cavere quantum possit, quidquid tale evenire potest.

Conventum de pace vel induciis.

ET CONGRUUM COLLOQUIUM FECERUNT. successu bono non caruit tractatus pacis, vel induciarum. Pacem enim appellare non debemus, quæ Regis injussu, imò & contra diserta ipsius mandata, coaluit. Induciæ potius vocandæ sunt, donec à Rege ratum haberetur, quidquid inter duces utrimque conv[illegible]. Sperabat nimirum Nicanor, pro c[illegible] apud Deme[illegible]um pollebat auctoritate, futurum ut conventioni suæ tacitè [illegible] quiesceret:

sed

sed aliter evênit, satagente, ut mox videbimus Alcimo.

Videtur Nicanor agere cum Juda.

℣. 23. MORABATUR AUTEM NICANOR HIEROSOLYMIS, quò se post pactas inducias contulit; *nihilq́, iniquè agebat* contra religionem, libertatémve Judæorum. *Gregesq́, turbarum*, quæ congregatæ fuerant, dimisit, id est non omnes suos, quod perperàm forsan aliquis ex num. 89. seriei nostræ historicæ intellexerit; sed eos suorum, qui futuri erant oneri Hierosolymitis, & Machabæo suspicionem insinceræ amicitiæ facturi: eos præsertim, qui de Gentibus, anteà per Judam effugatis, accesserant.

Coluit illum, & amat.

℣. 24 HABEBAT AUTEM JUDAM SEMPER CARUM EX ANIMO: Tirinus suspicatur legendum esse, *non ex animo*, & Græco textu suspicionem suam fulcit; adeóque putat, totum hunc tractatum simulatum fuisse, & fraudulentum, irretiendo Judæ. Sed, quæ mox sequetur, Nicanoris per Alcimum accusatio, aliud omnino indicat: & pars altera hujus versûs, ipséque Græcus textus, contrarium evincunt. Subditur enim in Vulgata, *& erat viro inclinatus*. In Græco autem, sic habet totus versus: *εἶχε τὸν ἰούδαν διαπαντὸς ἐν προσώπῳ, ψυχικῶς τῷ ἀνδρὶ προσεκέκλιτο*: ad verbum, *habuit Judam semper in conspectu, animitus viro inclinabatur*. Habere in conspectu, id est in oculis ferre, desiderare aspectum ejus & colloquium; uti vel ex ista animitùs sinceri propensione intelligitur.

Suadet illi nuptias, & quo fine?

℣. 25. ROGAVITQUE EUM DUCERE UXOREM, FILIÓSQUE PROCREARE. Exc. 2. ad l. 1. c. 1. sect. 2. num. 6. suspicabamur, Nicanorem id fraudulentè conatum Machabæo persuadere, ut virilem animum, castis licèt amoribus, effeminaret. Nec jam suspicionem muto. Etsi enim sincerè nunc de pace Nicanor ageret: quia tamen nondum omnino constabat de voluntate Demetrii, nec constare poterat de pacis diuturnitate; idcirco rebus Syrorum expediebat, Judæ animum ab isto militaris disciplinæ rigore, aliquantulum mollescere. *Nihil* autem, inquit Aug. Solil. verorum lib. 1. *esse sentio, quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta feminea, corporúmque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest.*

An Judas conjugatus vixerit cœnobiticè?

NUPTIAS FECIT Judas, ex consilio Nicanoris, quietè egit, *ἐυσταθησε*, vitæ statum constanter tenuit, *communitérq́, vivebant*, *ἐκοινώνησε βίου*, vivebat communiter, sicque videtur restituendum in Latino textu. Significatur istis verbis, Judam uxore ductâ, pacatè sese continuisse, vitámque egisse communem, id est, armis discursationibusque sepositis civiliter vixisse. Serarius, eúmque secutus Salianus, putant, eustathiâ & communi vitâ Judæ significari, ipsum, quamvis conjugem, nihil de pristina vivendi apud Essenos ratione mutâsse: fuisse autem Essenorum quorumdam vitam cœnobiticam, aliorum monasticam. Illam Judæ placuisse, & ne tunc quidem ab ipso desertam, quando fæni cibo cum sociis in solitudine vescebatur.

Essenúsne fuerit, an Pharisæus?

Sed istud de cœnobitico, & communi quasi religiosorum victu, mihi non admodùm placet in exercitûs duce, jam nuptiis illigato. An ergo uxorem etiam suam cum Essenis, continentiæ amantissimis, quotidie prandere volebat, & cœnare? An potiùs, illâ omissâ, & suas sibi epulas curare jussâ, Essenorum arida convivia frequentabat? Sed neque id mihi pro certo persuasum est, quod velut pro fundamento substernunt Essenæ sectæ Machabæum fuisse, Essenósque eosdem atque Assidæos, aut hos illorum partem. Imò ex Judæ Machabæi nuptiis potiùs colligatur, sectâ Pharisæus fuisse, non Essenus: Pharisæis enim nuptiæ frequentabantur: Esseni autem, vel Plinio ac Solino teste, omni venere abdicati degebant.

An liberos susceperit?

Sobolem masculam ex iis nuptiis Judæ ortam, ait Gorionides. Fuerit ergo posthuma, inquit Salianus; cùm Judas vix novem menses maritus vixerit. Scripturâ tamen Judæ liberos omninò tacente, neque historicorum ullo idoneæ fidei vel minimam de illis mentionem faciente; Gorionidæ auctoritas nimis infirma est, ut, ipso narrante, credamus, quod anteriores scriptores in tanti Herois gratiam præteritum non fuerant, quemadmodùm liberos ac nepotes Jonathæ, & Simonis, non siluêre.

Alcimus tertiò adit Demetrium, & accusat Nicanorem.

℣. 26. ALCIMUS AUTEM VIDENS amicitiam mutuam Judæ, ac Nicanoris, cognitisque eorum pactis conventis, *venit ad Demetrium* jam tertiò, *& dicebat: Nicanorem rebus alienis assentire*, *τὸν νικάνορα ἀλλότρια φρονεῖν τῶν πραγμάτων*, vel, ut quædam exemplaria habent apud Nobilium, *περὶ τῶν πραγμάτων*, *Nicanorem aliena sentire à negotiis*, vel, *de negotiis*, supple, Regiis: quippe qui *Judam*, Syriaci nominis hostem, foveret, & *successorem sibi* destinâsset, *ἑαυτοῦ διάδοχον*, id est, magis propriè, *vicarium suum* constituisset. Dicebat ergo Alcimus, à Nicanore prodi res Asiatici regni, cùm Judæ vicariam potestatem tradidisset, eúmque propræfectum Palæstinæ creâsse videretur.

Demetrius jubet Judam capi. Nicanor id conatur.

℣. 27. 28. 29. ITAQUE REX EXASPERATUS CRIMINATIONIBUS Alcimi, Nicanorem acerbis literis increpat, de conventione cum Juda, jubétque eum sibi quamprimum Antiochiæ captivum sisti. Recens pactorum fides, Judæ virtus, honesti rectique decus, Nicanoris animum paullisper forsan dubium tenuêre: sed, ut in ejusmodi hominibus solet, plus utile recto potuit, & jussa Regia plùs valuêre virtutis imperio. Invigilare igitur cœpit in omnem occupandi Judæ occasionem, non tam vi apertâ, quàm arte, quia copiarum magnam partem à se ablegârat, ut dictum est vers. 23.

Machabæus id suspicatus, sese occultat.

℣. 30. AT MACHABÆUS VIDENS SECUM AUSTERIÙS AGERE NICANOREM, suspicatus quod res erat, sese cum paucis, ac fidissimis suorum, discrimini subduxit. Debuerat, ex perfidorum & proditorum artibus, Nicanor altissimè occultâsse consilium, eadémque benevolentiæ indicia eodem vultu exhibuisse. Sed admodùm difficile est, ita premere crimen, ut sagacibus hominibus signa quædam non appareant. Nôrat Judas Græcorum fidem: jam antè, versu 22. fraudem timuerat: nunc ex indiciis non levibus meritò suspicatur, & prudenter cavet.

Quibus in latebris?

Quæres, quò sese Judas proripuerit? In Scriptura locus nullus exprimitur: colligo tamen ex lib. 1. c. 7. vers. 27. Hierosolymâ exiisse. Nam Nicanor cum exercitu paullò pòst Hierosolymam ingressus, misit ad Judam, & fratres, postulatum iterata colloquia. Videtur ergo Hierosolymis Judas tunc non fuisse, adeóque nec paullò antè: alioqui Nicanor eum comprehendere conatus esset, neque invitâsset ad colloquium. Vero itaque simillimum est, ad notas in montanis Judææ latebras confugisse, ibique recollegisse copias; quas, pace cum Nicanore initâ, alias aliò dimiserat, quemadmodùm & Nicanor.

Quæres

Licueritne Judæ, & decorum fuerit, Nicanorem occupare?

Quæres item, cùm meritò perfidiam in Nicanore ſuſpicaretur Judas, cur eam non anteverterit, nece perfido inflictâ, quod facilè poterat? Reſpondeo, ex ſuſpicione criminis id nec licuiſſe; nec, ſi licuiſſet, decuiſſe. Conſtare debebat hoſtem eſſe publicum, & vitæ aut libertati Judæ ac Judæorum imminere, ut facinus cæde occuparetur. Atqui non ſatis conſtabat ex auſteriori agendi modo. Poſt minas in Templum jactatas, apertè demum erupit: licebátque tunc Judæ illum manifeſtæ perfidiæ reum, & publicum hoſtem, morti tradere; ſed an decebat? Non exiſtimo. Boni enim ac fortis viri officium eſt, continere ſeſe intra juſtæ defenſionis arctiſſimum limitem: neque antè adverſario nocere, quàm ipſe vel nocuerit, vel nocere conatus ſit, aut ita certò & in proximo ſit nociturus, ut diſcrimen pro præſenti planè habendum ſit. Comminatio autem, & expoſtulatio, à Nicanore in Templo jactata, nondum erat conatus nocendi, nec diſcrimen omnino præſens, ſed teſtificatio tantùm certæ voluntatis: quam alius forſan vir bonus, ſecuritati magis quàm decoro conſulens, non injuſta cæde prævenisset; at non Machabæus, excelſâ mentis fiduciâ, & periculorum generoſo contemptu, apertùs agere ſolitus. Niſi quando pericula tam manifeſta eſſent, & tam propè imminerent; ut illa contemnere non generoſæ fortitudinis officium foret, ſed imprudentis ac vecordis temeritatis. Ita cap. 12. v. 8. & 9. Jamnenſium crudele adversùs Judæos conſilium prudenter Judas antevenit: quia diſcrimen ingens erat, exploratúmque, & in proximo. Diſcrimen autem Templo, ſacerdotibus, Judæ ipſi à Nicanore intentatum, non adeo promptum ac vicinum erat; ut non meritò ſperaret Heros magnanimus, multò aliter meliùs, quàm occupatione cædis, averti poſſe, quomodo paullò pòſt factum.

Nicanor Templo comminatur, niſi tradatur Judas.

℣. 31. 32. 33. Quod cum ille, Nicanor, cognovit, fortiter se a viro Juda præventum, eluſáque inſidias ſuas. Prudentiæ fuit Machabæo periculum caviſſe: fuit etiam fortitudinis, ut diximus, quod inſidias inſidiis, injuſtam voluntatem juſtâ vindictâ non antevenerit. Cognito itaque Nicanor, elapſum ſibi Judam, *Templum*, quod Hagiographus, aptè fini ſuo, *maximum & ſanctiſſimum* appellat, ingreditur: an tantùm quatenus fas Gentili erat, ut Salianus exiſtimat? An homo, minimè religioſus, ad ipſa uſque ſacerdotum adyta & aram penetravit, ut ex ſequentibus colligitur? Nam, in ſecunda quidem comminatione, quam liber prior recitat, ſacerdotes ipſi prodiêre obviàm. Nunc autem ſacerdotes in ipſo ſacrificandi munere occupatos, accedit, jubétque, ut Judam ſibi ſiſtant. Aſſeverantibus, & jurantibus, ſe latebrarum illius conſcios non eſſe: ipſe intentatâ Templo manu, juravit, niſi vivus Judas dedatur, Templum à ſe ſolo æquatum iri, locóque eodem delubrum Bacchi ſtatutum. Latinè eſt, *Templum hoc Libero patri conſecrabo*: Græcè non habetur τοῦτο, ſed ἐνταῦθα, id eſt *hic*, & ſic Latinè reſtituendum eſt, neque enim Nicanor ædem funditus dirutam Libero patri dicaturus erat, ſed aliam eo loco extructam. Et verò Græcè dicit ἱερὸν ἐπιφανὲς ἀναστήσω, *templum illuſtre excitabo*. Vide dicta ad libri primi cap. 7. verſ. 34.

Facerdit Templo ad colligendum militem.

Et his dictis, abiit: quò? In ſerie hiſtorica num. 9. reliqui in ambiguo, ad Regémne abierit, ut ſe purgaret; an ad exciendos, & contrahendos de præſidiis vicinis milites, ut Judam perſequeretur? Iſtud Torniellus, & Salianus arbitrantur: hoc tamen maluerim. Neque enim gratus fuiſſet Regi ipſius adventus, neque accepta purgatio, niſi poſt diligentes pro capiendo Juda conatus. Et quamvis partem copiarum antè dimiſerat: poterat tamen de vicinis præſidiis militem deducere, qui cum reliquis ſuorum ſatis eſſe videretur Judæ perſequendo, & opprimendo, antequam morâ ſeſe colligeret, & convaleſceret.

Orãt Deum ſacerdotes pro Templi tutela.

℣. 34. 35. 36. Refertur oratio ſacerdotum ad Deum, pro Templo, adverſus minas & conatus impii Nicanoris conſervando. Alia eſt, quàm quæ refertur l. 1. c. 7. v. 37. & 38. alio utique tempore prolata. Utriuſque ſententia plana eſt. Hic v. 34. ubi interpres noſter poſuit *gentis ipſarum*, Græcè eſt ἡμῶν, *gentis noſtræ*: quâ particulâ manifeſtè Judæum ſe Hagiographus fatetur. In Græcis item quibuſdam ad calcem verſûs 36. additur valdè convenienter: *obſtrue verò os iniquum*: quod etiam Tigurina verſio expreſſit.

Hiſtoriæ ſeries.

In ſerie hiſtoriæ, inter hanc ſacerdotum orationem, & Raziæ hiſtoriam, interſeruimus reditum Nicanoris Hieroſolymam cum copiis: conatum ad alliciendos in fraudem, pacis iteratò tractandæ velut auctor Rex acceſſiſſet ſpecie, Judam & fratres: pugnam ad Capharſalama: Nicanoris à clade regreſſum in urbem Hieroſolymitanam: iteratas Templo comminationes. Quæ omnia narrantur l. 1. c. 7. à v. 27. uſque ad 39. Interſerenda autem hæc eſſe putavimus, tum Saliani exemplo; tum quia res ipſa ſic videtur expoſtulare, ut Raziam Nicanor comprehendere voluerit, in vindictam cladis ad Capharſalamam acceptæ, eluſique ſui ad capiendum Judam conatûs.

Raziæ commendatio à capitibus ſex.

℣. 37. 38. Rasias autem quidam, Græcè Ῥαζίς, apud Gorionidem corruptè *Ricaſius*: apud Aug. ep. 61. *Razias*, ex qua appellatione forſan ortum eſt Raſonis nomen, quod nunc Eraſmum dicimus. Is Raſias *delatus eſt Nicanori*, & deſtinatus victima ſuccedanea Machabæo. Multa hic paucis ad ejus commendationem congerit Hagiographus, quæ à Serario in ſenarium numerum diſtribuuntur. Primùm, quòd *de ſenioribus ab Hieroſolymis* foret, id eſt de ſenatu ſeu magiſtratu Hieroſolymitano; cui accedit, quòd infrà c. 42. dicitur de nobili ſtirpe. Deinde, quòd φιλοπολίτης eſſet, & *amator civitatis*, id eſt boni communis. Tertiò, quòd benè audiret, virtutique faveret teſtimonium famæ. Quartò, quòd auctoritatis tantæ eſſet, ac benevolentiæ, ut pro affectu pater Judæorum appellaretur. Quintò, quòd per acerbiſſima nuper tempora, quæ commiſtionis Hagiographus noſter ſuprà v. 3. appellavit, ipſe tenuit *continentiæ Judaiſmi propoſitum*, numquam ſeſe profanis ritibus miſcuit. In Græco eſt ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις κρίσιν εἰσενηνεγμένος ἰουδαϊσμοῦ, quod percommodè reddi poteſt, *præteritis temporibus judicium ſubierat de Iudaiſmo*, ſive ut pia vocatus eſt. Sextò denique commendatur, quòd *corpus & animam*, id eſt *vitam tradere contentus fuerit pro perſeverantia* in divinis legibus: in Græco eſt, σῶμα καὶ ψυχὴν ὑπὲρ τοῦ ἰουδαϊσμοῦ παραβεβλημένος μετὰ πάσης ἐκτενίας, *corpus & animam pro Iudaiſmo objecit cum omni contentione*. Unde Raziam poſſimus Confeſſorem, ut olim vocabantur, appellare. Gorionides, ex iſtis forſan verbis, ait, eum per Antiochi perſecutionem captum, plagis affectum, plurimaque alia pertuliſſe.

℣. 39. 40.

Eum comprehendi jubet Nicanor, & quorsum?

℣. 39. 40. Volens autem Nicanor, tum vindictæ satiandæ, ob cladem acceptam; tum diluendæ magis ac magis Alcimi criminationi, ad gratiam Regiam; *manifestare odium, quod habebat in Iudæos de iis*, quos à prælio ad Caphar-salamam reduxerat, *milites quingentos misit*, cum mandatis, *ut eum*, Raziam, *comprehenderent.* Caussa verò, cur iras suas in illum exonerare potissimùm voluerit, hæc erat: quòd, *si illum decepisset* Græcè συλλαβὼν, quod reddendum erat, *cepisset*, & verosimile est sic ab interprete Latino redditum, mutatum postea librariorum errore: sibi ergo persuaserat, Razia capto, *se cladem Iudæis maximam illaturum*, damno ac dolore maximo Judæos affecturum. Ex quibus verbis apparet, præcipuam rationem Nicanori persequendi Raziæ fuisse, sincerum odium, ac vindictam: quærebat enim facere, non quod sibi commodum esset, sed quod inimicæ genti doleret. Proprius autem odii ac vindictæ character est desiderium, & gaudium, de alieno dolore ac malo, quà tali.

Razias capiendus gladio incumbit.

℣. 41. 42. Turbis autem, quingentis militibus a Nicanore submissis; quibus se procul dubio adjunxerat multitudo, vel placendi, vel prædandi, ut in istis tumultibus mos est, vel etiam spectandi studio: iis turbis, *irruere in domum ejus & januas disrumpere*, *atque ignem admovere cupientibus*, seu, ut Græce est, *turrim domûs occupantibus*, *& aulæ ostio vim facientibus*, *jubentibusq; ignem supponi*, *& portas succendi*: in eo discrimine cùm *jam comprehenderetur*, id est, tantùm non captus esset, *gladio se petiit*, Græcè, *supposuit sibi gladium*, seu gladio incubuit. *Eligens nobiliter mori potiùs*, quàm inter impiorum manus indigna pati sanctitate Judaicæ legis, & natalibus suis.

Sese præcipitem dat de ædibus suis in vicum.

℣. 43. Sed cum per festinationem, urgente & præsente periculo, *plagam dedisset non certo ictu*, id est non recto, Græcè ἐυ καίριον..., adeóque intima viscera non transfodisset, jamque turbæ *intra ostia irrumperent*, vel effracta, vel exusta: *recurrens audaciter ad summum murum*, quò ad primum turbarum strepitum accurrerat; ut videret quid rei, & mox inde sese conspecto periculo subduxerat, ut se conficeret. Ad eum itaque murum, pinnámve, aut fenestram vico imminentem, festinato recurrens, *præcipitavit semetipsum viriliter in turbas.*

Solo allisus sese circumvolvit.

℣. 44. Quibus velociter locum dantibus casui ejus: ex nobilis domûs summo labentem vidit subjecta multitudo, & sese labenti subtraxit. Per illud ergo vacuum spatium allisus solo, aut pavimento vici, *venit per mediam cervicem.* Sic jam olim in Vulgata legebatur: unde D. Augustinus l. 2. con. Gaud. cap. 23 de Razia loquens, *se*, inquit, *in cervicem præcipitem dedit.* Debuit itaque interpres noster in Græco legisse αὐχένα. Nunc autem in exemplaribus omnibus Græcis habetur κενεῶνα, quod, à voce κενὸς, vacuitatem significat: interpretantur quidam spatium vacuum sub costis, alii ventrem, alii locum vacuum; ut dicatur Razias venisse, & allapsus esse κατὰ μέσον κενεῶνα, per medium latus, vel medium ventrem, vel medium vacui à turbis spatii. Nihil istorum rejiciendum esse existimo: imò omnia valdè aptè conciliari, & convenire posse arbitror. Allapsus enim est Razias, per medium relicti à turba dehiscente intervalli. Lapsum faciamus in alterum latus, aut ventrem, aut cervicem: in ipso tamen exsurgendi conatu, dum sese agitat, & volutat in pavimento, venisse debuit nunc in cervicem, nunc in latus, nunc in ventrem: adeóque verum est, quidquid Græcâ voce significatur, & Latinâ interpretatione redditum est.

Exsurgit, & de petræ cacumine visceribus in adstantes dispersis, moritur.

℣. 45. 46. Et cùm adhuc spiraret, lapsu licèt conquassatus, & commolitus, tamen *accensus animo surrexit*: sanguine ubertim effluente, cursu turbam pertransiit, evasitque in petræ cujuspiam vicinæ, quales Hierosolymis erant, cacumen: ubi sanguine ac vitâ deficiente, utrâque manu defluentia *intestina complexus*, *projecit super turbas*. Deum antè precatus, vitæ datorem, & arbitrum, ut illa sibi in resurrectione redderet. Hic Raziæ finis fuit, de quo nobis quæstiuncula una, quæstio item una benè magna ac difficilis, agitanda ac decidenda est.

Quomodò post lapsum, & vulnus, excurrere potuerit?

Quæritur primùm: quomodò Razias, ventre lacero ac diffisso, de sublimi lapsus, surgere tamen, currere, petram conscendere, viscera dispergere, potuerit? D. Augúst. l. 2. cont. epist. Gaud. c. 23. ait, *Vix credibile esse eum facere voluisse, ac valuisse quæ fecit.* Non dicit incredibile esse, in libro, quem sacrum ac divinum agnoscit, historiâ: sed vix, id est difficulter esse credibile, quia mirum, & supra consuetas hominum vires. Mirum omninò est; non adeò tamen, ut ad miraculum recurrere oporteat, quale à Tursellino nostro narratur, de sacerdote Dalmata, ad D. Virginis sacellum Lauretanum profecto, dissectâ licèt alvo, & defluentibus intestinis. Præcipitem se dederat de summa domo sua Razias; sed domûs in Palæstina longè abest ut nostrarum instar editæ sint: potuit ergo sic cecidisse, ut ossa non comminuerentur, præsertim si in ventrem, aut lateris vacuum, magis molliter ruit, quàm si in duriora membra rueret. Deinde vividus ardentis animi motus, etiam contusis membris, & exsangui corpori vires ad tantillum tempus potest ministrare, excalefacto quidquid reliquum est sanguinis, accensisque igneis spiritibus; qui postquam impetu suo vanuere, vita simul expirat. Visi moribundi in acie milites, aut cives in lecto, ad indignæ alicujus rei adspectum, velut à morte evigilare, resumptisque ex ira spiritibus, exsurgere, agere, & conatui immori. Eum in modum Raziæ factum, intelligitur ex illis Hagiographi verbis, *accensus animo surrexit.*

An Raziæ facinus laudabile, aut saltem excusabile.

Quæritur secundò, laudarine debeat, aut saltem excusari possit, istud Raziæ facinus? Laudandum videatur, cum Hagiographus laudet, tamquam non *audaciter* modò & *viriliter*, sed etiam *nobiliter* factum, cum invocatione Divini nominis, & beatæ resurrectionis fiduciâ. Excusari tamen non posse videatur, quia non ex subito motu sibi vim afferre Razias voluit, aut occupato judicio, sed *eligens* & ex destinato: nec vice simplici id voluit, sed ter, modisque omninò diversis, cùm se confodit, cùm præcipitem dedit, cùm viscera laceravit.

Damnatur à S. Augustino, occasione Circumcellionum.

D. Augustini ætate viguit in Africa Circumcellionum Donatistarum hæresis. *Genus*, inquit hær. 69. *hominum agreste, & famosissimæ audaciæ, non solùm in alios facinora immania perpetrando, sed nec sibi eadem insanâ feritate parcendo. Nam per mortes varias, maximè præcipitiorum, & aquarum, & ignium, seipsos necare consuerunt, & in istum furorem alios, quos potuerint, sexûs utriusque seducere; aliquando, ut occidantur ab aliis, mortem, nisi fecerint, comminantes.* Ii ex hoc Raziæ facto patrocinium furori suo, & exemplum petebant, eodem D. Aug. teste ep. 7. & l. 2. con. Gaud. c. 20. Itaque Augustinus, ut errorem refelleret,

exemplum etiam damnavit, *non fapientia, fed infipientia, ex humilitatis impatientia profectum, in Machabæorum libris narratum, non laudatum.* Dictum effe, *quod elegerit nobiliter mori; melius vellet humiliter; fic enim utiliter.* Vide ipfum illis locis & l. 1. de Civ. c. 17. &c. Sed fepofitâ D. Auguftini fententiâ, qui, difputandi ftudio provectus, exemplum, quo ficarii illi hæretici abutebantur elevare omnimodis conatus eft. Ejus ergo fententiâ fepofitâ, gradatim quæramus; Liceátne fibi ipfi violentas manus confcifcere? Quibus id conditionibus extra ordinem liceat? Ecquæ conditiones in Raziam convenerint?

Voluntariam mortem qui licere cenfuerint?

Licere, imò & decere voluntariam mortem, non furiofi folùm Circumcelliones hæretici cenfuêre, fed fedatæ fapientiæ profeffores Stoici, luculento tefte Senecâ plurimis paffim locis. Idem opinatos Indorum Gymnofophiftas perhibent. Judæorum item aliquibus perfuafum, Jofephus tradit, lib. 12. c. 5. l. 15. c. 3. & l. 3. Capt. c. 19. Imò & apud Chriftianos, magni id olim viri cenfuêre, Hieronymus imprimis in c. 1 Jonæ; etfi quidam fruftra ipfum aliter conentur explicare: *In perfecutionibus*, inquit, *non licet propriâ perire manu, abfque eo ubi caftitas periclitatur.* Sed fi in amittendæ caftitatis periculo licet, quidni in magnis peccandi periculis liceat? Neque enim tanti eft integritas corporis, quanti incolumitas mentis: nec pluris faciendum corruptæ per vim virginitatis dedecus, quàm difcrimen fidei caritatifve divinæ, per immanium tormentorum acerbitatem amittendæ. Accedunt Hieronymo Ambrofius, aliique, quos mox videbimus, laudatores virginum, vitam pro caftitate projicientium; neque id factum divino extra ordinem impulfui tribuentes, fed commendantes quafi de fe rectum, atque laudabile.

Conftat non licere.

Conftat tamen contrarium, ex lege divina Exodi 20. *Non occides:* ubi apertè prohibetur quælibet hominis occifio, fine legitima poteftate. Poteftatem autem in vitam fuam nemo habet, quia fuipfius dominus non eft, ne membrorum quidem, nedum vitæ, ut paffim difputant Theologi. Raynaudus nofter de virt. & vit. pag. 208. dicit, ex rei natura hominem vitæ & membrorum dominum non effe: quia, inquit, vita & membra funt ante libertatem, quæ omnis dominii fundamentum eft. Sed five ex natura, five ex præcepto divino id proficifcatur: fui tamen homo dominus non eft. Neque id ignotum olim fapientioribus Paganorum; qui injuffu Dei vitam, quemadmodùm ftationem injuffu Imperatoris, deferendam non effe dixerunt. Itaque Latinus Poëta autophontas iftiufmodi, velut magni criminis reos, mærore fqualidos facit in defcriptione inferorum:

Proxima deinde tenent mæfti loca, qui fibi lethum
Infontes peperêre manu, lucemq; perofi
Projecêre animas. Quàm vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores!

Quod vulgò etiam perfuafum ex Artemidoro colligitur, afferente, olim in chariftiis & parentalibus nomina eorum, qui αὐτοχειρίᾳ obiiffent, cieri non folita.

Inculpata cædes fuipfius indirectò.

His pro indubitato pofitis, quæritur, numquámne extra ordinem directò fefe occidere liceat? Directò, inquam: nam indirectò id licere; uti in præliis fieri folet, nemo ambigit, quando in aperta difcrimina irruitur, quod de Eleazaro facer fcriptor narrat l. 1. c. 7. Idem in Samfone, ruinâ domûs hoftilis fefe involvente, quidem agnofcunt: & nuper ita cenfuit Tamburinus. Quamquam Samfon directò mortem fuam, cum hoftium exitio, accerfiviffe videtur, ex his verbis, ante quatienda domus fulcra prolatis: *Moriatur anima mea cum Philifthiim.* Eleazarus autem irruit quidem in manifeftum omnino periculum, non ita tamen ut evadere nullo modo poffet. Sed de Samfone, & de fuâ morte indirectò directóve prævifâ, & accerfitâ, luculentè difputant Theologi, nec propria hujus loci quæftio eft.

Directa fui occifio ex Dei impulfu.

Directò licebit fibi manus afferre, fi peculiaris ad id Dei impulfus moveat. Sic Samfonem excufat D. Aug. l. 1. de Civ. c. 21. *Spiritus*, inquit, *hoc jufferat, qui per illum miracula faciebat.* Et c. 26. idem concedit virginibus, *quæ ut infectatores fua pudicitia devitarent, in rapturum atque necaturum fe flumen projecerunt.* Denique, quamvis generatim afferat, mortem non licere fibi confcifcere; eos femper excipit, quos ad id Deus moveret: *Qui audit, non licere fe occidere, faciat, fi juffit, cujus non licet juffa contemnere. Unde punitur, fi fecerit injuffus: unde laudatur, fi fecerit juffus.* Opportuniffimè tamen monet, id nemini tentandum, nifi *divina juffio nullo nutet incerto*, ut manifeftè appareat fic Deum velle.

Item ex ignorantia inculpatâ, aut ex inadvertentiâ.

Adde, divinæ juffionis loco effe poffe ignorantiam, quam dicimus inculpatam, & invincibilem. Ut fi quis nefciat, fibi non licere voluntariam mortem, in magno Dei offendendi periculo. Neque enim, inquit Leffius l. 2. cap. 9. dub. 6. adeò omnibus evidens eft, non licere fuiipfius cædem, ut fine culpa id ignorari non poffit: præfertim cùm viri docti, non Pagani modò, fed etiam Chriftiani, licuiffe cenfuerint. Et ex hoc capite excufari poffunt trecenti Martyres, qui impetu in fornacem calcariam defiluêre, unde dicti *Maffa candida*, apud Prudentium. Leffius eodem modo excufat virgines Alexandrinas, & matrem, de quibus eleganter Ambrofius declamat l. 3. de virg. ubi hæc de illarum morte: *Confertis manibus, tamquam choros ducerent, in medium progrediuntur alveum; ubi unda torrentior, ubi profundum abruptius, illò veftigia dirigentes. Nulla pedem retulit, nulla fufpendit inceffum, nulla tentavit ubi greffum figeret: anxia cum terra occurreret, offenfa vado, læta profundo. Videres piam matrem ftringentem nodo manum, gaudere de pignore, timere de cafu, ne fibi filias vel fluctus aufferret. Has tibi*, inquit, *hoftias, Chrifte, immolo, præfules caftitatis, duces itineris, comites paffionis.*

Razias mors inculpata, imò laudabilis.

Ignorantiæ vicem fupplere poteft inadvertentia ex animi impetu: fi fciatur quidem non licere cædem fuipfius, fed in præfentis tumultûs articulo non advertatur, aut adverti nequeat. Quod in Razia admitti non poteft, cùm deliberatò, & ter quidem per intervalla, fe conficere voluit. Supereft igitur, ut vel ex ignorantia inculpata id feciffe dicamus, vel ex Spiritûs Sancti impulfu; fi ex illa cauffa, damnari non poteft; fi ex hac, laudari debet.

Quas ob cauffas?

Motum autem Spiritûs divini perfuadet primùm, vita ipfius anteacta, v. 37. & deinceps. Deinde oratio ad Deum, in ipfo pænè mortis articulo, fiduciæ plena v. 46. Tertiò, mortis occafio, ex odio religionis; cauffa, ex metu ne captivitas ipfius, inter impiorum manus, in Judaicæ ac divinæ legis dedecus verteret, v. 42. Denique Hagiographi narratio, fine ulla vituperii fufpicione, cum multis approbationis, imò laudis, fignificationibus, ex loquendi modo.

Sacer

Sacer certè scriptor panegyristam illaudati facinoris non egisset; nec Dei bonitas permisisset; ut vir tam integer flagitiosè, inter ipsa spei divinæ brachia, moreretur.

EXCURSUS

Ad cap. 14. *vers.* 25. Nuptias fecit; *&c.*

Ecclesiæ Christianæ de nuptiis sententia.

SECTIO PRIMA.

Matrimonii dignitas & felicitas à Christo.

I. Christus, Virgo, Apostoli, quo modò ad sint nuptiis, Christianis!

NUPTIAS fecit Machabæus figurà Christi: honoravit nuptias Christus, quando illis interfuit in Cana Galilææ, cum matre, & discipulis suis. Præsentiâ illâ suâ, & comitatu, Christianos monitos voluit, quanta sit in Ecclesia matrimonii dignitas: unde illi speranda, & procuranda, felicitas. Adsit Christus, ut aquam in vinum vertat, rem de se bonis malisque communem faciat bonam, civilem inter conjuges contractum Sacramenti indissolubilis nexu sanciat. Adsit Virgo, ut exemplò suo doceat primarium matrimonii finem, in divinæ voluntatis ductu, ejusque obsequio. Adsint Apostoli, & Apostolorum discipuli, ut conjugibus amorem mutuum, consummandæ nuptiarum felicitati, impensè commendent.

II. Conjugalis continentia, infimus licèt gradus, in Ecclesia honorabilis.

Quia in Ecclesia Christiana, post Virginis partum, post Christi exemplum & voces, post Paulli prædicationes & literas, post innumeros sanctissimorum Patrum libros & sermones, post primorum seculorum latè patentem imitationem; magno semper in pretio fuit, estque, virginitas: eò ideò Ægyptii, Calvinus inprimis l. 4. Inst. c. 13. *Matrimonium à nobis verendæ castitatis infamiâ pro immundo haberi*, & spurcitiæ instar deputari, conqueruntur. Sed impudens mendacium Oniani Archisynagogi refellet Augustinus lib. 15. c. 25. ubi tres Noemicæ arcæ navigiive contignationes, *deorsum, cœnacula, & tristega* seu *tricamerata*, ut ipse legit, quorum illud saburræ, ista bestiarum habitationi, hæc Noemicæ familiæ destinata erant: ternas ergo illas contignationes tribus in Ecclesia continentiæ conjugalis, vidualis, virginalis gradibus adumbrandis, ingeniosè accommodat; quemadmodùm Cyprianus, Hieronymus, aliique, triplicem Evangelicæ sementis fructum, tricesimum, sexagesimum, centesimum, iisdem applicavêre.

III. Conjuges æquè Deo placere possunt, & plùs, quàm virgines.

Honorabile ergo est, ut Paullus nos docuit Heb. 13. *connubium in omnibus, & thorus immaculatus*: etsi viduitatis, ac virginitatis, de se dignitas excelsior est. De se, inquam, altior est: nam nonnulla matrimonio possunt accidere, quibus virginitati par evadat, imò superius: si conjuges, Deo ad eum gradum vocanti obsecuti, æquè plùsve Deum ament quàm virgines, quod fieri posse D. Catharina Genuensis, contra Dominicanum sacerdotem, disputavit, cap. 19. vitæ; & evicit, vel Augustino judice lib. de bo. conjug. cap. 21. *Non est impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias; & in Abraham, qui filios generavit. Et illius enim cælibatus, & illius connubium, pro temporum distributione, Christo militârunt.* Recitandus foret totus ille Augustini liber, & libri 3. de doctr. Christ. cap. 18. si matrimonii Christiani laudes, ex Dei & Ecclesiæ sententia, latius diducere statuissem. Explicanda deinde foret Chrysostomi hom. 21. ad pop. Ant. ubi historiis certissimis demonstrat, quàm sancta possint esse conjugia, Enochi nominatim encomiis Gen. c. 5. ubi dicitur genuisse Mathusalem, & mox dicitur ambulisse cum Deo: deinde dicitur genuisse filios & filias, tum subditur, *ambulavitq; cum Deo, & non apparuit.*

IV. Matrimonium in Ecclesia Catholica pluris fit, quàm apud hæreticos.

Ad commendandarum nuptiarum exempla adjungeremus Machabæum nostrum, qui princeps Assidæorum, id est Sanctorum esse non desiit, ex quo nuptias fecit. Sed altes nobis Ægyptiorum fratrum calumnia retundenda est, & manifestâ ratione demonstrandum, in Hierosolymitano nostro templo, non modò non sperni matrimonium, sed pluris etiam quàm in Onio fieri. Quid ais, Ægyptie Archisynagoge, matrimonium anne Sacramentum est? Non est, inquit lib. 4. Inst. c. 19. Estne prorsus insolubile? Non est, inquit, cum Genevensi Synagoga an. 1561. si adulterio contaminetur, aliave consimilia dehonestamenta incurrant. Ita vos censetis, nuptiarum panegyristæ. At nos, illarum, ut fertis, vituperatores affirmamus, Sacramentum esse, solvi non posse. Ideò Christum nuptiis in Cana Galilææ interfuisse, non tantùm ut nuptias morales animæ cum Deo, allegoricas Ecclesiæ cum Christo, anagogicas beatæ cum divinitate conjunctionis, significaret, quomodò D. Thomas Aquinas explicabat: sed maximè, ut jam tunc Sacramentum designaret, quod postmodùm Doctoris Gentium voce; & calamo publicaretur ad Eph. c. 5. *Sacramentum hoc magnum, in Christo, & in Ecclesia.*

V. Habet Sacramenti dignitatem:

Græcum *Mysterii* nomen audis, Ægyptie; Latinum *Sacramenti*: cujus, ne quid cavilleris, interpretem tibi dabo Augustinum tract. 9. in Joan. & lib. 1. de nuptiis & conc. cap. 10. Satius tamen fuerit, ne sententias multiplicemus, ternas duntaxat ex lib. de bono conjug. adducere. *Bonum nuptiarum*, inquit cap. 24. *per omnes gentes atque omnes homines in caussa generandi est, & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti.* Capite 18. *In nostris nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fecunditas uteri.*

uteri. Cap. 7. *Usquequaque salvum illud instum nuptiale cujusdam Sacramenti res est, ut nec ipsa separatione irritum fiat: quandoquidem vivente viro, quæ relicta est mœchatur, si alteri nupserit.* In hac sententia, quam postremo de industria loco recitavi, non solùm ille Ægyptiorum error configitur, quo nuptiis Christianis abrogant Sacramenti dignitatem: verùm etiam iste, quo, nuptialibus vinculis indissolubilem inficiantur esse firmitatem.

VI. Et sanctitatem, humanâ nullâ potestate solubilem.

Cæci, & duces cæcorum: quibus oraculi divini claritas non patet Matth. c. 5. v. 32. & Marc. 10. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Quibus Apostolica Pauli edicta oculos non aperuêre, Rom. 7. v. 2. & 3. & 1. Cor. 7. *Præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere.* Quibus manifestissima Patrum decreta lumen non intulêre: è quibus iterum adduco Augustinum de fide & operibus cap. 7. *In civitate Domini, in monte sancto ejus, hoc est in Ecclesia: ubi nuptiarum non solum vinculum, sed etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere.* Ista doctissimi Patris verba, non passim animadversa, advertant quæso solerter Orientis fratres: eáque conferant cum verbis Hieronymi ep. 147. ad Amandum, illiúsque ep. 30. de Fabiolæ epitaphio: *Apud nos, quod non licet feminis, non licet & viris*, dimitti, aut dimittere. Indicatum id olim voluêre annulo nuptiali, sponsæ per sponsum tradito; cui, ut refert ad an. 57. Baronius ex Clemente Alexandrino, insculptum erat initialibus literis implexis Christi nomen ☧ ut intelligerent conjuges ex circulari annuli forma, perpetuitatem nuptiarum vitæ utriusque admetiendam; eamque à Deo esse, & Christo ejus.

VII. Intenda pro fine nuptiarum voluntas Christi, ex Virginis consilio.

Vocatus est JESUS *ad nuptias* Christianas, ut eas Sacramento nobilitet, & perpetuitate adstringat. Advocetur etiam Virgo, non ut conjugibus continentiæ suæ exemplum, paucissimis imitabile, proponat: sed ut, conjugium quærentibus, suum illud convivii nuptialis verbum commendet, *Quodcumque dixerit vobis Christus, facite*; iste primarius sit nuptiarum vestrarum finis, & incitamentum, Christi obsequium ac voluntas. Tertullianus lib. 1. ad uxorem duas omnino caussas esse nuptiarum existimat, cupiditatem voluptatis, & honoris, utramque in Christiano vituperandam. *Duas species humanæ imbecillitatis necessarias nuptias faciunt. Prima quidem potentissima, quæ venit de concupiscentia carnis: sequens de concupiscentia sæculi. Sed utraque repudianda est à servis Dei, qui & luxuria & ambitioni renunciamus.* Sed, severi nimis Doctoris veniâ, nuptiarum fines, nec de concupiscentia carnis, nec de concupiscentia sæculi, damnandi sunt; modò soli non sint, aliosque meliores non excludant. Quemadmodùm enim, ut rectè ac prudenter monet Salesius Introd. p. 3. cap. 39. cibos sumimus, vel sanitatis ac vitæ causâ, vel conversationis ac caritatis, vel extinguendæ famis & appetentiæ sedandæ: ita istius matrimonii tertia de caussis à Christiano non illaudabiliter, ad cibi exemplum, sumi poterit, etsi austeriorès quidam cum Tertulliano reclament.

VIII. Primus matrimonii finis, & primus electionis intentio, ad virtutem.

Sed ut generatim magis Christianarum nuptiarum fines proponamus: primus ille sit à Deo indicatus, quando mulierem creandam *adjutorium* nominavit; & quando illam *ædificavit* ex costa viri: ut domûs instar esset, ad solatium; & cordi ac pectori hæreret, ad mutuum ex caritate subsidium. Junguntur Christiani conjuges, ut inter se juventa amabili societate, non ad caducæ tantùm vitæ transitum, sed multò magis ad perennis consecutionem. Eò ante omnia intendendum est, illuc præsertim dirigenda sponsi sponsæque delectio; ut habeas, quicum Deo melius obsequare, & Dei promissa faciliùs assequare: quod Virgini & Josepho unicè propositum fuit, non aliâ de caussâ divinitus conjunctis, quàm ut Christum alerent, & educationis mercedem acciperent. Itaque ex isto fine considerandus est sponsi sponsæve animus, virtus, mores: prius sciendum, qualia ista sint, quæ ad vitam æternam comparandam adjumento esse debent; quam qualia sint, quæ pereuntis vitæ commodabunt. *Domus & divitiæ*, inquit Sapiens Prov. 19. *dantur à parentibus: à Domino autem propriè uxor prudens*, seu, ut Septuag. expressêre, *à Domino aptatur desponsata mulier viro*, ut sit conjugium aptatum ad eumdem supremum finem voluntatum. *Cur enim*, inquit Ambrosius lib. de Instit. virg. c. 4. *vultûs decorem in conjuge magis, quàm morum requiras? Placeat uxor honestate magis, quàm pulchritudine. Illa eligatur, quæ Saram moribus referat.* Iterat idem præceptum l. 1. de Abr. c. 2. *Quæ suavitatem quærit conjugii, non ambiat monilibus ornatam, sed moribus*: deinde cap. 9. exemplum Abrahami proponit, filio suo per Eliezerum famulum quærentis sponsam, comitate, hospitalitate, caritate commendabilem, Gen. c. 24.

IX. Alter matrimonii finis, fecunditas.

Rebeccam ad aquas Eliezer invênit: Jacob itidem Labani filias Gen. 29. & Moses filias Jethro Exo. 2. In fortuito illo occursu, quia Deo nihil est fortuitum, spectatam ab ejus providentia conjunctionem Christi cum Ecclesia ad aquas baptismi; sicut Ambr. loco antè adducto, Augustinus serm. 80. de temp. Rupertus lib. 7. in Genesin cap. 27. Quid si dicamus, istis ad aquas, fertilitatis indices, sponsalibus, significatum conjugii alterum finem, fecunditatem, suscipiendis liberis, & propagando generi? Hunc finem ab Angelo Tobias junior edoctus est cap. 6. ut, *amore liberorum magis, quàm libidine, ductus*, Raguelis filiam postularet. Didicisse idipsum ex Deo potuerat, qui primos conjuges ideirco composuit, ut crescerent, & multiplicarentur. Sic apud Gusmanum, in Reginæ Margaritæ vita, Carolus & Maria ejus parentes, ex Angelico Tobiæ consilio, nuptias ab orando Deo inchoavêre, & annis novemdecim liberos quindecim impetravêre.

X. Finis tertius, concupiscentiæ sedatio.

Talem matrimoniorum fecunditatem destinata ad aquas sponsalia significavêre: indicavêre prætereà tertium illorum finem, concupiscentiæ mitigationem, & extinctionem ardescentis inter quotidiana incentiva libidinis. Primus finis ad obsequium divinum, ex fide est: alter, ad generis propagationem, ex ratione: tertius, ad cupiditatis lenimen, ex sensu: non ideò tamen malus, quia ex sensu; modò sensus non abripiat rationem, nec spernat fidem. Sensus etiam interdum à quibusdam satisfieri oportere, suadet non sensus solùm, sed & ratio, & fides. Nam *melius est nubere, quàm uri*, inquit Paulus 1. Cor. 7. post commendatam licèt gravibus verbis, & Christi nomine, viduitatem, ac virginitatem. Augustus Cæsar anno imperii sui quinquagesimo secundo, censitis equitibus Romanis, inventóque majore in illis cælibum numero, quàm conjugum, gravissimâ ad illos oratione nuptias laudavit, cælibatum vituperavit: fictum utique illum, non verum, nam virgines iisdem prærogativis, quàm matres, donaverat. Ad extremum cælibes viros, si

pudicitiam

pudicitiam violarent, eodem quo Vestales peccantes supplicio plexum iri minatus est. Ita Baronius ex priscis narrat ad an. Christi 21. Comminatur Cæsar defossionem impudicis, impudicitiæ remedium à matrimonio non petentibus: Paullus illis divinâ sententiâ ignem comminatur, non illum dumtaxat, qui exæstuat in medullis; sed illum etiam, qui ardebit usque ad inferni novissima. *Fornicatorem* enim, sicut *& adulterum judicabit Dominus: & omnis fornicator, aut immundus, non habebit partem in regno Christi, & Dei.*

XI. Apostolorum ad conjuges monita.

Sapuisti tu, Christiane, uri noluisti, nupsisti, aut nubilem duxisti, seu sensui obsecutus, seu rationi, seu fidei: quocumque id fine & consilio feceris, sive illo tolerabili, sive isto probabili, sive hoc laudabilissimo, sive omnibus simul; fecisti tamen. Gratulor, prospera voveo cuncta, *Salutem* opto & *Pacem bonam*, aut, quomodò apud nos recèns nuptis dici consuevit, opto pacem & bona. Addo, ne vota sterilia sint, nuptialis doni & convivalis symbolæ vice, Apostolica monita, ut conjugium fœliciter transigas. Neque enim Christus solus cum Matre vocatus est ad nuptias, sed & *discipuli ejus.* Adfuit illis Petrus, cujus hæc sunt 1. 3. *Mulieres subditæ sint viris suis .... sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans .... Viri similiter cohabitantes secundùm scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri honorem impertientes, tamquam & cohæredibus gratiæ vitæ.* Non adfuit illis Paullus Galilæis nuptiis, adsit Christianis; & hæc sua præscribat ad Eph. 5. *Mulieres subditæ sint viris, sicut Domino ... Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam.*

XII. Fidelitas reciproca conjugalis castitatis.

Quàm concorditer, quàm sanctè, quàm divinè Apostoli, gloriosi Principes terræ, præcipiunt, & hortantur? Mulièr subdita esto viro, sicut Domino: quid istâ obedientiâ suavius, quid amantius, quid religiosius? Vir cohabita secundùm scientiam uxori tuæ; imperti honorem illi sicut cohæredi gratiæ vitæ, qui primus est matrimonii finis; dilige, sicut Christus Ecclesiam, cui vixit, cui mortuus est: quid amore isto dulcius, firmius, generosius? In isto studio obsequendi, in talis amoris affectu, abesse non possunt, quæ matrimoniorum omnem prosperitatem consummant, fidelitas, & pax. Fidelitatis potissimum officium est in conjugali castitate, quam uterque conjugum ex æquo debet, uxor marito, maritus mulieri. *Sed nos viri sumus,* inquiunt mariti apud Augustinum libro 2. de adult. conjug. Sed numquid, respondet ipse, cupiditates suas non debent frænare, *quia viri sunt?* Numquid non debent uxoribus exemplo præire, *quia viri sunt?* Idem urget serm. 45. de verb. Dom. neque à marito modò, sed à sponso fidelitatem exigit: *Intactam cupis, intactus esto.* Libro item de 10. chordis cap. 3. *Vis,* inquit maritum alloquens, *domum tuam capite deorsum pendere? Caput enim mulieris est vir. Ubi autem meliùs vivit mulier, quàm vir, capite deorsum pendet domus.* Deinceps fusè & populariter prosequitur, quemadmodùm viro non magis liceat adulterium, quàm uxori.

XIII. In fœminis pariter, & viris laudanda.

Laudat Augustinus lib. 2. de adult. conjug. sub finem, plurimas pudicissimas fœminas, quæ fervorem transigunt ætatis, sine adulterino concubitu: *maximè Syra, quarum mariti, negotiandi quæstibus occupati, juvenes adolescentulas deserunt, & vix aliquando senes ad aniculas revertuntur.* Laudat Raderus in Bavaria sancta Gundebergam, Tauriporum Principis uxorem, quæ de adulterio sollicitata ab uno de Longobardorum primoribus, os ejus conspuit, maluitque altera Susanna falsæ accusationis subire discrimen, quàm peccare in Deum suum. Commemorant relationes Paraquarienses anni 1635. matronam, quæ à viro primario tentata, postquam verbis illum avertere à flagitioso conatu nequiit, ad vim conversa, soleam, cùm aliud nihil occurreret, arripuit, illaque & unguibus ac calcibus ita impurum hominem accepit, ut dies sex jacuerit lecto affixus, prædicantibus omnibus Juditham redivivam. Commendari isthæc uxoribus mariti gaudeant: gaudeant & sibi proponi Balduinum Constantinopolitanum, quo tempore ab uxore abfuit numquam impudicis oculis fœminam intuitum: bis in hebdomadas singulas sub vesperam clamari jubentem, ut, si quis alienam uxorem attigisset, palatio excessit. Audiant ex Spondano ad an. 1287. de Guidone pronepote Simonis Montefortii, qui mori maluit in carcere, absente uxore, quàm ex medicorum, ut aiunt, consilio morbi remedium ab adulterio quærere. Sed si emissariis quibusdam ista non placebunt; placeant nihilominùs uxoribus, Augustini verba hom. 49. *Nolite pudicissimæ fœminæ imitari impudicos viros vestros. Aut vobiscum vivant, aut soli pereant. Impudico marito non debet uxor pudicitiam: sed Deo illam debet, Christo illam debet.*

XIV. Pax utrimque inter conjuges servanda.

Cum fidelitate mutuâ pax conjuncta sit, summum inter mortalia familiarum bonum; quod Christus ab Evangelistis suis, in quamcumque domum intrarent, optari voluit, *Pax huic domui.* Nam, ut ait Sapiens Prov. 17. *Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum jurgio.* Procurandæ desideratæ paci, prudentiâ & suavitate mariti opus est: cujusmodi erant prisci illi Heroës, quibus Siracides Eccl. 44. istud encomium scripsit; *Pacificantes in domibus suis:* cujusmodi fuit Abrabam erga Saram, quam idcirco sororem vocabat, non uxorem; cui erga ancillam iratæ dixit, *Ecce ancilla in manu tua;* quam dominus ipse dominam interdum sapienter passus est, ne dilecta pax læderetur. Magnâ itidem ad pacem suavitate & patientiâ opus est uxoribus: ne sint, cujusmodi fœminas Eccl. 25. describit Siracides; ne mereantur appellari *adjutorium diaboli, non mariti,* quod elogium dat uxori Jobi auctor homiliæ de excidio urbis: sed sint, qualis Abigaïl, etiam cum Nabale stulto.

XV. Ad pacem, & fidelitatem, necessarius amor mutuus: cujus genus triplex.

Sine patientia pacem uxor non tenebit: sine caritate neque uxor, nèc maritus pacem tenebunt, & fidelitatem. Amorum autem genera totidem sunt, quot diximus esse conjugiorum fines. Amor sensualis ipsa interdum animalia sic jungit, ut non tantùm onera mutua portent, sed invicem separari non patiantur: ut de scaro pisce narrat Phile, marem, si fœmina capta sit, capiendum ultro se offerre: inde etiam illud nascitur, quod Tertul. ait lib. de cul. fœm. si tamen verum est: *Uxor nulla deformis est marito suo.* Amoris rationalis inter conjuges exemplum illustre sunt Julius Sabinus, & Eponina uxor, per proscriptionum tempora annis novem in spelunca simul exactis, liberisque susceptis: & uxor Cabadis Persarum Regis, quæ maritum permutatione vestium eripuit carceri, parato ab ipsius fratre Blaze. Christianum & spiritualem amorem testata fuit Hispaniæ Regina, de qua D. Carolus Borromæus ad an. 1581. Mediolani in oratione funebri dixit, precatam Deum, ut marito ægro, cujus publicè vita utilior erat, sanitatem redderet, ipsi aufferret: à Deo auditam, Rege sanato, illâ in Regis

vicem mortuâ. Testatus non absimilem caritatem ad an. 1635. Christianus in Paraquaria barbarica maritus, qui uxorem ægram suis ipse humeris per sedecim itineris horas ad Societatis nostræ domicilium detulit, ut per baptismum filia Dei fieret. Octo dies in via ob sarcinæ pondus posuerat; triduum totum nil gustârat, consumptis citiùs opinione cibariis: eâdem die baptizatam vidit uxorem, & baptismo fæliciter immortuam.

XVI. *Ubi conjuges Christiani benè conjuncti, Christus est in medio eorum.*

Ubi par tale conjugum convênit: *Unde sufficiam*, cum Tertulliano loquor lib. 2. ad uxorem, *ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, quod confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant, Pater rato habet? Nam nec in terris, sine consensu patrum, ritè & jure nubent. Quale jugum Fidelium duorum unius spei, unius voti, unius disciplinæ, ejusdem servitutis?.. Ubi una caro, unus & spiritus... Sonant inter duos psalmi, & hymni, & mutuò provocant, quis melius Deo suo canat. Talia Christus videns, & audiens, gaudet. His pacem suam mittit. Ibi duo, ibi & ipse: ubi & ipse, ibi & malus non est.* Paradisi terrestris initar est ejusmodi matrimonium, sed sine serpente: *domestica Ecclesia est*, quomodò de Prisca & Aquila loquebatur Paullus: non celebratur in Cana, zelo, & æmulatione; neque in Galilæa, id est volubilitate, & mutabilitate; neque ubi vinum deficit, & amor arescit: prægustus est æternarum nuptiarum, ad quas vocati sunt Christus, Mater, discipuli, & discipulorum successores, inebriati torrente voluptatis, dicentésque Christo, *Servâsti bonum vinum usque adhuc.*

SECTIO SECUNDA.

Viduitas arca testamenti.

I. *Viduitas, & cælibatus, non commendanda nimium.*

BERNARDUS serm. 66. in Cantica, ad illud, *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*, de hæreticis agens ævi sui, qui, Tertulliani exemplo, virginitatem & monogamiam adeò commendabant, ut alteras nuptias damnarent, *Omni*, inquit, *immunditiæ laxat habenas, qui nuptias damnat... Tolle ab Ecclesia honorabile connubium, & thorum immaculatum, nonne replet eam concubinariis, incestuosis, seminifluis, mollibus, masculorum concubitoribus, & omni genere immundorum?* Non omnibus suum istud Paullus 1. Cor. 7. dixit *non nuptis, & viduis, bonum est, si sic permaneant*: bonum aliquibus est nuptias iterare, etsi de se melius sit abstinere. Itaque prudenter, & sanctè, Augustinus lib. de viduis c. 4. sic Julianam monuit: *Hoc primùm oportet, ut noveris: bono, quod elegisti, non damnari nuptias secundas, sed inferius honorari. Nam sicut bonum sanctæ virginitatis, quod elegit filia tua, non damnat unas nuptias tuas; sic nec viduitas tua ullas quam secundas... Ab hac sanitate doctrinæ, nullius indoctæ, nullius docti, disputatione movearis: nec ita extolles bonum tuum, ut quod malum non est, tamquam malum criminêris alienum. Sed tantò magis gaude tuo bono, quanto magis vides, non tantùm illo devitari mala, sed quædam etiam bona superari.*

II. *Viduitas est arca testamenti.*

Ista præmonuerimus, in Ægyptiorum fratrum gratiam: ne, ex viduitatis laudibus, nuptias alteras in totum à nobis proscribi calumnientur. In ipso enim Hierosolymitani templi sanctuario, in adytis oraculi, in Arcæ loco illam collocaturi sumus; & ab Arcæ partibus, adjunctisque Cherubinis, materiâ, virgâ, mannâ, lege, congruam illius dignitati comparationem petituri. Quidni autem, inquit Hierosolymitarum aliquis, pretiosæ margaritæ, aut thesauri absconditi similitudine Evangelicâ, festis viduarum prælegi ex Romanæ Ecclesiæ ritu solitâ, contentus es? Cur ad viduitatem transfers, quod Christo Gregorius addixit hom. ult. in Ezech. *Arca intra velum, est Redemptor noster in cælo*: quod ab Ecclesia Matri Christi accinitur, *fæderis arca?* Non ægrè feret Christus titulum illi suum tribui, cui regnum suum tribuit. Nec molestum fuerit Virgini suum viduitati, cui educationem suam debet, communicari encomium.

III. *Quâ parte virginitatem superare videatur?*

Ribera noster lib. 2. de Tem. cap. 3. existimat, Arcâ Testamenti nihil convenientiùs adumbrari, quàm Sanctorum in cælis animas: Hieronymus ep. ad Eustochium virginibus illam Christi sponsis accommodat, *Sponsa est arca testamenti.* Quod doctissimus interpres de Sanctis omnibus dixit; illud percommodè de uno genere dixerimus. Quod sanctissimus Pater virginibus aptavit; hoc viduis, eodem, imò potiori forsan jure, adscripserimus: quandoquidem id præ virginitate habere videatur viduitas, quòd illa inexpertam, hæc expertam spernat voluptatem, adeóque fortior sit, eóque ex capite gloriosior. Tertullianus lib. 1. ad ux. postquam de virginibus præclarè scripsit: *Malunt Deo nubere, Deo speciosæ. Deo sunt puellæ: cum illo vivunt, cum illo sermocinantur, illum diebus, & noctibus tractant. Orationes suas velut dotes Domino assignant: ab eodem dignationes velut munera maritalia, quotiescumque desiderant, consequuntur. Sic æternum sibi bonum Domini occupaverunt; ut jam in terris, non nubendo, de familia Angelica deputentur.* Post isthæc præclarè ad laudem virginitatis prolata, mox paucis multa de viduitate: *Poterit virgo felicior haberi, at vidua laboriosior: illa, quòd bonum semper habuit; ista, quòd bonum sibi invenit*: velut mulier Evangelica drachmam perditam. Aut quemadmodum vidua Luc. 21. quæ, minuta duo in sacrum gazophylacium elargita, plus dedit, quàm qui aureos nummos contulêre: ita plus interdum aureâ, sed non laboriosâ virginitate, confert in thesauros Domini ærea, seu generosa, viduitas.

IV. *D. Ignatius & Polycarpus viduitatem protegunt, velut Cherubini Arcam.*

Non dubitavit integerrimus Smyrnensis Præsul Polycarpus epistolâ ad Philip. viduas appellare θυσιαστήριον τοῦ Θεοῦ, *Dei aras*: id encomium fortasse ex D. Ignatio mutuatus epist. ad Tharsenses: *Honorate virgines, tamquam Christi sacerdotes; pudicas viduas, tamquam altare Dei.* Præeuntibus tantis panegyristis, non dubitemus viduitatem cum Arca Testamenti componere: eósque ipsos, sanctitatis eximiæ, scientiæ divinæ, Episcopos, Cherubinis duobus conferre, qui propitiatorium, id est velut aulam Arcæ, inumbrabant. Viduas nominant altaria Dei Ignatius & Polycarpus; alisque illas suis, caritate & solicitudine paternâ, quasi Arcæ propitiatorium, protegunt. Affectum & curam Ignatii vide in epistola ad Philipp. *Saluto collegium virginum, & ordinem viduarum*: in epistola ad Smyrnæos, *Saluto... eas, quæ in perpetua virginitate vivunt, & viduas*: in ep. ad Heronem, quem sibi successurum divinitus præcognoverat, commendat singularem virginum, & viduarum, curam: *Virgines*, inquit, *ut Christi thesauros custodi; viduas honora, quæ verè viduæ sunt*, quomodò Timotheo 1. 5. Paullus præscripsit. Polycarpi in viduas affectum, & solicitudinem, vel ex eo collige, quòd aviculam sibi, diœcesim visitanti, à paupercula vidua peramanter donatam,

tanti

tanti fecit; ut ex hoſpitio, unde ſeſe de ejus ruina imminente cælitùs præmonitus proripuerat, per Diaconum ſuum requiri juſſerit, quia *in oblationem à beata vidua* acceperat. Vide Petrum Halloix noſtrum cap. 8. vitæ. Apud quem etiam leges cap. 2. non Epiſcopo tantùm Polycarpo, ſed adhuc Laico Chriſtiano, tam pronum fuiſſe in viduas affectum; ut lignorum faſces, qui à ſenibus egenis Smyrnam venales inferebantur, pretio mox exſoluto juberet deponi ad pauperculatum viduarum ædes.

V. Cherubini alii Arcam viduitatis inumbrantes.

Si Cherubinos alios duos, de Eccleſiæ Latinæ ſapientiſſimis Patribus, deſignari malueris: dabo Ambroſium, & Auguſtinum, quorum ille de viduis librum, iſte de bono viduitatis, pari pietatis & ingenii laude ſcripsêre. Poſſis præterea, gemini Cherubini imagine geminum cuſtodem cujuſvis Angelum exprimere: adeſt enim ſuus viduæ proprius cuſtos, adeſt & ſuis functi conjugis cuſtos, integræ fidei per uxorem marito etiam demortuo ſervatæ teſtis, amator, fautor. Quid ſi vidua ſanctos duos nacta ſit inſtructores, de primo Eccleſiæ grado: quemadmodùm apud nos D. Oda, viduarum patrona, ex Regia Francorum ſtirpe, marito Aquitaniæ duce mortuo, in Tongrenſem diœceſim venit, ut ſub D. Lamberti diſciplina vivens, à D. Huberto nepote ſuo non avelleretur. Quid ſi viduæ filius ſit, & filia, inſignis ſanctimoniæ: uti Annæ fuêre filia & gener, Maria & Joſephus ſanctiſſimi? Quid ſi pater illi, & mater, fuêre virtute conſpicui, quomodò Valbertus & Bertilla Valdetrudi, nobilis Canonicarum Montenſium collegii fundatrici, ac patronæ, ad cujus laudem hæc olim dicebam? Sic Cherubinos habebis utriuſque ſexûs, quales Arias Montanus opinabatur Arcæ impoſitos, virili unum, muliebri alterum formâ: ut inde forſan intelligeretur, intra divinitatis penetralia utrumque pariter ſexum admitti, nec matrimonium tantùm utrique convenire, ſed viduitatis ac virginitatis ſanctimoniam, & ſi quis uſquam in terris gradus eſt excelſior.

VI. Solitudo adumbratur Arcæ materiâ:

Arcæ materia fuit *de ligno ſetim*, quod lignum, cedrum quidam, alii arbuſculam ſpinæ noſtræ non longè abſimilem, interpretantur, duram & incorruptam, id eſt tardiſſimè putreſcentem. Utramvis arborem interpretemur; ſolitudinem, & converſationem ac nimiæ frequentiæ fugam, incorruptæ viduitati neceſſariam, aptiſſimè ſignificabit: quia cedrus in Libani jugis ſine hominum cultura naſcitur, & adoleſcit, ideóque à Pſalmiſta dicitur plantari à Domino: ſpina alba, flore ſuaveolenti, etſi aliquando culturam patiatur, aculeorum tamen ſuorum armaturâ manus abſterret. *Viduas quæris, quæ verè viduæ ſunt?* In Libani jugis invenies, in ſepibus; extra tumultum alloquiorum, niſi quæ caritas ſuaſerit; extra ſtrepitum negotiorum, niſi quæ neceſſitas commiſerit; extra prodeundi conſuetudinem, niſi obſequii & obedientiæ ratio ſuaſerit.

VII. A viduis magnopere colenda.

Quare D. Paullus 1. Tim. 5. de hujuſmodi vidua loquens: *quæ verè vidua eſt*, inquit, *& deſolata*, Græcè μεμονωμένη, ſola facta; *ſperet in Deum*. Jungit verè viduam cum deſolata: quia verè vidua non eſt, quæ non tantùm deſolata eſt, ſicut turtur amiſſo compare; ſed etiam ſolam ipſa ſe facit, amica ſilentii, ſecreti ſtudioſa, amatrix ſolitudinis, fugiens otioſæ diſcurſationis & confabulationis: non ſicut illæ à Paullo deſcriptæ 1. Tim. 5. *otioſæ*, quæ *diſcunt circuire domos, non ſolùm otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes quæ non oportet.* Verùm talis *deſolata ſperet in Deum*, ſicut *cedri Libani, quas plantavit* Deus; ſicut ſpinæ deſerti, quas excoluit. Idcirco etiam violæ nonnulli viduitatem comparavêre, tum quia utraque humili ſtirpe, cultu, & colore eſt; utraque item odore pergrato: tum præſertim, quia ſuaveolentiſſimæ quæque violæ locis incultis naſcuntur, ſicut extra converſationum frequentiam ſpirat odoratiſſima viduitas. Sic fuêre Juditha, & Anna, Manaſſis illa, hæc Phanuelis vidua: illa in cœnaculo ſeorſum morari ſolita, non in circulis; iſta in templo verſari aſſueta, non in plateis. Quarum exemplum viduis ſpectandum, & imitandum, propoſuit Ignatius epiſt. ad Philadelphienſes: *Sint autem & viduæ non vagæ, non guloſæ, non circumcurſantes: ſed ut Iudith illa pudiciſſima, ut Anna illa temperantiſſima.*

VIII. Colenda item temperantia, & caſtigatio corporis:

Solitudinis ſtudio conjungit D. Ignatius temperantiæ cultum, gulæ compreſſionem, corporis caſtigationem: Aaronicâ virgâ, quæ in Arca vel ad Arcæ latus repoſita fuit, ſignificatam. Quamquam Bernardus virgâ iſtâ, quæ prodigio floruerat, maluerit forſan exprimi Regiam viduitatis dignitatem. Epiſtolâ certè 289. ad Reginam Hieroſolymitanam, non minoris ait ipſi honoris eſſe titulum viduæ, quàm Reginæ: *Gloria tibi eſt præcipua inter Chriſtianos, non minùs vivere viduam, quàm Reginam. Illud ſucceſſionis eſt, hoc virtutis. Illud tibi ex genere, iſtud ex munere Dei. Illud feliciter nata es, hoc viriliter nacta es. Duplex honor, alter ſecundùm ſæculum, alter ſecundùm Deum.* Sed neque illhæc Regina, neque aliæ ullæ viduæ, eminentem perfectæ viduitatis honorem diu obtinuiſſe potuerint, ſine Aaronicæ virgæ, id eſt mortificationis uſu. Nam, ut ſcribit Paullus 1. Tim. 5. vidua *quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt*: ſeu, ut Cyprianus legit libro tertio ad Quirinum, *Quæ autem delicata eſt, vivens mortua eſt*: & de numero illarum eſt, quas perſtringit Tertullianus libro de Monogamia, *iuvenculas viduas, quæ in viduitate deprehenſæ, & aliquamdiu affectatæ, poſtquam in deliciis habuerunt Chriſtum, nubere volunt.*

IX. Quam Moſaica virga ad arcam repoſita ſignificat.

Baculum ſuum Moſes, quem Aaroniæ virgæ quidam eumdem exiſtimavêre, ut in terram projecit, ſerpente horrendo mutatus eſt: ſerpens, caudâ apprehenſus, rurſum ad baculi formam redit, & in Moſis dextra innumerorum prodigiorum fuit inſtrumentum. Si caſtigationem corporis in terra ſpectes, horrori eſt: ſi manu teneas, ſi tractes, ſi utare, pro ſcipione eſt, & mirandorum operum inſtrumento. Eo fæliciter uſa Juditha cap. 8. *habens ſuper lumbos ſuos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter ſabbata, & neomenias, & feſta domus Iſrael. Vidua*, inquit Fulgentius epiſt. 2. *præclara natalibus, facultatibus dives, ætate juvenis, ſpecie mirabilis, divitias contempſit, delicias reſpuit, carnis incentiva calcavit. ... Egreditur caſtitas oppugnatura laſciviam, & ad interitum ſuperbiæ humilitas ſancta procedit. Ille pugnabat armis, iſta jejuniis; ille ebrietate, iſta oratione. Igitur quod omnis Iſraëlitarum populus facere non potuit, ſancta vidua caſtitatis virtute perfecit. Nec tamen hic elata ſucceſſibus*, ut ait Ambroſius lib. de vid. *cui utique gaudere, & exultare licebat jure victoriæ, viduitatis reliquit officium; ſed contemptis omnibus, qui ejus nuptias ambiebant, veſtem jucunditatis depoſuit, viduitatis reſumpſit: nec triumphorum ſuorum amavit ornatus, illos exiſtimans eſſe meliores, quibus vitia corporis, non quibus hoſtium arma vincuntur.*

X. *Virga manna, mortificatio orationi jungenda.*

Aaronicæ virgæ in Arca vel apud Arcam adjacebat manna, panis olim Israëlitici populi, omnem habens saporem suavitatis. Mortificationis asperitatem mitiget viduitas condimento suavis pietatis, & assiduitate orationum. Consilium Pauli est 1. Tim. 5. *Quæ autem verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet orationibus, & obsecrationibus nocte ac die.* Exemplum est Judithæ, quæ in superioribus domûs suæ fecerat sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, ut oraret ibi Deum in abscondito, extra strepitum commeantium. Exemplum est Annæ Evangelicæ, quæ *non discedebat de templo, jejuniis & orationibus serviens die, ac nocte*: ideò promerita videre Christum Domini. De viduarum in publica caussa orationibus, dictum est à nobis quidpiam l. 1. Excurs. ad c. 3. sect. 6. n. 20. In tali caussa Judithæm sacerdotes rogavêre, *Ora pro nobis Dominum, quia mulier sancta es.* Non dubium, quin Deus viduarum in privatis suis suorumque rebus, orationes promtissimè exaudiat, qui respicit in orationem humilium; qui se patrem dicit orphanorum, & judicem viduarum; qui odit impium, eo quòd *viduæ non benefecit*, Job cap. 24.

XI. *Lex intra Arcam, caritas in corde.*

Virgam Aaronis, & manna, etsi Paulli verba Hebr. 9. intra urnam auream in Arca ipsa latuisse indicent, & sic Chrysostomus intellexerit: alii tamen ad latus tantummodò collocata fuisse existimant. Tabulas autem legis lapideas intra sinum Arcæ clausas fuisse, negavit hactenus nemo, aut negâsse potuit, lectis hisce Scripturæ verbis 3. Reg. 8. *In Arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ.* In solitariæ, castigatæ, piæ viduæ intimâ mente, non est aliud, quàm præcepta duo caritatis, *scripta non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis: in his enim tota lex pendet, & prophetæ.* Nihil amore liberius, nihil obligatius: nihil magis legitimum, nihil magis exlex, quia ipse sibi lex est. *Quis legem det amantibus? Major lex amor est sibi*, inquiebat Philosophia apud Severinum Boethium, ex rationis judicio. Sapientia Christiana apud Paullum Rom. 9. ex fidei judicio aiebat, *Plenitudo legis est dilectio.*

XII. *Dilectio proximi caritatis complementum est.*

Eam plenitudinem ut assequatur viduitas; Apostolorum duorum Paulli & Joannis, quorum ille viduas enixè commendavit, iste viduis in Electa domina scripsit, monitum observet: *Qui diligit proximum, legem implevit. Mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Dilectio autem, ut idem dilectus discipulus scribit, non *linguâ* ostenditur, *sed opere & veritate.* Olim viduarum in Ecclesia officium fuit, quas Diaconissas à ministrando vocabant, eligique voluit Paullus 1. Tim. 5. operibus caritatis erga proximum diu approbatas: *vidua eligatur . . . in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si Sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.* Ita sese viduæ gesserunt, aureis istis caritatis sæculis: solitudine laudabiliter desertâ, mortificatione sepositâ, oratione abruptâ, ubi fraternæ dilectionis lege movebantur.

XIII. *Sanctarum viduarum erga egenos, & miseros, caritas.*

Exinde secuta posteriori ævo, non inferiore ardore, sanctarum matronarum agmina, profusæ in egenos benignitatis, in ægros munificentiæ, in miseros omnes affectûs; quos non ope tantùm, sed operâ sublevabant. Quantæ voluptati Lamberto fuit, Odam suam intueri, viduarum nulli nobilitate secundam, primis sanctimoniâ parem, manibus istis Regiis pauperculārum rusticanarum vestes consuentem; tuguriis ægrarum mundantem, sorbitiunculas fastidiosarum condientem, & ministrantem? Quantæ lætitiæ fuit, viduarum & virginum sponso, cominùs spectare quasi peregrinos hospitalitate excipere, quâ beneficentiâ per publicam famem egenos reficeret, suimet & suorum immemor, necessitatisque oblita, ut recordaretur caritatis? Venit ad ipsam aliquando ut suprà Exc. 2. ad c. 22. sect. 5. num. 15. narratum est, peregrini famelici habitu, prandiùmque flagitavit. Illa non nescia, panes omnes eo die mendicis ita profusè distributos, ut sibi ac domesticis jejunandum foret; divinæ tamen fiduciæ plena, instante & urgente peregrino, familiarium quopiam comite adiit ad penum. Quæ modò penitùs exhausta erat, repentè siligineis, candidissimisque, ac recentibus panibus referta inventa est. Prandium inde instructum: quo absoluto peregrinus ad Odam: *Tu me*, inquit, *ipsum modò, aliàs in minimis meis pavisti: eâ caussâ spondeo, nihil tibi in terris defore, in cælis paratam jam nunc mercedem perpetuam.* Ista matronis, ista viris viduis dicimus: viduitatis enim sacratam Arcam inumbrant utriusque sexûs Cherubini. Eadem Christianis omnibus, quibus lex amoris scripta est, dictamus; flagitamúsque, ut, quomodò Jacobus Apostolus volebat sibi ostendi ex operibus fidem, ita ostendant nobis ex operibus caritatem.

SECTIO TERTIA.

Virginitatis exempla.

I. *Sancti, virtutis imagines: virtus, imago Sanctorum.*

EXIMIUM istud est Menæi Græci de S. Gregorio Naz. encomium: *Si statua ex singulis cunctisque virtutibus humanâ effigie formanda esset, talem fuisse Gregorium.* Tantundem Gregorius ipse in Athanasii laudem dixerat, hoc orationis initio, *Athanasium laudans, virtutem laudabo.* Totus enim Athanasius, quantus est, ex virtute constat, partibúsque illam omnibus exhibet. Si hæc pingenda est, pingatur Athanasius. Si Athanasii forma delineanda est, virtus exprimatur. Detur sanctissimo Præsuli frons modestiæ, mansuetudinis oculi, genæ verecundi pudoris, prudentiæ labia, os temperantiæ, liberalitatis ac justitiæ manus, pedes fortitudinis ac diligentiæ, pectus caritatis. Athanasius enim denique ipsa virtus est. Gregorii exemplo, D. Catharinam, quam nonnulli Ecclesiæ figuram fecêre, faciemus castitatis imaginem, aut castitatem faciemus imaginem Catharinæ: castitatem, inquam, illam summi in continentia gradûs, ne vel virginitati vel Catharinæ faciamus injuriam, si inferiorem aliquam comparationem instituerimus. „Habebunt nihilominus inde, quod discant, qui in humiliore continentia substitêre. Nam & ipsis pro portione aliquâ convenient, quæ virginitati tribuentur. Deinde, auditis virginitatis encomiis, Deo & Christo ejus gratias agent, propter magnam gloriam suam, & honorem Sanctorum. Denique, si quorum liberi aut consanguinei virginitatem, ex Evangelico consilio, amplectentur, non tantùm non molestè ferent, aut impedire tentabunt; sed etiam aggratulabuntur, & apophoreta læti mittent aut accipient: quomodò quondam fieri solitum ostendit Baronius an. 57. ubi & illud Augustini refert ad Demetriadem nobilissimam virginem, *Velationis apophoretum gratissimè accepimus.*

Nobilis

II. Corporis pulcritudo, fragile, fallax, & ephemerum bonum.

Nobilis fuit Catharina, sponsa Christi, sapiens, fortis: sic est virginitas, nobilitate, sponsalibus, sapientiâ, fortitudine præcipuâ. At ubi, inquis, pulcritudo? Gratior enim & pulcro veniens in corpore virginitas, magis quàm ulla alia virtus: & *formosa facies muta commendatio est*, ut Publio visum: nec dubium quin D. Catharina, ut à Principibus amaretur, & à Cæsaribus expeteretur, insigni pulcritudine fuerit, tantò inde commendabiliore pudicitiâ, quantò rarior est utriusque conjunctio. Sed nos in cathedris sacris illud corporis decus non laudamus, quod scriptor sacer *fallacem & vanam gratiam*, profanus etiam *fragile bonum*, vocavêre. Quod de fortuna dixit Publius, id de forma aptissimè dixerimus, *vitrea est*, *&*, *cùm splendet*, *frangitur*, catarrhi unius aut morbillorum impulsu. Quid quòd castitati interdum adeò noxia est; ut illam non pauci, ante Christianæ religionis exortum, ultrò dehonestaverint, vitando majoris boni periculo? *Erubesce caro*, *quæ Christum induisti*, inquit Tertull. l. de Monog. Si tibi, ad beatam æternitatem renatæ, pluris est formæ flosculus ephemerus, aut rosis æquævus, quàm illis Christi insciis, & æternæ mercedis ignaris.

III. Nobilitas cur cum virtute commendetur.

Cur ergo pulcritudinis commemoratione neglectâ, nobilitatem tamen, bonum utique externum, & præ internis leve, commendatum imus? Propterea quòd, ut ait Boëthius lib. 3. pr. 6. *imposita nobilibus necessitas videatur*, *ne à majorum virtute degenerent*. Quia juncta nobilitati virginitas longè spectabilior est, tamquam in conspicuo magis & eminenti loco. Quia Sapiens cap. 4. pudicitiam à nobilitate multum mutuari gratiæ arbitratur: *O quam pulcra est casta generatio*, *cum claritate!* Dicebat quidem scitè apud Spond. an. 1261. Urbanus IV. Jacobus Pantaleon, ex patre sutore veteramentario, Laudunensis tum Leodiensis Archidiaconus, dein Episcopus Virdunensis & Patriarcha Hierosolymitanus, denique Pontifex Maximus, quibusdam objicientibus obscuritatem natalium: *Virum non nasci*, *sed virtute fieri nobilem.* At certè vir ille clarior est, qui & nobilis nascitur, & suâ etiam sese virtute nobilitat: quàm qui sibi ipse nobilitatis caput est.

IV. Catharinæ prosapia illustris.

Illustre Catharinæ genus, Alexandriâ Ægyptiâ deductum, Ecclesia commemorat. Constat equidem, vel ex Ambrosio lib. de virg. multas ea in orbe stirpis eminentis virgines fuisse. Et Baronius ex Rufino l. 8. cap. 17. refert, *cùm Maximinus duobus gravissimis domimis libidine; & crudelitate, praceps ageretur*, fuisse Alexandriæ nobilem stirpe, opibus, propinquis, virginem Dorotheam. Eam ipse, aliique, & nos, Catharinam censemus: seu hoc ipsi nomen deinde datum fuerit, ad commendationem insignis pudicitiæ ex Græco; seu ex Hebræo *Cether*, aut Syro-Chaldaico *Cethara*, ut Scearius putat, dicta sit; quasi *Coronata*. Seu Dorotheam posteriùs appellârint præstantibus Dei donis ornatam, totámque Dei donum. Utrumvis ei nomen proprium fuerit: propria tamen fuit nobilitas, quam ad Regium usque stemma Metaphrastes, aliique deinceps extulêre; potuitque omninò aut ex Ptolemæis, aut ex vicinis Arabiæ Æthiopiæve Regibus, traxisse originem.

V. Virginitatis genus à Principibus, viris ac feminis, ab Angelis, à Regina & Rege Angelorum, à Deo Trinitate.

Age modò virginitatis stemma retexamos. Emericum, Stephani Hungari Regis filium, cui ex occursu & alloquio castitas hominum noscebatur; Casimirum Polonum, Pelagium Hispanum, Domitillam Romanam, Iphigeniam Æthiopissam, Eugenias, Cæcilias, Agnetes, aliáque pudicitiæ in illustrissimis familiis, decora, in virginitatis stemmate non numero: quia ipsi à virginitate genus & gloriam duxêre, non ab ipsis virginitas. Non terrestris illi, sed cælestis origo est, ut ait Amb. lib. de virg. *E cælo accersivit*, *quod imitaretur in terris.* Non de humana prosapia, sed de Angelico genere prodiit; eámque ob rem virgines, ut ex Tertull. sect. sup. recitabamus, *de familia Angelica deputantur*; & Angeli propensissimo affectu cum virginibus, tamquam jure consanguinitatis & incorruptionis similitudine conjuncti, versantur. Placet altiùs ad Angelorum Reginam, quæ *humilitate placuit*, *sed virginitate facta est mater Dei*, originem excelsæ hujus virtutis deducere? Placet ab Angelorum Rege Christo repetere; quem Gregorius Nyss. l. de virg. c. 2. vocat fontem incorruptæ & illibatæ castitatis; quem Cyrillus Hier. catech. 12. nominat *purissima puritatis Doctorem*; quem Augustinus hom. 33. inter 50. idcircò ait, psalmo 83. & in Canticis Cant. turturi avi pudicissimæ comparatum, quia *vox turturis doctrina intelligitur Salvatoris*, *audiri capit*, *puritatem castitatis adamavit*? Gregorii Naz. carmen in Deo ipso Trinitate natales virginitatis designat, quia *Prima trias virgo est*, generante intellecto divino, voluntate producente: quales virginum partus sunt, sanctis cogitationibus, puris desideriis, ex illarum mente & Dei gratiâ progeniis. Nam *ubi Deus*, inquit Tertull. lib. de cul. fœm. *ibi pudicitia*, velut filia cum patre. Itaque non Regium modò, sed Angelicum, sed Divinum virginitatis genus est.

VI. Virginitas, & Catharina, sponsa Christi.

Atque adeò degeneres nuptias non appetiit Dei Filius, cùm sponsas sibi virgines optavit. Id Catharinæ spectabiliter factum perhibent, inserto per Christum annulo in amabilis virgunculæ digitum, teste sponsalium Virgine Matre. Uni videri contigit, quod evenit omnibus, etsi non cernatur. Quo momento virgines mentem & corpus Christo consecrant, eodem in illius sponsas adsciscuntur. Non ea fuit solius Tertulliani sententia, sect. sup. num. 3. l. 1. ad uxor. Ita unâ Patres omnes mente censuêre, quoquot virginitatis encomia texuêre: quis autem non scripsit? Naumachius ethnicus poëta apud Baronium an. 57. poema composuit ad virginitatis laudem, ubi ait, *Virgines splendidam mentis aciem erigere ad eam vitam, in qua sunt vera & gloriosæ nuptiæ.* Sic Ethnicus dixit, illud forsan ex Evangelica parabola, de nuptiis à Rege paratis filio suo, mutuatus. At nos, jam nunc in terris professione virginitatis sponsalia cælestium nuptiarum celebrari, in cælis postmodùm, æterni connubii fœlicissimo & numquam solvendo consortio, consummanda, dicimus. Acclamantibus undique, & fausta comprecantibus Patribus, quibus olim summo gaudio fuit, sponsalium istorum procuratores esse, & pronubos, ac paranymphos. Accinente, ad laudem virginei sponsi, nuptiale carmen Ecclesiâ:

Qui pergis inter lilia,
Septus choreis virginum,
Sponsus decorus gloriâ,
Sponsisque reddens præmia.

Applaudente Sanctorum omnium cœtu, quando ex virginei Evangelistæ narratione Apocal. 14. Agnum niveæ puritatis comitantur supra montem Sion centum quadraginta quatuor millia, *habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati*, utique & quæ cum viris non sunt coinquinatæ: ex utroque sexu virgines, cum sponso suo individuâ deinceps societate lætantes.

Catharina

VII. Catharina sapiens, & apis argumentosa, quemadmodum & Cæcilia.

Catharinæ prudentiam miratus Maximinus dicitur; sapientiam philosophi experti, eloquentiâ obstupefacti Rhetores. An quia Deus intelligentiam ipsi, & linguam eruditam miraculo donavit: *qui ignobilia mundi, & contemptibilia elegit, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret?* An quia, in eo licèt sexu atque ætate, ingenii vivacitatem scientiis comparandis impenderat, facundiam explicandis adhibere didicerat? Eam ob caussam in philosophorum præsidem, & Rhetorum patronam delecta: quemadmodùm Cæcilia in musicorum præsidem adscita. Moris enim apud priscos fuit, ut liberalibus studiis puellæ nobiles, si quæ ingenio pollebant, erudirentur: in illis autem studiis Musica numeratur, cui Cæcilia præsidet; Philosophia & Rhetorica, quæ Catharinam suspiciunt, primas obtinent. Tum huic, tum illi sapienti virgini, meritò nomen detur *Apis argumentosa*: quia apis virgo est, & virgineo fœtu nascitur: quia de flosculorum anima mellilegium suum apis conficit, sicut illæ virgines de Evangelicis sententiis mellitas suas, & persuasibiles, orationes composuêre: quia vibrat apis aculeum, & in hostes fidei sacræ istæ apiculæ aculeata verba vibravêre.

VIII. Sapiens est virginitas, quia capiu difficilis, quia ad sapientiam præparat.

Quæ Catharinæ prudentia & sapientia tribuitur, eadem virginitati adeò singulariter competit, ut de illa dixerit Christus, *Qui potest capere, capiat.* Humano ingenio paucissimi allecti sunt, forsan & nulli: quamvis Vestales nobis Romanæ, & Sibyllæ Cumææ, Erythrææ, aliæque nominentur. Divinâ institutione ante Christum vix ulli acceperes etsi filiam Jephthe, Eliam, Elisæum, Essenos quidam virginibus aggregârunt. Post Christum, Paullus intra consilii limites proposuit: quia tantæ sublimitatis ac sapientiæ esse judicavit, post Domini verba, ut in præceptum non caderet; & hortando non jubendo, imò optando magis quàm hortando, commendari deberet. Sapiens prætereà dicenda est virginitas, quia sapientiæ præparat mentem, eò clariorem & discendo habiliorem, quò magis accedit ad corporis incontaminatam. *Anima enim*, ut ait Paullinus epist. 35. *quantò castior membris, tantò vivacior sensibus: & quantò mundior corde, tantò capacior Christi est*: & ex Paulli sententia 1 Cor. 1. *Mulier innupta, & virgo, cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu.*

IX. Et quia sine sapientia diu conservari nequit.

Deinde sapientiam virginitati tribuimus, quia sine illius comitatu integra diu perseverare non potest: sicut imprudentium virginum sine oleo lampades diu non arsêre. Conservandæ virginitatis integritati, prospicienda omnia pericula sunt; nam, ut ait Cyprianus ep. 62. ad Pompeium de virginibus, *Nemo diu tutus est periculo proximus*: prospici autem discrimina sine sapientia non possunt. Prospectis discriminibus, vitandorum illorum modos parabiles, & promptos invenire oportet. Qualem Anna D. Teresiæ discipula, dehonestato turpiter & commaculato repentè vultu, ut ad matrimonium expeti desineret. Qualem Galla, seu Appa, Gisulfi Forojuliensis Ducis filia, quæ ab Hunnis capta cum tribus sororibus, ne ab impuris prædonibus violaretur, condidit sub mamillari strophio crudas pullorum carnes, iisdémque calore corruptis, & horrendè fœtentibus, non tantùm effugit vim militum, sed etiam omnem in se extinxit sensum libidinis, ut Raderus narrat in Bavaria sancta. Atqui modos tales evadendorum periculorum in promptu non habebit, nisi sit sapiens virginitas.

X. Fuga occasionum sapiens.

Nec sine sapientiæ auxilio discrimina fugiet; cantèque receptui, quod in tempore facere, prudentissimorum ductio est. Fecit olim Josephus Patriarcha: fecêre recèns Borromæus, Salesius, Bellarminus, ut in eorum vitis narratur; hic sine arbitris fœminas non allocutus; iste Patavii de scalis domûs, quò inscium condiscipuli ad flagitia deduxerant, præcipiti exscensu profugus; ille de amici domo, insalutato hospite, summo manè egressus, quòd mulierem in conclave induxisset, etsi mox ejectam. Gemellum omnino facinori Josephi narrat Alegambe in Bibliot. factum Joannis Riberæ. Natus in Americana Novo-Hispania, & educatus; ante initam Societatem à nobilissima simul, ac speciosissima fœmina, sæpius de stupro interpellatus fuit: sed frustra. Aliquando sine arbitris deprehensus, cùm vehementius sollicitaretur, traheretúrque per vestem, earum partem divulsam impudicæ reliquit in manibus, profugus, ne prodigeret castitatem.

XI. Fortitudo Catharinæ, & virginitatis, in qua sita?

Sed quia discrimina omnia evadere fugiendo virginitas non potest: idcirco alas aquilinas Apoc. c. 12. ad fugam assumat, & sapientiæ fortitudinem adjungat necesse est. Junxit Catharina, superatis flagris, spretis equuleis, proculcatis rotarum ferrearum aculeis, carnificis ense mortisque terrore contempto: &, quod caput est, carnis sanguinisque incentivis, familiaribus hostibus, superatis. Virginitatem Chrysostomus homiliâ de Thecla eleganter nominavit μέγα δὲ πρὸ μαρτυρίου μαρτύριον, *Magnum aliquod Martyrium ante ipsum martyrium.* Hieronymus epist. 27. non unum ait esse genus martyrii, nec coronam unicam: *Illa corona de rosis, & violis texitur; ista de liliis. Habet*, inquit Augustinus, *& pax, nostra martyres suos*: habet & sua bellatorum agmina totis viribus adversùm semetipsos, quod difficillimum prælii genus est, pugnantium. De intestinis bellis, eorúmque assiduitate & difficultate, diximus ad l. 1. c. 3. Excur. 1. sect. 1. Pleraque illorum ad hanc cum carne pugnam pertinent, quâ nihil nobis amicius; nihil, si sibi relinquatur, insolentius; nihil, si dominetur, exitiosius. Non vides, quantiâ adversùs domesticum istum hostem animis opus sit, Benedicto in vepribus, Francisco in nivibus, Bernardo in glacie? Hunc imitatus B. Petrus de Alcantara Franciscanus, cùm per hyemem æstu libidinis urgeretur, in aquam glacie rigentem desilit, inde non egressus, nisi victor sui. Quando tantis viris tam fortiter pugnandum fuit, ecquænam sine insigni fortitudine tuta erit virginitas?

XII. Fugæ occasionum jungenda est fortitudo, quia non effugiuntur omnes occasiones.

Basilius lib. de vera virginit. ait ἄφατόν τινα οἶστρον *œstrum ineffabile*, datum à natura mari ac fœminæ, ad mutuos affectus. Mulierem masculo esse voluptatis molle irritamentum, μάλαγμα ἡδονῆς τῷ ἄῤῥενι φύσει: idcirco datam à Deo mulieribus delicatam temperiem, ipsiusque vocis teneritudinem, quâ virum μαγγανείαις, fascinat, & velut magnes occultâ vi pertrahit. Quare virginea ornamentis, conversatione, affabulatione, abstinere debere. Idem multis hortatur Tertullianus lib. 1. ad uxor. Pauca excerpo. *Oro te sive mater, sive soror, sive filia virgo: secundùm annorum nomina dixerim, vela caput. Si mater, propter filios: si soror, propter fratres: si filia, propter patres. Omnes in te ætates periclitantur. Indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos ...; Nupsisti Christo: illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam: incede secundùm sponsi tui voluntatem.*

voluntatem. Christus est, qui & alienas sponsas, & maritatas velari jubet: utique multo magis suas. Fecerit virgo fœmina, quod Basilius & Tertullianus commendat; fecerit vir castus, quod ratio suadet, ut pericula vitet, ut occasiones fugiat: quia tamen sese quolibet circumfert, necesse est ut ubilibet fortis sit, ne pugnet in incertum, sed castigèt corpus suum, & in servitutem redigat.

XIII. Natales libidinis à diabolo.

Placétne virginitati libidinem opponere, ut illius præstantia istius opposit͡u spectabiliùs emineat? Natales libidinis scrutare in cineribus orbium, mari mortuo sepultarum. Vis antiquiorem nobilitatem? Vide Noëmico diluvio fluitantia cadavera, quorum uni insidet corvus, quia caro sunt. Cupis illustrius genus? Cerne serpentem ad ramos arboris prohibitæ belluam: persuasit hæc inobedientiam homini, & non inobedientia punita est pudendâ rebellione libidinis: ita censuit Augustinus lib. de nupt. & conc. cap. 9. *Illa est pœna peccati, illa plaga vestigiumq; peccati... hujus nos pudet, & meritò pudet.* Originem luxuriæ designent quidam in deside otio: alii in oculorum auriúmve curiositate: nonnulli in saturitate panis, & vini intemperantia: aliqui in pestifera impudicorum conversatione. Obstetricantur isthæc nascituræ libidini, cujus primum genus est serpens.

XIV. Sponsalia ejus cum diabolo.

Amator utique idem partûs sui, procurator, & sponsus. Superbissima intelligentia postquam vilem libidinem hominibus persuasit, ad istam etiam sese projecit. Non commemoro incubos, & succubos, monstráque alia magicorum orgiorum; ubi, mirando Dei judicio, materiæ expers spiritus, in belluinis sordibus & obscæno serpentis luto se volutat. Quotidiana ista tantùm attendo illius machinamenta, quandò Angelos satanæ sanctissimos quosque conatur impuris imaginibus colaphizare: &, si quem fortè incautiorem vel minimæ eo in genere culpæ maculâ conspersit, quomodò Andreæ Fezulano Episcopo factum, velut de præcipuo facinore sibi gloriatur. Gregorius lib. 33. Mor. cap. 3. divinam istam de Behemoth sententiam, *In umbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus*, diabolo applicat, otii umbram amanti; tentationibus suis, ac suggestionibus, secretum quærenti, ne proditæ evanescant; sectanti *loca humentia, quæ sunt opera voluptuosa. Nonnulli verò*, inquit, *loca humentia, membra genitalia suspicantur. Quod si ita est, quid apertè aliud locis humentibus, nisi luxuria, designatur?*

Amica Behemoth, filia diaboli ac sponsa, &, insanæ voluptatulæ gustu, æternam cum illo mortem emptura. Omisso libidinosorum dementiam, plurima hujus vitæ mala falsis gaudiis accersentium. Qualia expertus Augustinus, de seipso fatebatur lib. 3. Conf. c. 1. *Rui in amorem, quo cupiebam capi.... Colligabar latus ærumnosis nexibus, ut cæderer virgis ferreis ardentibus zeli, & suspicionum, & timorum, & irarum, atque rixarum.* Sed quid isthæc mala sunt, ad æternorum suppliciorum incogitabilem pœnam? Dementem pronunties, qui cum Jonatha 1. Reg. 14. gustârit paullulum mellis, morte saporem luiturus. Qui, libidinis momentaneâ satietate, induat sese in dolores inextricabiles mortis secundæ, ubi sit ad satietatem visionis omni carni: meritò de seseipse pronuntiet, *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum.* Quàm vulgaris tamen illa est, & quàm latè susa insania, ubi, ex sententia Augustini lib. de 10. chordis c. 9. *jacet penè totum genus humanum?*

XV. Ejus insania emenda voluptate maximis malis.

Nec fortior, quàm sapientior libido est. Nihil enim est, quod ea arce magis dejiciat animum, quàm voluptatum servitus. Ab istiusmodi hominibus, si, ut resipiscant, hortere, nihil audies, quàm istud vilissimum; Non possum. Scribebat Tiberius de Capreis, ubi in balneis natabat, & in voluptatibus, *Perire me quotidie sentio*: nec tamen virium satis habebat, ut sibi imperaret ne perire vellet. Miramur enervem animum in impio Ethnico: magis doleamus in homine Christiano. Potentissimo Dei auxilio opus est, ut à pernicie revocetur, in peccato sistatur, in libertatem filiorum Dei asseratur libidinosus. Utinam illi contingat, quod Carolo VIII. Galliæ Regi. Oppidum Tuscanellam vi ceperat, grassantibusque militibus suis puellulam honesto loco natam, egregiâ formâ, pudicitiæ tuendæ causâ ad se confugientem, in conclave receperat. Secretum, juventus, forma, Regia licentia, persuasêre, ut illi depositum suum tentaret eripere. At illa, conversis ad Virginis, quæ fortè illic pendebat, imaginem oculis: Per sanctissimam, inquit, Dei matrem rogo te, Rex, ut intactam me reddas cui desponsa sum. Audiit hic, adspexit imaginem, Dei singulari beneficio libidinem vicit, sponsum captivum virgini liberum reddidit, virginem sponso, doti addidit aureos quingentos, consanguineos illius omnes vinculis gratis exsolvit. Ita narrat Duplexius.

XVI. Luxuriosorum ad resipiscendum imbecillitas.

CAPUT

CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

ARGUMENTUM.

Nicanor, cognito Iudam in Samariæ regione verſari, eum ſabbato opprimere ſtatuit; Iudæiſq́, qui ipſum inviti ſequebantur, rogantibus, ut ſacro diei aliquid reverentiæ tribueret, cum ſummo religionis contemptu reſpondet, juſſa ſua ſequenda eſſe. Irritus tamen fuit ejus conatus, ſabbato pugnandi. Iudas interim, certâ ſpe plenus divini præſidii, ad eamdem fiduciam ſuos animat, tùm præteritorum memoriâ; tum commemoratione viſi ſibi per ſomnium Oniæ Pontificis, pro Iudaïco populo Deum orantis; & Ieremiæ Prophetæ, non orantis modò, ſed gladium etiam aureum ipſi porrigentis, ad cædendos Iudæorum hoſtes. Erectis omnium animis, venitur in hoſtium conſpectum. Iudas illorum aciem, numero & apparatu terribilem, contemplatus, Deum obſecrat, ut Angelum ſibi ſubmittat, quemadmodum olim Ezechiæ. Concurritur die menſis Adar decimâ-tertiâ, cum tanta Syrorum clade, ut minimùm ad triginta quinque millia perierint. Cæſus Nicanor ipſe, cujus caput & brachium præcidi Iudas juſſit, & Hieroſolymam deferri, quò triumphabundi, Deóque gratias acturi, victores redibant. Poſtquam ſacerdotibus, civibuſq́, & ipſis arcis præſidiariis, ſacrilegi Nicanoris membra oſtentata fuêre: lingua primùm præſecta, minutatimq́ conſciſſa, carnivoris avibus objecta eſt: dein caput, manuſq́, ſuſpenſa; illud exadverſum arci, hæc Templo, contra quod cum impiis comminationibus extenſa fuerat. Communi conſilio feſtus tantæ victoriæ dies anniverſarius edicitur. Ex eo tempore civitas Hieroſolymitana fuit in poteſtate Iudæorum: librîq́ hujus ſcriptor, in illius gaudii narratione, finem hiſtoriæ ſuæ benè ominatum facit.

TEXTUS SCRIPTURÆ.

℣.1. NICANOR autem, ut comperit Iudam eſſe in locis Samariæ, cogitavit cum omni impetu die ſabbati committere bellum. 2. Iudæis verò, qui illum per neceſſitatem ſequebantur dicentibus: Ne ita ferociter & barbarè feceris, ſed honorem tribue diei ſanctificationis, & honora eum, qui univerſa conſpicit: 3. ille infelix interrogavit, ſi eſt potens in cælo, qui imperavit agi diem ſabbatorum. 4. Et reſpondentibus illis: Eſt Dominus vivus ipſe in cælo potens, qui juſſit agi

ſeptimam

septimam diem. 5. At ille ait: Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia Regis impleri. Tamen non obtinuit, ut consilium perficeret. 6. Et Nicanor quidem cum summa superbia erectus, cogitaverat commune trophæum statuere de Iuda. 7. Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi à Deo affuturum. 8. Et hortabatur suos, ne formidarent ad adventum nationum, sed in mente haberent adjutoria sibi facta de cælo, & nunc sperarent ab Omnipotente sibi affuturam victoriam. 9. Et allocutus eos de lege & Prophetis, admonens etiam certamina quæ fecerant priùs, promptiores constituit eos: 10. & ita animis eorum erectis, simul ostendebat Gentium fallaciam, & juramentorum prævaricationem. 11. Singulos autem illorum armavit, non clypei & hastæ munitione, sed sermonibus optimis, & exhortationibus, exposito digno fide somnio, per quod universos lætificavit. 12. Erat autem hujuscemodi visus: Oniam, qui fuerat summus Sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum: 13. Post hoc apparuisse & alium virum ætate, & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum: 14. Respondentem verò Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, & populi Israël: hic est, qui multùm orat pro populo, & universa sancta Civitate, Ieremias propheta Dei. 15. Extendisse autem Ieremiam dextram, & dedisse Iudæ gladium aureum, dicentem: 16. Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israël. 17. Exhortati itaque Iudæ sermonibus bonis valdè, de quibus extolli posset impetus, & animi juvenum confortari, statuerunt dimicare & confligere fortiter, ut virtus de negotiis judicaret; eò quòd Civitas sancta & Templum periclitarentur. 18. Erat enim pro uxoribus, & filiis, itemque pro fratribus, & cognatis, minor solicitudo: maximus verò & primus pro sanctitate timor erat templi. 19. Sed & eos qui in civitate erant, non minima solicitudo habebat pro his qui congressuri erant. 20. Et, cùm jam omnes sperarent judicium futurum, hostésque adessent, atque exercitus esset ordinatus, bestiæ equitésque opportuno in loco compositi, 21. considerans Machabæus adventum multitudinis, & apparatum varium armorum, & ferocitatem bestiarum, extendens manus in cælum, prodigia facientem Dominum invocavit, qui non secundùm armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. 22. Dixit autem invocans hoc modo: Tu Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia Rege Iuda, & interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia: 23. & nunc dominator cælorum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timore & tremore magnitudinis brachii tui, 24. ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversùs sanctum populum tuum. Et hic quidem ita peroravit. 25. Nicanor autem, & qui cum ipso erant, cum tubis & canticis admovebant. 26. Iudas verò, & qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt: 27. manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minùs triginta-quinque millia, præsentiâ Dei magnificè delectati. 28. Cúmque cessâssent, & cum gaudio redirent, cognoverunt Nicanorem ruisse cum armis suis. 29. Facto itaque clamore, & perturbatione excitatâ, patriâ voce omnipotentem Dominum benedicebant. 30. Præcepit autem Iudas, qui per omnia corpore & animo mori pro civibus paratus erat, caput Nicanoris, & manum cum humero abscissam, Ierosolymam perferri. 31. Quò cùm pervenisset, convocatis contribulibus, & sacerdotibus ad altare, accersiit & eos qui in arce erant. 32. Et ostenso capite Nicanoris, & manu nefaria, quam exten-

dens contra domum sanctam omnipotentis Dei, magnificè gloriatus est. 33. Linguam etiam impii Nicanoris præcisam jussit particulatim avibus dari: manum autem dementis contra Templum suspendi. 34. Omnes igitur cæli benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus, qui locum suum incontaminatum servavit. 35. Suspendit autem Nicanoris caput in summa arce, ut evidens esset & manifestum signum auxilii Dei. 36. Itaque omnes communi consilio decreverunt nullo modo diem istum absque celebritate præterire: 37. habere autem celebritatem tertia-decimâ die mensis Adar, quod dicitur voce Syriacâ, pridie Mardochæi diei. 38. Igitur his erga Nicanorem gestis, & ex illis temporibus ab Hebræis civitate possessâ, ego quoque in his faciam finem sermonis. 39. Et si quidem benè, & ut historiæ competit, hoc & ipse velim: sin autem minùs dignè, concedendum est mihi. 40. Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est; alternis autem uti, delectabile: ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus. Hic ergo erit consummatus.

COMMENT. AD CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

Nicanor statuit Judam sabbato aggredi.

℣. 1. NICANOR AUTEM, UT COMPERIT JUDAM, victorem, ESSE IN LOCIS SAMARIÆ, seu Samaritide regione, cupidus sarciendæ cladis, COGITAVIT CUM OMNI IMPETU DIE SABBATI COMMITTERE BELLUM: quia licèt à Mathathia Judæi didicissent, iis diebus pugnam licere, non tamen facilè pugnabant, nisi adacti: adeóque sperabat Nicanor, minùs paratos inventum iri. Adde, ex sequentibus videri, eum diem elegisse de industria ad pugnam, in Judaicæ legis contemptum. Gorionides, apud Serarium & Salianum, fingit, Judam, Raziæ morte auditâ commotum, misisse, qui Nicanorem ad singulare certamen provocaret: egrederetur tamdem Hierosolymâ in agrum, fore ut vir, quem in abditis quæsisset, ipsi ostenderetur. Sed istam de singulari certamine fabulam explosimus l. 1. c. 7. ad v. 43.

Dissuadent Judæi sub ipso militantes.

℣. 2. JUDÆIS VERO, QUI ILLUM PER NECESSITATEM SEQUEBANTUR, vi metúve adacti, DICENTIBUS, NE ITA FEROCITER ET BARBARE FECERIS: Græcè ἀπολέσῃς, quod Salianus vertit *savieris*, reddi æquè commodè potest *perdideris*, Judam scilicet & suos, die sabbati; *sed honorem tribue diei sanctificationis*, id est sanctificato, destinato religionis operibus, *& honora eum, qui universa conspicit*, ejusque diei cultum sanxit. Græcè est, *honorem tribue diei præhonorata cum sanctificatione, ab eo, qui universa conspicit.*

An illi militantes sub Nicanore peccárint?

Quæri potest, an qui ex Judæis necessitate adacti, sub Nicanore militabant, graviter peccarent? Salianus ait, sine dubio peccâsse; impia enim arma sumpsisse contra Judam, in religionis interitum: etsi fortasse in ipso prælio ad Judam deficere statuerant. Ita Salianus. Sed, pace ipsius; si ad Judam transire statuerant, impia arma non sumpserant, nec religioni libertative Judaïcæ detrimentum ullum inferre cogitabant. Quod autem Nicanorem interim comitabantur, necessaria erat simulatio, ex metu majoris mali. Sed neque ex mali exempli, seu scandali periculo, peccâsse dicendi sunt: neque enim cavere debebant in eo necessitatis articulo, ne infirmior aliquis, justam ipsorū simulationē sinistrè interpretatus, peccaret.

An potuerint habere Alcimum pro Pontifice?

Addo, isto tempore, in Asiatici regni mutatione repentina, & in rerum Judaicarum perturbatione assidua, Pontificumque ac Pseudo-Pontificum aliorum ex aliis mirâ vicissitudine, potuisse de Judæorum populo multos, alioqui probos, ac religiosos, ignorare quis legitimus esset Pontifex. Visi paucis annis Onias, Mathathias, Judas, Jason, Lysimachus, Menelaüs, Alcimus; summam illam dignitatem illi obtinere, hi usurpare. Quàm multis tunc contigisse putamus, ut nescirent, & scire nequirent, uter rivalium jure Pontifex esset? Quemadmodum perturbatis in Ecclesia sæculis evênit, ut non nisi difficulter, & serò, internosci possent Papa legitimus & Pseudo-Papa.

Non peccârunt, ut neque Assidæi, conveniendo cum Alcimo.

Quomodò itaque, ubi Papas duos eligi contigit, nec constare de alterius jure potuit, populus eum absque culpa secutus est, quem necessitas dederat, aut majores pro legitimo obtulerant: ita modò quibusdam licuit in synagoga Judaïca, cùm duo sese Pontifices offerrent, Machabæus & Alcimus, de Aaronica uterque stirpe, hic à Rege Demetrio nuper designatus, ille antè à parte populi in libertatem assurgentis electus. Eam, opinor, ob caussam Assidæi, quorum tamen præpositus erat Machabæus, Alcimum; cum potestatis Pontificiæ titulo ex Syria advenientem, convenerunt, ut constat ex l. 1. c. 7. v. 12. & 13. Si autem Assidæis istis ad culpam imputatum non est, quod cùm Alcimo convenire voluerint, utique contra Judam: certè Judæis, cum Nicanore, ad Pontificatum Alcimi firmandum misso, militantibus, crimini tribuendum non erit. Assidæis autem id in Scriptura vitio non verti, patet ex ejusdem capitis v. 17. ubi ipsis applicatur istud psalmistæ, *Carnes Sanctorum*, &c. Itaque ad eum locum nobis ne in mentem quidem vênit quærere, an Assidæi isto facto peccârint?

Unde copiæ Machabæi imminutæ in hoc prælio?

Cæterùm ex eo, quòd Judæorum non pauci Nicanorem sequerentur coacti, plures Alcimum pro Pontifice vel agnoscerent, vel non rejiciendum putarent; habes, unde respondeas quæstioni, & admirationi, de numero copiarum Machabæi in hoc cum Nicanore prælio. Constat enim ex l. 1. c. 7. v. 40. habuisse solummodò millia tria: totidem habuit ejusdem libri c. 9. v. 5. in supremo

contra

contra Bacchidem certamine. Antè tamen plura longè numerârat: ut libri prioris scriptor manifestè tradit c. 5. v. 20. &c. Hagiographus item noster variis locis. Unde ergo tanta repentè imminutio? Non aliunde certè, quàm quòd Alcimi factio populum distraxisset, & piorum etiam multos Aaronicæ stirpis splendore; & Pontificiæ dignitatis nomine, fefellisset. Eam quæstionem libri prioris capite 7. præterimus, uti & alias quasdam, ad hanc Nicanoris expeditionem pertinentes quæstiones, ac notas circumstantiarum, quas nunc reddemus.

Nicanoris tolerandâ superbiâ adversùs Deum exgitur.

℣. 3. 4. Ille infælix, Græcè ὑπεραλιτήριος, *trisceleratus*, Nicanor *interrogavit*, Judæos qui, rogârant ut Sabbati diem revereretur: *si est potens in cælo qui imperâvit agi*, & festum servari, *diem Sabbatorum*? Judæis ad sacrilegam interrogationem *respondentibus*; *Est Dominus vivus, ipse in cælo potens, qui jussit agi septimam diem*: ille trisceleratus intolerabili fastu ausus est dicere; *Et ego potens sum super terram qui impero sumi arma, & negotia Regis impleri*. Quasi dicat, Deus vester in cælo potens, in cælo imperet? ego in terra potens, in terra impero. Jubeat ille Sabbata quietè agi: ego contrà jubeo. Vides insani hominis vertiginem, se Deo æquiparantis, eúmque sus sibi habere volentis. *Tamen non obtinuit, ut consilium*, additur Græcè σχέτλιον, *nefandum perficeret*, id est, die Sabbati pugnare non potuit.

Cur nefarium consilium dicatur, de pugnando sabbato?

Nefandum autem vocatur istud Sabbato pugnandi consilium, non quia nefas erat vel defendere, vel aggredi: sed quia Nicanor illum, in Dei legisque apertam contemptum, statuebat, saltem nunc post sacrilegas istas voces prolatas. Adverto, in hisce libris tres potissimùm Judaicas leges ab hostibus fuisse ludibrio habitas, & omni conatu abolitas: primam, de masculis circumcidendis: alteram, de carne porcina non edenda: tertiam, de Sabbato religiosè observando. Iis enim maximè legibus, post unius Dei cultum, à reliquarum gentium multitudine secernebantur. Hodiéque illas reliqua nobilissimæ nationis fæx, tametsi que majoribus indigna posteritas, post translatum ad Christi Ecclesiam verum Dei cultum, mordicus servat; donec lux cælestis illuminet sedentes in tenebris, & umbra mortis.

Nicanoris confidentia adversùs Judam quæ, & unde?

℣. 6. Et Nicanor quidem cum summa superbia erectus, eámque Nabuchodonosoris, Pharaonis, & Antiochi instar, verborum impiorum jactatione testatus, *cogitaverat commune trophæum statuere de Juda*; in Sixtinis Græcis, & aliis quibusdam, additur, *& iis, qui cum ipso erant*: quod additamentum valdè aptum est, ut commune trophæum de pluribus, imò de omnibus, statuatur. At, inquis, unde tanti repentè Nicanori animi, nuper victo ad Capharsalamam, & antè sæpiùs, cùm Patroclidem fuisse opinemur? Ex eo tempore copias undequaque ad decretorium certamen collegerat, & accesserat ipsi exercitus Syriæ, ut disertè dicitur v. 39. Habebat sub signis non pauciores milites triginta quinque millibus, infra v. 27. De illis Judas statuit *commune trophæum*, quia nullus evasit, l. 1. c. 7. v. 46. Vide etiam dicta ad ejusdem capitis versum 39. de Josephi oscitantia in numerandis hisce Nicanoris copiis.

Judæ ad suos exhortatio.

℣. 7. usque ad 12. Dum Nicanor superbit, & insanit: Machabæus, spe in Deum fultus, erigit suos, ab experientia primùm ausilii divini, tum à promissis divinis per legem, & oracula prophetarum propositis; deinde ab infidelitate hostium, quamvis juratorum; denique à viso divinitus sibi per somnium objecto. Sancti & invicti Herois verba militem non animavêre solùm, sed armavêre: *clypeis*, instar ad defensionem fuêre, *hasta* ad impugnationem. Plana est verborum Scripturæ sententia. In Græcis Sixtinis ad finem versûs 8. habetur, νίκην καὶ βοήθειαν, uti & in Vulgata. Versu 10. in fine Græca habent ἀθεσίας, id est *destitutionem* seu abolitionem perfidam pactorum, quam interpres noster vertit *prævaricationem*.

Ejus somnium seu visum.

Quod versu 11. dicitur, *dignum fide somnium*, Græcè est ὄνειρον ἀξιόπιστον. Mox versu 12. dicitur ὕπαρ, in Sixtinis aliísque correctis exemplaribus; non autem ὕπνος, ut Regia Biblia perperàm habent. Vox autem illa, ὕπαρ, significat *visum* certum, & clarum; unde Homerus Odysseæ libro 5. distinguit ὄναρ, id est somnium, ab ὕπαρ, id est visum, οὐκ ὄναρ ἀλλ' ὕπαρ ἐσθλόν, *non somnium sed visum fortunatum*. Ideóque interpres noster vers. 12. aptissimè reddidit, *Erat autem hujuscemodi visus*: ut intelligamus, somnium Judæ non qualecumque fuisse, sed clarum, certum, ac divinum. Quâ occasione diverticulum aliquod de somniis ingrediemur.

Somniorum genera quinque.

Somniorum genera quinque statuit Auctor libri de spiritu & anima, inter opera Augustini. Primum est, *Oraculum*: cùm Deus vel aliqua persona sancta, aut gravis, in somnis apparens, denuntiat apertè futurum aliquid, aut contrà; faciendum, aut contrà. Alterum est, *Visio*: cùm id, quod quis in somnis videt, evenit, eo, quo apparuerat modo. Tertium est, *Somnium*: cùm res manifestè in somnis non ostenditur, sed figuris & imaginibus tecta, atque adeò sine interpretatione non potest intelligi. Quartum est, *Insomnium*: quando id quod vigilantem fatigaverat, dormienti se ingerit. Quintum est, *Phantasma*: cùm quis vix obdormiscere cœpit, & mox videtur sibi vagantes formas, & inania rerum videre.

Divisio illa imperfecta est.

Ea distinctio, etsi utilis esse potest, habétque aliquod tum in Scripturis, tum in experientia quotidiana, fundamentum: plena tamen, & perfecta non est, magnámque vanis somniorum observatoribus, & oniromantis, fallendi occasionem præbet. Esto tamen Oraculum, quando Deus, Angelúsve, aut homo gravis somnianti quidpiam vel edicit, vel prædicit: at unde id scies, vel à Deo esse, vel à dæmone, vel à natura? Potuit enim ipsa sibi gravem quempiam virum vis imaginativa finxisse adstantem, & alloquentem. Potuit dæmon transfigurâsse sese in Angelum lucis apud dormientem, qui etiam id audet apud vigilantes. Potuit Deus vel per se, vel per bonum genium, movisse sopitæ mentis imagines, aut novas illi ingenerâsse. Idem de viso, & de somnio dixerimus.

Somnia Divina.

Itaque longè commodiùs, ac certiùs, somnia in triplex genus partiemur, Divina, Diabolica, Naturalia. Deum enim in somnis vel eventura, vel facienda, vel abstinenda docuisse, ex Scripturis manifestè constat: & ex iisdem indubitatum est, nunc apertis denuntiationibus per Angelorum hominúmve formas usum, nunc claris rerum imaginibus, nunc tectis involutisque figuris.

Diabolica.

Diabolica item somnia nonnulla esse tam certum est, quàm oniromantas esse, & insanos observatores somniorum. De quibus dæmonum præstigiis idem dicendum est, quod de divinatione optimè scripsit Augustinus, insigni de illa libellulo:

libellulo: divinare ipsos, primùm, quæ facturi sunt; deinde, quæ ex necessariis caussis eventura cognoscunt; præterea cogitationes hominum, ex corporis motibus apparentes; denique, quod à Deo præsignificatum intellexêre: falli autem posse, si Deus impediat eorum actionem, si caussarum naturalium cursum commutet, si hominum animi corporeis motibus imperent, si oracula divina vel non pateant vel conditionem patiantur.

Naturalia. Naturalia somnia sunt, quæ naturæ dispositionem sequuntur. Sic quæ interdiu egimus, quibus vehementer afficimur, quæ curamus in somnis solent recurrere: quia illorum agitatione vis imaginativa impressa, & prægnans est. Sic ex corporis temperie nunc tristia, nunc læta somniamus; nunc igneas ac leves formas, nunc aqueas atque onerosas fingimus; quia eadem vis imaginativa pendet à corpore, & imaginum suarum materiam, ac formam, ex temperamenti, vel sanitatis, qualitate desumit; ab atra bile, voragines; à pituita, paludes; à sanguine, convivia; à flava bile, incendia; à sagina, lapsus; ab exilitate, volatus.

Vitanda reflexio ad somnia naturalia: Unde autem dispici possit à quo somnia ingesta sint, à Deo, à dæmone, an à natura? Hoc imprimis statuendum: attendenda somnia non esse, & detergendas de memoria, statim atque evigilaveris, omnes illorum imagines; tantum abest, ut recordari coneris, si fortè de mente effluxerint. Nam vel naturalia sunt, vel diabolica, vel divina. Si naturalia sunt, cui bono conteris eorum reminisci? An ut tempus inutiliter teras, & mentem somno solutam primis maniarum cogitationibus imbuas; multò melius oratione ad Deum, & diei totius sacris primitiis, initiandam? An ut curarum tuarum & negotiorum arcana, successúsque inspicias; quasi adista intuenda somnianti tibi, quàm vigilanti, mens expeditior esse soleat? An ut de temperiei tuæ, & sanguinis sanitative qualitate divines: quasi aliunde tibi multò notior esse non poteris; tamquam, ex passionum motibus, ex actionis modo, ex valetudinis recto obliquóve cursu?

Multò magis ad diabolica. Naturalium itaque somniorum recordatio inutilis erit, atque adeò noxia: diabolicorum autem longè periculosissima. Nihil enim de se mali genii, quàm malum, agendo intuentur: etsi bonum interdum spectare videri volunt. Præterea, tum ipsi non rarò in divinationibus, quamvis acutis, ut modò diceabamus, falluntur; tum frequentissimè fallunt, ex insolita consuetudine mentiendi, hominésque erroribus implicandi: ut non impium modò sit hostes Dei, sed etiam insanum, hominum hostes ab hominibus, quacumque tamdem ratione, consuli. A capitali inimico responsum nullum exspectandum est, nisi vel falsitate decepturum, vel nociturum veritate. Experti fuêre, quicumque oniromantias egêre, aut consuluêre, sive apertis seu tectis interpretandisque imaginibus illusi: nam vel rerum quarumdam veritate, ad vitia pertracti sunt; vel aliquarum falsitate sese circumventos, utinam non serò, doluerunt. Sic illi accidit, cui longam vitam somnia sua spoponderant, brevem tamen Deus præscripserat: ut perhibet D. Gregorius lib. 4. dial. disputans de inanì istorum observatione cap. 48. & 49.

Ne ad ipsa quidem divina studio- At, inquis, si somniorum omnium reminiscentiam exclusero, etiam divina obliviscar, quibus fortè me Deus salutaria corpori, animóve, monitum voluerit. Hoc tibi primùm respondero, sancte somniator, nimis bonam tibi de temetipso existimationem esse, quòd eum te censeas, cui Deus extra ordinem arcana sua patefaciat. Id enim solis ferè integerrimis viris, & vaticinandi prærogativâ divinitus donatis, concessum est. Si cui alteri contigit, tamquam Nabuchodonosori, Pharaoni, pincernæ Pharaonico, aliisve: id à Deo ad servorum, Sanctorúmque suorum utilitatem referebatur.

sè attendendum.

Hærebunt enim etiam invitis. Sed demus, te vel tam Deo earum esse, vel Deo caritatem utilem, ut somnia divina merearis, sicut Psontomphanech & revelator arcanorum Josephus. Non idcirco tamen somniorum recordatio in mentem tibi studiosè revocanda est. Nam si divina sunt, ita memoriæ hærebunt, ut ne conatu quidem eradi queant: aut, quod Nabuchodonosori factum, istud saltem menti manebit infixum, magnæ rei nuntia fuisse, quæ somniâris. Hoc primum erit divinorum somniorum indicium. Quia tamen illud diabolicis commune esse potest, imò & naturalibus, solétque dæmon phantasmata sua hominum animis altè infigere; & homines non pauci à natura sunt imaginum adeò tenaces, ut eas difficillimè deleant: idcirco alia præterea indiciis opus est, ut divina somnia internoscantur.

Certa illorum internoscendorum signa. Non solum itaque evigilantium, quamvis invitorum, aut advertere nolentium, menti recurrent: sed etiam illam pio aliquo motu vel timoris divini, vel spei, vel alterius virtutis afficiet. Deinde utile aliquid, & salutare spectabunt. Præterea, etsi initio forsan inquietudinis aliquid ex obscuritate sua, & suspenso rerum eventu, creârint: animo tamen postmodùm gratam tranquillitatem, ac quietem placidam, reddent. Denique, seu involutis figuris, sive apertis demonstrationibus, aliquid denuntiârint, eventorum veritati consentient. Sic Spiritus caritatis, & veritatis, in mentibus hominum operari solet, tum per se, tum per administratorios spiritus, aut per animas Sanctorum: bonus à bono incipit, per bonum tendit ad bonum. Somniorum divinorum materia bona est, modo bono exhibetur, in bonum finem desinit.

Judæ somnium divinum fuit. Tale fuit, quod hic ab Hagiographo narratur. Bonorum virorum, Pontificis unius, alterius prophetæ, species offertur bono viro, pro salute Fidelis populi pugnaturo. De orando Deo, de fiducia in illo collocanda, de ipsius cultu defendendo agitur. Consequitur ad illius visi ostensionem alacritas ducis, ad narrationem exigitur fiducia militis. Respondet successus, deletis Syrorum copiis, Nicanore interempto. Dignum ergo fide fuit, ac protrùs divinum Machabæi somnium.

Somnium matris Pii II. quale fuerit. Æneæ Sylvii mater, postmodùm Pii II. Pontificis, visa sibi per quietem fuit, infantem mythratum parere. Inde ipsi orta suspicio, fore, ut filius quem paritura erat, aliquando suspenderetur, aut capitali alio supplicio afficeretur: quòd solerent reis, capite damnatis, mythræ papyraceæ imponi. Neque antè potuit eam suspicionem deponere, quàm filium intellexit designatum Episcopum Tergestinum. Ita refert Spondanus anno 1458. Divinúmne istum somnium fuisse dixerimus? Non autumo. Neque enim eam menti tranquillitatem reliquit, aut dedit, quam divina solent. Diabolicum etiam fuisse non arbitror; nisi superstitiosa & observatrix somniorum illa mulier fuit, cui propterea dæmon ausus sit illudere.

illudere. Naturale fuisse potuit, & eventui respondisse, quemadmodùm in fortuitis divinationibus solet: quales narrat Augustinus lib. 12. Gen. ad lit. cap. 22. de peregrinantibus juvenibus, qui licet nescirent vel duodecim signa esse, Mathematicos sese fingebant, hospitique interroganti respondêre vera multa, & novissimè filium, quem absentem desiderabat, eo ipso die sanum affore.

Examinatur alia duo.

Narrat idem lib. de cura pro mortuis cap. 11. cùm Mediolani ageret, injustum quemdam actorem repetiisse debitum aliquod à cive, cujus parens obierat, prolatâ demortui cautione, ad debitum probationem. Cùm autem iste miraretur, debitum sibi à patre non fuisse indicatum: patrem nocte insequenti in somnis ipsi apparuisse, & indicâsse, ubi esset recautio: quâ repertâ, propulsatam calumniam debiti, receptúmque à filio paternum chirographum, quod recipere parens neglexerat. Non longè ab eo tempore, Eulogium discipulum suum, Carthaginensem Rhetorem, laborâsse in loco quodam Rhetoricorum Ciceronis explanando, quem tamen auditoribus postridie edisserere debebat: eâ nocte sese ipsi in somnis visum, Mediolani tunc agentem, & quidquid difficultatis erat, enodâsse. Naturalia isthæc somnia duo fuisse non arbitror: neque enim ingenium humanum plùs ad pervidenda rerum arcana dormiendo, quàm vigilando, pollet. Diabolica fuisse potuerunt: quia dæmonem non latebat injusti creditoris recautio, nec Ciceroniani loci intelligentia fugiebat. Fuisse tamen diabolica non existimem; quia nihil usquam mali, neque in re, neque in fine apparet. Superest igitur ut divina fuerint: Deo injustè vexatum debitorem à calumnia per patris animam vindicante, aut ejus formâ per Angelum: & Eulogium per Augustini speciem docente, ut eò ipsi carior esset Augustinus, & tantò proclivius ipsius exempla sequeretur, brevi ad summa virtutis ituri.

Cur Hagiographus Oniam tantopere laudat?

℣. 12. Erat autem hujusmodi visus, seu visum. Deinde pingitur Oniæ, illius utique de quo cap. 3. suprà, oris vultus modò suavis, modestiæ & castæ verecundiæ index; sed facundia dulcis, dignitas summa, beneficentia amabilis, virtus constans à teneris usque annis ad devexam ætatem. Quò autem tam studiosa Oniæ laus, & commendatio spectat; nisi ad conciliandam Ægyptiorum Judæorum benevolentiam, & extinguendum schisma, quod Oniæ ædificatione, & Pontificis Hierosolymitano æmuli institutione, excitatum erat? Cùm enim Onias, vir tantus, Oniæ, per quem Ægyptiacum templum exstructum est, pater, non vivus modò Hierosolymitanam civitatem ac Templum amârit, & coluerit, sed etiam mortuus, & Judam legitimum Pontificem tanti fecerit: consequens est, amari etiam, & coli ab Ægyptiacis Judæis debere. Vide dicta suprà ad c. 3. v. 1.

Jeremiæ ætas, & species gloriosa.

℣. 13. Post hoc apparuisse et alium virum ætate, id est ætatis virilis specie, quali Jeremias fuit: sic explico, si interpungendum est post, *ætate*, ut aliquibus visum. Et verò communis Bibliorum interpunctio commodam sententiam vix patitur: quid enim istud erit, *apparuisse virum, ætate & gloriâ mirabilem*? Fuitne Jeremias ætate mirabilis, qui ne senectutem quidem attigit? Quod subditur. *& magni decoris habitudine circa illum.* Græcè est μεγαλοπρεπεστάτην ὑπεροχήν, *magnificentissimam excellentiam*, scilicet apparuisse eum Jeremia. Erat autem decor ille & splendor, non beatitudinis indicium, sed sanctimoniæ emeritæ, & gloriæ, quæ in cælo destinata erat ac debita. Jeremias enim in sinu Abrahæ positus, id est in Limbo patrum, de fælicitate quidem securus erat, sed nondum fælix. Meritò tamen ante fælicitatis possessionem mirabilis gloriâ, & magnificentiâ excellens apparet: quia tunc incommutabilis erat sanctitatis, & virtutis consummatæ.

Jeremias & Onias de limbo venêre ad Judam.

De Limbo Patrum scripsit Lensæus luculentè adversùs Acatholicos peculiarem tractatum. Idem argumentum omnes fermè explicavêre Controversiarum scriptores. Nos aliquid attigimus l. 1. c. 13. in Exc. sect. 1. num. 10. & 11. Addo nunc paucula, ex hujus loci observatione. Constat, Jeremiam, & Oniam, beatitudinis æternæ compotes non fuisse, quando Machabæo visi sunt: duobus quippe fermè sæculis ante Christum, cujus sanguine aperienda hominibus cælestis gloriæ janua servabatur. Constat itidem, eos in ergastulis reorum & tormentis non fuisse; aliòqui in eo gloriæ & decoris habitu non spectandi. Fuerunt ergo in medio aliquo loco, nec fælicitatis; neque infælicitatis: quem locum Christus sinum Abrahæ appellavit, ad indicandam quietem & exspectationem: Doctores Catholici Limbum vocavêre, quia, opinor, fælicitatis limbum & extremum limitem attingebat, aut quia ad limbum & oram inferorum erat, in corde terræ.

In eodem simul loco fuère Patres ante Christi mortem.

In eodem autem loco Oniam, & Jeremiam egisse, vel hinc colligitur; quòd Onias tam affirmatè dixerit, quasi rem sibi familiari consuetudine cognitam, à Jeremia multùm orari pro populo, & pro universa sancta Civitate. Jam si Onias, & Jeremias, eodem in loco egêre, consequens erit, & sanctos aliorum Patrum Manes, qui in purgatoriis ignibus non detinebantur, ibidem simul fuisse. Neque enim ratio ulla est, cur duo illi juncti fuerint, disjunctis cæteris: neque usquam convenientiùs Sanctorum animæ beatitudinem exspectare potuerunt, quàm in uno simul loco, votis pariter & sede conjunctæ: neque aliter exigebat suavis ordo Providentiæ divinæ, quæ similia similibus aggregare consuêvit.

An Onias à Juda interrogatus de Jeremia?

℣. 14. Respondentem verò Oniam dixisse. An ergo interrogatus fuit à Juda Onias, ut respondisse debuerit? Ita existimat Salianus; neque improbabiliter. Quamquam potuit Hagiographus, quamvis Græcè scribens, usurpâsse pervulgatissimam Scripturæ phrasim, quâ respondere dicuntur, etiam qui non interrogati loquuntur.

Cur Judas Oniam prius agnoverit, quàm Jeremiam?

Cæterùm Oniam Jeremias non demonstrat, sed contrà Onias Jeremiam: quia ille notior erat Judæ. Nam mortuus non ita pridem, & frequenter Hierosolymis in Pontificia dignitate, à consanguineis præsertim sacerdotibus, de propinquo spectatus, dulcem sui memoriam ac vivam imaginem reliquerat. Jeremiam verò à sæculis aliquot vitâ functum, Judas de vultu non nôrat: etsi forsan ejus effigiationes aliquas viderat, sed rudes & impolitas, pro regionis more. Magnorum enim virorum, in privatis domibus, effigies habere Judæis licitum fuit, ad memoriam non ad cultum: ut colligi solet, tum ex Evangelio, ubi Mosen & Eliam Apostoli in monte Thabor agnoscunt, tum ex aliis Scripturæ locis.

Quomodò agnitus à Juda Onias?

At, inquis, quæ oris lineamenta habere potuit anima Oniæ, à corpore sejuncta, ut a Machabæo agnosceretur? An ipsa sibi aerium corpus, vivo consimile, conformârat? Angelúsne aliquis

aliquis ipsi effigiârat membrorum aliquam similitudinem ex densatis vaporibus? An in ipsis Judæ oculis, & auribus, vel in mente somniantis, imaginem vultûs, & vocis sonum Angelus effinxerit? Quæstiunculas istas ab aliis duabus pendere video, quas, etsi à non paucis scriptoribus disceptatas, prætermittere hoc loco non possum. Dicam tamen solummodò quantum necesse est.

Animæ hominum functorum persæpius aliquando appareat.

Primùm quæritur: animæne à corpore separatæ aliquando appareant? Dubitandi rationem nullam video, nisi quia viri aliqui docti dubitârunt. Sed movere nos magnoperè auctoritas humana non dêbet, quando ratio contra est, imò ipsa divina auctoritas. Dicit hîc Scriptura, digno fide somnio visos esse Judæ Oniam & Jeremiam: non dicit, visas Oniæ & Jeremiæ imagines. Ergo, ut vis Scripturæ non fiat, dicendum est, ipsas virorum istorum Sanctorum animas apparuisse Machabæo dormitanti; ab ipsis menti illius ingestas imagines corporum, & verborum, sensusque interiores commotos; ipsorum *sermonibus bonis valdè* erectum ejus animum, quibus deinde commilitones suos animaret. Faciamus, aliud nihil esse in sacris Literis, quo probetur animas hominum mortuorum aliquando apparere; satis tamen id solum fuerit. Quid jam si Mosen & Eliam cum Christo ab Apostolis visos, & colloquentes adducamus? Etiámne hîc dicetur, imagines ipsorum apparuisse, non ipsosmet? Malè ergo scripserint Evangelistæ, visos Mosen, & Eliam: scripsisse debuerunt, ne in errorem mitteremur, visas eorum formas. Cur autem ipsimet visi non fuerint? An quia adesse non potuerunt, vi motoriâ destituti post mortem? Hoc præcipuum eorum est argumentum; qui animas numquam apparere arbitrantur: quo de argumento jam videbimus. Sed quamvis sese loco movere animæ nequirent, non poterant ab aliis spiritibus moveri? Non poterant divinitus saltem?

Eadem movere sese loco possunt facultate naturali.

Quæritur deinde: animabúsne à corpore sejunctis vis motria, quod motorium Tertullianus vocaret, explicatam habeat facultatem? Negant nonnulli, præsertim, qui mortuorum dumtaxat imagines à geniis efformatas apparere aiunt, non animas ipsas. Affirmant alii, quorum mihi opinio ita rationi ac fidei conveniens videtur, ut pro certa habeâm. Anima sejuncta à corpore intelligit: nam qui orat, ut Jeremias; qui loquitur, ut Onias, procuIdubio intelligit: si autem intelligit, & moveri potest. Nulla enim ratio adduci queat, cur vis intellectiva illi expedita sit & motiva impediatur. Nam quomodò hæc, quamdiu anima in corpore est, nervis aliisque partibus corporis, ad functiones suas, utitur: ita illa ad intelligendum imaginibus corporeis & spiritibus animalibus, indiget. Itaque quemadmodùm post animæ separationem à corpore, illa, sine imaginum illarum, ac spirituum adjumento, munus suum fungitur; ita hæc, sine nervorum adminiculo. Nec verò ratio ulla est animabus corpore exutis negandi, quod intelligentiis Angelicis negari non potest.

Sic Onias & Jeremias Machabæo apparuére, sed Dei permissu.

Adeóque dicendum, Oniæ & Jeremiæ animas, facultate prorsùs naturali, per motum continuum discretúmve, prout spiritus solent, de limbo ad Machabæum venisse. Apud illum, eâdem facultate motoriâ sibiipsis corpora aëria, quomodò Angeli faciunt, efformâsse, ut apparere viderique possent: aut corporum suorum, velut vivorum, imagines in somniantis mente produxisse, animalibus illius spiritibus conformatis; eodémque modo vocum, & rerum aliarum effigies, produxisse. Quæ tamen omnia, etsi naturali facultâte egerint, sed non sine peculiari egêre Dei permissu. Nam de limbo, qui honorati instar carceris, aut septi potiùs fuit, prodire, nisi Deo sinente, non decebat: nec visa, oraculáve, Machabæo ostendere & pronuntiare licebat, nisi ejus jussu. Idem animabus Patrum in limbo factum arbitror, quod fit in Purgatorio detentis: ut quamvis facultas ipsis motiva non desit, eâ tamen, injussu Dei, non utantur.

Jeremias quomodò amator fratrum?

Hic est fratrum amator, φιλάδελφος, longè meliùs ac veriùs, quam Ptolemæus, cui Philadelpho nomen factum ab amore damnando. Non parva laus est amare fratres, quando fratrum quoque gratia rara est. Major laus, sic contribules omnes, imò Fideles omnes amare, ut pro fratribus habeas; tantum illis, quantum his, dilectionis impendas. Sic erat Jeremiæ caritas, cui explicandæ interpres addidit, quod in Græco non habetur, *& populi Israel.* Habebat Jeremias totum populum Israël pro fratribus: illos etiam qui erant in Ægypto, quos Hierosolymitæ, initio capitis primi, fratres simili locutione appellant, quamvis schismaticos.

Sancti mortui orant pro vivis.

Hic est, qui multùm orat pro populo. Suprà v. 12. Judas videt Oniam, *manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum.* Istis duobus exemplis, dubitari à Fidelibus Catholicis non potest, quin Sancti mortui orent pro vivis: neque adversarii nostri effugium aliud habeant, quàm ut negent hosce libros esse Canonicos. Disputationem servabimus ad Excursum. Videant interim, si lubet, de illa doctissimi Hebræorum Philonis sententiam, ad calcem libri de maledictionibus: ibi enim apertè asserit, mortuos pro superstitibus Deum precari. Petri Cluniacensis auctoritatem non admittent: rationem tamen expendant lib. 1. ep. 22. *An apud pijßimam majestatem plus possint viventes justi, minùs mortui justi? An majoris apud Deum pretii sunt preces bonorum viventium, quàm bonorum supplicationes mortuorum? Numquid excellentioris meriti sunt apud Dominum suum Sancti in corpore constituti, & inferioris mortalitate exuti? Non hoc, non hoc, inquam, ratio vel justitia patitur: ut quando debent esse robustiores, fiant infirmiores: quando debent esse potentiores, fiant impotentiores: quando debent esse perfectiores, fiant imperfectiores.*

Cur Hierosolyma vocetur sancta Civitas?

Dicitur Jeremias, non tantùm generatim orâsse pro populo, sed etiam nominatim *pro universa sancta Civitate*: ut inde colligant Ægyptii fratres, quàm amâbilis sit Hierosolyma, & quantæ curæ Sanctis vitâ functis. Adverte etiam, appellari Hierosolymam sanctam civitatem, ob rationem adductam c. 1. v. 7. ex Ruperto: quæ magis mihi semper ac magis arridet, videtúrque omninò certa, post plurimas hujus libri locutiones passim consideratas.

Narratio hujus libri ad schismaticorum conversionem spectat.

Adverte item, non de nihilo commemorari, & laudari Jeremiam prophetam, cujus apud Ægyptiacos fratres magna erat auctoritas, eò quòd in Ægypto mortem obiisset. Tota igitur hujus visi narratio, & partes ejus singulæ, ad eumdem finem spectant, quem sibi Hagiographus in libri universi scriptione proposuit: ut fratres Ægyptiaci, seu Judæi schismatici, ad unius Pontificis obedientiam, & Templi legitimi cultum, reducerentur. Quod sæpe aliàs notatum, ad calcem usque libri notare non desinemus, ut appareat quàm id verum sit.

℣. 15. 16.

Jeremias dat Judæ gladium aureum.

℣. 15. 16. EXTENDISSE AUTEM JEREMIAM DEXTRAM, & Machabæo in manus dedisse *gladium aureum*, cum dicto: *Accipe gladium aureum, munus a Deo, in quo dejicies adversarios*; quod subditur, *populi mei Israel*, non habetur in Græco, sed ab interprete commodè additum est, explicationis caussâ. Allegoriam gladii hujus aurei, & comparationem cum Dei verbo, dedimus in Prolegomenis ad librum primum sectione quintâ numero quinto.

Pietas gladius aureus.

Possit commodissimè eodem gladio significari religio, ac pietas, quam Judas super aurum & lapidem pretiosum, multùm in pretio habuit, quâ semper pugnavit, & vicit. Solitus enim prælia auspicari ab oratione, oratione finivit. In hoc ipso contra Nicanorem prælio, *Judas, & qui cum eo erant, manu pugnantes, Dominum cordibus orantes*, sæculis omnibus memorabilem retulêre victoriam. De ipsis dici poterat istud Psalmistæ: *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, ut faciant in eis judicium conscriptum* Paullo teste, *Pietas ad omnia utilis est*, etiam ad bellum: etsi vulgò dicatur, *Nulla fides, pietasque viris qui castra sequuntur.*

Aurei peccatorum gladii.

Gladium aureum dat Jeremias in manus Judæ, ut Nicanorem debellet. Aureum itidem gladium, sed alterius longè generis dat injustitia in raptoris manus, ut expugnet judicis animum. Aureum gladium dat luxuria in manus impudici, ut pudicitiam debellet. Aureo gladio vis aularum arcanis, vis adytis templorum infertur. Aureo gladio, quidquid dignitatis uspiam terrarum est, cedit. Mulieres, Reges, Veritas penè ipsa, aciem ensis istius vibrantem ferre non possunt. Delphicum oraculum Philippo Macedoni dixisse fertur, ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις: *Argenteis lanceis pugna, & omnia vinces*, vel *edomabis*, forsan enim reponendum δαμάσεις, pro νικήσεις. Oraculum divinum est, *Pecuniæ obediunt omnia.* Aureo gladio pervia omnia sunt: nisi isti in tartareæ incude formato opponatur alius, cusus in fornace caritatis, quem Jeremias Judæ donavit, id est, *pietas ad omnia utilis.*

Principalis potestatis, ac gladii, quis finis præcipuus?

Guagninus apud Serarium, & ex hoc apud Tirinum, tradit, cum iisdem verbis, quibus Jeremias gladium Machabæo in manus dedit, dari itidem gladium à primatibus Ecclesiasticis recèns inaugurato Regi Romanorum, Poloniæ Regi, aliisque, ut illos ad religionis àc justitiæ defensionem excitent. Et verò is præcipuus potentiæ, ac militiæ finis, publicæ rei salutem, in religionis ac justitiæ incolumitate, tueri: & dejicere adversarios præcipuos populi Israël, impietatem & injustitiam. Qui id non faciunt, discingi merentur, quia sine caussa gladium portant, imò contra caussam. Neque enim dumtaxat non prodest Princeps, religionis ac justitiæ asserendæ negligens: sed etiam exitiabiliter nocet. Invalescunt enim vitia societatibus humanis perniciosissimè; si vel impunè transeuntur, vel oscitanter & perfunctoriè distringuntur. Immineat itaque illis pervigil, & constans Principis cura, ad publicæ salutis tutelam: ut Cherubini flameus gladius ad paradisi terrestris, & vitalis arboris custodiam. Exc. ad c. 7. lib. 1.

Militiæ commendatio.

Habemus præterea ex ista gladii traditione, unde luculentè commendetur ars militaris; quæ Sanctis, in ipsa sinûs Abramici quiete, adeò cordi est, ut inde exeant ad militem armandum. Pugnare ipsi vellent, si à Deo sinerentur. Quidni vellent, quod Angeli faciunt, & præcipui quidem? Quidni vellent, quod Dominus sabaoth probat, imperat, muneratur? De laude militiæ, quomodò caritatis, misericordiæ, justitiæ, pietatis professio sit, luculentè disputat Dionysius Carthusianus tomo 1. opusc. de vita milit. art. 2. Quamquam ibi de equestri militia, seu creatione Equitum, quos olim Milites appellabant, loquitur. Sed quidquid de illis dicitur, omnibus generatim militibus, rectè arte suâ utentibus, & ad finem à Deo propositum spectantibus, convenit.

Cur Onias, & Jeremias apparuerint Judæ?

Quæres, cur Onias potissimùm, de tot Pontificibus, Machabæo apparuerit; Jeremias, de tot Prophetis? Non jam quæro, cur eorum apparitionem Hagiographus commemoret; id enim satis apertum est, & antè indicatum: sed quæro, cur ipsi potiùs, quàm alii, apparuerint? De Onia, ratio melior non occurrit, quàm quod recens adhuc apud Machabæum, & Judæorum pios, esset ejus memoria, ac veneratio: adeóque illius verba plurimùm habitura erant ponderis. De Jeremiâ autem, nihil itidem occurrit, quàm quod sacerdotalis generis esset, Civitatem sanctam & Templum plurimùm coluisset, Arcamque ut cap. 2. dictum est, servâsset, gentis suæ mala ubertim deflêsset, tamquam sincerus fratrum amator, & pro illorum salute maximè solicitus. Aut dic, quod Serarius videtur indicare, quia olim à bello dehortatus erat cap. 37. nunc hortari caussâ bonâ.

Quam animati Judæ socii?

℣. 17. EXHORTATI ITAQUE JUDÆ SERMONIBUS BONIS VALDE, id est animati ejus verbis, *de quibus extolli posset impetus, & animus juvenum*, Machabæi sociorum *confortari*, Græcè in Sixt. habetur ἐπανορθῶσαι, id est, *erigere*, seu *dirigere*: quædam exemplaria habent ἐπανδρῶσαι, id est, *viriles facere*. Judæ igitur sermonibus erecti milites, *statuerunt dimicare, & confligere fortiter, ut virtus de negotiis judicaret*: Græcè paullò fusiùs & apertiùs: *statuerunt non castra metari, sed generosè invehi & μετὰ πάσης εὐανδρίας ἐμπλακέντες, cum omni virtute implicati*, hostibus scilicet, *judicare negotia*, id est pugnando decidere controversiam: eò quòd *Civitas sancta & Templum periclitarentur.* Pro ἐμπλακέντες, quædam exemplaria apud Nobilium habent ἐμπλακέντας, alia ἐμφύντες, vel ἐμφύντας; quædam ἐμπλακέντας καὶ ἐμφύντας; quibus verbis significatur, Judæ socios adeò excitatos fuisse, ut illico vellent sese inferre hostilibus cuneis, & ita illis implicare, ut quasi hærerent.

Templi iterata commendatio, & cur?

℣. 18. ERAT ENIM PRO UXORIBUS ET FILIIS, quorum tenerrima solet esse caritas, nedum *pro fratribus & consanguineis, minor solicitudo* sociorum Judæ, quàm *pro sanctitate Templi.* Hoc illos maximè habebat solicitos, quòd si Nicanorem non vincerent, sacrilegus homo manus sceleratas Templo illaturus erat, nec minas suas inanes esse passurus. Iterum hoc de nihilo commemoratur sanctitas Templi, & tanta Judæorum pro illo tuendo cura, ut illi carissimas quasque res postponerent. Finem suum semper Hagiographus spectat, ut schismaticis Ægyptiis, quacumque occasione datâ, magnam de Hierosolymitano templo opinionem ingeneret, eorúmque animos ab Onio suo abducat. In Græcis quibusdam pro, *solicitudo*, habetur κίνδυνος, *periculum*: in Sixtinis est ἀγών, quod interpres benè reddidit per vocem, *solicitudo*.

Sacerdotum pro Juda, & locus cura, & oratio.

℣. 19. SED ET EOS, QUI IN CIVITATE ERANT relicti, seu sacerdotes, seu probos alios Judæos, *non minima solicitudo habebat pro his, qui congressuri erant.* In isto apposito, *non minima*, intellige *maxima*, per eam figuram quam μείωσιν vocamus, quando minùs dicimus, quàm velimus intelligi. Sacerdotes enim Judæi, ut probi cives, de incolumitate copiarum Judæ maximè erant soliciti, & impensè orabant, ut Deus illis victoriam largiretur: quod disertè exprimit scriptor libri 1. c. 7. v. 36. &c. Videbant enim inde religionis incolumitatem, & populi salutem, pendere. Isto exemplo orent, quicumque relinquuntur ad sarcinas; sacerdotes præsertim & Ecclesiastici, quorum proprium munus est orare, dum alii pugnant, ut diximus l. 1. Exc. 2. ad c. 3. sect. 6. num. 58.

Oratio Judæ ante cōgressum.

℣. 20. usque ad 25. ET CÙM IAM OMNES SPERARENT JUDICIUM FUTURUM, id est prælium, quo justus arbiter Deus de caussa decisurus erat. Sperâsse autem pugnam Judæi dicuntur, quia animis ad illam ardebant, & victoriæ fiduciâ pleni in hostem ruere avebant. In isto tamen articulo Machabæus conspicatus ordinem copiarum hostilium, apparatum formidabilem, equestres cuneos cum elephantis, qui *bestiæ* per antonomasiam dicuntur, dispositos: protensis in cælum manibus, ad Deum se convertit, rogavitque, ut quemadmodùm olim adversùs Sennacheribum, ita modò adversùs Nicanorem, in simili caussa, mittat *Angelum bonum.* Eamdem Sennacheribi commemorationem refert hoc loco scriptor libri prioris: facta item aliàs à Juda; vide suprà cap. 8.

Deus inspectator & Judex.

In Græco habetur v. 21. κύριον τὸν κατόπτην *Dominum inspectorem*, ubi Vulgata habet *prodigia facientem Dominum*: Et istud, *qui non secundùm armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam*, ita ex Græco legit Nobilius, *quia victoria non est per arma, sed prout ab ipso judicatum fuerit, dat dignis victoriam*: notâtque idem Nobilius in quibusdam Græcis non haberi ἡ νίκη, in quibusdam corruptè legi ἀξίαν: judicat non posse, quomodò interpres noster legerit.

Judæi Nicanorem destituunt.

℣. 25. NICANOR AUTEM, ET QUI CUM EO ERANT: tunc quidem: nam Judæos ejus socios, de quibus suprà v. 2. se in isto articulo subduxisse crediderim, aut saltem in ipso conflictûs initio: tum quia inviti sequebantur, tum quia Deus involvi illos nolebat communi clade perfidorum. Imò probabilissimum mihi est, eos mox de illorum numero fuisse, qui, exciti de castellis Judææ, reliquias fugientium Syrorum ventilavêre cornibus, & ita involvêre, ut nemo unus evaserit. Vide l. 1. c. 7. v. 46.

Nicanor, & sui, cum cantu ad pugnam progressi.

Nicanor igitur, & sui Syro-Macedones cum Judæis transfugis & impiis, qui sponte sequebantur, *cum tubis & canticis admovebant* sese ad pugnam. Istud, *tubis & canticis*, potest intelligi *tubis cantantibus*, seu cantu tubarum. Concinuerunt Syri tubis ante prælium, Judæi autem victoriâ captâ cecinerunt tubis cum significationibus, l. 1. c. 7. v. 45. Si tamen mavis intelligere tubarum clangorem, & alia simul cantica, seu voce seu tibiis aliisve instrumentis musicis, sonuisse: triumphaverint Syri ante victoriam, & nimiâ securitate occasionem cladi suæ, divinitus ordinatæ, præbuerint.

Syri ad unum omnes cæsi.

℣. 26. 27. JUDAS VERÒ, ET QUI CUM EO ERANT, longè aliter prælium iniêre, precibus ad Deum muniti, & armati. Itaque tam potentibus armis totum hostilem exercitum ad internecionem delevêre; *præsentiâ Dei magnificè delectati*, id est præsens experti auxilium divinum. In ipso tamen prælii loco hostes omnes non cecidisse, sed magnam partem in fugâ oppressos, tum antè indicavimus, tum constat ex cap. 7. lib. 1.

Quomodò patratâ demum victoriâ mortem Nicanoris Judæi cognovêre?

℣. 28. CÙMQUE CESSASSENT à persequendis hostibus, Gazaram usque, ut habetur libro primo, *& cum gaudio redirent* victores, *cognoverunt Nicanorem ruisse cum armis suis*, id est in prælio cecidisse. An ergo tunc primùm cognoverunt? Potuerunt antè id ex rumore audisse, sed non credidisse, quia pro comperto non habebant, ut ex hac narratione intelligitur. Rationem autem, cur tam serò cognoverint, attulimus lib. 1. c. 7. ad v. 43. & 44. quia nempè primus cecidit, & manu incertâ. Unde consternatâ Syrorum acie, victores Judæi, tergis fugientium hærentes, & cædendo occupati, mortem illius compertam non habuêre, donec patratâ victoriâ ad locum inchoati certaminis pro colligendis spoliis reversi, inter cæsos eum agnovêre.

Unde scitum primo eum loco corruisse?

Si autem illo demum tempore agnitum est cadaver Nicanoris; quo ergo pacto scire potuit Hagiographus prioris libri auctor, primo eum loco cecidisse? Ut demus, id divinitùs non accepisse, quomodò Hagiographi solent plurima: potuit ex Judæis intellexisse, qui certamini interfuerunt; seu qui initio certaminis ad Judam transfugerunt, cæso jam Nicanore; seu qui ex hostibus captis, ante illos mactandos, audiêre. Quod enim in certaminis ardore rumor tantummodò fuit; post prælium, collatis auctoribus, famam fecit, & certam dedit notitiam.

℣. 29. FACTO ITAQUE CLAMORE, ut in rebus magnis & inexpectatis solet, *& perturbatione excitata*, Græcè ταραχῆς, id est strepitu, tumultu, non timentium sed exultantium, & confusis motibus ac vocibus gestientis animi lætitiam testantium: *patriâ voce omnipotentem Dominum benedicebant*, Hebræâ linguâ Deum laudabant, familiaribus psalmis, acclamationibus piis, post accepta divinitus beneficia consuetis.

Laus Judæ, & boni Principis officiū in illo expressum.

℣. 30. PRÆCEPIT AUTEM JUDAS, cujus utique erat præcipere, Ducis ac Pontificis: *qui per omnia corpore & animo mori pro civibus paratus erat*, Græcè est πρωταγωνιστὴς τῶν πολιτῶν, *primus propugnator civium*: deinde additur, *qui benevolentiam ætatis in contribules servabat*, id est, quem in teneris annis hauserat amorem erga patriam, ac cives, invictâ semper constantiâ retinebat. Interpres Latinus hoc loco sententiam expressit, non verba; & pro caussa effectum posuit. Nam Princeps, qui suos sincerè & ex officio debito diligit, primus est in illis defendendis, neque in eo munere labori ulli parcendum putat, ne vitæ quidem: Adeóque *per omnia*, id est omninò, *mori paratus est corpore & animo*; paratus scilicet animo corpus suum ultro & ubique periculis objicere, promptâque voluntate mortem corporis pro salute civium oppetiturus. Neque enim bonus Princeps morte animi sui redimere debeat, aut velit, popularium incolumitatem: & imprudentissimè, ac contra leges caritatis sibi debitæ, eligat mori animo, ut damna publicè arceat; cùm ne detrimentum quidem animæ debeat pati, ut mundum universum lucretur. Sed prudenter & sanctè, ex officio caritatis, vitam corporis ad populi salutem contemnet. Sic fuit Judas, per omnia corpore & animo paratus, mori corpore pro civibus, & dare animam bonus Pastor pro ovibus,

ante

ante divini Pastoris exemplum. Quidni autem id faceret, cùm non nesciret Principem in populi gratiam esse, non contrà? Vide l. 1. c. 14. v. 4. &c. Consule etiam Exc. 2. ad cap. 8. hujus libri sect. 3. num. 10. & 18. &c.

Judas jubet caput, & manum Nicanoris abscindi.

Jussit ergo Judas, illustre bonorum Principum exemplar, *Nicanoris caput, & manum cum humero abscissam, Hierosolymam deferri*, non modo ad monumentum victoriæ, & incitamentum virtutis, sed etiam ad divinæ justitiæ exemplum. Eam enim manum adversùs Templum extenderat *magnificè*, id est superbè *gloriatus*, ut vers. 32. dicitur ἐμεγαλαύχησε: caput illud insultabundus jactaverat, & illo ore sacrilegas voces minabundus evomuerat.

Suspenduntur Hierosolymæ.

ỳ. 31. usque ad 36. JUDAS HIEROSOLYMAM INGRESSUS, sacerdotes qui ad altare supplicabundi erant, & contribules cæteros, ad lætissimum exuviarum impii Nicanoris spectaculum evocavit: excitis etiam arcis præsidiariis, ut notum sibi vultum agnoscerent, nec ludibrii aut figmenti aliquid subesse arbitrarentur. Exsectam deinde radicitus linguam, & minutim conscissam, carnivoris avibus objiciendam curavit. *Manum*, unàque cum humero cui hærebat, *contra Templum*, id est exadversùm Templo, ut in serie hist. ad lib. 1. num. 97. & in Synopsi ad hunc librum numero ultimo scripsimus, *suspendi* jussit: Græcè habetur κατ' ἐπίχειρα τῆς ἀνοίας, id est *pignora vel manubias amentiæ*: Interpres noster legerit ἐπὶ χεῖρα, vel rem expresserit, non verba. Ad illud manûs pendentis spectaculum, *omnes cæli benedixerunt Dominum*, seu laudaverunt Dominum cæli, Græcè *in cælum*, qui *locum suum*, id est Templum, custodivit. Denique caput, Græca Sixtina habent κεφαλὴν, alia προτομὴν, quod vel idem significat, vel imaginem usque ad umbilicum, inquit Nobilius: *caput ergo in summa arce*, id est in monte Acra, ut suspicatur Salianus, expositum est: nos in serie & synopsi historica maluimus positum exadversùm arci, in ipsius scilicet montis Sion edito loco, arci opposito ad Templi latus, ubi putamus munimenta quædam à Machabæo, coërcendis præsidiariis Syris, excitata.

Quomodò sacerdotibus ad altare ostensa membra Nicanoris?

Quæres: quo pacto potuit Judas, convocatis sacerdotibus ad altare, ostendisse caput & manum Nicanoris? An ergo cadaver humanum, aut ejus membra licebat in Templum inferre, nedum ad altare? Isti difficultati jam occursum est, cùm diximus sacerdotes, qui ad altare erant, evocatos, non autem convocatos ad altare. Post Nicanoris minas, orare Deum non desierant, *flentes ante faciem altaris, & Templi*, ut habetur lib. 1. cap. 7. v. 36. Inde jam a Machabæo devocantur, ut, viso Nicanoris supplicio, fletum in gaudium, solicitas preces in festas gratiarum actiones, commutent.

An Syri ex arce ad spectaculum venerint?

Quæres deinde: an præsidiarii arcis ad spectaculum evocati adfuerint? Rationem, cur ipsos etiam Judas evocandos putârit, indicavimus. Ob eamdem caussam, illorum aliquos à præfecto suo submissos adfuisse crediderim, oblatâ per Machabæum securitatis fide, de qua dubitare non poterant: integritatem illius, ac generosam sinceritatem, tum aliàs sæpè, tum nuper in conventis cum Nicanore experti. Ruit itaque fundamentum Saliani, verosimile non putantis præsidiarios venisse ad Judam, ut qui hostes erant, nec sese crederent: sed excitato clamore intentos factos ad spectaculum.

An crudelitate Judas peccârit in hoc spectaculo?

Quæres tertiò: careátne omni crudelitatis notâ Judas, qui ultra mortem sæviat? Respondeo, maximè carere. Neque enim ex privatâ vindictâ sævit, uti Antonius, ac Fulvia, in caput & linguam Ciceronis: sed ex publica justitia, ad exemplum, monumentum, & incitamentum, uti paullò antè diximus. Serarius valdè commodè aptat Nicanori istud Catulli execramentum

Non equidem dubito, quin primùm, inimica bonorum,
Lingua, exsecta avido sit data vulturio.
Effossos oculos voret atro gutture corvus,
Intestina canes, cætera membra lupi.

De lingua vulturibus objecta, aliisve carnivoris avibus, habet Scriptura. De oculis per corvos petitis, quando caput perticæ infixum erat, res ipsa loquitur. De intestinis & membris cæteris, in loco certaminis relictis, verosimillimum est canes & lupos, ut solent, ingurgitatos.

An ab illo statim in Templum ascenderit?

Quæres quartò: Judáne ad Templum, pro gratiis Deo agendis, ascenderit statim ab hoc spectaculo? Non ascendit. Nam oportebat à prælio regressos lustrari diebus septem, ex Legis præscripto Num. c. 31. Poterántque intervalla omnia servari; nec præcepti gratiam faciebant angustiæ temporis, quemadmodùm accidisse dicebamus, post prælium cum Gorgia c. 12. v. 38. Contentus ergo fuit Machabæus, interim dum purificabatur, per se privatâ, per alios publicâ gratiarum actione. Post legitimam deinde septidui purificationem, in Templum Pontificio habitu ascendisse credendus est: quando, ut scriptor libri prioris loquitur c. 7. v. ult. *Siluit terra Juda dies paucos*, id est quievit. Silentium enim in Scriptura nunc pacem significat, nunc otium, nunc reverentiam, nunc desolationem; isto prioris libri loco pacem, aut quietem à præliis, ut ibi diximus.

Festum indicitur ad victoriæ anniversariam memoriam.

ỳ. 36. & 37. ITAQUE OMNES COMMUNI CONSILIO DECREVERUNT, suadentibus senioribus, præcipiente Machabæo, assentiente & obediente populo: *nullo modo diem illum*, tam celebris victoriæ anniversarium, *sine celebritate præterire*. Institutum est itaque festum, quod Josephus l. 12. c. 17. νικητήρια, id est Victorialia appellat. Incurrebat autem id festum in tertiam decimam diem *mensis Adar*, *quod mensis nomen dicitur voce Syriacâ*, post captivitatem Babylonicam Hebræis usurpatâ: nam ante captivitatem is mensis dicebatur duodecimus, ut l. 1. c. 1. v. 11. expressimus in serie mensium lunarium. Incidebat iidem illud festum, *pridie Mardochæi diei*; seu, ut Græcè est, *pridie unius*, id est primæ, *dies Mardochæi*: festum enim Mardochæi, aliter dictum Phurim & Sortium, Estheris c. 9. duos dies habebat, decimum quartum & decimum quintum mensis Adar.

Eâ die non jejunatum.

Advertit Serarius, & cum illo Tirinus, hodie in calendario Judæorum haberi jejunium decimâ tertiâ die mensis Adar. Id jejunium, vel Judæ ævo non fuisse indictum, vel anticipatum duodecimâ mensis, vel antiquatum aut abolitum. Neque enim anniversarium lætissimæ victoriæ diem decebat jejunio transigere apud Judæos, uti apud Christianos jejunia solennioribus diebus observari non solent, nec filii sponsi jejunant, quamdiu cum illis sponsus est.

Finem facit Hagiographus, & Hagiographi commentator.

ỳ. 38. IGITUR HIS ERGA NICANOREM GESTIS, narratione explicatis, *& ex illis temporibus ab Hebræis civitate* Hierosolymitanâ *possessâ*, quod quomodò verum sit, mox videbimus: *ego quoque*, inquit Hagiographus, *finem facio scribendi*. Et

ego

ego hîc etiam finem ſcribendi faciam; propoſitam mihi jam olim metam libris hiſce duobus illuſtrandis aſſecutus: qua de re, mi lector, verbulum adhuc unum tibi ad Excursûs calcem fieri, non gravatè, opinor, patieris.

Quomodò à morte Nicanoris Hieroſolyma poſſeſſa per Judæos?

Quæres primùm: quomodò verum iſtud ſit; ex illis Nicanoris cæſi temporibus Hieroſolymam fuiſſe ab Hebræis poſſeſſam, cùm paullò pòſt, Machabæo occiſo, Bacchides universâ Judæâ dominatus ſit, Alcimus Templum obtinuerit? Hanc difficultatem aliis, quos viderim, ut hactenus non paucas, intactam, diſſolvere oportet ad occurrendum heterodoxorum cavillationibus. Prima ergo reſponſio ſit: civitatem, ab illo Nicanoris cæſi tempore, poſſeſſam fuiſſe ab Hebræis uſque ad Machabæi mortem; de cujus Machabæi geſtis hiſtoriæ ſuæ maximam partem Hagiographus texuit, ultrà non progreſſus. Altera reſponſio erit: ab Hebræis poſt Nicanorem cæſum civitatem fuiſſe poſſeſſam, ſi intervallum demas anni circiter unius, quod à Judæ morte ad Alcimi exitium fluxit. Exinde enim biennio toto Judæa fuit quieta: tum, poſt aliquas à Bacchide turbas, pax ſancita, Jonathas Principem ac judicem in oppido Machmis egit, Pontificem Hieroſolymis ſecurè ac magnificè inter Regum Aſiaticorum diſſidia. Excepit dignitatem Simon, ejúſque deinceps poſteri ad ætatem uſque Hagiographi noſtri, & ultra ad Herodis ævum.

Cur in Nicanoris morte finem Hagiographus faciat?

Quæres ſecundò: cur in morte Nicanoris finem Hagiographus faciat? Dicat forſan aliquis, idem feciſſe Machabæo ſuo, quod ſuo Achilli in Iliade Homerus. Quomodò enim Homerus morte Hectoris, quem Achilli æmulum faciebat, poëma clauſit: eumdem in modum Hagiographus in cæde Nicanoris, quem Machabæus ac Judæi præcipuum hoſtem ſenſêre, deſiit. Sed comparatio iſta nimis profana eſt, & à mente Hagiographi aliena. Quam mentem ut ſcrutemur, ac certò deprehendamus, redeundum eſt ad id, quod ab initio paſſim notatum eſt: hoc conſilii Hagiographo fuiſſe, ut Ægyptios, commendatione Hieroſolymitanæ civitatis ac Templi, ab Oniani templi ſchiſmate abduceret. Non poterat autem illuſtriori narratione iſtud conſilium claudere; quàm Nicanoris, poſt jactatas in Templum ſacrilegas minas, ſpectabiliſſimo ſupplicio: præſertim, cùm via deinceps ejuſmodi aliquid contigerit, ſi ſolùm Alcimi interitum demas, l. 1. c. 9. narratum. S. Thomas exiſtimat, ideò hîc Hagiographum deſinere, quia id ſolum ſcribendo ſpectabat, ut Ægyptiaci fratres inducerentur ad celebrandum victoriæ iſtius diem. Sed nos altiorem longè mentem, & nobilius multò conſilium convertendorum ſchiſmaticorum, Hagiographo fuiſſe cenſemus, præeunte Ruperto.

Excuſatio ipſius de elocutione.

℣. 39. & 40. Et si quidem bene, id eſt congruè comprndio, *& ut hiſtoriæ* contractæ *competit, & hoc ipſe velim*, fuitque mihi ab initio ſcribendi propoſitum, ut ea præfatione patet c. 2. ſuprà verſu. 22. & deinceps. *Sin autem minus dignè* majeſtati rerum aptatus eſt ſermo, *concedendum eſt mihi*, & danda elocutioni venia. Quamquam exilis interdum, & neglecta elocutio injucunda legentibus non eſt; quando accurato & magnifico dicendi generi admiſcetur. Contrà autem continuata accuratio ſermonis, & perpetua verborum grandium inculcatio, æquè faſtidium movet; ac continua cultûs negligentia, & tenuis elocutionis aſſiduitas. Quemadmodùm perpetuus vini meraci, aut aquæ puræ potus, non delectat bibentem: ſed utriuſque temperies, aut alternatio grata eſt.

Elocutio, & hujus vitæ omnia, vices amat.

Familiari, & eleganti ad mores regionum, ubi vina validiora ſunt, ſimilitudine varietas elocutionis, ad audientium ac legentium voluptatem commendatur. Neque ea modò in dicendo, ſcribendóve, diverſitas placet; ſed in rebus quibuſlibet, quamvis jucundiſſimis; quarum, ſine viciſſitudine, uſus denique in faſtidium ex ſatietate vertit. Nuſquam ſatietas ſine faſtidio, niſi in ſummi boni poſſeſſione: ubi ſemper eſt, quod deſideres, etſi poſſideas; quia infinitum infinitè poſſideri non poteſt. At in hujus vitæ bonis, anguſtis ac reſtrictis, poſſeſſio ita deſiderium explet; ut ad illud acuendum neceſſaria ſit interdum iſtorum bonorum abſentia. *Etiam gaudii*, inquit Moſchus Idyllio 4. *ſatietas eſt*: & Sapiens eâdem ſententiâ dicebat, *Qui nimium mel comedit, non eſt ei benè.*

Cur Hagiographus veniam petat à lectore?

Eam ob cauſſam Hagiographus noſter conatus eſt, quantum compendii leges patiebantur, eam dictionis viciſſitudinem aſſequi: ut nunc graviter, nunc demiſſiùs loqueretur. Et verò genus dicendi non rarò elegans eſſe, vel ea ipſa verſione Vulgata intelligitur: & facillimè quivis, vel tenuiter Græcè doctus, advertat. Demiſſum etiam interdum de induſtria fuiſſe ſtylum, & decurtatum, paſſim videre eſt. Ne tamen rerum dignitatem verba, ubi opus fuit, non ſatis æquaverint, & ne elocutionis exilitas alicubi parùm commodè quæſita ſit: idcirco à lectore Hagiographus veniam ſibi concedi modeſtè poſtulat.

An petitio veniæ deceat Hagiographum?

At verò, occlamant undique magno ſtrepitu hæretici, alienum id omnino eſt à Scripturæ ſanctæ auctoritate; ut, qui eam excipit à Spiritu ſancto, & calami tantùm inſtar eſt velociter ſcribentis, veniam erratorum petat: errare enim Spiritus ſanctus, neque in re poteſt, neque in modo, inquit Wittakerus. Huic objectioni multis reſpondet Serarius, & difficultatem omnem penitùs exhaurit. Nos unicâ, & peremptoriâ, reſponſione contenti erimus. In Hagiographis conſiderari duo poſſunt, ſententia & elocutio; quemadmodùm & in ſcriptoribus cæteris. Quod ad ſententiam attinet, errare Hagiographus non poteſt; quoad elocutionem, poteſt. Adeſt enim ſcribenti Spiritus Sanctus, ne quid à veritate aut virtute alienum dicat, falſumve, aut abſonum: ſcribentem tamen relinquit ſuo dicendi characteri. Itaque videmus aliam eſſe in aliis Hagiographis formam eloquendi. Eloquentior eſt Jeremia Iſaias: grandiloquentior Oſea Ezechiel: altero tamen alter veriloquentior non eſt. Sententiæ enim veritas, ac rectitudo, tota ex Deo eſt: ſtylus, & elocutio, à ſcriptore.

Decenter, & ſanctè, fieri potuit, & facta eſt.

Rectiſſimè igitur potuit Hagiographus veniam petere erratorum, in eloquendi charactere: Idque veniæ poſtulatum Spiritus Sanctus ipſi ſuggeſſit, ad commendabile modeſtiæ in quibuſvis ſcriptoribus exemplum. Quod exemplum etiam in D. Paullo habemus 2. Cor. 11. ubi non erubeſcit, ſeſe fateri *ſermone imperitum*, Spiritu tamen Sancto abundantem. Quid autem ſi Divus Paullus alicubi à lectoribus epiſtolarum ſuarum ſibi petiiſſet ignoſci, quòd Græcanicam phraſim non uſquequaque exprimat: an ideò dicendus foret, ea humano, non ea divino ſpiritu loqui? Quid ſi Oſeas de conciſo ſuo ſtylo, Ezechiel de elocutione ſua obſcura, excuſationem uſpiam intexuiſſet: abſonúmne id fuiſſe putaremus à Scripturæ majeſtate, aut dignitate ſcribentis? Salva

enim

enim semper manet veritatis, ac rectitudinis irreprehensæ suprema auctoritas: etsi verborum concinnitati aliquid desit: propterea quòd illa ab homine, illa ex Deo proficiscatur.

Consummatus libri hujus.

HIC ERGO ERIT CONSUMMATUS. Istud *hic* est adverbium, ὧδε. *Consummatus* sumitur substantivè, pro *consummatio*, Græcè τέλειος: sicut jussus dicitur, pro jussio; & à D. Leone serm. de pass. apud Serarium, & ex illo apud Tirinum, *exercituum instructus*, pro instructione. Liranus ad hæc verba affert istud Isaiæ c. 10. *Consummationem, & abbreviationem, Dominus Deus exercituum faciet, in medio omnis terra: quod*, inquit, *facit per impletionem mysterii Verbi incarnati*. Voluit, opinor, Liranus hunc Historiæ Machabæorum finem connectere cum initio Evangeliorum: ubi de consummatione Verbi divini, in humana carne abbreviati, agitur. Eam consummationem præcedit hæc consummatio abbreviatæ historiæ: in qua plurima passim notari possunt ad Evangelii lucem, veritatis cognitione, & tempore accedentia; qualia sunt, quæ de resurrectione corporum, vitâ æternâ, purgatione defunctorum, Sanctorum mortuorum curâ pro vivis & oratione, aliisque ejusmodi apertissimè proferuntur. Ut non incongruè dicere possimus, cum Machabæo quoddam quasi crepusculum Evangelicæ diei exoriri cœptum: & Hagiographi hujus lucubrationem, in Sacrarum Literarum serie, cum D. Matthæi scriptione commodissimè, tum ordine, tum materiâ hærere.

EXCURSUS

Ad cap. 15. *vers.* 14. Hic est, qui multum orat pro populo.

Sanctorum invocatio, & cultus.

SECTIO PRIMA.

Cur Ecclesia Sanctos invocet, eóque & eorum imagines colat?

I. Ratiocinatio, & traditio, finis harum controversiarum.

DISPUTATIONES hasce, ab aliis non pauca luculentè traditas, & confectas profligatásque, frustra retexerem, nisi me sponsio adstringeret: nec spopondissem, nisi res ipsa & narratio sacra exegisset. Exsolvam itaque promissum, & de argumentis tribus benè amplis, sæpè explanatis, dicam forsan aliqua noviter, omnia certè dicam breviter. Nihil tamen, in ea brevitate, omittam necessarium ad fidei nostræ stabilimentum. Invocationem Sanctorum persuasit Ecclesiæ Catholicæ primùm Christiana ratiocinatio, dein traditio: confirmavit cavillationum Ægyptiacarum futilitas. Eadem nobis cultum Sanctorum commendavêre; eadem vulgavêre cultum imaginum. Res itaque causis prorsus consimiles tractatione jungamus, & in sectionem unam colligamus. Præibit invocatio, hujus loci propria, & nata ex re ac materia.

II. Meritò invocantur Sancti, quia nobis benè volunt.

Ratiocinationem indicavimus Exc. 1. ad c. 8. sect. 4. num. 16. ubi de Angelis actum est: tursum attigimus in Commentariis ad hunc versum, adductâ Petri Cluniacensis ex lib. 1. ep. 22. insigni sententiâ: nunc explicatiùs edisseramus. Eorum qui nos amant, qui nobis auxiliari possunt, qui egestatem nostram non nesciunt; meritò imploramus subsidium. Sancti post mortem nos diligunt, ex lege caritatis, quæ nunquam excidit; & in illa, ubi sunt, vitâ longè, quam in ista, purior ac perfectior est. Bernardus serm. 26. in Cant. agens de fratre suo Gerardo, mortuo: *Impassibilis*, inquit, *est Deus, sed non incompassibilis, cui proprium est misereri semper, & parcere. Ergo & te necesse est misericordem esse, qui inhæres misericordi, quamvis jam minimè miser sis & quia non pateris, compateris tamen.* Sic Doctor ille ratiocinabatur aptissimè. Sancti enim mortui vivunt, & apud Deum vivunt, apud fontem caritatis vivunt. Si vivunt, voluntate utuntur: si voluntate utuntur, amant, quia amor primus est partus voluntatis: si amant, utique eos amant qui ipsis magis conjuncti sunt, qui magis ipsis fidunt, qui ipsos appellant & advocant: tantóque amant propensiùs, quò propiùs ad Deum accessêre; quò proximiores igni sunt, eò ferventiores; Deus autem caritas est. *Scio*, inquiebat D. Paullinus ep. 13. ad Severum, *secundùm divitias bonitatis Dei, & in Domino meo Felice*, ita passim illum appellat Dominum, aut Dominædium, *viscera pietatis affluere: sed tu, quæso, hoc eum magis diligas, & timeas, quò melior est, & indulgentior.*

III. Quia possunt nos juvare.

Iidem Sancti juvare nos possunt, multò magis ex quo sunt in Christi & Abrahæ sinu; quàm quando erant in gremio miseriarum, & valle lacrymarum, salutis adhuc dubii, & perseverantiæ incerti. Constat tamen sanctorum virorum, adhuc in vita degentium, preces apud Deum plurimùm potuisse; tum ex perpetuis sacrarum Literarum historiis, tum ex annalium Ecclesiasticorum narrationibus, tum ex quotidiana experientia. Oramus itaque pro invicem, ut salvemur: commendamus nos etiam orationibus piorum, quia *multùm valet deprecatio justi assidua*. Valebit hic deprecatio justi, illic non valebit? Hîc sunt munimenta urbium, fulcra provinciarum, columnæ sæculi, salvatores populorum, interponunt sese sepem pro domo Dei, objiciunt sese justitiæ & vindictæ, sistunt decreta & parata supplicia; ut Excurs. ad cap 3. lib. 1. sect 6. num. 16. & alibi, indicavimus. Talia possunt, & faciunt

Sancti

Sancti adhuc viventes: non poterunt, non facient Sancti mortui, indubitatâ gratiæ & amicitiæ divinæ poſſeſſione, intimæ admiſſionis familiares? Auguſtinus Ench. cap. 105. explicans locum epiſtolæ ad Tim. 1. cap. 2. ubi Chriſtiani jubentur orare pro Principibus, &c. *Deus bonum judicavit*, inquit, *ut orationibus humilium dignetur ſalutem præſtare ſublimium*: ad colligandos invicem humiles, & ſublimes, vinculo caritatis. Idem bonum judicavit, orationibus mortuorum ſalutem curare vivorum: ut vivos inter, & mortuos, perſeveret, æternæ aliquando beatitudinis conſortio continuanda, caritas.

IV. *Quis ſciunt petitiones noſtras, & neceſſitates.*

Nec verò Sancti egeſtatem, neceſſitates, petitiones noſtras ignorant, aut diſcere nequeunt, ſaltem quando ipſis cognitas eſſe deſideramus. Quia neque affectum humanitatis exuerunt, ut videre nos nôlint, aut recuſent audire: neque intellectu, & memoriâ carent, qui non carent voluntate: neque in nocte verſantur, ut res noſtras non videant: nec tantum chaos inter nos, & ipſos, firmatum eſt, ut ab illis ad nos nemo poſſit transmeare: nec tam longè à nobis ſemoti ſunt, ut nos invicem nôn conjungat ubique præſens, omniſcia, & omnia potens amicis ſuis aperire, Divinitas. Mox ſectione ſequenti, contra Ægyptiacam ſcholam, de iſta Sanctorum ſcientia quidpiam diſputandum erit. Nunc ſat fuerit Patrum duorum de illa ſententias expoſuiſſe: quorum unus ait, à Sanctis in Deo viſo cerni res noſtras; alius, per Deum revelantem cognoſci. Gregorius Mor. in Job. lib. 12. c. 14. poſtquam dixit, ignorari à mortuis ſtatum viventium, ſicut à vivis ſtatum mortuorum, ad illud, *Sive nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles, non intelliget*; addit: *Quod tamen de animabus ſanctis ſentiendum non eſt: quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid quod ignorent.* Auguſtinus de cura pro mortuis cap. 13. poſtquam multa de animabus ſeparatis diſputavit, rebúſne noſtris interſint, ſciántne quæ in terris fiunt; tandem ad rem noſtram hæc de Martyribus particulatim, & de Sanctis omnibus generatim, ſtatuit: *Martyres per divinam potentiam intereſſe ſanandis . . . Sanctos poſſe vel ab Angelis diſcere, vel Deo revelante, quæ expedit eos ſcire.*

V. *Volebant, poterant, ſciebant, pro Judæis Onias, & Jeremias.*

Hagiographi noſtri narratione ratiocinationem noſtram Ægyptiis exponamus. Fidem illi, credo, qualem hiſtoriæ, non denegabunt. Judas Machabæus, vir utique neque imprudens, neque incredibilia excogitaturus, nec falſa militibus animandis adducturus, ait; Oniam & Jeremiam multùm oráſſe pro populo, & ſancta Civitate, per eorum temporum difficultates valdè periclitante: ait, ab eiſdem præbitum ſibi gladium aureum, quo proſterneret hoſtes avitæ religionis ac libertatis. Judas ergo Machabæus, Aſſidæi, aliíque Judæorum optimi ac ſapientiſſimi, non ambigebant, quin Onias & Jeremias rerum Judaicarum ſtatum didiciſſent, undecumque tamdem, vitâ licèt functi: quin Judæos periclitantes juvare poſſent, cùm Judæ inſtrumentum victoriæ & triumphi pignus traderent: quin benè Judæis vellent; ſine benevola cura, & amore, pro illis non oraturi. Volebant igitur Onias, & Jeremias, populo Iſraëlitico, & Hieroſolymitanæ urbi, eſſe ſubſidio, poterant, ſciebant: quamvis adhuc in tenebris poſiti, & Limbo clauſi, nondum exorto Sole, qui caliginem diſſiparet: nondum nato Rege, qui vinctis carceres aperiret. Quantò ergo magis nunc & ipſi, & alii Beati, in luce veritatis, in domo caritatis, pro nobis ſatagunt, nobis poſſunt, de nobis & noſtris cogitant: atque adeò meritò ad auxilium à nobis invocantur?

VI. *Fas eſt, & utile, Angelos invocare, ergo & Sanctos.*

Elucidando rurſum huic argumento Angelorum comparationem arceſſamus, à nobis ad c. 8. indicatam. Fatentur Ægyptiorum Archiſynagogi, Angelos utiliter, prudenter, ſanctè, à nobis invocari poſſe: quia nempe nos amant, juvare poſſunt, ſciunt auxilii indigos. ut Zach. 1. Matth. 8. paſſimque alibi in ſacris Literis videre eſt. Quidni ergo eamdem ob cauſſam fateantur, Sanctos utiliter, prudenter, ſanctè invocari? Sunt enim in cælis *ſicut Angeli Dei*; amant, ut illi; poſſunt, ut illi; ſciunt ut illi: ergo laudabiliter invocantur, ut illi. Conſtringit Ægyptios quoſdam, Angelorum invocatores, illa ratiocinatio: hæc quam ſubjicimus omnes æquè urget, ab ipſorum adhuc nemine diſſoluta, ut ait Bellarminus. Si Sanctos fatis functos invocare non licet, aut fruſtra eſt; idcircò fas aut proficuum non eſt, quia invocari nolunt, vel quia nihil poſſunt, vel quia res & preces noſtras ignorant, vel quia ipſis invocandis Chriſto fit injuria. Atqui volunt, quia caritate non carent: poſſunt, quia ſunt amici Dei: ſciunt, quia in luce cognitionis verſantur: injuria Chriſto non fit, alioquin neque Angelos invocare fas foret, nec liceret ſeſe commendare orationibus viventium.

VII. *Traditione Apoſtolicâ manavit ad nos invocatio Sanctorum.*

Meritò igitur Eccleſia Chriſtiana, jam inde ab Apoſtolicis temporibus, & Apoſtolicis inſtitutis, Sanctorum auxilium publicis orationibus inter ſacrificia, inter alia officia divina, in cœtibus ſuorum imploravit. Meritò Chriſtiani, perpetuâ traditionis doctrinâ ſecuti, Sanctos in animarum, corporum, familiarúmque periculis invocavêre. Jure Auguſtinus lib. 7 de bapt. con. Donat. c. 1. de S. Cypriano dixit, *Adjuvet nos Cyprianus orationibus ſuis, in iſtius carnis mortalitate tamquam in caligínoſa nube laborantes, ut, donante Domino, quantum poſſumus bona ejus imitemur.* Jure Hieronymus epiſt. ad Paullam de obitu Blæſillæ, ſeſe & Paullam Blæſillæ mortuæ precibus commendatos eſſe non ambigit: *Pro te Dominum rogat, mihiq; veniam impetrat delictorum.* Duos illos doctiſſimos Patres, alia paſſim multa & clara de Sanctis invocandis elocutos, velut Oniam, & Jeremiam, aureo virtutis ac ſcientiæ gladio metuendos, precibúſque ſuis æquè ac ſcriptis cauſſam Hieroſolymitarum fulcientes, Ægyptiis omnibus oppono. Illóſne tantùm, inquis? Tantùm: quia nolo actum agere; præſertim, cùm quæ Exc. ad c. 6. ſect. 3. de reliquiis ſcripſimus, huc transferri omnia poſſint. Neque enim ſine Sanctorum invocatione coluntur reliquiæ Sanctorum, & ad illas miracula perpetrantur. Cæterùm, ſi plures de hoc argumento Patrum ſententias, manifeſtámque ſæculorum aureorum conſuetudinem ac traditionem, volueris, conſule antiquiſſimas quaſque Liturgias: in iis enim omnibus diſertam, & repetitam, Sanctorum non commemorationem modò, ſed invocationem invenies.

VIII. *Cultus Sanctorum ratione fultus.*

Eadem colendorum Sanctorum cauſſa eſt. Iſtum nobis cultum & ratio præſcribit, & traditio imperat. Cuique enim excellentiæ congruus, & pro portione reſpondens, honor deferendus eſt: Sanctorum autem excellentia eſt à divina gratia, à beatitudine æterna: debetur ergo Sanctis honor, gratiæ illi ac gloriæ admenſus. Atqui amicitia divina, & beatitudo æterna, longè dignitatem omnem humanam ac civilem exſuperant: atque adeò debetur illis honor, humano omni ac

civili

civili superior. Itaque sacer ipsis quidam, & ad religionem pertinens honor, deferendus est: tantò tamen adoratione Deo debitâ inferior, quantò Deus Sanctis superior est, & bonitas increata creatam exsuperat. Consequitur præterea, inter Sanctos plùs iis deberi reverentiæ istius sacræ ac religiosæ, qui plùs gratiæ apud Deum obtinent, & plùs gloriæ accepêre. Constat enim, quomodò meritorum & operum inter Sanctos inæqualitas est, ita esse inæqualitatem præmiorum, ut ait Gregorius l. 4. Mor. c. 31. ad illud, *Parvus, & magnus, ibi sunt.* Et verò, ut scribit Ambrosius lib. 10. ep. 81. ad Syricium Papam: *Agrestis ululatus est, paupertatem quamdam cœlestium remunerationum inducere; quasi Christo una sit palma, quam tribuat, & non plurimi abundent tituli præmiorum.* Quare Theologi, vitandis vocum quæstionibus, & litibus nominum, ut appellationes rebus aptarent, latriam soli Deo tribuêre, Sanctis duliam: inter Sanctos tamen, excellentissimæ gratiâ & gloriâ Virgini, hyperduliam.

IX. Ostenditur in Oniæ & Jeremiæ viso.

Hæc etiam ratiocinatio nostra fulciri potest Hagiographi verbis. Ait enim Judæ Oniam visum, non alio fermè habitu, quàm, cùm in vivis agebat: Jeremiam verò apparuisse *gloriâ mirabilem, & magni decoris habitudine*, seu, ut Græcè esse advertimus, *magnificentissimâ excellentiâ.* Est ergo defunctis quibusdam excellentia, aliisque atque aliis major. Atque adeò debetur defunctis ob eam excellentiam honor, majórque ac major pro excellentiæ gradu. Nec dubito, quin Machabæus, in eo viso, somnióve fide digno, quando gladium aureum à Jeremia accepit, magnâ submissi animi ac venerabundi significatione acceperit. Non quia Jeremiæ sese civiliter submittere deberet, Dux populi plebeio, Pontifex Summus sacerdoti. Sed quia veneranda ipsi erat gloria ista mirabilis, magni decoris habitudo, & magnificentissima excellentia, præcipuæ amicitiæ divinæ & singularis sanctimoniæ index. Spiritualem ergo, & supernaturalem in Jeremia eminentiam, honoravit Machabæus: atque adeò cultu plusquam civili, ut honoris gradus gradui dignitatis conveniret. Si plusquam civili cultu, igitur sacro ac religioso, etsi longè infra illum, quem Numini adorando debebat.

X. Consequitur ex honore Angelis debito.

Ab Angelorum cultu, itidem ut ab Invocatione, argumentum ad Sanctorum venerationem ducamus. Angelos Abrahamus, Loth, Isaacus, Balaam, Josue, Daniel, aliique adoravêre, id est venerati sunt: neque enim tam irreligiosi fuêre, vel bardi, ut adorationem soli Deo debitam ad Angelos transferrent. Præcepit Deus Israëlitico populo, ut Angelum itineris ducem observaret. Joannes Evangelista prohibitus, Apoc. 19. ab Angelo, honoris caussâ, ne adorabundus ante ipsum procideret: eamdem tamen adorationem rursum tentat cap. 22. quod fas ipsi post priorem prohibitionem non fuisset, si Angelus adorationem vetuisset tamquam illicitam. Atqui Sancti eodem sunt gradu, eâdem dignitate, eâdem venerationis caussâ, quâ Angeli: eodem igitur modo adorandi, & colendi, aut, ne lis vana de nomine fiat, honorandi sunt.

XI. Consequitur item ex veneratione Sanctorum adhuc viventium.

Aliam nobis rationem offert Augustinus l. 20. con. Faustum, ex veneratione Sanctis adhuc viventibus deferri solitâ. Objecerat Faostus c. 4. apud Catholieos idolis Martyres successisse. Respondet ille cap. 21. ab Antistibus ad altare non dici, *Offerimus tibi Cypriane, Petre, Paule*, sed Deo offerri in memoriam Martyrum: sicque Sanctos mortuos honorari, ut Sanctos vivos; *illos tantò devotiùs, quantò securiùs, post omnia incerta superata.* Licuisset Judæ Machabæo, quando lapides altaris contaminati seponendos judicavit, donec surgeret *Propheta fidelis*; prophetam talem fidelem venerari, ob prophetiæ donum, ob fidem, ob meritum, ob sanctimoniæ indicia, ob gratias supra naturam divinitùs collatas. Quantò *devotiùs, & securius*, nobis honorare licuerit prophetam piè mortuum, Sanctum cum Deo viventem; non gratiis modò numquam perituris aut mutaturis donatum, sed, *post omnia incerta superata*, beatitudinis sempiternæ compotem; eò viventibus Sanctis excelsiorem, quò altior est certa tantorum bonorum possessio, spe consequendi?

XII. Apostolicâ traditione stabilitur.

Errare itaque tali cultu, Christiane, non potes, præferente primùm facem ratione: dein præeunte Ecclesiâ universâ, ex Apostolici usque ævi moribus. Consuetudinem Ecclesiæ manifestam asserunt homiliæ Sanctorum Patrum de Sanctorum laudibus panegyricæ, & hortatoriæ ad illos honorandos, atque imitandos. Et hîc duorum omnino Orientalium Doctorum, quomodò antè Occidentalium duorum sententias advocabo: ut, Oniæ instar & Jeremiæ, gladium itidem aureum præbeant, dejiciendis adversariis populi Hierosolymitani. D. Basilius hom. de S. Mamante opilione Martyre: *Mementote hujus Martyris . . . quicumque in hoc loco adjutorem illum ad precandum habuistis: quibuscumque nominatim invocatus adfuit: quotquot aberrantes reduxit in viam: quoscumque sanitati restituit: quibuscumque filios jam mortuos excitavit, & reddidit vivos: quibuscumque terminos vitæ prorogavit . . . . Vides honorem constare ex virtute, non ex divitiis? Hunc in modum Ecclesia eos, qui præcesserunt, honorando, ad ea ipsa sectanda superstites hortatur.* Basilii amicus D. Gregorius Nanz. ipso orationis in Machabæorum laudem initio, dicit: de Martyribus istis id esse festum, πανήγυριν, *dignorum qui ab omnibus honorentur*, πᾶσι δὲ τιμᾶσθαι ἀξίων. Sub finem, postquam Sacerdotibus proposuit exemplum Eleazari, fœminis exemplum matris: adolescentes hortatur, *ut sacros illos pueros Martyres vereris*, τοὺς ἱεροὺς αἰδούμενοι παῖδας, *juventutem, non cupiditatibus obscænis, sed gloriosè adversùs vitia, & quotidianum in membris nostris pugnantem Antiochum, certamini impendant.*

XIII. Sacrarum rerum imaginibus sacrum honorem exhiberi ratio postulat.

A cultu Sanctorum, ad hooorem imaginum, transitus facillimus est. Quidquid enim imagini exhibemus, ad illum refertur cujus imago est: neque in tela picta, aut papyro impressa, vel ligno marmoréve secto, vel ære argentóve, aut auro fuso, venerationem sistimus; sed illi eam reddimus, cujus forma oculis objicitur. Itaque si Dei imago est, ad intelligentiæ humanæ imbecillitatem accommodata figuris invisibilem, & incogitabilis infinitudinis, spiritum exhibens: Deus in illa supremo cultu adoratur. Si Angelorum immaterialium figura, ad eamdem captûs nostri infirmitatem adjuvandam, expressa est; religioso quodam & sacro honore in ea figura Angeli afficiuntur. Si Sanctorum hominum effigies veneramur; Sanctos ipsos homines veneratio respicit. Quemadmodùm, ut ait Ambrosius serm. 10. in ps. 118. *Qui imaginem coronat Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit: & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utique fecisse videtur injuriam.* Quemadmodùm etiam qui statuæ Imperatoriæ cultus exhibetur, civilis est; quia Imperatori ipsi alius, quàm

quàm civilis, cultus non debetur: ita qui ſacris ſtatuis, aut imaginibus defertur, ſacer eſt, quia cultus ſacer debetur perſonis ſacris, proportione ſanctitatis.

XIV. Honoravit Machabæus imaginaria corpora Oniæ, ac Jeremiæ.

Habebit & hæc ratio fulcimentum ſuum, ex Oniæ ac Jeremiæ viſo. Agnovit enim utrumque Judas, Onjam ex conſuetudine forſan familiari, Jeremiam ex conſpectis ipſius imaginibus, quarum uſus Judæis prohibitus non fuit: veneratus item utrumque eſt Judas, & venerari debuit, ob ſanctitatis, gloriæ, excellentiæ, ſpectabiles notas. Atqui conſtat utriuſque animam non in corpore proprio viſam eſſe, ſed in imaginario, ac mutuato. Imagines igitur Oniæ, ac Jeremiæ, honoravit Judas. Neque enim animas illorum ſolitarias, ſed velut corporibus conjunctas, honoravit, id eſt, qualecumque iſtud erat quod ipſi per viſum objiciebatur: ſicut quando viventem hominem veneramur, toti homini, hoc eſt animo & corpori, venerationem deferimus. Nec refert, quòd imagines illæ corporum Oniæ, ac Jeremiæ, animatarum inſtar fuerint: animatæ enim revera non fuerunt, ſed ex aere vaporibúſque compactæ, nihilóque plùs cultu dignæ, quàm ligneæ metallicæve imagines.

XV. Sancti corporeas Angelorum imagines honoravêre.

Non abſimile argumentum, ab Angelorum apparentium cultu, duci poſſit. Corpora aſſumpſêre, id eſt imagines corporum: in iis ab Abrahamo adorati ſunt, à Joſue, à Daniele, religioſo utique non civili cultu. Sic in corporibus imaginariis adorati ſunt, ut corporibus iſtis ſimul honor exhiberetur; quia unum quiddam cum ipſis erant, eóſque velut conſpicuos exhibebant. Honoratæ itaque ſunt à Patriarchis, & Prophetis, Angelorum imagines: atque adeò honorari poſſunt. Neque enim tanti viri peccavêre, vel intellectûs errore, vel voluntatis: ut exiſtimârint Angelos revera eſſe corporeos, aut colere voluerint, quod non liceret. Præterea Arcam Teſtamenti inumbravêre Cherubini, de qua pſ. 95. dicitur *adorate ſcabellum pedum ejus*. Adoratæ igitur fuêre Cherubinorum imagines, ſimul cum Arca: Arcâ utique etiam ipsâ ſanctiores, ad illámque additæ majori honori conciliando. Imò Hieronymus, epiſtolâ ad Marcellum, exiſtimat, Cherubinorum dumtaxat cauſſâ Moſaicum tabernaculum Hebræis venerationi fuiſſe. Quid, quòd Arca, divino juſſu fabricata, culta, aſſervata, miraculis celebrata, per Jeremiam elata & divinitus abſcondita, quædam fuit divinitatis imago, aut monumentum? Si ergo Arcam venerari non fas tantùm, ſed debitum fuit, etſi ob idololatriæ periculum Judæis aliarum imaginum cultus vetabatur: jam, ſemoto longè omnis idololatriæ periculo, proculcatiſque idolis, licebit ſacras imagines honorare; de iſtorum enim numero ſunt, *quæ hominibus nota, quia per homines fiunt, honorem tamquam religioſa poſſunt habere*, ut loquitur Auguſtinus lib. 3. de Trin. cap. 10.

XVI. Apoſtolicâ ætate, & imitatione, cultæ imagines.

Conſuetudinem autem iſtam in Eccleſiis adeò invaluiſſe, mirum non eſt, cùm Apoſtoli præiverint, ut Baſilius ait orat. in Jul. adductus ab Adriano Papa in epiſt. ad Imperatores, Synodi 7. act. 2. *Hiſtorias imaginum honoro, & palam adoro: hoc enim nobis traditum à Sanctis Apoſtolis, non eſt prohibendum*; quorum utique Apoſtolorum ævo, imagines Chriſti & Virginis, à D. Luca depictæ, Chriſti item Edeſſana imago, velo Veronicæ impreſſa cruenta facies, ſtatua hæmorrhoiſſæ juſſu erecta, viſebantur. Apoſtolicæ traditionis certa probatio eſt, Patrum unanimis ſententia. De multis duos hîc etiam ſolummodò proferemus, Oniæ inſtar & Jeremiæ, Machabæum adversùs ſacrilegi Nicanoris conatus armantium. Chryſoſtomus in Liturgia: *Sacerdos*, inquit, *de parvo oſtio egreditur, Evangelium geſtans, præeunte miniſtro cum lucerna, &, ad imaginem Chriſti inter oſtia duo converſus, caput inclinat.* En capitis inflexionem ad Chriſti effigiem, qualem hodiéque, ex Eccleſiæ ritibus, ſacerdotes ad celebrandum prodeuntes Chriſti cruci affixi imagini exhibent. Ambroſius, oratione de obitu Theodoſii, adorandam eſſe non Chriſti modò, ſed etiam crucis imaginem pronuntiat, hiſce verbis: *Sapienter Helena egit, quæ crucem Chriſti in capite Regum levavit, & locavit, ut crux Chriſti in Regibus adoretur.* Unâ operâ de imaginum cultu loquimur, & de cultu crucis: quia una hujus, & illarum, cauſſa eſt. Nam ſi crucis imagines adorantur, ſanctéque inclamat Lactantius carm. de Paſſione Domini:

Flecte genu, lignumq́, crucis venerabile adora,

& Sedulius affirmatè ſcripſit, *Speciem crucis eſſe colendam*: indubitatum eſt, Chriſti ipſius Sanctorúmque imagines potiori jure venerandas eſſe, quia longè perfectiùs venerandam ſanctimoniam exprimunt, & propriùs ſpectant, quàm ſpecies crucis.

SECTIO SECUNDA.

Quid adversùs iſtam invocationem, & cultum, Ægyptii objiciant?

I. An fruſtra invocentur Sancti, neque audiant invocantes?

SI quidquid ex Onio in Sanctos & imagines declamatum eſt, hîc acervare voluero, non rationum cumulos fecero, ſed convitiorum & calumniarum ſtrues aggeſſero. Duas itaque omninò rationes, quæ archiſynagogis Ægyptiis videntur firmiſſimæ, adversùs invocationem Sanctorum, totidem adversùs eorum cultum, binas item adversùs ſacrarum imaginum venerationem proferam: ut ex earum infirmitate de cæteris præjudicium fiat. Sapientis, inquiunt, monitum eſt: *Ubi non eſt auditus, ne effundas ſermonem*, alioqui operam perditurus, & pro fructu, aut applauſu, reportaturus ludibrium. Atqui Sanctis in cælo non eſt auditus, ad auſcultandas preces mortalium, tam longè ab ipſis orantium; tam multorum, eodem tempore, ex diſſitis locis, diſſona, & varia, poſtulantium: ut importunis illis invocatoribus, & inclamatoribus, idem dici deridiculo poſſit, quod profanis Baalis ſacerdotibus ab Elia dictum eſt 3. Reg. 18.

II. Etſi Sancti non audirent: audit tamen Deus, & exaudit.

Parciùs iſta, obſecro, nobis, Ægyptii fratres: neque enim Baalem colimus, nec Sanctos habemus pro diis, neque illos rerum auctori cum Baalicis myſtis opponimus; etſi apud credulam plebeculam talia de nobis veſtrûm aliqui jactitare non verentur, idoláque & idololatriam identidem increpare. Sed, prætermiſſis convitiis, argumenti veſtri nervos ſuccidamus, quemadmodùm Syrorum equis à Davide factum. Audiri à Sanctis preces noſtras, atque adeo fruſtra eſſe, affirmatis. Eſto, non audiantur: non idcirco tamen fruſtra ſunt. Audit Deus, cui gratus eſt honor Sanctis ſuis, fiduciâ & invocatione, impenſus: nihil autem fruſtra eſt, quod Deo gratum eſt. Quid ſi parens, liberorum amantiſſimus, ex iis unum audiat à mendico aut ægro ad

opem

opem inclamari : nonne ipse ex filii, neque audientis, nec præsentis, amore, ad auxilium egenti impendendum movebitur? Longè à oobis peregrinantium, imò pridem demortuorum amicorum commemorationi hoc damus; ut qui meminêre, noménve illorum interponunt, benevolentiâ, & beneficentiâ prosequamur. Non placebit Deo commemoratio & imploratio amicorum suorum: non aliquid tribuet honori illorum, ac oomini? Frustra sese orari olim voluerit commemoratione Abraham, Isaac, & Jacob: frustra peti ab Hierosolymitis *2. Mach. 1. ut *benefaciat* Ægyptiis fratribus, *& meminerit testamenti, quod locutus est ad Abraham, & Isaac, & Iacob, servorum suorum fidelium?* Si autem frustra Sanctorum, nondum licèt beatorum, oomen interpositum non est: vana certè hodie oon erit Sanctorum beatorum interpositio.

III. Sancti cum Deo preces nostras audiunt, aut in ipso, aut ex ipso, neque inde quidquam habent inquietudinis.

Eoque utilior erit, quòd Sancti ipsi postulationes nostras intelligunt, in Deo, vel ex Deo; in Deo intelligente, vel ex Deo revelante. Primam intelligendi rationem indicavit Gregorius sect. sup. num. 4. alteram ibidem Augustinus. Quamquam & primam Gregorius ex Augustino hausisse potuit, lib. 11. de Civit. cap. 7. & lib. de Gen. ad lit. capitibus pluribus, præsertim 21. ubi de matutina disputat, & vespertina cognitione Angelorum. Item lib. 65. quæst. quæstione 26. *Creatura*, inquit, *plùs videtur in arte, quà facta, quàm in seipsa, qua facta est.* Tum lib. 83. quæst. quæstione 46. ait, *ideas videri ab anima pura, quatenus sunt propria rationes rerum singularum.* Ex ea igitur Gregorii Augustinive sententia, Sancti dum Verbum divinum, rerum omnium creatarum ideam, intuentur, in eo simul res creatas conspiciunt : atque adeo postulationes nostras videre, quæ utique sine ope creatoris produci non possunt. Quemadmodùm qui architecti, pictorisve, structuram picturámve cogitantium, mentem penitùs inspiceret; paries ædificii omnes, & tabellæ convenientiam oniversam, intueretur. Si cui tamen ista postulationum nostrarum intelligentia difficilior videbitur, & verò difficilis nobis Excurs. 1. ad cap. 8. sect. 4. num. 8. visa est : decurrat ad alteram. Nemo enim non facillimè Sanctis vita functis concedet, quod viventibus negare non audeat: ut divinitus possint rerum arcana, & intimas mentium cogitationes, ac volūtates, pernoscere; quemadmodùm Samuel Sauli, Elisæus famulo suo ac Regi Syriæ, Nabuchodonosori Daniel, Philippus Nerius peccata celantibus, Angeli in cælo peccatoribus resipiscentibus fecêre. Nec metuendum est, ne Sanctis multiplex postulatorum nostrorum attentio quidquam de beatitudinis suæ quiete diminuat: quemadmodùm Angelis, semper videntibus faciem Patris, nihil de fælicitate & pace detraxit cura numerosissimi popoli, per solitudinem traducendi, primogenitorum per Ægyptum universûm mactandorum, delendi nocte unâ ingentis exercitûs, congregandorum in sæculi messe zizaniorum & tritici colligendi. Et verò nescio quis Sejanus, Imperii totius Romani sub Tiberio Principe curis distentus, potuit videri *actu otiosis simillimus*, tranquillitate in oegotiis immensis imperturbatâ : noo possint Sancti, citra ullum tranquillitatis detrimentum, precibus nostris audientiam accommodare, attentionem negotiis?

IV. Sine mediatoris Christi injuria orant

Quid autem, quòd quemadmodùm *unus Deus* est, 1. Tim. 2. ita *unus & mediator Dei & hominum homo Christus JESUS*? Injuriam ergo Christo facit, qui mediatores multiplicat, Sanctos ad Deum allegando, ipsisque interventoribus utendo. Ita disputant Ægyptii. Sed *sagitta parvulorum facta sunt plaga eorum, & infirmata sunt contra eos lingua eorum.* Nam si Sanctorum demortuorum interventione ad Deum uti non licet, quia mediator *unus est Christus : eamdem ob caussam non licet vivos ullos precatores & interpellatores adsciscere. Atqui hoc fas est: & istud igitur. Negaverintne Ægyptii vivos orare pro vivis, & exorare? Id, opinor, oon ausint, ne protinùs non Jobos modò, Abrahamos, Moses, Aarones, Samueles, & quotquot Christum Sancti præcessêre, Deum pro aliis deprecantes adducamus : sed Petros etiam, Paullósque, & quidquid hactenus Christianorum fuit, post unius mediatoris mortem, mutuis sese apud Deum orationibus juvantes, ostendamus. Orant itaque pro invicem vivi ut salventur, ot sint incolumes, ut prosperè agaot; idque citra ullam faciunt unici Mediatoris injuriam : atque adeo idem possunt pro vivis mortui. Licuit Paullino Severi amici orationibus ad Deum sese commendare: eodem jure licuit ep. 12. ad Severum Clari Episcopi & D. Martini mortuorum preces postulare, istis ad Clarum verbis :

vivi pro vivis, ergo & mutui.

Hac peccatorum bonus accipe vota precantûm,
Ut sis Paullini Therasiaq; memor.
Sic cum Martino socia pietate labores,
Ut vincant vestra crimina nostra preces.

V. Quomodò Sancti sint mediatores?

Jam quod ad *unius Mediatoris* titulum attinet, qui Græcè dicitur εἷς μεσίτης : certum est, si eo nomine Redemptor intelligatur, Christum unicum esse Redemptorem : si sumatur, qui Deus sit & homo, sic etiam Christum onicum esse : si accipiatur, qui accedat per semetipsum ad Deum, altero mediatore noo indigens, & hoc modo Christum solum esse, semper interpellantem pro oobis. At si mediatoris oomine significemus secondarios interventores, qui apud Deum Christi merita pro oobis allegant, vel Christum ipsum pro nobis interpellant : hac ratione Sancto cuilibet, tum mortuo, tum adhuc superstiti, mediatoris, ioterventoris, advocati titulus convenit. Sic D. Bonaventura lib. de sex alis cap. ult. *Est Prælatus*, inquit, *mediator inter Deum, & subditos: ut sicut Dei negotium gerit apud illos, docendo, &c. agat etiam negotia eorum apud Deum, placando, impetrando, &c.* Nonne ipsi iu* Onio suo fratres Ægyptii mediatorum apud Deum officia invadunt, quando, præeunte archisynagogo, publicas orationes fundunt pro Principibus, pastoribus, variis hominum classibus, & ad extremum pro miseris fratribus suis sub Antichristi tyrannide dispersis? Vos homuli, ab Hierosolyma extorres, à vero Templo exclusi, io regione ombræ mortis sedentes, pro aliis apud Deum agitis, pro vobis per alios agi gaudetis, nec Mediatoris unici offensam veremini: Sanctos tamen, ad visionem pacis æternæ admissos, pro oobis Deum precari, à nobis ad Deum allegari, noo vultis, ne Christo mediatori unico fiat injuria? Quæ isthæc ratiocinandi temeritas est?

VI. Adoratio soli Deo debita est.

Pari audaciâ honorem Sanctis exhibitum, cultûs divini injuriam interpretantur. Adorationem enim Deo soli deberi, soli Deo honorem, & gloriam. Sic præcepta divina statuere: sic doctissimos quosque Patrum explicâsse. Augustini lib. de quant. animæ cap. penult. hanc esse sententiam: *Deus solus est, animæ, colendus est, qui solus ejus est auctor. Homo autem quilibet alius,*

quamvis sapientissimus, & perfectissimus, vel prorsus qualibet anima, rationis compos atque beatissima, amanda tantùm atque imitanda est, eiq; pro merito atque ordine, quod ei congruit, deferendum. Eodem modo de Sanctis loquitur lib. de vera religione cap. 55. *Honorandi sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.* Sermone item tot. de diversis, quemplam inducit ex Diacono Eulogio de Fructuosi Episcopi & Martyris cultu sciscitantem: *Ait illi, Numquid & tu Fructuosum colis? Et ille, Ego non colo Fructuosum, sed eum colo, quem colit & Fructuosus. Quomodò nos admonuit, ut Martyres honoremus, & cum Martyribus Deum colamus?* .. *Si dicatur tibi, Numquid tu Petrum colis?* *Responde, quod de Fructuoso respondit Eulogius: Ego non colo Petrum, sed colo eum, quem colit & Petrus. Tunc te amat. Nam si volueris pro Deo habere Petrum, offendis petram: & vide, ne pedem frangas, offendendo in petram.*

VII. Non deferi Sanctis, sed cultus longè inferior.

Vulnus nostro Sanctorum cultui inferre te putas, frater Ægyptie, istis Augustini verbis: fer simul facis medicinam. Eadem enim, quæ illum tibi videtur damnare sententiâ, nobis commendat. Quid enim istud significat, animæ beatæ *pro merito atque ordine, quod ei congruit, deferendum?* Quid ista, *Sancti honorandi sunt, Martyres honoremus?* Qui honorat, nonne cultum impendit? Nonne colit, qui pro merito defert? Nonne ordo, & meritum beatæ animæ, omni cultu civili superiora suot, atque adeò postulant, ut excellior reverentia deferatur? Vult igitur Augustinus, Sanctis honorem, pro excellentiâ suæ portione, deferri: at non supremum illum cultum, qui soli Deo debetur. Sic respondit Eulogius, Fructuosum Martyrem à sese non coli. Sic statuit Augustinus, non colendum Petrum, sed colendum quem colit & Petrus; quia sacrilegium immane est, *pro Deo habere Petrum.* Nobis Sancti pro Deo non sunt; sed pro servis, & amicis Dei, admissionis intimæ: talemque illis cultum, honorem, venerationem, adorationem, seu quo alio vocabulo appellare placuit, impendimus; ut immenso intervallo à Numinis infinitudine, ac suprema Majestate, absesse non ignoremus.

VIII. Insania eorum, qui Sanctos in Ecclesia celebres tollunt.

At numquid omnes, qui coluntur, Sancti sunt? imò, an omnes in rerum natura fuerunt? Sic disceptant Ægyptii, aliique atque alios Sanctos adducunt; quorum vel res, vel appellationes, ipsis videantur esse fictitiæ. Sed hoc primùm respondero: etsi daremus, Sanctorum aliquos esse supposititios, non tamen idcircò proscribendum Sanctorum cultum; quemadmodùm, non idcircò amici salutandi non sunt, quia ignoti homines aliquando amicorum habitu salutantur. Deinde, negavero, Sanctum ullum Ecclesiæ totius moribus coli, qui Sanctus non sit, quémque ipsi de sui honoris gradu ac possessione deturbare queant. Denique ipsis opposuero istud Augustini ep. 118. ad Januar. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissima insania est.* Cui Augustinianæ sententiæ adscribatur hæc Calviniana appendicula ex 1. Inst. c. 8. *Si quis in dubium revocet, fueritne unquam vel Plato aliquis, vel Aristoteles, vel Cicero, quis non colaphis, aut flagellis, castigandam talem insaniam dicat?* In eo Sanctorum, ab Ægyptiis exagitatorum, numero est Alexandrinæ urbis, & Sinæ montis decus Catharina, D. Pauli sanctissimi anachoretæ de quo an. 956. Baronius, B. Alnysii nostri Angelici, S. Ludgardis Tongricanæ & Aquiriensis, Divorúmque & Heroûm plurimorum, patrona singularis: duplicem persecutionem passa; à Maximino unam, alteram à Calvinianis ac Lutheranis; illâ crudeliorem, quippe quæ non vitam solùm, sed existentiam petat. Vindicias eruditissimas scripsit Serarius noster in Litaneutico, unde ab S. Antonino, & Thoma Cantipratano, ad Rufinum usque & Eusebium, ipsámque adeò Catharinæ seu Dorotheæ, binomia enim est, ætatem, testes pro illa perpetuos possis adducere. Habet ibidem de Sancto Georgio, Christophoro, aliisque: quorum imagines partim symbolicas, partim historicas, Ægyptii homines plusquam Alexandrinis scommatibus insectantur, audéntque petulantissimâ falsitate, figmenta, fabulamenta, larvas appellare. Quasi idcircò Sanctus quispiam in rerum natura fuisse negandus sit; quia fabulosa quædam de illo ab rudioribus scriptoribus circumferuntur: quomodò si quis neget Tongrim usquam esse terrarum, quia fabulis deformata est antiquitas.

IX. Imagines pro diis non habendæ.

De imaginibus sacris generatim hoc habe. Omni homines sciunt, legis divinæ, quam Christus non venit solvere sed adimplere, præcepto disertè proscribi adorationes sculptilium, omnigenarúmque imaginum. Neque enim sculptilia universim, & imagines, ac similitudines qualibet rerum creatarum prohibentur: quandoquidem constet, in ipsis Mosaici tabernaculi adytis statuas fuisse collocatas; jusso divino fusum, & in sublimi propositum, à Moyse serpentem æneum; in templo Salomonico passim spectatas Cherubinorum imagines. Sed ea vetantur effigies, quæ falsorum deorum cultum & idololatriam inducerent, sacrilegéque à populo ad idololatriam pronissimo adorarentur: id est, ut colerentur vel tamquam dii, vel tamquam deorum effigies. Atqui Christiana plebs sacras imagines neque ut Deos colit, neque ut effigies deorum, ut ex Tridentini Concilii decretis manifestum est sess. 25. Quis enim vel simplicissimorum Christianorum, si Oniæ verbi caussâ aut Jeremiæ imago ipsi, quemadmodùm Machabæo, proponatur honoranda; eâ imagine non nesciat nec Deum exhiberi, nec Dei effigiem, sed viri duntaxat sancti & venerabilis, qui Dei servus fuerit?

X. Docendus rectè usum & cultum imaginum populus, non tollendæ imagines.

Sed nonne à simplicioribus passim audimus, Crucifixorum statuas, in templis positas, deos appellari? Celeberrimum hodiéque est in Artesia nomen Dei Tervanensis. Apud nos à populo nominatur Deus Gemmelacensis seu Gemblacensis, id est Christi flagellati statua, peregrinantium abhinc aliquot retro annos pietate frequentari cœpta. Fatemur locutiones istiusmodi invaluisse apud multos: pro Deo tamen statuas illas à Christiano ullo coli pernegamus. Nemo enim nescit, non Christum esse, sed Christi effigiem: neque hanc propter se coli, sed propter Christum, ad quem refertur, quidquid submissionis ac religionis effigiei impenditur. Eodem modo, de Sanctorum imaginibus ratiocinandum est: & huc referenda Ambrosii sententia ex sect. superi. num. 13. At nonne, inquiunt, Serenus Massiliensis Episcopus, ævo Gregorii Magni, statuas Sanctorum omnes confregit, quòd à populo quasi idola, & simulacra deorum, colerentur? Serení factum sapienter reprehendit Gregorius, lib. 7. ep. 51. ac deinceps pluribus lib. 9. ep. 9. ubi hæc verba præsertim notanda sunt: *Dic, frater, à quo factum sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? Si non aliud, vel illud te non debuit revocare, ut despectis aliis fratribus, solum te sanctum & cordatem*

esse

esse sapientem? Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Certè si idcirco tollendæ sunt imagines, quia nonnulli iis abutuntur: quàm multa, rectè constituta, tollenda erunt, quia quidam illa ad non rectos usus vertêre? De cælo ipsis Sol, Luna, & omnis militia cæli detrahenda fuerint, quia eorum pulcritudine quidam delectati deos putaverunt. Doceantur itaque, ut ibidem Serenum Gregorius monet, Christiani, quo pacto rectè imaginibus utendum sit, non proscribantur imagines: *Quia in locis venerabilibus Sanctorum depingi historias, non sine ratione vetustas admisit*, ab ipsis usque sanctissimis & Apostolicis sæculis: etsi iconomachi, primis quinque sæculis Christianis, pernegent visas in sacris ædibus imagines; quas tamen etiam in altaribus, adeóque in calicibus ipsis pictas fuisse, sculpiásve, vel ex Tertulliano didicisse potuerant lib. de Pudic.

XI. Idololatræ qui falsitatem colunt præ veritate.

Congerunt & alia Ægyptii adversùs imaginum cultum ex Pseudosynodis Francofurtensi, & Constantinopolitana, ex Pseudocarolinis libris, ex veteribus priscorum iconoclastarum calumniis. Inclamant, nos idolorum cultores, simulacrorum adoratores, idololatriæ fabricatores. Quibus istud Augustini reponimus de mor. Manich. cap. 3. ubi agitur de mali definitione: *Quæso advertite, quasi vigilate, quæso deposito studia partium; & verum, non vincendi, sed inveniendi, gratia quærite.* Si verum amatis, sactásne imagines, non vanas utique nec falsas aut simulatas, idola inania & falsa simulacra vocabitis? Si studiis partium à recto non avocamini, nósne adoratores imaginum censebitis, postquam toties audistis Sanctos in suis imaginibus honorari, inferiore longè cultu, quàm immensa & Sanctorum domina creatrixque divinitas? Quid si ego vos contrà idololatras nominârim, qui hæresin, ab Hieronymo eleganter in cap. 2. Habacuc idolum appellatam, præ veritate satis jam vulgo cognitâ, colitis? Lib. 2. Reg. cap. 20. de Abela urbe dicitur: *Nonne ego respondeo veritatem in Israel?* Chaldæus & Sept. habent: *Nonne ego sum pacifica, & firma in Israel?* Veritas nempe pacatè quærenda est: veritas inter impugnantium assultus semper firma est.

XII. Infausti iconomachorum exitus.

Hanc nostram de imaginum sacrarum cultu veritatem multi per intervalla insectati sunt: sed firma stetit, stabitque, ad consummationem sæculi, diffluentibus illius adversariis, & infælici exitu pereuntibus plerisque, vitæque æternæ supplicia mortis repentinæ acceleratione occupantibus. Funestas iconomachorum neces recensent varii, qui de hac controversia fusiùs scripsêre: binas ego omnino proferam, in Belgio spectatas ad annum 1566. hoc chronico ex 1. Mach. 3. signatum, sanCta tVa ConCVLCata sVnt, et ContaMInata. Silvæducis, impii quidam imaginem D. Antonii bipennibus petiêre: mox igne sacro, quem vulgus ignem D. Antonii nominat, percussi; granísque piperis instar carnem consperfi, postridie infæliciter obiêre. Ita eo anno narrat Spondanus, ex Lindano Episcopo Ruræmundensi. Valentianis, in D. Joannis æde, cùm Calvinista quidam effigiem sacram detraheret, atque insultabundus clamaret, Videamus aitne huic Sancto intestina: mox statua in impii caput illapsa, seminecem solo afflixit. Ipso in loco sacrilegam animam exhalâsse narrant quidam, inquit scriptor Valentianensis historiæ.

XIII. Maximâ reverentiâ D. Borromæus imagines tractat, ut Machabæus lapides sacros.

Similem exitum formident, quicumque adhuc iconomachiam spirant. Nos Ecclesiæ consuetudine instructi, sanctissimorum hominum exemplis edocti, imaginibus sacris venerationem debitam eò exhibeamus fidentiùs, quò altiùs Oniana synagoga obloquitur. Divi Caroli Borromæi sanctimoniam nemo non audiit, & suspexit, quamvis in ipsis Nili ripis natus, & inter crocodilos educatus. Is vir tam castæ religionis, tam emendatæ virtutis, tam incorruptæ mentis, tanti sacras imagines faciebat: ut etiam vetustate corruptas & inutiles, ne profanis manibus indecorè contrectarentur, aut calcantium pedibus protererentur, exurendas statuerit, cinerésque exustarum sub templi pavimento reponendos. Secutus eo in consilio religiosum Machabæi nostri exemplum, qui, ut lib. 1. cap. 4. ad num. 44. &c. notatum est, altari holocaustorum destructo, lapides seposuit *in monte Domûs, in loco apto, quoad usque veniret Propheta, & responderet de eis.* Occasio hîc erat dicendi quippiam de gloria Beatorum; ad id quod de Jeremia scribit Hagiographus, apparuisse *gloriâ mirabilem*, etsi gloria illa index tantùm erat emeritæ sanctimoniæ, & beatitudinis aliquando possidendæ. Sed quia istud de fælicitate Sanctorum argumentum à multis ubertim traditum est, Ecclesiastis illa sufficient, quæ de argumento isto Index noster concionatorius exhibet. Neque enim omnibus placent ejusmodi argumenta communia in Excursibus, quamvis strictim ad concionatorum gratiam, indicata. Et quidam non probavêre inter priora tomi Excursus positam à nobis compendio, quam alii postulârant, de Spe, Fide, partibus pœnitentiæ, peccatorum gradibus & generibus, materiam usui concionatorum: aptiùs, ut aiunt, indici concionatorio assignandam. Itaque isthic erit Excursuum nostrorum modus; postquam non invito, ut spero, Lectori obtulerimus orationem à nobis ad annum tricesimum secundum hujus sæculi habitam de cælesti Musica, Duaci, die Sanctorum omnium, in eorum Sodalitate, ad isthæc Apocalypsis cap. 19. *Audivi quasi vocem turbarum multarum in cælo, dicentium; Alleluia.*

SECTIO TERTIA.

Musica cælestis, ad Dei ac Beatorum laudem, operisq; universi clausulam, panegyris.

I. Musicæ præstantia.

INTER omnes sensuum honestas oblectationes, quas ad hujus infælicis vitæ solatium mortalibus divina benignitas concessit, major & liberalior nulla est, quam quæ vel ex vocis unius suavitate, vel ex plurium inter se consentientium jucundâ modulatione, percipitur. Aliarum enim usus vel certis temporibus, & locis præfinitur; vel non omnis ingenii, nationis, & ætatis est: hæc ubique pariter afficit; nec definitum habet tempus quo placeat, & indolem fermè quamlibet, & gentem, & ætatem comprehendit. Hæc nascentibus obstetricatur, blanditur lactentibus, adolescentes excitat, reficit viros, senes consolatur. Hæc apud cultas & humanas nationes delectamento est, apud barbaras etiam miraculo. Hæc à blandis & benignæ mentis hominibus expetitur, nec respuitur à severis. Ambulantium molle vehiculum est, quiescentium comes, laborantium veluti quædam otiatio, otiantium jucundus labor, mæroris levamen, lætitiæ incrementum

mentum & anima. Diurnæ lucis jucunditatem auget, tenebrarum horrorem minuit: in frequentia solitudinem facit, in solitudine frequentiam. In profanis domibus ad suavem animi remissionem adhibetur; in sacris ædibus, ad teneros sensus pietatis in audientium mentibus imprimendos. Habet enim cantus etiam illud supra reliquas delectationes; quòd hæ in extremis ferè sensibus hæreant, & bruto quodam more solâ superficie tenus blandiantur: ille per aures in animum leniter influat, ejúsque affectiones dulci imperio moderetur, propter secretam aliquam cum humana mente cognationem. Hinc fortassis philosophus aliquis è priscis, musicam hominis animam aiebat esse; Plato etiam, animam Universi.

II. *Est apud nos specimen, & prægustus, cælestis musicæ.*

Sed quorsum ista? Quid ad hodiernæ diei celebritatem de musicæ præstantia loqui? Satis, opinor, Sodales intelligitis: non opus est conjectore. Statui apud vos hodie de exigua quadam æternæ fælicitatis appendice, id est, de Sanctorum sodalium vestrorum cælesti musicâ, pauca dicere. Quam percipere sentiendo, cùm hujus loci & vitæ non sit; necesse est, ut per musicæ mortalis comparationem, veluti per umbras quasdam & rudes picturas, illius dulcedinem ratiocinando colligamus. Solent, qui lucri caussâ peregrinarum rerum miracula circumducunt; ut avidam plebem ad spectandum alliciant, earum imagines in compitis exponere, ac deinde pretium numerantibus, & domum ingressis, res ipsas ostendere. Similem in modum, cùm naturæ debitum solverimus, & æternæ domûs limen intraverimus, tum benignissimum Numen divinæ istius symphoniæ numeris aures nostras implebit: at quamdiu in hujus mundi compitis oberramus, auditui nostro, velut escam & invitamentum cupiditatis, objecit numerosos sonitus hominum artificio modulatos.

III. *Hujus præ illa quæ suavitas, & excellentia ex capitibus quinis?*

Nimirum, ut, eorum suavitate gustatâ, ipsi apud nos disputaremus in hanc consimilémve rationem. Si tantum est in umbra pretii, quantum erit in corpore? Quid de ipsa re judicandum est, cùm rudis imago tam vehementer placeat? Si mortalium moduli tantum habent, quantum habere dicimus & sentimus, suavitatis; de Superorum concentibus quid arbitrabimur? Et illi quidem à mortalibus compositi sunt, & à mortalibus, & in hac infælici terra, & brevi tempore, & ex levis scilicet gaudii motu concinuntur. Hi verò quanto peritiorem habent artificem, suaviores musicos, aptiorem locum, longiorem moram, & caussam justiorem? Deus ipse, artifex est; cælites, musici; locus, Regia Divinitatis; mora, tempus infinitum; caussa, immensa fælicitas. Lubétne pressiùs, & accuratiùs, examinare singula; ut quid intersit inter utramque musicam, vel surdus audiat? Non injucunda nobis erit, Sodales, non infructuosa certè disputatio. Ordiemur ab auctore & cantoribus, in quibus plurimum aiunt esse momenti ad cantuum jucunditatem. Nihil enim est dubium, quin illi numeros intendant, vel remittant; exasperent, vel molliant, pro modo vocis, & ingenii ratione.

IV. *Comparantur inter se auctores immortalis & mortalis musicæ.*

Quis igitur auctor mortalis musicæ? Ut summus sit ingenio, doctrinâ præcipuus, & Orpheo, ut aiunt, superior; homuncio tamen est, cui multum oportet à scientia desit, plus etiam à natura. Quis auctor divinæ? Unus forsan ex beatis hominibus, aut ex geniorum cœtu? Multum id foret quidem: sunt enim ut scientiarum omnium, sic musices intelligentissimi. Sed & hi parum sunt. Ecquisnam igitur alius? Deus ipse musicæ cælestis auctor primus, & artifex est. At quantus artifex? Si ex ipso nomine nondum satis intellexistis quantus sit; interrogate cælorum orbes, qui jam à sexaginta retro sæculis alii aliis internexi volvuntur, harmoniâ quadam & æquabilitate mirabili. Elementa interrogate, quæ contrariis facultatibus, ceu pugnantibus sonis, instructa tam concorditer modulantur. Interrogate mundum, cujus partes singulæ, continuato motu congruentes, jucundissimum concentum efficiunt. Interrogate omnia, nam in omnibus musicæ suæ vestigia Deus impressit, & respondebunt vobis, quantus sit. Ejusdem enim auctoris opus est harmonia Universi, & cantus Beatorum: ab eodem compositio mundi, & cælitum musica proficiscuntur. Ille, ut fons est æternæ dulcedinis, omnibus omnium generum suavitatibus symphoniam temperavit. Ille in ora Sanctorum suorum immisit canticum novum, verè novum, quale non auditum est in terra nostra, canticum laudis & exultationis, canticum confessionis & jubili.

V. *Cantores iidem inter se collati.*

Illo præeunte, & vires, spiritum, numeros suggerente, cælestes musici modulantur; quantâ constantiâ, quantâ peritiâ, quantâ elegantiâ? Quàm dulciter, sine vocis offensione, sine sonorum asperitate, sine hiatu aut concursu, sine lassitudine, nitidissimis, & ab omni terrarum fæce purgatis faucibus, eliquant lubricum illud, & melleum, Alleluia? Et modò vocem attollunt sine exilitatis nimiæ periculo, modò deprimunt sine obscuritate: modò citra perturbationem ullam sonorum summis ima permiscent, inimitabili volubilitate. Nec deest in ordine varietatis gratia. Nunc enim canunt singuli: nunc alternantibus Angelorum choris per vices cantum excipiunt: nunc blandos fidium sonitus, sunt enim & suæ cælitibus fides, intermiscent vocum suavitati: nunc universi pariter audiunt, & audiuntur, & ex mirabili sonorum innumerorum convenientia maximam hauriunt voluptatem. O si vel momento daretur nobis illius voluptatis stillam furtim excipere! Quanto gaudio perfunderemur? Quantis liquesceremus delitiis? Verùm prohibet nos à tanta fælicitate conditio nostra. Quamdiu mortales sumus ad cæli cantum auditus noster obsurduit.

VI. *Cantoris unius cælestis experimentum.*

Vultis igitur ex alterius experimento conjecturam facere, quandoquidem nostro non liceat? Expertus est olim, ut scitis, Franciscus Assisinas. Jacebat is in lectulo, confectus animi corporisque languoribus: &, ad semet excitandum, eamdem, de qua nunc agimus, immortalium musicorum præstantiam apud se meditabatur. Placuit jucundæ meditationis materia magistro cælestis musicæ: &, sive ut amici sui solaretur dolores, sive ut unius experimento disceremus omnes, quàm nihil sit, quidquid de Beatorum concentibus dici, vel cogitari potest, qualicumque tamen de caussâ, unum de cantoribus suis misit ad Franciscum. Ille cellulam ingressus, sic ut audiri posset, non videri, accedit ad lecti caput, & in aurem: Mi sodalis, inquit, imò frater, sodalis enim & frater Sanctorum es, quid frustra cogitas, quod assequi non potes cogitando? Experire potiùs. Et, cum dicto, aureas fides, nam de sono facile fuit fides agnoscere, semel iterúmque percutit. Nihil ampliùs: nec opus erat certè. Jam enim Franciscus ex voluptatis affluentia nec audiebat quidquam ampliùs, nec sentiebat.

sentiebat. Socius; aderat enim in cellula socius, sed velut absens, & ignarus rei gestæ; is socius ægri subitâ defectione perterritus, clamore, fomentis, quacumque potest, revocat pænè fugientem animam, & cogit sese colligere. Tum Franciscus, erectâ paullulùm cervice, natantibus oculis: Quæso, mi frater, inquit, quid mihi meam lætitiam invidisti? Quid mihi meum mel, meam ambrosiam ex ore rapuisti? Mirabatur socius, quam lætitiam, quod mel, quam ambrosiam Franciscus diceret. At hic, collêctis ex imo pectore suspiriis, intermortuâ languentique voce, ut sui præ gaudio vix compotem sentires: Audivi, inquit. Quid, Francisce, quid audisti? Nihil ille respondet, quàm, Audivi. Donec, urgente etiam atque etiam socio, cessit precibus, & cælestium fidium sonitus audisse se dixit. Rogabat socius, ecquid tantum in lyræ percussione posset esse suavitatis. Hic Sanctus, Ne, inquit, precor, ne pete amplius, si vivere vis Franciscum: sola tantæ dulcedinis recordatio mentem obruit, opprimit corpus. Actum erat de me, si vel unicam percussionem addidisset, quicumque is fuit, lyricen cæli; jam vitæ vinculum labefactârat anima, jam in aurea tota sese effuderat, & impetum colligebat ad evolandum. Satísne, Sodales, ex tam teneris Francisci vocibus gustâstis cælestium cantorum suavitatem? Pudet jam illis mortales musicos componere: qui certè, quantivis nobis esse videantur nihil umquam melius expertis, ad Superos nihil sunt aliud, quàm rudes & inconditi vociferatores.

VII. Considerantur cantûs loca.

Omittamus itaque tam disparem comparationem: loca potiùs, in quibus canitur, inter se conferamus. Sed neque horum ulla potest esse collatio. Sicut cælum à terra, sic alter ab altero locus distinguitur. Nam odæum mortalium terra est: odæum Sanctorum immortalium cælum est. Illa vallis lacrymarum: hoc mons Domini, mons resonans laudatione, mons in vertice montium. Illa in infimam mundi regionem detrusa, circumfusa crassissimo aëre, qui & voces exasperet propter concretionem, & difficiles concentui ad aures eunti meatus præbeat: hoc editissimo loco positum, & cinctum subtili quadam & spirabili naturâ; quæ propter puritatem longè latéque cantus Beatorum non interpellatos liquidissimè devehat. Illa domus luctûs, & lamenti, cujus ipsi pænè parietes reclamant cantibus nostris, nec diu lætari nos patiuntur: hoc contrà domus gaudii & convivii, ad omnem elegantiam & amœnitatem divinis manibus fabricata, quæ innato sibi splendore, non modò canentes excitat, sed etiam cessantes, si qui tamen in cælis cessare possunt, invitat ad canendum; imò & ipsa fermè tota vocalis est, & cum habitatoribus suis effunditur in Numinis laudes. *Cæli* enim *enarrant gloriam Dei, & in omnem terram exivit sonus eorum.* En quantum inter se loca different.

VIII. Quid musices utriusque duratio?

Quid de cantûs longitudine? Habet id humana musica, quod omnes corporeæ voluptates: vix percepta est, & sensibus illico subducitur; quasi tantùm accedat, ad recedendum. Juvat in opaca silva, sub vernæ diei crepusculum, volucrum garritus excipere: sed veris idem, & hujus voluptatis, terminus est. Nervi testudinis, ab artifice perito numerosè percussi, tantisper sensibus blandiuntur: sed mox fatigato lyricine aures eludunt. Discors inæqualium vocum symphonia magnam vim habet ad deliniendas aures, animósque demulcendos: sed modum illi constituit vel auditorum, vel cantorum satietas. Beatorum autem cantus nec tempore circumscribitur, nec interrumpitur fatigatione, nec satietate fastiditur. Quid enim haberet in se fastidii, quæ sic explet, ut desideretur; sic desideratur, ut expleat? Quid afferret fatigationis, aut molestiæ, quæ à corporibus omni mutatione liberis suscipitur? Quo tempore finiretur, quæ ab immortali Numine composita, à musicis immortalitate donatis in immortalitatis domicilio decantata, optimo jure in partem immortalitatis vênit. Alias igitur symphonias, quotquot sunt, inconstans vitæ mensura terminat: hujus mensura est æternitas. Aliis mors spiculo suo numeros notat, & modum facit: huic idem est modus, iidem numeri, qui annorum Dei, & fælicitatis sempiternæ, & quantum alias longitudine præcedit, tantum superat jucunditate.

IX. Quàm longè inter se distent canendi caussæ!

Quid si jam utriusque musicæ dulcedinem ex canendi caussis æstimemus? Quæ Beatis eædem semper sunt, & semper novæ: mortalibus aut breves, aut potiùs nullæ. Nam quid est aut intra nos, in animo, & corpore, aut extra nos, in Universo, quod delectet? Nonne in lamentorum potiùs, quàm canticorum materia nascimur, adolescimus, emorimur. Itaut omnis fermè hominum cantus mihi videatur esse musica in luctu, ingrata, mendax, absona, in qua os à corde dissentiat. Circumspiciamus mentis agitationes, corporis ægritudines, rerum externarum inconstantiam, molestias, perturbationem: circumspiciamus, inquam, attentè & perscrutemur singula, si fortè quampiam è latebris justam eruamus occasionem canendi. Nempe frustra quæritur infra Solem, quod ibi non est; quod longè supra Solem recessit à nobis. In cælis, inter Superorum agmina, quærendæ sunt caussæ modulandi. Isaiam audiamus, sedes illarum velut digito designantem. *Qui redempti sunt*, inquit, *à Domino, revertentur, & venient in Sion laudantes*, id est, instrumentis mille sonantes suavissimum alleluia. Sed quæ ratio? Quia *lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus.* Lætitia, inquit, sempiterna super capita eorum, id est, supra captum, supra spem, supra desiderium, supra quidquid mens creata fingere, vel voluntas optare potest.

X. Omnis boni possessio cantum Beatorum facit.

Quis enim memoriæ, divina in se benefacta perpetuò repetentis, tenerrimos sensus vel assequatur vovendo, vel cogitando comprehendat? Quis intellectûs, in summum Numen contemplandum defixi, suavitates? Quis affectus voluntatis, ardentissimo in bonum immensum amore colliquescentis? Lætitia sempiterna super capita eorum: immergentur deliciarum Oceano: absorbebuntur quasi quibusdam vorticibus voluptatum: diffluent toti inæstimabili dulcedine: ingurgitabuntur & intrabunt in gaudium Domini sui: gaudium & lætitiam tenebunt, tenebunt nec dimittent illam: gaudium intus & extrà, gaudium subtus & suprà, undique & undique torrentes gaudiorum. Nec solùm bonis omnibus abundabunt, sed carebunt malis: *Fugiet*, inquit Isaias, *dolor, & gemitus*, doloris infortunati patris infælix soboles. Fugiet; abire enim & recedere parùm est. Fugiet, vitâ utique, quam comitabatur, fugiente. At quò fugiet? Quò? Nisi ad carceres sempiternos, ad malorum omnium receptaculum: ubi nihil, quàm lamentabiles

lessi cæcitatem suam & insaniam deplorantium audiuntur: ubi ingesta sodalibus maledicta, ubi diei natalis execrationes, ubi catenarum fragor, verberum crepitus, insultationes carnificum, miserandæ inter tormenta vociferationes, conduplicante feralis ululatûs horrorem tenebrosâ silentique nocte. Ad illam miserabilis symphoniæ sedem fugiet dolor, & gemitus, & beatis dabit alterum cantûs argumentum.

XI. Augetur cælestis musicæ dulcedo opposito ululantium damnatorum.

Cùm enim fælicitati damnatorum opponent fælicitatem suam, & non perpendent modò quantâ bonorum affluentia cumulati, sed etiam quantis erepti sint calamitatibus: tum verò quâ gestient voluptate? In quæ cantica, in quas actiones gratiarum, non capientibus vim exæstuantis lætitiæ præcordiis, erumpent universi? Quàm contentis vocibus, quàm sonoro cantu, quàm jucundis numeris, omnes æternum illud ingeminabunt alleluia? Hinc exercitus Virginum in Agni comitatu cantabit: Qui nos inter voluptatum illecebras, exempla sociorum, ætatis imbecillitatem, sic conservavit, ut ne virginitate perditâ æternùm periremus, laudetur Deus, alleluia. Inde Martyres exclamabunt: Qui nobis, ne sempiterna tormenta pateremur, brevi cruciatu viam in cælos aperuit, laudetur Deus, alleluja. Illinc fælices animæ, quas aliquando sodalitium hoc educavit in sinu pietatis, & in cælos transmisit, pro se concinent: Qui nos ut consortio damnatorum eriperet, & societati Beatorum adscriberet, sodales Sanctorum in terris esse voluit, laudetur Deus, alleluia. Omnium denique Superorum una vox erit, & cantus sempiternus, laudetur Deus, alleluia. Exaltationes Dei in gutture eorum. Hæc sola totius æternitatis occupatio: hic unus labor, imò quies suavissima. Ut toti gaudium, sic toti vox erunt, toti spiritus: toti vertentur in vasa cantici, in instrumenta divinæ laudis, commutatione beatissimâ. Obliviscentur sui, ut Dei solius meminerint. O jucundissimam oblivionem! O dulcem harmoniam caritatis! *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Beati, quos ipse mellea cantici tui verba docuisti. Beati, quibus odæi vice cælum est. Beati, quorum concentus nullo tempore finientur. Beati, quibus infinitam te laudandi materiam ministrabis. Beati millies, & plusquam ora omnium eloqui possint, & plusquam omnium mentes complecti si in unam coalescant, beati, quos elegisti, & assumpsisti, ut habitarent in atriis tuis: ut, te chorago, concentus ederent æquabili tenore per totam æternitatem ducendos, nullis frangendos singultibus, suspiriis nullis interrumpendos; nisi suspiriis amoris, nisi singultibus ebullientium ex imo pectore gaudiorum.

XII. Lessi, & threni hujus vitæ quàm tristes, ad cælestium cantuum lætitiam.

O fortunati cælites: & quò fortunatiores illi, eò nos infæliciores! Quid enim hic agimus, Sodales Sanctorum? Nondum pœnitet vitæ? Nondum piget telluris hujus? Nondum subit tædium lacrymabilis musicæ, quam in dies cantare cogimur infælices Evæ filii? Ah quoties manè molli cantu diem inchoamus: & ille mox, intervenientibus curis, negotiis, angoribus, in durum convertitur! Hodie, placidâ & quietâ mente, Tyrrhenum modum, id est lenem ac pacatum canimus. Cras: quid cras dico? Imo hodierno die, imò hâc ipsâ forsitan horâ, ira hunc in furibundum Phrygium vertet, aut languida cupiditas in effæminatum Lydium franget, aut aliæ perturbationes animi in alias atque alias miseræ musicæ formas transmutabunt. Quid jam dicam, quot rumpatur singultibus, quot suspiriis interpelletur, quoties miserabili silentio conticescat? Cùm morbi corpus, ægritudines animum versant: cùm fama perit, honor proteritur, amici deserunt, insultant inimici: & multò magis cùm inquieta mens malefactorum conscientiâ quatitur; cùm horror divinæ vindictæ tumescentium fluctuum instar insonat capiti trepidantis rei. O surdi, quamdiu luctus istos nostros amabimus? Quamdiu ruditus, & ululatus lugubres pro suavibus canticis amplectemur? Quamdiu, præ lætissimis Superorum cantionibus, lamenta & ejulatus mortalium eligemus?

XIII. Invitatio ad symphoniam beatæ societatem.

Quid hæremus in terris? Quin miscemur choris sodalium, & amicorum nostrorum? Quot Beati, tot amici sunt, & sodales nostri, qui de cælo protendunt nobis propitias dexteras, & quotidie auribus nostris occinunt: Mi sodalis, mi frater, quid prostituis vocem ineptis hominum clamoribus? Quid linguam consumis in flebili terræ nænia? Veni, cane nobiscum musicam, quam Deus ipse efformavit caritatis suæ notis. Ades, accurre, advola. Eamus verò, curramus, volemus. Et nos sumus de numero signatorum, de millibus duodecim ex tribu Benjamin, ex selecta Deo carissimorum turba, quos ipse velut dulcissimos fœtus sinu gestavit, à teneris eduxit, & nunc in Sanctorum suorum sodalitio efformat ad cælestem symphoniam. Quid igitur mendicorum instar, aut ulcerosi Lazari, in limine projecti, tecti miseriis, onusti lacrymis, frigore & nuditate confecti, ad portam æternitatis flebiles lessos tremulâ voce cantamus? Domestici sumus, filii Dei sumus. Quin pulsamus fores? Quin ingredimur? Et ad nos pars illius domicilii hæreditate pertinet. Confidenter loquor: habemus obsignatum Christi cruore testamentum. Neque ipse abnuit: imò passis brachiis, obvio & aperto pectore, non admittit tantùm, sed invitat ultro, sed restitantes infimis pænè precibus rogat, ut partam sumptibus suis, suis sudoribus & tormentis hæreditatem adeamus. Caussam ipse nostram apud nos agit, neque auscultabimus? Rogat nos ipse pro nobis, nec tamen impetrabit?

XIV. Inchoandus in hac vita cantus cælestis, peregrinantium solatium.

Absterret scilicet laborum horror, & opinatæ difficultates. Quasi esse possint tantæ, quas non pro Superorum cantibus, vel momentum audiendis, exhaurire totas debeamus. At quæ sunt illæ? Cupitis, inquit Christus, adscribi numero cantorum cælestium? Discite jam nunc rudimenta cælestis musicæ: dum in mundo degitis, cantate canticum novum alleluia. Relictis mortalium cæterorum miseris lamentationibus, Domini laudes suaviter modulamini. Incipite ex hoc tempore, quod æternùm facietis. Denique nunc estote fælices, ut posteà sitis fælicissimi. Ecce, quid à nobis flagitet Christus. O arduum postulatum! Nam quomodò cantabimus canticum Domini in terra aliena, terra invia & inaquosa, quæ solis habitatorum suorum fletibus irrigatur? Cælitibus perfacile est, in immensarum & incomparabilium voluptatum torrente natantibus, lætari, & exultare, & canere. At nos in exilio, & peregrinatione, longè à patria & avita domo, quomodò cantabimus? Imò, infælix homuncio, hoc ipso quia exules sumus, quia peregrini, eâ potissimùm gratiâ nobis canendum est. Numquid non, exulibus modulando fit doloris mitior sensus? Nonne viatores canto tædium itineris levant? Nos eodem vitæ molestias mitigemus.

Condiet

Condiet peregrinationis labores alleluia sæpiùs iteratum. In hujus cantici dulcedine fractum debilitate corpus, & defessus curis animus, conquiescet.

XV. Musicus animus noster est, corpus instrumentum musicum.

Sed quomodò cantabimus canticum Domini? In salicibus suspendimus organa nostra: ad modulandum nec vox, nec fides suppeditant. Etiámne conquereris? Non affatim instrumentorum tibi præbuit Numinis providentia? Nonne os tuum habet instar testudinis, in quo, sicut nescio quis priscorum dixit, lingua plectri similis est, chordarum dentes? Quid, quòd organa circumfers in pectore? Pulmones enim sunt flabrorum vice, qui diducti concipiunt aërem, compressi eumdem exspirant in arteriæ meatum & oris concavitates, ubi generis omnis soni formantur. Quid, nonne corpus instrumentum est suavissimum, cujus percussor animus tot efficere potest sonitus numerosos, quot sensuum actiones? Quid, nonne tot ora sunt, quot membra; tot chordæ, quot nervi; tot plectra, quot articuli; tot instrumenta, quot minimæ corporis particulæ? Abutuntur illis quidem non pauci de furiosorum turba, & instrumenta divinæ laudis ad ejulatus æterni rudimenta convertunt. Qui, choragо dæmone, impudicitiam solam cogitationibus cantant, oculis lasciviam, vultu mollitiem & impudentiam, manibus vindictam, ore maledicta, auribus turpitudinem, ventre intemperantiam, toto corpore impietatem. Qui, spreto Superorum dulcissimo cantu, vocem suam feralibus nocturnarum volucrum striđoribus, & draconum sibilis jungunt, & miseri præcinunt lamentationibus sempiternis. Tu verò, adolescens, qui sæpiùs audivisti, cui formandæ musicæ corporis artus, & animi facultates acceperis, illis omnibus in Dei laudes utere, illis benignissimum Numen deprædica, illis inter se jucundè consonantibus suavissimum alleluia modulare.

XVI. Vitandæ dissonantiæ, aut mox corrigendæ, in laudum divinarum cantu.

Nec solùm inominatos impiorum ululatus abominare, ut facis: sed, quò vitæ totius harmonia Deo sit acceptior, minimas ipsas in factis & cogitatis dissonantias vita. Delicatissimas aures habet magister cælestis musicæ. Novit intervalla sonorum omnium; & minutissimam etiam in cantu dissonantiam, non ulciscitur quidem graviter, reprehendit tamen. Disce igitur, vel omnes penitùs errores fugere; vel, si tantam in modulando perfectionem mortalitatis ignorantia non patitur, disce saltem, ut errorem admisisti, illico te ipse corrigere, aut, quod satius est, adire qui corrigat. Nam Deus, consulens imbecillitati & imperitiæ nostræ, plurimos in terris cantandi magistros pro se substituit. Quotquot nobis præceptores, quotquot moderatores, quotquot fermè sacerdotes, tot musicæ divinæ doctores sunt. Eos accede, statim ut à primo vocis tenore deflexisti, & in viam protinus reduceris. Intulisti pedes in templum, genua humi posuisti, oculos in cælum sustulisti, manus ad pietatem composuisti? Bonum factum: jam quatuor vocibus cantas jucundum alleluia: pedes, genua, manus, oculi gratam Numini cantionem cœperunt. At ecce mens inepta, nec sibi præsens, res alias cogitat. Quid facis, inepta mens, cantionem turbâsti, de novo incipienda est. Lingua tua vovit, aut statuit servandam virginitatem? Aures non modò quidquid obscænum est, sed, quidquid scurrile, refugiunt? Cogitationes abhorrent ab omni suspicione fœditatis? O dulcem oris, aurium, mentisq; symphoniam! Sed quid absonum audio? Curiosiores oculi per imprudentiam evagati sunt liberiùs. O inelegantes oculi, quàm dulcem symphoniam confudistis? Arcessamus illam à capite. Deposuit aliquis de more culpas suas in aurem sacerdotis, ac deinde, ex hujus sodalitii legibus, venientem ad se Christum jucundo virtutum & precum concentu lætus excepit: tum etiam, ut par est, diem illum totum piis sermonibus aut meditationibus consumpsit? Hactenus, divinus planè concentus est: in voce exultationis, & confessionis sonus epulantis. Sed, heu, postero die, ex inconstantia mortalis ingenii, ludicri pro piis sermones seruntur, inutiles pro sacris meditationibus cogitationes, tum etiam ludibria jactantur & leves contumeliæ, & alia id genus. Adolescens, meliùs cœperas, quàm desinis: quis te coëgit aberrare? Redi ad initia cantionis, & memento deinceps ad modulum dicere constantiùs. Nec tu solùm adolescens, verùm & nos, quotquot hic convenimus, Sodales Sanctorum omnium, ex illorum divina symphonia id hodie referamus utilitatis, ut apud nos stabili æternáque lege statuamus, totius vitæ nostræ musicam ad Dei numeros perpetuò modulari.

XVII. Loquẽdum hic nobis linguâ Sanctorum, cantus imitandus.

In copulandis hominum amicitiis, oportet sodales ejusdem sermonis sint: sodalitas, & amicitia, sine linguæ commercio vix ulla potest intelligi. Nos, si Sanctorum sodales & hîc sumus, & æternùm esse desideramus, sermone & linguâ Sanctorum utamur necesse est. Quid trepidatis ad linguæ discendæ mentionem? Jam diximus sæpè: totus cælitum sermo, tota lingua Sanctorum, unica vox est, alleluia. Et illâ voce mel nullum, nectar nullum suavius: dulcius nihil, ad omnem leniendam amaritiem vitæ: præsentius nihil, ad prægustandam cælestium concentuum jucunditatem. Quid enim lætius, quàm in terris Beatorum modulationes imitari? Quid jucundius, quàm hic tirocinium ponere fælicitatis æternæ, & quasi beatos esse ante beatitudinem sempiternam? Aiunt, teneras philomelas tantâ contentione spiritûs, & totius corporis, docentes subsequi, ut interdum rupto vocis canaliculo tenuem animulam exspirent, &, ut ita dicam, musicâ morte moriantur. Ergóne patiemur ab aviculis nos discendi studio superari? Non omnes corporis nervos, non animam omnem in exprimendis, quoad licet, Sanctorum sodalium nostrorum canticis consumemus? Non illorum exemplo toti voces erimus, toti spiritus, toti membris omnibus in divini nominis prædicationem dulci transformations vertemur? Atque utinam in illis conatibus rumperemur! O dulcis vitæ terminus! O genus mortis optabile! O fortunata dies, & fælix hora, quæ nos, in Dei laudibus deprehensos, ad cantandum, cum beatis Superorum agminibus, æternum illud & dulcissimum alleluia transmitteret!

XVIII. Auctoris ad Lectorem verbum, ad beatam societatem suspirium.

Hic denique, calamo Superis & æternitati appenso, Commentariorum nostrorum & Excursuum ad Machabæos, imò lucubrationum omnium nostrarum, finis esto. In iis quidquid adversùs novitias Acatholicorum sectas, *Ægyptiorum fratrum* titulo, scripsi: istud omne sciant ab animo profectum aliud nihil spectante, quàm ut ad *verum unicumq; Hierosolymitanum templum, id est veram nostram unicamq; Christi Ecclesiam*, à qua nuper imprudentissimè & infælicissimè descivêre, prudenter tandem & fæliciter redeant. Si quid etiam fortè, in hisce Commentariis & Excursibus ubi

ubi de Eccleſia & fide non agitur, ſenſi àliter & ſcripſi, ut fieri aliquando neceſſe eſt, quàm *Hieroſolymitanorum fratrum*, id eſt ſcriptorum Catholicorum, nonnulli: Lectorem rogo, ut non ſtudio contradicendi tribuat, nec cupiditati vincendi adſcribat, ſed ſoli deſiderio veritatis. Ea me legendo invitat, ea me ſcribendo excitat, ea me cogitando & recordando paſcit: ad eam totus anhelo, illic intuendam, ubi ſeſe aperit ſine tenebris falſitatis, ſine nebula erroris, ſine caligine dubitationis. *Proinde, quiſquis hæc legit*, ut loquitur Auguſtinus, initio capitis 3. lib. 1 de Trin. *ubi pariter certus eſt, pergat mecum: ubi pariter hæſitat, quærat mecum: ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me: ubi meum, revocet me*: & ad illam clariſſimam atque immutabilem lucem adſpiret mecum, ubi, inclinatis umbris, Machabæi & Machabæani noſtri laborum ſuorum mercede potiuntur, noſtrorum ſpectaculo delectantur; ſocietate ſuâ gaudent, noſtram deſiderant.

O æterna veritas, quando cernemus te?

O ſumma caritas, quando requieſcemus in te?

O exoptatiſſima ſocietas, quando amplectemur te?

Hîc ergo erit conſummatus:

ſtudiorum, & vitarum omnium conſummatio,

ÆTERNITAS.

INDICES CONCIONATORII

IN

DOMINICOS

ET FESTOS DIES

ANNI TOTIUS,

IN

VARIAS OCTAVAS

INTERCURRENTES,

IN

FERIAS QVARTAS ET SEXTAS

QUADRAGESIMÆ,

IN

COMMVNIA SANCTORVM,

ALIASQUE USITATAS

CONCIONUM MATERIAS.

ATTEXITUR

INDEX CONCIONVM

DE CONTROVERSIIS FIDEI.

INDEX CONCIONATORIUS IN DOMINICAS ANNI TOTIUS.

DOMINICIS ADVENTUS.

COMMODE tractabitur de caussis cur Deus-homo, de quibus sectiones binæ sunt Excursu ad c. 5. l. 2. Themata convenientia ex Evangeliis Dominicarum desumi poterunt: tamquam, ex Dominicâ 1. *Erunt signa in Sole*: ex altera, *An alium exspectamus*: ex tertia, *Medius vestrûm stetit*: ex quarta, *Videbit omnis caro salutare Dei.*

Si fortè per Adventûs ferias non concioneris, licebit materiam de Timore Dei, Excursu 1. ad cap. 4. lib. 1. sect. 2. propositam, partiri in Dominicas quatuor. Ad illam invitat Evangelium Dominicæ primæ: *In terris pressura gentium.* De secunda non incongruum thema erit, *Mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam*: D. Joannes timoris divini & pœnitentiæ commendatione Christo præparavit viam, justitiæ commemoratione disposuit ad misericordiam. De Dominica tertia thema simile, *Dirigite viam Domini*: de quarta, *Erunt prava in directa, & aspera in vias planas.*

Eumdem in modum materiam de Spe, Excursu ad c. 12. lib. 1. sect. 1. tractatam, distribues convenienter in Dominicas quaternas, aut quinas, ut Dominicâ intra Octavam Nativitatis Christi habeatur quarta Concio de isto argumento. Evangelica themata suggero: *Levate capita vestra. Nuntiate quæ audistis, & vidistis: Medius vestrûm stetit: Omnis vallis implebitur: Positus est hic in ruinam, & resurrectionem.*

Si materias diversas ex Evangeliis singulis tractare malueris; en tibi propositas nonnullas, tum quæ in prioris libri Indicibus traduntur; tum alias quasdam de meo, ut quidem existimo, non parcè commemorare solitus, sicubi ex aliis profecerim.

DOMINICA I. ADVENTUS.

THEMA. *Arescentibus hominibus præ timore, & exspectatione, respicite, & levate capita vestra.* Luc. 21.

Judicium extremum quibus, & cur, sit desiderii, ac gaudii, materia. Vide lib. 1. Ind. 2. Concionatorium ad Adv.

THEMA aliud. *Videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna & majestate.* Ib.

Christus Judex. Ejusdem lib. Indice 2. Conc. ad Adv.

THEMA tertium. *Cælum & terra transibunt.* Ib.

Vanitas rerum spectatur in morte Uortensi. Materiam, aptam etiam Dominicæ 24. post Pent. habes lib. 1 Exc. ad cap. 10. sect. 1. à num. 13. ad finem.

THEMA quartum. *Erunt signa in Sole, Luna, & stellis.* Ib.

Deus obstinatam mundi civitatem oppugnat. S. Th. 1. 2. q. 96. art. 5 quærit, utrum summus Legislator obligetur legibus suis. Respondetur, ad directionem teneri, non ad coactionem. Inde ista manare: *Quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet, Patere legem, quam ipse tuleris.*

Deut. 20. Deus edicit, ut oppugnandæ civitati primùm pax offeratur: si renuat, diruendam. Servavit ipse legem: mundi civitati pacem obtulit sæpiùs, solennissimè primo Adventu Filii sui, & quoties ejus Adventûs memoria renovatur. Sed quia eam civitatem die ac nocte circumdat iniquitas, pacis inimica, ideirco Adventu Filii secundo bellum indicit.

Erunt signa in Sole, &c. Obscuritatis signa, seu nube, seu vaporum densitate, seu fumo incendii, seu eclipsi, seu reverâ contingat illa obscuritas; seu pavor hominibus persuadeat obscurata sidera. Reus nobilis plectendus est; pullis aula induitur. Tripudium mundi, & convivium; absolutum est, faces extinguuntur. *Signa* nigra ad iræ & vindictæ indicium expanduntur, & statim omnis creatura armatur ad ultionem, terra, mare, aer, ignis, *arescentibus hominibus præ timore.*

O, Domine, *quò ibo à spiritu tuo?* Trepidas, homo, ad velitationem elementorum: quid ad ea, *quæ supervenient*, quid ad justum prælium? Insonat *in voce Archangeli, & tuba Dei*, certamen imminens. Quàm horribilis sonus, inquit Chrysostomus hom. 8. in epist. ad Thessal. quando reos videmus mortalis tubæ clangore exanimari? Ad illius cogitationem contremiscebat Barlaamus cap. 6. hist. apud D. Damascenum. De illa abhinc sæcula tredecim perpetuò cogitasse, & cogitandum monuisse dicitur Hieronymus: *sive comedas*, &c. *hæc tibi tuba insonet.*

Stat urbis totus in valle Judææ. Christus prodit ad prælium. Tunc verè erunt *signa in Sole* Christo, *in Luna* Virgine, *in stellis* Angelis & Sanctis.

Quale signum quod ille Salomon bellator fiat, Agnus leo? Isa. 42. *Dominus sicut vir fortis egredietur*, &c. Augustinus in ps. 49. ad ista, *Deus noster, & non silebit. Quid enim?* inquit. *Modò silet? Et unde sunt, quæ dicimus? Unde ista præcepta? Unde ista monita? Unde ista tuba terroris? Non silet, & silet. non silet à monendo, silet à vindicando. Non silet præcepto, silet judicio.* Non amplius Agnus in judicio: sed *occurret* qualis pingitur Osee 13 quasi leæna: qualis describitur Apoc. 19. *qui cum justitia judicat, & pugnat.*

O Virgo, ô *Luna*, quæ tenebras illuminâsti, *refugium, consolatrix, advocata*, &c! O Angeli, *stellæ*, ô patroni, ô auxiliares, ô intercessores! Nihil ampliùs inde auxilii.

Genesis cap. 42. Ruben fratres suos memores facit monitis sui: *Nonne dixi vobis, nolite peccare in puerum?* Ecce dico vobis, Christiani, nolite in Christum peccare: puer fuit, vir est: agnus est, erit leo. *Tempus pacis est, erit tempus belli*: est tempus misericordiæ, erit tempus justitiæ. *En Agnus ad nos mittitur... Omnes simul cum lacrymis Precemur indulgentiam, Ut cum secundo fulserit... Non pro reatu puniat.*

DOMINICA II. ADVENTUS.

THEMA. *Joannes in vinculis.* Matt. 11.

De caussis cur Deus D. Joannem malè tractari voluerit. Materia indicatur lib. 1. in 1. Indice Conc. ad Adv. Extenditur Exc. 3. ad c. 2. lib. 1. sect. 2. à num. 2. ad finem.

Ad idem Thema aptè dices de quæstione, Cur Deus malis utatur ad puniendos bonos? Habetur Exc. ad c. 8. l. 1. sect. 2.

THEMA tertium. *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* Ibid.

Christus Messias. Materiam habes lib. 1. in altero Indice Concionatorio ad Adv.

THEMA quartum. *Quid existis in desertum videre?* Ibid.

Quod Siracides monuit, *Ante mortem ne laudes hominem quemquam*, Christus non observat hodie in Joanne laudando: quia ipse infallibilis erat laudator, Joannem gratia confirmatus. *Nemo laudandus, cujus incertus est exitus.*

exitus, aiebat apud D. Bonaventuram S. Franciscus: sed Christo certus erat exitus D. Joannis. Itaque, cum à quatuor capitibus laudans, incipit à constantia, ut vel sic demonstret, de ipsius perseverantia in bono sese non dubitare.

Inconstantiam faciunt æstus passionum, judiciorum humanorum, consuetudinum mutabilium. Joannes non fuit arundo ventis istis agitata: ubique semper idem, semper in deserto, semper in Deo. Hæc est prima laus Joannis. Altera est ab austeritate: quam duplicem quidem colebat Joannes in victu, & vestitu; solam tamen in vestitu, quia magis incurrebat in oculos. Christus commemorat: laudat austeritatem, quam ipsemet sectatus non est, ut discamus aliena laudare, & in Ecclesia Catholica religiosorum Ordinum instituta, quamvis diversa, magni facere. Laus tertia est à prophetia, lumine supernaturali, Solis proximè radiis accenso. Quarta, ab Angelico officio & vita. B. Franciscus Salesius lib. 7 cp. 39 piè, & eleganter scribit, S. Joannem fuisse non modo Angelum, sed plusquam Angelum. Imò fuisse plusquam Virginem; plusquam Doctorem; plusquam Martyrem, Christo præmortuum; plusquam Apostolum, cum præcesserit, quem hi sunt secuti; plusquam Prophetam & Patriarcham; plusquam Angelum, cum in corpore fuerit, quod Angelus est sine corpore.

Postquam ista de D. Joanne explicâris: poteris eadem D. Francisco Xaverio, bonâ Christi & Joannis veniâ, applicare. In deserto Indiarum quid vides? Constantem adversus obstantia. Austerum in æstu Indiæ, in gelu Japoniæ: *Meridianum frigus, & concretas algore glebas, fidei ardor exsuperat*, inquit Ennodius de S. Epiphanio Ticinensi. Prophetam, occulta mentium, absentia, futura pandentem. Angelum officio, & castitate: Ennodius de S. Epiph. *De pudicitia servanis mei quid loquar? In quo domum sibi statuerat castitas, & continentia radices egerat in profundum: virum se esse, nisi per laborum patientiam ignorabat: carnem se habere, nisi cùm moriturum se esse meminerat, nesciebat.*

Hæc aptè dicet Societatis nostræ concionator, si Dominica hæc in Octavam S. Xaverii incurrat, & in templo nostro concio habeatur. Si eadem Dominica incidat in festum S. Nicolai, percommodè eadem encomia similem in modum aptabuntur D. Nicolao, quem S. Joannes Chrysostomus in Liturgia invocat cum S. Joanne Baptista. Vide infrà; in ejus festo.

THEMA quintum. *Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me.* Ibid.

Quid hoc scandalizari in Christo? Divinitas, sanctitas, caritas, vita & sermo irreprehensibilis scandalizet? Imò tam multos scandalizet, ut felicitatis sit, de isto numero non censeri?

Quaterna sunt scandali genera. Primum gravissimum, quando de industria præbetur facto, vel dicto &c. occasio peccati: ut Balaam Israelitis per mulieres Madianitidas Num. 25 Jeroboam vitulis aureis fabricatis. Sic domestici Carolum Borromæum conati sunt corrumpere muliebribus amoribus. Absit, ut Christus, qui venit tollere peccatum mundi, tales datum venerit occasiones, postquam adeo imprefsè dixit, *Væ homini, per quem scandalum venit.*

Alterum genus scandali est, quando non expresè intenditur ruina proximi, facto vel dicto malo: ea tamen consequitur ex malo exemplo, uti ex adulterio Davidis, idololatria Salomonis. Quò major est peccans, eò perniciosius exemplum: Chrysost. hom. 1. de ver. Apost. *Quod ex alto cadit, magnum sonum facit.* Impossibile etiam fuit, ut tale scandalum daretur a Christo impeccabili.

Tertium genus est scandalum pusillorum: quod, etsi justitia non obligaret, suadet tamen caritas, ut tollatur. Serpens æreus erat tale scandalum Judæis, ad idololatriam pronis, ideo ab Ezechia exustum, & appellatum Nehustan: sic erat esca scandalizans fratrem apud Paullum. Vide à nobis dicta lib. 2. cap. 6 v. 21 & deinceps. Caritas Christi cavit etiam istud scandalum Mat. 17. quando solvit didrachma, *Ut non scandalizemus eos*, inquit: & quando dixit, *Reddite, quæ sunt Cæsaris* &c. Et quando totam legem Mosaicam observavit.

Superest genus quartum scandali accepti non dati, quod Pharisaicum dicitur, quando occasio peccandi accipitur ex virtute proximi. Josepho fratres invident, ob virtutem: Danielem, & tres socios, oderunt Babylonii ob religionem: ex castæ Susannæ forma, senes ruunt in concupiscentiam: creaturæ Dei fiunt *in odium, & tentationem, & muscipulam pedibus insipientium*, Sap. 14. Sic fuerunt scandalizati in Christum Judæi. Prædixerat hoc de Christo Psalmista psal. 117. uti explicat Christus ipse Matt. 21. Vide & Isa. 8. & 1. Petri 2. Adde etiam Simeonis verba Luc. 2. Non destitit Christus ob Pharisæorum scandala benè agere, & dicere: neque nos desinamus. Tertull. lib. de vel. virg. *Scandalum, ni fallor, non bona, sed mala res exemplum est, ædificans ad delictum. Bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem. Si bonum est, modestia, verecundia, fastidium gloriæ, soli Deo quærens placere, agnoscant malum suum, qui de tali bono scandalizantur. Quid enim, si & incontinentes dicant, se à continentibus scandalizari, continentia revocanda est?*

DOMINICA III. ADVENTUS.

THEMA. *Tu quis es?* Joan. 1.

Nostræ nobilitatis ignoratio, caussa multorum malorum. Noscenda est ex animæ nostræ præstantia. Vide Exc. ad c. 5. lib. 2. sect. 2 prioribus numeris. Si nobilitatis nostræ cognitioni voles adjungere nostræ vilitatis cognitionem, quæ est *utilissima & altissima lectio*; materiam passim reperies, nos damus quædam in Comm. ad c. 9. hujus libri v. 11. & 12.

THEMA alterum. *Vox clamantis.* Ibid.

Deum omnia testantur. Vide Indicem 1 Conc. ad Adv. lib. 1. Materia traditur Excursu 2. ad c. 4. lib. 1. seu Tractatu de bona voluntate part. 1. sect. 1 à num. 10.

THEMA tertium. *Medius vestrûm stetit.* Ibid.

Christus amicus. Materiam habes indice altero Conc. ad Adv. libro priore.

THEMA quartum. *Cur baptizas?* Ibid.

Judæi quæsierunt de Joanne, &, quamvis id manifestè hic non exprimatur, præcepa judicium tulerunt: *Venit Joannes non manducans, neque bibens, & dicunt, dæmonium habet.* Inquisitione non peccârunt, judicio graviter peccârunt, non abluendi aquis totius Jordanis. De judicio temerario, ejus caussis ac remediis, aliquid proposuimus in Comm. ad c. 12. hujus libri v. 41.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

THEMA. *Parate viam Domini.* Luc 3.

Ductus Providentiæ divinæ via est securissima. Vide indice 1. Conc. ad Adv. lib. 1.

THEMA idem.

Christus Dominus. Vide lib eodem, indice altero ad Adv.

THEMA tertium. *Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato*, &c.

Audis malos dignitate florentes, si unum fortè Philippum Herodis fratrem excipias? Aptè itaque hic tractabis quæstionem, Cur mali floreant? Fusè traditur Exc. ad cap. 8. lib. 1. sect. 1.

THEMA quartum. *Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto.* Ib.

Quàm multi, & quàm variæ fortunæ homines hodie in Evangelio nominantur? Super illos non fit verbum Domini in palatiis: fit *super Joannem in deserto*. Cur fit super istum, non super alios?

Non loquitur Deus per Tiberium, quia sine fide placere non poterat. At nonne etiam Sibyllæ fuêre infideles, Balaam, Nabuchodonosor? Isti longiùs à Christo erant remoti, hic propiùs debebat accedere ad sanctitatem. Quomodò Tiberius complanâsset vias Domini, homo ambitiosus, crudelis, impius?

Similem ob caussam non decuit Pilato Deum uti, ad tantum ministerium; homine injusto, ad præcurrendum illi, cui cinctorium renum justitia est. Sic Lysanias sopernos Lysanio à se appellato: Herodes vulpes, & fallax: Philippus, Herode melior, sed perpetuas cum illo inimicitias exercens. Annas, & Caiphas, avari ac simoniaci.

Divus autem Joannes, à vitiis istis remotissimus, deligitur: sed cur *in deserto*? Non potuit Romæ? Si Romæ non decebat: quidni Machæruntæ, aut Cæsareæ, aut saltem Hierosolymæ? *In deserto* Joannem Deus esse voluit: ut eò minùs esset suspectus de familiaritate cum Christo: ut purior esset; ut majori cum auctoritate prodiret: ut doceremur, ad verbum Domini audiendum quærere solitudinem. De illa vide dicta in Comm. ad cap. 8. hujus lib. vers. ult.

THEMA quintum. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Ib.

Quadragesima tempus acceptabile dicitur: Adventus potest appellari tempus desideriorum. Quàm sæpe repetimus, O, *Rorate cæli*, &c. Cur hoc? 1. Ut significentur desideria Patrum pro primo Christi Adventu, ejusque necessitas, explicatu facilis. 2. Ut significetur Ecclesiæ desiderium pro Adventu altero; quod quotidie repetimus, dicendo, *Adveniat regnum tuum.* De ejus Adventûs desiderio vide dicta ad 1. thema Dominicæ 1. Adventus. 3. Ad secundum illum Adventum securè desiderandum, &

expectandum, tertius in nos Christi per gratiam Adventus bonis desideriis procurandus est. Christo *locus non erat in diversorio*: variis cupiditatibus calcata corda, sunt diversoria. Bonis desideriis mala corriguntur; ut interdum fit in morbis, quando similia curantur similibus, malus calor bono calore, frigus frigore. Præterea bonorum desideriorum magnum est meritum si efficacia sint, æquivalent operi: etiam inefficacia pretium suum habent. *Deus non minus sancto desiderio lætatur*, inquit Blosius, *quàm si tota anima amore & devotione liquesceret.* Denique bona desideria impetrant favorum cælestium rorem. Venit ad Danielem Angelus, quia vir erat desideriorum. Apparet Deus non quærentibus, ut ait Isa. cap. 65. & ex illo, Paulus: non apparebit quærentibus? Tota vita Christiani boni, inquit Aug. tract. 4. in ep. Joan. *bonum desiderium est. Deus, differendo, extendit desiderium*, ut Booz sinum Ruth: *desiderando extendit animam, extendendo facit capaciorem. Desideremus ergo, fratres, quia implendi sumus.*

DIE NATIVITATIS DOMINI.

THEMA *Pax hominibus.* Luc. 2.
Habetur Indice 1 ad Adv. lib. 1. & Exc. ad cap. 13. libri illius sect. 6. totâ.

THEMA aliud. *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethleem, juxta portam!* 2 Reg. 23.

Spes, fides, caritas exercentur in mysterio Christi nascentis. Habes materiam in indice 2. ad Adv lib 1

THEMA tertium. *Invenietis infantem.* Luc. 2.

Materiam habes Excursu ad cap 5. lib 2. sect 3. Cur Deus homo infans.

THEMA quartum. *Transeamus usque Bethleem* Ib.

Sic colloquebantur inter se pastores: quibus cur potissimùm Filii sui nativitatem manifestare Deus voluerit, varii interpretes passim tradunt. Nos cum pastoribus *transeamus in Bethleem*, & consideremus, cur in Bethleem natus Christus: cur in stabulo: cur in præsepio?

Vide hac de re S. Thomam 3. p. q 35, art 7. In Bethleem natus est, oppidulo, quia ut ait D. Augustinus fragmento 9. *Venerat docere humilitatem, & expugnare superbiam. Non elegit saltem nasci in amplissima civitate, sed natus est in Bethleem Iuda, in qua nec civitatis nomine nuncupatur. Hodieq; illam incolæ loci illius villam appellant: tam parva, tam exigua, ac propè nulla.* Hanc etiam rationem attigimus Exc hujus libri ad cap 5. sect. 3. Sed si in parva urbe nasci voluit, quidni in Nazareth? Quia Bethleem erat domus David, quia erat domus panis. V. D. Thomam.

Cur in stabulo? Quia non erat locus in diversorio: quia vult recumbere novissimo loco, ut plurimas & maximas in cælo mansiones habeamus: quia servos suos docere vult misericordiam erga pauperes

Cur in præsepio? Commodior locus non fuit: humilitas etiam docenda erat: ad docendum nos aptior cathedra non fuit

Qui non dedignatus est oppidulum, nec dedignabitur nos, parvulam civitatem supra montem positam: neque aversabitur stabulum, & præsepium, cordis nostri. Augustinus lib. 7. Conf. cap. 5. *Angusta est domus animæ meæ, ut venias ad eam: dilatetur abs te. Ruinosa est, refice eam. Habet, quæ offendant oculos tuos: fateor, & scio, sed quis mundabit eam*, nisi pro quo evangelizatur gaudium magnum?

DIE S. STEPHANI,

S Joannis, SS. Innocentium, vide in Proprio Sanctorum.

DOMINICA INTRA OCTAVAM NATIVIT.

THEMA. *Ecce hic positus est in ruinam* &c. Luc. 2.
Materia suggeritur l. 1. Ind. 1 Conc. in Adventum. Commode concionem sic dividas: ut primum ostendas quomodo litteraliter fuerit Christus *in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel*, id est inter Judæos, qui tunc veri erant Fideles, & *in signum*, id est vexillum, quomodò Toletus interpretatur, alii scopum, *cui contradicetur*, seu contradicitur. *Ruinam* Ambrosius pro damnatione sumit: Gregorius Nyss pro excidio Hierosolymitano: Augustinus & Beda pro ruina spirituali per infidelitatem; quia Judæi multi, antè fide stantes, corruêre nolentes credere Christum Messiam, fuitque ipsis Christus, culpâ ipsorum, *lapis offensionis & petra scandali*, 1. Pet. 2. qui erat lapis angularis & petra fundamenti. Christus prædixerat, *Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me*, &c. *In judicium ego veni in mundum, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Ambrosius *resurrectionem* interpretatur, beatitudinem corporis in judicio fœlici suscitati: alii, & verè, resurrectionem spiritualem per fidem in Messiam, & statum Legis gratiæ. *Signum*, cui contradictum est, Tertullianus & Ambrosius interpretantur partum Virginis, quidam apud Euthymium incarnationem, crucifixionem Chrysostomus. Certum est, agi de persona Christi, cui, tamquam vexillo hostili, contradixêre Judæi, & doctrinæ ejus, moribus &c.

Deinde, ostende, quomodò *in Israël*, id est Ecclesia, Christus sit *ruina*, quia qui audiit verba Christi, *& spernit ea, habet qui judicet eum in novissimo die*: quomodò sit *resurrectio multorum*, ad vitam de peccatis emergentium: quomodò sit *signum* cui contradicitur factis injustis, turpibus, &c. *Panni tui*, inquit Bernardus, *Domine IESV, facti sunt in signum* &c. id est paupertas tua: quid justitia, caritas, castitas?

Denique ostende, quomodò nobis mysticè debeat esse ruina, & resurrectio ex Paulino epist 8 ad Sev. *Fiat mihi Christus in ruinam, & resurrectionem: ruina exteriori meo, interiori resurrectio: ut cadat in me peccatum, quod animâ cadente consistit*, &c. Quomodo debeat nobis esse signum, seu scopus, ex Paullo, *Omnia in nomine Domini IESV.*

THEMA alterum. *Ego sum α & ω, principium & finis.* Apoc. 1.

Christus finis noster. Materiam habes Exc. ad c. 5. l. 2. sect. 5.

DIE CIRCUMCISIONIS.

THEMA. *Vocatum est nomen ejus IESVS* Luc. 2.
De nomine JESU fusè habes Excursu ad cap. 5. sect 4 totâ.

THEMA alterum. *Principium & finis.* Apocal. 1.

Christum esse principium annorum nostrorum habes Exc. eodem sect. 6. totâ, quam materiam tantùm indicavimus in posteriore ad Adventum indice.

THEMA tertium vide priori indice ad Adventum: & primam materiæ partem, quia peculiaris est, & ad fines actionibus nostris, quamvis indifferentibus, & vilibus ac naturalibus, figendos spectat, latè extende. Præbebit argumentum indicata oratio Chrysostomi, ad illud 1. Cor. 10. *Omnia in gloriam Dei facite*: ubi ipsam calceationem nostram matutinam docet, posse fieri ad gloriam Dei: neque ullum esse tam abjectum, sordidum, & odiosum artificium, quod nobilissimo fine extolli non possit voluntatis divinæ Nec mirum, quando D. Paullus animales ipsas actiones nostras ad honorem Dei referri voluerit, *Sive manducatis, sive bibitis* &c. De anno sic evoluto dici poterit, quod Gregorius 4. Mor. cap. 18. *Dies hujus anni, sunt singula quæque virtutes; menses autem sunt multiplicia facta virtutum.* Imitabimur Deiparam virgunculam, quæ, quomodo loquitur Ambr lib 2. de virg. sic agebat, *Ut non tam vestigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret.*

THEMA quartum. *Consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.* Luc. 2.

Primâ parte dicere poteris de caussis circumcisionis Hebræis imperatæ, traditis ad cap. 1. lib. 1. v. 16. Alterâ parte, ages de caussis, cur Christus circumcidi voluerit, quæ obviæ sunt. Tertiâ parte, dices de circumcisione spirituali totica nobis ab Apostolo commendata.

DIE EPIPHANIÆ.

THEMA. *Ecce Magi ab Oriente.* Mat. 2.
Deperditam hanc concionem ab operis typographicis in editione tomi primi, adeoque omissam, hic reddo.

Istud *Ecce*, significanter ab Evangelista positum, monet nos, ut intendamus in illos, qui, ad Christum adorandum vocati, venêre & munera obtulêre. Quid égerint, expendi solet: non item qui fuerint. Hoc agemus, & quatuor quæstiones proponemus, quarum quarta erit potissima, & nobis aptanda

1. Unde fuêre oriundi? *Ab Oriente.* Remigius id mysticè intelligit, venisse *ab ipso & pro ipsum, cujus nomen est Oriens.* Alii in varias sententias abiêre, de Mesopotamia, Arabia, Indiis. Consule interpretes.

2. Quot fuerunt? Auctor operis imperf. dicit fuisse duodecim. Tres hodie communis sententia agnoscit: firmaturque iste numerus tum Patrum sententiis, ominatim D. Leonis, tum corporum sacrorum inventione ad annum 1159. qua de re tum alii tractant, tum historia Leodiensis.

3. Quæ ipsorum nomina? Petrus Auxoles Calvinista Gallus nuper edito tractatu de Magis, asseruit eos fuisse Melchisedecum, Enoch, & Eliam: Melchisedecum creatum à Deo at Adamum. Explodenda insana erroris commenta. Garassus nescio unde hauserit, apud Græcos esse Ator, Sator, Pataturas. Non minùs absona refert Zacharias Chrysopolitanus, apud Salmeronem. Neque hîc à communi opinione discedendum, quæ tria statuit: Melchior, ab Hebræo Regis nomine deflexum: Gaspar vel Caspar à Casaph, Caschaph, vel Gesaph, quæ significant desiderare, meditari, tangere: Baltasar seu Baltassar, id est Beli seu domini thesaurus.

4. Quæ ipsorum conditiones? Tres invenio, primam, in Scriptura; alteram, in traditione historica, & opinione communi; tertiam, in opinione quorumdam. Constat Magos fuisse: sed quos? Maleficos affirmat Orig. lib. 1. cont. Cel. Justinus dial. cont. Tryph. Ignatius epist. ad Ephesios. Inter Latinos item Hilarius lib. 4 de Trin. eos annumerat *magis, divinæ virtutis operationes falsâ rerum specie mentientibus*. Adjici illis Patribus possunt Hieronymus, Basilius, Theophylactus. Tertullianus item apertè eos deditos facit astrologiæ judiciariæ, & magiæ diabolicæ. atque ideirca per somnium monitos, *ut irent in sua, sed aliâ quàm venerant viâ, id est ne pristinâ suâ sectâ incederent*: lib de idolol. Ex hac sententia, quam nonnulli abhorrebunt, quantum laudandæ bonitatis divinæ argumentum in vocandis talibus peccatoribus, & potentiæ in convertendis? Verè hic *apparuit benignitas, & humanitas, Salvatoris nostri Dei*. Omnino hîc expressum agnosco Psalmistæ vaticinium, *Coram illo procident Æthiopes; & inimici ejus terram lingent*: homines conscientiâ, quàm aute, nigriores, Deo ita inimici, ut capitalibus ejus hostibus essent fœderati. Mirentur alii Cyprianum magum conversum, & eos qui Act. 19. *fuerant curiosa sectati*: at longè mirabilius est, primitias Gentium ex primitiis peccatorum desumptas, & stellam novam excitatam in cælis, ad eos qui sese infestis ultrò devoverant excitandos.

Sed sententiam istam, quamvis probabilem, & antiquissimorum Patrum auctoritate benè fultam, omittamus; dicamusque, quod communius & suavius est. Magorum nomen significare scientiam, usitato etiam priscis, Orientalibus præsertim, loquendi modo. Dicamus cum Anselmo, *non maleficos, sed sapientes astrologos fuisse*: cum D. Leone, fuisse gentem, *quæ spectandorum siderum arte pollebat*, ideoque stellæ ortu vocatos, conformiter arti ac propensioni suæ. Et verò decebat Solem stellâ indicari, Sapientiam incarnatam à scientia adorari, Doctorem universi à doctis adiri, ut eò studia referenda doceremur, unde manat omnis intelligentia.

Regiam deinde dignitatem Magis adscribit vulgaris opinio, non à Calvino modò exagitata, sed etiam à Catholicorum nonnullis, è quibus est Gandensis Episcopus. Sed pro opinione communi Patres faciunt, Tertullianus inprimis, cujus est istud, *Magos ferè Reges habuit Oriens*. Adde vetustam persuasionem, non tabellis modò pictis testatam, sed perpetuâ consuetudine Ecclesiæ: ob quam non Cæsares modo Germanici olim die Epiphaniæ inaugurari voluêre, quia dies Regum erat; sed etiam vetusti Cæsares Romani eum diem tam sanctè coluêre, ut ne Valens quidem hæreticus, neque apostata Julianus, illius celebrationi deesse voluerit. Quæ opponuntur, infirma sunt: quòd Evangelista Reges non nominet: quòd Herodes non exceperit, nec deducendos curàrit ut Reges. Sed silentii in Scriptura rationem in multis reddere, difficile est. Quamquam hîc dici possit, adeò Reges non nominatos, quia Reguli tantùm erant, illustriorque futurus videbatur titulus Magorum, seu Sapientum. Similem ob caussam ab Herode honorificè excepti, & deducti non fuère; quia incogniti fermè, & parùm comitati, venerunt.

Sacerdotes præterea Magos fuisse asserit Historia tripartita 1 3. c. 8. & alii apud Salmeronem, hoc fundamento nixi; quòd in Oriente Principes iidem ferè essent sacrati, ac profani. Ita Melchisedech Rex Salem erat sacerdos Dei altissimi; Abraham Princeps idem, ac sacerdos; Job Rex etiam, ac sacerdos: & novissimè Assamonæi nostri Principes rem civilem simul, ac religionem, curavère. Addo, Magi nomen apud Orientales populos non pro sapiente modò, sed etiam pro sacerdote usurpari, teste Hieronymo. An autem hi verum Numen, quomodò isti olim in Lege naturæ, coluerint; an idola, quomodo tunc orbis universus, excepta natione Judaica: quis divinet? Certè, si idolorum sacerdotes fuerunt, facillimè crediderim & maleficos fuisse: cum ea tunc conjuncta esse solerent, hodieque soleant apud idololatras.

Sed quæstione hac omissâ, nobis cætera applicemus. Unde sumus Christiani? Ab Oriente, Christo. Quo numero? Ex duodenario Apostolorum, ternario Trinitatis. Quo nomine? Vario: *credentes, sancti, fratres, fideles* dicimur. Quibus conditionibus ac qualitatibus? An totidem quot Magi? Id ostendo & opto.

Primùm, Christiani sunt Magi, id est Sapientes. Non *sapientiam* loquimur *principum hujus sæculi, qui destruuntur*, qui laudantur ubi non sunt, cruciantur ubi sunt. Quid istis philosophiæ gemmis, eloquentiæ miraculis, factum? Quid Papinianis, Ulpianis, Galenis? Sed *sapientiam loquimur inter perfectos*: scientiam astrorum, & cæli, *scientiam sanctorum*. Hanc omnes Christiani tenent; aut si non tenent, non sunt Christiani. Apollinis oraculo apud Eugubinum μοῦνοι χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἠδ᾽ ἄρ᾽ ἑβραῖοι. *Chaldæo Hebræoq; data est sapientia soli*. Sed Chaldæos ex isto sapientium numero seponamus, qui astrorum quidem viam scrutati, viam ad alia nescierunt. Soli supersunt Hebræi, qui cum veram fidem & scientiam possiderent, meritò à Mose dicuntur *gens sancta, populus intelligens*. Quantulum autem est, quod Hebræi scivère, si cum Christianis comparentur, quibuscum novissimè Deus locutus est in Filio, & arcana cælestia patefecit: ut dicere Christus potuerit, *Omnia, quæ accepi à Patre meo, nota feci vobis?* Quid sublimius de Deo, & ejus mysteriis pronuntiari queat, quàm quod ipsi inter nos pueruli recitant? Adeoque optimè Cajetanus ad illud ps. 118. *Super omnes docentes me intellexi*: non dubitat affirmare, simplicissimam Christianarum mulierum, quæ necessaria ad salutem novit, longè sapientiorem esse celeberrimis istis priscorum sæculorum sapientibus, qui illa non nôrant; imo & Christianorum doctissimis scientiorem dicendam, si amat ipsa & facere conatur quæ novit, isti negligunt.

Neque enim Christiano sufficit Magum esse, nisi etiam Rex fuerit. Regnum verò hîc nemo sibi fingit temporale & externum, quale Herodis, aut Magorum. Rex enim noster tale habere noluit. Vide qualiter Regem agat in stabulo; qualiter apud Pilatum, & in Calvaria. Sed de regno loquimur interiori & spirituali, quod etiam Pagani videre. Sen. ep. 113. *O quàm magnis homines erroribus tenentur, qui jus dominandi trans maria cupiunt mittere, ... ignari, quid sit illud ingens par deumq; regnum. Imperare sibi, maximum imperium est.* Idem in alio genere loquendi: *Regem non faciunt opes* &c. *Mens regnum bona possidet. Rex est, qui metuit nihil; Rex est quique cupit nihil. Hoc regnum sibi quisque dat.* Christianè planè locutus Philosophus, & poeta; nisi postremum illum versiculum addidisset. Neque enim quisque sibi dat regnum internum, sed Deus: estque ille demum verè Rex, in quo regnat Deus, ejusque voluntas. Id verbo docuit Christus, cùm dixit, *Regnum Dei intra vos est*: id exemplo suo tum aliàs semper docuit, tum recèns natus, quando nullos animi & corporis motus habuit, nisi quos Deus voluit, imperavit sibi sub imperio Patris. Animum Virginis scrutare, & cor Josephi: idem in illis regnum divinæ voluntatis invenies. Aspice, contrà, Herodem inebriatum ambitione, metu, irâ, affectibus inquietis, & effetis: hunccine tu Regem vocaveris, quamvis potentem, & opulentum? De istiusmodi terrarum dominis loquebatur Boethius lib. 3. met. 5. *Detrahat si quis superbis Vani tegmina cultus, Jam videbit intùs arctas Dominos ferre catenas.* Christi, & Christiani, regnum non est de hoc mundo: aut si de hoc mundo est, non est de mundo visibili. *Regnum Dei non est esca, & potus*, non est opulentia & ambitus, sed voluntas humana divinæ subjecta. Servire Deo, regnare est: aut, ut sententiâ meliore quàm metro aiebat Paullinus, *regnum servitus est Domini*.

Addamus tertiam sacerdotii dignitatem. Sunt enim Christiani, teste D. Petro, *gens sancta, regale sacerdotium*. Et D. Paullus Romanos hortatur cap. 12 ut exhibeant *corpora sua*, quanto magis animos, *hostiam viventem, sanctam*, &c. Quàm acceptum Deo sacrificium, cùm animales in nobis passiones jugulamus? Quàm gratæ victimæ, cùm manè offerimus *vitulos labiorum nostrorum?* Quàm suave vesperè *sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum?* Audi S. Leonem serm. 3. in anni. ass. suæ. *Omnes in Christo regeneratos Crucis signum efficit Reges, sancti verò Spiritûs unctio efficit sacerdotes. Quid enim tam Regium, quàm subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale, quàm vovere Domino conscientiam puram, & immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre?*

THEMA alterum. *Ubi est, qui natus est, Rex Judæorum?* Ib.

Christus Rex. Materiam habes lib. 1. in Ind. 2. Conc. ad Adv.

THEMA tertium. *Vidimus stellam ejus.* Ib.

Si de stella fidei dicere placuerit, habes multa quæ huc

transferat lib. 1. Exc. ad c. 11. sect. 4. Quæstiones autem de stella Magis visa, prima concionis parte tractandas, tradunt passim interpretes. Spondanus an. 1428. ait, reprehendi Joannem Gersonem, quòd sensisse videatur, Nativitatem Christi genethliacis observationibus prænosci potuisse: in cujus sententiæ confirmationem proferens stellæ apparitionem, Magis factam. Tres stellæ conspectæ Calendis Januariis circa Solem, apud Dionem Cassium in Juliano Didio. S. Bruno, cum sociis sex, indicatus per septem stellas Hugoni Episcopo: per totidem stellas significatus Doctori Tolosano D. Dominicus, cum sociis iisdem sex.

THEMA quartum. *Adoraverunt eum.* Ib.

In tota Magorum historia nihil illustrius, quam adoratio Christi. *Venimus*, inquiunt, *adorare eum.* Quamobrem D. Leo eis dat titulum adoratorum, serm. 2. *Agnoscamus in Magis adoratoribus vocationis nostræ fideiq; primitias.* Quæramus, quæ ipsorum erga Christum adoratio fuerit: & ad hoc inveniendum præstituamus, quid sit adoratio: ad extremum videri, quo pacto nobis Christus adorandus, imitatione Magorum.

Adoratio in genere nihil est, nisi, ut Theologia claré loquitur, *Nota submissionis internæ.* Tres igitur actus complectitur: primum, cognitionem excellentiæ in eo qui adoratur; unde impropriè dicitur, *animalia adorârunt Dominum, jacentem in præsepio.* Alterum, voluntatem sese submittendi: neque enim omnes, qui excellentiam nôrunt, illi sese volunt submittere, quod in dæmone erga Deum manifestum est. Tertium, actualem submissionem; vel per interiorem submissionem tantummodò, quemadmodùm Angeli faciunt, & Nehemias inter ministrandum Artaxerxi fecit in corde suo: vel per actus exteriores & corporales, de quibus D. Th. 2. 2. q. 84. ar. 2.

Ex ea adorationis natura benè intellecta consequitur, tot esse adorationum genera, quot sunt excellentiarum: illasque varias esse proportione submissionis internæ, etsi externa nihil habeat diversum. Primum excellentiæ genus est in Deo, increatum, summum, incommunicabile: atque adeo hac ratione solus Deus adoratur, quia soli illi submissio defertur tamquam summo. Alterum genus est excellentia creata supernaturalis; in qua quia varii gradus sunt, varia itidem est submissio, hyperduliæ & duliæ, appellationibus, ad earum explicationem, inventis. Tertium genus est excellentia creata naturalis, ob quam creberrimè in Scriptura dicuntur adorari viri principes.

Quæstio igitur est, utrum Magi Christum adorârint, ut Regem, ratione civilis & naturalis dignitatis, quemadmodùm Nathan Davidem? An verò, ut sanctum, vel eximiæ sanctimoniæ destinatum: quemadmodum serm. 1. de Apost. dicit Augustinus, *Beatissimum Petrum piscatorem gentibus provolutis adorat gentium multitudo credentium?* An denique ut Deum? Audiamus, quid Ambrosius sentiat lib. 2. in Luc. *Cognoverunt Magi stellam, quæ hominem Deumq; significabat, & adoraverunt parvulum. Utique non adorâssent, si parvulum tantummodò credidissent.* Quid enim in eo parvulo excellentiæ fuit, quid in affectis, quid in habitu, quid in solio, quid in palatio? Audiamus & Leonis sententiam. *Adorant in carne Verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis majestate Dominum majestatis. Utq; sacramentum fidei suæ, intelligentiaq; manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur.* Thus Deo, aurum Regi, homini dant myrrham. *Venite adoremus eum, quoniam ipse est Dominus Deus noster.* Vocant nos Magi. Offeramus cum illis munera: nec paupertatem caussemur. Habemus animam: eam demus, quia, ut tyranno aiebat S. Papias Martyr, thesaurus noster unicus est. Non de thesauris, sed thesaurum offeramus.

THEMA quintum, in Octava Epiphaniæ, *Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi.* Joan. 1.

Legitur istud Evangelium in Octava Epiphaniæ, quia mentio ibi fit de baptismo, & de columba; etsi historia ista sesquimense post baptismum dicatur contigisse. Columbam omittamus, agnum attendamus. *Gemmula carbunculi, in ornamento auri*, visa est Ruperto hæc Joannis sententia. Alter Joannes eam auro Evangelii sui inclusit: & in Apocalypsi tricies septies Christum agnum appellat, semel tantum leonem. Auro etiam officii divini Ecclesia incastravit, in sacro, & in Litaniis. Includamus & nos cordi nostro, intelligamusque, cur *Agnus* appelletur, cur *Dei*, cur *qui tollit peccatum mundi?*

Salmeron rationes undecim affert appellationis istius, *Agnus.* Mihi videbantur suffecturæ quatuor. Prima petitur ex prophetiis, quarum pulcerrima est Isa. 53 ob quam conversus Act. 8. Eunuchus Candacis. Altera petitur ex figura agni Paschalis, & agnorum quotidie immolatorum manè, & vespere, ut Christus. Tertia est, ex ratione nominis, de quo vide Cornelium: notârunt aliqui ex Græco *ἀμνός* fieri *ἀπὸ τοῦ εἶς*, *in eo unus*. Quarta, ratione qualitatum, utilitatis, patientiæ, obedientiæ, & præsertim mansuetudinis tantæ, ut numquam legatur actum ullum exercuisse justitiæ, nisi quando fecit *flagellum*, *sed de funiculis*, quo ne ipsi quidem pueri terrerentur, nec clamare desinerent *Hosanna.* Severitatem etiam paullò post in ficum exercuit, *damno arboris*, non vitæ humanæ, inquit Hilarius. *Dei* autem Agnus appellatur. primum, quia Filius Dei: filios autem vocare solemus agnos, inquit Clemens Alexandrinus. Deinde, quia nobis à Deo datus est, *ut* illum ipsi reddamus, immolemus, & simul ut nos manducemus, *integer enim perseverat & vivus.* Tertiò, sicut dicuntur cedri Dei, montes Dei, ita Christus est *Agnus Dei*, eximiè ac præcipuè: habemus Episcopum Tongrensem D. *Joannem Agnum*: dicit Christus Petro, *Pasce agnos meos*: de Martyribus dicit Ecclesia, *Isti sunt agni novelli*: dux agnorum istorum est Christus.

Denique est Agnus Dei, quia *tollit peccatum mundi.* Sic legitur jam olim: etsi etiam olim Patrum non pauci legerint, *peccata.* Tollit autem Christus peccatum mundi originale, gratiâ baptismi: tollit actualia sacramento pœnitentiæ: tollit vitia & imperfectiones, tum sacramentis aliis, tum doctrina, tum exemplis vitæ suæ ac mortis. Augustinus in ps. 149. *Fremuit mundus, exarsit se leo adversùs agnum: sed fortior leone inventus est Agnus. Leo victus est sæviendo, agnus vicit patiendo. Conversa sunt corda hominum ad timorem Christi.*

De agnorum cereorum gestatione vide Baronium anno Christi 58. num. 76. Apud eumdem anno 692. disces, imagines Agni Christi in cœmeteriis poni solitas more Ecclesiæ, sculptasque interdum in loculis marmoreis: etsi Quinisextæ Pseudo-synodo displicuerit sic pingi Christum.

DOMINICA INTRA OCTAVAM EPIPHAN.

THEMA. *In his quæ Patris mei sunt oportet me esse.* Luc. 2.

Incitando ad aliquid hominum argumenta sumi solent à facili, jucundo, utili, honesto. Adversus illa opponi tergiversatio potest: ideoque, ut efficax sit persuasio, additur istis argumentis incitamentum à necessario. Quod licet, delectat, juvat, decet, non trahit satis potenter; si, *oportet*, non adsit. Eâ unicâ voce, inquit D. Antoninus, caussas omnes suæ in templo moræ clausit, & quæstionibus Divæ Matris satisfecit, Christus duodennis.

Quid autem ea vox sibi vult? Neque enim illam Diva Virgo quamvis sapientissima, tunc quidem, intellexit, ut indicat Evangelista. Quâ ergo nos ratione intelligamus, tam longè à Josephi oraculis, à Mariæ sapientia remoti? Tria quæremus: primùm qualis ea fuerit in Christo necessitas, seu *oportet*: deinde, ex quo capite fluxerit: denique, quâ in re versaretur, inde ad nos reflectemur.

Duplex est necessitas, absoluta una, alia moralis. Quam distinctionem cum alibi sæpè attingit D. Thomas, tum 2. 2. q. 58. art. 3. ad 2. Absoluta necessitas est, rerum sive extra nos, sive in nobis, à libertate nostra non pendentium. Talis ea est, quæ à malo cogit abstinere, ut carceri mancipatos, ut D. Romualdi patrem Sergium; quem, fugere benè cœpta conantem, fælix necessitas ad meliora compulit. Talis etiam ista est, quæ non cogit, sed rapit, ineluctabiliter voluntatem: uti in beatis fælicissima est necessitas semper amandi Deum, & numquam peccandi. O amabile jugum, ô desiderabile oportet! Moralis necessitas illa est, quæ a bonis moribus pendet, libertatem arbitrio relinquit, illudque tantum trahit propositione magni boni. Hoc sensu loquebatur Chrysostomus, cùm diceret, *Una est inevitabilis necessitas, Deum non offendere*: & Tert. lib. de cor. mil. *Non admittit status fidei allegationem necessitatis. Nulla est necessitas delinquendi, quibus una est necessitas non delinquendi.* Absoluta enim homini, quantumvis bono, necessitas non est non peccandi, quamdiu hic vivit, sed moralis tantùm: peccare potest, sed non debet: adeoque est necessitas non potentiæ, sed officii.

De utra necessitate hic Christus loquitur? Certum est in ipso, quia homo simul erat & Deus, & quia comprehensor simul erat ac viator, absolutam fuisse necessitatem non peccandi, impotentiamque fælicissimam. Certum item, fuisse necessitatem absolutam Dei perpetuò amandi, aliorumque actuum ex eo amore consequentium. Sed an idem dicendum de actibus ipsius cæteris, quos humano modo produxit, non ut comprehensor, sed ut viator? *Factus obediens usque ad mortem*, nonne meritus est? Si meritus est, nonne liber fuit? Ubi enim meritum est, ibi libertas est: ubi adest libertas, abest absoluta necessitas. Idem dicendum de iis, quæ puer fecit; erat *subditus*

mari

matri & nutritio, non necessitate potentiæ, sed officii: mansit Hierosolymis, fuit in templo, mendicavit triduo, non quia aliter fecisse non poterat, sed quia non debebat.

Cur autem non debebat? Ratio officii exprimitur illis verbis, *In his quæ Patris mei sunt*. Deum perpetuò adspiciebat ut patrem, à quo acceperat omnia, à quo momentis singulis pendebat, à quo omni æternitate volebat pendere. Id ipsi in actibus omnibus motivum, ut faceret voluntatem Patris. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te. Quæ placita sunt ei, facio semper.* Seu nascitur, seu moritur; seu orat, seu laborat, seu subditus est matri, seu ab illa sejungitur; quidquid agit, loquitur, cogitat, eo solo motivo facit, quia voluntas Dei est.

Sed si ubique est in iis, *quæ Patris sunt*, quid hic peculiare voluit intelligi? Advertamus, quo loco esset, cùm ad matri responderet. In templo erat, in domo Patris: unde etiam Syriacus textus habet, *In domo Patris mei oportet me esse.* Domus autem Dei, domus est orationis. In medio Doctorum erat audiens, interrogans, respondens, de rebus utique divinis; cùm ibi esset Synagoga primaria, ex præcipuis Legis Doctoribus conflata. Itaque ea, quæ Patris sui sunt, hic intelligit res divinas, ad religionem spectantes, & ad cultum Dei propius pertinentes; cujusmodi sunt, discere necessaria ad salutem, audire verbum Dei, orare. In his oportebat Christum esse, non quia non ubique & semper audiret Patris verbum, & semper cum ipso loqueretur; atque in turba, ac semotus; atque in plateis, & in templo. Sed ut nos, qui ubique Deum non audimus & oramus, exemplo suo doceret.

Applicemus ergo nobis istam sententiam, quandoquidem nobis sit pronuntiata *In his quæ Patris mei sunt oportet me esse*. Filii officium est, in paternis rebus ac voluntate versari. Deus pater noster est. Designetur quidquam, si potest, aut extra nos, aut in nobis, quod ab optimo illo patre non acceperimus. Designetur momentum ullum præsens, quo non pendeamus ab ipsius potentissima bonitate. In futurum tempora omnia mittamus, & dispiciamus, an ullâ sæculorum particulâ licebit ab eo non pendere. Exire hominibus aliquando licet è patria hominum potestate: etiam, qui in patris potestate est, aliquando peculium suum habebit, ex legum placitis. At de manu Dei licebitne unquam mortalium ulli vel in totum exire, vel partim? Voluit filius Prodigus portionem suam habere, & vivere arbitrio suo, extra domum & potestatem paternam. Scitur, quid ipsi acciderit, idemque accidit quotidie Christianis, commoda sua quærentibus, aut honorem, aut voluptatem, extra Dei obsequium & voluntatem. Vis contentus vivere, Deo non contento? Non vives. Vis honore gaudere, omissâ Dei gloriâ? Non gaudebis. Vis tuus esse, non Dei? Nec Dei eris, nec tuus: imò Dei eris, sed invitus, ideoque non tuus.

Eximiè hac de re Aug. serm. 18. de verb. Apost. explicans illa Psal. 72. *Mihi autem adhærere Deo, bonum est*: quia fortiùs Paulus dixit 1. Cor. 6. *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Ad illa ergo verba Augustinus: *Dicebat*, inquit, *Epicurus, mihi frui carne meâ bonum est. Dicebat Stoicus, mihi frui mente meâ, bonum est. Dicebat Apostolus, mihi adhærere Deo bonum est. Errat Epicurus, fallitur Stoicus: tunc enim rectè anima vivit, si non secundùm carnem, neque secundùm seipsam, sed secundùm Deum vivat: sicut enim anima carnis, sic Deus est animæ vita.* Vivere velle sine vita, insanum est. benè vivere velle sine Deo, stultissimum est. Si commoda tua, & quietem quæris, extra domum Patris, Christiane, frustra es. In his quæ Patris tui sunt *oportet* te esse, ut benè sit tibi.

Sed generatim ista de servitio Dei dicuntur: quid autem de illis, quæ nos duodecennis Christus exemplo suo docuit? Duo discenda, & statuenda sunt: primum, frequentanda Christiano cuilibet, quantum ex status conditione licuerit, templa & officia cultûs divini: deinde, quamdiu in illis est, repellendas alienas sollicitudines & cogitationes; nisi quas majus obedientiæ, aut caritatis bonum religioni præponendas suaderet.

Ad primum hortabatur Paulinus amicum suum Jovium ep. 38. *Divisionem cum Deo facito*, tempora partire, quid publicis rebus, quid privatis, quid tibi, quid amicis des: inter illos, Deum & cultum ejus ne omitte. Rationem affert ex patris nomine: *& quasi mutuo beneficio reddas summo Patri gratiam. Qui tamen ex omnibus, quæ tibi donavit ingenio, vel adjecit extrinsecùs, te tantum à te reposcit.* Ne autem vir ille negotiis implicatus, rationibus imperii præfectus, ingenio & actu magnus, tempore inopiam causaretur: *Vacat tibi*, inquit Paulinus, *ut sis philosophus; & non vacat, ut sis Christianus?* O quàm multis idem possit objici, imò & longè acriùs! Caussaris tibi otium deesse, ut sis in domo Patris tui, audias legem divinam, ores & effundas cor tuum coram ipso: at in quibus interim domibus versaris? Vacat tibi ut sis inutilium mimorum spectator, ut sis aleator, ut sis vitilitigator, ut sis ebriosus, &c. *non vacat, ut sis Christianus*: ut Christum sequare in rebus Patris tui?

Rectè habet, in illis es, divisionem cum Deo fecisti, das sua tempora religionis officiis. Sed, dum in illis es, cave ne alibi sis. Ingruant importunæ de domo tua, aut aliena, cogitationes, responde illis *In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Judicum 9. ligna silvarum vitem, & oleam, sollicitant ad regnum suum capessendum: respondet arbor utraque, *non deseram vinum meum, pinguedinem meam, ut regnem super vos.* Cedri, & quercus, id est ambitiosæ cogitationes; abietes, & terebinthi, id est avaræ & viscosæ cupiditates; spinæ, & aquifoliæ, id est inquieta desideria sollicitatum veniant animos nostros, dum oramus: respondendum, pluris nobis esse vinum lætificans cor hominis, & pinguedinem pietatis.

Facile hoc, inquis, hominibus non implicatis: at difficillimum negotiosis in foro, in aula, in bello. Audi ergo quid D. Antoninus Secretario suo Francisco Castilionio, conquerenti, sese inter occupationum agmina tempus vacandi Deo non invenire, responderit: *Fieri non potest, fili, ut inter tot mundi sollicitudines pacato animo consistamus; nisi reconditum quemdam, & occultum, mentis angulum habeamus intactum, ad quem negotiorum strepitus, & curarum anxietas, non irrepat.* Idem suadebat Pammachio Aug. epist. 134. ubi memorat *cubiculum caritatis, quod claudimus adversùs nugas tumultuosas hujus sæculi, cùm Deum adoramus.* Potuêre Judæi ad actus religionis, *secundùm consuetudinem diei festi*, negotia & domos relinquere. Potuêre Sabbathinos dies legi legendæ & audiendæ impendere. Potuit Judæorum occupatissimus septies in die laudem Deo dicere, inter bella, & curas Regias. Non poterit Christianus otii pauxillum, ut Deo vacet, invenire? Poterit omninò & artifex, & mercator, & caussidicus, & miles, & Princeps. Quotidiana videmus exempla hominum, in quavis conditione, *divisionem cum Deo facientium*, exemplo tuo, Christe, doctrinâ tuâ, auxilio tuo.

THEMA alterum. *IESVS proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ, apud Deum, & homines.* Ib.

Flos nullus tam salubris est, unde aranea venenum non hauserit: verba Scripturæ nulla tam divina sunt, unde hæresis falsitatem suam sugere conata non sit. Ariani, istâ Evangelii nostri clausulâ, sacrilegam suam de Christo opinionem aluêre, teste Athanasio & Ambr. apud Toletum in hunc locum: idem Nestoriani fecêre, teste Damasceno lib. 3. de fide.

Solvendæ illorum objectioni, Damascenus advertit, de Christo dici quædam in Scripturis, quà Deus est, *Antequam Abraham fieret, ego sum*: quædam, quà homo est, *Pater major me est*: quædam, quà corpus mysticum constituit cum Ecclesia, *Saule, Saule quid me persequeris?* Hoc tertio modo, inquit Damascenus, sumitur Christi profectus: quia Ecclesia sensim perficitur. Sed, pace sapientissimi Theologi, de eodem Evangelista dicit, *Proficiebat*, de quo dicit, *Erat subditus*: hoc dicit de Christo ipso, ergo & illud.

Origenes interpretatur de Verbo divino, quod dicatur profecisse, quia novo modo, id est humano vixit, & scivit. Sed ea vita, & scientia, Verbo tantùm convenit, per communicationem idiomatum: Evangelista autem hic agit de proprio ipso Christi profectu, in se: atque ita intellexêre Athan. & Cypr. nullamque in eo esse difficultatem videbimus, examinatis vocibus singulis, Christoque applicatis, tum ad nos reflexis.

Proficiebat ætate, Græcè ἡλικίᾳ, *staturâ: crescebat*, & adolescebat paullatim. Potuit ab initio corpus perfectum assumpsisse, virilis ætatis staturâ, ut Adam: noluit tamen ob rationes à nobis allatas Exc. ad c. 5. bujus libri sect. 3. Voluit sensim formari suum, ut nostrum: hac tamen differentiâ, quòd in nobis cor primò formetur, tum partes cæteræ, quibus efformatis anima infundatur; Christi verò corpusculum totum in instanti formatum est, simulque infusa anima, quomodò ex Scriptura & ratione colligitur. Decuit enim istud Verbi divini majestatem, ut statim atque *caro factum est, & habitavit in nobis*, esset *plenum gratiæ & veritatis.* Decuit miraculosam operationem Spiritûs sancti supervenientis in Virginem, & Virtutis Altissimi, quæ creabat novum super terram; ut *fœmina* circumdaret *virum*, id est Virgo Christum, ævo minimum, sapientiâ maximum, inquit Hieronymus. Decuit Patrem æternum, ut *filius dilectus*, in quo sibi complacuit, semper haberet complacentiæ caussam, adeoque esset, à primo instanti, plenus sapientiâ & gratiâ, sicut à primo instanti fuit *Filius dilectus*. Eam ob rem Christus, in utero, voluit salutari ex

utero:

niero: & recens natus voluit adorari ab idiotis pastoribus, ut infans corpore, & à doctis Magis, ut vir mente.

Quo ergo pacto potest dici *sapientiâ* crevisse, si jam tunc eâ plenus fuit? Huic nodo solvendo, distinguuntur in Christo scientiæ tres; Beata, in qua crescere non potuit; Infusa, in qua crevisse dici non potest, nisi quomodò Solis lux crescere dicitur usque ad perfectum diem, quia magis ac magis apparet; Experimentalis, in qua crevit reipsa per sensuum experientiam, & acquisitionem seu comparationem cognitionum more humano: quod etiam incrementum magis ac magis demonstrabat sermonibus, & actionibus, uti in Evangelio hodierno.

Gratiâ crescere non potuit aliter, quàm per istam indiciorum majorum ac majorum in dies demonstrationem; uti modò de Sole, ac scientia infusa, dicebamus. Atqui, incrementum istud apparens est *apud homines* duntaxat: quomodo igitur dici ex vero potest, crevisse gratiâ *apud Deum?* Quia istud incrementum apparens, & exterius, ex veris indiciis fuit, non ex falsis & fictitiis: *apud Deum* enim talia videntur, qualia sunt; *apud homines* sæpe alia, quàm sint. Senex hominibus apparet, qui apud Deum *puer centum annorum morietur*, aut puer unius anni ut Saul. Sapiens oraculi instar videbitur, qui stultissimus est, ut Achitophel & Salomon: Gratiæ plenus, qui ingratissimus, ut Absaloo. Dicitur ergo Christus *apud Deum gratiâ* crevisse, quia certa ac solida, non inania & fucata, gratiæ signa demonstravit? Quid autem opus erat addere, *apud homines?* Quia *apud Deum* verè sapiens, & gratus, aliquis esse potest, hominibus tamen talis non videri: quod Christo provectiori contigit apud invidos, & detractores. Adolescens autem Christus invidos nondum habebat, & detractores: quia nondum divinis, & summis, actionibus oculos Pharisæorum Scribarumque pungebat. Crescenti virtuti sæpè favetur: adultæ & firmatæ invidetur. Magna lux oculos lædit.

Hæc Theologicè, ac speculativè, ad Christi gloriam disceptatis: eadem verba practicè ad nos reflectamus.

Certum est de nostrûm singulis dici posse, *Proficiebat ætate*: numeramus omnes annum præcedenti provectiorem. Quid autem istud est, seniorem esse? Morti esse proximiorem, atque adeo judicio, & æternitati: Esse magis expertum vanitatis rerum & temporum, quæ mirâ celeritate effluxêre, & prætereundo nos docuêre, quomodò transitura sint cætera: Esse magis Deo obstrictum, quia nobis plus spatii dedit ad opus salutis, & pœnitentiæ fructus. Quantum beneficium dies unus? Quanta beneficia multi dies? Cùm ergo dies æternitatis appropinquet, lux experientiæ magis nobis splendescat, gratitudinis nostræ debitum erga Deum quotidie augeatur: provehamur ætate simul, & *sapientiâ*; quæ sita est in cognitione, consideratione, & sapore rerum divinarum & salutarium, id est ad æterna tum mala vitanda, tum bona consequenda, conducentium. Monstrosus sit lapis, qui quo magis ad centrum accedit, eò citius non movetur: contra ignis naturam contingeret, si flamma quò altior est, eò magis non trepidat. Mentis parum sanæ sit reus, qui quò ad judicem propiùs ducitur, eò magis seriò de caussa sua non cogitat. Gregorius lib 7. epist. 1. Episcopum Calaritanum senem negligentem monet: *Quantò morti vicinior efficeris, fieri sollicitior atque timidior debes.*

Sapientiæ incremento augescet etiam *gratia*: quia sapientia Christiana non est sterilis, & infœcunda cognitio, rerum agendarum, sed, ex cognitione, agendi voluntas. Qui scientiam sine virtute, cognitionem sine gratia habent, inquit Chrysost. hom. 21. in epist. ad Rom. Regi similes sunt, qui coronam habeat & sceptrum, obedientem neminem: ita spiritualium rerum quantumvis peritio, si pravi affectus non obediunt, Rex scenicus est, subditorum ludibrium. Ecclesia Christiana schola est, non intellectûs, sed voluntatis. Itaque Paulus Colossensibus scribens cap. 1. *Non cessamus*, inquit, *orantes . . . ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia, & intellectu spiritali: ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes.* Frustra sit agnitio, sapientia, intellectus, si non ambuletur dignè Deo, & placeatur. Eundem in modum hortatur Christianos omnes D. Petrus 2. 4. *Crescite in gratia, & cognitione Dei*: frustra enim sit cognitio, si absit gratia.

Apud Deum primùm, tum *apud homines*. Ante omnia demus operam, ut grati simus Deo, eique placeamus: gratiam autem apud homines sic spectemus, tamquam accidens, quod abesse potest sine subjecti, id est gratiæ divinæ, corruptione. Accipiamus eam, si Deus det, ut ab hominibus glorificetur in nobis: si non det, dicamus quod Jacob fratri suo Esau Gen. 33. comites itineris offerenti: *Non est necesse, uno tantum indigeo, ut inveniam gratiam in oculis tuis, Domine mi.*

THEMA tertium. *Secund[…]m consuetudinem diei festi.* Ib.

De festorum observatione habes Exc. ad c. 10. hujus lib. sect. 2. totâ. & lib. 1. c. 2. v. 4.

THEMA quartum. *Pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te.* Ib. Vide Indicem libri prioris.

DOMINICA II. POST EPIPHAN.

THEMA. *Nuptiæ factæ sunt.* Joan. 2.

Matrimonii Christiani dignitas, & felicitas, exponitur Exc. ad c. 14. lib. 2. sect 1.

THEMA alterum. *Erat mater IESV ibi: vocatus est autem & IESVS, & discipuli ejus ad nuptias.* Ibid.

De conviviorum Christianorum modo, vide Indicem libri prioris. Cui materiæ uoliter addes, in primo puncto de Christi præsentia; benedictionem mensarum, & gratiarum actionem, non omittendam, quod profani quidam hodie dicuntur facere. S. Corbinianus, æquævus S. Lamberti, apud Raderum in Bavaria Sancta to 1. a Principe quodam invitatur ad mensam, cum benediceret mensæ, cumque tempore benedictionis videret cani præbentem aliquid panis, indignatus discessit, protestatus numquam se deinceps illic manducaturum.

THEMA tertium. *Hoc initium signorum fecit IESVS in Cana Galilææ, & manifestavit gloriam suam.* Ib.

Quomodò primum signorum Christi? Nonne in Ægypto multa fecit? Nonne duodecennis, & postmodum, quædam? Primum fuit tempore prædicationis: primum solenne, & publicum in Judæa. Itaque meritò ejus circumstantias expendemus.

Tempus. Ecclesia præponit suum, *in illo tempore*, quod singulis Evangeliis aptatur, ut recogitemus Æternum pro nobis factum esse Temporalem; deinde, ut initium illius Evangelii referatur ad præcedentia, uti hic refertur ad, *die tertiâ*: quæ autem ista tertia dies? Vide interpretes. Apud eosdem vide aliam quæstionem de tempore, an tria eodem die sexto Januarii miracula contigerint, ex Patrum nonnullorum sententiâ, & Ecclesiæ usu: *Modus orandi, ratio credendi*, fide saltem humanâ. Vide Baronium.

Locus. Galilæa, & Cana. *Primo tempore alleviata terra Zabulon* &c. Inde Apostoli vocati. Eo in loco dicitur Helena nobilem Ecclesiam erexisse.

Personæ. Quis sponsus, & sponsa? An pauperes? An consanguinei Christi? S Maxellendis nolebat umquam interesse conviviis, cur Virgo interfuerit? Cur Christus? Cur abfuerit Josephus, an mortuus?

Modus. Complectitur tria, Caritatem modestam Virginis, Servorum obedientiam, Christi potentiam. Hilarius lib 3. de Trin. initio, putat aquam in vinum mutatam eo solum tempore, quo ministri infundebant convivis: *Qui infuderant, haurire aquam existimant; qui hauriunt, vinum infusum arbitrantur.* Vini multiplicationem factam à Bonifacio Episcopo Ferentino, vide apud Greg. l. 1. dial. c. 9. Alia alibi ejusmodi miracula.

Finis. *Vt manifestaret gloriam suam*, id est divinitatem, & ut doctrinæ suæ auctoritatem conciliaret. Soliti Legislatores, ad leges suas commendandas, fingere, divinitus sibi datas. Pythagoras ad hoc aquilam cicurem habuit, Mahumetes columbam, Numa mentitus colloquium cum Dea Egeria: Moses veris miraculis firmavit sua præcepta, sic Christus.

At cur in aquis factum miraculum, & in vino? An, ut præstrueretur fides miraculo transsubstantiationis vini in sanguinem Christi: quam minùs illâ mirabilem esse, ait Cyrillus Hierosol. quia aqua vino vicinior est, quàm vinum sanguini? An ut indicaretur mutatio aquarum nostrarum, id est calamitatum, & defectuum, Galilæam & Canam hujus vitæ implentium, in vinum gratiæ & consolationis, precante Virgine, operante Christo?

THEMA quartum. *Omnis homo primùm bonum vinum ponit, deinde, cùm inebriati fuerint, hoc quod deterius est: tu autem servâsti bonum vinum usque adhuc.* Ibid.

D. Augustinus tract. 9. in Joannem, quærit, eccur Christus, qui castitatem, temperantiam, modestiam, edocturus venerat, interfuerit tamen convivio nuptiali? Ut matrimonii, inquit, dignitas, & sanctitas, commendaretur. Aliam deinde mysticam caussam indicat, significationem nuptiarum Christi cum Ecclesia: in quibus nuptiis Christo sponso dicit Architriclinus, *Servâsti bonum vinum usque adhuc.* Hanc allegoriam homiliis duabus eleganter extendit Eusebius Gallicanus, aliique deinceps, Bonaventura, Thomas Aquin. Gerson &c. Partes comparationis valde faciles, & obviæ sunt. Certè manifestum est, congruere verba architriclini, *Omnis homo primùm* &c. Nam falsæ religiones primò bonum vinum proponunt, libertatem, securitatem &c. deinde, *quod deterius est.* Contrà,

religio

religio vera accedentem ad Deum præparat ad tentationem, proponit persecutiones &c. servat bonum vinum, pacem animi, & præmia, in posterum.

Innocentius III. dicit significatum spirituale connubium animæ Christianæ cum Christo, per gratiam, seu virtutem. Pulcræ sunt partes similitudinis, à loco, à persona invitatis, à vino deficiente: maximè ex istis verbis, *Omnis homo* &c. Inde ostendam, virtutem longè vitio suaviorem: vitium modico mellis multum fellis tegere, virtutem contra: itaque vitiosos stultos esse, ac miseros; virtutis studiosos, sapientes ac beatos.

Seneca lib. de vita beata generatim pronontiat, *Quo die infra voluptatem fueris, & infra dolorem eris.* Dea Angerona Voluptæ conjuncta est. istam sine illa non habebis: imò hanc solùm externùs habebis, istam tantum in labellis & in palato, illam senties in intimis visceribus. *Donec impleatur*, inquit Baldad Suhites Job. 8. *os tuum risu, & labia tua jubilo*, cor amaritie. Ebrium adspice: Rex sibi, in tuguriolo, in summa egestate, videtur: at ubi evigilat, ouds omnia luget, creditores tremiscit instare. *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, &, quæ parâsti, cujus erunt?* Creditorum, caussidicorum, judicum. Ecclesiastes piscibus & aviculis comparat cap. 9. *Sicut pisces hamo, & aves laqueo, sic capiuntur homines in tempore malo.* Bellarminus confert cum asoto & prodigo juvene, dissipante omnia, & ad haram redacto.

Sed particularius, ac pressiùs, attendenda nobis est misera lætitia, videndumque, quasi anatomicâ dissectione, quomodò incipiat, progrediatur, terminetur.

Ac primum, sicut virtus est habitus inclinans ad bonum honestum: ita vitium est habitus inclinans ad bonum imaginarium, relicto vero bono in ratione sito, aut, ut Christianè loquamur, sito in ratione fidei subditâ. Id bonum imaginarium, quod ad tria capita reducitur, voluptatem, utilitatem, honorem, creat in intellectu complacentiam, unde aliquid suavitatis enascitur. Succedit in voluntate spes consequendi, habens etiam aliquid suavitatis: nam, licèt spes sit paupertas, titillat tamen. Ex spe, ut desperatio non intercurrat, oritur desiderium efficax, quod jam tunc aliquantum incipit cruciare, quia ponit voluntatem extra centrum suum. Excipit plerumque difficultas in consequendo: nam, ut habetur Eccl. 19. *Via peccatorum complanata lapidibus, & in fine eorum inferi, & tenebræ, & pœna.* Quidam verbo, *complanata*, putant significari facilitatem viæ peccatorum: sed Glossa explicat de illius difficultate, & duritia, sicut pavimenti strati lapidibus acutis. Congruit hæc interpretatio cum istis, apud Sapientem cap. 5. *Lassati sumus in via iniquitatis*, &c. Et cum istis Jeremiæ cap. 9 *Vt iniquè agerent, laboraverunt.* Figuratum istud in Esaü Gen. 27. post venationis labores vix tenui benedictione asperso, cùm Jacob vix ullo labore amplam benedictionem obtinuerit: item in Israëlitis Exo. c. 5. noctu coquentibus lateres, paleas interdiu colligentibus. Expressum Num. 16 v. 13. *Servietis diis alienis*, vitia sunt dii alieni, *qui non dabunt vobis requiem*: & Isa. c. 46. *Confractus est Bel*, &c. *onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem.*

Sed demus, in consecutione boni imaginarii non esse laborem: statim pervenitur ad desiderii metam: quantulum tamen illud, quàm inane, quàm citò fastidiendum? Mox orietur nova fames *valida* in regione illa, & prodigus incipiet *egere*, Luc. 15. Talem se Augustinus fuisse fassus est: *Cædebar virgis ferreis ardentibus iræ, & contentionum*, &c. Quid, cum accedit tortura conscientiæ? *Spina* enim, inquit Gregorius, *est omne peccatum, quia, dum trahit ad delectationem, pungendo lacerat mentem*: explicat istud Jobi 30. *Mandebant herbas, & arborum cortices, & radix juniperorum erat cibus eorum*, folia juniperorum sunt spinarum instar. Verum id quidem, nonnullos non sentire; sed quamvis non sentiant, non desinunt esse miserrimi; quomodò suspendiarius inebriatus *absynthio*, ut Thren. 3. Jeremias loquitur, etsi non dolet, infælix tamen & dolendus est. Seneca ep. 87. *Maximum scelerum supplicium, in ipsis est... Puniuntur cùm facta sunt, imò cùm fiunt.*

Quid autem, quando ad vitam alteram venietur? *Hoc, quod deterius est.* Amaritiei prægustum præbet mors ipsa inevitabilis; nam *nos legem habemus, & secundùm legem debet mori*, quisquis est. Gustans gustavit paullulum mellis Jonathas, & ecce moritur: & statim à morte nudus consistit ante judicem, ubi *uva eorum uva fellis* erit. Pronuntiatâ verò sententiâ, *Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum*, &, quod deterius est, *fax ejus non* erit umquam *exinanita.*

Spectemus in tribus vitiosorum generibus. Utilitatem quærit Achab: quomodò vivit, moritur, est post mortem? Vide 3. Reg 22. Voluptatem quærit Ammon 2. Reg 13. quomodò languet vivus, & fastidit: quomodò moritur: quò abit? Honorem sectatur Aman, quibus inquietudinibus, quo exitu, quo successu? Tria palatia spectavimus: palatiáne, an carceres, an gehennas, an inferorum imagines? Inde sanè lapsus ad inferos, ubi, *quod deterius est*, non deerit.

Contrà, virtus initio aspera & amara est. Christus dicit, *Si quis vult venire* &c. *tollat crucem: Beati, qui lugent: Regnum cælorum vim patitur.* Accedit Paullus. *Mortificate membra vestra: Debitores sumus, non carni* &c. Valdè difficilia ista videantur: at non sunt, si tantillum animi habeamus. Non enim est Deus, ut Pharisæi, qui *alligant onera* &c. Sed dat talenta operanda *unicuique, secundùm propriam virtutem.* Jacobi instar, gressus suos accommodat infirmitati parvulorum, & fœtarum, Gen. c. 33. Circum Arcam Num 2. jubetur *Homo, secundùm ordinem suum, & secundùm signa sua, & secundùm domos familiarum suarum, castra* collocare: alius sub virginitatis, alius sub matrimonii, alius sub austeritatis, alius sub vitæ communis signo. Arcam, & Tabernaculum, efferentes Levitæ onerantur pro viribus: nec tantum ponderis imponitur pueris, quàm adultis. Manna Sap. 16. *Sapiebat ad gustum, deserviens uniuscujusque voluntati*: id est, inquit Greg. 6. Mor. 7. divina lex sese dispositioni personarum accommodat, severior in Elia, suavior in Davide. Austerissimi victûs est Joannes Baptista: Christus, & Virgo, vinum gustant. Apud Cassianum, *Vetus est B. Antonii, admirabilisq́; sententia..., minimè debere ab uno, quamvis summo, universa genera virtutum expetere.* Chrysologus serm. 99. notat à viro seminari sinapi, à muliere misceri fermentum. ut indicetur, inquit, curanda sua singulis. Nam *unusquisque proprium donum habet* 1. Cor. 6. Et quia facilius animis cadunt, idcirco, ut idem Chrysologus advertit serm. 179. non ferunt cruces & clavos Luc. 24. sed lacrymas & aromata. Nihil potes magni facere? At hoc ipsum potes facere, at te humiliare, & magnus eris. Pellio, ad quem D. Antonius missus est, apud Ruffinum lib. 3. numero 130 quid aliud agebat manè, & vesperè?

Esto, difficilis sit virtus, naturæ labili, & infirmæ: at quid gratiæ divinæ est difficile? Ad D. Antonium veniunt duo, cupidi discendorum monitorum ad salutem: proponit illis, præbendam alteram maxillam percutienti: at saltem eamdem: at saltem non reddendum malum: denique, inquit, orate pro impetranda gratia, ut possitis, quod non potestis. Sint viæ asperæ, & longæ: Deus perficiet pedes, sicut cervorum. Sint rupes oppositæ: in Deo transgrediar murum. Deficiat vinum consolationum, abundent aquæ afflictionum: potest mutare in vinum Christus, qui mentiri non potuit, cùm dixit, *Venite ad me omnes, qui laboratis* &c. Jam quies, & testimonium bonæ conscientiæ ex benefactis, quantâ suavitate perfundit? Quantam ipsi Pagani sensêre: Sen. ep. 23. *Disce gaudere: cæteræ hilaritates leves sunt. Crede mihi, res severa est verum gaudium... Ex bona conscientia, ex honesta consiliis, ex rectis actionibus.* Jam, apud Christianos, fiducia salutis, mercedis æternæ, ubi Beati dicunt Christo, *Servâsti bonum vinum absque adhuc.* Dicebat D. Antonius, velari oculos equi molam versantis, ne, farinam adspiciens, ecfluet. Merces temporalis nobis non adspicienda, sed intuenda æterna, ut strenuè laboremus; &, spei tam dulcis suavitate perfusi, clamemus, *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

Quid vitium est? Per quam viam, & quò ducit? Quid est virtus, quà, & quò agit? Insani, qui, primâ specie capti, non considerant quæ latent. *Tribulatio enim, & angustia, in omnem animam hominis operantis malum... Gloria autem, honor, & pax, omni operanti bonum.* Rom. 2.

DOMINICA III. POST EPIPH.

THEMA. *Non inveni tantam fidem in Israël.* Mat. 8. Materiam habes fer. 5. post Cineres in altero indice Conc. Quadrag. lib. priore.

THEMA alterum. *Puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Ibid.

Anima nostra imago divinitatis, divisionis expers & compositionis, ac simplicissima, quamdiu tamen est in corpore; & sensitivas facultates exercet, partes duas habere dicitur, superiorem unam, alteram inferiorem: quibus significandis prisci Centauros, Satyros, Charybdes, Sirenes finxêre: Horus Ægyptius juvenem pinxit scarabæi formâ infernè. Idolo Dagon aptè exprimatur. Eam partem inferiorem Theologi appellant *fomitem*, quia &c. Paullus, qui divinissimè de illa castiganda & moderandâ loquitur, nominat *Veterem hominem, Carnem, Peccatum*:

quia ex Adami inobedientia convaluit; quia carnea, & animalis est; quia ducit ad peccatum: Hilarius appellat, *viam peccati*: Bernardus, *malignitatis machinam*: Cyprianus aut Cornelius serm. de Circumc. *insanientem bestiam corrupta anhelitus*: Jamblichus philosophus Platonicus vocabat ἔχω σύμφυτον, λυγρὸν συνοικέτην, πολυκέφαλον θηρίον, *pugnam insitam, comitem perniciosam, belluam multicipitem*, qualis nempe hydra priscorum, aut bestia Apocalypseos.

Notissimum hodie vocabulum concupiscentiæ illius, seu partis sensitivæ, est Appetitus sensitivus; cujus naturam, morbos, & remedia in hodierno Centurionis puero expressa spectabimus. Comparationem illam ante me insinuavit Salmeron to. 6 tract. 23. Ego singulis thematis vocibus descriptum existimo: *Puer* est, *meus*, *jacet*, *paralyticus*; *malè torquetur*, & *malè torquet*, verbo Græco utrumque significante.

Puer παῖς, pro famulo, aut puero ætate, sumi potest, vide dicta lib. 1. c. 1. ad ver 7. Hic famulum significat, cùm Lucas, eamdem historiam narrans, dicat disertè, *Centurionis cujusdam servus*, &c. Utrovis tamen modo sumamus, appetitus puer est. Est servus ex Gen 4. *Sub te erit appetitus ejus*: quam etiam subjectionem Augustinus lib. 1. de Gen. cont. Manich. significatam putat istis Gen. 1. *Dominamini piscibus maris* &c. *Ut omnes affectiones & motus animi, quos habemus istis animalibus similes, subditos haberemus*. Voluntati enim humanæ datum est in appetitum & passiones *imperium*, quod vocant *despoticum* & cujusvis hominis ratio de se, & illis, idem dicere potest, quod Centurio, *Homo sum sub potestate constitutus, habens sub me* &c.

O si appetitus noster sit ejusmodi, cui dicatur, *Fac hoc, vade*, & faciat ac vadat! Talis servus nobis meritò fuerit *pretiosus*. *Servus sensatus*, inquit Siracides c. 7. *sit tibi dilectus, quasi anima tua*. At si, ut soles, contumaciter agit, *Cibaria, & virga, & onus asino; panis, & disciplina, & opus servo*: Eccl. 27. Alioqui, remissè, & indulgenter habitus dominationem arrogabit: accidetque, quod se vidisse ait Salomon, & cujus de se miser spectaculum præbuit, *Vidi servos in equis, & Principes ambulantes super terram*. Disceptatis, philosophi, quæ sint caussæ motuum terræ. Quaternas assignat Sapiens Prov. 30. *Per tria movetur terra, & quartum non potest sustinere. Per servum, cùm regnaverit: per stultum, cùm saturatus fuerit cibo: per odiosam mulierem, cùm in matrimonio fuerit assumpta. & per ancillam, cùm hæres fuerit dominæ suæ*. Appetitus est ancilla rationis: est Eva tentatrix Adami: est stultus, imaginationem sequens: est servus, regnandi avidus. Humiliandus est, continendus in officio, ne terram moveat, & turbas cieat.

Est enim puer servili conditione, & annis ac moribus puer. D. Thomas 2 2 q. 142. art. 2. *peccatum concupiscentiæ*, inquit, *pueri assimilatur quoad tria*: primò, quoad objectum, quia sicut puer *appetit turpe, & non attendit ad ordinem rationis*: deinde, quoad effectum, quia puer, suæ voluntati relictus, fit immorigerus, Eccl. 30. *Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadit præceps*: denique, quoad remedium, puer emendatur, si coërcetur, Prov. 23. *Virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis*: concupiscentiam de inferno liberabis, si coërceas; alioqui *dabit te in gaudium inimicis tuis*.

Familiari instructione comparationis partem tertiam extendamus, unde parentes aliquid audiant pro liberis regendis; singuli, pro appetitu suo restringendo. Habes filium vel filiam pater, aut mater: fac illi, quod ipse aviculæ suæ, ne pereat. Alas resecat passerculo, aut pedem filo illaqueat, aut caveâ claudit. Claude filium aut filiam caveâ; illum collegio, hanc parthenone, ubi ad mores Christianos & civiles formetur. Si unico, unicave, carere nequis, pedem innecte; da fidum comitem, nusquam injussu tuo progrediatur. Si opes ad comitem alendum non sufficiunt, aut occupationes tibi excubias pro liberis perpetuas non permittunt: pennas illis circumcide, tolle occasiones peccandi, subtrahe pecuniam & alia instrumenta dissolutionum. Alioqui, ut ait Augustinus in ps. 50. *Peccatum, quod tibi non displicet in filio tuo, delectat te: sed atas deferuit, non cupiditas*.

Idem tu, Christiane, fac appetitui tuo puerili. Caveâ illum claude, ut Magdalena, Paullus, Antonius, Hilarion, tot deinceps anachoretæ, sanctimoniales, monachi. Sed heus tu, inquit, non omnibus iste ad caveas animus est. Ergo remedium alterum adhibe: amico monitore utere, qui tuos tibi errores demonstret, ut Lucilio suo Seneca suasit. Atqui, inquit, monitorem ejusmodi ad locum & negotia omnia circumferre non possum, quò tamen appetitus me meus sequitur. Itaque ad tertium remedium decurre: alas appetitui tuo decurta, ne avolet, recusa ipsi quod noxium est, licitis etiam aliquando prohibe, noli sensibus & propensionibus tuis nimium concedere.

Puer enim est appetitus, & *puer meus*: hominum nemo est, qui illo careat. Christus ipse illum habuit, etsi non *sub natura fomitis*, ob unionem hypostaticam. Habuit & Virgo, etsi citra ullam inclinationem ad malum, ob affluentiam gratiæ. Hominum cæteri, etiam illi in quibus diceretur Adam non peccâsse, interdum seditiones aliquas illius sentiunt, alii tamen aliis majores. Non legisti angelum satanæ, & legem repugnantem legi mentis, in Apostolo rapto ad tertium cælum? Quanto magis *exviscerata nobis*, ut Cassianus Coll. 4 loquitur, concupiscentia est: quantâ opus vigilantiâ, & curâ? Theodosius quartus, qui invitus susceperat imperium Orientale, & post annum abdicavit, statuique Ecclesiastico sese aggregavit: vitâ religiosè actâ, Ephesi moriens, jussit sepulcro suo incidi vocem hanc unicam, ὑγίεια *sanitas* Ita Baronius narrat an. 716. Indicatum voluit ille vir sapiens, perfectam à passionibus sanitatem sperandam nobis non esse, nisi post mortem. Dicuntur philosophi quidam olim ἀπάθειαν docuisse. Contra quos disputat Augustinus l. 14. de Civ. cap. 9. ostenditque, passiones esse utiles; impassibilitatem vanam esse, & stuporem potiùs dicendam, quam virtutem; imò morbum potiùs esse, quam sanitatem: *Non enim quia durum aliquid, ideo rectum; aut quia stupidum est, ideo sanum*.

Sed verè, sapientissimi Stoicorum, passiones non negavêre sapienti: verùm domandas, continendas, & ad rectæ rationis statum erigendas monuêre. *Puer* enim est appetitus *meus*, & *jacet* ad caduca projectus, ad ea quæ Paullus appellat *desideria carnis*. Convenit illi maledictio data serpenti Gen. 3. *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes*. Equum habes sternacem, qui in aquas facilè procumbat? Adducis frænos, ne sternatur: si stratus est, urges calcaribus, & ferulâ, ut exsurgat. Sic age cum appetitu tuo, & corpore. Ratio id Senecam docuit ep. 14. *Multis enim serviet, qui corpori servit... Sic gerere nos debemus, non tamquam propter corpus vivere debeamus, sed tamquam non possimus sine corpore*. Ratio autem, fidei lumine illustrata, nobis perpetuò inclamat: *Mortificate membra vestra. Qui odit animam suam*, id est partem illam concupiscibilem, *in vitam æternam custodit eam*.

Nam si non mortificaveris, & oderis appetitum, non modò jacebit, sed erit *paralyticus*, impos agendi bona, honesta, & salutaria. Erit *paralyticus*, id est dissolutus, ad omne libidinum, quas dissolutiones vulgò appellant, genus projectus: &, quod inde consequetur, perpetui tibi doloris caussas multiplicabit.

Malè enim *torquetur*, & *torquet*, indisciplinata passionum dissolutio. *Sibi servire gravissima servitus est*, inquit Seneca lib. 3 nat. quæst. initio. Servis tibi, id est appetitui tuo? Cum illo jaces, cum illo dissolveris, cum illo torqueris; nunc lætus, nunc tristis; nunc spe plenus, nunc desperatione torpidus; nunc desideriis extentus, nunc fugâ contractus. Velut in equuleo es, quod Græcum Evangelii verbum significat, βασανιζόμενος. Accedunt fastidia, sequuntur conscientiæ morsus, vitam insuavem facientes: quandoquidem, ut ait Philo lib. quis divinarum rerum hæres, pacem & lætitiam hic possidere potest nemo, nisi adsit παθῶν ἐνδεία, vacuitas à passionibus.

Estne igitur de pace & lætitiâ hic desperandum; quandoquidem sine passionibus hic nemo est? Non est desperandum, inquit Chrysostomus lib 6. de Sacerdotio, ubi passiones ait esse ferarum instar, saginâ ferociunt, inediâ furorem lenies. Non audisti istud celebre, κακῶς μὲν νοσήματα: *passiones* sunt *morbi* si malè regantur: si benè, κατορθούμενα, *passiones* sunt *auxilia*.

At quis illas regere docebit? Vide, ad quem accedat Centurio. Seneca, & philosophi, utilia multa dictabunt: Siracides, & sapientes Hebræi, sancta multa & divina docebunt, præeunte legis præcepto, *Non concupisces*. Ista tamen nondum sufficiunt, si ad Christum, ad Christi exempla, verba, gratiam non accesseris. S. Paullus, postquam in tertio cælo fuerat, vel de se loquens Rom. 7. vel de peccatore universim, *Infelix*, inquit, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei, per Dominum nostrum JESUM Christum*, monita quotidiana passionum domandarum dantem, exempla præbentem, auxilia offerentem.

THEMA tertium. *Accessit Centurio rogans eum*. Ibidem.

Serviendum Deo, statu omni, omni loco, & tempore. Tergiversationes Christianorum, ad excusandas excusationes in peccatis, quando illos hortamur ad sanctimoniam convenientem dignitati nominis nostri, magnitudini mercedis æternæ, sublimitati Evangelicæ legis: est igitur

igitur tergiversationes peti ferè solent ex capitibus ternis; vel à statu, in quo sunt, vel à loco, ubi degunt; vel à motibus ætatis, quâ vivunt.

Quid me, inquit ille, mones debere esse in his, quæ Patris sunt, tali munere occupatum, tot curis distentum, tantâ dignitate conspicuum? *Non cuivis homini contingit adire Corinthum:* non fit Mercurius ex quovis ligno: Davidi arma Saulis non conveniunt, nec pera & pedum Davidicum Sauli: virtus illa exquisita congruit profitentibus instituta Ecclesiastica, nos civiles & politici sumus.

Tu me, inquit alter, ad perfectum vis enim, istius poetici verbi immemor, *Non omnis fert omnia tellus.* Dego in regione virtutibus sterili, vitiis fœcundissimâ: citius in tribulis ficus, & in spinis uvas reperetis, quàm sanctum hic quempiam. Quo pacto sim frumentum, inter tot zizania; columbula, in grege accipitrum, molle lilium, inter aculeatas juniperos?

Ego verò, inquit alter, etsi instituto vitæ, & habitationis loco virtutibus congruo, agam; iis annis natus sum, quibus sunt alii mores. *Laudamus veteres, sed nostris utimur annis.* Quorsum mihi Abrahamum, & alia veteris Testamenti nomina recantas? De novo nos Testamento sumus. Quid primitivam Ecclesiam inculcas? Sæcula nobis abinde fluxêre septemdecim. Ver tunc, & æstas fuit: nunc pluvius Autumnus, & nivosa hyems. Vestes alias aliæ tempestates postulant.

Cavillatoribus istis malè feriatis amputemus exceptiones suas, ostendamusque, præeunte nobis P. Albricio nostro ex quo nonnulla mutuabor; instituti genus nullum, locum nullum, tempus nullum esse, quo quivis Christianus non sanctus modò esse possit, sed eximiè sanctus.

Sufficeret ad ista probanda *Centurio* Evangelicus, homo dives, herili potestate, militari conditione; is tamen, cujus fidei parem non invenit Christus in Israel. *Accessit* ad Christum non in Templo, aut synagoga, aut ædibus amici, sed in ipso itinere, ac via Regia, ad urbem illaudatam Capharnaum: ut scias, ubique præstò esse bonitatem, & misericordiam Domini. Accessit *rogans eum*, cùm intraret Capharnaum; non exspectans mollibus aditibus fandi, non exspectato opportuno tempore, sed captato illo, quod se dabat. ut intelligas, semper locum esse exercendæ caritati erga proximum, cuilibet virtuti promendæ, accipiendis vicissim beneficiis divinis.

Sed isthæc, ut cavillationi effugium non supersit, fusiùs probanda sunt. Fieri nec decuit, nec potuit, ut homines omnes gradu eodem, & instituto sint. *Ascendunt montes, & descendunt campi,* superiores, & subditi, in locum quem Dominus eis fundavit. Si divites omnes sint, quis serviat? Si pauperes omnes, quis succurrat? Si rudes omnes, quis doceat? Si Doctores omnes, quis discat? Si artifices omnes, quis regat? Si rectores omnes, quis obediet? *Si essent omnia unum membrum,* inquit Paullus 1. Cor. 12. *ubi corpus?* In hac interim varietate, istud optimum; quòd quilibet in suo statu perfectæ sese virtuti dedere, eamque in dies augere potest. Non dedignaris istud ex philosopho Ethnico discere, Christiane? Seneca lib. de Tranquil. *Omnis,* inquit, *vita servitium est. Assuescendum itaque conditioni suæ, & quàm minimum de illa querendum, &, quidquid habet circa se commodi, apprehendendum est. Nihil tam acerbum est, in quo non æquus animus solatium inveniat. Exiguæ sæpe areæ in multos usus, describentis arte, patuêre, & quamvis angustum pedem dispositio fecit habitabilem.* Mavis ex D. Paullo discere? *Unusquisque,* inquit 1. Cor. 7. *in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus,* id est mancipium, vilissimum & difficillimum officium, *vocatus es? Non sit tibi curæ.*

Divitum forsan conditio periculosior tibi videtur, quàm servitus: quia Christus dixit Mat. 19. *Faciliùs camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum:* & faciliùs in spinis illæsum corpus volutari, quàm integram in opibus mentem. Sed ipse difficultati suæ Christus respondit: *Apud homines hoc impossibile, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Augustini ævo dicebant quidam, divitem opibus retentis salvari non posse, easque pauperibus erogare debere. Optimè eos coarguit epist. 89. Hilario respondens ad quæstionem 4. quæ est super ea re: *Dei gratiâ salvari possunt divites, per quam etiam gratiam salvantur pauperes.* Vide Abrahamos, Davides, Jobos, Ezechias &c.

Conditio literatorum æquè, meo judicio, ac divitum, virtuti Christianæ aliena est: eorum præsertim, qui tribunalibus adsunt, aut præsunt. *Scientia* enim *inflat,* & ambitioni atque injustitiæ ministrat arma. Sed nonne Magi, adoratores Christi, fuerunt docti? Nonne judices, si Reges? Non solus S. Ivo de jurisconsultis salvus est: Moses ex eo genere fuit, & seniores septuaginta duo, in quibus fuit *Spiritus Domini.*

Superiorum gradum nonnemo periculosiorem omnibus arbitrabitur, quia non sibi dumtaxat invigilare debent, sed aliis, quasi *rationem reddituri.* Atque ideò forsan Bellarminus fertur invidisse conditioni artificum. Sed & istis, inquit Hieronymus ep. ad Salvinam, sua est ad virtutis summum via, quomodò Josepho; *qui post Pharaonem Regis ornatus insignibus, Deo sic carus fuit, ut super omnes Patriarchas duarum tribuum pater fieret.* Exemplum unum profert Hieronymus: Martyrologium Romanum ostendit innumera Regum, Principum, Episcoporum sanctorum. Neque enim montes omnes, sicut *Gelboe*, sunt: &, qui thamnos irrorat, cedros non negligit: nec, qui pilos caprarum Tabernaculo suo addixit, aurum recusavit: nec, qui pedes, manusque habuit clavis affixas, in capite suo coronam spineam non tulit.

Audio Siracidem cap. 26. dicentem: *Duæ species difficiles, & periculosæ, mihi apparuerunt. Difficilè exuitur negotians à negligentia, & non justificabitur caupo à peccatis labiorum.* Respondet Augustinus in ps. 70. *Ista hominum, non rerum peccata sunt.* Nam negotiatores multi non negligentes, id est vitiosi, spectantur: & caupones, atque hospites, justi ac veraces sunt. Non tibi videtur Abrahamus cauponis instar & hospitis publici fuisse, ut Jobus? Nonne mercatores non tantùm Christus laudavit, sed pro similitudine virtutis proposuit, quando jussit nos negotiari, dum veniret?

Apud Ægyptios Gen. 46. maximè exosi erant *pastores ovium:* & vulgò dicitur, Opilio aut Angelus est, aut dæmon, frequentiùsque hoc quàm illud, solitudinis & otii vitio. Remetire tamen prisca sæcula: Abelum ad paradisi terrestris januam invenies, Jacobum in Mesopotamia, Mosen in Madianide, pastores in Bethleem. Christus ipse vix aliam maluit figuram, quàm pastoris, sæpiùsque iteravit, *Ego sum pastor bonus.*

Quid in enumerandis vitarum generibus moramur, quando nullum militari constat esse periculosius. *Nulla fides, pietasq; viris, qui castra sequuntur,* inquit priscus ille: idem hodie ingeminant funestæ bellorum reliquiæ, & asseclæ militum vastitas, paupertas, sacri profanique indiscriminata confusio, vetitique ac liciti usus promiscuus. Nihilominus Augustinus serm. 19. de diversis, *Benefacere,* inquit, *non prohibet à militia, sed à malitia.* Et Bonifacio Comiti ep. 1. inter adjunctas ait: *Noli existimare, neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis militat:* profert deinde exempla Davidis, Centurionis hodierni, Cornelii à Petro conversi, militum qui ad Joannem Bapt. adiêre. Protulisse poterat plurimorum Christianorum militum exempla; qui, felici martyrio consummati, cælum animabus implent, exuviis basilicas. Neque hodie desunt, qui licentiâ bellicâ justitiæ, castitati, caritati, junctâ docent, statu quolibet coli & perfici sanctimoniam posse.

Simul docent quovis loco gratiam Christi sentiri, & adjumenta exercendæ virtuti præsto esse. Fatendum equidem est, loca quædam aliis esse sanctiora: eamque ob rem 1. Mach. 3. Maspham orationi delectum à Machabæo, ut eo loco diximus, & Exc. ad illud caput sect. 7. num. 1. Non ideo tamen loca omnia divinis gratiis excipiendis idonea non sunt, quia quædam aliquid habent sacratius. Imò, quemadmodùm vitiosi sacris locis interdum abutuntur, ita probi profanis utuntur ad sacra. Achaz in Templo idololatra fuit, Joas homicida, Jason & asseclæ sacerdotes impuri. Job, in ædibus privatis, cum uxore iracunda & maledica colligatus, omni sanctimoniâ floret. Abigail, in Nabali mariti stulti consortio, & domo, sapit. Joseph, in conclavi heræ ardentis, illæsus est. Hesther, in Assueri palatio, micat ut stella. Nehemias, ad mensam Artaxerxis, Deum precatur. Jonas, in alvo ceti, resipiscit. Mulieri, in civitate peccatrici, convivalis aula pro templo est. In ipsis fœdissimis lupanaribus, Maria Ægyptia per avunculum conversa est, & miseri multi utriusque sexus per Simeonem Salum. Ubique Capharnaum est, ager pœnitentiæ. Neque ab Oriente solùm, & Occidente, recumbent multi in regno Dei: sed ex ipsis subterraneis specubus, & suburbiis inferorum.

Locus nullus est qui abscondat se à calore Christi: nec tempus ullum, pársve ætatis. De diebus, momentisque singulis, dici potest, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Dixit Christus, *Sinite parvulos venire ad me:* numquid cùm parvulis non vocavit & juvenes, fervido sanguine, ingenio liberiore? Quales tibi videntur fuisse Apostolorum plerique; qualis Paullus, cum in via circumfulsit eum lux de cælo: quales Stephanus, Laurentius, Vincentius? Vocavit Christus mulieres, Joannem, Mariam, Magdalenam: numquid non vocavit virgines, & puellas nubiles, celebria illa Cæciliarum, Catharinarum, Agnetum nomina? Habuit Christus in obsequio viros: numquid non habuit senes effœtos, decrepitos, impotes omnium?

Amputata est quælibet caussatio: quocumque statu, & loco, & ætate sis, Deo placere potes. Dives es? Exerce liberalitatem: pauper, patientiam. Doctus es? Auge Dei gloriam: idiota, disce timorem Dei, & sat sapuisti. Nobilis es? Memento veram nobilitatem à virtute esse: ignobilis, cogita, Deo nihil magnum esse, nisi quod sanctum est. Peregrinaris? Conversatio tua sit in cælis. Patriam colis? Patria tibi cælum est. In templo es: Dei templum esto. Senuisti? Fer innocentiæ candorem, cujus figuram præfers. Juvenis es? Vigorem ætatis vegetis operibus virtutis impende. Tempus belli est, an tempus pacis? Illo fiduciam in Deum exerce, hoc pietatem. *Potes mihi dicere*, inquit Augustinus hom. 6. inter 50. *non habeo, quod tribuam indigenti; non possum jejunare frequenter; & à vino & carnibus abstinere non possum. Numquid potes mihi dicere, caritatem te habere non posse?* Levitici 6. jubet Deus ignem in altari suo semper ardere, ut sacrificiis mora non esset. Ardet semper Dei caritas, ut holocausta tua, Christiane, quovis tempore, & loco, consumat. Si ovem offerre non potes, offer turturem, offer, quod inveniet manus tua, quod optabit voluntas tua.

THEMA quartum. *Ostende te sacerdoti.* Ib.

De Confessione, alterâ pœnitentiæ parte, materiam luculentam habes Exc. ad cap. 5. lib. 1. sect. 2. usque ad num. 6.

DOMINICA IV. POST EPIPH.

THEMA. *Quid timidi estis, modicæ fidei?* Mat. 8.

Cur Christus dormit? Caussa literalis, quia lassus erat, & naturæ nostræ defectus ferre voluit. Caussa mystica ulterior, ut fiduciam Apostolorum suorum, & nostram, nimis sæpè dormientem, expergefaceret. Ave.

Fidei vocabulum alias aliud significat: hoc loco pro fiducia sumitur. Sic etiam sumpsit Cyprianus lib. de Exh. mart. *Nec mentem labefactet humana infestatio, sed corroboret fidem divina protectio: quando unusquisque, secundùm Dominica promissa, & fidei suæ merita, tantum accipiat de Dei ope, quantum se credat accipere, nec sit, quod omnipotens præstare non possit, nisi accipientis fides caduca defecerit.*

Itaque ista Christi increpatio monet nos, ut de fiducia & spe disseramus: materiâ sæpe nobis explicatâ, numquam satis, quandoquidem manemus adhuc *modicæ fidei*. Conensus hodie, expugnandæ diffidentiæ, tres veritates benè concipere: Christum maximè pro servis suis vigilare, quando maximè videtur dormire: maximè amare, quando maximè videtur cruciare: maximè auxiliari, quando minimè videtur posse.

Tempestate populum Judaicum agitante, exclamat Psalmista ps. 43. *Exsurge, quare obdormis, Domine?* &c. Diceres, dubitare illum an Deus audiat, velut somno sopitus. Sed loquendi modus est, quem explicat Tertullianus lib. de baptismo adv. Quint. *Navicula illa figuram Ecclesiæ præferebat: quòd in mari, id est sæculo, fluctibus, id est tentationibus & persecutionibus inquietatur, Domino per patientiam velut dormiente: donec, orationibus Sanctorum in ultimis suscitatus, compescat sæculum, & tranquillitatem suis reddat.*

O Deus, orare vis, & velut à somno excitari vociferatione ardentium precationum: cæteroqui scio te perpetuò nobis advigilare, quia *non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël.* Minimè dormitabit, ex quo Samaritanus factus est, id est custos. Meministis, quomodo Christus Joan. 8. amolitus à se dæmonii contumeliam, silentio admiserit elogium Samaritani? Hujus custodis vigilias prævideret Jacobus Gen. 49. *Requiescens accubuisti, ut leo*, qui oculis patentibus dormire dicitur, *& quasi leæna, quis suscitabit eum?* Præviderat Isaias cap. 21. cum Rege Seir clamans, *Custos, quid de nocte?* Præviderat Daniel cap. 4. quando *Vigil & sanctus de cælo descendit*, Angelum magni consilii significans: & cap. 7. quando post maris tempestates, & quatuor bestiarum visa, *in visione noctis, ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis.* Apparet Christus in nocte, ut non dormire intelligas: nascitur in nocte, & vigiles ad se pastores acciri vult, ut semper vigilaturum scias. Hodie dormit *in puppi super cervical*: quiescit & laborat; sopitus est, & vigilat; jacet, & stat. Corpus somno gravatum est: at non anima, non divinitas.

Nec vigilat modo Christus, sed amat, etsi Apostolos torquere periculi metu videatur. Virga est, sed vigilans, qualem Jeremias vidit cap. 1. Oculus in summa virga est, & cor simul, ut illo indicetur vigilantia, isto dilectio? Quid de Josepho videtur, amabâtne Benjaminum? Cruciat tamen Gen. 43. & virga cordata est. Amabatne Deus fidelem, & obedientem Abrahamum? Tentat tamen de Isaaci vita, & ipsi virga cordata est. Amabatne Isaacum, Jacobum, &c. Et, ne omnes numerem, amabâtne Juditham castam, sobriam &c? Viduam tamen illam esse vult, bellorum incommodis percelli: & ipsi virga cordata est, ut possit dicere, *Omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt Fideles.* Amabâtne Christus Apostolos, quibus sua & sese dederat? Sinit tamen jactari, appropinquare ad portas mortis: virga oculata & cordata est, dormit, ut excitet; dat tempestatem, ut serenet mentem; adducit ad mortem, ut augeat vitam.

Id magis experiere, quando desperatum auxilium senseris. Hominibus delectu temporum, ad res suas, opus est. *Temporibus medicina valet, data tempore prosunt*, inquit Latinus Elegiographus: Et Boethius, *Signat tempora propriis Aptans officiis Deus; Nec, quas ipse coërcuit, Misceri patitur vices.* Celebratum Pittaci, Græci Sapientis, verbum, *γνῶθι καιρὸν*, *Nosce tempus*: & istud melius Sapientis Hebræi Ecc. c. 3. *Omnia tempus habent.* Dei opera occasione, & tempore, non indigent: ipse tempus operibus, quando vult, facit. Quid desperatius Volgii vita nautici senis, quem Christus ipse in portum deduxit? Narrat historiam Paullinus ep. 34. dignam, quæ tota recitetur. Jonas terræ vectibus conclusus, abyssis opertus, ut ipse loquitur, clamat ad Dominum, & vota exsolvit. Clamat Psalmista ps. 68. *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam*, &c. Psalmo 106. *Ascendunt usque ad cælos vectores nautici, & descendunt usque ad abyssos, & omnis sapientia eorum devorata est. Et clamaverunt ad Dominum, & de necessitatibus eorum liberavit eos.* Marci 6. quartâ vigiliâ noctis conflictantur Apostoli adverso vento; &, adveniente Christo, *statim fuerunt ad terram.* Hodie, cùm navicula penè *operiretur fluctibus*, imperat Christus ventis & mari, *& facta est tranquillitas magna.*

O quot argumentis pugnare debet Christus, adversùs diffidentiam nostram! O quot miraculis evidentibus, & quotidianis opus, ad excitandam pusillanimitatem nostram, & spem animandam! Erunt tamen etiam, quibus postmodum dicatur, *Quid timidi estis, modicæ fidei?* Aquas afflictionum sentis? Christus in vina mutavit, in prosperitatem vertit. Paralysi aut leprâ vexaris? Christus mundavit. Procellis agitaris? Christus compescuit. Dormire illum putas, cùm advigilat; sævire cùm miseretur, abesse, cùm propè est. O tandem, Christe, istud intelligam, *Quoniam non est confusio confidentibus in te.*

THEMA alterum. *Motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Ibid.

Tempestatibus duabus jactati fuisse in Evangelio leguntur Apostoli: unâ, Christo præsente ac dormiente, secundo anno prædicationis, Martio mense: alterâ, circiter tredecim mensibus post, Christo absente, & mox superveniente improvisò. Christus in utraque nobis propositam voluit figuram tempestatum spiritualium, quibus Fideles sui agitantur: seu illarum, quibus omnes simul vexantur, id est Ecclesia universa: seu istarum, quæ privatim incumbunt mentibus, & conscientiæ, singulorum.

De illis eleganter juxtà, & breviter, dixit Tertullianus lib. de bapt. Vide sententiam in superiore argumento. Judæi, Pagani, Hæretici, Mahumetani, Schismatici Ecclesiam verberavêre, fluctuum iratorum instar; sed nihil profecêre. Omnibus ejus adversariis dici potest, quod uni scripsit Gregorius X Pontifex: *Niteris incassum navem submergere Petri: Fluctuat, ut numquam mergitur illa ratis.* Portæ inferi adversùs eam non prævalebunt. Alterum genus sunt tempestates privatæ, & interiores, publicis illis & exterioribus periculosiores. De his Augustinus serm. 3. de 17. *Unusquisque in corde suo navigat, nec facit naufragium, si bona cogitat. Audiste convicium? Ventus est. Iratus es? Fluctus est. Vento igitur flante, fluctu surgente, periclitatur navis, periclitatur cor tuum, fluctuat cor tuum. Audito convicio, vindicari desideras, & ecce vindicatus es, & malo alieno cedens fecisti naufragium. Et quare hoc? Quia dormit in te Christus... Excidit tibi, quia, cùm crucifigeretur, dixit, Pater ignosce, &c.* Idem in psal. 54. explicans istud, *Exspectavi qui salvum me faceret à pusillanimitate spiritûs, & tempestate*: *Fortè*, inquit, *navis tua ideò turbatur; quia Christus in te dormit... Meritò turbatur cor tuum, quia excidit tibi, in quem credideris. Intolerabiliter pateris, quia non venit tibi in mentem, quid pro te pertulerit Christus. Si in mentem non venit tibi Christus, dormit.*

De primo genere tempestatum Ecclesiæ, publicarum, & exteriorum, satis alibi diximus, & scripsimus. De secundo nondum, nisi obiter in Commentariis. Harum caussas & remedia videbimus, in analogia seu comparatione ad tempestates corporales.

Corporalium caussæ aliæ sunt extraordinariæ, ordinariæ aliæ. Extraordinariæ duæ sunt. Deus primùm, qui semper

quidem

quidem agit, aliquando tamen super caussas naturales, ut quando *misit ventum* pro Jona: & hodiernam tempestatem à Christi dormitione excitatam ad occasionem miraculi, Origenes existimat. Deinde dæmon, qui habet potentiam motivam, & vires, ad commovenda elementa: sic Job cap. 1. ventum immisit *à regione deserti*: sic fit in regionibus, ubi venti dicuntur esse venales: & anno, cujus chronicon fuit *oMnIa CaDVnt*, magos & diabolos vim ventis addidisse, constans opinio fuit.

Ordinatæ tempestatum caussæ eædem sunt, quæ ventorum, nubium, terræ motuum. Venti unde? *Qui producit ventos de thesauris suis.* Diximus tamen Exc. 2. ad c. 1. hujus libri sect. 4. num. 4. plerumque ex aqueis illos vaporibus exoriri. Nubes ex vaporibus existere, manifestum est, quibus interdum exhalationes igneæ miscentur, unde tonitrua & fulmina. Terræmotus interdum ab exhalationibus, sursum erumpere gestientibus, nascitur; aliquando ab ignibus, intra viscera terræ conclusis. Tempestates nunc à vaporibus oriuntur, nunc ab exhalationibus, nunc ab utrisque: ortæ etiam nonnumquam ab ignibus, ut nuper anno 1650. antequam mari erumperent incendia propè Santorenam insulam, horrenda tempestas sine ventis magnam mediterranei maris partem, & ipsos Cretæ portus concussit, & *bullire* fecit *sicut ollam profundam*, ut perhibet P. Riquartius noster.

Habemus exteriorum tempestatum caussas: utinam interiorum tam facilè teneremus. Sed Bernardus, oculatus ille, difficillimum putat internoscere, unde oriantur tentationes, an ex nobis, an aliunde. serm 3 in Cant. *Quantumlibet quis omni custodiâ servet cor suum, & omnia, quæ intra se moventur, vigilantissimâ intentione observet, etiamsi diuturnum fortè in his habuerit exercitium, & frequens experimentum: non poterit tamen ad purum in se dignoscere, discernere ve ab invicem, malum innatum, & malum seminatum … Nec multum refert nostrâ, scire unde insit nobis malum, dummodò inesse sciamus: vigilandum, & orandum potius, undecumque sit, ut resistamus.*

Divus tamen Thomas 1. p. q. 114. art. 2. in corpore enumerat valde distinctè caussas tentationum: immediatè enim aliquando esse à Deo per se, aliquando mediatè per Angelos: alias à dæmone: nonnumquam ab aliis hominibus: sæpe ab ipso homine tentato. En caussarum genera duo in tentationibus, quomodò in tempestatibus. Sunt extraordinariæ, sunt ordinariæ: ordinariæ, homo ipse sibi, homines alii: extraordinariæ, dæmon, Deus.

Quo autem pacto Deus tentat? An D. Thomas cum S. Jacobo Apostolo convenit, tam disertè dicente, *Deus intentator malorum est: nemo dicat, quoniam à Deo tentatur?* Respondet breviter, & eleganter, Augustinus epist. 146 Consentio: *Alia tentatio deceptionis, alia tentatio probationis: secundùm illam non intelligitur, qui tentat, nisi diabolus; secundùm hanc verò tentat Deus.* Sic Gen. 22. *tentavit Deus Abraham.* Sic possimus dicere, pestem Mediolanensem fuisse probationem, & exercitationem S. Caroli Borromæi; quem eâ occasione prævidebat Deus heroicæ sese caritati daturum.

De dæmone difficultas non est: tentator dicitur; atque ita tentare existimatur, ut vulgò habeatur pro caussa ordinaria, & communi tentationum omnium. Sed istam vulgi opinionem refellit D. Thomas supra art. 3. Et dæmon ipse aliquando dicitur questus apud S Macarium, quod sibi mali omnes humanorum animorum motus, ab ira indomita, ab invidia mollia, à cupiditate effræni proficiscentes, obtruderentur. Sese otiante, homines sibi ipsis plerumque esse dæmones. Verum istud quidem de hominibus malis, seipsos satis tentantibus. Bonos tamen sæpissimè dæmon aggreditur: convenitque illi, quod ad Cornelium Papam exulem scribebat Cyprianus epist. 57. agens de persecutione, quæ in Novatianum & asseclas non sæviebat: *Diabolus, & Antichristus, non quærit illos, quos jam subegit, aut gestit evertere, quos jam suos fecit … Eos pergit lacessere, in quibus Christum cernit habitare.* Sic enim scribebat Lucio Papæ ep. 58. *Neque enim persequitur, & impugnat, Christi adversarius, nisi castra, & milites Christi … Eos quærit dejicere, quos videt stare.* Idem censuit Eusebius Gall hom. 8 *Quamdiu ad mundum pertinebamus … tunc nobis adversarius non obstabat … Quis enim sibi ipsi bellum cum milite suo? Quis volet impugnare subjectum suum? Supra omnem infelicitatem erat vita illius, cui nocere non dignabatur inimicus. At verò nunc, postquam voluptatibus illius renuntiavimus … omnes nocendi aditus pervigil insidiator explorat.*

Tentat autem vel exteriùs tantùm, vel solùm interiùs, vel interiùs simul & exteriùs. Exteriùs dumtaxat, ut Christum, ut D Hubertum in morte, pulsus aquâ benedictâ. Interiùs solùm, ut Paulum Angelus satanæ, Hieronymum fœdis imaginibus, Salesium cogitationibus contra fidem, Angelam Fulginatem tantis tenebris, ut videretur istud dicere posse Jer. 4. *Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihili; & cælos, & lux non erat in eis: vidi montes, & ecce movebantur, & omnes colles conturbati sunt: intuitus sum, & non erat homo, & omne volatile cæli recessit.* Exteriùs simul & interiùs, ut Adamum.

Quomodò autem serpens nihil adversùs Adamum effecisset, nisi Eva accessisset: ita dæmon adversùs Fideles raro, sine caussarum ordinariarum adjumento, proficit. Accedunt auxiliares diabolo copiæ ab hominibus pravis, jussu, consilio, adulatione, scandalo, &c. de quibus aliàs. Sic coadjutores dæmonis fuêre erga S Carolum Borromæum, ipsius domestici, castitatis impatientes. *Homo homini lupus*, & dæmon est: & homo ipse sibi, quando à talibus non cavet. *Quis miserebitur incantatori à serpente percusso* &c? Achab mirans homicidam, cum Jezabele: Salomonem idololatram, cum istis feminis alienigenis? Quid mirum detractioni, vindictæ, invidiæ &c. te succumbere, cum istis versantem?

Sed neque isti homines nocebunt, nisi caussa intima & propria accesserit. *Unusquisque* enim *tentatur à concupiscentia abstractus, & illectus*, Jac. 1. Interiores passionum venti horrendas sæpè procellas cient, ex corporis tempere. Quatuor humores philosophia communis agnoscit, respondentes quatuor elementis. Seneca lib. 2. de ira: *Locorum, & animalium, & corporum, & morum, varietates mixtura elementorum facit.* Eamque ob rem quidam aptè corpus humanum lyræ, animum lyricini comparavêre, non aliter chordas plectenti, quàm prout intensæ sunt. Philosophia Platonica sex geniorum genera facit, cælestes, igneos, aëreos, aqueos, terreos, subterraneos: totidem sunt ingeniorum.

Non miror illum ad vindictas, invidias, odia ferri: subterraneus est, & atrabilarius. Quidni iste, fastidiis, & suspicionibus plenus sit; terreus, & melancholicus? Abjectum & pusillanimem indoles sua facit, qui aqueus est: Inconstantem, amantem, lascivum, qui aëris & sanguinis plus habet: iracundum, & fumigabundum, qui plus ignis. Jam si humores isti, & passiones, indulgentiâ crescant, consuetudine roboremus, alteram naturam efficiant! Quid semiputri, & rimosâ, conscientiæ naviculâ fiet, in tantis tempestatibus; ventis intus, & extrà, urgentibus; afflante spiritu nequam, & malis hominibus ac passionibus utente? Quid in mari fiet? Recurritur ad Deum, etiam ab idololatris, ut ait Tertullianus lib. de test. animæ. Vide psalmum 106.

Hodie in tempestate ad Christum ab Apostolis recurritur. Et tu, Christiane, in omni animæ motu ac periculo, *Excita Christum, excole fidem*, cum vera fiducia, sine præsumptione, sine desperatione. Præsumptio est pulvillus, & cervical, supra quod fides sopita jacet: *Væ, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis*, Ezech. c. 13. *Quisquis*, inquit Greg. lib 18. Mor c 4. *malè agentibus adulatur, pulvillos sub capite vel cubito jacentis ponit; ut, qui corripi ex culpa debuerat, in ea, fultus laudibus, molliter quiescat.*

Cave, ne tibi ipsi adulere, ne præsumas, ne indormiscas præsumptioni. Cave etiam, ne desperes. Si eâ desperandi tentatione pulsaris, Deum ora, aliorum orationes ad Deum postula. Civis quidam Londinensis, desperatione tentatus, commendavit se orationibus Thomæ Mori: hic oravit, ille desperatione liberatus est. Recurrente tamen postmodum tentatione eâdem, cùm Thomam Morum satellites ad supplicium ducerent, fecit ille sibi viam, & ad ipsum accedens: Nôstine, inquit, me? Is sum, quem precibus tuis ad Deum liberâsti cogitationibus inquietissimis. Ora rursus pro me. Recepit Morus se facturum, vicissimque se orationibus ejus commendavit. Ex illo tempore, civis iste tentationem talem amplius non sensit.

Habes indolem difficilem? Memento Borromæum igneum & cholericum fuisse, numquam tamen visum domesticis iratum. Phlegmaticæ & aqueæ fuerunt virgines, fortissimæ tamen. Sanguineus & aëreus fuit Josephus, simul castissimus. Terreus & subterraneus fuit Cyprianus magus: sanctus tamen, & martyr.

Accedunt peccandi occasiones extrinsecùs, quas non quæris, imò vitas quantum potes, solâ in illis detinente necessitate, aut caritate? Memento Jobum inter Hussitas, Tobiam inter Ninivitas, Josephum inter Ægyptios, fuisse virtutis eximiæ.

Dæmon simul urget? Latrare potest, sollicitare potest, mordere non potest, nisi volentem, inquit Aug. serm. 197. de temp. Gregorius 5 Moral. c. 17. explicans illud Job 4. *Tigris periit*, Græcè apud Sept. *Myrmecoleon: Rectè*, inquit, diabolus,

diabolus *myrmecoleon, id est leo & formica, dicitur: formicis enim leo est, volatilibus formica*: sicut contra consentientes fortis, ita infirmus adversùs resistentes. Ne trepida; sed invoca eum, qui liberat à malo, Benedictus Deus, qui non patietur nos tentari ultra vires.

Quid autem si Deus ipse tentet? Erige fiduciam: bono tuo id facit. bona tua teretur ipse facit. Augustinus hom. 23. *Hoc tibi dicit Deus tuus ... Ut adulterium non committeres, suasor defuit: ut suasor deesset, ego feci. Locus, & tempus defuit: ut & hæc deessent, ego feci. Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non consentires, ego tenui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admisisti. Mihi debet ille, quod factum est, & quod dimissum vidisti: mihi debes & tu, quod non admisisti. Nullum est enim peccatum, quod facit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector, à quo factus est homo.*

THEMA tertium. *Quis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Ib.

Quis est hominum, qui tempestates vel omnino non habet in mente, vel statim componit? Eum videbimus.

Oeconomica prudentia tanti est, ut de ea libros scripserit apud Græcos Aristoteles, apud Latinos gravitatis nomen Cato. Imò Spiritus sanctus ipse multa illius præcepta, Sapientum suorum, Siracidæ præsertim, scriptis inseruit. Quidni igitur & ego auditoribus quæstionem œconomicam proponam: ecquanam in re securiùs, inter tot fraudes & pericula, pecunia collocetur ad censum? An in fundis rusticis, aut urbanis: in montibus, aut negotiatione?

Respondeat Siracides Eccl. 30. *Non est census, super censum salutis corporis; & non est oblectamentum, super cordis gaudium.* Pecuniam tuam impende sanitati, quid enim illâ redimendâ pretiosius? *Valdè vellet*, inquit Augustinus serm. 112. *dives lectum argenteum mutare cum pauperis cilicio, si ægritudo posset migrare cum lecto.* Et serm. 1. de diversis, sanitati primum inter temporalia locum tribuit: *Quando hanc habet, quid deest pauperi? Quando istam non habet, quidquid habet, quid prodest diviti?*

Cave tamen tanti facias corporalem sanitatem, ut præponas paci & tranquillitati animi. Illam enim etiam bestiis dat Deus, ut ibidem ait Aug. nedum hominibus malis: *Omni pecore melior est & malus homo: dat sanitatem etiam jumentis, & draconibus; usque ad muscas, & vermiculos, donat sanitatem.* Sed quid prosunt divitiæ, potentia, voluptas, sanitas ipsa corporis, sine pace animi? *Non est oblectamentum super cordis gaudium*, & sine cordis gaudio: neque ipse *census salutis* corporis quidquam, sine illo, pretii habet: ideo, inquit Siracides, utrumque conjunxi.

Sanè equidem sciebamus te ita responsurum, neque ignorabamus pretium tranquillæ mentis. Sed, avemus scire, quo pacto istud cordis gaudium, & pacem, possimus obtinere? Siracidæ vice respondebo, &, ex Evangelio hodierno, tres pacis tam optatæ vias ostendam. Dormit Christus, etsi obstrepant venti: Apostoli ad Christum recurrunt: tempestas Christo obedit. En tres magistros tranquillitatis. Conscientiam bonam discemus à Christo: orationem ab Apostolis: conformitatem cum voluntate divina à ventis.

Augustus Cæsar, audito quemdam equitem Romanum, qui ære alieno gravatus pacatè tamen semper dormierat, obiisse, & supellectilem ejus in auctione publica vendi: cervical, cui indormiscere solebat, emendum rogavit, quasi in illo curas suas depositurus. Sed, ô bone, cervical longè melius tibi offert amicus poëta: *Justum & tenacem propositi virum ... Si fractus illabatur orbis Impavidum ferient ruinæ.* Offeret tibi suppar philosophus Seneca lib. 3. de ira: *Demus pacem animo, quam dabit præceptorum salutarium assidua meditatio, actusque rerum boni, & intenta mens ad unius honesti cupiditatem. Conscientia satisfiat: nil in famam laboretur; sequatur vel mala, dum benè mereamur.* Et Lucilium suum monet ep. 13. ut discat gaudere, rem severam esse verum gaudium. *Quid sit istud, interrogas? Dicam. Ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus.*

Agnovêre Pagani ipsi hominem, benè sibi conscium, lætum & tranquillum esse: tum quia præcipuâ caret causâ turbarum interiorum, malâ conscientiâ, animi carnificinâ perpetuâ, Furiarum præcipuâ: tum quia sibi persuadet, se propterea Numini carum esse, ipsius singulari providentiâ tutum, & protectione securum, atque adversus hostiles omnes incursus velut muro aheneo septum, *Hic murus aheneus esto; Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.*

Ut Pagani hanc singularem Dei de probis curam non viderunt; at vidête nostri. Neque aliam probationem dabit Ambrosius 2. Off. cap. 2. *Tantus est splendor honestatis, ut vitam beatam efficiant tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ.* Idem protectionis divinæ asylum intuebatur Ennodius cùm scripsit, *Nesciunt inter adversa turbari, quibus de innocenti conscientia portus occurrit.* Unde Stephano Angelicus inter mortes vultus, nisi ex Angelica conscientia, & præsidii cælestis intuitu? Tiburtius, eàdem cogitatione securus, Torquato præsidi dicebat, *Omnis nobis vilis est pœna, ubi pura comes est conscientia.* Malchus & socia fugæ ac periculorum, apud D. Hieronymum, cùm in antro essent, ad cujus imum rugiebant leones, in cujus ingressu micabant gladii; *Pudicitia tantùm conscientiâ tecti, exitum rei præstolabantur.* Apud eumdem Hieronymum epist. ad Innocentium, mulier Vercellensis, à marito accusata de adulterio, & post varias quæstiones falsis testimoniis damnata; vultu tranquillo prodit ad supplicium, & mente adeò ferreâ cervicem ad vulnus inflectit, ut *fibulam auream*, quam carnifex de chlamyde sua gladium vibrans excusserat, viderit & carnifici reddiderit: Quæ est ista securitas? *Impendentem non timet mortem, lætatur percussa*, septies icta; *carnifex pallet; oculi, gladium non videntes, fibulam vident.*

At, inquis, nonne interdum pessimos homines inter discrimina videmus securos, optimos contrà trepidos? Primùm de improbis dixero: securitatem illam timore pejorem esse; quomodò lethargus in ægris, & indolentia, pejor est dolore. Deinde respondero, quod Stoïcus ille, apud Gellium tum apud Augustinum, & apud Salesium lib. 2. de am. Dei cap. 3. adolescenti pallorem in tempestate objicienti: ipsum meritò non timuisse de jactura vitæ perditæ, se de sua non perdita timuisse.

Denique dixero, probos, quamvis benè sibi conscios, interdum percelli; quia, bonæ conscientiæ, non adjungunt magnam in Deum fiduciam. *Ecce motus*, & ille quidem *magnus, factus est in mari*; fit itidem motus magnus in Apostolorum mentibus: unde iste? *Quid timidi estis*, inquit Christus, *modicæ fidei?* Quasi dicat: Magis doleo tempestatem, quæ est in animo vestro, quàm quæ fluctus agitat: hæc ex ventis oritur, illa ex defectu fiduciæ in me. Nescitis quid sciam, possim, velim: estis *timidi*, quia *modicæ fidei*. Sanctus interdum *motus* fit animorum: *Omnis enim subita mutatio rerum*, inquit Boethius lib. 2. pr. 1. *non sine quodam fluctu contingit animorum.* Fiat motus: sed caveamus, ne *magnus*. *Cæsaris fortunam vehis*, aiebat ille nautæ trepidanti: nos Dei gratiam vehimus. Mat. 14. Apostoli, adverso vento conflictati, Christum in aquis ambulantem putant *phantasma esse*. Christus dicit illis, *Ego sum, nolite timere.* Aug. tract. 25. in Joan. *Quid timetis, Christiani, quid expavescitis? ... Ego ista prædixi: ego ista facio: necesse est, ut fiant. Ego sum, nolite timere.* Ego adsum vobis in tribulatione, imò ego vobis tribulationem illam immitto: quando venit, scitote, me sub illa latere: itaque non tantùm confidite mihi, sed voluntati meæ conformamini.

Hic tertius est tranquillitatis magister, in ventis & mari obedientibus voci Christi. Olim prophetæ hominibus obedientiæ scholam ostendebant, in cursu ordinario rerum naturalium, quæ *faciunt verbum Dei, & in custodiis suis dicunt, Adsumus.* Hodie voluntatis divinæ obsequium nobis, in extraordinaria & supernaturali insensibilium creaturarum obedientia, ostenditur. Asina loquitur, aquæ durantur, ferrum natat, ignis non ardet, sidunt momento fluctus, Deo volente: tu homo non obedies? Obtempera, & continuò fiet *tranquillitas magna*: altissimam in mediis bellis pacem habebit, qui vult quod Deus vult.

DOMINICA V. POST EPIPH.

THEMA. *Simile est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.* Mat. 13.

De modo, quo doctrina Christi sata est in mundo, & quomodo excreverit, habes Exe. ad cap. 9. lib. 2. sect. 3. à num. 2. usque ad 10. Quò magis moveat auditores ea materia, ad religionis Christianæ fidem firmam, & amorem constantem, sic poteris ratiocinari. Ea religio verissima est, quæ divinissima: divinissima est, quæ divinissimè propagata: divinissimè propagata est, quæ naturaliter non excrevit: naturaliter non excrevit, quæ nec satores habuit idoneos, nec solum subactum, nec tempus aptum. Satores fuêre indocti, infacundi, viles; quibus docti, facundi, nobiles cessere. Solum fuit Judæa obdurata, Paganismus proculcatus omnibus vitiis. Tempus fuit adversissimum: *Notum est, de secta hac, quia ubique ei contradicitur.* Quid spectare potuerunt nobiles, cùm humilitatem amplexi sunt, ut Clodovæus, Constantinus? Quid divites, cùm doctrinam audirent de opum

contemptu?

contemptu? Quid libidinosi, cùm audirent carnem crucifigendam? Eo neque humana natura duxit, nec dæmon: ergo Deus. Inimicus homo seminans zizania, id est caro, vel dæmon, istud bonum semen non jecit, non promovit: ergo Deus jecit, & promovit: ergo divina est religio Christiana. Dignus Dei hic est. Caveamus, ne in zizania degeneremus: dignum semente fructum feramus.

Congruit etiam hoc argumentum Dominicæ sequenti, & grano sinapis: de cujus incremento insignis est Augustini locus in psal. 64. ad illud, *Ad te omnis caro veniet. Quid est, ex omni genere carnis? Numquid venerunt pauperes, & non venerunt divites? Numquid venerunt humiles, & non venerunt sublimes? Numquid venerunt docti, & non venerunt indocti? Numquid venerunt viri, & non venerunt feminæ? Numquid venerunt senes, & non venerunt juvenes?* &c.

THEMA aliud. *Cùm dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit zizania.* Ib.

Ex hominibus, Ecclesiæ præpositis, caussa hæreseon est negligentia. Ex diabolo, caussa est invidia, & malitia. Ex Deo, quæ? De caussis hæreseon agimus Prolegomeno ad lib. 2. sect. 2.

THEMA tertium. *Apparuerunt zizania.* Ib.

Commodè hic dices, Cur Deus peccata permittat? Materia extenditur Exc. ult. ad c. 1. lib. 1. sect. ult.

THEMA quartum. *Sinite utraque crescere usque ad messem.* Ibid.

Cur malis bonis permisti? Materia luculenta traditur Excursu ad cap. 8. lib. 1. sect. 3.

THEMA quintum. *Triticum congregate in horreum meum.* Ib.

Si placuerit dicere de gloria Beatorum, materia offertur infrà, die Sanctorum omnium.

THEMA sextum. *Alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Ib.

De pœnis inferorum dicendi locus aptus est. Eas expendere poteris ex iis, quæ de æternitate indicamus die Sanctorum. & ex iis, quæ de pœna damni & sensûs dicimus die Commemorationis Defunctorum. Aut die de æstimatione peccati mortalis & pœnæ magnitudine: Exc. 3. ad c. 4. lib. 1. sect. 2.

Argumenta multa huic Dominicæ, & sequenti, suggerimus; quia illæ interdum frequentiùs cæteris recurrunt. Quamquam tum hac, tum sequenti Dominicà, materiæ nonnullæ magis ad firmandam fidem, quàm ad mores, spectant.

THEMA septimum. *Unde zizania?* Ib.

De satoribus discordiarum. Constat in hoc Evangelio, zizaniis significari *filios nequam*, id est improbos omnes. Augustinus tomo 10. fer. 4. quatuor temp. serm. 1. *Inter vos, segetes Dei, sunt multa zizania, id est amatores mundi, amatores deliciarum, consultores augurium, omnes quærentes quæ sua sunt, non quæ IESV Christi.* Idem in ps. 64. *Superseminavit inimicus zizania, & exorti sunt mali inter bonos, pseudo Christiani, habentes similem herbam, sed non parem fructum,* &c. Vulgò tamen inter improbos omnes, eos zizania potissimum appellamus, aut satores zizaniorum, qui discordias serunt, pessimum hominum genus. Ave

Bina possunt esse genera discordiarum inter naturas intelligentes, judiciorum unum, alterum voluntatem. Dissensio judiciorum, quando non accidit in materia fidei ac religionis, in qua innumerarum rixarum, seditionum, & bellorum caussa est: ut meritò Calvinus primæ editioni institutionum suarum præfixerit gladium flammeum, cum hac epigraphe, *Non veni pacem mittere, sed gladium*, apud Spond. an. 1535. Cum ergo dissensio judiciorum non est in tali materia, *Non sentire bonos eadem de rebus iisdem, Incolumi licuit semper amicitiâ.* Putatis, quando anno Christi 817. actum est, de efferendis ex urbe Leodiensi sacris D. Huberti exuviis, aliter alii non censuère! Etiam inter Angelos fuisse olim apud Danielem legitur, quando agebatur, de liberandis servitute Persica Israelitis.

At voluntatum dissensio, hostis amicitiæ, venenum pacis, pernicies caritatis, inter bonos non est, omnes illius caussas exosos. Caussarum una sunt ii, quos susurrones Latinè dicimus: Prov. 26. *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis, &, susurrone subtracto, jurgia conquiescent.* Vocatur etiam susurro in Scriptura, *Homo bilinguis*, quia cum altero aliter loquitur: item *Lingua tertia*, quia media inter illum, de quo narratur, & cui narratur; aut quia media inter veracem, & fallacem, veris partim ac falsis ad finem suum uti solita. Ut pestem illam societatis humanæ magis ac magis oderimus, consideremus illius naturam; execrationi enim sufficiet sola mali cognitio. Deinde, adversùs ejus nocumenta nos armemus.

Propriè susurro est, quisquis uni aut pluribus refert alterius vel aliorum dictum factùmve, bonum an malum, falsum an verum; ut, eâ narratione, dissensionem inter illos excitet.

Fine isto distinguitur susurro ab amico monitore. Hic enim referet ad amicum, quæ de ipso dicuntur: sed eo fine, ut inde melior fiat, aut sibi caveat, non autem ut vindictam coquat; imò à vindicta dehortabitur, &, re narrata, hominem silebit, si potest. Sic Josephus Gen. 37. *accusavit fratres* apud patrem *crimine pessimo*, ut prodesset, non noceret. Sic pater filio indicat mala consortii periculosi. Sic, si familiarem à domûs cujuspiam exitiosæ frequentatione nequeam aliter avertere, quam narratione rerum quibus offenderetur erga illius habitatores: narrabo fideliter, ad bonum finem.

Susurro autem malo fine narrat, non tantùm mala, sed bona; nec tantùm vera interdum, sed falsa. Concitatur Saül adversùs Achimelech, & Sacerdotes Nobenses, 1. Reg. 22. relatione rei veræ & bonæ, per Doegum diligentem verba præcipitationis linguâ dolosâ. Exacerbatur 2. Reg. 16. David adversùs Miphiboseth, narratione rei malæ & falsæ.

Tenemus satorem discordiarum, congruentem exactè zizaniorum Evangelico seminatori. Venit hic *cùm homines dormirent*: ille loquitur, & insufflat, absente & nesciente illo, de quo agitur, ut nequeat sese expurgare apud amicum. Nec recto sermone loquitur nec finem suum serendarum discordiarum præfert: sed utitur ambagibus, bonum ejus quicum loquitur obtendit, secretum rogat, silentium petit, periculo enim suo utilitatem alienam se quærere. Nonnulli, exquisitissimæ susurrationis artifices, obloquuntur apud amicum de amico, &, si quid inter sermocinandum fortè illi exciderit, ad hunc mox deferunt, caritatis obsequiive necessarii prætextu. Tales apud Senecam, Suetonium, Tacitum, olim fuère delatores Romæ, per Cæsarum primorum insidiosa tempora. Adibant, velut negotiorum, aut salutationis gratiâ, ad Senatorem Equitémve locupletem, &, inter confabulandum, de Caio, Tiberióve, aut Nerone sinistri quidpiam ingerebant: si Senator, Equesve, annuebat, aut de suo tantillum addebat, mox ad Cæsarem delatus, bonis partim fisco partim delatori addictis, perire cogebatur.

Jecit seminator discordiarum, perfidiosus homo, nocturnus grassator, clam & tacitè, sementem suam zizaniis simillimam; quibus herbarum, frumentis noxiarum, genus omne universim significari, existimant. Putârim tamen, istud præsertim innui, quod apud nos stultum granum dicitur: cujusmodi magna seges fuit recens annis sexagesimo primo & secundo, ob imbres diuturnos, & hyemis remissam temperiem. Id granum herbescens frumento simile est: adultum si comeditur, vertiginem, vomitum, cæcitatem, insaniam creat, incautè aut immodicè utentibus. Susurrationem primâ specie caritatem putaveris: Prov. 26. *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perveniunt ad intima ventris*: qui illis incautè auscultant, suspicionibus, diffidentiis, timoribus nocturnis ac vertiginosis pleni fiunt; amicos falsos à veris cæci non internoscunt; interdum etiam ad insanas simultates & iras prorumpunt, convitiaque & detractiones evomunt.

Ex his facilè colliges, quàm enorme sit, atque execrabile, susurrationis peccatum. Rainerius de Pisis, apud Drexelium, velut de cathedra pronuntians: *Est susurratio*, inquit, *peccatum mortale; primò, ratione præcepti, contra quod agit, secundò, ratione nocumenti, quod intendit; tertiò, ratione maledicti, & supplicii, quod incurrit, quartò, ratione vitii, quod excedit.* Præceptum contra quod agit directò, est commendatissima Christianis caritas. Nocumentum quod intendit, explicatur à Siracide c. 28. his verbis, *Vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.* Maledictum idem Siracides pronuntiavit, *Susurro & bilinguis maledictus; multos enim turbavit pacem habentes.* Vitium, quod excedit, est detractio; quæ tamen quàm gravis est in materia gravi?

Operæpretium est de tam serio argumento audire, quid censeat Theologus, D. Thomas 2. 2. q. 74. totâ, id est articulis duobus. Primùm quærit, *Utrum susurratio sit peccatum distinctum à detractione?* Deinde, disputat, *Utrum detractio sit gravius peccatum, quàm susurratio?* Distinctionem susurrationis à detractione, ex ipso totam explica: tum susurrationis præ detractione gravitatem ex materia, & fine. Huc non transscribo, quia ubivis Summa D. Thomæ est ad manum.

Magnitudini istius peccati magis ac magis intelligendæ, & validius imprimendæ, intueamur de proximo ejus originémve, perfectionem & finem. Undenam oritur virus illud tarratis? *Domine, nonne bonum semen seminâsti in agro tuo; unde ergo habet zizania?* Unde

simultates

simultates tantæ, & discordiæ, inter Ecclesiæ tuæ filios? O quàm bonum semen in novale Ecclesiæ jactum; *Hoc mando vobis, ut diligatis invicem?* En tamen, qui non tantum non amat, sed odit, & alios proditoriis sermonibus accendit ad odium. O quàm frugiferum granum, in ipsis Paganorum incultis satis germinans, ab Alexandro Severo exceptum; *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris?* Ecce tamen, qui cùm amicos omnes & faventes velit, aliis quot potest conciliat inimicos. Nonne tu dixisti, *Beati pacifici?* Nonne jussisti tuos in domorum ingressu dicere, *Pax huic domui?* Nonne Apostolos tuos epistolis suis, sermonibus, exemplis in vestigia tua euntibus, jussisti perpetuò caritatem, dilectionem, pacem, mansuetudinem, concordiam commendare? *Unde ergo*, in tanta caritatis semente, tot *zizania?*

Inde jam, unde olim, & nuper. Ex invidia, avaritia, ambitione, insanisque aliis cupiditatibus. Narrat Augustinus lib 9 Conf cap 9. dissensiones fuisse inter Monicam matrem suam, & socrum ejus, deprehendisseque Patricium parentem suum, eas ab ancillis, demerendæ herarum gratiæ, seminari; ancillas plexas, edoctasque sapientius loqui. Intra privatas domos singulæ non rarò talia fiunt: sed in aulis illustriora longè exempla spectantur. Amanem exhibet Hestheris historia, ambitione & invidiâ turgidum, qui Assuerum ad Judaicæ nationis perniciem inflammârat: verba huc facientia, ex epistola Assueri, vide lib. 1. in Comm ad cap 9. vers. 69. pagina 317. In aula Constantinopolitana ostendit Baronius anno 879 Theodorum Santabarenum, qui et Imperatoris Basilii, & filii Leonis, gratiam magis ac magis aucuparetur; huic persuasit, à patre timere debere, illi, a filio vitæ paternæ parari insidias: huic suasit, ut pugionem sub toga circumferret; illum monuit, ut pugionem deprehenderet. Itaque, deprehenso pugione, Basilius filium excæcare parabat, nisi Senatus fuisset deprecatus. In aula Ducum Saxoniæ susurronem consiliarium designat Spondanus an. 1450. Historiam vide loco cit l. 1. pag. 316. in fine. In aula Anglica contra Thomam Cantuariensem, qui, & cur, susurrones?

Originem susurrationis, & perfectionem, simul fermè deprehendimus. Quamquam prima origo, & summa perfectio, simul ab oblivione Dei est, & apostasia. Quò enim quis magis à caritate recedit, eò longius discedit à Deo, qui caritas est. Istud innuit Sapiens Prov. 6 *Homo apostata vir inutilis graditur ore perverso &c. & omni tempore jurgia seminat* Gregorius 3. p. Past. adm. 24. apud inferos demonstrat originem fuœstæ pestis: *Audiant jurgiorum seminatores, quod scriptum est, Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur: atque à diverso colligant, quia si filii Dei vocantur, qui pacem faciunt; procul dubio satanæ sunt filii, qui confundunt.* Imò non tantum sunt filii satanæ, sed satanas se faciunt, id est accusatores fratrum: & eò dignitatis, ac perfectionis, provehuntur, ut etiam satana pejores fiant, quando, quos satanas turbare non potuit, inter se committunt. Spoleti aiunt, fœminam viro cuipiam nobili persuasisse, ab altero sibi parari insidias: idem alteri dixisse: inde rixas, & cædes. Merita fuit visum. Dæmon illi apparuit, & munusculo illam donavit, & eminus quidem, quasi illam, velut sese sapientiorem, revereretur. Vide Drexelium.

Finis istius peccati apparet in nocumentis, illi ipsi, qui peccat, imminentibus. Primùm, perdit honorem, & famam apud cordatos; honesti viri cùm tali versari nolunt, Nos, inquiunt, talem consuetudinem non habemus. Eccl. c. 5. *Susurratori odium, & inimicitia, & contumelia Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur.* Deinde, perdit bona temporalia, familiam, & seipsum: meritò propterea comparatus carnificibus Babylonis, qui fornacem succenderant, quâ ipsi arsere. Sic Antipatro Herodis filio factum, qui, regno inhians, susurris effecit, ut patris fratres ejus Aristobulum & Alexandrum occideret: ipse pòst, fraude detectâ, occisus: vide Jos. lib. 16. & 17. Antiq. Talem prædixit Psalmista Doegum: *Dilexisti omnia verba præcipitationis, linguâ dolosâ: propterea Deus destruet te in finem, evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium.* Denique, perdit animam suam, nisi resipiscat, & restituat caritatem, ac pacem sublatam. Sed, heu, quàm difficilis ea restitutio! Itaque Sapiens Prov. 6. inter ea, quæ odit Deus, ultimo, id est summo loco, tamquam detestabilissimum, collocat susurrationem: *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus: oculos sublimes &c.* refer, & expone auditoribus non sine fructu. Exspectamus septimum, detestabilius superbiâ, falso testimonio, blasphemia, homicidio; quid hoc? *Qui seminat inter fratres discordias.*

Remedium etiam exspectamus adversus susurrones. Do unum, ad quod prudentiâ, vel experientiâ, opus est. Tales homines deprehendis ipse, vel aliunde nosti? Fuge illorum societatem: nam, ut Siracides monet cap. 28. *Qui respicit illam* linguam tertiam, *non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat.* Imitare Psalmistam, qui de seipso ait ps. 100. *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar* Non edebam cum superbo: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum: at susurronem, detrahentem secretò, non tantum vitabam, sed persequebar. Imitare Mathiam Corvinum Hungariæ Regem, apud Spond an. 1464. Nuntius Pii II. apud illum perpetuo obtundebat de proditione procerum, ad aucupandam ejus gratiam. Ac ille sæpius rogavit, ut desisteret: nec desistentem demum in conventum procerum deduxit, ac rogavit, Ecquis illorum esset proditor? Obmutescenti denuntiavit, intra triduum regno excederet; ni faceret, sensurum quam exitum habeat susurrones, & calumniatores.

Sed quantumcumque vigilaveris, & vitaveris; difficile admodum est, aliquando susurronum artibus non lædi, quolibet sese insinuantium, sicut malæ herbæ ubique succrescunt. *Nonne vos duodecim elegi*, inquit Christus, *& unus ex vobis diabolus est*, murmurator, dissensionum excitator, pacis turbator? Si quando itaque talibus linguis amicitia tuæ violentur, caritas lædatur; remedium aliud non erit, quam à bona conscientia, Deo manifestâ, & hominibus aliquando manifestandâ. Ut in hac vita labem tibi adspersam detergere nequeas: at in alia tandem detergetur, cùm zizania separabuntur à tritico; hoc congregabitur in horreum Dei, ubi omnes *Unum volunt, unum nolunt, unum est montium*; illa in fasciculos alligata ad comburendum conjicientur, *cum carbonibus desolatoriis* & ardentissimis, in eum locum unde semper exulabit caritas, neque habitabit ullus ordo, sed sempiternus horror.

DOMINICA VI. POST EPIPH.

THEMA. *Simile est regnum cælorum grano sinapis.* Matth 13.

De doctrina Christiana, grano sinapis comparata, materiam habes Exc. ad cap. 9. lib. 2. sect 2.

THEMA idem.

De Christo, comparato cum grano sinapis, habes Exc. eodem sect. 1.

THEMA idem tertiò.

De regno diaboli, crescente paullatim in homine, sicut regnum cælorum crescit instar grani sinapis: materiam indicamus non obiter in Comm ad c. 4. lib 2. v. 11. Seminum vis planè mirabilis est. Miratur Augustinus epist. 3. *Quàm multa usitata calcantur, quæ considerata stupentur? Sicut ipsa vis seminum, quos numeros habet, quàm vivaces, quàm efficaces, quàm latenter potentia, quàm in parvo magna molientes, quis adeat animo, quis prodat eloquio?* Idem miratur lib 6 de Gen. ad lit. cap. ult. post proceram arborem descriptam. Verba ipsius adducimus Excursu ad cap 9. sect. 1 num. 19 & Gregorii similia ex lib 6. Mor cap 8. Meritò istam vim seminum mirantur sancti Doctores. meritò & nos miramur vim, ac fæcunditatem, parabolæ de grano sinapis, quæ tot insignia producit documenta, & tam variis concionibus præbet materiam.

THEMA quartum. *Simile est regnum cælorum fermento.* Ib.

Traditiones fermento comparatas habes Excursu 1. ad cap. 1. lib. 2. sect 8. Quamquam hoc argumentum magis spectat ad Controversias, & in earum indice annotabitur.

THEMA idem.

Cur boni malis permisceantur habes materiam Exc 2. ad cap. 5. lib. 2. à num. 2. ad 8. & commodè de ea dices, quando superiore Dominicâ tractâris quæstionem, cur mali bonis permisti. Ambrosius serm 5. Christum eleganter comparat fermento: Chrysostomus hom 47. sexto Apostolos eidem confert: nos non incommode cum illo bonos omnes conferemus.

THEMA sextum. *Sine parabolis non loquebatur eis.* Ibidem.

Post explicatam parabolæ vocem, & rem, de qua passim agunt interpretes, poteris quærere, cur Christus tam sæpe parabolis usus sit? Ac primò, dicitur in Evangelio id fecisse, *ut adimpleretur* &c. Sed istud, *ut*, consecutionis est, non caussæ: neque enim prævisio Dei caussa est futuritionis rerum, sed contrà. Altera caussa videtur alibi ab Evangelista indicari istis verbis, *ne forte convertantur.* Verum & istud, *ne*, est etiam consecutionis: absit enim à Christi bonitate, ut de industria voluerit celare doctrinam suam, obscurare sententias, & impedire conversiones.

Tertia

Tertia caussa indicatur ab Hieronymo, quod familiare Syris fuerit id loquendi genus. Christus autem, qui familiare vitæ institutum amplexus est, voluit eo sermone uti, qui communis erat illic, ubi versabatur. Verissima ratio est, quòd Christus sese captui, & utilitati auditorum accommodaret. docent enim, & hærent, parabolæ, dant occasionem quærendi, & imprimuntur menti, ut imagines, moventque efficaciter voluntatem, ut Nathan, & Thecuitis, Davidem. Hanc caussam affert Marcus c. 4. post parabolam sinapi: *Talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire.* *Si pro viribus suis alatur infans*, inquit August. lib. 12. de Civit. cap. 15. *fiet, ut crescendo plus capiat: si autem vires sua capacitatis excedat, deficiet antequam crescat.* Seneca ep. 59. post laudatum in Lucilii scriptis usum imaginum, id est similitudinum, & parabolarum, ait, non poetis solum, sed priscis omnibus fuisse usitatum, *apud quos nondum captabatur plausibilis oratio. Illi, qui simpliciter, & demonstranda rei caussâ, loquebantur, parabolis referti sunt: quas existimo necessarias, non ex eadem caussa, qua poëtis, sed ut imbecillitatis nostræ adminicula, & ut discentem & audientem in rem præsentem adducant.*

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

THEMA. *Quod justum fuerit dabo vobis.* Mat. 20.

Servitus Dei, & hominum, comparata inter se. Materiam habes Exe ad c. 5. l. 2. sect. 12. à num. 11. ad finem.

THEMA alterum. *An oculus tuus nequam est?*

De invidia, habes lib. 1. cap. 5. vers. 1. &c.

THEMA tertium. *Tolle quod tuum est, & vade.*

Poteris hic ostendere nullam penitus apud Deum esse acceptionem personarum, sive in naturæ, sive in gratiæ, seu denique in gloriæ bonis. Naturalia Deum dare valdè diversimodè, seu corpus spectetur, sive animi dispositio, seu bona externa: nullam tamen ibi esse acceptionem personarum, quia dat, quod omnino suum est, conditione nullâ & nulli obligatum. Præterea, quia qualecumque corpus Deus dederit, qualemcumque animi dispositionem, qualiacumque bona: cum varii, naturalibus instructis eodem quo tu modo, salutem æternam comparârint, illis etiam tu non impedière. Jacob Gen. 48. dat Josepho partem extra fratres suos, quam ipse quæsivit in arcu &c. aliis filiis dat sufficienter. Sic Deus bonus suis facit. Deut. c. 10. v. 17. & 18. *Non est apud Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupiditas munerum.*

Si in naturæ bonis non est acceptio, multò minus in bonis gratiæ, quæ ideo gratia dicitur, quia gratis datur. Datur omnibus sufficienter. Arnobius lib. 2. con. Gen. *Si generis Christus humani, inquitis, conservator advenit, cur omnino non omnes æquali munificentiâ liberat? Nonne æqualiter liberat, qui æqualiter omnes vocat.. qui sublimibus, infimis, servis, fœminis, pueris, potestatem veniendi ad se facit? Patet, inquit, fons vitæ omnibus, neque ab jure potandi quisquam prohibetur, aut pellitur.* Videtur Arnobius ad illud alludere Is. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas*, &c. Aut ad Christi invitationem. *Qui sitit veniat, ad me*, &c. Sunt tamen, qui plus gratiarum aliis accipiunt, ut nos, ideò plus obstricti. *An non licet ei, quod vult, facere?* inquit Bern. serm. 14. in Cant.

In gloriæ bonis minimè omnium est acceptio personarum: quia reddit unicuique juxta opera sua, seu supplicium, seu mercedem. Eccl 35. *Dominus judex est, & non accipiet personam in pauperem*, &c. Laudemus, & cantemus misericordem Dei justitiam cum 24. senioribus habentibus phialas aureas, Apoc. 5. & cap. 19. ubi accinitur, *vera & justa esse judicia ejus.*

THEMA quartum. *Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi.* Ibid.

Prior hæc est conclusio Evangelii, quam explicabimus: altera conclusione ad Dominicam 19. post Pent. servatâ.

Quia Christus apertè non edisseruit, quid istâ sententiâ significaret, ideo pietas & sapientia Doctorum varias interpretationes invênit. Prima, quæ pro literali habetur, ait Gentiles præponi Judæis in Ecclesia. Altera, Ministros novi Testamenti præire Prophetis. Tertia Chrysostomi, juvenes interdum præcurrere senibus. Quarta Isidori lib. 2. cap. 2. sent. 9. *Conversione postremi, subitò efficiuntur virtutis culmine primi.* Quinta ejusdem lib. 1. sent. cap. 25. sent. 2. *Sæpe ex discipulis ad martyrium eliguntur, qui suos Doctores ad coronam præveniunt.* Dicamus nos, primùm qui vulgi judicio sunt primi; tum, qui judicio sapientum; denique, qui suo ipsorum judicio, & conscientiâ, magni; eos sæpe Dei judicio esse novissimos.

Antè, disputare poteris, an in cælo inter Beatos sint futuri primi, & novissimi: quam controversiam perstringimus in Cont. Ind.

Quos hic primos vulgus habuit? Constantinopoli, Pequini, Romæ, olim primi habiti divites, & potentes. Etiam apud Judæos Eccl. 13. *Dives locutus est, & omnes tacuerunt* &c. Etiam apud Christianos, adeo ut Jacobus cap. 2. monere debuerit, ne in sacros cœtus penetraret acceptio personarum. At, qui primi in altera vita? Lucianus, in Elysiis campis, fingit visum Alexandrum Magnum cerdonis instar, cerdonem Regis habitu. Nos fide ascendamus in cælum? Qui primi? Qui fuêre humillimi, Christus, Virgo, Joannes *magnus coram Domino.* In ejus rei signum, Hierosolymæ relicti de pauperibus terræ: & Amos 3. eruuntur soli, qui sunt *in plaga lectuli:* & psal. 9. judicatur *pupillo, & humili:* & Christus primam beatitudinem assignat pauperibus spiritu: & in parabola hodierna qui vesperè laborârunt, id est in obscura fortuna; præeunt iis, qui meridie; id est clarâ fortunâ egêre.

Quos hic primos putat spiritualiter judicans? Religiosos: sæpè Sacramenta percipientes: gratiis gratis datis eximios. Sed Deus per Paullum 1. Cor. 12. aliter judicat de gratiis istis. Neque opera ita considerat, ut non magis attendat caussam, *Super quo bases ejus solidatæ sunt*, ut habetur Job 38. & explicat Gregorius. Nec statum Deus expendit, sed vitam in statu, quia *omnia nuda sunt & aperta*, seu resupinata sicut victimæ, *sunt oculis ejus.* Vide S. Th. 2. 2. q. 152. art. 4. ad 1. Judicio conscientiæ suæ primi sunt, quos cor suum, regula sua & directio, non reprehendit: 1. Joan. 3. 2. Cor. 1. Fallit tamen & hæc regula, ut Apoc. 3. illum qui putabat se nullius egere, & erat *miser, & miserabilis.* Rationes duæ sunt istius erroris: obscuritas in intellectu, amor proprius in voluntate. Assuescamus, non alios, non nos, sed Deum judicem attendere.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

THEMA. *In corde bono, & optimo, audientes verbum retinent.* Luc. 8.

Materia offertur lib. 1. c. 9. v. 23. Quibus adde, claritatis caussâ, tres distingui posse intentiones audiendi verbi divini: Malam, quâ Pharisæi plerique accedebant ad Christum audiendum. Indifferentem, quâ fallendi tantum temporis caussâ acceditur, aut ad voluptatem hauriendam, ex benè cadentibus periodis, *sicut canticum* audiunt, ut Judæi apud Ezech. c. 33. Bonam cum desiderio fructus, sic Paullinus ep. 4. ad Severum, ipsum & se, volebat esse, *aucupantes verbum Dei.*

Attentio duplex est, externa, interna: externa, ut non dormitanter, non oscitanter audiatur. De umbra asini dicentem Demosthenem audiunt Athenienses, de salute Græciæ non auscultant. Quàm multi fabellas attentiùs, quàm saluti æternæ necessaria, audiunt? Attentio interna sita est in applicatione mentis, cum affectu voluntatis: postulabat Salomon *cor docile*, & nos conemur: *Dominus aperuit cor* auditorum D. Pauli, *ut intenderent his quæ dicebantur* Act. 16. Sit cor, non bonum modò, sed optimum.

Retentio item duplex est, interna, externa. Illa in memoria, hæc in operibus: hæc longè fructuosior. Initium concionis hujus ducere poteris à similitudine seminis: quod in terram jactum si non succrescit, accidere id potest, vel seminis vitio, vel satoris, vel temporis, vel terræ. Interdum easdem esse caussas, cur verbum Dei non fructificet. Semen quidem verbi divini optimum esse, sed ita misceri, & adulterari, ut corrumpatur. Seminatorem præcipuum errare non posse: sed administros sæpe errare, qui Christi exemplum in seria præparatione, & seriâ dictione, non sequuntur. Tempus omne Christo esse opportunum: at satoribus aliis incommoda interdum eliguntur. Quartum à terra vitium in hoc Evangelio tantùm notatur: ut nos eo non laboremus, tria profectò benè audiendo verbo divino necessaria.

THEMA alterum. *Fructum afferunt in patientia.* Ib.

Patientia satori verbi divini necessaria est, ante illud prædicandum, ut se comparet diligenter, exemplo Christi, annos triginta taciti: necessaria est in prædicando, ut quamvis aversos, & obduratos, conetur convertere, quomodo Christus: necessaria est post prædicationem, ut sæpè infructuosos, & ingratos patiatur, quomodò Christus ob veritatem prædicatam crucifixus. Necessaria item est auditori patientia ante prædicandum, ut animum præparet: in audiendo, ut animum dictis & sibi applicet: post auditum, ut manum admoveat. De ista utraque patientia dictum est: de aliâ modò.

Exemplum istius nobis proponit Christus in agricolis, quorum labor à Siracide cap. 7. valdè laudatur: *Ne oderis*

laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo. Artes omnes quidem, & labores, sunt à Deo instituti: rusticatio singulariter. Quia Deus posuit hominem in paradiso, ut operaretur ante peccatum: post peccatum jussit in sudore vultûs vesci pane suo. Deinde, quia inter artes omnes, quas tum multas enumerat Eccl cap 38 hæc maximè est necessaria. Præterea innocentissima est ars, & maximè remota à vitiis, à nemine damnata, nisi ab infamis Manichæis apud Aug hær. 46. *Agriculturam, quæ est omnium artium innocentissima, tamquam plurium homicidiorum*, in plantas quas aiebant sensu præditas, *ream dementes accusant* Denique, quia virtutibus exercendis, & formandis, materiam præbet, & exemplum. quam ob caussam August. lib. de Gen. ad lit. 8. cap. 10 ait Adamum, adhuc insontem, positum ut *operaretur paradisum, per agriculturam non laboriosam, sed deliciosam, & mentem prudentis magnu, atque utilia, commonentem*: admirari opera Dei; gratias Deo agere; otium fugere; animas agrum excolere; supra vires & indolem non onerare; aptare se ingenio soli; patientiam præsertim exercere *omnimodè*, & in illa fructum exspectare. *omnium* enim est exspectatio.

Habet autem agricolæ patientia, isto nomine Græcè in Evangelio expressa, tres qualitates, agricolæ *etiam* spirituali, ut fructum virtutum ferat, necessarias, spem, perseverantiam, resignationem in Dei voluntate. Exprimuntur verfu isto ps. 26 *Exspecta Dominum* spe, *viriliter age* perseverantiâ, *sustine Dominum* resignatione.

Debet, loquitur Paulus 1. Cor 9 *qui arat in spe arare, & qui triturat in spe fructûs*. Quod poeta profanus verbo dixit, *spes alit agricolas*, alius, *spes fovet agricolas.* Sine spe nihil umquam agricola faciet. *Qui observat ventos non seminat, & qui considerat nubes, aerem, numquam metet*, Eccl. 11. Verùm id de agricolatione corporali; in qua nimius metus, & cura tempestatum, abjicit animos. Alios quidam, in ea sententia astrologos judiciarios perstringit: Hieronymus, concionatores nimis solicitos, ne offendant: alii, nimis circumspectos in eleemosynis. Ego putârim, proscribi nimium timorem, & anxietatem in bonis quibusvis operibus An mihi proderunt? An vincam tentationes? An eradicabo zizania, suffocantia sementem? Ara in spe, & semina.

Spem comitetur perseverantia Cœpisse satis non est agricolæ, instandum labori, nec cessandum ad messem usque. Cæsarius Arel. hom 13 *Evulsum spina, lapides projiciuntur, terra proscinditur, combinatur, tertiatur: deinde quarto, aut quinto sulco, eadem legitime seminatur.* Quid jam, reliquum expurgandarum sæpiùs succrescentium zizaniorum laborem refectamus? Sic age in agro cordis tui, Christiane: operare, & expurgare non cesses. Cùm te corrigere tentaveris, inquit Chrysl. hom. 17. in Matth. etsi iterum, tertiò, vicies relabaris, ne despera, sed ad idem studium redi. Infantulum suum mater, inquit Salesius Colinquio 9 revocat à periculosis insequendis, revocatus, recurrit tamen identidem. irascitúrne mater? Lubrico gelu viator cadit, et surgens iterum atque iterum relabitur. jacetne ille ejulans? Sic puer est appetitus noster: sic nos sumus viatores in lubrico. Spermologus D. Paullus, raptus in tertium cælum, sensit adhuc stimulum carnis angelum satanæ: quem aliqui diabolum ipsum, alii morbos, quidam persecutiones à Judæis interpretantur; sententia communis, tentationes.

Miraberis infirmitatem tuam post Paulli confessionem? Persevera igitur laborando, arando, serendo, purgando: &, cùm feceris quod tuum est, Deo fructûs curam committe. Jac. cap 5. *Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & serotinum Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra.* Canebatur olim, teste Gellio, *Hiberno pulvere, verno luto, maxima farra Camille metes* Pulverem, lutum, gelu, nives imbres æstum immittat Deus: tu dic cum Machabæo l 1. c. 3 *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* Tempestates aliquando agricolis spem messis abscindunt: Christiano, à Dei voluntate pendenti, tempestas omnis messi idonea est. Id videbimus, quando, ut loquitur Chrysologus serm. 103. *Vox Dominici adventûs arriserit, & corporum nostrorum matura viriditas vitalem resurget in messem, nescituram jam finem*: neque in judicio tantùm generali, sed particulari, videbimus.

THEMA tertium *Aliud cecidit secus viam.* Ib.

De caussis infidelitatis. Traditur id argumentum in Controversiarum indice: est tamen etiam valdè morale.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

THEMA *Cæcus sedebat secus viam mendicans.* Luc. 18.

De rerum vanitate, Exc. ad c. 10. lib. 1. sect. 2. tota.

THEMA alterum. *IESV, fili David, miserere mei.* Ibidem.

De spe in Christo fundata. Exe. ad cap. 11. lib. 1. sect. 3. totâ

THEMA tertium. *Ipsi nihil horum intellexerunt: erat autem verbum istud absconditum ab eis, & non intelligabant, quæ dicebantur.* Ibid.

Hic multorum morbus est, lectionem de Passione Christi non capiunt. *Judæis scandalum est* Christus crucifixus, quomodò filius parens supplicio affectus. *Gentibus stultitia* est, qui Christum vel peccatorem censens, si sons plexus est, vel impotentem, si mortem insons evadere nequiit; vel ignarum, si orient: Deum itaque non esse, qui peccato, impotentiæ, ignorantiæ obnoxius non est. Ita isti, fide destituti, & terrenis ratiocinantur.

At nos oculis clarioribus Passionem Christi intuentes, nihil in ea improvisum, nihil inevitabile, nihil non arrogatum insontis deprehendimus. Altissima videmus Providentiæ divinæ mysteria quibus ut Apostolos paullatim assuefaceret Christus, identidem Passionem suam prædixit, maximè in Evangelio hodierno. Quaterna in illo deprehendo argumenta valida, unde scandalum omne Crucis aboleatur, intelligaturque, nihil culpa, ignorantiæve, aut impotentiæ, fuisse in Christo.

Argumentum primum in istis verbis est: *Ecce ascendimus Ierosolymam*, ab Jericho, unde erat ascensus *Præcedebat illos IESVS*, inquit Marcus, *& stupebant, & sequentes timebant.* Ibat Christus liberè, & ardenter, Hierosolymam, ubi se passurum sciebat: ergo liberè. & ex ardore animi passus est. At verò, inquit Celsus apud Origenem lib. 2. nonne imprudentiæ fuit prævisam mortem incurrere? Impudentiæ non est, quod est caritatis. Laudatur Cardinalis Grimanus, apud Spond. an. 1523. quòd Senatui Veneto sese obtulerit ad carcerem, pro patre suo, post vincula, & exilium, Duce Venetiarum nonagenario. Laudatur apud eumdem an. 1355 adolescens octodecennis, qui pro patre aurifabro morti sese obtulit Petro Crudeli Castellæ Regi, & ab eo interfectus est *Dulce, & decorum credetur. pro patria mori.* Non erit decorum Filio Dei pro populo mori, ex voluntate Patris! Joan. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam* &c. *Hoc mandatum accepi à Patre.*

Argumentum alterum ducitur ex istis consequentibus: *Consummabuntur omnia, quæ scripta sunt de Filio hominis*, qui ut homo scilicet patietur, non quà Deus. Prævisa sunt à Filio Dei, & præsignificata, quæ passurus est Filius hominis: ergo in ejus Passione locum non habet casus, aut impotentia, aut culpa. Hoc argumento conversus Eunuchus Act 8. ex Is 53. aliique plurimi: eamque ob rem Aug lib 18. de Civ. ait, Scripturas apud Judæos, quamvis Infideles, à Deo relictas. Nec dubium, quin eodem fine Deus voluerit Scripturam verti in Græcum à Sept. jussu Philadelphi: quam versionem Evangelistæ, & Paullus, etiam ad Hebræos scribens, citare solent, tamquam notissimam, quia Græca lingua tunc maximè fuit communis.

Tertium argumentum sequitur: *Tradetur enim Gentibus*, &c. Matthæus paullò expressius, *Filius hominis tradetur Principibus sacerdotum, & Scribis*, à Juda utique, qui idcirco nec nominatur apertè, nec designatur obscurè, quia nondum proditionem formaverat. *Et condemnabunt eum morte*, non prolatâ sententiâ, cujus non habebant potestatem; sed acclamatio, cum esset reum mortis. *Et tradent eum Gentibus ad crucifigendum*, sacerdotes, non Judas; qui eum tantùm tradidit sacerdotibus, ratus damnatum non iri neque eò deventuros sacerdotes ut traderent eum Pilato, qui eum tradidit morti. Tres igitur fuêre traditiones Christi: quas prævidit, & prædixit singulas, ut nemo ambigeret, quin omnia ipsi essent prævisa.

Quartum argumentum est: *Et tertiâ die resurget.* Itaque ex impotentia mortuus non est, qui sic resurrexit. Aug. l. 1. de doctr. Christ. *Sponte commutitur mortuus, qui tam citò resurgit.* Generosus miles, exercendæ fortitudini, validissimum quemque aggreditur, ut David Goliathum, Eleazarus elephantum Regium. Christus non quamlibet mortem, sed horribilissimam *mortem crucis*, resurrectione superat: ut Paullus 1. Cor. 1. postquam dixit *Judæis scandalum esse* &c. *crucifixum*, subdit, *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, &, quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Non intelligetis potentiam meam, ex cæco curato, ex Lazaro resuscitato? Intelligetis ex resurrectione mea, quam simul cum morte prædico: ut cum veritatem prædictionis in morte videritis, non dubitetis de veritate resurrectionis, & sciatis neque impotentiæ fuisse mortem, neque inscitiæ, nec culpæ.

Docuimus Infideles argumenta fidei nostræ quaterna

ex

ex Evangelio: ex eodem Fideles doceamus cum Toleto miranda tria. Primum, ex his verbis, *Ecce ascendimus Ierosolymam?* Quæ ista urbs? Magna, potens, dives, religiosa. Benè est: ergo ibi benè habebitur sanctus, & beneficus Propheta. Sed heu, ibi pessimè habebitur. O quam dolendum, & obstupescendum hominibus, & Angelis, quando Christus in Ecclesia, visione pacis, malè tractatur!

Alterum in istis, *Tradetur Principibus sacerdotum, & Scribis*, pietatis, & scientiæ custodibus. Ergo honorificè excipient, pietatis & scientiæ eximiæ hominem Deum. Sed contrà omnino facient. O quàm lugenda in principibus, & doctis, &c. improbitas!

Tertium in istis, *Ipsi nihil horum intellexerunt.* An de unione hypostatica sua, de actione reproductiva in V. S. &c. disputat Christus? De passione sua clarissimè loquitur. Non intelligunt, quia nolunt: nolunt, quia terrena nimis amant, sicut Petrus cùm dixit, *Absit à te, Domine.* *Dicis*, inquit Aug. in ps. 55. *Absit; & dicis, Domine. Utique si Dominus est, potestate facit: si magister est, novit quæ faciat, novit quæ doceat. Tu autem vis ducere ducem, docere magistrum, jubere Domino, imperare Deo. Malum: præcedis, redi retro.* Non intelligis, Christiane, passionum, humiliationum, dolorum utilitatem, patientiæ & resignationis necessitatem tam cantatam: quia nimis amas terrena, quia cæcus es. Illuminet te Christus, & exiliens eum sequare, sicut Bartimæus sanatus.

DOMINICIS, ET FERIIS QUARTIS, AC SEXTIS, QUADRAGESIMÆ.

Dedi libro priore Indices duos in Quadragesimam universam. Jam do indicem non in Dominicas modò, sed ferias quartas, ac sextas, quibus frequentiores haberi solent conciones.

Si de certa materia, uno textu, dicere illis diebus placuerit: habes Tractatum de bona voluntate, luculentum, & utilem, lib. 1. ad cap. 14. Possis item sumere materiam totam de vulneribus justitiæ, ex lib. eodem Exc. ad cap. 16. & de vulneribus religionis lib. 2. Exc. ad cap 13. Perutilis item fuerit materia de peccatis, lib. 1. Exc. 3. ad cap. 4. Et de pœnitentia, ib. Exc. 1. ad cap 5. sect. 2. Themata congrua facilè ex Evangelijs occurrentibus, aut aliunde, invenies.

DIE CINERUM.

THEMA. *Cùm jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Matth. 6.

De cineribus materiam indicamus lib. 1. Indic. 2. Quadr. Extenditur ea materia lib. 1. Exc 1. ad cap. 1.

THEMA alterum. *Tu, cùm jejunas, unge caput tuum.* Ibidem.

De jejunio orationi jungendo. Habes Exc. ad cap. 3. lib. 2. sect 4.

THEMA tertium. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo.* Ibid.

Diligentium instar œconomorum, patrum familias, negotiatorum, omniumque, qui ditescere, & domos opibus fundare cupiunt, nos esse vult Christus, in conquirendis, congerendis, asservandis divitiis spiritualibus. Aliquà tamen etiam in re vult nos esse illis absimiles. Similitudo duabus istis vocibus continetur, *thesaurizate thesauros*: dissimilitudo item duabus, *vobis in cælo.*

Quicumque thesaurizare vult; primùm, quæ aptior ditescendo materia sit, considerat, tum, tempus; denique, homines quibuscum agat: neque enim res omnes æquè sunt quæstuosæ, nec tempora æquè idonea, neque homines æquè fideles. Spiritualiter ditescere cupienti materia sunt opera omnia bona, alia tamen aliis ordinibus & statibus convenientiora, animique aut corporis temperamento accommodatiora: opera item omnia indifferentia, si ad bonum finem sapienter referantur. Tempus præterea omne illi aptum est, quamdiu hic vivitur, *dum dies est*; quà die præteritâ *venit nox, quando minimè potest operari* utiliter ad meritum. Quadragesima tamen inprimis est *tempus acceptabile, dies salutis*, pœnitentiæ, pietatis. Homines denique omnes, quibuscum versantur, præbent ditescendi occasionem, qui supra nos sunt in cælo per orationes suas: qui infra nos sunt in Purgatorio, per opitulationes nostras: qui circa nos sunt in terra, hi exemplo, illi patientia; illi caritate, alii obsequio, &c.

Cui autem Christus dicit, *Thesaurizate thesauros?* Primùm dici possit, phrasin esse Hebraicam; quâ significatur emphaticè instantia, & sollicita cumulatio divitiarum, sine neglectu rei ullius quamvis parvæ. Nam, *qui spernit modica, paullatim decidet*: œconomiæ apud omnes præceptum est, nihil negligere, nihil perire sinere. Deinde, ista repetitione indicâsse voluit Christus, non uno loco reponendum thesaurum, sed pluribus, variosque acervos esse congerendos. Qui enim securè opulentus esse vult, in arca pecuniam tenet, collocat in censibus, impendit prædiis; neque in uno tantùm agro aut vico, sed pluribus, ut si fortè unâ parte jactura eveniat, alia sit integra. Ita spiritalis thesaurizator jejunii opes cumulat, pietatis, caritatis &c. Summopere autem studet, ne *particula boni doni*, vel *boni doni*, eum prætereat: *quodcumque potest manus* sua *instanter operatur*: quod aurifices scobi auteæ faciunt, ut ne arenulam quidem perdant, id ipse pretiosissimo temporis momento, aureo planè, & æternis opibus sufficienti.

Tantoque id accuratiùs præstet, quòd non aliis, sed sibi, divitias jubetur congerere. *Thesaurizate vobis.* Homo plerumque *thesaurizat, & ignorat, cui congregabit ea; pertransit in imagine*, habiturus hæredem, de quo nescis, *an sapiens an stultus futurus sit.* Avarus dives Lucæ 12. de recondendis acervis frugum solicitus, audit, *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, &, quæ parâsti, cujus erunt?* At in thesaurizatione spiritali quidquid cumulamus meritorum, nostrum est. Aliis impetrare possumus, pro aliis satisfacere, at non aliis mereri. Moses Dei verbis Israëlitico populo dicit Deut. 6. *Custodi præcepta* &c. *ut benè sit tibi.* Christiane, jejuna, cineres fronti impone, pœnitentiam age, caritatem exerce, *ut benè sit tibi.*

Altera dissimilitudo est: quòd thesaurizator temporalium *in terra* reponit, ubi *ærugo* fruges consumit, *tinea* vestes invadit, *fures* acervum *effodiunt*: quot deinde aliæ damnorum viæ, à tempestatibus aeris & fori, à litibus, à bellis? At spiritalis thesaurizator non reponit *in terra*, non laborat mercedi terrenæ, quàm *ærugo, tinea, fures* invaderent: sed *in cælo* coacervat. Quo autem cælo? Aëreone, an Lunæ, an Solis, an tertio, quò raptus est Paullus? Aeris, & Lunæ, & Solis cæli sunt judicia hominum, favor Principum, laus, gloria. Ibi Pharisæi opera sua locant, *ut appareant.* Malesani qui *æruginem* invidiæ non attendunt, *tineam* oblocutionum, *furem* contumeliarum: mortem denique ipsam, quæ *æruginis*, & *tineæ* instar, ea nobis orta, ac *furis* instar laneo pede nobis in momenta imminens, futiles istos thesauros absumet. Nec benè sani sunt, qui in tertio cælo, id est animi quiete, & honestâ conscientiâ, bonas actiones collocant, altiùs ad Dei judicium, & voluntatem, non intenti: *ærugo* ista, & *tinea* Stoica est, & *fur* angelus satanæ colaphizans reducem è tertio cælo Apostolum ipsum. *In cælo* itaque empyreo, in manibus ac sinu & pectore Dei, colligenda sunt opera nostra, ut tutò asserventur. Quidquid agis bonum, aut indifferens ex ordine & ratione, fac istud quia Deus vult. Voluntas Dei cor Dei est: in corde Dei recondis opera, cùm agis ex ejus voluntate. Speramus nos æternitate totâ in Dei sinu, *in cælo* empyreo, habitaturos; ibi ergo nobis domum, & opes, fundemus. Prudens nemo in Belgio habitaturus, thesauros suos thesaurizabit in Indiis. Vide Indice 1. Quadr. lib. 1. sententias Prosperi de *patrimonio cordium.*

FERIA VI. POST CINERES.

THEMA. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Matth. 5.

Materiam de dilectione inimicorum vide in 2. Quadr. Indice lib. 1.

THEMA alterum. *Te faciente eleëmosynam, nesciat sinistra tua.* Ibid.

Etiam unanimus frater tuus nesciat, inquit Ambr. 1. Off. cap 9. Sinistram interpretatur Augustinus *delectationem laudis*: & refert, sed non probat, interpretationem quorumdam de uxore, quæ non debeat scire omnes mariti eleëmosynas: lib. 2. de serm. Dom. in mon. Tractatu 51. in Joan. & 6. in ep. Joan. & serm 26. de diver. *sinistra est intentio cupiditatis, mundi cupiditas.*

Eleemosynæ duæ commendantur in Evangelio: et orationi jungendæ. Exc. ad cap. 3. lib. 2. sect 3. Adde, ibi allatis, illud Augustini hom 6. inter 50. *Duæ sunt eleemosynæ, una cordis, alia pecuniæ. Eleëmosyna cordis est dimittere ei, à quo læsus es. Nam dare aliquid indigenti aliquando quæris, & non habes. Indulge peccanti quantum volueris, redundat tibi.*

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

THEMA. *IESVS ductus est à spiritu in desertum, ut tentaretur à diabolo.* Matth. 4.

Pugna dæmonis in Christum. Vide lib. 1. in altero Ind. Quadr.

THEMA alterum. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei,* Ibid.

De verbo Dei, & ejus alimento, vide Indice eodem.

THEMA tertium. *Cùm jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit* Ibid.

Forma jejunii, & operum Christianorum per Quadragesimam, Christus. Indice eodem.

THEMA quartum. *Reliquit eum diabolus.* Ibid.

Addit Lucas recessisse tantum *usque ad tempus*: quia rediviva prælia Christo suscitavit *potestas tenebrarum*, & Christianis suscitare non desinit. In illum pugnemus, Quadragesimæ præsertim tempore, quod auditoribus & concionatoribus militare est. Exc. 1. ad cap 3. lib. 1. sect. 2.

THEMA quintum. *Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Ibid.

Angelorum officium, & occupatio præcipua, Deum videre: in ea visione amare Dei voluntatem: in amore obsequii divini, hominibus benè velle: in benevolentia erga homines, eos proclivius amplecti, qui sunt miseriores.

Quandonam affuêre Christo? Semper, ubivis, ad omnia. Habere poterat, quolibet momento, duodecim legiones Angelorum. Leguntur tamen disertè bis affuisse, in deserto, in horto; illic esurienti, hic sudanti.

Quandonam aliis hominibus apparuêre? Via aliàs, quàm cùm solatio, vel auxilio, indigebant. Visi Patriarchis Angeli Deum exhibentes. qui primus Angeli nomine apparuit, ille ad Agarem venit Gen. 16 & rursus 21. ope destitutam, & pauperculam ancillulam

Angelis *derelictus est pauper*, sicut & Deo. Tu, homo, per Quadragesimam præsertim, *frange esurienti panem tuum*, &c. fungere officio Angelico, donec ad eum locum venias, unde exulat omnis indigentia: *cujus Rex veritas, cujus lex caritas, cujus modus æternitas.*

De eleemosyna, & Angelorum, administratoriorum spirituum officio, huc aliquid transferre poteris de Excursibus ad cap. 8. lib. hujus.

FERIA IV. POST DOMINICAM I.

THEMA. *Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Mat 12.

De recidiva, vide Indice 2. Quadr. lib. 1.

THEMA alterum. *Viri Ninivitæ pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ.* Ibid.

Jejunaverunt Ninivitæ, & *clamaverunt in fortitudine.* De jejunio orationi jungendo, dictum est die Cinerum. Hic commodè dicetur de oratione vocali. Exc. ad cap. 3. lib. 2. sect. 2.

FERIA VI. POST DOMINICAM I.

THEMA. *Erat Hierosolymis probatica piscina.* Joan. 5.

Materiam applicatam Ecclesiæ, & pœnitentiæ, vide Ind. 2. in Quadr lib. 1.

THEMA alterum. *Hominem non habeo.* Ibid.

Recupera proximum tuum, secundùm virtutem tuam: si ope non potes, at potes oratione. Oratio pro aliis, an sit efficax, an necessaria: Exc. ad cap. 3. hujus libri sect. 1.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

THEMA. *Bonum est nos hic esse.* Matth 17.

Caussæ transfigurationis. Vide Ind. 2. Quadrag. lib. 1

THEMA alterum. *Transfiguratus est.* Ibid.

Peccati, & pœnitentiæ transfiguratio. Materia eodem indice notatur.

THEMA tertium. *Apparuerunt Moses & Elias.* Ib.

Providentiæ divinæ comites, misericordia, & justitia. Eodem indice.

THEMA quartum. *Resplenduit facies ejus, sicut Sol.* Ibidem.

Addit D. Lucas Christum ascendisse in montem ut oraret, & factam dum oraret speciem vultûs ejus alteram. Docuit nos, quomodò orandum, ut splendeat facies nostra. Huc transfer, quæ de piè orando habemus Exc. 2. ad cap. 3. lib. 1. sect. 7. num quatuor prioribus.

THEMA quintum. *Hic est filius meus dilectus.* Ib.

Legis Evangelicæ sublimitas, claritas, puritas, suavitas, auctoritas significantur, monte excelso seorsum, splendidâ Christi facie, vestimentis niveis, Mose dextrum tenente, voce delapsâ de cælo. Respondeant mores Christianorum conditionibus legis suæ.

FERIA IV. POST DOMINICAM II.

THEMA. *Audientes decem indignati sunt* Mat. 20.

De ambitione. Vide Ind. 2. Quadr. lib 1.

THEMA alterum. *Nescitis, quid petatis.* Ibid.

Orationis bona sit materia. Exc. 2. ad cap. 3. lib. 1. sect. 5. tota.

FERIA VI. POST DOM. II. QUADR.

THEMA. *Ideò dico vobis, auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Mat. 21.

Materia habetur fusè libro 1. annotata Indice 2. con. in Quadr.

THEMA alterum. *Homo quidam pater-familias plantavit vineam.* Ibid.

De vinea Synagogæ & Ecclesiæ habes Exc. ad cap 5. libri hujus sect. 11. ab initio ad num. 8.

DOMINICA III. QUADRAG.

THEMA. *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Luc. 11.

De detractione, vide ind. 2. Quadr. lib. 1.

THEMA alterum. *Omne regnum, in seipsum divisum, desolabitur, & domus supra domum cadet.* Ibid.

De discordiæ malo, vide indice eodem.

THEMA tertium. *Locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ.* Luc. 11. De malo silentio abrumpendo.

Constat diabolos quosdam habere nomina propria, seu à proprietatibus naturalibus, quas singuli distinctas habent; seu ab effectis; seu à cultu idololatrarum: sic dicti Lucifer, Beelzebub, Asmodæus, Astaroth. Quod hodierno dæmonio nomen? *Dæmonium mutum.* Sed generalis nimium ista est appellatio. Potest mutum dici, quia in idolis obmutescit, ut factum in oraculis: aut quia impeditur, ne spiritali etiam modo loquatur cum aliis dæmonibus, & mala consilia conferat. Potest dici mutum, quia hominis linguam corpoream impedit, ut in hodierno Evangelio: aut quia spiritaliter linguam ligat, ne homo salutaria loquatur in tempore, & hoc valdè multiplicitèr.

Superbia tale dæmonium est, quando homo cum inferioribus colloqui non dignatur: ira, quando ex aversione non vult: invidia, quando laudes reticet, vel dimidiat: luxuria, quando malo pudore silet peccata: acedia, quando ad orationem, & grates Deo agendas, os non solvitur: pusillanimitas, quando veritatem, justitiâ vel caritate flagitante, proferre non audet. En dæmonii muti genera multa: ut aptè nominari possint *Legio*, quemadmodùm illi, qui in Evangelio dicebant sese multos esse. De quo autem istorum loquemur? De postremo.

Silentium nobis, pervigilemque linguæ custodiam, plurimis Scripturæ locis Deus apertissimè, & instantissimè, commendavit: quædam indicavimus Exc. ad cap 4. lib. 1. sect. 5. num. 5. Eleganti figurâ non inefficaciùs, quàm apertis verbis, commendari advertit Gregorius lib. 23. Mor cap. 1. in hac Mosaicæ legis cæremonia: *Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. Tegmen quippe operculi, vel ligatura, est censura disciplinæ silentii; quâ quisquis non premitur, quasi vas immundum pollutumq́; reprobatur.* Idem monitum homini à Deo, in ipsa naturæ conditione, datum notat Basilius lib. de vera Virginitate: *Deus aures binas nobis dedit, linguam unam, quia plus audiendum, quàm loquendum:* ita duæ manus datæ, oculi duo, quia plus videndum, & faciendum, quàm loquendum. Amicus Basilii Gregorius Nanz. tanti silentium fecit, ut Quadragesimæ unius tempus illi discendo dederit: questus tamen postmodum, lib. de Quadr. silentio, nec sic potuisse sese effugere linguæ indomitæ calamitatem. Quàm multi loquendo periêre, qui servati fuissent tacendo? *Optimum* enim *tranquillitatis medicamentum taciturnitas*, ut Græci aiunt Anthol. l. 1. Et ab Arabibus celebratur hoc præceptum: *Audi, & disce: sile, & pacem habe.* Acclamant Latini, *Non illis tacuisse nocet*, nocet *esse locutum.* Itaque meritò D. Vincentius Ferrerius, cùm ab ipsa muta fœmina petiisset, die S. Joannis post concionem, disertè *Panem, & linguam: Panem*, inquit, *habebis, non linguam*, quia hæc tibi noxia foret: atque adeo septennio, quo superstes fuit, muta permansit, post duas illas voces.

Cùm ita certum sit silentii bonum, malum loquacitatis: cur ergo dæmon, malorum instigator, linguam non modò non solvit, sed etiam alligat? Quia sermo etiam aliquando bonus est, silentium aliquando malum. *Hominis improbi*, inquiebat Demophilus Pythagoreus in simili, *haud secus ac mali canis, silentium magis, quàm vox cavenda.*

Neque

Neque improborum modò, sed proborum etiam silentium metuendum. Cur Isaias exclamat cap. 6. *Væ mihi?* Quid mali, aut unde, formidat? *Quia*, inquit, *tacui, quia vir polluens labiis ego sum.* Idem sibi timebat Ambrosius lib. 1. Off. cap. 3. *Si pro otioso verbo reddemus rationem in die judicii; videamus, ne reddamus & pro otioso silentio.* Si autem metuendum est, ne de otioso rationes exigantur, quantò magis de pernicioso? Est enim, ut ait Ecclesiastes cap. 3. *Tempus tacendi, tempus loquendi*: & Ecclesiasticus cap. 20. dicit, *Sapiens tacebit usque ad tempus*; erit enim, cùm justitia deposcet sermonem; erit, cùm caritas; erit, cùm dicta in tenebris, dicenda erunt in lumine, & prædicanda in tectis. *Sapiens tacebit, usque ad tale tempus*: sed in tali tempore dicet, *Fiat lux* veritatis.

Psalmista, qui dixit, *Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*: idem dixit, *Pone Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Ad hæc verba Gregorius lib. 7. Mor. cap. ult. *Qui ori suo*, inquit, *nequaquam poni obstaculum, sed ostium petiit, apertè docuit, quòd & per disciplinam retineri lingua debeat, & ex necessitate laxari*; ratione & officii debito, clavis instar ad aperiendum claudendumque ea adhibito. Idem inde cavit Psalmistæ filius Prov. 23. *Quando sederis ut comedas cum Principe, statue cultrum in gutture tuo*, id est, ut Hieronymus, seu quis alius Commentarii istius auctor, *discretionem in locutione tua*: ut quomodò cultro dissecas cibos, & comedenda separas à relinquendis; ita prudentiâ sermones dividas, & proferenda à non proferendis discernas.

Generatim nimia ista dicuntur: quid particulatim? Meministis peccatorum alienorum, in novem genera partitorum? Terna huc spectant, eaque postrema, *Mutus, Non obstans, Non manifestans*, en terna dæmonia muta. *Mutus* est Prælatus, & Superior quilibet, ex officio ad subditos monendos & corrigendos obstrictus: quod officium Ezechiel inculcat similitudine speculatoris cap. 33 eamque similitudinem expendens Prosper lib. 1. de Vita Cont. c. 20. *Quis*, inquit, *rogo tam saxei pectoris, quis tam ferreus erit, quem sententia ista non terreat? Quis tam alienus à fide, quem sententia ista non cradat?* Bonus aliquando speculator fuit David, detrahentem secreto proximo suo persecutus &c. Malus speculator Heli 1 Reg. 2. Malus item aliquando Theoduinus Episcopus noster, quem idcirco Gregorius VII. Pontifex anno 1075. gravibus literis ac verbis, in Historia Leod. adductis, monuit officii sui, *ne per silentium damnetur.*

Non obstans, is est, qui æqualis licèt, aut subditus, non repugnat, quando utiliter potest, & debet, æquali majorive erranti. Sic D. Paulus *restitit in faciem Petro, quia reprehensibilis erat*: laudandâ in illo libertate, in isto magis etiam prædicandâ humilitate. Peccavit non resistendo Episcopus noster Franco, quando, in Aquensi & Metensi Episcoporum conventu, probatum est Lotharii Regis adulterium cum Valdrada: *peccavit* enim, *quia non annunciavit, & proculdubiò consensit, quem vidit & tacuit*, ut Nicolaus Pontifex loquitur datis ad illum literis an. 865. Vide Compendium nostrum Historiæ Leod. eo anno, & præcedentibus.

Non manifestans is est, qui noxios vel mores, vel actus, non defert Superiori correcturo. Detulit Joseph cap 37. Gen. cum periculo licèt odii fraterni: sed, ut ad eam rem ait Philo lib. de Joseph, *Emori præstat, quàm loqui ad gratiam, veritate & utilitate neglectâ.* Contra peccavit Franco noster, non tantùm quia non obstitit æqualibus, sed quia non manifestavit Superiori, Pontifici Max. Turpissimè peccavit Jonadab 2. Reg 13. quòd Ammonis morbum Davidi non indicavit, caussa proinde incæstus, fratricidii, innumerorumque exinde malorum.

Hodie in Ecclesia, in rebuspublicis, in domibus privatis, nonne ejusmodi sunt superiores, socii, subditi? Quibus ad falsa dicenda, ad murmura, oblocutiones, detractiones, solutissima lingua est, & *aqua foris hominis, & jumentis*: ad fortem utilemque veritatem ligata lingua est. Homines gemino dæmonio possessi, loquaci, & muto. Lactantius lib. de Opificio Dei existimat, linguam à ligando dictam: an quia ligari debet, an quia minimè ligari solet? Ligetur ad mala, minimè ligetur ad bona: loquatur mutus, & admirentur turbæ, veritatis fructu ubique spectando, suo loco suo & tempore, ut caritas & justitia postulant, proferatur.

THEMA quartum. *Erat IESVS ejiciens dæmonium.* Luc. 11. De possessione spiritali per peccatum, comparatâ energumeno.

Tanta Dei bonitas est, ut etiam ex maximis culpæ malis, quod lib. 1. ad c. 1. Exc. 5. sect. 3 ostendimus, bona eliciat. Quantò autem magis de malis pœnæ, quæ de se mala non sunt, nec legi contraria, utilitates producet? De maximis pœnæ malis unum est, corporis humani per dæmones infessio. Inde tamen Deus primùm id boni elicuit, quòd increduli eorum quæ non vident, Spiritus aliquos esse docerentur. Eam ob caussam existimo tot ævo Christi fuisse dæmoniacos, quia tunc vigebat hæresis Sadducæorum, Angelos negantium: & virgo quædam sancta à dæmone infessa narratur cap 43 vitæ D. Catharinæ Genuensis: & ævo nostro Lauduni in Galliis, ubi Epicuræi tunc multi, possessæ aut obsessæ à dæmonibus omnes fermè sanctimoniales parthenonis illustris, maleficio Confessarii paullò post exusti sententiâ publicâ.

Fructus alter ex energumenis exstitit, ad concipiendum infelicissimum statum peccatoris: cujus mens deterius culpâ possidetur, quàm energumeni corpus pœnâ urgetur. Possessionis utriusque caussas, indicia, remedia inspiciemus. Possessos esse quosdam corporaliter à dæmone, ut in hoc Evangelio, alibique non habemus, experientiâ tamen adeo manifestum est, ut non hæreticus modò, sed insanus sit, qui neget. Possessos etiam esse spiritaliter à dæmone, constat vel ex Evangelio hodierno, ubi dicuntur assumi *septem spiritus nequiores*: item ex Juda, in quem *intravit satanas*; *non quòd illaberetur*, inquit Albertus Mag. *sed quia suggerendo in ejus locum intravit malitia*: illud etiam Evangelii de Magdalena dictum, *de qua ejecit septem dæmonia*, Aug Chrys. Iren. Ans. explicant de septem capitalibus vitiis.

Id inter utramque possessionem interest, quòd corporalis plerumque voluntaria non est. Apud Sulpitium lib 1. in Vita S. Martini, anachoreta quidam, ad superbiam vitandam, petiit à Deo, & impetravit, ut aliquot mensibus dæmone insideretur. Hoc uni forsan, paucissimis certè contigit. At Stagirio, de quo Chrys. lib de Prov. suum illud infortunium voluntarium non fuit: nec filio B Innocentii, cum uxore in Olivarum monte viventis, qui, cùm illum fornicatum audisset, à Deo petiit, ut dæmone possideretur ad fornicationis expiationem, eamque filius Palladius ait à se visum in compedibus: nec voluntarium fuit incæstuoso Corinthio, quem Paullus 1. 15. tradidit satanæ, ut spiritus salvus fieret: neque Hymenæo & Alexandro, 1. Tim 1. Vide Spondanum varia huc congerentem an. 56 num. 4.

Possessio autem spiritalis semper voluntaria est: nemo enim peccat, nisi volens, & sciens, aut scire valens. Exemplum propone in Davide adultero, atque homicida; & expende gradus cognitionis, ac libertatis, delectationisque & consensus modum.

Altera comparationis pars est in signis. Possessionis corporalis indicia tribus capitibus comprehendo. Primum, lingua interdum vincta est, ut hodie in dæmonio muto: aliàs soluta in peregrinos sermones, & res remotas atque occultas. Deinde, actiones multæ fiunt præter morem & naturam hominum, saltus, motus, vinculorum rupturæ, commorationes in sepulcris. Denique, imaginatio perturbatur, interiores actus intelligendi & volendi confunduntur, velut phreneticis solet contingere.

Vis indicia nosse, spiritaliter à vitio ac dæmone possessi? Primùm: si lingua interdum ligata est, ne Deum oret, ne peccata confiteatur, ne aliorum laudes memoret: si soluta est, ut linguis externis, Christianæ caritati ac castitati alienis, loquatur, detrahat, murmuret, scurriliter jocetur. Deinde, si præter naturam hominis & rectam rationem, passionibus exsiliat, vincula legum abrumpat, sepulcreta cadaverum amet. Denique si imaginatio ita confusa est, ut dominam velit agere, non ancillam, & intellectum ac voluntatem perturbet. Deus enim, & virtus habitant in tranquillo: vitium, & dæmon, in turbido.

Tertium comparationis caput est in remediis. Primùm, aliquando dæmon unus ab alio ejicitur per conniventiam: idcirco hodie objiciunt Christo Pharisæi, *in principe dæmoniorum, ejicit dæmonia.* Deinde ab hominibus in Ecclesia ejiciuntur ad hoc ordinatis, titulo Exorcistarum, infimo Clericorum gradu; cui simile quid fuit olim inter Judæos, atque ideo Christus dixit, *Filii vestri, in quo ejiciunt?* Denique, etsi crucis signo interdum simplici, aut aquâ benedictâ ejiciantur dæmones: tamen sæpissimè multis & longis cæremoniis opus, non tantùm *oratione & jejunio*; ut Apostolis, de inobedientia dæmonum conquerentibus, dixit Christus.

In spiritali possessione, vitium interdum unum ab altero videtur ejici, avaritia per luxuriam, gula per superbiam, imò superbia per superbiam: sed istæ tantùm sunt simulatæ ejectiones; post quas *redit fortior armatus, & adducit secum nequiores spiritus.* Deinde non ab exorcistis, sed à summo Clericorum gradu, in Ecclesia exorcizantur peccatores: nec crucis signo tantum, sed crucis meritis, sanguine Christi, clavis tribus Contritionis, Confessionis, Satisfactionis. Denique inter modum hoc interest: quòd momento potest spiritalis energumenus sanari, in quacumque

hora, quocumque loco; si desit sacerdos, actu amoris; si adsit sacerdos, actu spei & timoris.

O si peccator aliè ista in mente defigeret! Quis vel nocte una cum dæmone velit habitare, dormire, comedere, sanus & Christianus! Sed *multi*, ut ait Cæsarius Arel. *dæmonem in alieno corpore formidant, in suo dissimulant.* Et Chrysost. hom. 41. in Acta: *Peccatum gravius est dæmone. Hoc, qui possessus est, sæpè humiliatur: de illo sæpè, non tantùm non erubescunt, sed gloriantur.*

FERIA IV. POST DOM. III. QUADRAG.

THEMA. *Populus hic labiis me honorat.* Match. 15. ex Isaiæ 29. ubi eâdem prorsus sententiâ verbis aliis habetur, *Appropinquat populus iste ore suo.*

Vitium est religioni oppositum, quod vulgari linguâ Bigotteriam nominamus, ex Teutonica voce By Godt id est *propè Deum.* Ipsissimum vitium est, quod in populo Judaico notat Isaias, in Pharisæis Christus appropinquant Deo, propè Deum sunt, labiis Deum honorant; sed ore, non corde. Itaque hypocrisis genus est; cujus vitii naturam, & qualitates, spectabimus.

Natura vitii meliùs, quàm ex virtute opposita, cognosci non potest, sive excessu peccet, seu defectu. Opposita hypocrisi virtus est religio: cujus naturam, & actus, brevissimè & divinissimè Samaritanam docuit Doctor justitiæ Joan. 4. *Veri adoratores adorabunt in spiritu, & veritate. Qui adorant, in spiritu & veritate oportet adorare.* Religiosus cultus primum *in spiritu* exhibendus est, animitus medullitus: deinde fundamentum habet *in veritate*, in solidis atque æternis principiis.

Contra hypocrisis ferè hæret in externis, in vultu, gestu, verbis: interiora parùm curat. D. Basilius homilia de Jejun. & cum illo Ambr. aiunt similem esse theatricis personis, quas etiam Græci hypocritas vocant: pauper divitem, scurra Regem, lepusculus Cæsarem leonem exhibet. Gregorius Naz. confert cum quercubus: quas qui non noverit, & ramos protensos ac latifolia viderit, existimet sapidis fructibus ornatas; ferunt tamen dumtaxat alimenta porcorum. Christus comparavit sepulcris dealbatis, quæ sub marmore Pario cadaver putridum, lumbricos, bufones, vermes tegunt. Insignem, ac vivam, picturam aspice in Pharisæo Evangelico. Exterminavit faciem severam. Pilei margini assutas habet schedas membranaceas, ubi præcepta divina inscripta sunt, eumdem in modum marginibus manicarum, & oris togæ: thephillim appellant, ni fallor, vidiquè ejusmodi membranam. Diceres totum ex sanctimonia conflatum hominem: præsertim, cùm nihil ex ore prodire audieris, quàm legem, traditiones, sabbata, decimas, sacrificia, oblationes, templum, corban, Adonai, Jehova. Quid superest, nisi ut tergo inscribatur, *Labiis me honorat, Ore appropinquat?* Nunc & Catholicorum quorumdam tergo id inscribas? Invidia intus scatet Pharisæus cadaverosus: horarias leucas 36 Hierosolymâ Capharnaum usque conficit, ut Christum aut suos admordeat. Catholicus invidus, vindictâ tumens &c. nihil quàm reliquias, templa, jejunia &c. sonat.

Deinde, hypocrisis exterioris sanctimoniæ suæ speciem fundat super falsis, aut inanibus principiis, vel malè intellectis, si vera sunt. D. Augustinus lib. 2. de Trin. ait, hæreseon omnium caussam esse Scripturam, malè utique intellectam, bonum fontem malè haustum. Ex hodierno Evangelio, Manichæi olim Legi Mosaicæ condemnationem inferebant, & colligebant carnium esum solis *turbis* permissum. Oecolampadius nuper collegit, Eucharistiâ non sanctificari hominem, quia *quod intrat in os, non coinquinat*, adeoque nec sanctificat. Inutilè hodierni hæretici traditiones, & præcepta Ecclesiastica, nihili facienda; quia omnis plantatio, non plantata à Patre cælesti, eradicabitur. Sic Pharisæi ex Isaiæ verbis, *Lavamini* &c. aliisque Scripturæ locis, collegêre suum illud, de lotionibus exterioribus præceptum: cujus violationem tanto strepitu objecêre discipulis Christi. Quid in istis reprehenditis? An quod homicidæ sint, adulteri, fures? An quod Petrus socrum suam malè accipiat: filiam negligat? *Quare transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lavant manus, cùm panem manducant.* Grande crimen. At vos transgredimini mandata Dei; & sanctimoniam vestram ædificatis arenæ, non petræ. Traditiones seniorum spernendæ non sunt: at longè pluris facienda præcepta divina. Veritas ordinem suum cuique observationi tribuit: legi Naturæ, Divinæ, Ecclesiasticæ, Civili, gradus suos facit: necessaria præponit utilibus, justa consultis. O quantus apud Christianorum non paucos error, libera imperatis, exigua magnis, humana divinis, pluris æstimantium, magisque sese torquentium ob traditiones seniorum, quàm ob mandata Dei!

Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Isaias. Os vestrum appropinquat Deo, labia Deum honorant: cor vestrum laudi humanæ appropinquat, mens vestra vestium honorem quærit. Stulti, qui rem, cælo contra æstimabilem, tantillo approbationis humanæ pretio venditis: ut miles, qui adamantem inter spolia inventum denario venderet. Hæc prima hypocrisis qualitas est, Stultitia. Accedit Inconstantia: qui enim sua faciunt, ut videantur & honorificentur; si non videntur, atque honorantur, aut si, quod quærebant, consecuti sunt, facere desinunt: comœdiam suam absolvêre, larvam deponunt. Tertia qualitas est superbia, de qua vide Greg. 8 Mor. cap. 24. simulare possunt hypocritæ omnem virtutem, excepta humilitate: *tange montes, & fumigabunt. Homines receptibiles, in camino humiliationis* probari vult Siracides. Vide quomodò pingat Arnoldum de Brixia insignem hypocritam Bernardus epist. 196. Qualitas ultima est odium oculatorum, à quibus timent introspici: uti poëtastri, & mali pictores, non amant intelligentem artium istarum; ne justum pretium suis opusculis assignetur. Sed, ô misere, ô superbe, ô inconstans, ô stulte hypocrita, times hominem oculatum, non times oculum Dei, cui revelantur *cogitationes, quæ de corde exeunt?* Serve ad oculum, servias Deo ad oculum omnia videntem. Deus spiritus est, veritas est: adora illum *in spiritu*, interiùs; *in veritate*, ex certis fidei rationisque decretis.

THEMA alterum. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta.* Ibid.

De furtis luculentam materiam habes lib. 1. Excursûs 1. ad cap. 16. lect. 5.

FERIA VI. POST DOM. III. QUADR.

THEMA. *Da mihi bibere. Rabbi manduca.* Joan. 4. Quid peccatores, & justi, dare Christo debeant: vide uberem materiam Indice conc. 2. Quadr. lib. 1.

THEMA alterum. *Domine, da mihi hanc aquam.* Ib.

Aquæ nomine varia in sacris Literis significantur: doctrina, *Bibe fluenta putei tui, & aquæ tuæ egrediantur foràs:* populi, *Mitte panem tuum super transeuntes aquas:* multitudo armata, *Mittam super eos aquas validas, & fortes:* gratia, *Vidi aquas egredientes de templo:* Spiritus sanctus, *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.*

Hic, quænam est aqua per Christum proposita, per Samaritanam expetita? Christum intelligit Ambrosius: doctrinam Christi Basilius: Spiritum sanctum Chrysostomus. Eos vide apud Evangeliorum interpretes, nominatim Toletum. Gratiam interpretabatur D. Catharina Genuensis, exclamare solita, *Domine, da mihi hanc aquam:* Sic etiam exposuêre Augustinus, & Cyrillus, &, quod longè pluris est, Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. Huic explicationi inhærebimus, & discutiemus quæstiunculas quinque: cur gratia dicatur aqua; cur viva; quomodò non sitiet, qui eam biberit; quo pacto sit fons; qua ratione saliens? In illis quæstiunculis dicemus totidem gratiæ effecta, emundationem culparum, conjunctionem cum Deo, moderationem appetitûs ac desideriorum temporalium, propensionem ad subsidium aliorum spirituale, auxilium impensum aliis sine spe mercedis temporalia.

Aquæ effectus maximè obvius est, sordium emundatio: eamque ob rem Judæi, quibus multæ purificationes, & baptismata erant præcepta, & munditiæ externa cordi, aquam ubique præstò habebant, in vel ex Joannis a constat, de lapideis hydriis. Poterant autem Judæi aquâ oblatâ uti, poterant non uti: quemadmodum usi non sunt Apostoli, quando illos manibus eos comedisse objiciebatur; usi sunt Pharisæi, alioqui condemnandi in eo, quo de alios judicabant. Sic gratia fit: à Deo voluntati hominis oblata respui potest, admitti potest: si admittitur, uti à Samaritana factum, peccata emundat, & animam pristino nitori reddit, imò, quod aqua non præstat, nitidiorem facit & pulchriorem, quàm antè. *Lavabis me*, inquit Psalmista, *& super nivem dealbabor.* Aqua detegit tantum albedinem, aut pulchritudinem, quæ antè tegebatur: gratia dat formam & candorem, qui ante non erat. Altera aquæ & gratiæ distinctio est, quòd illa sic lavat res sordidas, ut ipsa sordescat; indéque cum illa comparantur, qui aliis prædicando, alios Confessionibus lavando, ipsi reprobi efficiuntur: at gratia sordes omnino abolet, nec magis illis inficitur, quam radius cœno. Distinctio tertia est, quòd aqua motiuo modo ad lotionem concurrit, & velut instrumentum nudum ac secundarium: gratia Dei, etsi tantùm qualitas, movet tamen, antequam moveatur, & vivo ac principali modo ad actus vitales concurrit, ideò forsan dicta aqua viva.

Cyrillus mavult Gratiam appellari aquam vivam, quia vivifica-

vivificat multò nobiliùs, quàm anima. Hæc enim solùm naturalem vitam affert: illa supernaturalem, quâ vivunt Angeli, & à dæmonum vita discernuntur; quâ Deus ipse vivit; sese amans super omnia infinito immensæ voluntatis actu. Augustinus tract. 15. in Joannem ait, aquam vivam vulgo dici, *quæ de fonte exit*; non eam, *quæ colligitur in lacunas, aut cisternas*; neque eam, *quæ, interruptionem, tamquam à fontis tramite separata fuerit.* Eo modo ut gratia aquæ vivæ comparetur, cur nam fonti juncta dici possit? Fons moralis, seu meritorius, Christus est: caussa effectiva, Trinitas: principium attributionis; Spiritus sanctus. Gratia hominem cum Christo jungit, & facit membra de membro: jungit cum Trinitatis personis, mansionem apud eum facientibus: jungit cum Spiritu sancto, cujus templum est.

Eoque magis jungit, quòd appetitum moderatur: nam, qui de aqua corporali bibit, sitiet iterum; qui de gratia, *non sitiet in æternum.* Sitis genera quatuor sunt. Primum ex natura corporale: alia tria spiritualia, seu animi. Sitit anima Deo: sitit aliquando bona temporalia moderatè; potest sitire immoderatè, unde illud Gregorii lib. 14. Mor. cap. 6. *Impiè sitire, est mundi hujus bona concupiscere.* Sitim corporalem gratia non extinguit: sitim spiritualem divinorum auget: sitim temporalium moderatam non tollit: sitim immoderatam extinguit, sicut hydropem potens medicamentum.

Sed si gratia de fonte manat, quâ ratione fons appellari potest? Eâdem ratione, ut aquæ parte unâ rivus, aliâ fons est. Si sursum ad scaturiginem respicias laticem limpidissimum, de syphone in areolas prosilientem, indeque in piscinas profluum; rivum appellabis. Sin collectum in syphonis sinu liquorem duntaxat intueare, & quidquid inde dimanat; fontem nominabis. Ita gratiam si sursum respicias, rivus est, ab eo profectus, apud quem est fons vitæ. Sin deorsum adspicias, fons est, unde, quidquid virtutum est, derivatur. Neque enim nos, quæ laudabilia sunt, cogitamus, aut operamur, sed gratia Dei nobiscum, intelligentiam nostram irrigans prudentiâ supernaturali, voluntatem inundans suavi fiduciâ & caritate, & inde foras derivata, sicut fluvius paradisi super universam faciem terræ. Qui gratiam Dei habent, possessione ejus non sunt contenti: sed illam, quà possunt, communicant cum aliis, verbo, actionibus, orationibus, pro virium & conditionis ratione.

Et sic eam communicant, ut *saliat in vitam æternam.* Videmus aliquando exsilientes fontes: sed id contra naturalem est aquæ gravitatem, atque adeo à spiritibus inclusis & eluctantibus provenit, vel à metu vacui, vel arte humana per impulsum, aut condensationem: quomodocumque tandem id fiat, mox tamen aquæ pondere suo deorsum relabuntur. Vides hominem ad aliorum subsidium effundi, uno cælestis mercedis intuitu? Vides etiam, altiori fine amoris divini, sese proximo superimpendentem? Contra naturæ infirmæ, & ad temporales mercedes pendentis, vires est: à gratia id proficiscitur, sursum eluctante, & secum rapiente voluntatem hominis, ut saliat in vitam æternam, numquam relapsura, quamdiu gratiæ sequetur impulsum. *Domine, da mihi hanc aquam:* aperi thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut, illo potatus, non desiderem ampliùs cisternas, quæ continere non valent aquas, sed omni affectûs nisu exsiliam ad flumen, cujus impetus lætificat civitatem Dei.

DOMINICA IV. QUADRAG.

THEMA. *Unde ememus panes?* Joan. 6.

De spe rebus desperatis. Habetur fusè lib. 1. Vide Ind. 2. in Quadr.

THEMA alterum. *Colligite, quæ superaverunt.* Ib.

Communionis Paschalis figura: exponitur in Conc. Indice 2. ibid.

THEMA tertium. *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat, super his, qui infirmabantur.* Ibid.

Disputant quidam de loco, ubi hoc miraculum contigit; & inde putant rectè colligi, ter a Christo multiplicatos panes. Contrà alii: quos apud interpretes reperies. Nos, omissâ istâ disputatione, hoc solum considerabimus, cur Christus miracula erga homines, potentiâ simul & misericordiâ conjunctis, patrârit; aliter longè, quàm Moses, Elias, aliique Christi præcursores, qui hominibus interdum aliquibus nocuêre mira faciendo. A Christo ad Christianos, præsertim quibus aliorum cura commissa est, digrediemur.

Prima ratio, cur Christus misericordiam semper cum potentia junxerit, ex fine miraculorum petenda est. Ea patrabat, ut manifestaret gloriam suam, & divinitatis suæ fidem stabiliret. Fides autem quamvis intellectualis virtus est, voluntate tamen indiget: nemo enim credit, sine credulitatis affectu. Potentiâ in prodigiis ostensâ Christus intellectum convincebat, misericordiâ trahebat affectum. Paullò ante multiplicationem panum, Hierosolymis altissimè de divinitate sua disputârat: claudit disputationem, faciendo *signa super his, qui infirmabantur*, & ecce *sequebatur eum multitudo magna.* pascit multitudinem prodigiosa multiplicatione panum, & *volebant eum facere Regem*, nisi fugisset *in montem ipse solus.* Ita mentes conciliârat bonitas: etsi non multo pòst eas averterit ingratitudo, insita mortalibus, qui injurias marmori, beneficia pulveri inscribunt. Quam fortassis ingratitudinem indicatam voluit Christus, quando *digito scribebat in terra* sententiam absolvendæ adulteræ. Scripsit Christus digitis duobus, potentiâ, & misericordiâ, divinitatis suæ manifestationem: sed in terra ingrata plerorumque Judæorum, in pulvere obliviosorum.

Altera ratio petitur ex fine adventûs Christi, & divinæ incarnationis: *ut salvum faceret populum.* Salutem spiritualem Judæis carnalibus indicat salute corporali: curationem vitiorum, virtutum educationem, sanatione morborum, & alimento corporum. Si venisset occidens, aut famem ac vastitatem faciens, quis Salvatorem agnovisset? Iisdem signis Isaias prænotârat cap. 35. *Ipse veniet, & salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum*, &c.

Tertia, reperitur ex caussa, cur Deus incarnationem Filii decreverit, ut salvum ab illo fieri populum voluerit: *Per viscera*, inquit Zacharias, *misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Ex misericordia divina visitati sumus per Deum-hominem: imò ipse Deus homo misericordia appellatur, *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Nec de nihilo dicit Psalmista pœnitens, *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam*: magna enim, supra modum omnem & cogitationem, misericordia Dei est Deus-homo, cum hominibus conversatus.

Quartam rationem in ipsa misericordiæ natura invenio. Virtutibus aliis perfectè possidendis, omnipotentiâ opus non est: justus absolutè, & temperans, & fortis eris, earumque virtutum actus omnes exercebis, etsi restrictus intra humanæ infirmitatis limites. Misericors eris affectu: at misericordiæ actus omnes non exercebis, neque efficies, quod desiderares, nisi possis omnia, ut cunctis ope tua indigentibus auxilieris. Itaque alia nulla virtute decentiùs potentiam suam ostendere, & sociare, Christus potuit, quàm misericordiâ: & Deus potentiam suam miserendo maximè, & parcendo, manifestat.

Tibi, Christiane Pastor, Magistratus, pater-familias, quid ante omnia curandum est? Subditi tui auctoritatem tuam intelligant, velint bonitatem: intellectum tibi mancipa ratione, voluntatem affectu conciliâ. Eum affectum ut habeas, versare in multitudine; ejusque infirmitates agnosce, cum Christo; &, cum eodem, secede interdum à turbis ad orationem, ut ex lacteo fonte misericordiæ haurias benignitatem, & deinde facias signa super his qui infirmantur, bonisque impleas esurientes, nec in malo infirmorum & esurientium impleatis. Sic alios cures, ut ipse non ægrotes; sic alas, ut ipse fame ne pereas. Ne sis de amentium istorum numero, qui salutem suam negligunt, de aliena soliciti. Sed postquam tibi cum Deo contuleris, tunc de monte redi ad turbas: memor tuum etiam esse, Christi vice, salvum facere populum, & in misericordiæ visceribus visitare. Magnitudo hominis numquam certius ostenditur, quàm miserendo, & benefaciendo. Male quivis facere potest, licet impotentissimus: potentiæ, ad divinam accedentis, est benefacere. Regem Christum creare voluerunt, beneficiis illius obligati: Deo te similem bonitas efficiet.

FERIA IV. POST DOM. IV. QUADR.

THEMA. *Quis peccavit? hic, an parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Joan. 9.

De peccato originali: vide Ind. 2. in Quadr. l. 1.

THEMA alterum. *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit.* Joan. 9.

Orationis efficacis conditio prima ab orante. Exc. 2. ad cap. 3. lib. 1. sect. 3. tota.

THEMA tertium. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.* Ibid.

Remedium triplicis cæcitatis spiritualis, in Evangelio nostro indicatæ, uti & in istis *Lutum fecit, & unxit oculos:* idem enim significant *nox*, & *lutum* id est mortem.

Sex

Sex personarum genera velut in sacram scenam hodie prodeunt: Christus, Apostoli, cæcus, parentes ipsius, vicini, Pharisæi. Ex illis unica virtutis speciem exhibet, ceteræ vitiorum. Apostoli, & vicini, curiosos exprimunt. *Quis peccavit*, inquiunt Apostoli? *Nonne hic est qui sedebat? Quomodò aperti sunt tibi oculi? Ubi est ille?* inquiunt vicini? Curiositas dicitur à cura. Quemadmodum autem potest bona & mala esse cura, ita & curiositas. Bona est, vel ex objecto, vel ex fine. Ex objecto, si pro salute, pro debito officii: *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? Quid faciemus, & nos?* Iuda à Christo Legisperitus quærit: hoc publicani, & milites, à Joanne. Bona ex fine est, si de temporalibus est, vel indifferentibus, vel alienis, sed ad honestam conversationem, vel occupationem. In neutro bonum genere erat interrogatio Apostolorum: in secundo fortian erat interrogatio vicinorum. Mala curiositas est item, vel ex objecto, vel ex fine. Objectum malum, quale illorum in Actis, qui dicuntur *curiosa sectati*; & in eo genere sunt Apostoli, qui de peccato alieno quærunt. Finis malus, etsi objectum sit indifferens, si tantùm terendi temporis causâ quæstiones fiunt, ut ab Athenienfibus, qui ad hoc tantùm vacabant *ut audirent, aut dicerent, aliquid novi*. Similes oculis, inquit Greg. hom. 36. omnia præter se videntibus.

Curiosi plerumque ternis vitiis laborant. Sunt importuni: omni tempore, loco, re, ut muscæ inquietæ, ad nauseam quærunt. Sunt aliis noxii, quia sæpè perdunt bonam opinionem de aliis conceptam, & caussa sunt cur alii detrahant. petunt Apostoli, *Quis peccavit*; quando cæcus est sanatus, non petunt, Quis meritus est? Sunt sibi noxii, quia mentem implens plerumque erroribus, sæpè vanis: & tempus, quod utiliùs alibi tereretur, miserè prodigunt. *Attende tibi*, *Operare dum dies est*, opera ejus qui misit te.

Alterum genus hominum sunt fluctuabundi, & dubitantes; aut scientes, & non agentes. Sic sunt Pharisæi. *Non est hic homo à Deo: Quomodò potest homo peccator*, &c. Schisma est inter eos, &, quasi ipsi de se non possint capere consilium, fatigant interrogationibus cæcum, neque audent quidam veritatis conscii palàm confiteri, ne extra Synagogam fiant. In eodem genere sunt pater, & mater cæci, qui hac solâ causâ non audent verum pronuntiare, etsi dubium non sit, quin sciverint. Ingens morbus, videre, non agere; consultare, non exequi; scire, non loqui in tempore suo. *Quis cæcus, nisi servus Domini*, inquit Isa. cap. 42 *Qui vides multa, nonne custodies? Venit nox, quando nemo potest* &c.

Tertium hominum genus sunt arrogantes, qui docere volunt, antequam sciant; & qui doceri nolunt, quod nesciunt. Sic fuit cæcus pronuntians tam certò, *Peccatores Deus non exaudit*: quam sententiam Augustinus, 1. Retr. cap 3. improbat ex libro 2. de Ordine, *Opera danda est bonis moribus: Deus enim noster aliter nos exaudire non poterit*. In altera classe fuerunt Pharisæi, non Gamaliel tantum, & alii senes docti, sed indocti & juvenes. Non legerant Mosen à Jethro consilia non dedignatum accipere? Non legerant Isaiam cap. 29. à Paulo citatum 1. Cor. 1 *Perdam sapientiam* &c: Clamant tamen, *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Disce, ô homo, veritatem, *donec dies est*, *venit* enim *nox* superbis.

FERIA VI. POST DOM. IV. QUADR.

THEMA *Infirmitas hæc non est ad mortem*. Joan. 11.

Divinæ in calamitatibus consolationes Exc. ad cap 3. lib. 1 sect. 1. Quidquid enim ibi de publicis dicitur, privatis convenit.

THEMA alterum. *Quatriduanus est*. Ibid.

Materiam vide lib. 1. notatam 10 Ind. 2. Conc.

DOMINICA PASSIONIS.

THEMA. *Honorifico Patrem meum*. Joan. 11.

Universa disputatio hodierna Christi cum Judæis spectat ad ostendendam illis malitiam suam, & stultitiam: malitiam, quòd ejus doctrinam audire nolint, stultitiam, quod eum velint occidere. Qui enim cujuspiam præcepta recusat audire, id facit; vel quia præceptor vitiosus est, vel quia doctrina falsa, vel quia ipse auditor improbus est. Ego, inquit Christus, argui non possum de peccato, & veritatem dico vobis: ergo non est culpa præceptoris, aut doctrinæ, si non auditis, sed vestra. Isti mali non sunt, sed vos mali estis, invidi; non estis ex Deo, ex caritate, propterea non auditis.

Stultitiam demonstrat, quòd ipsum velint occidere, quasi, occidendo, possint ipsum destruere, & velut ad nihilum redigere. *Quid me quæritis interficere? Qui sermonem meum servat, mortem non videbit in æternum* Quantò magis ego, qui sermo sum, mortem non videbo; aut videbo, ut eam vincam: quantò magis vivam, qui sermonem Patris mei servo. Antequam Abraham fieret, ego sum: & vultis, ut esse desinam?

Hæc igitur Christi, in hac disputatione, mens fuit erga Judæos. Pro nobis autem id spectavit, ut vitam suam, officium, finem nos doceret. simul vitam, officium, finem Christiani.

Vita Christi fuit innocens, sine omni peccato: *Quis ex vobis arguet me?* Rationes ejus innocentiæ tres: Christo propria una: altera communis Beatis omnibus: tertia communicata viatoribus mortalibus quibusdam.

Humanitas Christi unita erat Verbo, Personâ divinâ regebatur: Persona divina, quod impossibile est, peccâsset, si Christus peccasset, quia suppositis actiones tribuuntur. Ita ratiocinantur Damasc. Anfel. Theologi.

Videbat Deum perpetuò. Joan. 17 *Claritatem, quam dedisti mihi, videant, sint mecum*, &c. Quisquis peccat, id facit, ob fruitionem boni alicujus apparentis. Si clarè ipsi proponatur verum bonum, multò majus apparente, numquam hoc præponet. Nemo millia tria aureorum postponet denariis triginta: quanto minùs bonum infinitum præ finito contemnet? *Peccans est ignorans*, quia nescit, vel non advertit bonum, quod amittit peccando. At Beatus apertè intuetur bonum, quod amitteret peccando, quia claritatem habet quam habuit Christus: atque adeò non potest peccare

Abundabat gratia, & de ejus plenitudine nos omnes accepimus. Posse autem peccare est impotentia, id est debilitas voluntatis, eâ debilitate homo liberatur per gratiæ affluentiam, uti Henoch, Elias, D. Virgo.

En Christi vitam. Officium fuit, *servare sermonem Patris*, & illum communicare dicendo *veritatem*. *In hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati* *Ego sum via, veritas, & vita*. Primarium quidem munus erat, salvandi: at secundarium, docendi.

Finis, *Honorifico Patrem meum*. Eò abstinentia omnis à peccato, omnis observatio sermonis paterni omnis prædicatio veritatis, totus Deus-homo referebatur: Christus caput Ecclesiæ, caput Christi Deus. Itaque psalte moritus dicit, *Manifestavi nomen tuum hominibus*.

Christiani, quæ vita? Abstinere à peccato. 1 Pet. 1. *In omni conversatione*, prælati qui debetis exemplo præire, subditi qui obeditis, &c. *sancti sitis* Primò, quia Deo uniti per sponsionem in baptismo, & in filiorum numerum adoptati: deinde, quia in lumine fidei estis, spe gloriæ: denique, quia in lege gratiæ, superabundantis per Christum.

Officium Christiani: servare sermonem Christi pro se, aliis dicere veritatem Pro se, faciat quisque, in ordine & gradu suo, quod Deus vult. Aliis, dicat quam Deus vult veritatem, ad quam dicendam non omnes æquè sunt obligati: sic tamen veritatem dicat, ut servet caritatem, qui est sermo Dei

Finis Christiani. Honorificare Deum. Eò tendere debet vita omnis, eò singulæ officii nostri actiones, alioqui perditæ & perituræ.

THEMA alterum. *Tulerunt lapides, ut jacerent in eum*. Ibid.

Gradus peccati ultimus, obduratio. Vide lib. 1. Ind. 2. con. Quadr.

THEMA tertium. *IESVS abscondit se*. Ibid.

Etiam malè usuris bona est calumnia. Ib.

THEMA quartum. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ibid.

Commodè hoc transferes materiam de magnitudine peccati, æstimatâ ex remedio, Passione Christi. Habetur Exc. 3. ad cap 4. lib. 1. sect. 3.

FERIA IV. POST DOMIN. PASSIONIS.

THEMA. *Multa opera bona ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Joan. 10.

De peccatis opere patratis vide lib. 1. Ind. conc. 2. in Quadr.

THEMA alterum. *Non estis ex ovibus meis, oves meæ vocem meam audiunt*. Ibid.

Excursu ad cap. 5. lib. 2. sect. 10. à num. 19. ad finem, habentur quaternæ malæ, bonæ totidem ovium qualitates, Christianis omnibus aptatu faciles, quomodò ibi aptantur religiosis.

THEMA tertium. *Vos non auditis, quia non estis de ovibus meis*. Ibid.

Si dicere placuerit de abusu verborum sacrorum, habes Exc. ad cap. 13. lib. 2. sect. 5.

FERIA VI. POST DOM. PASS.

THEMA. *Collegerunt Principes & Pharisæi concilium adversus IESVM.* Joan. 11.

De peccatis alienis, vide Ind. 2. Conc. Quadr. lib. 1.

THEMA alterum. *IESVS jam non in palam ambulabat apud Iudæos.* Ibid.

Quomodo, & quatenus, dissimulationes, restrictiones, amphibologiæ liceant. Argumentum, ab aliis uberrimè expositum, indicatur in Comm. ad lib. hujus c. 7. vet. 26.

DOMINICA PALMARUM.

THEMA. *Hosanna filio David.* Matth. 21.

Materia proponitur Ind. 2. Conc. in Quadr. lib. 1.

THEMA alterum. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Ibid.

Materiam habes ibidem extensam.

THEMA idem. *Ecce Rex* &c.

Duo quæremus: cur Christum Matthæus dixerit venire *mansuetum*, cùm propheta *pauperem* habeat? Deinde, cur Christus pauper venerit?

Loca duo sunt, ad quæ allusisse videri potest Matthæus: primum Isaiæ 62. *Dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit*, brevi monemus: *ecce merces ejus cum eo, & opus ejus* Passionis *coram illo*. Alter Zachariæ 9. *Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Ierusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Ad Zachariæ vaticinium potius attendisse Matthæum, existimamus; quia in isto fit diserta mentio asinæ & pulli, Græcè ὑποζύγιον, καὶ πῶλον νέον, *subjugale & pullum novum.* Cur ergo Matthæus non iisdem verbis adduxit sententiam? Cur pro epithetis, *justus, Salvator, pauper*, unicum posuit *mansuetus*?

Ratio prima ex Græco textu petenda est; ubi pro *pauper* habetur πραΰς, quod *mitem* significat. Solenne autem fuit Iudæis ævo Christi, Christo etiam ipsi, & Apostolis, sacræ Scripturæ sententias ex Græcæ versionis sensu adducere, quamvis Syriacè aut Syriaco-Hebraicè loquerentur. Præterquam quod, Hebræâ linguâ, *pauper*, & *mansuetus*, sæpè inter se permutantur: uti quod Isaias cap. 61. habet, *Ad annunciandum mansuetis misit me*; Christus legit, *Evangelizare pauperibus misit me.*

Ratio altera ex paupertatis, & mansuetudinis, conjunctione & affinitate petenda est. Quam conjunctionem Christus in Beatitudinum ordine indicavit; post, *Beati pauperes*, subjuncto, *Beati mites.* Et meritò prius *pauperes*, tum *mites*: quia licet mansuetudo sit interdum caussa paupertatis, & oves faciliùs deglubantur, quàm canes ipotentur, aut leones, sæpiùs tamen paupertas caussa est mansuetudinis, videmusque multos nuper opibus inflatos & contumeliosos, nunc paupertate demissos & suaves.

Tertia ratio ex circumstantiis accipitur. Christus asinæ insidet, non quia pauperculum vehiculum fuit, cùm in Palæstina conslet nobiles viros, imò Regios liberos, iis ad vehendum usos: sed quia minimè calcitrosum est animal, nec pugnæ idoneum, atque adeò symbolo mansuetudinis aptari potest. Ex olivarum colle venit Christus ad visionem pacis: olivæ mansuetudinem significant, pax comitatur: itaque Lucas dixit acclamatum, *Pax in cælo, & gloria in excelsis.* Præferuntur rami palmarum: quia nihil magis palmarium est, quam mansuetudo; *verbum enim dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos*: ideóque accinitur Hosanna, id est *Iesus Hez*, & gratiæ *Chanina*, quia mansuetudo laudabilis & gratiosa est, amicis juxta & inimicis. *Venit* Christus *Rex*: nihil autem magis Regium mansuetudine, *Specie tuâ, & pulcritudine tua, intende prosperè, procede, & regna, propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam*: venit *filius David*, memor *omnis mansuetudinis ejus*: venit *benedictus in nomine Domini*, cujus *proprium est misereri & parcere*: venit mox a fletu profuso, super miseriis Hierosolymitanæ civitati imminentibus. Meritò igitur *mansuetus.*

At cur non mansuetus modò, sed pauper? Primòm, quia Rex veniebat Christus. Regia autem virtus paupertas est, magis multò quam opulentia: hæc enim animum subjicit rebus, illa supra res animum erigit. Quid homine illo liberius, atque adeo quid Regalius, quàm qui caduca, ut sese indigna, contempsit? Qui sic utitur temporalium insidet, velut alienæ asinæ, mox relinquendæ? *Beatus mens*, inquit D. Leo serm. 1. de Quadr. *quæ hospita magis, quàm domina terrenorum, nec affectibus sit innexa humanis, nec promissionibus desit divinis.* Ex Christi sententia, *regnum cælorum* attinet ad *pauperes spiritu*: quod voce docuit, hoc re significat, quando *venit Rex pauper.*

Deinde: comparabat sese Christus ad Passionem, cujus bona pars fuit, paupertatis summæ dedecus. Erepta enim sunt vestimenta omnia sua, Hierosolymam egresso: cui, Hierosolymam ingressuro, aliena vestimenta substernebantur, & veluti donabantur. Ad illius paupertatis tolerantiam sese disponit Christus, veniendo pauper: instat: ut nos doceat, pro ferendis levius hujus vitæ malis, expedire, antequam ingruant, assuefieri & durari animum, non illa dumtaxat meditando, sed aliorum similia experiendo.

Denique: imminebat Christo mors, ad cujus adventum relinquenda omnia erant. Antè Christus omnia relinquit, quàm mors veniat: non ut ipsi eò minus acerba mors accidat, sed ut nos discamus, eò nobis suaviorem mortem fore, quò minus affectu terrenis hærebimus. Clamatur alioqui in Pascha nostro, & transitu, lugubriter, *Siccine separat amara mors?* Ante ingrediendam cælestis pacis visionem, ante fælix ac florendum vetus perpetui Pascha, oportet omnia relinquere. Simus jam nunc pauperes & beati affectu, futuri tunc pauperrimi & beatissimi effectu, & cantaturi *Hosanna* &c.

FERIA IV. POST DOM. PALM.

THEMA. *Occurret vobis homo, amphoram aquæ portans.* Luc. 22.

Significatur pœnitentia. Vide Ind. 2. Quadr. lib. 1.

THEMA alterum. *Pacti sunt pecuniam illi dare.* Ib.

Avaritia vitium quale, quantum. Comm. ad c. 4. hujus libri in fine.

FERIA V. DIE COENÆ DOMINI.

THEMA. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Joan. 13.

Eius diei cæremoniæ sacræ explicantur Ind. 1. Conc. Quadr. lib. 1.

THEMA alterum. *Ego sum vitis.* Joan. 15.

Christus in Passione & Ven. Sacramento vitis. Exc. ad cap. 5. lib. 2. sect. 1. num. 18. & 19.

Si utraque hac feriâ, de Passione dicere placuerit, habes dissectam in loca tria, partes totidem, Exc. ad cap. 9. lib. 1. sect. 1. & 2. Pars tertia servabitur in Parasceven.

DIE SANCTO PARASCEVES.

THEMATA & argumenta sex habes Exc. ad cap. 9. lib. prioris.

THEMA septimum. *Ego sum vermis, & non homo.* Ps. 22.

Suggeritur materia, facillimè extendenda, Exc. ad c. 9. lib. 2. sect. 1. num. 10. & 11.

DIE SANCTO PASCHÆ, ET FERIIS II. ET III.

ABUNDE materiæ, ac thematum, habes Exc. ad cap. 13. lib. 1. sectionibus quinque, quarum nonnullæ pluribus concionibus sufficiunt.

THEMA aliud. *Nonne cor nostrum erat ardens in nobis, dum loqueretur in via?* Luc. 24.

Virtutum Theologicarum & Christianarum nulla non rationi prorsus consentanea est: est enim æquissimum credere Deo, post tot motiva credibilitatis: item sperare, quia &c. amare, quia &c. Naturali tamen inclinationi non est conforme credere, animosa fides debet superare intellectus superbiam. Nec naturalis propensionis est sperare tam longè dissita, non visa &c. roboranda est fide voluntas, ut speret. Sed naturalis propensionis est amare: nihil homini magis insitum, quam inclinatio ad pulcrum, bonum, perfectum.

Christus post resurrectionem apparere voluit, ut roboraret fidem, excitaret spem nostram: ut diceremus, quod septemdecim sæculis ante dixit Jobus, *Credo, quòd Redemptor meus vivit* &c. Sed etiam apparuit, ut excitaret caritatem. Qui tres vias vitæ spiritualis diviserunt, purgativam, in qua *cor ardens est* ad peccata consumenda; illuminativam, in qua cor ardet ad virtutes; unitivam, in qua cor ardet ad amandum Deum: illi, viæ tertiæ assignârunt considerationes apparitionum Christi. Semper ignis est Christus. Applicari ipsi potest illud prisci poetæ: *Pastores ovium, teneræq; propaginis agnûm, Quæritis ignem? Ite huc. Quæritis? ignis homo est. Si digito attigero, incendam*

Ssss ſi vam

sibi ante simul omnem. Omnis pectus flamma est: omnia, quæ vidit. In hodierna historia spectemus caritatem imperfectam duorum discipulorum, quomodo perficiatur caritate Christi, & ardeat.

Emicant caritatis ipsorum scintillæ quatuor: quòd bini incedant, eadem professione, scholâ, fine, post faciem Christi: quòd simul fabulentur, assiduitas cos caritatis, lingua nuntius cordis, *Corpus fæcundum in vita tabernaculum*: quòd de Christo loquantur, *Ubi manus, ibi dolor: ubi lingua, ibi cor*: quod benè adhuc de Christo sentiant, *Erat vir potens, &c. coram Deo & omni populo.*

Scintillæ obruuntur cineribus: primò, quòd mulieribus amantibus, & nuntiantibus vera non credant; *caritas tamen omnia credit.* Deinde dicunt, *Sperabamus*, non autem speravimus, vel speramus, sed in imperfecto; *caritas tamen omnia sperat.* Tertiò, imaginabantur sibi, *quòd temporaliter & crasso modo redempturus esset Israël*; nec satis caloris habebat eorum amor, ut cælum versus assurgeret: caritas tamen *non quærit quæ sua sunt.* Denique, *oculi eorum tenebantur*, ne Christum agnoscerent: *amor* tamen *lynceos habet oculos*, & amatum agnoscit etiam in nubilo. caritas *non est ambitiosa.*

Languenti caritati excitandæ, veniat redivivus Christi ignis. Ac primùm accedit ad illos, pastor ad oves, Raphael ad Tobiam cæcos, viatoris habitu ad viatores, omnibus omnia fit amor. Deinde in sermonem se ingerit, ut soletur mæstos linguâ eruditâ. Tertiò increpat, & ulcus tangit ferro amabili: meliora sunt vulnera Christi amici, quàm oscula inimicorum. Quartò, postquam correxit errantes, docet ignorantes, aperiens illis Scripturas, & explicans. *Caritas* Christi, quàm *potens & benigna est?*

Ex caritate Christi effectus primus in discipulis fuit *cor ardens*: ea caritatis est sedes: voluntas ante omnia feratur in bonum. Deinde, lingua ardet, *coëgerunt eum*: operibus misericordiæ spiritualibus reponunt opus corporale, suscipere peregrinos. Tertiò, inter comedendum oculi luce amoris aperiuntur: fælices, qui Christum in omnibus operibus vident, præsertim quando *minimis Christi* exhibent caritatem. Quartò, evanescente Christo surgunt, &, serò licèt foret, mox Hierosolymam redeunt boni nuntii; cor, linguam, oculos, pedes, corpus totum consecraturi caritati in Christum, & proximos.

Operemur ex caritate. *Plerumque*, inquit Greg 7. Mor 7. *ad nos verba Dei non sunt dictorum sonitus, sed effectus operationum: in eo enim nobis loquitur, quod erga nos tacitus operatur. Et nos diligamus opere, & veritate. Spiritum nobis Domine tuæ caritatis infunde*: fac ut ardeat cor nostrum.

DOMINICA QUASIMODO.

THEMA. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas.* Joan. 20.

Causæ servatorum à Christo vulnerum captantur Ind. 2 Conc Quadr. lib 1.

THEMA aliud. *Alleluia, Alleluia, Alleluia.*

Vide eumdem Indicem, & Excursum ad cap. 13.

THEMA tertium. *Noli esse incredulus.* Joan. 20.

Ex immortalitate animorum rectè conficitur resurrectio corporum. Excursu 1 ad cap. 12. hujus libri.

THEMA quartum. *Gavisi sunt discipuli, viso Domino.* Ibid.

Hæc *Dominica* vocatur in *Albis*, primùm, quia baptizati in Pascha, erant octiduo candidati, hic dies postremus: deinde, quia Angeli visi sunt in albis, hæc est dies octava apparitionis: tum, quia Christiani per hoc tempus dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni: denique, quia *discipuli gavisi sunt* hodie *viso Domino*, & color albus est gaudii, ideoque Ecclesia jam albis induitur. Gaudium Christianorum de Dei & Christi gloria, de bono virtutis in hac vita, de spe alterius vitæ esse debet.

DOMINICA II. POST PASCHA.

THEMA. *Unum ovile.* Joan. 10.

Unitas Ecclesiæ. Exc. ad cap. 1. lib. 2. sect. 8. Pertinet hæc materia ad mores simul, ac fidem.

THEMA alterum. *Pastor bonus.* Ibid.

Christus Pastor. Exc. ad cap. 5. lib. 2. sect. 10. usque ad num 15.

THEMA tertium. *Cognosco oves meas.* Ibid.

Christus pater-familias, & de cura patris-familias. Exc. eodem sect. 9. Quilibet, sensuum suorum pastor, & rector est. Quam in rem eleganter ait Philo lib. de Agricultura: *Agricolam aliud esse, quàm terra operatorem: in illo enim scientiam, & rationem operis, significari. Item Pastorem, & pecuarium differre, quòd hic regatur magis à pecudibus, quàm eas regat: Pastorem esse, qui regat sensus suos; pecuarium, qui eos ingurgitet.*

DOMINICA III. POST PASCHA.

THEMA. *Quid est hoc, quod dicit, modicum?* Joan. 16.

De vitæ hujus modico, Excursu ad c. 10. l. 1 sect. 5.

THEMA alterum. *Videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Ib.

Evangelium hodiernum pars est longissimæ, & suavissimæ concionis, à Christo his verbis cœptæ, *Non turbetur cor vestrum*; istis clausæ, *Confidite, ego vici mundum.* Solatio Apostolorum isthæc Christus protulit, solatio nostro Ecclesia prælegi jubet festis & Dominicis post Pascha, velut dulcissimum Patris nostri testamentum. Videamus modò, quâ ratione Christus amicos consoletur. Ave.

Illud verum, & solum est gaudium, inquit Bernardus, *quod non de creatura, sed de creatore percipitur, & quod cùm possederis nemo tollet à te: cui comparata omnis aliunde jucunditas mæror est, omnis suavitas dolor est.* Audio Bernarde, sed non satis intelligo. Numquid enim gaudium spirituale in hac vita, ita plenum ac purum esse potest, ut numquam tollatur, & nihil amaritiei habeat intermistum? Quærit D. Thomas 2. 2 q 28. *Utrum gaudium spirituale habeat admistam tristitiam?* Deinde quærit, *Utrum hic impleri possit gaudium spirituale?* Ad priorem quæstionem, dicit, de bono Dei secundùm se non posse esse tristitiam: esse posse, secundùm quod à nobis participatur. Ad alteram quæstionem, plenitudines duas gaudii distinguit; unam, ex parte rei, seu objecti; alteram, ex parte gaudentis: illam semper esse, hanc non item, quamdiu in ista misera vita versamur, ubi nondum bonum omne possidetur, & illud ipsum quod possidetur amitti potest.

Habet ergo hujus vitæ lætitia omnis, quantumvis spiritualis, vel misturam aliquam tristitiæ, vel conjunctionem, vel consecutionem: est tibi dominus tanta, quantam ait Bernardus, ut ea illius comparatione alia gaudia nihil sint, &, quod caput est, ab invito auferri non possit. Sed hoc melius in Evangelicis Christi verbis spectabimus: ubi primùm Apostolis mala patienda proponuntur; dein bona malis istis subsecutura.

Mala Christus non simplice vice, & sententiâ proponit; sed sex loquendi formulis efficacibus inculcat. *Modicum*, inquit, *& non videbitis me.* Vale filiis dico parens optimus, cujus discessus tantum doloris afferat necesse est, quantum præsentia gaudii dedit. *Domine, quò ibimus, quia verba vitæ æternæ habes?*

Neque ad breve tempus discedo, sed *Vado ad Patrem*: nec me deinceps, nisi modico Ascensionem meam inter & Resurrectionem tempore, videbitis: per intervalla rara spectabor etiam interdum à vobis: manebo item invisibilis vobiscum in Ven. Sacramento, usque ad consummationem sæculi. Sed præsentiâ illâ familiari, & continuâ, non fruemini ampliùs, vitæ vestræ mortalis tempore. Act. 20. Milesii procumbunt super collum Pauli, dolentes maximè in verbo, quod dixerat, quod amplius faciem ejus visuri non essent.

Nec solùm bono præsentiæ meæ carebitis: verùm etiam ingruentibus malis fatigabimini, *Plorabitis & flebitis vos*, κλαύσετε, καὶ θρηνήσετε: plorabitis peccata vestra, flebitis aliena, gemetis inter persecutiones Judæorum, Paganorum, impiorum omnis generis ac gentis: sicut enim misit me Pater, & ego mittam vos.

Et, quò doleat magis, vobis threnos & lamentationes edentibus, *mundus gaudebit.* Comparatio mali sui cum alieno bono valdè affligit: multò magis comparatio cum bono inimici. Chrysostomus hom. *Quod nemo laditur*, existimat, summum Lazari dolorem fuisse ex vicinia divitis epulantis. Nonnulli putant, Epulonis cruciatum non minimum fuisse, à conspectu Lazari quiescentis in Abrahæ sinu, & idcirco petiisse ad se mitti, ut in sinu illo amplius non esset. Quàm cruciavit Amanum fælicem prosperitas Mardochæi: quantò magis infælicem suspendio damnatum? Zelant boni super iniquos, dum pacem peccatorum vident: non zelabunt Apostoli videntes Caipham, Annam, Herodem Agrippam, &c. florentes adhuc multis post Deicidium annis?

Vos verò, illis gaudentibus, *contristabimini.* Tristitia vestra ejusmodi non erit, ut ploratu & lamentatione evanescat; sed alta, & cordi infixa. Poteritis omnes dicere, quod vobis adjunctus Paullus, *continuus dolor cordis meo*, quando circuibitis *egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.*

Et

Et quò faciliùs intelligatis, cujusmodi tristitia vestra sit futura, quàm certa, inevitabilis, nota, juncta timoribus, videte qualem *mulier, dum parit, tristitiam habet*. Solet Scriptura magnos dolores illâ comparatione exprimere: *ibi dolores, ut parturientis*, &c.

En primam consolationis, à Christo Apostolis datæ, particulam: miram sanè ac novam. Supplicio afficiendis subtrahimus adspectus gladii: ægris delicatis medicamenta sacchar o condiuntur, aut inscîis præbentur. Christus Apostolis, mala imminentia ignorantibus, enuntiat illa, & exaggerat, iterum atque iterum, & sexies. Quibus ambagibus homines utuntur, ut mortem vel damna nuntient! Omnis homo primùm bonum vinum ponit, deinde quod deterius est: sed Christus servat bonum vinum usque adhuc. Meliora sunt vulnera ibius amici, quàm oscula inimici.

Sed ne Apostoli nimiùm terreantur, & virtutem exhorreant, quasi prorsus insuavem: Christus totidem loquendi formulis mala lenit, quot modis illa exaggeravit.

Modicum sunt mala temporalia: seu ratione rei, quia bona temporalia parvi sunt, neque eorum privatio pluris est: seu ratione durationis, quæ utique hac vitâ longior non est. *Momentaneum, & leve tribulationis nostra*, inquit Paulus.

Addit Christus, *Tristitia vestra vertetur in gaudium*. Non dicit, omnis tristitia, sed *vestra*: sunt enim tristitiæ odii, rancoris, invidiæ &c. quæ in tristitiam aliam majorem vertuntur, ut accidit malo latroni. Sed *vestra*, erit sicut *qui seminant in lacrymis, & in exultatione metent*.

Ea mutatio explicatur à Christo similitudine gaudii, quo perfunditur mater, *cùm peperit puerum*, filium: oblivicitur enim omnium retro dolorum, præsertim, si natus est filius. Vide Gen. 35 quid dictum Racheli; & nurui Heli 1. Reg 4. Fæminæ, Christus novit dolores vestros. Filii, scit Christus quantum matribus debeatis. Christiani, videt Christus mala vestra, & eorum finem. Confidite spectanti, amanti, experto.

Iterum, inquit, *videbo vos*, de cælo faventibus oculis, de proximo auxiliantibus gratiis. *Et dignum ducis, Christe, super hujuscemodi aperire oculos* misericordiæ? *In hilaritate vultûs Regis vita*: vita Hesther fuit benignus Assueri aspectus. Quid nobis Christi videntis, probantis, juvantis intuitus!

Gaudebit cor vestrum, non labia, oculi, os. Gaudia terrena hærent in extimis: *Donec impleatur os tuum risu*, inquit Baldad Job. c. 8. *& labia tua jubilo*. Quis Hestherem non dicat fælicem, in Regio amore, & apparatu? Illa tamen cap 14 Deo ait, *Tu scis, Domine, . . . quòd numquam lætata sit ancilla tua &c.* Febres sunt internæ quædam, in corpore externo temperato, apud Gal. in 6 Hippocr. Sic erat istius Reginæ cor inter externa, sed falsa gaudia. Prodigo reduci, & in gratiam recepto, pater jubet annulum dari, gaudii signum; quia, ut aiunt, annulari digito consensus est cum corde. Itaque audimus mox symphonia, & melior dies una super millia, quia *dedisti lætitiam in corde meo*.

Et gaudium vestrum, inquit, *nemo tollet à vobis*: non Caïphas, non Pilatus &c non inferi ipsi. O quanti solatii vox illa est! Gaudia de rebus temporalibus vana sunt, facillimè tolluntur. August. in ps 144 *De quocumque tali bono gaudeas, transiturum est. Si gaudeas in Domino Deo tuo, tantò firmiùs gaudebis; quantò ille certior est, in quo gaudebis. Si enim gaudes de nummo, times furem: si autem gaudes de Deo, quid times? Ne tibi quisquam auferat Deum? Deum nemo tibi auferet; si eum tu non dimiseris.* Idem serm 2 in ps. 48 expendit piè isthæc Paulli, *Quasi tristes, semper autem gaudentes. Tristitia nostra habet quasi, quia sicut somnium transiet. Qui somnium indicat, addit quasi. Quasi dicebam, quasi loquebar, quasi prandebam, quasi equitabam, quasi disputabam. Totum quasi, quia, cùm evigilaveris, non invenis quod videbas. Gaudium nostrum non habet quasi, quia in spe certa est: non dicit Apostolus, Quasi gaudentes, sed, semper gaudentes*

Nil superest, nisi ut discamus, ad quos solidissima illa consolatio spectet. Ad illos proculdubio, qui non sunt de mundo, id est mundanis affixi, sed qui mundo lætante tristantur. *Mundus*, inquit Christus, *gaudebit: vos verò contristabimini.* Itaque, *in noctibus extollite manus vestras in sancta*, in calamitatibus *benedicite Dominum*, & *dicite justo, Quoniam benè, quoniam fructum adinventionum suarum comedet*.

THEMA tertium. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Ibid.

Augustinus eam sententiam de alterius vitæ gaudio intelligit, quod non tolletur, quia erit æternum. Numquam in illa vita deerit objectum gaudii, nec potentia, neque amor, nec præsentia objecti cum potentia: ergo numquam desinet gaudium.

Mihi videbatur illa sententia etiam de hujus vitæ gaudio intelligi posse: interiore scilicet illo, & solido. Ad hoc probandum statuendæ tres veritates, ex eodem ipso præsertim Augustino: Viro probo non nocere quælibet, & quantalibet mala: imò prodesse: &, quod caput est, pignus bonorum æternorum afferre. Vide Exc. 3 ad c. 2. lib. 1.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

THEMA. *Vado ad eum, qui misit me.* Joan. 16.

Christus legatus Patris: Christianus legatus Christi. Habes abunde materiæ lib. 2. Exc. ad cap 5 sect. 13.

THEMA alterum. *Tristitia implevit cor vestrum.* Ib.

Tam læto tempore Paschali, Ecclesia nobis curat prælegendum Cypriani tractatum de Patientia, Jobi epistolam, ubi patientia commendatur; Evangelium, in quo etiam patientiæ utilitas indicatur. Et nos ad mentem Ecclesiæ dicamus, Infælicissimum esse Christianum, qui infælix non est.

Quidni id dicamus, cùm Philosophi ipsi, & quidem de Cynicorum grege, generatim de quolibet homine id pronuntiàrint? *Inter multa magnifica Demetrii nostri, & hæc vox est, à qua recens sum. Sonat adhuc, & vibrat, in auribus meis. Nihil, inquit, mihi videtur infælicius eo, cui nihil evênit adversi: non enim licuit illi se experiri.* En ipsissimam propositionem nostram, ejusque probationem: quam Seneca libro de Prov. refert, ornatque more suo perelegantibus similitudinibus: *Quem specularia semper ab afflatu vindicârunt, cujus pedes inter fomenta subinde mutata tepuerunt, cujus cœnationes subditus & parietibus infusus calor temperavit; hunc levis aura non sine periculo stringet. Cùm omnia, quæ excesserunt modum, noceant; periculosissima felicitatis intemperantia est, . . . Contemptum periculorum assiduitas periclitandi dabit. Sic sunt nautici corpora ferendo mari dura: agricolis, manus trita: ad excutienda tela, militares lacerti valide: agilia sunt membra cursoribus. Id in quoque solidissimum est, quod exercent . . . Non est arbor solida nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat: ipsâ enim vexatione constringitur, & altiùs radices figit. Fragiles sunt, quæ in aprica valle creverunt . . . Semper esse fælicem, & sine morsu animi transire vitam, ignorare est rerum naturæ alteram partem. Magnus es vir: sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis? Descendisti ad Olympia: sed nemo præter te. Coronam habes, victoriam non habes.*

Absolvisse videmur propositionis nostræ probationem Senecæ verbis: sed præludimus tantùm. Aliter longè, ac solidiùs probanda nobis est, primùm Christianâ ratiocinatione, dein auctoritate Christianis irrefragabili.

Ut sciamus, quis sit infælicissimus; sciendum priùs, quis sit infælix: neque hoc ipsum sciemus, nisi ante didicerimus, quis sit fælix. Infælicitas enim est privatio fælicitatis: privatio autem ex formæ, quam tollit, cognitione noscitur.

Quæ ergo est hominis fælicitas in hac vita, Christianâ æstimatione? An vires, quas Nemroth habuit: an divitiæ, quas *caput aureum* Nabuchodonosor: an potentia, quam Alexander: an pulchritudo, quam Jezabel: an sanitas, & vita longa, quâ corvus Paulli eremitæ nutritius ipsum superavit? Audiatur Chrysostomus ea de re, in aureo libellulo *Quòd nemo læditur nisi à seipso*. Ista, inquis, nimis Stoica ratiocinatio est. Neque enim nihil boni & expetendi habet sanitas, quam desideravit Ezechias, &c.

Demittamus ergo nos ad familiariorem sentiendi, ac loquendi, modum, cum Augustino lib. 2. de lib. arb. c. 19. *Virtutes, quibus rectè vivitur, magna bona sunt. Species autem corporum quorumlibet, sine quibus rectè vivi potest, minima bona sunt. Potentiæ verò animi, sine quibus rectè vivi non potest, media bona sunt. Magis laudanda est bonitas ejus, Dei, in magnis, quàm in mediis, & magis in mediis, quàm in minimis, bonis: sed magis in omnibus, quam si non omnia tribuisset.*

Hoc jam dico: Christianum, qui minima bona interdum non amittit, infælicissimum esse suapte fælicitate: quia virtutibus, quæ magna bona sunt, vel caret omnino, vel partim tantùm illas habet.

At quo istud pacto novimus? Quia Deus sese erga homines probos habet, ut imperator erga militem cui fidit, magister erga discipulum provectum. Quia Deus *non blandè lavare* suos solet, ut ait Ludovicus Blosius, sed immergere. Quia *si possides amicum*, ut ait Siracides, *in tentatione* possides illum, & experiris. Quia *si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum*.

ut ait Aug. Deus dicit nobis, quod Jacobo Isaacus, *Accede, ut tangam te, fili mi, & probem, utrùm tu sis filius meus*

Per sacramenta Christiana in sortem filiorum Dei adlegimur, *ad quorum celebrationem utimur sensibilibus rebus*, inquit Aug. ep. 119. ad Janua. *aquâ, frumento, vino, oleo.* Quanta vi oleum prælo, vinum torculari, exprimitur? Quotis sationum, triturationum, subactionum, molestiis panis conficitur! Calamitates itaque istis Sacramentorum materiis, uti & aquâ significantur, ac balsamo: atque adeò vel sic innuitur, adoptionem filiorum Dei per calamitatum experimenta fieri.

Clariori auctoritate vultis id probari? *Quos præscivit*, inquit Paullus Rom. 8. *& prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Quæ autem imago Christi fuit totâ mortali vitâ? Sed, ne de ista explicatione conformationis cum Christo quis dubitet, apertissimè, & iteratò pronuntiat Heb. 12. *Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Christus ipse Apoc. cap. 3. disertissimè ait, *Ego, quos amo, arguo, & castigo.* Locustarum stygiarum plagâ Apoc. cap. 7. illi tantùm vexantur, *qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Ezechielis cap. 9. signo *Tau*, id est signo crucis, notantur frontes virorum gementium.

Denique in Christiana lege verissimum est, quod ante Christum fortissima vidua affirmavit historiæ suæ cap. 8. *Omnes, qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt Fideles.* Vel primos Christi discipulos in hodierno Evangelio spectemus: quorum *cor implevit tristitia* quibus Paracletus promittitur, sed qui *arguet mundum*, qui *annuntiabit ventura*, in his calamitates.

Probatum igitur est, quod posueramus: atque adeò non mirandum, quod de D. Ambrosio narratur; cùm ad locupletem hominem divertisset, petiissetque, qui omnia se haberent, intellecto, numquam ipsum expertum miserias, mox ab illo abscessisse, quia Dei amicus non esset.

Quare tu, Christiane, *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*, ut experiare an sis filius Dei. Et quò faciliùs patiare infœlicitatem, id est privationem bonorum mundanorum, ea contemne, & dic cum Diogone Ostiensi. *Ne pluas super nos coturnices, Domine, desideriorum carnis nostræ, quæ nonnisi duobus cubitis levantur à terra, quia non attingunt dona Spiritûs sancti.*

THEMA tertium. *Expedit vobis, ut ego vadam.* Ib.

Augustinus lib. 83 quæst. q. 82 expendens istud Sapientis Prov. 3. *Quem diligit Dominus, corripit, & quasi Pater in filio complacet sibi.* Post varias rationes allatas istius divini decreti: *Nulla*, inquit, *caussa probabilior occurrit, cur justi homines laborent plerumque in hac vita, nisi, quia hoc eis expedit.* Non dicit, honorificum est probis pati, sicut fuit Mosi, quem Deus *magnificavit in timore inimicorum* Eccl. 45. Non dicit, *oportet*, quo verbo utebantur Paullus & Barnabas Act. 14. *exhortantes, ut permanerent in fide, & quoniam per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorum.* Non dicit, jucundum est, ut aiebat Psalmista, *secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Sed dicit hoc solum, ipso verbo utens, quo Christus hodie, *Expedit* &c.

Super eo verbo veritatem duplicem pono: *Expedit* aliquando amicis Dei, solatia & lætitias temporales perdere, ut Spiritûs sancti gratiæ affluentiùs cumulentur: imò expedit interdum illas perdere, ne Spiritum sanctum omnino perdant.

Difficultas aliqua est in ea Christi sententia: nam quibus *expedit*, quia discessurus est? Major etiam difficultas est in sententiæ ratione: *nisi enim abiero, Paracletus non veniet ad vos.* An Persona una cum alia manere non potest? Imò numquid separari possunt? Nonne celebrata est Theologis circuminsessio Personarum, quam Damascenus lib. 1. de fide cap. 11. περιχώρησιν appellat? Nonne verissimè dixit Vincentius Lirinensis. *In Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud. In Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius?* Verissimum est istud Augustini lib. 6 de Trin. sub finem: *In summa Trinitate tantum est una, quantum tres simul: nec plus sunt aliquid duæ, quàm una, & in se infinita sunt. Ita & singula sunt in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia.*

Enodandis istis difficultatibus, hoc solum sufficit; Christum Paracliti venturi nomine intelligere, non ipsam Spiritûs S. Personam, sed ejus dona. At cur ea dona dari Apostolis non poterant, Christo præsente? Quia nondum mortuus erat Christus, inquiunt quidam. Sed nonne ante mortem Christi plena fuit Spiritu sancto Elisabeth, Joannes, &c? Quia, inquiunt Acatholici, docere voluit Christus abolendas cæremonias omnes, & carnales ritus, Paracleto adveniente. Sed nonne Christus post mortem insufflavit: nonne Spiritus sanctus advênit in vento, igni, linguis, nonne Apostoli postmodum usi impositione manuum, oleo &c?

Vera, & communis responsio est, Apostolorum dilectionem erga Christum fuisse valdè imperfectam, in commodis, honore, suavitate ferè fundatam: idcirco expedisse, ut Christus discederet, daretque locum amori magis spirituali. Sic etiam explicat Augustinus tract. 94. in Joan. Postquam enim dixit, consentaneum fuisse, ut Christus magister Apostolorum abscederet, quando non venturus erat Paracletus, a quo Apostoli magistri erant creandi: istam demum affert rationem literalem, quòd Apostoli nimis sensibus ducerentur, & Christum amarent non satis spiritualiter, ex dulci & amica consuetudine. Idem censent Greg. Bern. &c.

Advertamus hic mores Providentiæ divinæ, amicis suis ea ipsa subtrahere solitæ, quibus mens illorum valdè afficitur, & implicatur. Ex decem actibus solennibus, sine oppositione iteratis, fit consuetudo: duodecim acta Providentiæ adduxisse sufficiet, ad eam consuetudinem probandam. Dilectus Adamo & Evæ Abel occiditur: Isaacus ab Abrahamo jubetur occidi: Josephum perdit Jacob: ac à patre dilecto adolescens Josephus avellitur: timor, quem timebat Jobus, ei accidit: desideratam terram Moses non intrat: Anna sterilitatem diu pati cogitur: David filium Bethsabee amittit: Sonamitidi moritur proles miraculo data: Ezechiæ vita ante sobolem, de qua Messias oriri posset, periclitatur: Lazarus Magdalenæ tollitur: Christus Matri. Videt Christus suum discipulum opibus & dignitatibus nimis affici: *Expedit, ut ego vadam*, & istæ abeant. Videt discipulam suam formâ nimis delectari, affectibus, conversatione &c. *Expedit* &c. Alioqui *Paracletus non veniet*, abundantia gratiarum non affluet.

Imò periculum erit, ne Spiritum sanctum prorsus amittatis. Comam suam nimis amat Absalon: pro laqueo ipsi est. *Cadunt à latere* sinistro *mille, decem millia à dextris*: quia, ut ait Bernardus, *multò plures prosperitatis fallacia, quàm adversitatis flagella dejiciunt.* Itaque dæmon, *qui in apertis inefficax persecutionibus fuit, tectâ nocendi arte desævit: ut, quos non perculit ictu afflictionis, lapsu dejiciat voluptatis.* Postulat Elisæus duplicem Eliæ spiritum; quia favore Regum erat usurus, atque adeo periculosiori, quàm Elias, fortunâ, inquit Auctor lib. de mirab. Scripturæ. Non vides Davides, Salomones, Joas, Ozias prosperâ fortunâ dementatos? Non alios spectas innumeros? Quocum experientia Boethii philosophia edocta, pronuntiat lib. 2. prof. ult. *Plus hominibus reor adversam, quàm prosperam prodesse fortunam.* In horto Susanna periclitatur, in judicio absolvitur. In aula Hebræi tres pueri tentantur, in busto securi. Itaque quidquid nobis à Deo evenit, non dubitemus quin nobis expediat, quantumvis adversum: dicamusque cum ipso, *Ego vadam* viâ virtutis, per quælibet obstantia.

THEMA idem.

Tristitia, & calamitates, cum baptismo comparantur lib. 1. Exc. 1. ad cap. 12. sect. 1. num. ultimo satis explicatè.

THEMA quintum. *Adhuc multa habeo vobis dicere.* Ibid.

De hac sententia Augustinus tres habet Tractatus. Tract. 97. ait, hæreticos omnes, qui immunda suos docuerunt, eâ Christi sententiâ conatos *figmenta sua colorare.* Duas res nos hinc discamus. Ecclesia hodierna qualis sit in comparatione primitivæ; & qualis esse debeat prudentia concionatoris!

Ad primam quæstionem, disceptandæ quæstiunculæ quatuor. 1. An nunc eadem Ecclesia, quæ olim? Est, quia immobilis petra; quia portæ inferi non prævaleant; quia Christus promisit, adfuturum se, *usque ad consummationem sæculi.* 2. In quibus est eadem? In essentialibus fidei, & Sacramentorum: & in proprietatibus, quod una, sancta, Cath. Apost. 3. In quibus diversa? In accidentalibus, cæremoniis exterioribus, ritibus, modo docendi, virtutibus: sicut idem homo senex est, qui fuit puer. Vide Exc. 1. ad c. 1. l. 2. sect. 1 num. 18. Vincentii Lir. sententiam. 4. In quibus Ecclesia hodierna præcellit? Quòd cultus Dei sit splendidior, liberior, diffusior: quòd materiæ fidei passim dilucidiores; etsi enim Apostolos credibile est ea omnia edoctos à Paracleto, quæ postmodùm definienda erant, alii tamen nescivêre: quòd Theologia, & aliæ scientiæ, ad fidei adminiculum, sunt clariores; Paracletus enim, ut ait Augustinus lib. 1. actorum cum Fælice Manichæo, Apostolos fecit *Christianos, non Mathematicos*, nec Theologos scholasticos, aut philosophos; non docuit *omnem veritatem* absolutè, sed tunc necessariam aut utilem. 5. In quibus Ecclesia primitiva præcellit? In

cantate,

caritate, castitate, eleemosyna, vigore disciplinæ, &c.

Plus ergo scimus modò: minùs volumus, & facimus; sicut senex plus scit, minùs potest, quàm cùm erat juvenis. Unde iste defectus in Ecclesia? Primum, vino mortalitatis, ita defluunt sanctissimæ religiosorum familiæ, nisi &c. Deinde, culpâ Prælatorum, nimis torpidorum, arcanus non invigilantium. Denique, culpâ Concionatorum, nimis timidorum, adulatorum, indoctorum, qui sine caussa portant gladium Spiritûs, quod est verbum Dei: qui, ut Tertullianus l. de Pudic. ait de S. Paullo, *districtam aciem machæræ spiritalis* gestant, sed otiosam.

An ergo passim in vitia invehendum? Nonne dispiciendum, an auditor *possit portare modò?* Plane hoc dispiciendum est, uti in medicamentis, quæ data tempore prosunt. Consideret concionator primùm, quando, & quomodò curandis vitiosis, & absterrendis probis, malos mores exagitare expediat: tum, quænam vitia sigillatim describenda sint, nam sunt quæ honestè non possum vel accusari. Si tempus, & res, postulans; Concionator non sit canis mutus, neque excubitor somnolentus, ne de Ecclesiæ detrimento teneatur.

DOMINICA V. POST PASCHA, ET FERIIS ROGATIONUM.

THEMA. *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Joan 16.

Orationis efficacia. Exc. 2. ad cap. 3. lib. 1. sect. 1. totâ. Cur sæpe sint inefficaces: ib. sect. 2.

THEMA idem.

De Litaniis, & Rogationibus Exc. ad c. 3. l. 2. sect. 7.

THEMA tertium. *Usque modò, non petistis quidquam.* Ibidem.

Materia orationis. Exc. 2. ad c. 3. lib. 1. sect. 5.

THEMA quartum. *Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Ibid.

Finis orationis. Exc. eodem lib. 1. sect. 4.

THEMA quintum. *Vos me amâstis.* Ibid.

Caussa efficiens orationis quæ esse debeat. Ib. sect. 3.

De oratione præterea materiæ multum suggerent iidem Excursus, ad capita tertia utriusque libri. Themata offeret Evangelium Rogationum; & Evangelium Vigiliæ Ascensionis, in quo notanda hæc tria Christi officia, quæ etiam sunt officia Christiani, præsertim patris familias, *Ego te clarificavi super terram; Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam, Rogo pro his, quos dedisti mihi.*

THEMA sextum. *Ipse Pater amat vos, quia vos me amâstis.* Ibid.

Vocem jucunditatis annuntiate, & audiatur. Quid illa voce Evangelica jucundius? Neque enim solis Apostolis convenit, sed & nobis, ut videbimus afflante Spiritu amoris, juvante Matre dilectionis. Ave.

Quando dicimus à Deo amari creaturam, plus amari misericordem &c. peccatorem non amari; amorem denuo accendi erga pœnitentem, &c. cavendum est, ne nobis imaginemur aliquas in Deo mutationes voluntatis. In nobis fiunt, quando amare vel odisse incipimus. In Deo nulla est mutatio: semper amat, quod amabile est, honestum: semper odit, quod odibile est, peccatum. Amare ergo Dei erga hominem, est ei infundere gratiam; plus amare, dare plus gratiæ; non amare, gratiam subtrahere; amorem redintegrare, gratiam amissam homini reddere. Istud plebi non inutiliter dicetur, ut melius intelligat quæstiones duas: primam, quomodò amor noster possit esse caussa amoris divini erga nos, alteram, qualiter amandus sit nobis Deus, ut ab ipso amemur.

Quia, istud nostri thematis, posset fòrsan sumi caussaliter, sicut in illo, *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum:* id est, ut quidam explicant, ideo peccatrix dilexit, quia ipsi remissa sunt peccata. Sic in themate nostro intelligi posse videretur, ideò Apostolis fuisse amatum Christum, quia Pater eos amavit. Sed certum est ex antecedentibus, hoc loco istud, *quia*, debere in proprio sensu sumi: consolatur enim Christus Apostolos, & rationem affert, cur Deo confidere debeant.

Itaque difficultas aliqua est in ejus sententiæ explicatione. Nam, quo pacto amor Apostolorum caussa est amoris divini: cùm hic potiùs sit caussa illius? Possumúsne amare Deum supernaturaliter, nisi à Deo præmoveamur? Discipulus dilectus, & diligens 1. ep. 4. cap. *Non quasi dilexerimus eum, sed ipse prior dilexit nos.* Christus Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus cælestis traxerit eum:* quam sententiam eleganter explicat August. tract. 28. in Joan. similitudine opilionis trahentis ovem, nucum puerum: adde, pullos perdicum clamore matris excitari, conchas sole percussas ut accipiant rorem &c. ita nos excitari ad accipiendum Dei amorem. Quâ ergo ratione amor noster caussa erit caussæ suæ, & præcedet semetipsum?

Difficultati respondendum, 1. gratiam primam esse à Deo, non à nobis: Aug. lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Non, ut ferveat, calefacit ignis, sed quia fervet: nec ideò benè currit rota, ut rotunda sit, sed quia rotunda est: sic nemo propterea benè operatur, ut accipiat gratiam*, primam scilicet, *sed quia accepit.* 2. Cooperari primæ gratiæ, eamve rejicere, in nostra potestate est. Irresistibilem Catholicus nemo dixerit: nemo, qui libertatem & meritum noverit. 3. Cooperatur homo gratiæ, ut discipulus pictoris & scriptoris magistri sui manui, illius manum apprehendentis & ducentis: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* August. q. 15. in Deut. notat, Deut. 10. significari scriptas a Deo tabulas; Exodi 34. indicari scriptas a Mose, ut significetur, quod ait Apostolus, Deus est, qui operatur in nobis & velle & operari. 4. Voluntas humana disponit se ad majores gratias accipiendas, accipiendo primam & ei cooperando. Semi-apertâ fenestrâ sol te illuminat, & excitat, ut totam patefacias, & plus lucis accipias. Alauda Solis radiis excitatur ad assurgendum, & quo plus assurgit, eò vicinior Soli fit, & magis excitatur. Hirundinem apodem ventus elevat; obsecundantem, & evolantem, juvat magis ac magis. Viatores, ad silvæ oram obdormiscentes, Sol devexus, lumine suo expergefacit: quidam respuunt lumen, & jacere pergunt: alii exsurgunt, & lumine continuato utuntur, donec ad hospitium venerint.

Jam satis, opinor, intellectum est quomodò verum sit, *Vos me amâstis, quia ipse Pater amat vos:* & simul istud, *Ipse Pater amat vos, quia vos me amâstis.* Præamare Dei, est dare gratias actuales excitantes: postamare, est dare gratiam habitualem, eamque augere, & simul gratias actuales.

Modum exspectamus amandi Christi, ut conciliemus nobis amorem Patris. Si de conciliando Principis alicujus favore ageretur, multis præceptis opus foret. August. l. 7. Conf. *In palatio quid non fragile, plenumque periculis*, &c. At pro Deo demerendo Paullum ausculta, veterem aulicum Rom. 10. *Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum?... Quid dicit Scriptura? Iuxta te est sermo valdè, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias*, Deut. 30.

In corde tuo est, quo ames Christum: eum ama, & amabit te Deus. Amabant illum Apostoli imperfectè, inconstanter, inefficaciter: nihilominus dicit Christus, *Ipse Pater* &c. Quid ergo te torques, Christiane? Gen. 28. Jacob visa scalâ, *tulit lapidem, fundens oleum:* non erexit obeliscum, non struxit templum in tanti beneficii memoriam: dedit quod habuit, & placuit. Si agnum non habes, quem offeras, da par columbarum, quod inveniet manus tua, & sufficit. Mulier peccatrix crines suos tergendis Christi pedibus impendit, non sericum. Triumphali ingressui Christi sternunt vestimenta sua Apostoli, & turbæ ramos arborum, non tapetia.

Audite hæc omnes gentes ... simul in unum dives, & pauper. Deo gratias agite, quòd ipse vos præveniat in benedictionibus dulcedinis, & ad se amandum excitet. Deo confidite, tam bono, ut obsequia vestra quantulacumque dignetur accipere: tantùm si sic comparati animitus estis, ut mori malitis, quàm eum graviter offendere. *Iam sic, ô bone Pater*, cum Bernardo loquimur ep. 107. *vermis vilissimus, & odio dignissimus sempiterno, tamen confidit amari, quia se sentit amare: imò, quia se amari præsentit, non redamare confunditur. Amat proinde non immeritò, quia amatus est sine merito: amat sine fine, quia sine principio se cognoscit amatum*, &c.

DIE ASCENSIONIS.

THEMA. *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël?* Act. 1.

Quoruplicitèr regnum verum Israëli Christus per Ascensionem restituerit, vide Exc. ad cap. 5. lib. 2. sect. 14. usque ad num. 13.

THEMA alterum. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit.* Eph. 4.

Quò, & quà ascendendum. Ib. à num. 13. ad 20.

THEMA tertium. *IESVS assumptus est, & sedet à dextris Dei.* Mar. ult.

De sessione Christi, & nostrâ. Ib. à num. 20. ad 26.

THEMA quartum. *Non est vestrum nosse tempora.* Act. 1.

A Providentia divina pendendum, Tract. de bo. volunt. ad lib. 1. caput 14. p. 2. sect. 3.

DOMINICA INTRA OCT. ASCENS.

THEMA. *Reminiscamini quia ego dixi vobis.* Joan 15. Prævidenda mala. Eodem tract. parte, & sectione, num. ult. Habetur item lib. 2. cap. 5. ad vers. 37. & cap. 6. ad v. 46.

THEMA alterum. *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Ibid.

Excursu ad cap. 9. lib. 2. sect. 3. numero 1. deinde decimo usque ad finem, habetur, quomodò Apostoli Christo testimonium perhibuerint, quomodo & nos perhibere debeamus.

THEMA tertium. *Spiritus veritatis.* Ibid.

Cur Spiritus sanctus dicatur a Christo Spiritus veritatis, vide Excursu 2. ad cap. 2. lib. 2. sect. 1. a num. 12. vel 13. ad finem.

PENTECOSTE, ET FERIIS.

THEMA. *Paraclitus.* Joan 14. De nomine & officio Paracleti, habes Exc. 2. ad cap. 1. lib. 2. sect. 2.

THEMA alterum. *Spiritus sanctus.* Ibid.

Cur Spiritus vocetur? Ibid. sect. 3.

THEMA idem.

Cur sanctitas tribuatur Spiritui sancto, vide parte sectionis quintæ, eodem Excursu.

THEMA quartum. *Factus est repentè de cælo sonus, tamquam advenientis spiritûs vehementis.* Act. 2.

Cur Spiritus sanctus venit, ejusque vehementiam, figurâ significari voluerit, vide Exc. eodem, sect. 4.

THEMA quintum. *Apparuerunt dispertitæ linguæ, tamquam ignis.* Ibid.

Mysterium linguarum ignearum vide ibid. sect. 1. ad num. 13. Harum materiarum pleræque in binas conciones sufficient, & Pentecoste ac feriis explicari poterunt.

Feria 2. si placuerit de alia materia dicere, sume Thema ex Evangelio Joan 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Caussas admirationis septenas, de isto Dei amore, invenies eo loco benè expositas apud Toletum.

Feria 3. si de Evangelio dicere voles, & auditorio congruet, sume Thema, *Ego sum ostium*, Joan. 10. De simoniaco viro habes lib. 2. cap. 4. ad vers. 8. & c. 5. ad v. 5. &c. Jaroslaus Archiepiscopus Gnesnensis in Polonia, post Ecclesiam suam valdè ornatam, centum annorum senex, & cæcus, paullò ante mortem jussit, in cadaver suum, non per ostium, sed per parietem perrusum in basilicam sepeliendum inferretur, quòd non ritè, neque ordine sese Archiepiscopum factum diceret. Spond. an. 1376. num. 8.

Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus scripsit ad Constantium Imp. Festis Pentecostes, sub horam tertiam, maximam crucem ex lumine, constitutam in cælo, Sole fulgidiorem, apparuisse super montem Golgotham ad montem Olivarum extensam, & pluribus horis conspectam à tota civitate. Baron. an. 353.

DOMINICA TRINITATIS.

THEMA. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Matth. 28.

Materiam luculentam habes Exc. 2. ad c. 1. lib. 2. sect. 5. totâ.

THEMA alterum. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.*

Divinum istud Canticum sæpissimè pronuntiamus, & audimus. Plerumque, in Officio uno horario, quinquagies: vicies, & bis, in Matutino ac Laudibus: in cæteris partibus proportione. Si psalleremus *spiritu*, & *mente*, cum intelligentia, & cum affectu, multum lucri spiritualis facere possemus. Conemur itaque intelligere, ut excitemus affectum: præeunte P. Mazarino nostro in psalmum Miserere; quibusdam ex illo mutuatis, de nostro additis non paucis. His scriptis, reperi à P. Foscarolo nostro peculiarem de hoc argumento editum libellulum.

Excellentia cantici cujuslibet præjudiciis tribus agnoscitur. si in templis præcipuis, vel aulis celebretur, ut cantica Sion: si ab aliquo musico insigni compositum est, puta, Asaph, Idithun, Heman, Davide: si caussa componendi magna fuit, ut victoria de Goliatho, de Philisthæis, aliave, in cantionum verbis expressa.

Cantici de Trinitate excellentia intelligitur primùm, ex aulis sacris & domibus Dei, ubi perpetuò insonat, seu Officium divinum recitetur, seu sacra celebrentur. Deinde, ex auctore, quem, totam communis universalis Ecclesiæ ritu, constat fuisse Spiritum sanctum. sive mos ille in Oriente cæptus transierit inde in Occidentem, commendante id Hieronymo literis ad Damasum Pontificem, quamquam Baronius ad annum 325. eas literas putat esse commentitias: sive in Oriente simul & Occidente invaluerit adversùs Arianos, publicatum in Concilio Nicæno, ut Strabus dicitur censere; & verò constat in Oriente antiphonis subdi solitum, in Occidente psalmis, ex Cass. l. 2. de modo noc. orat. cap. 8. sive ut Baronius loco citato arbitratur, manarit ex Apostolica traditione, magis tamen frequentatum post Synodum Nicænam: sive, ut ego putem, sit de illis, quæ Christus Apostolos docuit post Resurrectionem, edisserens de regno Dei.

Excellentia illius maximè ex materiæ ratione apparebit: cujus partes quatuor sunt, quid detur, cui, cur, quomodo.

Datur *Gloria*, id est *frequens fama cum laude*: commode quidam illam dixere filiam Honoris, & Laudis. Tria in eam, ut solida sit, conveniunt: primum, interior caussa seu fundamentum, deinde exterior, tum utriusque effectus: quæ in hominum ob virtutes, aut scientiam &c. gloriâ, facile est cernere. In Deo, fundamentum interius gloriæ sunt immensitas ejus, bonitas, cætera attributa: exterius, præsentiæ, misericordiæ, justitiæ, &c. opera, unde agnoscitur Deus, & ejus magnitudo: effecta illorum sunt, honor, laus, actio gratiarum, gaudium, zelus pro Deo, in Angelis & hominibus. Cum ergo dicimus *Gloria Patri*, tribuimus Trinitati fundamentum utrumque, & quæ ex fundamentis nascuntur.

Sive enim sic illam indeterminatam propositionem intelligamus, quasi de indicativo *Gloria est Patri* &c. Sive quasi de optativo *Gloria sit*: modo utrovis, est actus excellens amoris Dei. Vel enim gaudium nostrum, & complacentiam indicamus de gloria Dei, quod sincerè amatoris est: vel optamus illi majorem ac majorem, gratiasque illi agimus propter gloriam suam nobis manifestatam, cujus manifestationis consortes esse omnes vellemus, quod etiam est verè diligentis.

Indicatur autem, vel optatur *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, Personis tribus proprio nomine designatis. Cantica multa in sacris Literis sunt, omnia ad divinitatem relata, etiam novi Testamenti tria, Zachariæ, Virginis, Simeonis. Hoc ad Trinitatem disertè refertur, sublimissimum & præcipuum religionis Christianæ mysterium.

Est sublimissimum, quia solâ fide attingi potest. Divinitas, & ejus attributa omnia, instinctu naturæ, scientiâ, fide cognoscuntur: instinctu naturæ ab idiotam periculis Deus unus invocatur, ut advertit Tertull. lib. de test. animæ. scientiâ per demonstrationem ab effectis eum agnovêre philosophi: fides denique accessit scientiæ roborandæ. At Trinitas, etsi ejus vestigia in creaturis impressa sint, neque instinctu agnoscitur, nec scientiâ attingitur, cum Trinitatis opera ad extra sint indivisa: sola fidei lux nobis istud mysterium aperuit, ut vel ob id solum debeamus canere, *Gloria Patri*, &c. Feruntur quidem prisci versus ex oraculo Serapidis, *Principio Deus est, tum Verbum, his Spiritus unus: Congenita hæc tria sunt, cuncta hæc tendentia in unum*: sed Serapidem putamus Josephum Patriarcham fuisse, ideoque illum sic effingi solitum, ut cophinum tritico plenum capite gestaret, ut istius frumentaria præfectura significaretur. Atque adeo istud oraculum de Trinitate Josephus, revelator arcanorum, divinitus didicerit. A Josepho deinceps Ægyptiorum doctores, in his Trismegistus, cujus istud est, *Monas genuit monadem, & in se suum reflexit ardorem*: quod de Trinitate pleríque explicant, alii de unius mundi per unum Deum ad suam gloriam creatione. Feruntur etiam versus Sibyllarum apertè Trinitatem loquentes: sed & ipsæ divinitus fuerunt edoctæ.

Est etiam præcipuum & fundamentale religionis Christianæ mysterium. quia sine illo corruit œconomia Incarnationis Verbi, & Redemptionis, nulloque jam fermè articulo fidei à Judæis & Turcis Christiani distinguuntur. Itaque Ecclesia Christi summo studio laborat, ut illud filiis suis imprimat; in Sacro, crebris variarum vocum & signorum repetitionibus. in Officio, hymnorum omnium clausulis, in assidua Crucis effigiatione in nomine Trinitatis. Christum imitatur Ecclesia, qui in baptismo Sacramentorum fundamento, nos imbui voluit & initiari isto mysterio. Contrà, dæmon per asseclas suos id fundamentum subruere omnimodis conatur. Narrat Spondanus ad annum 1566. tabellas pictas editas in lucem in Polonia à Gregorio Paulli Ariano Semi-Mahumetano, quibus effigies templi exhibebatur, Luthero tectum, Calvino parietes destruente, ipso fundamentum effodiente:

Lutherus

Lutherus enim bona opera, Calvinus Sacramenta disjicere tentârant, ipsi Trinitatem.

At quo impudentius linguæ impiæ adversùs Trinitatis fidem armantur, eò nos altiùs, ut Catholici Antiocheni contra Arianos anno 349. apud Baronium, cantemus *Gloria Patri*, quia pater est immensi Filii, & gloria patris filius sapiens: *Gloria Filio*, quia immensi Patris Filius est, filiorum autem honor incipit à parentibus, ut Tobiæ junioris à seniore: *Gloria Spiritui sancto*, quia à Patre & Filio amatur, & amor est, amari autem vel ab hominibus magnis pro magno æstimatur, ut Aman plurimi faciebat se a Rege & Regina amari.

Gloria Patri, quia pater noster est, & ipsi creatio per appropriationem tribuitur. *Gloria Filio*, quia filius natus est nobis, & ipsi redemptio convenit per proprietatem: *Gloria Spiritui S.* quia sanctificatio nostra ipsi adscribitur.

Quomodò autem divinis Personis gloriam vel vovemus, vel assignamus? *Sicut erat in principio, & nunc, & semper*, &c. Primùm, istud, *in principio*, si sumamus prout in Evangelio Joannis, significabimus nos similem Trinitati gloriam cupere, qualem habuit ab æterno, habetque immutabiliter, intelligentibus inter se, æstimantibus, amantibus infinitè Personis infinitis. Et nos ad Personarum divinarum exemplum conemur illud mysterium non intellectu comprehendere, sed fide intelligere: etsi enim, quo pacto sit Trinitas nesciamus, esse tamen scimus; sicut cæcus baculo pertentans lapidem, scit esse lapidem, etsi nesciat cujus coloris.

Deinde istud *in principio*, potest sumi quemadmodùm initio Genesis: ut agatur de gloria ab Angelis cantata initio creationis, & semper cantanda. Certè Trinitatem ab Angelis laudari constat ex Trisagio Isaiæ, confirmatur ex viso S. Ignatii Antioch. apud historicos Græcos, de spectatis & auditis Angelis, antiphonam primò, tum alternatim laudes Dei, denique Trinitatis glorificationem, canentibus: confirmatur etiam ex eo, quod apud Baronium narratur ex Græcorum tabulis Ecclesiasticis ad annum 446. tempore Theodosii junioris, & Procli Patriarchæ, cum terræmotus quateret Constantinopolim, & fierent orationes publicæ, Imperatore ipso & Patriarcha spectantibus puerum in sublime elatum tam altè, ut videri amplius non posset, paullò pòst in terram depositum dixisse, auditos à se in cælo canentes Angelos, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, trisagio Seraphico aucto titulis, quorum singuli singulis personis respondent.

Denique, *in principio*, accipi potest pro initio Ecclesiæ, cursu, & fine: ut optemus glorificari Trinitatem, quomodò à primis Christianis, quando iste versus cantabatur, profundissimè sese demittentibus, in Oriente etiam sandalia deponentibus: quomodò jam fit à Sanctissimis quibusque, & summis, cervicem flectentibus, caput aperientibus &c: quomodò fiet in Ecclesia, frendentibus licèt Infidelibus, usque ad consummationem sæculi, & post consummationem in æternum. *Amen, Verè, Fiat*, à nobis hic constanter, ibi lætanter.

THEMA tertium *Nolite judicare*. Luc. 6.

Qui de Officiis Ecclesiasticis scripsère, non tradunt, quod sciam, quando Officium de Trinitate cœptum sit. Apud nos cœptum à Stephano Episcopo sub annum 920. qui altare, istius mysterii titulo, struxit, & officium scripsit *dulcissimæ modulationis*. An Romam inde propagatum: ut Leodio in Ecclesiam universam festa duo, Trinitatis augustissimæ, & augustissimi Sacramenti manâsse, gloriemur? Quisquis tamen Officium Romanum ordinârit, valdè aptè Evangelium Festi delegit, ubi expressissima fieret de Trinitate mentio: aptè item posuit Evangelium Dominicæ, ubi præscribit Christus, de non temerè judicando. Tria enim sunt judiciorum temerariorum genera: primum, de occultis: alterum, de rebus ad se non spectantibus: tertium, de rebus supra vim suæ intelligentiæ. Hoc tertium genus convenit mysterio Trinitatis: quia scrutator Majestatis opprimetur à gloria. Ave.

In Chinæ villa Sanxuen, anno 1625. cùm domûs fundamenta jacerentur, vetus lapis inventus est, unde intelligeretur fidem Christianam olim illuc illatam fuisse. Titulus lapidis hic erat: *Lapis in memoriam Legis lucis, & veritatis, portata de Iudæa, & in China promulgata.* Narratio inscripta, sic incipiebat *Ille, qui semper fuit verus, & quietus, omnis expers principii, intellectûs profundissimi, & semper duraturi, excellente potentiâ suâ creavit cet, infinitâ majestate suâ & sanctitate fecit sanctos. Hæc est Essentia divina, trina in Personis, & in substantia una, Dominus noster* &c. Subjiciebantur mysteria fidei cætera, & tempus prædicationis, quod in annum incidit 600. Christi, ex supputatione Patris Kircheri in Prodromo Copt. cap 3.

De veritate hujus narrationis, ambigendi caussa non est. Est tamen caussa disceptandi de titulo. Quo enim pacto Christiana religio dicitur *Lex lucis, & veritatis*? Lex equidem veritatis est, cujus certitudinem innumera testata sunt credibilitatis motiva. At quo pacto *Lex lucis*, cujus de se fides obscura est, cujus altissima mysteria sunt, Incarnatio, Passio, Eucharistia, &c. & hoc inprimis mysterium Trinitatis, quod meritò pro fundamento ponitur, *Essentia divina, trina in Personis*?

Sed, omissâ tituli istius quæstione, hoc potiùs disceptemus: Cur Deus, mysterium fidei Christianæ fundamentale, in quo baptizati sumus, tam obscurum nobis esse voluerit? Rationes duæ occurrunt: quia aliter non potuit: quia, etsi potuisset, aliter non debuit.

Non potuit, hinc ob altitudinem mysterii, inde ob intelligentiæ nostræ imbecillitatem. Vix, quæ ante pedes nostros posita sunt, intuemur. Clamat Sapiens Prov. 30. *Tria mihi difficilia sunt, & quartum penitùs ignoro* &c. Quâ ergo nos ratione ternas Personas sentiemus? Ecclesiastes nescit cap. 11. *quomodò compingantur ossa in ventre prægnantis*: qui ergo nos intelligamus generationem Verbi ante Luciferum, & productionem Spiritûs sancti? *Exedunt tinea*, inquit Tertullianus: *demonstra mandibulas, depromo gemmulas. Sed & personant culices, ne eis tenebris quidem auream esse: tubam, & lanceam pariter, ais ostende.* *Potes scire*, inquit Arn. l. 2. con. gen. *in medio hæc posita, atque in sensibus constituta communibus? ... Quibus ex caussis pilis nigrorem ingenitum ponant, neque omnes pariter, sed paullatim adjiciendo canescant? Quid sit, quod humores universi unum corpus efficiant mistione, solum oleum ceffuat immersionem in se pati, sed in suam naturam impenetrabile semper colligatur?* Augustinus conc. contra Judæos, Pag. & Arian. pro ignorantiæ nostræ demonstratione profert Siracidæ verba Eccl 1. *Altitudinem cæli, & lat. terræ, quis dimensus est? Sapientiam Dei, præcedentem omnia, quis investigavit?* In scholis scimus, quam multa disceptentur, quam obvia, de ipsa hominis constitutione, nesciantur: *Si ergo teipsum homo*, ut ait D. Maximus hom. 1. de Nat. Dom. *& quæ propter te facta sunt, qualiter aut unde facta sint, comprehendere non vales: quâ præsumptione, quâve stultitiâ, eorum ipsius atque omnium discutis Creatorem?* Ite, si lubet, per singulas scientias naturales, & videte, quid jurisprudentia dicat de injuria, medicina de febribus, philosophia de motibus. Ista disputando balbutis: & de Deo audes disputare? Epictetum ferunt, conquerentibus discipulis ipsum non intelligi quando de divinitate loquebatur, respondisse: si Deum intelligerem, vel intelligendum darem, *vel Deus essem, vel ipse non esset. O maxime, & summe rerum invisibilium procreator*, inquit Arnobius lib. 1. con gen. *O ipse invisse, & nullis unquam comprehense naturis .... Non est mirum, si ignoraris: majoris est admirationis, si sciaris.*

Ista de divinitate, ejusque immensitate, cùm verissimè dicantur; etsi rationi per effecta pateat, tum existentia, tum infinitudo ipsa: Quid de Trinitatis arcano dicamus, quo altius in Deo nihil, nihil intelligentiæ capacitate majus?

Cognoscendæ rei alicujus quinque modi sunt: *Comprehensivè*, quo pacto vix quidquam hic in se novimus: *Intuitivè*, ut corpora in se novimus, res spirituales nullas, nisi forsan animam nostram: *Fide* tum divinâ, tum humanâ, res multas: *scientiâ*, ratiocinando per caussas, vel effectus: *Lumine naturali*, ut principia scientiarum, Totum esse sua parte majus &c.

Deum comprehensivè solus Deus novit: intuitivè vident Beati per lumen gloriæ: per fidem jam videmus in speculo: per scientiam novère philosophi: lumine naturali, aut instinctu saltem ut superiore themate diximus, scivère artifices idiotæ apud Tert. lib. de test. animæ. Trinitatem numquam comprehensivè noverimus: intuitivè cernemus in cælo: per scientiam nosci non potest, quia nec caussas habet, neque effectus: lumine naturali non attingitur, etsi Trismegisti, Serapidis, Platonis dicta circumferantur, & Porphyrii apud August. l. 10. de Civit. cap. 29. aliaque suprà commemorata. Superest solum fidei lumen, quod certissimum quidem est ex Evangelicis verbis, & revelatione Unigeniti: obscurum tamen.

Et verò, licèt clarè nobis à Deo cognoscenda Trinitas dari potuisset, non tamen expediebat. Primùm, ad meritum majus. Hilarius lib. 8. de Trin. *Habes non tam veniam, quàm meritum, ignorare, quod credas.* Si credis homini cordato, quia vides, non magni illum facis. Ut Deum honores credendo, dic cum Bernardo serm. 26. in Cant. loquente de hoc ipso argumento, *Fide teneo, quod mente non capio.* Pronuntia fidenter cum Athanasio symbolum suum; & cum Ecclesia præfationem hodierni Sacri magnificam: longè gratius Deo facies, quàm si disputes, & intelligas. Magnus profectus est fidei, inquit Max. hom. 1.

hom. 1. de Nativ. *cùm tantum de Deo suo concipit, quantum forma non potest parturire.*

Expediebat deinde ad humilem reverentiam. Esther c. 4. non licebat cuiquam injussio atrium Regis Persici ingredi: *Ut persona Regis*, inquit Rupertus lib. 8. de Vict. Ver. c. 10. *occultaretur sub specie majestatis, putareturq; aliquid habere plus homine, nec vilior fieret ex usu publica visionis.* Cur Sancta Sanctorum, olim, soli Pontifici semel ingredi licuit? Cur Cherubini obumbravêre arcam? Cur Seraphini canentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, velavêre facies suas? Augustinus epist 42. ad Madaurenses idololatras, post descriptum mysterium Trinitatis: *Quis*, inquit, *hoc totum, quod dicere non dicendo conatus sum, ... possit intueri, ... nisi qui se substraverit mitem atque humilem, ad accipiendum Deum dolorem?* Simon Chinnæus, nobilissimus Parisiensis Theologus, cùm publicè propugnâsset insigniter theses de Trinitate, insolentiâ abreptus blasphemavit, & mox elinguis factus, adeoque fatuus, ut, linguæ usu utcumque reddito, vix intra biennium didicerit *Pater noster*, & *Credo*. Vide Spond. an. 1201. Abscondit sapientibus Deus, quod revelavit parvulis, ut S. Claræ Montefal. vide eumdem an. 1318.

Expediebat ad amorem excitandum. Prosper epigram. 60. de ineffabili excellentia Dei, hanc conclusionem infert: *Hinc fides virtus, hinc flamma oritur amoris. Quod latet, exercet, quod superat, reparat.* Dicamus cum Paullo, *O altitudo &c. Ipsi gloria.* Glorificemus magnum Dominum, & laudabilem nimis: gloriemur de tanto Domino, & obsequium nostrum non dehonestemus.

DIE VEN. SACRAMENTI, ET PER OCTAVAM.

MATERIAM ad Octavarum duarum conciones abundè proponimus Excursu ad lib. 2. cap. 2.

Octava prima Triumphum exhibet V. Sacramenti, & continetur sectionibus tribus prioribus. Thema illius perpetuum erit, *Similitudo quatuor animalium*, Ezech. 1. Primo die: firmatur fides per quatuor Evangelistas sect. 1. usque ad num. 13. Altero die eadem firmatur per quatuor Concilia, numero tertio indicata, quæ facile amplificabuntur, commodeque illis addentur miracula, quorum quædam habuere faciem hominis, in qua Christus apparuit; quædam faciem bovis, quando Christus per Eucharistiam solatus est laborantes; quædam faciem leonis, quando Christus punivit sacrilegos; quædam faciem aquilæ, quando Christus docuit, & altè sublevavit idiotas, per Corporis sui sumptionem. Tertio die: firmatur eadem fides sententiis Patrum à num. 14. ad finem. Quarto die: triumphat V. Sacramentum de quatuor hominis partibus, sect. 2. à num. 1. ad 10. Quinto die: ornant triumphum virtutes quatuor, a num. 10. ad finem. Sexto die: triumphat V. Sacramentum in quatuor orbis partibus, sect. 3. usque ad num. 8. Septimo die: quatuor Christianorum ordines Eucharistiæ triumphum comitantur, à num. 8. usque ad 16. Octavo die: quatuor modi honorandæ Eucharistiæ a num. 16. usque ad finem indicantur.

Octava altera Christum in V. Sacramento Doctorem, & exemplum, exhibet virtutum octo: quatuor binæ sectionibus singulis traduntur à sect. 4. usque ad finem Excursûs. Themata suggero: Pro caritate, *Qui manducat, vivet propter me*, Joan 6. Pro mansuetudine. *Discite à me, quia mitis sum*, Mat. 11. Pro humilitate *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Pro obedientia: *Erat subditus illis*, Luc. 2. Pro justitia. *Erit justitia cingulum lumborum ejus*, Is. 11. Pro misericordia: *Venite ad me omnes, qui laboratis*, Mat. 11. Pro liberalitate: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Ps. 115. Pro perseverantia. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*, Mat. 28.

Alia themata festis incurrentibus, aliisve occasionibus apta, facillimè per se ingeniosus concionator comminiscetur. Poterit etiam, si videbitur, ordinem virtutum commutare. Justitiam aliquando adscripsi Dominicæ, neque inconvenienter, cùm Evangelium respondeat isti materiæ, sumique aptè possit pro themate, *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare*, Luc. 14.

DOMINICA INTRA OCTAVAM VEN. SACRAMENTI.

ETSI in Octavis duabus satis superque materiæ offeratur, ad conciones in banc diem: habes tamen peculiaria argumenta de supplicationibus generatim, & de iis sigillatim, quæ ad honorem Ven. Sacramenti sunt institutæ, Excursu ad lib. 2. cap 3. sect. 5. & 6. Etsi enim illic quidpiam contra hæreticos dicatur: præcipua tamen earationis pars est, ad Catholicorum instructionem, & honorem Eucharistiæ. Themata illis esse possunt ex Evang. Luc. 14. *Exi in plateas, & vicos civitatis. Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.*

THEMA tertium. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus*, Psal. 110.

Pietatis erga sacratissimam Eucharistiam insigne exercitium est memoria Passionis, nobis ab Ecclesia valde commendata, & à Christo ipso. Hic dixit, *Facite in meam commemorationem*; succinente Paullo, *Mortem Domini annuntiabitis*. Illa dicit, *O sacrum convivium in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus*: & in oratione V.S. *Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti.* Eam memoriam considerabimus, antè tamen breviter videndum, quo pacto Ven. Sac. sit memoria omnium Christi mirabilium.

Archimedis olim fuit memorabilis sphæra, orbis compendium: qualem & nos sphæram, à Polono sacerdote Duaci fabricatam, spectavimus. Laudandum Joannis Judæ Leonis Lusitani ingenium, qui e ligneæ sex in quadrum pedibus universam Salomonici templi machinam, cum vasis omnibus, exhibuit nuper Middelburgi. Tenuis istæ figuræ sunt summi miraculi, ab amantis divini ingenio patrati in Ven. Sacramento; ubi compendio cæli omnes exhibentur, totum Divinitatis templum, omnia gratiarum divinarum instrumenta, quidquid operum mirabilium usquam à Numinis immensa misericordia & potentia, in Verbi præsertim incarnati mysterio, profectum est. *Memoriam fecit mirabilium suorum Dominus*: quo autem pacto? *Escam dedit timentibus se.* An manna? Mirabilium quorumdam istud memoria fuit: at Ven. Sacramentum memoria est omnium prorsus, quæ Christum tangunt; & vitam ipsius universam, in tabellulæ orbiculive unius angustias arctatam, Fidelibus exprimit.

In Verbi incarnatione, Angelus Virgini adfuit: paucis verbis, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, mysterium perfectum est: clausa est velut carcere immensa divinitas. In Eucharistiæ confectione, adsunt Angeli sacerdotibus: paucissimis verbis mysterium perficitur; clauditur Christi majestas speciebus, velut ergastulo, unde non discedet nisi corruptæ ergastulo toto.

Nativitate Christi nox fuit: fasciis obvolutus est: in stabulo, fœno, inter animalia, repositus: Angeli accinuêre Gloriam, & Pacem: Pastores affluêre. In Eucharistiæ Sacramento nox est, ob intelligendi difficultatem: speciebus Christus obvolvitur: in fœno carnis nostræ, stabulo pectoris, passionum animalibus reponitur: ab Angelicis hominibus gloria & pax accinuntur, quia paci hominibus impetrandæ, & gloriæ divinæ augendæ, sacrificium nobilissimum est. Pastores adsunt, quorum munus præcipuum est, *Hoc facere.*

In Circumcisione sanguis à corpore Christi sejunctus est, nomen JESU impositum infanti. In Eucharistia, ex vi verborum, sanguis à corpore separatur: nomen datur Salutari hostiæ. Præsentatur Deo Christus, datur Simeoni: Offertur Eucharistia Deo, datur obedienti Christiano. Fugit Christus in Ægyptum: Ægyptus est cor humanum, quò intrat Eucharistia. Absconditam vitam agit sub parentibus Christus, crescit tamen: nihil absconditum magis Christo in Eucharistia, ubi tamen perpetuò crescit, in dies honoratior. Baptizatur Christus, est in deserto cum bestiis, vincit dæmonem, Angelos habet ministros: in Eucharistia itidem Christus humiliat se sub sacerdote, ut impleat omnem justitiam, versatur cum brutis hominibus, dat vires adversus dæmonem, Angelorum sæpe ministerio deportatur & offertur. Ex deserto Christus ad prædicationes & miracula procedit: in Ven. Sacramento Christus efficacissimus doctor est, & mirabilissimus thaumaturgus, docendis virtutibus, immutandâ naturâ.

In Resurrectione corpus Christi de mortuo fit vivum, & cum illo multi resurgunt: in Eucharistia de pane mortuo fit vivus Christus, & multi spiritaliter mortui ad vitam divinam excitantur. In Ascensione nubes illum suscepit ab oculis discipulorum, benedixit Apostolis, Spiritum S. promisit, & linguas igneas destinavit: in Eucharistia obvolvitur nube, Christianis benedictionem largitur, linguas contactu suo inflammat igne caritatis, mentes implet gratiis Spiritûs S.

Cursim ista tango, ut Passionis memoriæ diutiùs inhæream. Etsi enim statim post Consecrationem dicamus, nos & plebem sanctam *memores esse tum beatæ Passionis, necnon & ab inferis Resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ Ascensionis*: tamen, ut initio dicebamus, constat, hoc

mysterio

mysterio singulariter Passionem & mortem Christi nobis exhibent: tum Communione, tum Benedictionibus, tum Supplicationibus, tum maximè Sacrificio.

In Communione Christus cibus est; ut significetur, Passionem ... maium nostrarum verum esse ... tum, ac ... In Communione consumitur à nobis ex amore: in Passione consumptus est ex odio. In Communione sumimus velut captivum, ligatum, velatum, albis indutum: in Passione illhæc omnia sustinuit. In Cruce extensus, & mortuus est, tum descendit ad limbum anima, corpus ad sepulcrum: in Communione crux, & sepulcrum, & limbus, pectus ipsi nostrum est. In Benedictione Ven. Sacramenti, dupliciter nobis repræsentatur Passio, quoad effectum, & quoad tempus. Effectus enim Passionis benedictio est generis humani: præsignificata per benedictionem, decussatis brachiis datam à Jacobo moribundo filiis Joseph, Gen. 48. Vespere cœpta est Passio à lotione pedum, & institutione Ven. Sacramenti; sub vesperam etiam mortuus Christus, & latus ipsi apertum, unde fluxêre liquores benedictionis universo mundo: vespere, ad memoriam mysteriorum istorum, Benedictio Ven. Sacramenti dari solet.

In Supplicationibus significantur patientis Christi itinera, stationes, spectatores, comites. Ideo circumfertur per plateas Ven. Sacramentum: statur cum illo certis locis: spectant generis & conditionis omnis homines: comitantur usque ad crucem constantiores discipuli, & usque ad sepulcrum, cum Virgine & matronis.

In sacrificio Missæ, prima significatio Passionis est in Sacerdote, & Victima. Sacerdos in Passione fuit Christus, assistens Pontifex, per proprium sanguinem: idem fuit victima & oblatio pro peccatis nostris. In Missa primarius minister Christus est: & ejus nomine proferuntur verba consecrationis: victima idem est, hac solâ distinctione, quod ibi cruenta fuerit, hic incruenta, atque ipsa sese significat, alio tantum modo oblata.

Altera Passionis significatio est, in Sacrificii essentia. Sicut enim Passio consummata fuit morte Christi, ita sacrificium perficitur quoad essentiam suam consecratione, quæ mortis instar est, cum ex vi verborum sanguis separetur à corpore. Ex qua separatione mors necessariò consequeretur, nisi Christus resurgens ex mortuis jam non moreretur.

Tertia, & amplissima, Passionis significatio est, in omnibus Missæ cæremoniis, quarum partem ab Apostolis manavisse certum est, partem ab Ecclesia deinceps piè institutam.

Inprimis de vestibus sacerdotalibus, amictus, velum in domo Pontificis, alba, vestem in domo Herodis, cingulum, stola, manipulus, vinculorum nexus; casula, purpureum indumentum significant.

Humiles sacerdotis orationes ad pedem altaris, exhibent humillimam Christi orationem in horto, ubi, figurâ peccatoris, ingemiscens procubuit. Ascensus ad altare, motusque à medio ad sinistrum, tum ad dextrum latus, adumbrat Christi itinera per urbem Hierosolymam, ad tribunalia varia pertracti. Oblatio materiæ sacrificii exprimit factam à Christo oblationem sui Deo Patri, quando crux ipsi allata est. Ascensus Christi in Calvariæ montem indicatur præfatione Sacerdotis, quâ paullatim graditur ad sacrificium promovetur. Silentio sacerdotis silentium Christi, dum crucifigeretur: elevatione consecratorum, elevatio Christi in cruce: pulsu tintinnabuli, & tunsione pectorum, clamor & strepitus excitatus Christo elevato: iterato sacerdotis silentio, silentium Christi in cruce. Rumpit sacerdos silentium verbis istis, *Nobis quoque peccatoribus*, & dicit *Pater noster*. Christus interloquitur silentio suo orans *pro peccatoribus*, & dicens *Pater ignosce illis*, *Pater in manus tuas* &c.

Sumptione Corporis Christi adumbratur mors Christi: sumptione calicis, ubi vini & aquæ species mistæ sunt, significatur sanguis & aqua de latere profluens. Orationes consequentes sunt affectus piorum virorum, ac mulierum, post Christi mortem orantium cum D. Virgine. Clausula *Ite*, aut *Benedicamus*, instar est depositionis de cruce. Evangelium Joannis de Christi divinitate recitatur, quia Christi divinitas miraculis post mortem ejus manifestata est: eamque ob rem multi revertebantur dicentes, *Verè Filius Dei erat iste*.

Verè Filius Dei es, Christe JESU, in Ven. Sacramento: in illo vitæ tuæ compendium est: in illo vita nostra est. Fac nos, *ita Corporis & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus*.

DOMINICA III. POST PENT.

THEMA. *Erant appropinquantes JESU publicani, & peccatores, ut audirent eum: & murmurabant Pharisæi*. Luc. 15.

Hominum genera quatuor Christo in Evangeliis appropinquasse narrantur. Primum genus, sunt calumniatores, qui volebant eum capere in sermone: alterum, curiosi, qui veniebant ad spectanda miracula, ut Lazarum viderent: tertium, indigi, ut sanarentur, vel alerentur, quia videbant signa super his, qui infirmabantur: quartum, peccatores, ut Magdalena, quæ in convivium venit. Primi sunt injusti; secundi, vani; tertii, imperfecti: quarti, boni.

Primum, & quartum genus, in hodierno Evangelio sunt. *Erant appropinq. peccatores, ut audirent*: en primum genus. *Murmurabant Pharisæi*: en alterum. Hi pro bonis habentur, ab hominibus, illi pro malis: hi tamen apud Deum mali sunt, illi sunt boni. Christus, ut hos confundat, illos defendat, tres parabolas uno textu attulit, de ove, drachma, prodigo. Idem tribus finis est, ut bonitas Dei erga peccatores, & gaudium Angelorum de eorum conversione ostendatur. Describuntur præterea insigni mysterio tribus illis parabolis conditiones peccatoris. 1. cum facit peccatum: 2. cum est in peccato: 3. cum exsurgit à peccato. Id jam agemus.

In prima parabola Deus exhibetur titulo Pastoris, quia nos curat, regit, alit: in altera titulo Domini, quia res Dei sumus, ut drachma res erat mulieris: in tertia titulo Patris, quia creavit nos, & amat, ut pater. Itaque peccator cum Deum offendit, in illum peccat tribus respectibus. Peccat contra caritatem debitam patri, quem deserit ut Prodigus, non præsentiâ discedens, sed affectu: contra justitiam, quia rem alienam invito domino contrectat: contra gratitudinem, quia retribuit mala pro bonis pastori diligentissimo. Potest quis hominem offendere ingratitudine, non tamen stricta injustitiâ: potest caritatem lædere, non læsâ item justitiâ. At erga Deum peccatum omne simul est contra gratitudinem, caritatem, & justitiam: quia offenditur pater, pastor, & dominus. Sic benè advertit D. Ambrosius in apologia David cap. 4. ad illud 1. Joan. 3. *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas*.

Cur autem peccat? Ob eadem, ob quæ erravit ovis, periit drachma, abiit Prodigus. Ovis errat, quia lassa non sequitur, vel fanaticè timida fugit, vel cupida pascuorum remotiorum abscedit: peccant tædio Israelitæ, metu Petrus, cupiditate Giezi. Drachma perit, quia non novit dominum: *ignorans feci*, inquit D. Paulus de seipso. Prodigus abit, quia non vult manere cum patre, urget dari sibi portionem: sic peccavêre scientes, volentes, homicidæ prophetarum. Has tres noxarum omnium caussas affert Greg. l. 21. Mor. c. 11. passionem, ignorantiam, malitiam: hanc istâ, istam illâ pejorem; omnes in exemplis quotidianis spectabiles.

Quis status peccatoris? Qui ovis, drachmæ, Prodigi. Ovis, mortua quidem non est: sed in periculis mortis perpetuò à lupis, latronibus, &c. Sic peccator nondum est mortuus morte secundâ, in perpetuo tamen illius discrimine. Drachma imaginem non amisit: est tamen obsita pulvere, aut luto. Peccator non amisit imaginem Dei naturalem, etsi alicubi id dixisse Augustinus videatur, retractavit lib. 2. Retract. cap. 24. Valdè tamen imago illa fœdata est, amissâ gratiâ, supernaturali Dei imagine. Prodigus manet adhuc filius, sed pauper, nudus, sordidus, porcinus. Peccator manet adhuc filius Dei: sed nudatus veste caritatis, ad sordes porcorum abjectus.

Quo pacto peccator ad Deum redit? Sicut ovis, drachma, Prodigus. Ovis ad pastorem sola redire non potest, quia satis cognitionis non habet, nec virium. Drachma sese ipsam nequit recuperare, quia nec cognitionem habet, nec motum. Prodigus cognitionis satis habet, & motûs externi: sed caret motu interno, donec in se reversus dicat: *Quanti mercenarii* &c.

Ita peccator de se potest aberrare, perdi, recedere: de se tamen redire non potest. Quod ad peccati odium, & fugam, maximi momenti est; atque adeò populo Christiano inculcari debet. Clarè id ostendit D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 7. Et ex fidei principiis manifestum est. Cùm enim nemo possit rectum iter inire, nisi *Pater cælestis traxerit*: nec potest iter rectum repetere, nisi idem Pater traxerit. Ut gratiam amissam recuperet peccator, quæ forma est supernaturalis, necesse est ut per gratiam operetur: oportet enim, ut dispositio ad aliquam formam sit ejusdem ordinis cujus forma.

Dissimilis prorsus res, inquit Bernardus serm. de tripl.

misericordia, *& soli divina virtuti possibile, susceptum semel peccati jugum à cervicibus excutere. Hæc est magna misericordia, magis necessaria peccatoribus, de qua psalmus, Miserere mei Domine secundùm magnam misericordiam tuam. Idoneus homo ad casum,* inquit Augustinus serm. 30 de verb. Apost. *non est idoneus ad erectionem suam, semper in profundo, nisi liberetur.* Durum hoc tibi videtur, Christiane. Sed verissimum est. Noli de illis esse, qui apud Isaiam cap. 30 dicunt Videntibus, *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Ne Jeroboamum imiteris, qui 3 Reg. 14 de sanitate filii misit ad Ahiam, qui locutus erat, quod regnaturus esset super populum hunc. Eum consulit, à quo audit jucunda. Consulis Christum, qui tibi dixit ovem, drachmam, Prodigum recuperatum? Consule eumdem, qui tibi dixit, neque ovem, nec drachmam, nec Prodigum, per se recuperatum. Unus redit, inventa est una, reportata est una: ad quot periêre prodigi, jacentes, errantes? Cave, ne sis de plurium numero.

THEMA alterum. *Inveni ovem, quæ perierat.* Ib.

Ecclesia, Dom. 2. post Pascha, Christum nobis exhibuit, verbis Evangelicis, Pastorem pro ovibus morientem: feria 3. Pent. gregi ad pascua præeuntem: hodie ovi perditæ succurrentem. Hac parabola nihil suavius. Olim ideirco in calicibus pingi solitus Pastor ovem portans, ut ex Tertulliano diximus alibi. In ejusdem parabolæ memoriam, Pallium, seu superhumerale laneum, Episcopis datum, ex Isidoro Pelusiota epist. 136. ut tum Episcopi ipsi, tum plebs Christiana, bonitatem Christi recorderetur: ut animentur ad fiduciam peccatores, & justi, illi spe veniæ; hi continuandæ gratiæ fiducia. Boni si sperare debent, qui Deum deserunt: quanto magis *sperent in te, qui noverunt nomen tuum, Domine, quoniam non dereliquisti quærentes te.*

Magis ac magis excitandæ istius fiduciæ, consideremus particulatim, officia Pastoris erga ovem perditam, obligationem ovis recuperatæ erga Pastorem: inde amorem Christi in nos, hinc debitum nostrum erga Christum.

Duplici sententia sumi potest hæc parabola. Primùm, ut ovis perdita totam significet naturam humanam: deinde, ut significet singulos peccatores. Illa explicatio Ambrosii est lib. 7. in Lucam: *Dives igitur pastor, cujus nos omnes centesima portio sumus, habet Angelorum, habet Archangelorum, Dominationum, Potestatum, Thronorum, aliosq; innumerabiles greges, quos in montibus dereliquit.* Ita & multi alii Patres explicavere. Salmeronis altera est explicatio, dicentis peccatores unos esse aversione à Deo, etsi multiplices sint conversione ad creaturas; adeoque, propter istam aversionis unitatem, aptè adumbrari ovis perditæ nomine.

Si priorem sequamur explicationem, quanta nobis inde bonitatis divinæ argumenta, cùm tota ferme recapituletur nostræ redemptionis œconomia? 1 Perdiderat Pastor bonus naturam humanam, culpa inobedientiæ. 2 Dimisit 99 in deserto, quia nusquam Angelos, sed semen Abrahæ, apprehendit. 3. *Vadit ad eam quæ perierat*, nascendo inter pastores, & *per conceptionem, vagitum, & cunas, omnes naturæ nostræ contumelias transcurrendo*, ut loquitur Hilarius lib. 2 de Trin. 4 *Donec inveniat eam*, reliquæ vitæ itinere & laboribus, *eam quærens*, ut ait Aug. conc. 32 in psal. 118. *Judæorum laceratur vepribus*, verbis contumeliosis, & factis. 5 *Imponit in humeros*, crucem ferens, in cruce suspensus. *Gaudeamus, ergo*, inquit Ambrosius lib. 7 in Luc. *quia ovis quæ perierat in Adam, levatur in Christo. Humeri Christi crucis brachia sunt. Illic peccata mea deposui, in illa patibuli nobilis cervice requievi.* Hinc aliqui pingunt Christum crucifixum, humeris ove onustis: cujus ovis pondus visum fo hugo Ohyetano, & deinceps sæpiùs, ad terram. 6 *Gaudens* in Resurrectione sua, & gaudium nostrum prælibans: quia scimus & nos, ad imaginem ipsius, surrecturos. 7 *Convocat amicos*, & gratulationem postulat in Ascensione, quando, ut Chrysologus ait serm. 168. *Ille nos portavit suo divinitatis ad gloriam, ut nos illum sanctitate totâ nostræ portemus in corpore.* Quid enim minus reddere possumus bajulo nostro Deo-homini, quàm ut illum animo glorificemus, & portemus in corpore nostro?

Sed ut debitum nostrum manifestius appareat, non id solum attendamus quod universim Pastor præstitit humanæ naturæ: sed quod peccatoribus singulis particulatim, & nobis ipsis. *Omnes enim nos quasi oves erravimus.* 1 *Perdidit* animam peccatricem: non quia sit ipsius culpa, vel damnum, si anima pereat; sed sic loquitur ex affectu erga animam, cujus jacturam pro sua reputat. 2 *Dimisit 99.* O quot nobis meliores dimisit! Gratias habemus. 3. *Vadit ad eam, quæ perierat*, Matthæum, Zacchæum, latronem, Chananæam, Samaritanam, Magdalenam. 4 *Donec inveniat.* Non cessat montibus quærere. Inde Pauli, Thaïdes, Pelagiæ, Augustini, Theodoræ, Martiniani, Porphyrii: quærit superbos in montibus, pusillanimes in ruinis, luxuriosos in cœno, avaros in vepribus, & invenit. 5 *Imponit in humeros.* Suaviter peccatores et eos conversos portat gratiâ suâ, humero dextro bonitatis, sinistro potentiæ: hac ut infirmitas eorum non relabatur, illa ut jugum ipsis fiat tenere suavitatibus nugarum. 6 *Gaudet*, quasi ipsi inde aliquid accedat emolumenti. Christo tamen, qua homo, gaudium aliquod accidentale advenit à peccatore converso, quia fructum sanguinis sui videt. 7. *Convocat amicos*, beatos Angelos, homines sanctos, ut gaudeant caritate de bono proximi; & sibi allaborent, imitatione affectûs erga perditas, aut perituras.

Quid autem ovis perdita faciat? 1 Pastorem suum, non adspiciat quasi latronem, non timeat nimis, non fugiat; nec desperatione latius excurrat, quia semel erravit. *Omnibus propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur*, inquit Bern. serm. 22. in Cant. *currimus post te, ô Domine IESV, audientes quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non enim horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos.* Coram te, fili Regis, procidunt Æthiopes & inimici tui terram lingunt: quia descendis sicut pluvia in vellus suaviter, & sicut stillicidia sine impetu. 2. Clamet ovis, & balatu suum errorem indicet. Oret Deum, orandum curet per alios. Si vox peccatoris ipsius nimis rauca sit, & fusca, adhibeat voces claras & clamores justorum, quorum assidua deprecatio plurimum valet. 3. Quando reperta est ovis, rapi se sinat, reduci, portari: benevolo Pastori non repugnet, imo illi aptet se. Damnatur quidem in Concilio Arausicano 2 cap. 4 *qui dixerit, Deum exspectare voluntates nostras, ut à peccatis purgemur.* Certum item, quod ait Augustinus lib. 5 Conf. c. 2 *Domine, quis fugit tibi? Quia oculum tuum non excludit cor clausum, nec manum tuam repellit duritia hominum, sed solvit eam cùm voles.* Certa ista sunt: certum tamen etiam est, voluntatem nostram à Deo desiderari, licèt non exspectetur. 4. Inventa ovis, recuperata, portata, gaudeat de bono suo, caveat deinceps malo suo, & cum Ambrosio serm. 22 in ps. 118. dicat, *Erravi sicut ovis quæ periit; quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Veni ergo, Domine IESV, quære servum tuum, quære lassam ovem tuam, quære sicut ovis Ioseph. Erravit ovis tua, dum tu moraris in montibus. Veni sine canibus... Veni sine mercenario... Veni sine adjutorio, sine nuncio, jamdudum te exspecto venturum, quia mandata tua non sum oblitus. Veni non cum virga, sed cum caritate... Ad me veni, quem luporum gravium vexat incursus. Quære me, quia ego te requiro. Quære me, invenie me, suscipe me, porta me. Potes invenire, quem tu requiris: dignare suscipere, quem inveneris: impone humeris, quem susceperis.* Neque ante depone, quàm in cælum, ubi tuam bonitatem æternùm collaudet, intuleris.

THEMA tertium. *Gaudium erit in cælo, super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis.* Ibid.

Divina hæc sententia jucundissima peccatoribus, honorifica pœnitentibus, omnibus grata; quâ Christus manifeste declarat, quàm sibi pœnitentia sit cordi. Ex sententia duas habet partes. In priore dicit Christus, *Gaudium erit in cælo &c.* Apud quos? Nonne Deus gaudebit? Nonne sacra Christi humanitas? Nonne Virgo? Nonne sancti patroni, & alii? Christus solummodo Angelorum meminit in ejus sententiæ narratione, quia soli tunc Angeli erant in cælo. Altera pars habet comparationem gaudii de nonaginta novem justis, utique pœnitentia non egentibus, cum gaudio de uno peccatore. Numerus iste 99. de quo quidam piè & ingeniosè ludunt, nihil meo judicio aliud significat literaliter, quàm ingentem numerum, certum pro incerto. Justi dicuntur non egere pœnitentiâ; non quia non omnes peccavêre, saltem venialiter, & egent gratia Dei: sed quia non egent tali pœnitentiâ, quali peccatores.

Super duabus illis sententiæ partibus, quæstiones binas propono. Possuntne Angeli beati gaudere de pœnitentia unius peccatoris? Possuntne iidem magis gaudere de uno pœnitente, quam de multis justis?

De priore quæstione difficultas primùm est, ab Angelorum beatitudine. Num quid enim ante conversionem peccatoris non *vident faciem Patris*? Nonne ex ea visione consequuntur satiatum animum, & gaudium plenum? Quid ergo conferet lætitia ... Respondetur, duplex esse gaudium, Essentiale, & Accidentale, quemadmodum

modùm & beatitudinem. Hoc, in comparatione illius, valde exiguum esse; magnum tamen in se, si seorsim consideretur, quia de vero bono est, puro, solido, spirituali.

Sed hinc nascitur altera difficultas: quod bonum existat Angelo ex pœnitentia hominis, tam longè remoti? Primum bonum illi, ex gloria Dei, cujus caritas, misericordia, potentia, sapientia, singulariter ex conversione peccatoris elucescunt. Alterum illi bonum, ex laboris sui fructu: lætatur Dominus in operibus suis, & Angeli in suis. nec minùs lætantur de fructu laboris ab aliis Angelis impensi in homines, quam à se, quia summa inter ipsos est caritas, sine ullo invidiæ motu. Tertium bonum illius est, ex bono peccatoris, majusque quam ex proprio bono: nam bonum peccatoris in conversione sua est quasi essentiale, Angeli accidentale tantummodò. Quàm gauderemus, si amicus noster de capitali inimico, & proscripto, fieret amicus Regis?

At, inquis, quo pacto Angeli nôrint mutationes istas peccatoris in pœnitentem? Duplex est pœnitentia, interior alia, alia exterior. Hæc manifestari potest verbis, ut factum à Davide, psalmo Miserere: lacrymis, ut à Magdalena, Petro, &c: mortificationibus exterioribus, jejuniis, cilicio, cinere, ut a Ninivitis, Achabo, Judæis, &c. Facillimè hanc Angeli nôsse possunt, quia nobiscum familiarissimè versantur. Quia tamen ista, sine interiore, vim nullam habet: de interiore Angeli lætantur, idque significatur Græcâ Evangelii voce, *μετανοοῦντι*, id est, ad verbum, *mentem mutante*, pœnitentiam igitur agente interius.

Sed quomodò interiores motus, & mutationes, Angelus conspicit, cùm, vel ex Christi verbis, constet secreta mentium humanarum soli Deo patere, & spiritui hominis, qui in illo est? Solvant hanc difficultatem, si possunt, hæretici, qui negant à Sanctis audiri preces nostras, videri desideria. Cur igitur Christus dixit, Angelos gaudere de mutatione interiore peccatoris, utique cognitâ: neque enim de ignoto gaudetur? Capti sunt hic hæretici. Catholici dicunt, Angelis videntibus faciem Patris, istius faciei luce revelari secreta mentium, ad ipsos spectantia. Habent itaque omnia ad gaudium requisita, bonum, boni desiderium, boni notitiam.

Quâ verò ratione plus gaudent: nec de uno pœnitente, plusquam de uno justo, sed plusquam de pluribus, & longe quidem pluribus? An ergo dicamus pœnitentiam bonum majus innocentiâ? Majus certè gaudium est de bono majore. Accedit, quòd D. Thomas 2. 2 q 106. art. 2. ubi petit, *Utrùm magis teneatur ad reddendas Deo gratias innocens, quàm pœnitens:* post allatas Augustini ex lib. 2. Conf cap 7. sententias pro innocente, denique statuit pœnitentiam esse donum innocentiâ majus, adeoque ampliores pro illa gratias deberi. Enimverò tot videmus in multis pœnitentiæ fructus, ut raiò innocentia tantos pariat. Quanta Publicani & Manassis humilitas? Quantus ardor Petri, Pauli, Thomæ? &c. *Læsus fortiùs insurgit in adversarium*, inquit Bachiarius epist. ad Jan. Leones vulnerati vim omnem exeruère, ante torpidi. *O felix culpa! O verè necessarium Adæ peccatum!*

Nihilominus pro certo habendum, innocentiam longè majus esse pœnitentiâ bonum. Etsi enim hæc fructus quosdam ferat, quos illa non producit: non ideo tamen viola, Luna, chalybs, rosæ, Soli, auro antecellunt, quia quiddam habent proprium ac singulare. Et quamvis pœnitentia majus donum sit, quia confertur minus digno: non idcirco tamen æquat innocentiæ bonum. *Primus felicitatis gradus est*, inquit Cypr. epist. 55. *non delinquere: secundus delicta cognoscere*, at multò inferior. Dicebant prisci, *Quem pœnitet peccâsse, penè est innocens*: nondum tamen est innocens, neque ad gradum illum sanctimoniæ ascendit, in quo Deus stare voluit hominum summos.

Quid autem faciemus Evangelicæ nostræ comparationi? Ambrosius putat, comparari humanæ naturæ reparationem, de qua majus sit gaudium, quàm de Angelorum conservatione. Augustinus arbitratur fieri comparationem cum falsis justis, Pharisæis: equidem melior est forma mediocris, quàm fucatus vultus: potior est equus utcumque laudabilis, quam strigosus phaleratus: & pluris fieri arbor curva sed frugifera, arbore rectâ & infrugiferâ. Gregorius hom. 34 in Evang. censet comparationem esse cum justis, *qui pigri remanent ad exercenda bona præcipua*: cariorem esse duci militem, à fuga fortiter dimicantem; quàm, qui non fugit, & fortiter nihil agit: ab agricola magis laudari terram valdè fertilem, post spinas; quàm, quæ sine spinis semper fuit, parum fertilis.

Vitant istæ explicationes difficultatem, non solvunt. Constat enim de veris justis agere Christum, ut initio posuimus. de quibus minus gaudium est, quia ipsorum justitia non est nova neque insperata; pœnitentia peccatoris nova est, insperata, difficilis. Augustinus lib 8 Conf. cap 2. & 3. occasione conversi Victorini, istam Christi sententiam declarat similitudine ducis, nautæ, ægri, eò magis lætantium de victoriis, sospitate, sanitate, quò majus fuit periculum. Habes amicos quinque: quaterni tibi adsunt, quintus diu abfuit, redit insperatò: nonne magis de hoc gaudes, quàm de illis? Mercator penès se habet millionem: revehitur ipsi desperata summa denûm millium: nonne plus sentit de hac lætitiæ? Matri sunt liberi septem: septimus convalescit, & plus affert gaudii, quàm cæterorum constans sanitas. Evangelici Prodigi pater, pastor hodiernus, & mulier, nonne meritò plus novæ voluptatis sentiunt de recuperata jactura, quam de certa possessione?

Discamus hinc primùm, Angelos, & Christum imitari, gaudere de peccatoribus conversis, amplecti redeuntes. Vera justitia visceribus misericordiæ, & mansuetudinis, affluit: *falsa dedignationem* habet, ut Pharisæa. Vide an 1178 apud Baronium Alexandri 3. mansuetudinem erga peccatorem Joannem de Struma Antipapam, quem sine objurgatione excepit, dicens, *Frater, gaudium est Angelis super uno peccatore*, &c.

Discamus deinde & nos, gaudium de quotidiana nostra mutatione in melius præbere Christo, id summè desideranti; & Angelis, Christo collætaturis. Multa in hodierno Evangelio habemus motiva pœnitentiæ: *Quamquam*, ut ait Ambrosius lib. 7. in Luc *hoc quoque proficiat ad incentiva probitatis, si unusquisque conversionem suam gratam fore credat cœtibus Angelorum; quorum aut affectare patrocinium, aut vereri debet offensam. Et tu igitur esto Angelis lætitia, gaudeant de reditu tuo.*

DOM. IV. POST PENTECOSTEN.

THEMA *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Luc. 5.

Procrastinatio rei speratæ valdè torquet sperantem ægrum, captivum, militem: *Spes quæ differtur affligit animam*, Prov. 13. Multò magis affligit spes delusa post labores. Piscabantur Capuani irrito conatu, quando Bellarminus transiens despectabundos recreavit jactu felicissimo. Brasili desponderant animos, adversâ tempestate piscationem impediente; quando Josephus Anchieta nostræ innumeram ipsis piscium multitudinem precibus in terra compegit. Ita narrant, qui utriusque res gestas posteris tradidere. Mœstus Petrus post noctis integræ laborem, dicebat Christo, se nihil cepisse, quando Christus ipsum ac socios miraculo solatus est. Lugebant isti noctis unius, illi paucarum, irritam operam. At quàm lugendi, qui totas noctes, & dies, & vitam perdunt, nihil capiendo: navigent licèt, non in scaphis, sed in triremibus; piscentur licèt, non retibus cannabinis, sed sericis, vel aureis? Aut, si quid capiant, vilem forsan aliquam & putridam salpam capiunt, uti M. Antonius Alexandriæ, apud Plutarchum in ejus vita.

Tria sunt hominum genera, Infideles, Fideles mali, Fideles pii. Omnes de se dicere possunt, *Per totam noctem* &c. Illi semper, quamdiu mali sunt. hi plerumque, licèt boni sint.

Priora duo genera, quia statu junguntur, tractatione jungamus. Paulinus ep 20. ad Amandum: *Proximus*, inquit, *infidelis est, qui mortuam sine operibus fidem, vacuo Christiani nomine, gerit.* Amplius D. Paulus 1. Tim. 5. *Qui suorum, maximè domesticorum, curam non habet, infidelis est, & infideli deterior.* De peccato omissionis hoc dicis, Apostole: quid de commissis adulterorum, injustorum, crudelium dixeris?

In nocte sunt Infideles, etsi *lux*, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ipsis illuxerit. Adest lux ipsis, sed absunt ipsi à luce, sicut cæcis contingit, ut Aug. ait Tract. 1. in Joannem, ad illa verba: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Persuadere quidem ipsis cæcitatem suam difficile est. Similes sunt cæco, qui, apud Boëthium l. 4. pr. 4. *amisso prorsùs visu, ipsum se habuisse oblivisceretur intuitum.* Similes Harpastæ fatuæ apud Senecam epist. 50 nescienti sese cæcatam; sed existimanti, nihil à se videri, quòd ablata essent omnia. Ideò magis deplorandi, quòd in nocte noctem nesciant, & lucem ignorent, adeoque non inquirant. Nec sibi blandiantur mali Fideles de luce fidei: quid enim illa prodest, si sunt in nocte peccati, & sedent in tenebris, atque umbra mortis? *Quid sunt peccata*, inquit Aug de symb. ad catech. cap 6. *nisi magnæ tenebræ, quæ faciunt gravem noctem?* Non Mahumetanos solum, aut Paganos, aut Calvinistas, vocavère Christus & Apostoli *filios & operarios noctis, ac tenebrarum.* Et qui,

§§§§§ 2   Mat. 22.

Mat. 22. ejectus est *in tenebras exteriores*, erat de numero convivarum fidei, sed carebat veste nuptiali caritatis. In nocte sunt peccatores quilibet, eodem loco per Bernardum repositi: *Nox est Gentilitas, nox est haeretica pravitas, nox est quorumdam Catholicorum perversitas.* Ægyptiorum instar Ex 10 palpabilibus tenebris extra fidei aut gratiæ lucem obruti, non sedent tamen & quiescunt ut Ægyptii, sed laborant.

Ne existimes, quia Pagani intellectu obscurato rapiuntur, quia hæretici judicium privatum sequuntur, quia improbi feruntur per latam viam, & ambulant post adinventiones cordis sui: ideirco illos non laborare. Laborant æquè, imò magis, quam Fideles probi, qui rationem fidei subjugant, passiones divinæ voluntati submittunt. *Considera*, inquit Paull. ep 4 ad Sev. *hujusmodi mortalium vitam, tota tibi species jumenti molentis occurret* &c. Attendebat, opinor, in illa similitudine Paulinus ista lacri poetæ, *In circuitu impii ambulant*: aut ista profani, *Redit labor actus in orbem*. Justi deducuntur per vias rectas, à se in Deum exeunt. injusti à se in se reflectuntur, tanto laboriosiore itinere, quanto difficilius est in orbem currere, quam progredi. Habemus ejusdem laboris vivam imaginem Jud. 16 in Samsone, excæcato, molam agente, nihil lucrante, aut capiente, præter miserum cibum diurnum.

Sic sunt peccatores; laborant, & omnis labor eorum in ore suo, in hac vita mercedem recipiunt, ad alteram boni nihil. *Erravimus*, inquiunt apud Sap. cap 5 *à via veritatis, lassati sumus in via iniquitatis*: quid deinde? *Transierunt omnia velut umbra*, &c. Non opera tantum de se mala nihil tulerunt boni; nec sola indifferentia perierunt: sed bona quævis ex virtute morali profecta. De Infidelibus pronuntiat Paullus Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* De peccatoribus dicit Eccl. cap. 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus.* De utrisque iterum Paullus ad Titum cap 1. *Inquinatis, & Infidelibus nihil est mundum.* Inde apud Theologos distincta in peccatoribus operum genera tria, mortifera, mortificata, mortua. Mortua omnia sunt, quæ producunt mens & conscientia peccato inquinata.

Fatetur Augustinus in Confessionibus, vix umquam sese sine lacrymis legere potuisse mortem Didûs apud Poetam. Quantò lacrymabilior est mors tot præclarorum operum apud Paganos? In Græcis video Aristidem, Socratem, Cratetem, Stilpontem. Inter Romanos audio Regulum, Torquatum, Senecam, Papinianum, Helvidium. Quæ, Deus bone, miracula æquitatis, fortitudinis, virtutum que fermè omnium! Quò tamen illa evasêre? In fumum, ac cineres, ut poma lacus Asphaltitis.

Apud Judæos etiam hodie justitiam invenire est, apud Hæreticos opera caritatis. Catholicus peccator orat, jejunat, largâ manu eleemosynas spargit. Fac orare ut Antonium, jejunare ut Paulum, largiri ut Joannem Alexandrinum mortua tamen omnia ista opera sunt, ad vitam æternam nihil proficiunt. Nec mihi illud Christi objiciatur *Quod superest facite eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*: apud Lucam cap. 11. Respondit enim Augustinus Ench. cap 75. & initio cap 76. istam Christi sententiam ex antecedentibus exponendam: *Stulti, nonne qui fecit, quod deforis est, etiam quod deintus est fecit?*

Frustra, ut Evagrius ait, apud Baronium anno 565. ædificatis templa, nosocomia, xenodochia, ut Justinianus; si vitæ tuæ actiones sine scelere, sicut hostiam, Deo non offeras. Frustra, ut Senatorem illum apud Greg. lib 4 dial. cap 36, Angeli te ob eleemosynas sublevabunt; si ob scortum, ac libidinem, deorsum a dæmonibus trahatis.

Quid, quòd frustra sæpenumerò sunt opera ipsa justorum, ordum non florum? Ad meritum enim caput tres habere dicet, fidei, gratiæ, rectæ intentionis. Si infidelis es, nihil mereris: item, si Fidelis, sed peccator: denique, si Fidelis & justus, sed Deo non laboras. Audisti Matth. 6. Christum dicentem: *Si lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Lumen illud à bono fine est, quem in operibus quisque sibi debet præfigere. Boni finis defectus, seu tenebrosa intentio, noctem in actionibus facit. Inde illud orantibus, ac jejunantibus vano fine, dictum, *Receperunt mercedem suam.* Anno uno numeramus dies 365. horas 8766. quadrantes 35064. Quantum in tot quadrantibus lucri faceremus, si Paulli consilium sequeremur, ut Dei gloriam omnia dirigeodi, sive manducando, sive bibendo? Vide illud mercimonium, & piscaturam spiritualem, benè expositum apud Drex. in Trib l. 1 c. 5. §. 3.

Eamus per compita & devia populosæ civitatis, & varietatem laborantium spectemus, qualis ab Ecclesiastico describitur cap. 38. Quicumque, de tam multis, in cælo mercedem tantorum laborum inveniet? Ingrediamur domos sacras, ubi divina fermè omnia. Quàm multa illic etiam pereunt, ad vitam æternam profectura, si benè fierent? Verendum, ne lo unt veri Dei cultoribus idem contingat, quod sacerdotibus Baalis 3 Reg 18. quibus clamantibus, & sese incidentibus, *non erat vox.*

Vis tempus, & operam non perdere? Fac, quod Protocomes hic, & Mercator apud Palladium cap. 63. & apud Rufinum lib 1. cap 16 denuntiati sanctiores Paphnutio, ob ista præsertim, quod Protocomes quotidie manè Deo actiones suas consecraret, & quòd mercator assiduè cogitaret, nihil se pro Deo fecisse adhuc, factum quod præ manibus erat. En verbum Christi, in quo rete laxandum est. En lux intentionis, quam, ut fructuosè laboremus, flagitare oportet cum Drogone Ostiensi: *Orere Sol amabilis, ut exeat homo ad opus suum, & ad operationem usque ad vesperam & operetur non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Anima mea inanis & vacua est, & tenebræ super faciem abyssi dic, ut fiat lux, & fiet. Iam creasti eam, ut aliquid sit; crea eam, ut lux sit.*

THEMA alterum. *Eris homines capiens.*

Christus, qui nutritium voluit habere fabrum, præcursorem anachoretam; ille primos Apostolorum voluit habere piscatores. *Venite post me*, inquit Mat 4. *faciam vos fieri piscatores hominum.* Idem jam Petro dicit. Et olim per Prophetam prædixerat: *Mittam eis piscatores.* Ea piscatorum electione, & piscationis similitudine, Christus tria significata voluit: primum, quid mundus esset: deinde, quales deberent esse Apostoli: denique, quomodò studere oporteret hominum conversioni.

Mundus *mare est magnum & spatiosum manibus, ubi reptilia quorum non est numerus: animalia pusilla cum magnis*: Frigidi homines, piscium instar, sine caritate: muti, sicut pisces, sine veritate: exleges & vagi, quemadmodum pisces, passionum ductum sequentes sine ratione: injusti, rapaces, invicem devorantes, more piscium, sine æquitate. Sic erat mundus, cùm illuc misit Christus piscatores hominum. Qualis autem modò est?

Piscatori magnâ præsertim patientiâ opus est, ut noctes totas & dies constanter laboret, nec, lupe licèt frustratis conatibus, animum despondeat. Exemplum habes in Petro hodie: quotidiana spectantur in aliis passim, seu linea, seu reti, seu nassa, seu jaculis &c. utantur. Eadem virtus piscatori spirituali maximè necessaria est: ut non facilè desperet, etsi plurimos fecerit jactus infælices. Frequenter dedit momentum, quod anni non dedêre. Apostolis id contigit: contigit eorum discipulis, & nuper B. Salesio. Jubet Christus a Petro duci in altum, & laxari retia in capturam. Gurgites, & altas aquas quærit piscator: & retia quantum potest diducit. Captator animarum ducat in altos peccatorum gurgites, in profunda mentium & conscientiarum: laxet retia ad quosvis, eosque ubivis indaget, neque operam restringat ad paucos: convertat in carcere Manassen, in via Paullos, in templo Heliodoros, in gurgitibus intemperantiæ, injustitiæ, crudelitatis.

Hoc differt piscator spiritualis à corporali: quod iste capiat, ut occidat, ille capiat, ut det vitam. Vixissent pisces, si iste eos non cepisset. Periissent homines, si ille ipsos de mari non extraxisset Id videtur spectâsse Evangelista, voce Græca ζωγρῶν, quod interpres Latinè reddidit *capiens*, sed exprimi ad verbum poterat, *vivos capiens*. Capiuntur vivi pisces, paullò post moriturі. Capiuntur mortui per peccatum homines, per gratiam victuri. Venit Christus pastor, *ut oves vitam habeant, & abundantiùs habeant*: venêre Christi afficclæ piscatores, ut pisces revivicent ad vitam immortalem. *Magna Dei potentia ex aquis ortum genus, partim remisit gurgiti, partim levavit in aëra*, ut olim canebat Ambrosius. Christianos *ex aquis ortum genus*, in baptismo regeneratum, Deus ex aquis magni maris educit, & levat in cælum.

Quid autem, inquis, isthæc ad nos? Dicantur talia successori Petri, *annulum Piscatoris* gestanti. Dicantur Episcopis, curionibus, viris Apostolicis. Omninò illia dicantur: nec tamen aliis Christianis silentur. Cuilibet scripsit D. Paullus, *Unusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.* Non sunt tibi retia doctrinæ, sermonis, auctoritatis? At sunt retia bonorum exemplorum: lava illa, ut non inquinent; refice, ut non transeantur; laxa, ut quoslibet amplectantur. Si solus exemplo non sufficis, annue socius, adscisce adjutores, labora, trahe, cogitando; jubente, spectante, auxiliante Christo, cujus voluntas est sanctificatio tua, & aliorum.

THEMA tertium. *Homo peccator sum.* Ib.

Spectate insigne heroici & humilitatis certamen Christus Petrum præsentiâ suâ, & miraculo exaltat: Petrus dicit, *Exi à me, quia homo peccator sum.* Humilitati se

rursum

rursum Christus ait, *Ex hoc jam eris homines capiens.* Tu quidem homo es: sed ego Dominus, qui de rebus nihili res magnas facio. Quia homo es, eris meus vicarius: quia peccator es, fies piscator: quia mortalis es, eris homines capiens ad immortalitatem, ad vitam ζωγρῶν.

Itaque si quæramus, cur Petrus est humilis? Quia est *homo peccator.* Cur est excelsus? Quia *homo peccator. Vir sapiens, & gravis*, inquit Ambrosius lib 3. de virg *ut qui esset Ecclesiæ fundamentum, & magisterium disciplinæ, nihil mallent esse prosperis, quàm ne secundarum operis extolleretur eventu.* Et Chrysostomus hom. 38. ad pop. Ant. & hom 3. in Mat. ait, Petrum ideo factum esse *Ecclesiæ fundamentum*, quia dixit *Homo peccator sum.* Consideremus Petri magnitudinem in sua parvitate, parvitatem in magnitudine: ex illa gratias Deo agamus, quòd simus in navi Petri; ex hac discamus nos humiliare, quia *homines* sumus, & *peccatores.*

Adversarii nostri vehementer primatum D Petri impugnant, quia illo urgentur. Nam si admittunt: consequenter debent admittere primatum Papæ, qui ejus successor est, & hæres auctoritatis Oportet enim, ex rectæ rationis judicio, Ecclesiæ caput esse, quomodo fuit tempore Petri: nullum autem esse oportet, nisi qui ipsum Petrum exhibet. & loco eius præsidet. Quibus admissis, coguntur agnoscere, Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam, quia est Ecclesia Petri; Ecclesia vero Petri, est Ecclesia Christi. Unde ad extremum consequitur, ipsos, ab Ecclesia Romana dissidentes, dissidere ab Ecclesia Christi, adeoque esse extra salutis viam.

Hæc ratiocinatio retia salutaris instar est, quo adversarios, in salo errorum jactatos, capere volumus ad vitam. Sed ipsi, ne capiantur, primum istum nodum de primatu Petri, unde totum rete pendet, conantur abrumpere. Stringamus illum fortissimè, non allatis argumentis omnibus pro Petri primatu, quæ ab aliis scriptoribus proferuntur; sed indicans tantum, quæ ex Evangelio & Actis Apostolicis peti possunt. Singula retis fila dirumpere fortasn conaretur libido contradicendi: sed universa nunquam abrumpet.

Affer quæ indicantur Exc. 1. ad cap. 1. hujus libri sect 2. num. 7. Tum nandi ad argumenta terna ex Evangelio hodierno *Funiculus triplex difficilè rumpitur.* Primus funiculus, *factum Verbi verbum nobis est*: ascendit non in navim filiorum Zebedæi cognatorum suorum &c sed Petri: cur hoc, neque enim sine caussa factum? Deinde dicit Petro, *Duc in altum*, *disputationum*, inquit lib 4. in Lucam Ambrosius: aliis dicitur *Laxate* &c Denique dicit Petro singulariter, *Ex hoc jam eris homines capiens*: etsi ante pluraliter aliis dixerat, *Faciam vos fieri piscatores.*

Recapitulatis argumentis omnibus, alloquamur adversarios, ut Augustinus Donatistas epist 162 *Quid vultis amplius homines, quod vultis amplius? Non de auro & argento vestro agitur... de vita æterna, & de fugienda morte æterna compellamus animas vestras... Non abditis secretis rimamur... res in aperto est Quid centies clariùs: quid certius creditis?* Ratiocinatio nostra de vera Ecclesia non potest solvi: nequit rumpi rete, quod unam vos capiat

Redeamus ad Petri humilitatem. Augustinus Anastasio epist 144 ait: *Mundus iste periculosior est blandus, quàm molestus*, &c. Oblivionem sui fœlicitas homini affert. *Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum*: quod in Amane demonstrat Assuerus, Esther cap. 16. Contrà, quàm laudabilis Hesther, quæ cap. 14. dignitatis suæ ornamenta contemnit: David, qui patitur se à Nathane commonerier de pastoritia vita pristina: apud profanos Agathocles, quem *Fictilibus cænasse ferunt*: in historiis Ecclesiasticis Urbanus IV filius cerdonis, Benedictus XI. opilionis & lotricis, qui memoriam pristinæ fortunæ voluere servari.

Designatur Petrus navicularius Ecclesiæ, depositarius doctrinæ divinæ: ipse dixit *Homo peccator sum.* Nihil, quà *homo*: quà *peccator*, minùs quàm nihil. Quanta est dignitas vicarii Christi? Jurisdictione superat Joannem Bapt. Angelos, Virginem. In ista dignitate positus Petrus, ad mortem usque dixit idem quod hodie, *Homo peccator sum.*

Christiani, deponamus perizomata ambitionis, titulos &c. Quid es artifex ingeniose, dives mercator, judex incorrupte &c? *Homo peccator sum.* Non audiamus adulatores, qui humanam naturam omnia extollunt. Plato vocat, *mundi miraculum*: Theophrastus, *exemplar Universi* &c Paullò aptiùs ad humilitatem, Secundus philosophus in sententiis vocat hominem *fortunæ ludibrium, vitæ exploratorem, lucis apostatam.* Optimè Baldad Job 25. *Homo putredo, & filius hominis vermis.* Etsi leoni comparetur, ut Judas Gen. 49 tamen *putredo* est, & *vermis*: etsi rhinoceroti, ut Josephus, tamen *putredo* &c: etsi formam habeat, &c. ut possit vocari, quomodò filiæ Jobi *Cassia*, *Dies*, *Cornu stibii* &c.

Homo putredo est, & vermis: quid *peccator?* Neque in sterquilinium utilis est, ut putredo: neque ad opera serica, ut bombices; ad medicamenta, ut lumbrici Venenati hi non suot, sibi saltem non suot: at peccator, ex serpente genitus, tum aliis venenatus est, exemplo &c tum sibi maximè, offensis.

O Domine agnosco me hominem peccatorem, non tamen dico, *Exi à me*, sed veni ad me: veni ad hominem, ut facias filium Dei: veni ad peccatorem, ut facias justum, dignum Ecclesiâ tua & Petri, hic, & in cælo. Amen.

DOMINICA V. POST PENT.

THEMA. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Matth. 5.

Res auditu jucunda pariter, ac vera, quemlibet, in recta fide, agentem quod sui status est non difficulter posse salvari Nonne Christus dixit, *Jugum meum suave est, & onus meum leve?* Nonne Petrus pronuntiavit, excutiendum a Christianis cervicibus Mosaicæ legis jugum, *quod nec nos, nec Patres nostri portare potuimus?* Nonne Paullus Ecclesiam monuit, *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis* &c?

Sed quomodò isthæc cum hodierna Christi sententia conveniunt, *Nisi abundaverit* &c? Quinam fuere Pharisæi? Quid agebant? Unum de multis audite: *Jejuno bis in sabbato? decimas do omnium, quæ possideo* Quàm pauci nostrûm æque jejunant, & erogant: nedum plus? Quomodò ergo facile intrabimus *in regnum cælorum?* Nolite trepidare Dispicite antè, an hæc sententia Christi, sit præceptum: quid præcipiat: an servetur à Catholicis?

Præceptum non esse, arbitratur Augustinus, sed consilium: quasi amicus amicum instruens ad negotiationem margaritarum, veras ab adulterinis dignoscendi indicia illum doceat. Status enim Ecclesiæ altior longe est gradu Synagogæ: & infimum ordinem pœnitentium in Ecclesia decreiet esse perfectiorem ordine justorum in Synagoga, ob exempla Christi. Sed aliud est decere, aliud oportere: præceptum longè distat à consilio. Uti consilium est, *Vade, vende omnia*: & hodie in Evangelio, *Relinque munus tuum ad altare* &c.

Pace tamen Augustini, dubitandum non est, quin in nostro themate contineatur præceptum, ex regula Ambrosii lib. de Virg. *Præceptum ibi est, ubi est pœna peccati... Hic liber est à præcepto, cujus defertur arbitrio* Benè item non bonus auctor ep. ad Demetriad *Videte, quæso, quantum à consilio distet imperium. Ibi aliquot excepti, hic generaliter omnes comprehendit. Ibi præmium proponit, hic pœnam. Ibi invitat, ut faciat: hic, nisi fecerit, comminatur.* Augustinus ipse serm 61 de Temp. *Consilium, qui libenter audierit, & fecerit, majorem habebit gloriam. Præceptum qui non impleverit, nisi pænitentia subvenerit, evadere pœnam non poterit.*

Atqui hic proponitur pœna, eaque omnium horribilissima, *Non intrabitis in regnum cælorum.* Dicimus in scholis, humanas Leges ad peccatum mortale obligare, quando civilibus annexa est pœna mortis, Ecclesiasticis Excommunicatio major Quæ autem mors magis timenda, quam secunda? Quæ major excommunicatio, quàm quæ separat æternum a societate Sanctorum? *Non intrabitis* &c.

Cum sit præceptum, sciendum quid præcipiatur. Ad hoc, intelligendum quid sit *justitia*, quid *Pharisæi*, quid *abundare.* Justitiæ nomine, hic non tantum intelligitur justitia virtus, seu quæ in commutationibus, seu quæ in distributionibus versatur: sed intelligitur virtus omnis, phrasi vulgari Scripturæ, *Vir justus*, *Ambo justi*, *incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini, sine querela.* Sic autem etiam hic eam vocem sumi, manifestum est, ex consequentibus. Nam istâ velut generali thesi positâ, delabitur ad hypotheses particulares: nec tantum agit de contumeliis vitandis &c quod ad justitiæ virtutem spectat, sed de continentia conjogali, quæ pertinet ad temperantiam; de eleemosyna caritatem respiciente, de recta intentione, oratione, &c. quæ referuntur ad religionem. Vide Mat 5 & 6.

Pharisæi, quid essent, id est separati, vide tum apud alios, tum apud Baronium initio Apparatûs ad Annales: ubi tres sectas Judæorum, Christi ætate, describit. Aliquid etiam afferent luminis Assidæi, de quibus consule à nobis dicta lib. 1. cap. 2 ad vers. 42. & lib 2. in fine, ubi Redani sententias examino, num 17.

Quid est abundare? Salmeron existimat, age de abun-

dantiore fide, spe, caritate: in quibus Christiana vita sita propriè est. Fidem debere esse majorem, quàm Pharisæis; extensione ad plura objecta; intensione, ut sit vivacior, & plus operetur. Spem item; ut ad temporalia non abjiciatur & restringatur, sed ad spiritualia maximè tendat, & generosè Caritatem; ut etiam ad inimicos protendatur, ad mortuos, ad gentes: ut filius plus amet patrem, quàm servus; Principem plus diligat domesticus, quàm externus, qualis est Judæus comparatione Christiani. Bona item opera extensiora, & intensiora, sequuntur caritatem. Ita Salmeron tom. 5 tract. 33. Sed explicatio illa nimis magnum præcepti onus Christianis omnibus imponit. Vera itaque & communis sententia est, a Cajetano explicata, a Patribus plerisque indicata, Christum agere de falsa Pharisæorum & externa justitia, qualis Christianorum esse non debeat, adorantium Deum in spiritu, & veritate.

Primùm, ut ait Augustinus lib. de fide & oper. *Institia eorum est dicere, & non facere: ac per hoc, nostram esse volunt abundantem super illorum dicere, & facere.* Alligabant onera super humeros hominum, & digito suo nolebant ea movere. Habebant clavem scientiæ, & non intrabant. De illis dicebat Christus. *Non omnis, qui dicit, Domine* &c. *sed qui facit* &c. Secundo, *Culicem colantes, camelum glutientes*, parva peccata exaggerabant, crimina non curabant conquerebantur, quòd discipuli non lavarent manus ante edendum, vellerent spicas sabbato, hydrops curaretur; odio interim, & invidiâ, scatentes. Tertiò, fermentum ipsorum erat hypocrisis, externa curabant non interna, catino deforis purgato similes, & sepulcro dealbato: sicut Absalon tam pulcer fuit 2. Reg. 14. *ut à vestigio pedis, usque ad verticem, non esset in eo macula*, mente interim commaculatâ perditis affectibus ambitionis, lasciviæ &c. Vide picturam Bigotteriæ a nobis in Pharisæo expressam, ad illa Christi & Isaiæ, *Populus hic labiis me honorat* &c. fer. 4. post Dom. 3. Quadr.

Applicemus hæc nobis Christiani. Plúsne abundat justitia nostra, veriórne est, modúmne ac formam habet meliorem, etsi materiam forsan non abundantiorem, quàm Pharisaica? Audio obmurmurantes hæreticos. Nonne Catholici multiplicant præcepta Ecclesiastica, & canones: traditiones, & sacramentalia commendant: toti sunt in cæremoniis? De istis mox videbimus. Ante de vobis, ô fratres Ægyptii, disputemus. Estne vestra justitia Pharisaica? Planissimè. Nam primò tota vestra justitia exterior est, & imputativa: mutatio, ex vestris erroribus, non fit in anima per gratiam, cùm tamen ex plurimis Scripturæ locis manifestum sit, mutationem in justificatione fieri interius. Consule scriptores Controversiarum. Deinde, parva peccata tanti ac magna facitis, venialia mortalibus æquiparatis: Calvinus lib. 2. Instit. cap. 8. & lib. 3. cap. 4. Denique dicitis, & non facitis: quia opera bona docetis ad justificationem non esse necessaria: &, quamvis nonnulli apud vos moraliter benè agant, inutiliter tamen ad salutem. Quid apud Catholicos simile, justitiam interiorem statuentes, peccatorum gradus distinguentes, opera bona necessariis prædicantes?

Caveamus tamen, ne ansam ipsis aliam demus de nobis obloquendi, & cum Pharisæis nos componendi. Plura ne dicamus, quàm faciamus: Deo similes simus, qui *semel locutus est*, plurima fecit: idcirco nobis lingua unica data est, manus duæ. Elio Jobo dicit cap. 38. *Eloquentia mea non te terreat:* Septe habent χείρ μου, ut significetur, eloquentiam veram in manu esse. Apud philosophos scientiæ speculativæ pluris sunt practicis, apud Christianos contra. Moses, impeditâ linguâ, patrat miracula.

Deinde, parva pluris non faciamus, quàm magna. Alioqui Bonaventura lib. de sex alis cap. 3. post benè distincta opera præcepta per legem æternam, canones, votum, disciplinam exteriorem, nobis dicet: *Quidam pro una inclinatione in choro neglectâ plus accenduntur, quàm pro longa detractione... pro versiculo & rubricula neglecta, quàm pro magna perturbatione.* Augustinus ep. 119. ad Januarium similia queritur: *Hoc nimis doleo, quòd multa, quæ in divinis libris saluberrima præcepta sunt, minùs curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, ut graviùs corripiatur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentiâ sepelierit*, &c. Accedet Chrysostomus hom. 3. ad pop. & Sauli nos comparabit, jejuno, & odii atque invidiæ pleno: *Quæ utilitas, cùm avibus quidem, & piscibus abstinemus, fratres verò mordeamus, & comedamus?*

Denique, interiora magis, quàm exteriora curemus, naturâ ipsâ docente, quæ opes fossilium abdidit. Levitici cap. 11. Deus a sacrificiis arcet cygnos, & struthiones. illos forsan, quia albi plumis, cute nigri. hos, quia pennati non volant. A Psalmista vocatur *Deus cordis*, non oris tantùm, & vultûs. Augustinus lib. 83. quæst. *Summa, & divina virtus est, neminem decipere: ultimum vitium est, quemlibet decipere:* etiámne Deum? Antonius Lerinensis apud Ennodium, agnovit latronem monachi veste indutum; D. Benedictus agnovit militem, qui Totilam mentiebatur. non videbit Deus, quid intus sis, etsi foris aliter appareas? *Adoremus in spiritu & veritate:* ne nobis Christus dicat, apud Augustinum tract. 10. in epist. Joan. *Sic me honoras, jussum me calcas: sicut si velit tibi aliquis osculari caput, & caligis clavatis conterat pedes tuos.*

THEMA alterum. *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Ibid.

Inter vitia summum non est ira: cur igitur Christus, post virtutum documenta in monte exposita, insectationem vitiorum inde incipit? Quia vitium est oppositum caritati, & alia caritati item opposita producit. Sequamur Christi mentem, & videamus, quantum peccatum sit: tum remedium unum, atque alterum, proferamus.

Dupliciter sumi potest ira; ut motus passionis involuntarius; ut motus liber. Illo modo non est peccatum, alioqui Deus esset auctor peccati. Isto est peccatum, & quidem de se grave, *Qui irascitur fratri suo, reus erit.*

Ergóne reus Polycarpus Marcioni iratus, Paullus Act. 13. Elymæ, Petrus Act. 8. Simoni, Mathathias de quo lib. 1. cap. 2. vers. 24. apostatæ, Elias idololatris, Phinees &c? Christus ipse passiones habere voluit, etiam iram, vide Aug. lib. 14. de Civ. Petro dicit, *satana:* discipulis Emmaunitinis viatoribus, *O stulti & tardi* &c. facit *flagellum de funiculis* &c. Quid ad hæc? Responsio facilis est ex Græco, εἰκῆ, temere, sive *sine caussa.* Ira data est homini ut cos virtutis. modo caussam habeat, & non excedat limites, mala non est. si excedit, mala est proportione excessûs. De gradibus iræ vide Eac. 2. ad cap. 8. lib. 2. sect. 3. num. 11. & 12. Remedia terna. Primum, silentium sibi irato imperare: *Turbatus sum, & non sum locutus.* *Multos absolveremus, si ante experiremur judicare, quàm irasci*, Sen. lib. 3. de Ira. Alterum; considerare mala, quæ ex ira procedunt Isa. cap. 58. *Loqui quod non prodest*, tum odium, inimicitias. Tertium; à Christo petere remedium: ipse pax nostra est. antequam ad altare, id est ad se, accedamus, dicit, *Reconciliare fratri tuo.* Cui monito Christi obtemperatura Ecclesia, jubet ante Communionem sacerdotem dicere, *Pax Domini sit semper vobiscum*, & pacis mentionem iterum atque iterum facit in secretis orationibus. Augustinus serm. 83. explicans sacrificii cæremonias neophytis, ait: *Ubi peracta est sanctificatio, dicimus orationem Dominicam... Post ipsam dicitur, Pax vobiscum, & osculantur se Christiani in osculo sancto*, &c. Vide & ipsum serm. 16. de ver. Dom.

THEMA tertium. *Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ibid.

Si placuerit hic de Contumelia dicere, habes materiam affatim lib. 1. cap. 16. Eac. 1. sect. 4. Ad explicationem judiciorum nota ex Baronio an. Christi 34. duo fuisse apud Hebræos judicia, *Mammonoth* seu pecuniarium, *Nephasoth* animarum seu criminale. Horum duorum judiciorum fuère gradus tres. primus, trium virorum: alter, viginti trium, seu synedrion minus: tertius, synedrion magnum septuaginta duorum.

DOMINICA VI. POST PENT.

THEMA. *Misereor super turbam.* Mat. 8.

Persona Christi composita ex divinitate, & humanitate. partes, si tamen eo nomine divinitatem appellare fas est, sic habet distinctas, ut voluntates etiam & operationes habeant distinctas: quod Eunomius insanè negavit. Hoc posito, quæritur, utrum verbum istud, & affectum, *Misereor*, Christus de se dixerit, quà Deus, an quà homo? Non quæritur, an quà Deus, vel quà homo, miraculum pro sublevandis miseris sit operatus: constat enim, quà Deum principaliter, quà hominem instrumentaliter, miracula patrasse. Sed quærimus de affectu misericordiæ: soline humanitati competat, an etiam divinitati?

Ratio dubitandi est: quia Deus propriè non videtur posse dicere de se, *Misereor*; præsertim ex vi verbi Græci, σπλαγχνίζομαι, quod commotionem quamdam significat, eamque medullitus, & ex visceribus. In Deo autem mutatio non est. Præterea, ut ait Damasc. lib. 2. de fi. c. 14. *Misericordia est species tristitiæ:* tristitia autem in Deo non est. Itaque Christus, quà Deus, non potuit viscerali ista misericordiâ tangi.

Imò nec videtur decuisse, ut, quà homo, sic tangeretur

Provenit.

Provenit enim istud ex infirmitate. Sic censuit [illegible] Latinorum Stoicorum lib. 2. de Clem. *Misericordia proxima est miseriæ: habet enim aliquid, trahit ex ea. Imbecilles oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem & ipsi suffunduntur: tam mehercule, quam vitium esse, non hilaritatem, semper arridere ridentibus, & ad omnium oscitationem ipsum quoque os diducere. Misericordia vitium est animorum nimis miseriæ faventium.* Atqui in Christo, quà homine, vitium esse non potuit.

Ad hasce difficultates enodandas, dispiciemus, quæ misericordia in Christo fuerit, erga quos, quo pacto eam exhibuerit: unde vitium, quomodo a nobis [illegible].

Misericordia virtus est, quâ voluntas fertur ad opitulandum alienæ miseriæ, eamque depellendam. Si hoc facit, ut benè illi sit, cui opitulatur, est ipsissima caritas. Sin facit, ut tollat miseriam, id est aliquid inordinatum, & inconveniens illi naturæ, disputant Theologi, an peculiaris sit virtus, a caritate distincta. In ea virtute duo spectari possunt: motus naturæ, seu sensus, quem compassionem vocamus: & motus voluntatis ad succurrendum, qui propriè virtutis est.

D. Thomas 1. p. q. 21. art. 3. proponit hanc ipsam nostram quæstionem, *Vtrum misericordia sit in Deo*: &, post argumenta in oppositum proposita, optimè distinguit, ut fecimus, duo in misericordia, dicitque illam esse in Deo, bonitatis & caritatis fonte, *quoad affectum, non quoad effectum.* *Ab ira Dei [illegible] detrahe turbulentum motum*, inquit August. lib. 2. ad Simpl. q. [illegible] *ut remaneat vindictæ vigor, atque ita utrumque assurge in [illegible] illam, quo dicitur ira Dei. Item de misericordia Dei si auferas compassionem, [illegible] participatæ miseriæ, ut remaneat tranquilla bonitas subveniendi* &c. Non est itaque major de misericordia Dei difficultas, quam de ira. Exod. 32. *Dimitte me, ut irascatur furor meus.* Psal. [illegible] *Iratus est furore Dominus*; quam de pœnitentia Gen. 6. *Tactus dolore cordis intrinsecus.* [illegible] in Scriptura Deo tam sæpe misericordia tribuitur, ut nomen ipsius esse videatur. Atque adeo nihil prohibet, ut dicamus Christum, quà Deum, hodie dixisse, *Misereor.*

Quia homo autem, non tantum quoad voluntatem misertus est; sed etiam, quoad effectum illum teneræ compassionis, & visceralis motûs. Neque hoc magis imperfectionis ullius est, quàm timere, tristari, lacrymari: quæ omnia de se naturalia sunt, nec mala de se, nisi rationis usum vel præveniant, vel impediant. Si præveniunt, etsi peccata non sunt, sed sunt imperfectio: si impediunt, sunt peccata. Neutro istorum modorum in Christo fuere: timuit, cùm voluit, &c. misertus est cum viscerum commotione, quando voluit, & quantum voluit. Vid. à summis [illegible] sequente Luc. 7. *misericordiâ motus est*, [illegible]. Mortuo Lazaro, cum videret flentem Magdalenam, lacrymatus est JESUS. Compassus est, flevit cum flentibus, quia dignum erat compassione objectum. Sic hodie miseretur, quia caritas postulabat.

Erga quos? *Super turbam.* Multitudo confusa erat, permisti conditionum variarum, ætatum, sexuum homines. Neminem aspernatur. *Misereris omnium, Domine, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*, Sap. 11. Si *fecisti*, quod primum misericordiæ initium est, educendo ad esse a non esse malo magno, non ne miserando perficies? Artifex aliquando non amat opus suum, in quo illi irascitur: at Deus nihil odit eorum, quæ fecit. Invenias patrem, à quo filius deseratur, ut Ismael ab Abrahamo: at desertus ille ab Abrahamo, non deseritur à Deo. Gen. 16. & 21. *Excelsus Deus, & humilia respicit: & alta à longè cognoscit*: non despicit, neque humilia, neque alta.

Deinde, erga eos *qui triduo sustinent.* Miseretur Deus eorum præcipuè, qui sperant in illum, qui sequuntur illum, & audiunt vocem ejus. Nonne etiam aliorum miseretur? Plane: sed horum magis. Ordinata est enim caritas, & misericordia Dei. *Bonus Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Hoc [illegible] ostendimus.

Præterea, miseretur nominatim eorum, quos si dimitteret *jejunos, deficient in via.* Ubi major necessitas, ibi major Dei caritas, Deo dignum opus. *Ubi plus periculi, ibi plus auxilii.* Et hoc aliàs a nobis deductum.

Denique eorum maximè miseretur, qui *de longè venerunt.* Quinam autem venerunt ex remotiori loco, quàm peccatores pœnitentes; Prodigus ad patrem?

Quâ verò ratione, & mensurâ, miseretur? Spectemus Evangelii nostri exemplum, & figuram. *Manducaverunt, & saturati sunt*: non tantum ad pellendam tamen dapsa est cibus, sed ad saturitatem, & septem sportæ fragmentorum superfuere. *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Indiget aliquis sapientiâ? *Postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.*

[illegible] exemplar misericordiæ vestræ habetis, Christiani. *Estote misericordes, sicut Pater vester cælestis: Estote perfecti*: misericordia, & perfectio, sunt idem. *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*, præit nobis, ut & nos simus homines misericordiarum & consolationis, ut Paul. los monet [illegible]. Idem Paullus Col. 3. dicit *Induite vos viscera misericordiæ.* Non habebant Pharisæi viscera illius, sed [illegible] duntaxat, ad pompam. Non habebit viscera [illegible] qui dedit panes *ob importunitatem.* Opus est [illegible].

Erga quos? Omnes, quicumque miseri esse possunt, & objecta caritatis. *Super turbam.* Nemo aspernandus, quamvis pauper, quia fortè ejusdem. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas. Aquæ multæ, populi multi.* Nominatim autem eorum [illegible], qui sustinent te, qui proximiores sunt tibi, & a te [illegible] exspectant auxilium. Eorum item præcipuè, qui magis indigent: cum enim misericordiæ objectum [illegible] procul dubio majoris misericordiæ objectum est major miseria. Quæ autem miseria major, quam eorum, qui de longè venerunt, qui peccatores vel adhuc sunt, vel pœnitentes ne sint? *Feneratur Domino, qui miseretur pauperis*, maximè talis. Apponunt Apostoli *septem panes, & pisciculos paucos* turbæ: inde plus recipiunt longè, quam apposuerunt.

Appone quod habes, Apostolorum discipule, & largiter indigentibus. Fiat misericordiæ tuâ liberalitate, quod Hilarius lib. 3. de Trin. & tractatum in prod[illegible] multiplicatione panum. *Semper profringentium manum sua [illegible] occupant, [illegible] momenta [illegible]: dum plenam fragmentis manum sequitur alteram sine damno portionis sua [illegible].* Non deerit misericordi, quod largiatur, & superabunt fragmenta, sportas cumulatura. Misericors Deus, misericordiam in erga nos exercet [illegible] in virtutem, tam tibi caram, tam nobis necessariam, [illegible] buendo.

THEMA alterum. *Præcepit turbæ discumbere.* Ib.

Cura Providentiæ divinæ de homine, præsertim probo. Vide lib. 1. Exc. ad cap. 14. tract. de bon. [illegible] part. 1. sect. [illegible]. Ex eadem parte sect. 2. poteris [illegible] de prævisis & præordinatis à divina Providentia casibus omnibus, & fragmentis rerum minutissimis.

THEMA tertium. *Triduo sustinent me.* Ibid.

Genesis cap. 4. nepoti Adami datur nomen, quo qualitates hominis duæ, eæque malæ, exprimuntur: *Enos*, id est, *obliviosus*, & *ærumnosus*. O quam *obliviosus* homo beneficiorum alienorum: non suorum bonorum, non alienorum malorum! Ipsa beneficia divina quam facilè obliviscitur! Ut propterea dicatur Seth pater Enos, Adami jussu, columnas duas insculptas historiâ creationis erexisse. Id verum est, quod Josephus narrat lib. 1. Ant. cap. 2. O quàm *ærumnosus* homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis, in anima & corpore!

Ille ergo Enos, qualitates hominis nomine suo exprimens, habet elogium nomini suo valde conveniens: *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Nonne invocârit pater, patruus Abel, avus &c. Aliqui dicunt tunc fuisse cœptam idololatriam, cui sele [illegible] piorum cœtibus, Enos opposuerit. Ideoque Rabbinos legere, *Tunc profanata est invocatio nominis Domini.* Divus tamen Thomas 2. 2. q. 94. art. 4. ad [illegible] dicit tunc nondum fuisse idololatriam. Fuerit ergo tantum apud multos oblivio divini cultûs, quem instaurare Enos conatus sit. Legunt alii, *Iste cœpit vocari nomine Domini.* Septuag. legunt: *Iste speravit invocare nomen Domini.*

Optimè invocat, & sperat Enos, homo obliviosus, & ærumnosus. Enosi nos omnes, obliviosi, ærumnosi, invocemus Dominum; &, ut invocemus, speremus. Medicamentum oblivionis, & ærumnarum, spes. Fulciendæ spei, non columnas duas, sed tres erigamus, sæpe commendatam considerationem Scientiæ, Bonitatis, Potentiæ divinæ. Imo *triduum* illud erit, quo sustinebimus Dominum, & a Domino sustentabimur.

Scientiam Dei, quam in se nisi revelata facie attingere non possumus, explicamus per objecta ad quæ tendit. Scit præsentia æque perfectè singula, atque universa, minima, maxima, externa, interna: ideòque pingi solebat, ut oculus, aut Sol. Scit præterita, ut præsentia: nihil enim [illegible] immotæ æternitati non est præsens. *Tu cognovisti omnia novissima, & antiqua*: ideò comparatur libro, in quo *omnia scribuntur: sedit judicium, & libri aperti sunt.* Scit futura, & sic, ut in eo sit singularis à talis dies distinctio: *Annuntiate, quæ ventura sunt, & sciemus, quia dii estis*: tam certo scit, quam præsentia, quia æternitas illis jam coexistit, sicut immensitas locis. Et si non intelligimus illud æternitatis prodigium, tamen ita res habet,

quia

quia tempus volvitur circa Esse immutabile di[illegible] Scientia Dei de praeteritis, [illegible], & fut[illegible] de futuris [illegible] de possibilibus, dicitur simpl[illegible] dicitur ad omnia. Ad hanc refert scientia conditionalium, quam [illegible] Deo esse constat ex Reg [illegible] de Cei[illegible] & agnoscit Aug[illegible] q. [illegible] quod in eo, [illegible] jubetur Moyses dicere Pharaoni, quod d[illegible] eam [illegible] ibit [illegible] in desertum [illegible] etiam [illegible] fecit, [illegible] ille dimitteret. Hanc omni[illegible] in Evangelio hodierno [illegible] Christus praesens: De longe venerunt, trudio inst[illegible] Praes[illegible] Non habent quod manducent. Futura: Misereor, [illegible] quid esset patraturus miraculo. Possibilia, & con[illegible]: Si dimisero eos, &c. Invoca, spera Enoe: Christus scit necessitates tuas omnes, & modos eruendi. Gressus meos tu dinumerasti. [illegible] in mente pedes meos. capilli capitis vestri omnes [illegible], &c.

Scientia sine bonitate parum est. Multi sciebant [illegible] gentiam Lazari, jacentis ante januam: non [illegible] [illegible], defectu bonitatis. Bonitas Dei [illegible] [illegible] potest. primò pro Perfectione, quomodo dicitur Deus [illegible] esse, quae fecerat, valdè bona: deinde, pro Sanctitate, Nemo bonus, nisi solus Deus: denique pro Beneficentia, & communicatione, quia bonum est sui diffusivum. Ista tertia significatione hic sumitur. Deus illam demonstrat communicando creaturis bona naturalia, [illegible] dando capacibus bona supernaturalia, gratias: reddendo mercedem pro quibuslibet benefactis, etsi servi inutiles fecerimus, quod debebamus. Quò persona offensa [illegible] est, eo magis crescit offensa: contrà, obsequium eo [illegible], quo major is cui servimus. Quam obliviosi homines multi ob equitium sibi impensorum? Pincerna Gen 40. oblivicitur Josephi. Assuerus Hest. 6. Mardochaei. Saul 1 Reg 16. & 17 Davidis. David ipse Uriae. At Deus, Non est injustus, ut obliviscatur operis vestri &c. Heb 6 Bonum factum Deum habet debitorem, sicut & malum, inquit [illegible] lib. de poen. Agapitus Diaconus scribit Justiniano Imp. Deum speculi instar esse, imagines actionum nostrarum mercede certâ referentis. Ac quâ mercede? Vivere mundo, inquit Chrysol. serm. 25 centum ad unum: & apud Deum unum ad centum. Dubitas? Vide hoc unum miraculum. Tradito jussimenti me. Quantillum hoc? Et nonne sua magis, quam tua causâ jussimenti? Nihilominus faciam eorum causâ miraculum, [illegible] videndo, & experiendo, debuissent mihi triennio servisse. Tantum facit pro corpore Christus; quid pro anima faciet in coelo? Tantum, ut beati ipsi mirabundi dicturi sint. Quando te vidimus esurientem, & pavimus te &c. Assuesce igitur obsecro te, inquit Augustinus Macedonio ep. 52 ò vir bone, bonum esse in aeterna spe, ut sic etiam ve, cùm pietas perseverantissima tribuetur merces felicitatis aeternae.

Et quò firmius speres, attende cum Dei scientia, & bonitate, potentiam. Boni enim sunt, qui aliquando non possunt: at Deus, omnia quaecumque voluit, fecit. Potentiam ipsius etiam ex objecto agnosces, facere res de nihilo: conservare factas: reduplicare: destruere. Destructio non tanti est: etiam imbecillimus homo potest magna destruere, etsi non materiam annihilare, quod facit Deus. Pluris longè est creatio, & conservatio. Maximi aestimanda reduplicatio. Hic invenimus vel creatio panum, & piscium, vel conduplicatio. Vide sententiam Hilarii in calce concionis praecedentis.

O homines obliviosi, adhuc caecatum habetis cor? Id dicebat Apostolis Christus, statim post hoc miraculum: multis Christianis dici potest, consulentibus deum Accaron, & muscarum idolum, post tanta miracula bonitatis & potentiae Dei nostri. Nonne quotidie incurrunt in oculos? Aug tract. 24 in Joan. Unde multiplicat in panicis grana segetas, unde multiplicavit panes. Interim manemus immemores, frigidi, sine spe, vel ad spem alienam proni. Quid aestuas? inquit Augustinus Licentio, quid fluctuas? quid in [illegible] mortiferarum voluptatum aurem [illegible], & avertis à veritate. Mentiuntur, moriuntur, in mortem trahunt. Non dicit verum, nisi veritas: & Christus est veritas. Quis si laborare cogeres, vide, quis cogeret, quâ mercede cogeret. Beatus igitur, & solus in hac vita beatus, qui sperat eum, qui sperat in eo

Exspecta Dominum, in hoc vitae deserto viriliter age, eum sequendo, illi obsequendo & sustine Dominum, non triduo, sed die una hujus aevi, ut merearis sustentari coena illa magna & aeterna.

DOMINICA VII. POST PENT.

THEMA. A fructibus eorum cognoscetis eos Matth. [illegible] Evangelio hodierno idem significant falsi prophetae, spinae, tribuli, arbor mala, &c. qui dicit, Domine, Domine. Iste qui [illegible] rebus exprimunt falsa virtutis externae Evang[illegible] [illegible] De [illegible] mox tertio themate: de illa m[illegible]

Falsorum prophetarum nomen tribui potest binis hominum generibus. primum, qui speciosis verbis doctrinam malam commendant: deinde qui specie virtutis vitiis auctoritatem conciliant. In primo genere sunt haeretici, de qui[illegible] tum alii, tum nos alibi. In altero genere sunt hyp[illegible] [illegible] putoque, [illegible] meliore judicio, de his literaliter [illegible] Evangelium [illegible] praecedentia de justitia Pharisaeorum, & seque[illegible] de domo firmanda supra petram non supra arenam, attendamus &c.

Quid [illegible] hypocrita? [illegible] Haeredis fletus, sub persona, risus est. Ductum nomen a mimis, qui larvati solebant esse. [illegible] hyp[illegible] larvati [illegible] perfectam sanctitatis, foris splendidam, [illegible] inquit Prosper lib. 2 de Vita cont. cap 23 Berna[illegible] 33 [illegible] applicat hypocr[illegible] istud [illegible] 90. A negotio perambulante in tenebris. In tenebris habitatio [illegible], quippe [illegible] quod est. & quod non est mentitur. [illegible] habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. [illegible] tem tractant, inquit Tert[illegible] Ut perfectius id vitium internoscamus, advertendum duo esse genera [illegible] virtutum [illegible], in fine [illegible] Primum genus vitiis induit nomina virtutum. vide lib 1 cap 6 ad vers 17 sententiam Bern[illegible] & Prosperi Alterum genus [illegible] non bono bona exercet vide ib D Thomam & refer sententiam Prosperi lib. de praed & prom. p [illegible] c. p. 39. Spiritus malus est spiritus superbiae nequior illo simulatio humilitatis. Spiritus malus spiritus invidiae, nequior illo simulatio caritatis, &c. Procedit per septem vitia capitalia quibus septem spiritus nequiores ait esse simulationem virtutum oppositarum.

Hypocritam vidimus, dispiciamus ejus qualitates. Primum, est stultus. Bonam actionem fine vario vendis Adamantem quadrante, segnum acicu à! Nescis bona opera esse semen aeternitatis: calices aquae frigidae mercedem repositam? Deinde, est perfidus: amicitiam simulat hostis. Bene locuta volaverit Nahum 3. [illegible] mali amici deserunt in necessitate: hypocrita non tantum deserit [illegible] prodit, ut Joab Amasam, Judas [illegible] hostium, Ptolemaeus Simonem 1. Mach ult virtutes obtruncat mucrone virtutum Chrysol. ser. 7. Arabes aiunt, Optimum amicum esse, qui à malo absterret, ducit ad bonum: hypocrita ad malum ducit, per speciem ducendi ad bonum. Praeterea, eamque ob caussam, est periculosissimè pestilens malum enim cognitum vitabis, aut illo familiariter non uteris hic [illegible] pix occulta, hic gypseum, acidum fermentum, lues odorata. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum &c Sed quomodò cavebo, si non novi. Denique, sibi ipsi pestifer est. Sal infatuatum quò projicitur. Equum pa[illegible] dum Apoc. 6. id est, ut quidam aiunt, hypocrisin sequitur mors, & infernus In Evangelio hodierno, qui[illegible] fit arbori malae? Quid tu, agricola, facies spinis, & tribulis?

Modus hypocrisin agnoscendi, in illis verbis Numquid colligunt de spinis uvam, aut de tribulis ficus? Explicandae illius sententiae, utilis erit apologus Joathami Jud 9. Vinum laetificans Deum & homines, significat caritatem duplicem, erga Deum & homines. Dulcedo ficus, ad quam arborem alligatus taurus mansuescit, significat humilem mansuetudinem. Ea spina & tribulo noli expe[illegible] opera caritatis, mansuetudinis, humilitatis, saltem diuturna: si offenditur, iras, vindictas, suspiciones coquit. Auctor epist. ad Demetr. Perfacile est, vestem habere contemptam &c. & si vel levi sermone offensus sit, continuo attollere supercilium &c. Gregorius 5. Moral in Job cap 16 ad illud Eliphaz, Tigris periit, eò quòd non haberet praedam, dicit, maculosam sanctitatem, [illegible] est hypocrisin, perire, si approbatio desit, & praeda ut merces. Cor nostrum ipsi probemus, utrum ibi sit solida caritas, & humilitas: alioqui non est vera virtus. Dicetur nobis quod Act. 23. Paries dealbate.

THEMA alterum. Arbor bona bonos fructus facit. Ib.
Christus hortulanus, nos arbores, Exe ad cap. 3. lib. 2. sect. 12.

THEMA tertium. Qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum. Ib

Conformitas voluntatis humanae cum divina, summa virtutis, culmen caritatis, [illegible] semen, Canticum Canticorum, ut ait Bern. serm. 1 in Cant. Ea conformitas dupliciter exercetur, patiendo, & agendo De patiendo totus est tractatus de bona voluntate nostri ad lib 1 c. 14. & aliorum lucubrationes non paucae De agendo tractabimus hodie, videbimusque, quae sit Dei voluntas, & cur facienda?

D. Cyprianus insigni de orat. Dominica libro, post Evangelica praecepta generatim commendata velut magisteria

magistrum divina, fundamenta ædificandæ spei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimentum fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis: capita deinde sedecim affert, quæ Christianis servanda sint, iisque enumeratis subdit, *Hoc est præceptum facere, hoc est voluntatem Patris adimplere.* Sed nobis difficile est, tot capita uno sermone complecti: tam facilè dixerimus, bonum omne, virtutes omnes, esse voluntatis divinæ.

Theologi distinguunt duplicem in Deo voluntatem, *Beneplaciti*, & *Signi*: illam absolutam esse, de quacumque re, quæ evenit, bonâ, aut malâ: istam conditionatam, de iis quæ vellet Deus evenire, etsi eventura non sint, ut etiam arbor mala non mittatur in ignem, &c. S. Thomas paullò aliter 1 p. q. 19 art. 11. & 12. videtur voluntatem *Beneplaciti* ipsum facere actum divinæ voluntatis. *Signi*, illius voluntatis signa. Sicut enim voluntatem suam declaravit Abraham, præcipiendo Eliezero, ut filio quæreret uxorem; prohibendo, ne sumeret de Chananæis: suadendo, ut maturè ferret, ad gratiam aucupandam: operando, cùm adoravit Deum: permittendo, ut cum Lotho consobrino fieret divisio. Ita Deus voluntatem suam manifestavit Adamo, præcipiendo, *ut operaretur*: prohibendo esum *de ligno* &c. suadendo pœnitentiam operando, cùm venit *ad auram post meridiem*, in spiritu mansuetudinis: permittendo, ut comederet *de omni ligno* &c.

Breviùs dixerimus, duas esse voluntates divinas, Præcepti, Consilii. Earum distinctionem ex Ambrosio &c. vide supra Dom. 5 post Pent. themate 2. Distinctio reduci potest ad capita tria, modum, quo proponitur, fructum, id est præmium, aut pœnam propositam, personas, quibus proponitur. Consilium enim non comprehendit omnes, sed præceptum. Philo, lib de decalogo, quærit, cum hominibus omnibus generaliter lex lata sit, cur tamen velut uni dicatur, *Non facies, non assumes* &c? Respondet, id locutionis genus usurpatum: primò, quia bonus vir unus Deo est populi instar, imò totius Universi: deinde, quia major est in concione attentio, quando velut cum singulis loquimur, non universim. tertiò, ut ostendatur hominum omnium, quoad necessitatem obsequii divini, æqualitas, cùm omnes pariter præceptis obligentur, nullâ distinctione gradûs.

Præcepta nôsse facile Christiano est. Psal. 147. *Non fecit taliter omni nati & judicia sua non man* &c Baruc cap 4. *Beati sumus, Israel, quia quæ placita sunt Deo* &c. At unde noverimus, quæ nobis consilia sequenda sint? Neque enim omnibus posita sunt, & sunt multiplicia.

Primus agnoscendi modus est, ex statu sui, & finis regula: ut villicus iniquitatis deliberationem suam exegit ad suum statum, & conditionem præsentem. Es materfamilias: voletne Deus, ut ores valde diu, peregrineris &c. interim domi turbetur, jejunetur? Habes creditores: voletne Deus, ut eleemosynam tribuas caritati, non justitiæ debitum? Habes filios, publicam personam sustines, auctoritas tua necessaria: voletne Deus, ut bona tua dissipari sinas, & familiam pessumdari, ne litiges? Modus alter erit ab exemplis proborum: Jer 6. *State super vias, & videte, quæ sit semita* &c. Aulice, vide, quid Abdias fecerit in Achabi obsequio. Pater familias, considera Tobiam Ninivæ. Tertius modus, à consideratione illius, quod alteri suaderes, tali in re ac tempore. *Ecce vacillantes confirmaverunt sermones tui*, &c. Job cap. 4 vide & Eccl 34. Quartus modus, à cogitatione mortis, & judicii: quid tunc egisse vellemus?

Quærimus de agnoscenda voluntate divina. potiùs de facienda cogitandum, *Doce me facere voluntatem tuam*, ô Deus, inquit Psalmista, & toto ps. 118.

Motiva ad faciendum bina ex Evangelio desumo. Primum, *Qui fecerit voluntatem Patris mei.* Idem est mihi Pater, qui Christo, primogenito ex multis fratribus. Cur Christus fecit voluntatem Patris? Quia Pater est: *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te: Quæ placita sunt ei, facio semper.* Cur filii parentibus obediunt? Quia parentes sunt. *Ames parentem, si æquus est: sin aliter, feras*, inquit Publius. Seneca lib. 3. de Benef. in fine, post allata exempla liberorum, qui parentes amavêre, tulere, defendêre: eum filium ait esse laudabilem, qui possit hoc dicere: *Parentibus meis parui, cessi; imperio eorum, sive æquum, sive iniquum fuit, obsequentem submissumque me præbui: ad hoc unum contumax fui, ne beneficiis vincerer*, &c. Alexandrum Luzagium reprehendit parens, de nimiis sumptibus per studia in Academia factis: etsi immeritò reprehenderet, egit tamen ille gratias, rogavitque ut curam paternam continuaret, tam restrictam eam quidem, ut adulto ne talarium quidem barbitonsoris esset ad manum. Judæ Patriarchæ amorem in patrem vide Gen. 44. Josephi &c. vide cap 47 & quomodò utrique mandata patris servârint. Vide etiam Jerem. cap. 35. quomodò Rechabitæ mandata sui patris, id est abavi, servarent de non gustando vino. unde Propheta optimè argumentatur de obedientia Deo debita, ut patri; ejus enim sumus factura. Statua quo se pacto gereret erga statuarium? Materiam nobis, & formam, dedit Deus, &c.

Alterum motivum, post amorem Dei, sit amor nostri. *Qui facit* &c *ipse intrabit in regnum cælorum.* Hoc necessarium est absolutè ad salutem. *Deum time, & mandata ejus observa*, inquit Ecclesiastes. Adolescenti dicit Christus, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: Legisperito petenti, quid faciendo vitam æternam possideret, *In Lege, quid scriptum est?* . . *Hoc fac, & vives* Lubentes audimus signa prædestinationis. Petamus à Christo, quænam ea sint certissima? An cultus Virginis, Passionis memoria &c? *Non qui dicit Domine* &c. ut apud homines; sed, *qui facit*; ut apud Deum: *ipse intrabit*, &c.

Augustinus in ps 84. *Quis non exultaret, si subitò nescire eius peregrinanti, & ignoranti genus suum, patienti aliquam egestatem, & ærumnam, & in labore constituto diceretur, Filius senatoris es. Pater tuus amplo patrimonio gaudet: revoco te ad patrem tuum. Quali gaudio exultaret, si hoc non fallax promissor diceret? Venit ergo non fallax Apostolus Christi, imo Christus, non Matthæus, & ait: Quid est, quod de vobis sperantes? Quid est, quod vos affligitis, & mærore conteritis? Habetis patrem, habetis patriam, habetis patrimonium. Quis est iste pater? Dilectissimi, filii Dei sumus* Fidejussor, & frater noster est, qui dicit, *Qui facit volunt. patris mei, ipse intr.* &c.

DOMINICA VIII. POST PENT.

THEMA. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Luc. 16.

De eleemosynæ caussa, & materia, habes Exc. 2. ad cap 8 lib 2 sect. 1 totâ.

THEMA alterum *Filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt* Ibid

Prudentia villici iniqui, in negotio suo, comparetur cum nostra in negotio salutis æternæ. Id enim hac sapientissimâ parabolâ Christus intendit, pluris æstimandâ ad formandam prudentiam supernaturalem, quàm *tria millia* parabolarum Salomonis, sapientissimi simul & stultissimi virorum.

Quis status, seu negotium erat villici? Primò erat difficillimum negotium, quia dissipârat bona heri. 2. Ipse nominatim vocatus erat in jus. 3. Accusatores habebat potentes, qui fermè jam persuaserant, *Quid hoc audio?* 4 Non comperendinabatur: *Redde rat* 5 Pro damnato, jam habebatur: *Non enim ampliùs pot. vill.*

In tam desperato negotio, quantâ prudentiâ usus est? Ejus partes vide lib. 1. ad cap. 2. vers. 66. & quomodò singulas villicus in negotio suo adhibuerit, in prospiciendo fine, inveniendis mediis, deliberando, exequendo.

Quod est salutis nostræ negotium? De quibus bonis dissipatis agitur? De quam *innumerabilibus peccatis, & offensionibus, & negligentiis!* *Magnitudo periculi*, inquit Cicero pro Quintio, *summo timore hominem afficit, quòd uno judicio de fortunis omnibus decernit.* Quis vocatur in jus? Quilibet pro se. Optat Chrys. hom. 13. ad pop ut pro suis subditis ipsi liceat agere in judicio, sicut mater optaret febricitare pro filio: sed non licet. *Unusquisque onus suum portabit* Qui accusatores? Quot tentatores. Ipsa conscientia nostra: sensus ipsi. Ambr. de fugâ sæc. cap 1. *Respexit oculus, & sensum mentis evertit: audivit auris, & intentionem inflexit: inhalavit odor, & cogitationem impedivit: os libavit, & crimen caddidit: tactus contigit, & ignem adolevit*, &c. An datur comperendinatio? *Tempus breve est* 1. Cor. 7. *Nequaquam regnum tuum ultra consurget.* An prædamnati sumus? *Nisi abund. just. non intrab. in reg.* *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur.* *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ*, &c. Jam exempla damnatorum ob leviora, & pauciora nostris, peccata.

Tali rerum nostrarum statu, an desperemus? Nequaquam. Sed partes omnes prudentiæ adhibeamus, exemplo villici. Chrysologus serm. 126. *Vitam præsentis villici factum, sensumque sequeremur: converteremur ad animæ consilium, ad compunctionem cordis*, &c. 1. Utinam saperent, ac novissima providerent. 2. Dispicere vias salutis, præcepta, consilia. 3. Statuere, quid, quando, quomodo 4. & præcipuè, exequi. Bernardus lib. de int. domo: *Vitam meam quotidie corrigere dispono, semper autem de die in diem differo: &, dum in futurum fieri propono, fit, ut illud futurum semper sit futurum, imò fortassis numquam futurum.*

Quod de totius vitæ emendatione dicimus, idem de

partis alicujus correctione, de electione aliqua gravi &c. dicendum, eædemque adhibendæ sunt regulæ ex prudentia supernaturali. Baruc cap. 3. *Disce, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias, ubi sit longiturnitas vitæ & victus; ubi sit lumen oculorum, & pax.*

THEMA idem

Filios seculi constat dici, qui sæculi & sæcularium rerum amori in meris sunt. filios lucis, qui ex veritate, gratiâ, virtute agunt. Nam quod Chrysol. serm. 126. filios sæculi interpretatur Gentiles, qui modò Judæis, olim filiis lucis, sint prudentiores *in generatione sua, quâ conati sunt, non quâ nati* sunt, id merè accommodatitium est. Ubi etiam accommodatitium est, quod indicamus in Controversiarum Indice, de hæreticis, hujus sæculi filiis.

In generatione sua, Salmeron, Jansenius, Maldonatus &c. explicant, in rebus & negotiis suis: quasi dicat, homines terrenis addictos plus consilii, & industriæ, adhibere rebus suis, quam nos pro anima. Basilius in ps. 48. *Imprudens is dicitur, qui non est solers ad vitæ hujus officia: contrà; prudens, qui novit vivere, juxta illud Evangelii, Filii hujus sæculi prudentiores &c. Non enim absolutè prudentiores, sed secundùm conversationem & consuetudinem vitæ hujus*: in qua, scilicet, *Deridetur justi simplicitas*, & insensati vitam Sanctorum æstimant insaniam.

Quomodo ergo filii sæculi dicuntur prudentiores, si absolutè prudentes non sunt? Dicuntur tamen prudentes, & prudentiores, à similitudine veræ prudentiæ. sicut falsa justitia, habet aliquandò nomen justitiæ, quia illam imitatur. Vera prudentia in fine eligendo, & mediis ad finem, præcipuè versatur: falsa itidem sibi finem, & media deligit. Cùm autem in finibus, & mediis magna possit esse varietas: est itidem diversitas in falsæ prudentiæ gradibus.

Prima, bono fine mala media adhibet: Moses, defendendo Israelitam, patrat homicidium: Rebecca, promovendo Jacobo Patriarchæ ad benedictionem paternam, persuadet mendacium: furatur aliquis, faciendæ eleemosynæ &c. Hæc prudentia mala est, pro portione malitiæ mediorum.

Altera, pejor, malo fini adhibet bona media: Absalon humaniter agit cum populo, ut eum à patre alienet: Jeroboam curat proponendum de tributis minuendis, ad seditionem concitandam, & decem tribus sibi conciliandas: Pharisæi eleemosynam dant, ad ambitionem: itur ad templum ex condicto, pro aspectibus, colloquiis, &c.

Tertia, pessima, malo fini, malis mediis utitur: David homicidium patrat, ad adulterium: Jeroboam rebellionem suam idololatriâ fulcit. tabula injustitiam falsitate, procrastinationibus, corruptionibus tuetur &c.

De hac mala prudentia Paullus, homo prudentissimè omnibus omnia factus, ut Christo lucrifaceret, ait Rom. 8. *Prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritûs, vita, & pax.* Fusius Jacobus cap. 3. *Non est enim ista sapientia de sursum, sed terrena, animalis, diabolica:* subdit qualitates veræ prudentiæ, ut falsa meliùs internoscatur.

Terrenam, animalem, diabolicam appellat, primùm ab objecto: quia opes terrenas, voluptates animales, diabolicas invidias aut ambitiosas cogitationes, pro fine spectat. Idem itaque est, quod Joannes dicebat, *Omne quod in mundo est* &c. *Concupiscentia oculorum*, est terrena: animalis, *concupiscentia carnis*: diabolica, *superbia vitæ.* Sic etiam describit Ambrosius serm. 22. in ps. 118. ad illud, *Secundùm eloquium tuum, da mihi intellectum: Prudentia ista, quæ sæculi est, ad vitam non suffragatur æternam. Circa honorem, circa lucella est, quæstibus conservandis intenta, non meritis comparandis. Postremò, circa elementa mundi; phaleratis magis, quam vera sapientia.* Eumdem in modum Gregorius Magnus, cui simplicitas à Mauritio Imperatore objecta est, describit lib. 10. Mor. in Job cap. 16. & 17.

Deinde, appellatur terrena, animalis, diabolica, à mediis quibus plerumque utitur ad consequendum finem. Nam vel auro corrumpit, vel trahit voluptate, vel fraudibus aut vi diabolicâ pervenire conatur. Da illi prudentiæ caput serpentis, quale sumpsit dæmon, manus harpyiæ sordidas & rapaces, os & ventrem Leviathan, illam benè pinxisti. Apud Isaiam dicitur Leviathan *serpens vectis, & tortuosus*, quia dolis interdum, aliàs vi agit. Augustinus in ps. 9. advertit: primam Ecclesiæ persecutionem violentam fuisse, à Paganis: alteram nunc esse fraudulentam, ab hæreticis, & falsis fratribus: tertiam superesse, ab Antichristo, periculosissimam, violentam simul & fraudulentam, quia *vim habebit in imperio, dolum in miraculis.*

Denique dicitur terrena &c. ab effectis. Facit enim terrenos, quia id es, quod amas; *si amas terram, terra es.* Facit animales: quia sensus, imaginationes, aut falsas rationes sequuntur, *neque animalis homo percipit, quæ sunt Spiritûs Dei, stultitia enim illi est.* Facit diabolicos, & ad dæmonum consortium ducit: ut Ammonem 2 Reg. 13. Jonadab *vir prudens valdè*: Absalonem 2 Reg. 16. Achitophel, tanti judicii homo, ut esset, *quasi si quis consuleret Deum.* Vide tract. de bona volunt. ad cap. 14. lib. 1. par. 3. sect. 2. num. 5.

Dicamus cum Ambrosio supra: *Secundùm verbum tuum, intellectum tribue mihi: id est, non secundùm philosophos, non secundùm mercatores hujus sæculi, non secundùm architectos domorum, sed secundùm verbum tuum, quod est vera sapientia, bonorumque omnium fundamentum: ut super illud constituat aurum cordis sui*, Propheta, Christianus, *argentum sermonis sui, lapides pretiosos operationum suarum, ut opus suum labi, & perire, non possit.*

DOMINICA IX. POST PENT.

THEMA *Videns civitatem flevit.* Luc. 19.

De hoc Christi fletu, habes ubertim tomo 1. Exc. 2 ad cap. ult. sect. ult. totâ.

THEMA alterum *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Ibid.

Ignorantia & cæcitas Judæorum quâ in re fuerit, quanta, unde, quo damno? Fuit in materia maximi momenti ad salutem, in adventu Messiæ, visitatione, pace. Adventum suum Christus vocat pacem, quia ipse est Princeps pacis, & pax nostra: quia Judæi de tollendo Christo deliberabant metu belli à Romanis: quia pueri acclamârant Christo, in triumphali Hierosolymam ingressu, *pax & gloria.*

Tanta fuit cæcitas Judæorum, ut in ipsa die sua nihil viderint. Dies omnes Deo debiti sunt, & proprii: hominis tamen dicuntur triplicites, primum dies nativitatis; deinde, occasio rei benè gerendæ; tertiò, prosperitas. Erat Judæis, Christo veniente, velut natalis dies; erat optimè gerendi occasio; erat felicitas magna, & gaudium. In tanto tamen lumine cæci nihil vident: ut ingentem eorum, & lamentabilem ignorantiam, Christus expresserit idcirco formulâ loquendi abruptâ, cum reticentia, quâ uti solemus, cùm res valdè magnas, & explicatu difficiles, exprimere volumus.

Unde illis ista cæcitas? *Abscondita sunt ab oculis tuis*, quia oculos ipsi suos absconderent, ne lucem comprehenderent tenebræ. Excæcaverat enim illos malitia illorum, invidia, politicismus, adulatio &c.

Quis fructus? *Inimici circumdabunt te vallo* &c. Vitâssent æternam perniciem, si tempore fuissent usi. Applicanda isthæc Christianis, cæcis ad res pacis æternæ, in ipso fidei die, ob affectus erga temporalia, cum discrimine manifesto salutis. A momento enim pendet æternitas: si momentum istud perdis, irrevocabile, & irreparabile est. *Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum: Res poterit rebus succurrere, nemo diebus.* Apud Damascenum, in historia Barlaami & Josaphat, puerulus rusticanus à Rege adoptatur, & instituitur hæres, ea conditione, ut idoneum se præstet, & pædagogorum institutionibus audiens sit: sin minùs, ad inferiores destinatur, ne regno sit molestus. Quid puerulo isti facias tempus perdenti?

THEMA tertium. *Ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes.* Ibid.

Isaias cap. 59. Deum exhibens ducis instar, adversùs hostes suos armati, dat ipsi loricam justitiæ, galeam salutis, vestimenta ultionis, & *quasi* pallium *zeli*. O quàm multi, non zelo, sed quasi zelo efferuntur? De zelo luculentè dicimus lib. 1. ad cap. 2. vers. 26. Et hanc ipsam materiam assignamus fer. 3. post Dom. 1. Quadr. in altero Indice Quadr.

DOMINICA X. POST PENT.

THEMA. *Dixit IESVS ad quosdam, qui in se confidebant tamquam justi, & aspernabantur cæteros, parabolam.* Luc. 18.

Hæc parabola tam proximè ad verum accedit, ut multi historiam existiment: & vero historia potest parabolæ servire. Ita opinari videtur Paullinus ep. 10. ad Sev. *Publicanus . . . iniquitatibus vitiorum, dorso cameli æmulo, ita se in humilitatem debitam stravit, & resipiscentia intima complanatione direxit, ut se foramini acûs, hoc est viæ verbi vel crucis, quâ arcto tramite ducit ad vitam, divina cum animum penetratione insereret . . Pharisæum, qui ecnantiores magis Deum quàm rogaret, intrare non permisit, quem insufflantem nulla acu capimus . . . Iustior apud Deum*

esta

iste accusator iniquitatis suæ, quàm ille justitiæ prædicator: ille laudando, se accusavit; hic accusando, defendit. Alterne Paulinus loqueretur, si hanc parabolam putaret esse historiam? Accidunt certè valde frequenter ejusmodi historiæ, ut ait Toletus: quare hæc benè consideranda. Ave.

Duo homines diversimodè quidem vestiti, & diversæ conditionis, sed nationis & fidei ejusdem, veniunt ad eumdem locum, eodem fine, non eodem effectu. Uterque Judæus est: publicanos enim omnes non fuisse Ethnicos, patet ex Matthæo. Fuerunt ejusdem fidei, cum in eodem Templi atrio constiterint. Eodem fine venerunt, ut orarent. Effectus tamen omnino fuit contrarius: ille redit non justificatus, ex albo niger: iste justificatus revertitur, ex nigro albus. Sicut lignum in igne nigrescit, & fit carbo, ita Pharisæus in oratione. In oratione contrà Publicanus candescit, ut lapis inter flammas. Tantum interest, quo pacto compareatis, & quomodò, ores. Videamus, quod Pharisæi in oratione suo peccatum fuerit: quæ Publicani virtus?

Primùm, Acatholici, meritorum ex bonis operibus adversarii, dicunt Pharisæum rejectum, quia bona opera magni faciebat, etsi ex Dei gratia proficisci agnosceret: neque enim erat Judæorum istorum instar, de quibus Paulus Rom 10 qui, *volentes suam justitiam constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Ita, inquiunt, vos Catholici peccatis, putando vos mereri jejuniis, decimis, eleemosynis &c. Sed vanissima est Acatholicorum objectio. Si enim bonorum operum æstimatio mala est, & ideo Pharisæus peccavit: ergo etiam peccavit Augustinus dicens, *Feci quod jussisti; redde, quod promisisti*: peccavit Paulus dicendo, *Bonum certamen certavi &c. In reliquo reposita est mihi corona:* Nehemias, identidem in orationibus benefacta sua erga populum Israëliticum commemorando: Ezechias orando, *Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in corde perfecto*: Jacob Gen 48. dicendo, *Invocetur super eos nomen meum* &c.

Secundò, Bernardus longè sapientiùs serm 13 in Cant. ait, Pharisæum peccasse, quòd sibi vanè complacuerit, & evanuerit in cogitationibus suis: *Cernis gratias agentem Pharisæum, labiis quidem honorare Deum, corde autem jactantiâ se.* Non agnoscitur quidem hoc ex verbis, cum tantùm commemoret benefacta sua, ut varii Sancti: sed colligitur ex communi Pharisæorum agendi modo, ad pompam, oculos, laudem. Ita etiam censet Ambrosius in ps. 118. ad istud, *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* dæmonem interdum ad bona opera impellere, ut inde vanitas & superbia oriatur, sicut in isto Pharisæo. Sed, an talis vana gloria potest afferre jacturam justitiæ, & ad mortale peccatum pertingere? Scio quidem, esse *vitiorum tineam*, ut Basilius appellat Const. cap 11. Scio, vel oriri ex defectu judicii ac cerebri, ut in Eliu amico Jobi, qui altè resonabat, ut dolia vacua & cymbala: vel ex imperfectione voluntatis, nimis altè tendentis. Scio, omnem esse vitiosam, ex forma, vestibus, divitiis, prosapiâ, eloquentiâ, ingenio, officiis; maximè tamen ex virtutibus: quia *non ea nostra vota*, sed bas, quæ maximam partem sunt à gratia, minimè nostras arbitror. Denique tamen, quantumvis vitiosa vana gloria, vel gloriatio, & jactantia, estne de se peccatum mortale? Respondet S. Thomas 2 2. q. 112. art. 2. non esse de se, nisi sit contra Dei gloriam directè, aut ad gravem proximi contemptum. De se ergo tollere justificationem nequit.

Tertiò, Theophylacti opinio ruit etiam hoc argumento. Ait enim Pharisæum, in eo errasse, quod Deum non agnoverit auctorem bonorum suorum. Hoc si verum foret, infidelitate peccâsset. Sed de opposito constat ex ejus verbis, *Gratias tibi ago* &c. Quibus verbis, ostendit se habere fidem de Deo præsente, audiente &c. gratitudinem, pro collata gratia ad bona opera; religionem, pro ipso honorando, cum eo fine ad templum adiens, & orânt.

Absurdior longè fuit opinio Urbici apud Augustinum ep. 86. Erat ille hæreticus austerus. Quomodo Euchitæ ex verbis Christi, *Oportet semper orare*, malè intellectis, inferebant, continuòter orandum: & Montanus, Novatus, Luciferiani lapsis negabant locum pœnitentiæ, ex istis perperàm sumptis, *Impossibile est eos, qui semel illuminati* &c. Ita Urbicus ex Christi sententia, *Auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt*, colligebat, nos quotidie jejunare debere, adeoque peccâsse Pharisæum, quia, cùm à Christo abesset, non jejunâsset quotidie, sed tantùm bis in sabbatho, id est per hebdomadam. Urbicana ista stultitia non meretur responsionem.

Cæsarius hom. 30. eos reprehendit, qui stantes orant; & inter alia argumenta videtur adducere Pharisæum, ideò reprehensum ac damnatum, quia *stans* orabat. At, pace tanti viri, *stans* non significat erectum corporis situm, sed præsentiam: itaque de Publicano itidem dicitur, *stans à longè.* De Salomone in dedicatione Templi dicitur, *stetit*, etsi constet genua flexisse; quandoquidem mox subjicitur, *surrexit* &c. Ita Anna Samuelis mater orans scribitur stetisse: & mulier peccatrix *stans retrò* &c. etsi probabilius sit, flexis genibus ad pedes Christi jacentis advolutam. Faciamus tamen, Pharisæum erecto statu corporis orâsse; nonne Josaphat oraus stetit, Onias, sacerdotes olim in Templo, hodie nos ad altare? Nonne suus iste præscribitur in orationibus tempore Paschæ, ex antiquissima traditione, per Augustinum memoratâ &c? Nonne etiam jacentes in lecto ægri orare possunt, ut Ezechias? Vide quædam Exc. ad cap. 3. lib 1. sect ult.

Sextò, quidam aiunt peccâsse in eo, quod egerit gratias, quia non esset *sicut cæteri hominum, raptores* &c. Sed revera, si rectè attendamus, neque ibi peccatum est: non enim judicat omnes homines, aut plerosque saltem sibi cognitorum, esse tales; verùm significat solummodò, se Deo obstrictum esse, ejusque beneficia singularibus debere, quod non sit sicut illi, qui sunt tales. Perinde igitur facit, ac Catholicus, qui Deo gratias ageret, quod non sit Judæus, hæreticus, blasphemator, homicida, tribueretque potenti gratiæ divinæ suam ab enormibus criminibus abstinentiam, non nescius verbi illius vulgaris & Augustiniani, *Non est peccatum quod facit homo, quod non faceret alter homo, nisi* &c.

In quo, denique, peccatum Pharisæi statuemus? Basilius hom. de humil. rectè dicit, peccasse dupliciter quod se pro certo justum haberet, quòd alios præ se contemneret. Ea enim peccata manifestè Christus notat, ipso parabolæ initio.

Quòd se pro justo haberet, colligitur, inquit Augustinus lib. 2. de remiss pec. & mer. cap 5 ex eo, quia nihil pro se petiit, quasi adeò sanctus esset, ut sanctior non posset evadere: *Ut, quasi ejus plenitudine saturatus, nihil sibi ad justitiam peteret.* Et serm. 36 de verb Dom. *Quære in verbis ejus, quid rogaverit Dominum, & non invenies.* Necesse quidem non est, in omni oratione petere à Deo quidpiam: cùm oratio sit elevatio mentis in Deum, possitque elevari adoratione, gratiarum actione &c. Numquam tamen, aut rarissimè petere, signum foret vel diffidentiæ, vel præsumptionis.

Gregorius hom 7. in Ezech & 19. Mor cap. 12. agnoscit Pharisæi præsumptionem in eo, quòd bona omnia opera, & peccata omnia, non commemorârit, putârit se tamen justum. Non es adulter, & raptor, quid tum? Nonne aliter potuisti offendisse? Non detraxisse, cogitâsse mala, &c? Porta una urbis benè custoditâ, incustoditis cæteris, securus non es. Manicâ & caligâ unâ aureâ indutus, cætera nudus, non idcirco benè vestitus. decimator, & jejunus, non continuò sanctus es.

Sed sive hoc Gregorii, sive isto Augustini sensu, peccavit Pharisæus, tamen præsumptione peccavit: contrà quàm sanctissimi quique. Job. 9. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Paullus 1. Cor 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

Alterum ipsius peccatum fuit, contemptus aliorum. Augustinus hom. 2. ex eo agnoscit, quòd pro nemine orârit: *Quia Deum tantùm usque ad se divitem esse volebat, nec, ut aliis esset misericors, quidquam orabat.* Non tenemur quidem semper pro aliis orare: sed id numquam facere, sapit insignem contemptum, aut enormem caritatis defectum. Contemptus alienus in Pharisæo maximè eminet, quòd Publicanum, etiam in eo statu, judicaret & denotaret peccatorem: quamvis nesciret, an mutatus non esset, potiusque deberet mutatum existimare, cùm videret percutientem pectus suum &c.

Invenimus Pharisæum peccâsse, & damnatum capitibus duobus. Quinam similes. Acatholici, an Catholici? De Acatholicis quæstio facilè finietur: vide Ind. Contr. ubi id breviter perstrictum. At nonne & vos, inquiunt, confiditis in operibus? Dicite hoc Pelagianis: nam nos in gratia simul, & operibus, confidimus. Nonne contemnitis, & damnatis cæteros, cum affirmatis, salutem esse apud vos dumtaxat? Non dicimus id ex nobis, sed ex Christo, *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus* &c.

Juvabo ipsos, & ostendam, quinam Catholici istbæc Pharisaica vitia habeant. Primò, qui sese justos putant, quia quædam bona faciunt, etsi alia non faciant. Frequentant confraternitates, dant eleemosynas, jejunant: sed simul vindictas, & odia coquunt. Abstinent ebrietate, rapinis, perjuriis: sed detractionem frequentant. Non laborant cancro, peste, lethargo: sed dysenteriâ, & phrenesi.

Deinde, qui alios aspernantur. Non dico, qui sese aliis

nimis præsferunt. ob bona externa, inanias, folia ficuum, pertaomara ambitionis. &c. Sed qui, quia non ita graviter peccant, de aliis temerè pronuntiant, vel nimis citò desperant. Apud quos, ut ait Aug in ps. 30. *Veniunt in suspicionem malam propè omnes boni*, quia forsan exterius non videntur æquè boni ac ipsi. *Quid agit pax*, inquit August in ps 141. *in hujus adhuc regionis incertis?* Præterita peccata proximorum, quantum potest, obliviscitur: præsentia, quantum potest, minuit: futura non facilè sibi persuadet. Caritas, cum Chrysostomo homilia de Publicano & Pharisæo, considerat binas in cœlo bigas: unam trahi a justitia, & superbia; à peccato, & humilitate alteram: hanc illi præcurrere

THEMA alterum. *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur.* Ibid.

Materiam luculentam habes Exc. ad cap. 4 hujus lib. sect 1. totâ.

THEMA tertium. *Qui se humiliat, exaltabitur.* Ib. Exc. eodem sect 2 habes itidem luculentam materiam: quæ, uti & præcedens, etiam convenit Dominicæ 16 post Pent.

THEMA quartum. *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Ibid

Oratio hæc Publicani potentissima est ad permovendam Dei misericordiam: quemadmodum oratio cæci ad Christum, quam expendimus Exc ad cap 11 lib. 2. sect 3. Ad ejus exemplum & hanc expendere poteris.

Deus appellatur, cujus natura est bonitas: rogatur, ut sit *propitius*, apud quem propitiatio est, & copiosa redemptio, misericordiâ perpetuâ interpellatrice: *mihi*, hominem, à Deo creatum, opus ejus eximium, denotat, adeoque præcipuum objectum bonitatis. *peccatori*, potentissimum est motivum misericordiæ, quia maxima miseria peccatum, *Abyssus abyssum invocat.*

In hujus orationis iteratâ tertiò pronuntiatione, P Joannes Mendoza Ulissipponensis è Societate nostra, Christi crucifixi imaginem intuens, mortuus est, in obsequio caritatis erga peste infectos an. 1570. Apud Alegambem in Heroibus caritatis.

DOMINICA XI. POST PENT.

THEMA *Adducunt ei surdum, & mutum.* Marc. 7. De surditate spirituali, eorum, qui voces non audiunt Dei hortantis, monentis, minantis, promittentis, vocantis &c. Quid sit ea surditas, quæ ejus caussa, quantum malum?

Surdi corporales sciunt sese surdos esse, præterquam forsan paucissimi, qualis senex ille apud Muretum in Commentariis ad Senecam, conqueri solitus, invaluisse pessimum morem nimis submissè loquendi. Cæteri ultro dicent, Loquere altius. At spirituales surdi plerumque nesciunt sese surdos, & nolunt agnoscere. Audisne Deum loquentem? Non audio, inquiunt, non quia surdus sum, sed quia non loquitur. Nonne tamen Prov 8 dixit, *Vox mea semper ad filios hominum?* Nonne cæli enarrant gloriam Dei? Nonne vox conscientiæ domestica &c? *Nulla anima est, quæ ratiocinari possit, in cujus conscientia non loquatur Deus. Quis enim legem naturalem in cordibus hominum scribit, nisi Deus?* Aug. lib. 2. de serm. Dom. in monte.

Quæ tantæ surditatis caussa? Educit surdum Christus de turba seorsum: quia strepitus turbæ facit surditatem spiritualem. Ad catadupas Nili obsurduère homines: ad tumultum vitiorum, & rationatum politicorum, fiunt surdastri Christiani, ut non audiant vocem *quasi auræ lenis*.

Quantum malum? Primùm, *auditus sensus disciplinæ*, ut aiunt philosophi, &, ut Paullus, *Fides ex auditu.* Potes discere sine oculis, & credere quod non vides: sed quomodò disces sine docente, & audies sine prædicante? Deinde, si Deum non audis, desinet loqui. *Non audivit populus meus legem meam, dimisi eos* &c. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare* &c. Denique, obsurdescet Deus obsurdescenti: Prov. 1. *Quia vocavi, & renuistis* &c. *Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Hanc materiam alii, ni fallor, fusè tradunt.

THEMA alterum. *Benè omnia fecit.* Ibid.

Mortalium nemini laus ista tribui potest: *optimus enim inter nos ille est, qui minimis urgetur.* Quantumvis bono viro laudato addi solet, aut potest, silens & silentio significans *Sed*. Bona iste fecit: sed an benè? *Justa* egit: sed an *justè*, ut Deut. 16. præscribitur? Materiâ laudabili operatus est: sed numquid formâ item, ac fine? Bonus Jacob: sed filiorum unius nimis amans. Bonus orator Pharisæus: sed non exorator, quia fine aberrat. Bonus zelotes Elias: sed præfervidus, & spiritu auræ tenuis indigens.

De solo Christo verè & absolutè dici potest, *Benè omnia fecit*, quod à plebe miraculum hodiernum demirante acclamatum est, quasi dicerent: miracula ipsius omnia bona sunt, & benefica, bono fine facta, cùm gloriam suam non quærat, sed taceri velit, modo bono patrata, & formâ irreprehensibili, etsi forsan non irreprehensa. Ea mens fuit laudantium Christum Ex iis tamen verbis aliqua quiddam eliciemus, ad Dei hominis gloriam: quòd, & quà Deus *omnia* divinæ productionis absolutè *benè fecit*; & quà homo itidem *omnia bene fecit* humanæ operationis. inde consecturi, quid quà Deo debeamus, quà homini.

Productionum Dei genera duo sunt, ad intra, ad extra. Christus, quà Deus, Spiritum S. ad intra producit, facere tamen dici non potest. Ad extra quidquid fecit, sunt pariter & indivisim opera Patris & Spiritûs sancti: quia operatur, quà Deus, non quà secunda Persona. Deum autem benè omnia fecisse, est absolutissima necessitas: alioqui enim Deus non esset. Habere enim defectum non potest. haberet autem eo casu. Nam vel defectu bonitatis in volendo, non benè faceret: vel defectu sapientiæ, in disponendo: vel defectu potentiæ in exequendo Non defectu potentiæ quia *omnia quæcumque voluit fecit, in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Non defectu sapientiæ: quia omnia *in numero, & pondere, & mensura* disposuit. Non defectu voluntatis: quia bona est essentialiter, & *non potest arbor bona malos fructus facere.*

Itaque, ex ista divinæ voluntatis essentiali & summa bonitate, ulteriùs conficitur, Deum non benè tantùm omnia facere, sed optimè Quam in rem adductas partim, partim indicatas, a nobis sententias Patrum videre est Tract. de bon volunt. ad cap. 14. lib 2. part 1. sect. 2. num. 12. & Exc ad cap 7. lib. 2 sect. 4. num. 1. Videtur id ipsum innuere voluisse sacer Scriptor, Gen. cap. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Fecerat Solem maculosum, Lunam decrescentem, terram partim aridam, cete voracia in aquis, ferales in avibus noctuas, bardos inter animalia asinos, varios inter reptilia serpentes. Vidit tamen, quæ fecerat, & erant non bona tantùm, sed *valdè bona*.

Benè igitur Christus, quà Deus, *omnia fecit*: benè itidem quà homo, in actionibus omnibus miraculosis, moralibus, civilibus, indifferentibus: non tantùm sine peccato, sed sine errore quantùvis involuntario, sine imperfectione, sine ullo indecoro. Quando erramus, id fit vel ignorantiâ intellectûs, vel imbecillitate voluntatis, vel voluntatis malitiâ. Peccans est ignorans: oratio Abacuc pro ignorantiis: Siracidæ, delicta vocantur ignorantiæ: Paullus, ut debilitatem voluntatis humanæ exprimat, dicit, *Non, quod volo, bonum hoc ago*, &c. Scriptor sacer ut ejusdem malitiam indicet, dicit, Cogitationes humani cordis pronas esse in malum ab adolescentia.

In Christo malitia esse nequiit, ob gratiam unionis hypostaticæ, ob lumen gloriæ, ob particularem assistentiam Spiritûs sancti. Agnovit dæmon cùm illi dixit, *Sanctus Dei*: Judas proditor dicens, traditum esse à se *sanguinem justum*: uxor Pilati, & Pilatus, dicentes, *Nihil tibi & justo illi*, *Mundus sum à sanguine justi hujus.* Aberat item à Christo imbecillitas voluntatis, ob easdem caussas. Aberat denique ignorantia, cùm in ipso sint *omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*: nec sapientiâ creverit, nisi quam experimentalem dicimus, cætera plenus veritatis, uti & gratiæ. Igitur cùm errores quilibet humani oriantur ex defectu intellectûs, aut voluntatis; neque illi fuerint in Christo: consequens est &c.

Consequens itidem est, fieri à nobis debere, & dici Deo-homini, quod plebs admirabunda acclamabat, *Benè omnia fecit.* Approbemus opera omnia divinitatis, sive ad nos spectent, sive ad alios, illisque perfectâ submissione acquiescamus. Tria sunt genera hominum Deo contradicentium: quidam cursum mundi naturalem audent carpere. obmurmurant nonnulli mundo intelligibili: plures obganniunt mundo civili, & contingentibus fortuitis.

In primo genere dicitur fuisse Alfonsus Rex: cujus barritum, aut grunnitum, neque enim humanam vocem, retulimus tractatu de bona volunt. Fuitne Catholicus iste? Imò fuitne homo? Tolerabilius multò balbus, *ψελλός* hodiernus, aut infans Ciceroni obstrepat; Papiniano illiteratus & rupex. Tu ingenii tam angusti homulus Deo oblateras? Tu tuum ipsius, & omnium, discutis creatorem, qui cum Thalete quotidie præcipitas in foveam rerum vilissimarum, ante oculos positarum?

In altero genere Calvinus est, qui facit Deum peccati auctorem. Ergo peccator est: ergo Seraphim desinant acclamare *Sanctus* &c. ergo Deus non sit. En sequelam: quam

quam hærentes Calviniftæ repudiant magiftri fui fententiam, feralemque ululatum ; & rogant ut deleatur literâ ingenuâ *Scarum*, maneatque folum *Calvini* nomen.

In tertio genere funt impatientes eventorum hujus vitæ. Augustinus in pfal. 48 conc. 2. *Hæc eft in hominibus magna, & ufitata, perverfitas: quia cùm debeant ipfi vivere fecundùm voluntatem Dei, Deum volunt vivere fecundùm voluntatem fuam.* Et enarr. in pf. 44. *Irafcitur peccator & iniquus plerumque Deo, quia non pluit .. Et ad hoc propemodùm fedent quotidie homines, ut difputent contra Deum: Hoc facere debuit, hoc non benè fecit. Tu videlicet vides, quid facias, ille nefcit? Diftortus tu es, ille rectus eft. Diftortum ad rectum quando conjungis? Collineare non poteft. Tanquam fi in pavimento æquali ponas lignum curvum, non adjungitur, non cohæret, non coaptatur pavimento... Ergo voluntas Dei æqualis eft, tua curva eft. Propterea curva tibi videtur illa, quia tu illi coaptari non potes. Dirigere ad illam, tene illam. Nam fi illam vis curvare ad te, fruftra conaris: illa femper directa eft. Vis illi hærere? Corrigere.* Quidquid accidat, dic *Benè*. Audiunt furdi, loquuntur muti? *Benè*. Audientes furdefcunt, loquentes mutefcunt? *Benè*. Ezechias Ifa. cap. 38. dicit Deo: *De manè ufque ad vefperam finies me, quafi pullus hirundinis fic clamabo, meditabor ut columba.* Da naturæ, in triftibus eventis, gemitum hirundinis, fed mox voluntas redeat ad meditationem columbæ, pacificam, conftantem, ejufdem femper toni *Benè*.

Ab approbatione divinorum Chrifti operum, transeamus ad imitationem humanorum. Sunt, qui fibimet adulantur, aut adulatores audiunt, quafi omnia *benè* faciant ipfi, nihil alii præ ipfis. Acclamator Act. 12 Herodi Agrippæ, *Dei voces, & non hominis.* Stulti acclamatores, *non qui feip, um commendat*, nec qui a vobis commendatur, *ille probatus eft, fed quem Deus commendat.* Commendat autem Deus illum, qui maximè ad Chriftum accedit. Quod exemplar perfectius? Cui perfectior cum prototypo fimilitudo. Hominem-Deum vides, actionum tuarum regulam ad quam quò accefferis propius, eò melius feceris omnia. Ambulat rectiùs, quifquis in via magis eft. Fac furdos audire, mutos loqui, quantum in te eft: efto beneficus ubicumque potes, exerce ubilibet opera caritatis, & à Deo, non ab hominibus, audies, *Benè omnia fecit.*

THEMA tertium. *Loquebatur rectè*. Ibid.

Commode huc transferetur ex Dom. 3. Quadr. ufus linguæ.

DOMINICA XII. POST PENT.

THEMA. *Magifter, quid faciendo vitam æternam poffidebo.* Luc. 10.

Tam bonus ac perfectus nemo eft, qui, fi oculis iniquis afpicitur, non videatur quidpiam habere reprehendendum. Sic Chrifto accidit, quem tentant, obfervant, fugillant Pharifæi. Contrà vix ullus tam malus eft, qui, fi faventibus ac benignis oculis afpiciatur, non habeat aliquid laudabile: ut Legifperitus hodiernus. Adit Chriftum, ut illum interroget: ô fi ejus exemplo adiremus, non *magiftros prurientes auribus*, non obturatos, non capiatores, fed veraces? Chriftum interrogat, quæ maximè funt neceffaria ad falutem: non proponit quæftionem politicam, ut Herodiani, *Licet cenfum dare*, &c. non craffam & beftialem, ut Sadducæi, *cujus uxor fit futura* poft refurrectionem, quæ pluribus nupfit: non fcholafticam aliquam controverfiam, qualis tunc erat, quam Pharifæi propofuere, *Licétne dare libellum repudii*, &c. O fi & nos magis de falute animæ, quàm de politicis, animalibus, fubtilibus, fimus folliciti!

Ifthæc utilia duo documenta, ab exemplo & verbis Legifperiti difcere poteramus. Sed fatius eft, ut ab ipfo Legiflatore veritates duas Catholicas, faluti neceffarias, difcamus: Bona opera neceffaria effe ad falutem: præfertim opera caritatis.

Antiquiffima hærefis, per Lutherum & Calvinum excufcitata, negat operum bonorum neceffitatem adipifcendæ vitæ æternæ. Begardi apud Sigebertum: Eunomius apud Aug hær. 54. Simon magus apud Irenæum lib. 2. de hær. cap 20. Hos fecuti, Lutherus lib. de captiv. Babyl. & in epift. ad Gal. Calvinus lib. 2. Inft. cap. 2. lib. 3. cap 15. &c.

Mirum planè, homines, cantatores Pfalmorum quotidianos, id aufos procudere, aut renovare. Ut pfalmos cæteros taceam, videant 14. alii pertitur quæ fint ad beatitudinem fcalæ, pfalmum item 49. Tranfi inde ad Evangelicas fententias: tum Apoftolicarum epiftolarum. Subde. poft tam manifefta Spiritûs divini verba, opus non effe, ut adducantur Patres.

Auguftinus tamen verbulum addat, non ex toto libro de fide & operibus, non aliunde fæpiffimè: fed ex tractatu dumtaxat decimo in ep Joan. *Multi dicunt, Credo: fed fides fine operibus non falvat. Opus autem fidei ipfa dilectio eft.* Deinde, hominem fide & operibus carentem comparat homini fine pedibus, & adminiculis: opera verò habentem, non fidem, comparat homini pedes habenti, fed extra viam currenti. Paullò poft dicit, *Cum dilectione, fides Chriftiani: fine dilectione, fides dæmonis.*

At quæ, qualis, quanta, erga quos, quo tempore, quâ occafione, debet effe ifta dilectio? Multa fimul petis: quæ ab alio melius non difces, quàm quem accefsit Legifperitus. *In Lege*, inquit, *quid fcriptum eft* Etfi Chriftianus non fores, etfi Legis divinæ non peritus, iftud tamen tibi refponderet, *In Lege, quid fcriptum eft?* Non habes confcientiam? Liber eft, infipiens. Bernar. lib de confc. *Omnium delictorum noftrorum ipfa eft teftis, ipfa judex, ipfa tortor, ipfa carcer* &c. *Unicuique liber eft fua confcientia; & ad hunc librum difcutiendum omnes alii libri inventi funt.* Habes ergo librum in confcientia tua, habes & legem. *Lex à legendo*, inquit D Thomas 1. 2. q 90. art 1 in corp. Legem autem naturalem habent omnes: eft enim, ut idem definit ib. q 91. art. 2. *Participatio legis æternæ, & impreffio divini luminis in creatura rationali, quâ inclinatur ad debitum actum, & finem.* Ib q. 94. art 6. *Lex naturalis*, inquit, *non poteft deleri de corde alicujus, quoad prima principia. Quæres igitur Dei legem:* ut Tertullianus increpat lib de cor mil *habens iftam communem in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quam & Apoftolus folet provocare?* De ifta lege vide Auguftini fententiam Dominicâ fuperiore, themate primo. Plura reperies lib. 5. Exc. ad cap. ult. fect. 8. num 10. &c.

Jam, fi nemo, quamvis Infidelis, non habet Legem, quid Chriftianis dicamus, quibus iftud Chrifti hodiernum appriimè convenit, *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis*, &c? Qui toties audivimus damnari latrones, à quibus viator fauciatus, detractores, contumeliofos &c. qui famam & honorem vulnerant: Levitam, & facerdotem, qui cùm poffent in extrema neceffitate pofitum fublevare, ipfi extremæ neceffitatis fecuri, tamen prætereiêre. Qui toties audivimus commendari Samaritanum, quia fecit, quod potuit, & debuit. *Hoc fac, & vives*, Chriftiane.

Narrat Gregorius de Sanctulo Presbytero lib 3. dial. cap 37. qui fefe necis a Longobardis periculo expofuit, ut alteri vitam fervaret. Tum fubjicit: *Sanctulus ipfe quoque elementa literarum benè non noverat, Legis præcepta nefciebat: fed quia plenitudo Legis eft caritas, legem totam in Dei ac proximi dilectione fervavit.* Impende te caritati, fi potes: at faltem impende pecuniam: at faltem infunde vinum, & oleum confolationis, infælicium animis: at faltem, fi neque illud potes, commenda illos ftabulario, ora pro illis, *Hoc fac, & vives.*

THEMA alterum. *Diliges proximum tuum, ficut teipfum.* Ibid.

Vide materiam uberem Exc. 2. ad cap 8. lib. hujus fect. 2. totâ

THEMA tertium *Homo quidam defcendebat ab Ierufalem in Iericho, & incidit in latrones.* Ibid.

Et hanc parabolam Chrifti, quia tam eleganter veftita eft circumftantiis omnibus, quidam hiftoriam cenfuêre. Certum tamen eft, meram effe parabolam, utiliffimis documentis refertam. Ave

Scopus parabolæ manifeftus eft, de exhibenda cuivis mifero caritate, præfertim fi extremâ neceffitate laborat. Eò ducit interrogatio Legifperiti, refponfum Chrifti, partes omnes parabolæ, ejufque conclufio Sancti tamen Patres exiftimavêre, literali etiam fenfu, hanc parabolam intelligi de Adamo per peccatum lapfo; & in eo humanâ naturâ universâ, à pio Samaritano, id eft Chrifto, redemptâ. Ita explicant Athan Cypr Iren. Ambr. Chryfoft. & alii eos fecuti, inprimis Auguftinus pluribus locis: nominatim lib de nat. & grat & ita particulatim, ut vix particularius queat, lib 2. Evang. quæft q 19 Calvinus impudenter fugillat illam explicationem, aitque, *Præter Chrifti mentem has fpeculationes à curiofis hominibus inventas.* Omittamus blateronem iftum, &, Patrum veftigia omnes fectantes, totam parabolam non jam generi humano univerfo, fed peccatoribus fingulis applicemus. In prima parte fpecto infælicem ejus ftatum, vivis coloribus expreffum: in altera mutationem ftatûs in meliorem, etfi ægre admodùm.

Homo quidam: an Salomon quem amores dementavêre, Achab avarus, Abfalon ambitiofus, Nabuchodonofor fuperbiâ cæcos? Non nominatur: cave tu, ne ille fis. *Defcendebat*: jam nunc incipit miferia hominis, cujus creatio

ad excelsum finem est, cui corpus erectum, cui mens flammæ divinæ particula, cui clamant omnia. *Ascende superius*; ille descendit. Epicuræi garriebant apud Ecclesiasten, *Quis scit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus jumentorum descendat deorsum?* Pecuina corda, cùm in honore sitis, non intelligitis, sed comparatis vos *jumentis insipientibus*. Quare? An quia *facilis descensus*, arduus ascensus? Sed spectate finem descensûs; *inferi, tenebræ, & pœna*, unde *revocare gradum* non licet. Attendite finem ascensûs: in summo cælum lucet, patent immensi prospectus, Bonum est nos hic esse. Aiunt, qui tempore abundant, dii vallium instar montes esse; impende vitam, abunde habes temporis ut ascendas.

Sed peccator infælix, neglecto finis prospectu, solam itineris facilitatem intuetur, & descendit *ab Jerusalem*, civitate regiâ, sacerdotali, divina, cujus *locus in pace factus est*. Ubi pax, nisi in obsequio divino? Viam pacis non cognovit peccator, quia timor Dei non est ante oculos ejus. Inde descendit in Jericho, urbem prope Jordanem, cui inflictum horribile anathema, & reædificanti illam. Sic sunt spei humanæ vana emporemata. Quod caput est, Jericho Lunam significat: quia peccator *stultus, ut Luna mutatur*, versibilitate perpetuâ: *abiit in consilio impiorum*, Hebraicè *inquietorum*: cum dæmone, primo peccatore, *circuit* perpetuò: cum Adamo *habitat ad Orientalem plagam Eden*, seu *habitat terram Nod*, id est instabilem, ut Hebraicè habetur.

In ea passionum inquietudine *incidit in latrones*: socios, ut fit, itineris sese finxere, donec, ad destinatum locum progressi, exeruêre sibilo socios facinoris. Aiunt, in eo itinere fuisse locum infamem latrociniis, cui nomen *Adommim*, sanguinum. Vide, peccator, quoniam malum est, & amarum, te dereliquisse Dominum Deum tuum: in ejus protectione morabaris; jam es in potestate dæmonum, qui Deo honorem, homini salutem, furantur: es in potestate vitiorum, quæ plerumque latent sub honesta larva, ut latrones, vindicta justitiam mentitur, sensualitas caritatem, superbia magnanimitatem &c. Latrones *despoliaverunt* viatorem, & peccatorem. Dic age, ubi vestis nuptialis, ubi timoris subucula, ubi spei galerus, ubi pallium zeli! Spoliatio cumulatur *plagis impositis*. Vulnera naturæ quaterna numerant Theologi: tot sunt, quot genera pœnarum. August. tract. 1 in Joan. *Quare patimur multa mala à creaturis, quas fecit Deus, nisi quia offendimus Deum? De pœna tua peccatum tuum accusa, non judicem.* Sed quæ pœna gravior, quàm interioris vulneris conscientia, ut loquitur Ambrosius? *Quisquis malus est, malè secum est: torqueatur necesse est sibi, seipso tormento*, inquit Aug. conc. 2 in ps. 36. *Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla est major tribulatio, quàm conscientia delictorum*, inquit idem in psal. 45. ubi etiam affert similitudinem ligni sani exterius, medullâ putridâ, quam faber explorat. Vide & Senecam epist. 97. *Prima, & maxima peccantium pœna, peccâsse*, &c.

Interim *abierunt* latrones: objecta & caussæ peccatorum evanuerunt, *tamquam umbra, & sicut nuntius* &c. *Sicut naves poma portantes*, aut, quomodò aliqui legunt, *sicut naves piratica*, evolantes cum præda. Pessimum est, quòd abierunt *semivivo relicto*, ipsisque semimortuo: quia, ut ait Augustinus, *ex parte, qua potest intelligere & cognoscere Deum, vivus est homo; ex parte, quâ peccatis contabescit, & premitur, mortuus est*. Vivit naturâ, mortuus gratiæ: vivit operibus moralibus mortuus merito: vivit ad plagas, mortuus sensui, *Verberaverunt me, & non dolui*: imò vivit ad plagarum sensum, mortuus ad curationem; quam nec sacerdos legis naturæ, nec Levita Mosaicæ potest adhibere, neque ipse sibi peccator.

Ergóne desperet? Video eminus viatorem tertium: *Samaritanus est*, vir bonus tamen. Meministis illius, qui convitium Samaritani à se amolitus non est? Scitis, eo nomine significari custodem? O Christe *hors & hodie*: quid sine gratia tua poterunt naturalia philosophiæ documenta, & Legis cæremoniæ? Accede ad peccatorem, itaut etiam pro peccatore habearis: infunde vinum & oleum timoris ac spei; severitatis & benignitatis tuæ. alliga vulnera, *alligatio vulnerum*, inquit Augustinus, *est cohibitio peccatorum*: impone in jumentum, *jumentum ejus*, inquit idem, *est caro, in qua ad nos venire dignatus est*: porta ad hospitium, *stabulum*, inquit idem lib. 2. quæst. Evang. q. 19. *est Ecclesia, ubi reficiuntur viatores, de peregrinatione redeuntes in æternam patriam*: commenda stabulario, ot, cum Cypr. epist. ad Stephanum, *Suscipiamus lapsos promptâ & benignâ humanitate*: alterâ die gratiæ, resurrectionis spiritalis, profer duos denarios; pœnitentem, & convalescentem animam, duplicis caritatis pretio, ad perfectam curationem perduc.

Curationis modus ad capita tria reducitur, necessaria prorsus. Primum, est gratia divina: sine luce chaos fuit, sine gratia & Samaritano peccatum. Alterum, est Ecclesia: extra illam non est salus. potuerat Samaritanus viatorem ulterius evexisse, noluit, ut ista Ecclesiam habitandi necessitas indicaretur. Tertium, est cura stabularii: vult Deus, ut Paulius eat ad Ananiam, pœnitens ad confessarium: commendat læsum stabulario, leprosis dicit, *Ite, ostendite vos sacerdotibus*. Pie Samaritane, aspice nos, accede, sana, salva.

Vides, Lector, à me perstringi, quæ puto obvia. Forsan commodius tibi fuerit in parte prima concionis literam totam explanare, quid homo, descendere, Jerusalem &c.: tum applicationem moralem facere. Similiter in parte secundâ.

DOMINICA XIII. POST PENT.

THEMA primum. *Cecidit in faciem ante pedes JESU gratias agens Samaritanus*. Luc. 17.

De gratitudine erga Deum, Exc. ad c. 11. lib. 2. sect. 1.

THEMA alterum. *Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt?* Ibid.

De fæda ingratitudinis lepra habes ibid. sect. 2.

THEMA tertium. *Levaverunt vocem.* Ibid.

De efficacia publicæ & unanimæ orationis, l. 1. Exc. 2. ad cap. 3. totâ ferme sect. 0.

DOMINICA XIV. POST PENT.

THEMA primum. *Ne solliciti sitis.* Matth. 16.

Olim Hebræorum sapientes dixêre: Ad Legis observationem, *faciendam esse Legi sepem*; id est, addenda præceptis consilia, & opera necessaria supererogatoriis munienda, velut exteriori aggere. Christus, qui venit *non solvere legem, sed adimplere*, consiliis præcepta circumsepsit. Alia enim, isto sermone in monte, necessaria præcipiuntur omnibus; alia supererogatoria commendantur aliquibus, ut consideranti patebit.

Quæritur, ad quod genus ista thematis nostri sententia pertineat? Consilium esse quidam censuêre, in his Corronus noster: quia res videtur excelsæ perfectionis, & quò multi non pertingunt, etsiunt etiam qui obedientiæ, castitatis, caritatis erga hostes heroicæ, aliaque consilia exercuêre. Alii contrà, & ex vero, statuunt esse præceptum. Quia Christus hic formulâ illâ suâ in consiliis usitatè non utitur, *Si quis vult venire, si vis perfectus esse, Qui potest capere capiat*: sed, citra conditionem ullam, absolutè dicit, *Ne solliciti sitis*. Deinde, multis argumentis urget circumcidendam sollicitudinem: qualia certè, & quanta, consilio adhibiturus non fuerat. Conemur ergo primum intelligere, quid hoc præcepti sibi velit: deinde, quibus illud rationibus à Christo fulciatur.

Quando istud auditur, *Ne solliciti sitis animæ vestræ*, id est vitæ, *quid manducetis* &c. si rectè non intelligatur, percellit mentem Christiani timentis Deum: præsertim quando mox iteratur, *Nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus*: & paullò post, *Nolite solliciti esse in crastinum* &c. Noluisses ergo Christe, Judam Machabæum & Simonem de alimentis reponendis cogitare: Abrahamum, Davidem, Ezechiam, de liberorum hæreditate curare? Velis à mercatore commercium abrumpi, à vidua rationum libros lacerari, ab artifici feriari brachiis indici: exspectari manna de cælo, aut prandium Danielis, aut corvum Eliæ, aut cervam Ægydii? Sic interpretabantur *Massaliani* sive *Euchitæ*, apud Epiphanium hæresi 80. Sed manifestum est, homines istos desipuisse, uti & Joannem Angelum brevem. In lege naturæ homo, natus ad laborem, positus est in paradiso, *ut operaretur*; atqui, ut optime docet S. Thomas 2. 2. q. 55. art. 6 *nemo operatur sine sollicitudine*. Legis Mosaicæ ævo jubet Ecclesiastes manè seminari, vesperè non cessari. Sapiens mittit pigrum *ad formicam*, ne in senectute non inveniat quæ in juventute non congregavit, deinde proponit exemplum mulieris fortis, operantis consilio manuum suarum. Legis Evangelicæ promulgator Paullus edicit Thessalonicensibus, ut *non manducet, qui non vult operari*. Ephesios hortatur, ut laborent, unde tribuant necessitatem patienti. Majoribus natu Ecclesiæ proponit se, & manus suas, pro exemplo. Galatis dicit, se *sollicitum* fuisse. Romanos monet, ut præsint *in sollicitudine*; Hebræos, ut gestent *sollicitudinem*; Corinthios, ut Titum sollicitum, imò *sollicitiorem*, ament. Christus ipse nonne aliquando in crastinum reposuit? Nonnè Philippum habuit œconomum, ut Judam siccam? Nonne commendavit, ut simus similes ædificaturo

ædificaturo turrim, aut bellum paranti, & prospiciamus in futurum!

Difficultas hæc est solum in speciem, & facillimè solvitur intellecto duplici solicitudinis genere. Primum Græcè vocatur, *σπουδὴ*, estque tempestiva, & moderata diligentia, quæ ad prudentiam pertinet: hanc Christus, Paulus, Sapiens commendat. Altera dicitur *μέριμνα*, à dividenda mente, *μερίζειν νοῦν*: eâ voce utitur hic Matthæus, Lucas voce significantissimâ *μετεωρίζεσθαι*, quod est velut castella facere in Hispania, & ambulare in meteoris. D. Thomas, suprà, malæ solicitudinis tres species facit: si fine illicito peccat, si studio seu applicatione nimiâ: si timore item nimio. Ad primam classem spectant, qui sibi alium laborum finem non figunt, quàm temporalem & hujus vitæ, qui ut Aug. loquitur cap 27. de opere monachorum, non laborant in vitam æternam, *ubi semper hodiernus est, sed propter temporalia, quò pertinet crastinum*: crassa animalia, in hoc solum intenta, inquit Tostatus, *ut impleant lacunam ventris*. Pejores multò sunt, qui malo fini adhibent mala media, fraudes, circumventiones, oppressiones: & hos præsertim Christus spectabat, cùm dixit, *Non potestis Deo servire, & mammonæ*: iisdemque edicebat Ecclesiasticus cap. 5. *Ne attendas ad possessiones iniquas, & ne dixeris, est mihi sufficiens vita, non enim tibi proderunt in die vindictæ & obductionis*. In secunda classe sunt, quibus omnis ad meliora fermè attentio, & pietatis sensus, ob curam temporalium, excutitur: qui plus longè diligentiæ impendunt corpori, quam animo; cùm tamen constet, de tribus diligentiæ gradibus maximum animæ impendendum, mediocrem ad habenda victus & status necessaria, minimum superfluis statûs. Itaque meritò illis, nimis satagentibus Deus dicendum curat per Aggæum: *Seminâstis multum, & intulistis parùm &c. Quia unusquisque festinavit in domum suam, & domus mea deserta*. Ad classem tertiam spectant, qui nimis inquieti sunt, & anxii, de temporalibus: cùm tamen ne pro spiritalibus quidem, & æternis, anxietas sit laudabilis: ut nemo miretur Martham reprehensam a Christo, quia sic solicita erat, ut turbaretur.

Contra hanc præsertim, & alteram, supervacuam solicitudinem validissimis argumentis recum pugnat Christus, quæ nos Tract. de bo. volunt. ad lib 1 c 14. par. 1 sect 3. num. 10 attigimus. Ea postquam expenderis, dices ad praxim: in omni negotio, & labore, Christianis primùm à Deo petendam opem: deinde tranquillè faciendum, quod humanitus possumus, denique, exitum Deo commendandum, & relinquendum, omni solicitudine nostrâ projecta in eum, *quia ipsi est cura de nobis*. Advertit Augustinus, dictum primo parenti, *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo*, non autem, *in solicitudine animo*. Sic quieti vivemus, temporalia merebimur, adipiscemur æterna.

THEMA alterum. *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*. Ib.

Arcadii Cæsaris amicus intimus, de illo hominum genere, qui *hæc omnia* temporalia præponunt regno Dei, & justitiæ ejus, apud quos status ancillatur religio; quibus nihil nec sacri, nec pensi est, modò fortunæ velificentur. Is homo, in altum elatus, ut lapsu graviore rueret, gratiâ in odium versâ, ad Ecclesiam se recepit, quam contempserat, ad altaris asylum confugit, quod violare voluerat. D. Joannes Chrysostomus, gnarus numquam hominum mentes movendo aptiores esse, quàm ubi præsentibus exemplis percelluntur; populum suum Constantinopolitanum convocavit in istam ædem, quo Eutropius confugerat, tumque ad rerum caducarum contemptum, eterniorum amorem, erexit facundâ exhortatione. Argumentum fuit, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, ex Ecclesiaste magni Regis, cujus gloriam Christus lilio agri postposuit: quam sententiam ubique pingi optabat eloquentissimus & sanctissimus Doctor, in templis, in palatiis, in domibus privatis, in compitis, maximè in animis; ut inde rerum temporalium inanes imagines; & larvæ, eraderentur.

Ecce plusquam Salomon hic: ecce plusquam sententia Salomonis hæc. Atque utinam illa non lignis, non marmoribus, non laminis æneis ferreisve insculperetur, sed Christianorum omnium pectoribus! Certè si intelligeremus illam omnes, si, velut maximi momenti documentum à Sapientia ipsâ profectum, exciperemus, si tam quam philosophiæ moralis medullam, & veræ Theologiæ brevissimam summam scrutaremur: non tanta proculdubio apud nos esset corruptio; nec Christiani, quemadmodum & Gentes, ac profanæ quælibet sectæ, *hæc omnia*, rerum inanium, regno Dei præponerent, utileque honesto anteferrent.

Expendamus itaque tam divinæ sententiæ verba singula, in primo, quid sit quærere; in altero, quâ ratione quærendum; in tertio, quid quæri oporteat, in postremo, quis quærendi fructus? Quærendo, ante omnia necesse est, ut quid quæras cogites, & seriò quidem: quid rei sit, an operæ pretium, an conveniens, an de facili. Eum in modum cogitabat Eutropius de aulæ gradibus, de amicitia Principis. Sic de vita æterna cogitavit Chrysostomus: satis ipsi non fuit credere, attente perpendit quid foret, quantis laboribus emenda, quo digna pretio. Deinde, ad quærendum necesse est, ut desideret. Et verò fieri nequit, ut serio de re magna, & magnopere amabili, cogitetur, quin desideretur: imò non tantum rerum spiritualium, & æternarum, cognitione desiderium accenditur, sed etiam desiderio augetur cognitio. *Augent*, inquit Greg. hom 36 in Evang. *spiritales delitiæ desiderium in mente, dum satiant: quia quantò magis earum sapor percipitur, tantò magis cognoscitur quod avidiùs ametur*. Psalmo 118 propheta pronuntiat primum beatos, *qui ambulant in lege*, deinde, *qui scrutantur*: at nonne prius est scrutari, deinde ambulare? Omnino, cognitio præcedit amorem, sed amor intendit cognitionem: contrà quam in rebus creatis, ubi experientia fastidio est, & familiaritas contemptum parit. Tertia ad quærendum conditio est: ut, postquam rem benè cogitâris, & desiderium tuum accenderis, vias, quibus illam consequare, invenias. Sic aulici perventores adipiscendo officio vel beneficio intenti, sic Eutropius, sic Eutropio æmuli egêre. Sic Chrysostomus, beatitudini sempiternæ acquirendæ, compendiosissimas & securissimas semitas circumspexit. Denique, quisquis seriò quærit, inventis ad quærendum mediis incunctanter ac constanter utitur: nihil enim prodest, iter nôsse, si non ingrederis; neque artis instrumenta quidquam efficient, nisi operando admoveris: neque ingredi aut operari quomodocumque sufficit, sed perseveranter incedendum, & operandum est. Interrogat Augustinus lib 15. de Trin cap 2. cum apud Isaiam dicatur Deus quærentibus appropinquare; cur Psalmista moneat, ut quæramus faciem ejus semper? Respondet ipse interrogationi suæ, his verbis *Melior, meliorq́; fit quærens tam magnum bonum, quod & inveniendum quæritur, & quærendum invenitur. Nam & quæritur, ut inveniatur dulciùs: & invenitur, ut quæratur avidiùs*.

Ex istis verbis fermè intelleximus, non tantùm quid sit quærere, sed quid sit *primùm* quærere. Pressiùs tamen verbum examinemus, ex Patrum judicio. Chrysostomus homilia 15. in Matth. existimat eâ loquendi formulâ Christum velle, ut nocte ac die cogitemus instanter de regno Dei. Itaque satis non est, in illud ferri à prima ætate, a primis singulorum dierum auspiciis: sed semper intellectus, & voluntas, illuc toto impetu ferenda sunt. Quis verò hoc agat, facundissime concionator, non jam Eutropiorum, Gainarum, Saturninorum, quorum tu insaniam in ambitionis inquietæ studiis exagitâsti: sed istorum qui te audiunt, Senatorum, equitum, artificum, mercatorum, quamvis piorum? Istine noctes, ac dies, terunt in recogitando regno Dei, quos negotia domestica quotidie à semetipsis avellunt? Imò quotusquisque Clericorum tuorum id vel faciat, vel facere possit!

Chrysostomi mentem interpretetur Augustinus l. 2. de serm. Dom. in monte cap 14. Neque enim dubito, quin uterque idem senserit: sensere certè debuerunt. Ait iste, pro quærendo *primùm* regno Dei tria opus esse. Unum, ut spirituales actiones non ordinentur ad finem temporalem; quod in Pharisæis Christus damnat, in Christianis insanum foret. Alterum, ne actionibus fines duos velut æquales statuamus, temporalem & spiritualem; claudicemusque in utramque partem, & Samaritanorum instar, Deo simul & Jovi sacrificemus, ac duobus dominis simul serviamus. Tertium, ut temporalia ipsa ad spiritalem finem referamus, Deique voluntatem ubique intueamur: quod cuivis facillimum est, pro gradûs, ad quem a Deo vocatus est, conditione.

Quid autem est *regnum Dei*? Alibi in Evangeliis aliter sumitur: hic beatitudinem æternam significat. Ita meritò censuit Basilius epist. 141. quæ est apologia ad Cæsarienses. Nam illud verè regnum est, ubi libertatem divitiæ, & potentia, comitantur: regni tantùm inanem habet effigiem paupertas in opibus, in potentia infirmitas, in libertate ac dignitate servitus.

Justitia Dei virtutem significat, & quaslibet actiones factas ex recti regula. Dicuntur *Dei justitia*: quia ex divinæ gratiæ beneficiis profluunt. Quia hominibus quidem debemus quædam ex justitia, quædam ex caritate: at omnia Deo debemus ex justitia; &, quidquid egerimus, dicendum nobis est, *quod debuimus facere, fecimus*. Quia Deus justus judex operibus illis debet æternam mercedem, ex liberali promissu, & quamvis gratuito subsidio.

Hoc

Hoc regnum, hanc justitiam, quære, mi Christiane, considera, deside ra, vias inveni, utere. Quære primò. Noli temporalibus æterna famula facere, ut illi, *qui temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt; & sic utrumque amiserunt*: ut illi, qui de se fateri possunt, quod ingenuè Chrysostomus lib. 2 de comp. de se adolescentulo fatetur, id vitæ institutum circumspexisse, non ubi sanctiùs, sed ubi jucundiùs viveret. Noli finem tibi geminum statuere, & unum cælis oculum, alterum terris figere: ne ad illos accedas, qui *petierunt escas animabus suis*, importuno desiderio; sed adhuc escæ illorum erant in ore ipsorum, quando ira Dei ascendit super eos. Ipsum temporalium omnium usum ad beatæ æternitatis consecutionem, & Dei possessionem, dirige; neque umquam desiste, donec inveneris: quemadmodum sanctus ille senex Macedonius, apud Theodoretum in Vitis Patrum. Venator in illum inciderat, montis cujusdam culmen habitantem, &, cùm quæsisset, quid ipse illic? Tu verò, inquit, quid hic? Cùm ille canes, & venationem, ostendisset. Et ego, inquit, Deum venor, nec desinam, donec habuero. Canes, quibus præda visa est, inquiebat anachoreta quispiam alius, ab ea insequenda non cessant, etsi alii, quibus visa non est, desistant. Nos, quibus Deus & ejus regnum in lumine fidei visum est, numquam insequi desinamus, donec consequamur: cessent licèt alii, quos odor rerum creatarum delectat, qui canes suos, sensus, & potentias ad opum, honorúmve, aut voluptatum, venationem excitant.

Hæc omnia adjicientur quærentibus regnum Dei. Dabitur regnum Dei, ex Christi promisso, *Quærite & invenietis*: & illi inæstimabili dono, auctarii loco, adjicietur, quidquid huic vitæ necessarium est. Præterea, non animo solum beatitudo dabitur in altera vita, sed etiam corpori adjicietur.

THEMA tertium. *Scit Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Ibid.

De cura Dei erga res singulas, quamvis minimas, dicere possis ex Tract. de bona volunt. ad cap. 14. lib. 1. Item de cura hominis, de officiis bonæ voluntatis, de modo quo Providentia divina se gerit erga nos &c. Possis item epilogum totius Tractatûs hâc concione pertexere.

DOMINICA XV. POST PENT.

THEMA. *Defunctus efferebatur.* Luc 7.

De sepultura, & Christianis ad illam ritibus, lib. 2. ad cap. 2. vers. 70. in funere Mathathiæ.

THEMA idem.

Vanitas rerum, spectata in morte singulorum, Exc. ad cap. 11. lib 1. sect. 1. usque ad num. 6. Nisi argumentum illud malueris servare ad Dominicam 23 post Pent. Hoc loco disputare possis, quis amicorum optimus. *Tria non cognoscuntur, nisi in tribus locis*, inquit verbum Arabicum. *Non cognoscitur audacia, nisi in bello: sapiens, nisi in ira: amicus, nisi in necessitate.* Necessitas major nulla, quàm in morte, quando judex sedebit, & quidquid latet apparebit. Quis ibi amicus? Quis animam hodierni juvenis comitatus?

Qualitates ipsius trium generum fuisse potuerunt, malæ, bonæ, indifferentes. Malas apertè non indicat Evangelium. Colliguntur primùm ex ætate, quòd adolescens, Prov. 30 sapiens ignorat viam viri in adolescentia: deinde, quòd *unicus filius viduæ*, indulgentis utique: denique, quòd dives, ut ex comitatu apparet, atqui opes idolum sunt. Ulteriùs inde inferunt quidam, animam hujus adolescentis fuisse apud inferos, & cùm ingentur, nullam inde redemptionem esse, afferunt historiam de anima Trajani, precibus D. Gregorii liberata. Ut hic dicam, quod sentio; videntur isti peccare dupliciter. Primùm, quia ex suspicione pronuntiant; neque enim adolescentes omnes continuò mali: nec matres omnes nimis indulgentes: neque opes omnibus idola sunt. Peccant præterea in eo, quòd animam illius de inferis liberatam statuant: de Trajani anima fabulam explode cum Baronio an. 604. Tenendum est, animam hujus juvenis, sicut animas aliorum suscitatorum, fuisse in statu suspensionis.

Qualitates bonæ hujus juvenis fuêre; quòd esset bonæ matris filius, ut colligitur ex turba multa, ubi verosimiliter erant multi pauperes, erga quos caritatem exercere solita fuit, ut Tabitha Act. 9. Deinde, quòd ipse bonus fuisset, & morigerus matri, quæ idcirco flebat uberiùs: eamdemque ob caussam arbitror, Christum misericordia flexum, ut erga Lazarum.

Qualitates indifferentes fuêre, quod esset *adolescens unicus*, carus matri, quia ejus unicus, unicus, viduæ: dives & honoratus, ut ex turbæ ingentis, funus prosequentis, comitatu colligitur.

Quænam istarum qualitatum animam juvenis ad vitam aliam comitatæ sunt? Nostram ecquænam comitabuntur? Huc commodissimè faciet parabola a Barlaamo recitata apud Damascenum historiæ cap. 13. de aulico, cui tres amici fuêre: vocato in jus per Regem, ob rationes æratii, unus obtulit sudarium cadaveri involvendo; alter, comitatum ad portam usque palatii, non ad tribunal; tertius, qui neglectus fuerat, opem adpromisit, & præstitit, prospera apud Regem advocatione pro reo. Ille opulentiam, iste honorem, hic virtutem significat.

THEMA tertium. *Noli flere.* Ibid.

Aptè legitur hoc Evangelium sub finem æstatis, Autumnive initium: quia mortes solent esse frequentiores, tempore Canicularium, messem etiam suam, & vindemiam Deus habet. &, cum foliorum caducitate, cadere solent homines multi, qui à Græco poeta dicuntur, γενεὰ φύλλων, generatio frondium, uti Jobus sese appellavit *folium, quod vento rapitur.* Sequamur intentionem Ecclesiæ, & agamus de morte. Ave.

Tertullianus lib. de anima. *Nunc ad ordinem mortis*, inquit, *quia nec illam sine quæstionibus, licèt finem omnium quæstionum.* Finiuntur morte quæstiones, & de morte ipsa multæ sunt quæstiones. Omnésne, citra exceptionem ullam, generali legis morte tenentur? Moriturine homines erant ante peccatum? Cur lata lex mortis? Cur in temperie corporis optima quidam serò, alii citò rapiuntur? Cur tam brevis homini vita præ multis animalibus? Quid animæ post mortem fiet?

Quæstiones istas, fidei, aut sensui communi facillimè solubiles, omitto: aliasque duas propono, sitne mors lamentabilis, sitne formidabilis? Prohibet in medium Seneca, & Bassi, mortem securissimè exspectantis, exemplum producet epist. 32. tum suum epist. 54. & epist. 102. quarum sententiarum verba apud ipsum, si recitare placuerit, Lector invenies. Accedent Senecæ, hodierni citones, qui Dom. 9. Catechismi sui prædicant, non timendam mortem; quippe qui *omnes sibi alas affuturas putant*, quomodò in simili re loquebatur Arnobius, ut in cælos rectà subvolent.

Nobis allocutio ad Paganum non est, de animæ immortalitate, & divinis à morte judiciis, nondum rectè sentientem. Nec cum hæreticis quæstio est, fidei solius involucro, adversùs quælibet mortis & inferorum terriculamenta, securos sese arbitrantibus. Sed cum Fidelibus agimus, Dei judicia, æternitatem animæ, inferos, purgatorium, bonorum operum necessitatem, certò credentibus. Flendáne est Fideli mors aliena, suáne timenda? Sæpè magis alienam flemus, quàm timemus nostram; ut vidua hodierna: cùm tamen contrà oporteret.

Noli flere, inquit mulieri Christus, mortem filii: quia illum brevi recipies. Hoc tibi, Christiane, dico. Quis, quem amisisti? Postquam aliquid luctûs donaveris naturæ, exsicca fontes lacrymarum, quia brevi recipies mortuum tuum. *Resurget frater tuus in resurrectione in novissimo die.* Constat nobis, quia *propheta magnus surrexit, & Deus visitavit plebem suam.* Quid luges, qui præcessit, quem sequens, ad quem accedis; ut de filio suo David aiebat, desinens lugere mortuum, quem ægrum doluerat, & fleverat? Sit deploranda mors hominis Infidelis, aut Christiani pariter Infideli: at boni Fidelis, in sinu virtutis, æternitatis beatæ fiduciâ, exspectatione resurrectionis fælicis, lugenda non est.

Præterquam quòd morte absolvitur hujus vitæ miseriis, quas propheta Hussites divinè explicat cap. 9. & 10: & Augustinus eloquenter exponit lib. 21. de Civ. cap. 14. lib. 22. cap. 22. Nosque ipsi ita quotidie experimur, ut non dubitemus dicere quod Ecclesiastes, *Laudavi magis mortuos, quàm viventes.* August. serm. 39. de diver. comparationem instituit inter Machabæos septem martyres, & Hebræos tres juvenes de fornace Babylonica intactos; & quærit, utri fæliciores fuerint, pronuntiatque pro illis; *quia isti evaserunt ignes, sed ad pericula istius sæculi servati sunt: illi in ignibus omnia pericula finierunt*, etsi non ad cælum, sed ad limbum, discesserint. Dum hic vivimus, contingit plerumque nobis, quod Amos cap. 5. vers. 19. ut fugienti leonem occurrat ursus, ursum vitanti occurrat coluber. Ubique laquei, damna, pericula, occasiones peccandi. Et ploras illum, qui evasit?

Accedit, quod piè mortuus non miserias tantum suas, & pericula evaserit: sed etiam abfit à spectaculo, & sensu miseriarum, ac discriminum, conjunctis instantium. Ut vel ob hanc caussam verissimum sit, quod Rupertus scripsit lib. 3. de Trin. operibus. *Non irata justitia, sed miserantis est gratia, quòd vitiatum hominem Deus mortalem esse voluit.* Regum lib. 4. cap. 22. Deus Josiæ curat dicendum: *Colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulcrum*

sepulcrum tuum in pace: ut non videant oculi tui mala, quæ inducturus sum super locum istum.

Inde ergo, inquis, etiam consequitur, non tantùm mihi non dolendam alienam mortem: sed meam etiam non timendam, imò optandam? Sic censet Eusebius Gall. hom 8. *Anima, quæ benè cursum suum direxerit ... non timebit ultimâ illam hora necessitatem: exire de hujus corporis habitaculo sibi videbitur, quasi post longas carceris tenebras educatur ad lucem: quasi, de aliquo obscurissimo specu, in aulam regiam introducatur:* à luso ad splendorem, ab opere ad quietem, à navigatione ad portum, &c. Apud Cypr lib. de mortal. cuidam, ad mortem trepidanti, Angelus Christi nomine, *Pati metuitis*, inquit, *exire non vultis, quid faciam vobis?* Malum timendum est mors bono viro mala non est: igitur non timenda. Quid times? Præterita? Mundâsti. Præsentia? Composuisti. Futura? Prævidisti. *Propheta magnus* visitavit te, ut commissa purgares, committenda caveres: quid timeas, si Christus tecum est in conscientia pura? *Eduxit eos in spe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.*

Hoc dico, mors corporalis illi nec dolenda, nec formidanda est, cujus anima vivit. Augustinus serm 6 de ver. Dom. secundum Matth. *Deus amissus, mors animæ: anima amissa, mors corporis: mors corporis necessaria, mors animæ voluntaria:* hanc cave; & illam lætus, ac securus, exspecta, & excipe.

DOMINICA XVI. POST PENT.

THEMA. *Hydropicus stetit ante illum.* Lucæ 14.

Invidorum, hominum parvicordium, est, minutulos errores eorum, quibus invident, notare, & exaggerare: magnas virtutes illorum vel oculis non dignari, vel silentio præterire, ad obterendas laudes. Sic hodie Pharisæi *observabant* Christum, si quid in illo reprehensibile videre sibi viderentur, in non abiret irreprehensum. non cernebant, aut cernere nolebant, insignem ejus & conspicuam mansuetudinem, & misericordiam. Misericordiam, quâ hydropicum pauperem curat, & captat ubique, etiam in conviviis, occasionem animas lucrifaciendi, docendi &c. Mansuetudinem, quâ non recusat adire convivium inimicorum: quâ item observatores Pharisæos reprehendit, ac docet suavissimè, ut advertit Ambrosius; non invidos increpans, superbos, cupidos, avaros, ignorantes, quod erant; sed, post suaves interrogationes, hydropicum ipsis spectantibus sanando, ut in ipsis primum sanet ignorantiam, tum cupiditatem seu hydropem spiritualem.

Doctoribus istis Legis proponit Christus casum conscientiæ, *Si licet sabbatho curare?* Obmutescunt, ut solent invidi, coram taciti, clam loquaces: ne, si negent, confutentur; si affirment, seipsos jugulent.

Duplicem ergo hic errorem crassum habebant Pharisæi. Primùm, non intelligebant, quod Legis præceptum maximè observandum esset. Triplex enim est, naturale, divinum, humanum. Illud, quod natura dictat, ut Deum adorare, non furari &c. Istud, à Deo institutum ex peculiari revelatione, non à natura dictatum: ut sabbata, neomeniæ &c. apud Judæos; apud nos Confessio, Confirmatio &c. Hoc, ab homine habente legitimam potestatem, ut festum Encæniorum à Machabæo, apud nos festa multa. Constat autem, ubi incompatibilis est præceptorum istorum observatio, divinum præponendum humano, naturale divino: quia omnia sunt ad naturæ perfectionem instituta; cui perfectioni magis necessaria sunt, quæ ad naturam propiùs accedunt. Exempli causâ: pater tuus est in extrema necessitate morbi, vel famis; ipsum relinquere non potes, neque habes qui vices tuas absentis suppleat. Omitte sacrum die festo, ipsoque adeo die Paschæ, & operare, si necesse est: quia præceptum hoc est tantùm humanum, vel divinum; succurrere autem proximo in extrema necessitate, ex lege naturæ & caritatis est. Matth 12. vident Pharisæi Apostolos vellentes sabbatho spicas, murmurant: vide quomodò argumentetur contra illos Christus; & in exemplo Davidis nota, Legem naturæ dispensâsse in Lege divina de non comedendis sacris panibus: in exemplo sacerdotum sabbatis animalia jugulantium, quomodò ea divina dispenset in humana, aut divina inferiore En ergo primum Pharisæorum errorem, correctum hodie etiam à Christo.

Altera ignorantia fuit, in sabbati observatione. Præceptum erat primò, in creationis memoriam, quia cessavit Deus die septimo: unde in aliis decalogi præceptis non dicitur, *Memento*, quia alia non sunt in memoriam, sed ex lege naturæ: & hæc ratio est, cur divina traditione Christiani jussi sint servare Dominicam, non sabbatum, ut recolant beneficium redemptionis, quod creatione majus est Secundo, sabbatum Judæis indictum erat, ad figuram Christi eo die quiescentis in sepulcro, ut piè dicit August lib 4 de Gen. ad lit. Tertiò, ex Greg Nyss. lib. de test cont. Jud. cap de sabbato: quia populus ille adeò usuris addictus erat, ut oportuerit unam ipsi diem, quo cessaret ab humanis, & divinis vacaret, præscribere Ante transmigrationem non adeò scrupulosè observabant: sed post, superstitiosè ad asinitatem usque, cujus stultitiæ exempla quædam vide apud Tirinum ad Exod cap 25. Vide etiam sententiam Aug de Judæorum servili sabbatismo Exc ad cap 10. lib hujus sect 2. num 10

Amentes, putabant Christo non licere opera misericordiæ sabbato; quasi minor virtus posset impedire majorem, & quasi Deus juberet minus bonum præponi majori Religio longè caritate minor est: illa moralium suprema, hæc Theologicarum. Ut ergo Pharisæi videant sabbato licere opera misericordiæ, sanat hydropicum: &, cum nutu solo sanare posset, apprehendit manum ejus; non tantùm, ut moneat, movendam etiam nobis manum, quando spiritaliter sanari volumus; sed, ut Pharisæi opus aliquod exterioum videant, idque religioni non esse adversum

Cur autem, docendis illud Pharisæis, sanat hydropicum, non paralyticum, cæcum, &c. ut aliàs? Quia non tantùm volebat curare ignorantiam Pharisæorum; sed cupiditatem, hydropem spiritualem: erant enim avari, ambitiosi, superbi Gregorius lib 12 Mor. cap. 5. *Quid est quòd ... hydropicus curatur, nisi quòd per alterius ægritudinem corporis, in altero exprimitur ægritudo cordis?*

Obviæ sunt comparationis partes. Primo: species hydropis tres vulgo numerant. ascitem aqueum, tympanitem ventosum, leucophlegmatiam œdema totius corporis. addunt alii anasarcam, humores putridos sub cute ex carne soluta. Tres hydropis spiritualis species numerat S Joan. 1. 2. *Omne quod in mundo est concupis.* &c. S. Antonius de Padua quatuor faciebat ab elementorum quatuor similitudine, *terrâ avaritiâ, aquâ luxuriâ, aëre inconstantiâ, igne superbiâ:* quaternas itidem Augustinus numerat 14. de Civ. cap 15. libidinem ulciscendi, habendi, delectabilium, dominandi.

Secundò: signa exteriora hydropis sunt conspicua, inflatio, color, anhelitus difficilis &c. Concupiscentia diu dissimulari non potest. Monet idcirco Siracides Eccl 18. *Post concupiscentias tuas non eas, sed ab eis avertere Si præstes animæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis*, qui id advertent, & subsannabunt.

Tertiò: effectus notabilissimus & certissimus hydropis, est insatiabilitas. Concupiscentia naturalis ad necessitatem facilè satiatur: extranaturalis, ab imaginatione procedens, modum non habet. Eccl. 1 *Non satiatur oculus* &c Prov 30. *Sanguisugæ duæ .. Tria insaturabilia, & quartum* &c. Ejus loci varias & percommodas explicationes affer ex interpretibus. Sen. lib. 3 de Benef. *Novis semper cupiditatibus occupati, non quid habeamus, sed quod petimus, inspicimus; non in id quod est, sed in id quod appetitur, intenti.* Vide Samaritanam cum viris quinque, Salomonem, Davidem &c. Alter effectus est inquietudo, ex distentione &c. Sic distenta cupiditatibus voluntas quieta esse nequit; extra statum, & situm suum, est Tertius effectus est suffocatio in morte: ita in morte suffocat amor temporalium, *Quæ parâsti, cujus erunt?* Ezechiæ ipsi erat acerba separatio, quid pingui Agago? Si macies suffocat, quid faciet obesitas?

Quartò: curatio hydropis fit, tollendo materiam morbi, evacuando aquas; & jecori calorem temperatum restituendo, ut sanguificet. Cupiditati tolle materiam, superflua reseca: Seneca ep 21. *Vis Pythoclea divitem facere? Cupiditatibus detrahendum.* Sæpè, ut Plato aiebat lib. 5 de rep. & 3. de Legibus, *Dimidium plus toto:* Ludovici XI. coquinarius puer vitam suam dicebat sese tolerare sicut Rex, sorte suâ contentus. Reddamus calorem hepati, augeamus Dei amorem, & desiderium cælestium. *Thaddæus* ipse solus est, & *Hon.* *Quærite primùm regnum Dei* &c.

THEMA alterum. *Amice, ascende superiùs.* Ibid.

Dicere solet dæmon homini, *Mitte te deorsum. Descende*, per affectus terrenos. Henricus Rex, postmodùm Imperator ejus nominis tertius, congregatâ Pseudo-synodo, ubi Guibertum Antipapam creavit, scribens Gregorio VII. contumeliosissimam epistolam, apud Baron. ao 1080. in fine hæc habet: *Ego Henricus Rex Dei gratia, cum omnibus Episcopis nostris, tibi dicimus, Descende, descende.*

Sic dæmon loquitur, etsi etiam dicat, *Ascende* per superbiam. Christus aliquando dicit, *Descende*, per humilitatem: hodie nobis dicit, *Ascende*, per animi magnitudinem superiùs ad cælum, ubi vera est altitudo: ibi honor, laus, fama, dignitas, gloria. Conare esse de primis, ut

Deum magis ames, & collaudes. Sed quo pacto illuc ad gradum altiorem emergam? Estne ergo multiplex beatitudinis gradus? nonne Beati omnes sunt æqualiter magni? Quæstiones binæ nobis proponuntur: à Catholicis prima, altera ab Acatholicis. His respondeamus primum, tum illis.

Controversiam de inæqualitate mercedis in cælo, attingimus in Indice Concion. Dominica Sept. Hodie locus erit repetendi, & diffundendi latiùs, productis argumentis Catholicis ex Scriptura, & ratiocinatione: dein dissolutis futilibus adversariorum objectionibus.

Avertamus aures ab istorum ululatibus, & ad quæstionem Catholicorum convertamur. Quis modus altiùs ascendendi in cælo? Secretum omne in ista voce continetur, *Amice:* cujus vocis commentarius esse possit illud Paulli, *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Vis in cælum ascendere? Necesse est ut amicus Dei sis in hac vita, & amicus Dei morieris: non sis mancipium. Ambr. l. 2. epist. 7. postquam hominem descripsit passionibus & vitiis servientem, *Quàm miserum igitur est*, inquit, *ut qui nascimur in libertate, moriamur in servitute!* Et benè auctor non bonus epist. ad Demetriadem *Quis non erubescat, & metuat, tanto Patre agere aliquid indignum: ut, qui dicitur Dei filius, ipse efficiatur vitii servus?*

Ut autem *superius* ascendas, noli contentus esse Dei amicitiâ, sed conare magis ac magis in illa provehi, ut Principum aulici solent. Siracides Eccl. c. 50. Simonem Oniæ filium Stellæ comparat, tum Lunæ, dein Soli: sic & tu cresce. Hesther cap. 11. *fons parvus crevit in fluvium maximum:* ita paullatim crescat Christianus, affluxu gratiarum, & operum. Plena sint opera coràm Deo. Qui plus caritatis habet, ascensiones altiores in corde suo disposuit. De ea, Dominicâ seq.

THEMA tertium. *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur.* Ibid.

Materiam repete ex Dominica 10. post Pent. æquè enim huic Dominicæ convenit: uti & alia, de exaltatione humilium.

DOMINICA XVII. POST PENT.

THEMA. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Matth. 22.

Verba explicabimus sine amplificatione. Nihil enim utilius, nihil jucundius possumus, quam assequi, quod Deus tam graviter Deut. 6 edixit: quod Christus, qui non vênit legem solvere, sed adimplere, confirmavit.

Tres sunt istius legis partes. prima continet præceptum, *Diliges:* altera caussam, *Dominum Deum tuum:* tertia exercitium, *ex tota corde tuo, in tota anima tua, in tota mente tua.*

Diliges, id est *dilige:* Hebræi enim, quia Imperativo modo carent, ejus vice Futurum usurpant. Non jam dicit, quod alibi, *adorabis Dominum, credes Domino, gratias ages Domino*, non dicit, quod sæpissimè in Scripturis commendatur, *sperabis in Domino.* Hic enim altius aliquid imperatur, quàm spes: ut Deus sincerè diligatur propter semetipsum, quod est officium veræ caritatis, non autem propter nos, aut bonum nostrum, quod spei munus est.

Demophilus Pythagoræus in sententiis aiebat, *hærendum in Deo, cùm radicem & originem ab eo acceperimus: siccare enim & arescere rivos, & arbores, quando à fonte ac radice reciduntur.* Ita philosophus Paganus, rationis lumine, deprehendit principium suum, ac finem: sed ad sinceram caritatem, quam etiam naturæ possibilem esse Theologi quidam arbitrantur, non ascendit: Deo enim inhærendum esse dixit, non quia Deus est, sed ne ab illo avulsi siccemur & arescamus.

Eleganter juxtà & breviter Bernardus epist. 11. tres Deo confitentium, & servientium, classes distinguit: *Est, qui confitetur Domino, quoniam potens est. & est, qui confitetur, quoniam sibi bonus est. est item, qui confitetur quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, & timet sibi: secundus mercenarius est, & cupit sibi: tertius filius, & defert patri.*

Theologi amores duos distinguunt, Concupiscentiæ, & Amicitiæ. Ille utilitatem amantis spectat. Hic solam respicit amati dignitatem, & duobus actuum generibus frequentatis agnoscitur: si placet illi bonum amati, displicet malum, si bonum amati desiderat & procurat, quà potest, repellit malum.

Expende actus illos in Davide, Augustinóve, aut Magdalena non rectè amante; deinde fac benè amantem: videbis, idem proportione erga Deum, quod erga homines, egisse. Id tantùm interfuit, quod hominibus bona tum intrinseca tum extrinseca augeri possunt: atque adeo circa utraque tum desiderium, tum complacentia versatur. At in Deo bona intrinseca incrementum nullum admittunt: nec circa illa versari desiderium potest, sed complacentia solùm, ut de magnitudine & infinitudine Dei, quæ crescere nequit, gaudeamus. Bona verò Dei extrinseca, id est honor ipsius, & gloria apud homines incrementum decrementumque accipiunt.

Ut crescant, excitatur desiderium amantium. Sic Psalmista orat ut *Confiteantur populi Deo, confiteantur populi omnes:* Zacharias *per viscera misericordiæ Dei* obtestatur, ut lumen oriatur *his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent:* Simeon gaudet, ortum esse *lumen ad revelationem gentium:* nos Deo *gratias agimus, propter magnam gloriam suam;* & quotidie rogamus, ut *sanctificetur nomen ipsius.* In qua oratione, à Jurisperito nostro cælesti composita, advertendum, primo loco poni actum perfectæ caritatis, deinde subjici actum spei: amor amicitiæ continetur in hac petitione, *Sanctificetur nomen tuum;* amor concupiscentiæ in hac, *Adveniat regnum tuum.*

Si bona Dei extrinseca minuantur malâ hominum voluntate, zelus excitetur. *Tabescere*, inquit Psalmista, *me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Heli ad arcæ captæ nuntium 1 Reg. 4. mortuus concidit, antè non ita percussus morte filiorum: neque ipsius nurum mors mariti æquè affecit, ac *translata gloria de Israel, quia capta erat arca Dei.* Agrippa Judæorum Rex, auditâ exprobratione Caligulæ, quòd statuam suam habitu Jovis accipere & adorare Judæi recusâssent, attonitus, colore nunc in pallidum, nunc in rubrum, nunc in lividum mutato, deficientibus viribus corruisset, nisi adstantes sustinuissent: ut Philo narrat lib. de legat. ad Caium, & ex illo Baronius ad an. 41 sed purius hauries ex fonte ipso.

Dignus zelus & caritas mente Christianâ. Ut in te magis ac magis exardescat, caussas seu motiva caritatis expende. Amamus, loquit Basilius, in quæst. fusius disputatis q. 2. primùm pulcrum ac perfectum, deinde nobis conjunctum, tertiò nos amantem & beneficum. considera isthæc in homine, & exinde transi ad Deum. *Quem amas cùm Deum tuum amas?* Amas *Dominum*, summum, perfectissimum, pulcerrimum, optimum. Amas *Deum*, tibi conjunctiorem patre tuo, fontem essentiæ tuæ, conservatorem vitæ tuæ, intimè tibi semper præsentem, tecum operantem, in te operantem, tibi imaginem suam perpetuò imprimentem. Amas *tuum*, te amantem, à te amari cupientem, imperantem ut se ames, quasi tui egeat. Esto mendicus aliquis, mancus, claudus, cæcus, omnium indigus, solius cordis compos, in quo inturate sincerum amorem tui: poterisne, si cor hominis habeas, ab eo mendico redamando abstinere? Quid si Rex mendico significet, cupere sese ab illo amari; quid si imperet? Apud Sen. epist. 9. *Hecaton ait: Ego tibi monstrabo amatorium sine herba, sine medicamine, sine ullius veneficæ carmine: Si vis amari, ama.* Fecit hoc *Dominus*, fecit hoc *Deus*, fecit hoc *Tuus:* tot testes habes amoris erga te divini, quot creaturis opera: tot habes pignora, quot lacrymas, & guttas sanguineas Salvatoris.

Talem jure ames *ex toto corde, in tota anima, in tota mente.* Marcus pro *mente*, habet *fortitudine*, Lucas habet *viribus:* Jurisperitus, cum Christo colloquens, pro *anima* dixit *intellectu.* Ingeniose & piè quidam verba ista explicant, in iis Bernardus serm. 20. in Cant. ubi ubertim exponit tres modos diligendi Dei, & experimentum hoc affert intensissimæ caritatis: *Non abduci blanditiis, non seduci fallaciis, non injuriis frangi, toto corde, totâ animâ, totâ virtute diligere est.* Quidam ergo verba ista sic interpretantur, quasi aliis aliud significetur: sed verum est idem omnibus significari, eamque variorum verborum multiplicationem adhiberi tantùm, Hebraicæ linguæ idiotismo, ad magis commendandum, & inculcandum, præceptum Dei amandi *ex toto corde.*

Itane verò *ex toto corde* Deum amem? Nullámne cordis particulam servem parentibus, amicis, benefactoribus? Serva omnino: sed sic ut toto nihilominus corde in Deum feraris, & eam ipsam particulam Deo reddas, si à te repetierit. Ego quidem, inquis, id pervelim, sed non sentio. Plus me afficiunt, quæ in humanis amo, quàm quæ in divinis: illis tenerius tangor; illarum vel jacturâ, vel consecutione, magis commoveor. At nonne tamen pluris istis omnibus Deus est? Nonne ista mavelis perdere, quàm Dei amicitiam abrumpere? Amas ergo *ex toto corde* Deum summo amore appretiationis, & sufficit: quamvis desit ibi tener, & sensibilis, amor intensionis. Quemadmodum, inquiunt, tenerius erga puerulum mater afficitur,

afficitur, quàm erga majorem natu filium, etsi hunc plures faciat: & pater Evangelicus prodigo filio plus impendit, quàm primogenito.

Si voles experiri, an Deum ex toto corde ames, consule teipsum, an boni ullius creati consecutio vel jactura sic te vel amore, vel dolore afficiat, ut à Deo divellaris. Utrumque ab Augustino audiamus. *Corporis pulchritudo,* inquit lib. 15. de Civ. c. 22. *à Deo quidem factum, sed temporale, carnale, infimum bonum, malè amatur, postposita Deo aeterno, interno, sempiterno bono: quemadmodum justitiâ desertâ & aurum amatur ab avaris, nullo peccato auri, sed hominis. Ita se habet omnis creatura. Cùm enim bona sit, & benè potest amari & malè: benè scilicet, ordine custodito; malè autem, ordine perturbato. Unde quidam versibus dixit: Hac tua sunt, bona sunt, quia tu bonus illa creasti. Nil nostrum est in eis, nisi quòd peccamus, amantes, Ordine perverso, pro te, quod conditur abs te.*

Idem serm. 77 de diversis, *Quidquid molestiarum,* inquit, *passi fueritis in terra, quantumcumque Christianum cor deorsum humiliatum premat omnemus, summa petit amor dilectionis... Si faculam teneas ardentem, rectam capite sursum teneas, flama crinis fugit in cœlum: deprime faculam, flama in cœlum it. Fac faculam capite deorsum numquid & flamam depones in terram?* Quæcumque in statu sis, *toto* tamen *corde* semper Deum *dilige*, semper eumdem, semper amabilem, semper *Dominum*, semper *Deum*, semper *tuum*. Summa petat ardor dilectionis: flammæ crinis de terra fugat in cælum, ubi amor numquam erit deorsum.

THEMA alterum. *Hoc est maximum, & primum mandatum.* Ibid.

Christus, qui ab amore venit ad nos, ad amorem, qui venit ignem mittere in terram &c. bis de præcepto magno, aut de via salutis, interrogatus, plus dixit, sue dici voluit, quam petebatur. De Legisperito, vide Domin. 12. Hodie interrogatus, quod esset *mandatum magnum,* affert præceptum de diligendo etiam proximo: de diligendo autem Deo, non solum dicit, *magnum esse mandatum*, sed *maximum & primum*, quibus titulis quid eminentius dici potest ad laudem caritatis! Explicemus utrumque: quamquam unum exponendo, alium simul exponemus. Ante omnia ebodanda difficultas de titulo, *primum*.

Continuò enim de scholis quispiam dixerit, *prius* aliquid dici quadrupliciter, *tempore*, *natura*, *origine*, *honore*: quarum prioritatum exempla in cæli partibus, & astris, licebit statuere. Horum modorum nullo videatur primum esse mandatum caritatis. Fides enim est virtus intellectualis: atqui in moralibus virtutibus prudentia eminet, ergo & fides in Theologicis: adde, speculativas scientias pluris esse practicis, & visionem in cælis amori beatifico præferri. Ut fides non præeat dignitate, at præcedit natura. prius est enim cognoscere, quàm amare, vide Exc 1. ad cap. 5. lib 1. sect 6. num 13 & 14. Imò non fides dumtaxat, verum & timor præcedit caritatem tempore, ab Augustino idcirco comparatus setæ filum inducenti. Quid quod etiam spes præcedit, ut ait adductus a nobis eadem sect. num. 15. Bernardus ep. 11? Si autem isthæc natura præcedunt: multò magis alia præcurrunt tempore. In lege naturæ præceptum primum fuit de materia temperantiæ: in lege Mosaica, quâ de in nostro Evangelio quæstio est, neque Exodi 20 neque Deut. 5 inter mandata reperio præceptum dilectionis, habetur demum Deut. 6. Ergo nec tempore primum est, neque ordine.

Nihilominus *primum* est fine, valore, utilitate, universalitate, perfectione, difficultate. quæ capita Toletus exequitur. Ego ad tria capita totam caritatis eminentiam contraxero; objectum, subjectum, effectum. Objectum aliud materiale est, aliud formale: utrumque caritati Deus est, quantus quantus est. Apud Judæos fuêre præcepta moralia, cæremonialia, judicialia. Eorum quædam immediatè Deum pro fine habebant, ut præcepta religionem spectantia, Deum adora, Sabbatum sanctifica, lapidetur quisquis non sanctificârit: alia tantum mediatè, ut, honora patrem, assurge coram cano capite, lapidetur qui patrem verberârit. Isthæc præcepta Deum quidem pro fine habent, at non pro objecto. Solæ pro objecto habent Theologicæ virtutes: è quibus fides unam tantum perfectionem attingit, aut duas, spes tertiam &c. Vide sect. supra cit. num. 5. *Caussa amandi Deum, Deus est: modus, diligere sine modo.*

Prætereà creaturæ omnes intellectuales hoc præcepto tenentur indispensabiliter: nec Deus ipse potest ejus legis gratiam facere, quomodò sese fine suo, dominatu, & perfectione exuere. Quarumdam virtutum exercendarum obligatio ad certas conditiones, ætates, tempora restringitur: hæc status omnis, ætatis, & vitæ est. *Dilige, & fac quod vis*: esto miles, artifex, Ecclesiasticus &c. Nonne fides etiam, inquit, hoc pacto obligat, nonne spes? Planè, sed hoc interest, quod fides & spes in cælo cessant, aut exercitio carent: sed caritatis æterna est, & dulcissima necessitas. Amplius dico, etiam Infideles in hac vita teneri præcepto caritatis, etiam damnatos in altera. & hos idcirco æternùm puniendos quidam censuêre, quia numquam amabunt, non tantùm quia offensa infinitæ malitiæ est. Videtis præceptum caritatis esse catenæ immensæ instar, mentes omnes Angelicas & humanas, ubilibet & quomodolibet sint, colligantis. Marsilius Ficinus mundos tres statuebat Platonico more, intellectualem, animalem, corporeum: utique legem amoris aiebat imperare. Hauserit forsan istud ex philosophia Boethii lib. 2 met. 8.

Quod pugnantia semina
Fœdus perpetuum tenent, &c.
Hanc rerum seriem ligat,
Terras ac pelagus regens,
Et cælo imperitans, amor,
Hic, si frena remiserit &c.
O felix hominum genus,
Si vestros animos amor,
Quo cælum regitur, regat!

Fælix enimvero ob innumeros divinæ caritatis effectus. Nam primùm ab illa virtus omnis. Vide Augustini sententias sect. cit. num. 9 & 10. Secundò, imperat caritas præsertim actus heroicos. Pictus olim amor leonem frænans, & equitans. Narrat Spondanus an. 1259 leonem ferocissimum, Florentiæ caveâ elapsum in compita, infantulum unguibus apprehendisse: matrem infantuli in leonem insiluisse, & filium eripuisse, leone non commoto & abeunte: eum infantulum appellatum postea Orlandinum de Leone. Hoc potest amor naturalis: caritas supernaturalis leones infrænat, omnia terriculamenta superat, mortem ipsam & inferos *Fortis ut mors*, quâ tamen omnia superantur, *dilectio*, & fortior morte: quot enim Deum amantes mortem superavêre, puelluli etiam, & puellulæ? Tertius caritatis effectus, meritum: non quod sine illa meritum nullum, sed quòd ab illa maximum. Imago, & superscriptio, dat æri ipsi pretium, olim & cono, unde pecuniæ nomen: caritas quibusvis actionibus dat valorem. Minora duo caritatis, quorum stata, pluris sunt, quàm summæ ingentes aliarum virtutum. Sententiam Bernardi ex 27 serm. in Cant vide sect. suprà citata num 9. ubi etiam Augustini alias insignes reperies, & claudes incomparabili caritatis encomio 1. Cor. 13.

THEMA tertium. *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, Ib. ex ps 109

Psalmum hunc explicabimus, *brevem numero verborum, sed magnum pondere sententiarum*, ut ait Augustinus in præfatione ad ejus explanationem Audiunt illum multi, sed non multi ut oportet. *Vivat anima vestra, & vigilet in Deum.* Ave.

Percelebris disputatio est apud Scripturæ interpretes, psalmine omnes, ubi tot affectus &c. ab uno auctore sint. Disputa breviter ex interpretibus, quos Tirinus breviavit, aliique. Quidquid sit ejus quæstionis, quam nos equidem non decidemus: constat primò, quicumque scripserint, fuisse Spiritus sancti instrumenta: varii calami, digitus unus, & manus una: diversi canales, eadem aqua. Deinde constat, hunc psalmum esse à Davide: in titulo habetur, *Ipsi David*, *Est iste totus titulus, simplex, sine figura quæstionis, sine ullo nodo difficultatis*: Christus ipse manifeste Davidem auctorem facit. Tertiò constat, non Abisbæ, vel Davidis, vel Ezechiæ, ut Hebræi volunt hostes Christi, sed ipsius Christi gloriam cani: patet ex textu, qui alteri aptari nequit: eam ob rem canitur die Dominî ad vesperas ab Ecclesia, quia est de gloria Domini: *ut omnino dubitare non possimus, Christum pronuntiari in psalmo hoc: quandoquidem Christiani sumus, & Evangelio jam credimus, absit ut negemus.*

Primò, consideremus Christi gloriam, in duobus consistentem, regno, & sacerdotio: tum caussas gloriæ itidem duas, prædestinationem Dei, & humiliationem Christi: denique inde pro nobis discamus, *Qui se humiliat, exaltabitur.*

Dixit Dominus, Deus Pater, destinatione æternâ, dixit per vocem prophetæ sui, qui audivit *in quodam secretario veritatis*, in *quodam mysteriorum Sanctuario*. Disc deinde ex eodem Augustino, quomodò Christus sit filius & Dominus Davidis. Adverte sedem, virgam, id est sceptrum, dominationem, principium ἀρχὴν regni, quod Christo datur: ubi insignis est Augustini exclamatio, *Dominare in medio Paganorum, Judæorum, Hæreticorum, falsorum fratrum, dominare, dominare, fili David... Crescat gloria*

ejus per populos, ejus nomini subjiciantur gentes, peccator videat, & irascatur &c.

Origo regni, *Ex utero ante Luciferum genui te.* Pulcerrima de Christo prophetia, & encomium: quod Paullus Hebr. 1. explicat de æterna Christi generatione: Hebr. 5. de incarnatione, & generatione in tempore: Act. 13 ver. 33. applicat resurrectioni Christi. Beza, spretis tam illustribus Paulli explicationibus, tam honorificis Christo, & spiritui Davidico, maluit obscurum & obtortum sensum corrogare. Hac occasione digredi poteris ad cantum psalmorum vernaculum: an in Ecclesiis expediat, an privatim sit optabile, si paraphrasis fiat Catholica: quid Grassensis Episcopus narret se audisse, agricolas duos vicinos, hæreticum psalmos canentem, Catholicum cantionem lascivam.

Ex eadem prædestinatione manavit sacerdotium Christi, quod dicitur secundum ordinem Melchisedech: quia panem, & vinum, offeret; quia sine patre homo, sine matre Deus; quia Rex pacis simul, & victor.

Altera exaltationis caussa: *Dominare in medio inimicorum: de torrente in via bibet.* Ergóne talis Rex habebit inimicos: talis sacerdos, nectare putandus, bibet de torrente? Planè. Et nos, subditi Regis, plebs sacerdotis, sine hoste, sine torrente, putemus nobis abituram vitam? *Vile nobis est hic quassato capite ambulare*, pati adversarios, gustare luteas aquas; ut propterea exaltemus caput.

Benedictus Deus, qui nos benedixit in Christo, eâ conditione, ut conregnemus, si compatimur. *Promisit hominibus divinitatem, mortalibus immortalitatem, peccatoribus justificationem, abjectis glorificationem*, inquit hic August. unde alia plura sumere poteris.

DOMINICA XVIII. POST PENT.

THEMA. *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam* Matth. 9

Nihil homines, quamvis excelsos, ita humiliat, sicut mirabilis ista incertitudo, quid ipsis denique in æternitate futurum sit. Nam *omnia in futurum servantur incerta*, ut ait Sapiens Eccl. 9. & Ecclesia Concilii Trid. cap. 12. can. 16. Deus a Jobo cap 38 sciscitatur. *Numquid nosti ordinem cœli, & pones rationem ejus in terra?* Ad quæ verba Gregorius lib. 29 Mor cap 18. dicit, ab eo cæli rationem in terra poni, qui mysteria divinorum judiciorum temerè vel inquirit, vel eloquitur. Silentio ista, & admiratione veneranda esse, non discutienda. *Malè vivens diu reservatur, ut corrigat: alius benè videtur vivere, sed in bono vitæ eousque durat, donec in diversa prorumpat... Alius, Catholicæ matris ventre editus, juxta vitæ terminum erroris voragine devoratur: alius autem vitam suam in Catholica pietate consummat, qui, ortus in perfidia, cum lacte matris hauserat virus erroris...* Ad istas abyssos inscrutabiles, *dicatur homini, ut se nescire cognoscat: nescientem se cognoscat, ut timeat: timeat, ut humilietur: humilietur, ne præsumat in se: non præsumat in se, ut conditoris sui auxilium requirat.*

Rectissimè illud quidem: sed in ista denique perpetua incertitudine, *quonam electis*, inquit Bernardus serm. 2. de Oct. Pasc *esse poterat consolatio, inter spem & metum sollicitudine anxiâ fluctuantibus, si nullum omnino electionis suæ testimonium habere mererentur?... Quam itaquem habere potest spiritus noster, dum prædestinationis suæ nullum adhuc testimonium tenet? Fidelis proinde sermo, & omni acceptione dignus, quo salutis testimonia commendantur. Hoc sanè verbo & electis consolatio ministratur, & subtrahitur reprobis excusatio.* Eloquere, Bernarde, avidè tam læta indicia exspectamus, animisque & auribus pendemus. Terna inquit sunt, *si contines à peccatis, si dignos agis pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ:* eaque in istis dilecti discipuli verbis exponit, *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis*, sanguine Christi nostras culpas elui, aquâ pœnitentiam exprimi, Spiritum esse qui vivificat. Eadem prædestinationis terna indicia æquè commodè & apertè expressa existimo, in verbis per Christum paralytico dictis, quibus consimilia dixit languido ad piscinam: *Surge*, contine à peccatis: *tolle lectum tuum*, fac fructus pœnitentiæ. *vade in domum tuam*, fac opera vitæ.

Bernardus, eodem sermone, adductis verbis quæ ex Isaiæ cap. 14. tribui Lucifero consueverunt, *Sedebo in monte Testamenti, similis ero Altissimo:* ait, superbissimum angelum idcirco in sempiternam inquietudinem devolutum, quia intempestivè quiescere voluit, & sedere, stantibus aliis Angelis. Nam Is. 6. *Seraphim stabant*, ad volendum parati: & Dan. 7. *Decies centena millia assistebant;* & Hebr 9. *Omnes sunt administratorii spiritus.* Ita ipse. Addere potuit, stantes Angelos describi potiùs, quam sedentes, licèt incorporeos: quia ille est situs corporum beatorum, atque adeò Stephanus IESVM vidit à dextris Dei *stantem.* Maximè autem, quia sedere, vel jacere, situm designat peccatoris: stare, situm exprimit mentis in Deum à terrenis erectæ. Quemadmodum corporis nostri rectitudine, præ animalium cæteris, indicatum nobis Creator voluit, quæ debeat esse animi nostri elevatio. *Quàm variis terras*, inquit Boethius, *animalia permeant figuris!* Serpunt alia, alia volant, gradiuntur quædam, cætera natant prono corpore. at homini os sublime datum est.

Qui justum amat, æquum agit, honestum loquitur, ille os habet sublime, vultus claros, mentem sideream. At quisquis rei alius creatæ gratiâ discedit à recto; iste, à summis deflexus ad infima, repit, & jacet. *Qui degit in deliciis*, inquit Chrys. in epist. ad Eph. *non stat, qui est lascivus, qui est libidinosus, qui est avarus.* Cujusvis generis peccatores enumera, idemque pronuntia.

Quærit Augustinus lib. de Gen. ad lit. 11. cap 27. Cur serpente usus dæmon tentando homini? Poterat enim asina loqui ut Balaamo. poterat psittacus, sturnus, corvus niger, &c. Respondet: *quomodò permissus est, ita tentavit.* At cur isto potissimum animali illum uti Deus permisit? Mihi videbatur, primùm ideò permisisse, ut putredo & corruptio peccati significaretur: etsi enim serpens iste ex putredine ortus non esset, oriuntur tamen postmodum erant multi Deinde, quia serpens super pectus suum graditur: ita homo per peccatum de sublimi statu dejicitur, & ventrem, id est appetitum & passiones, in luto ac pulvere trahit. Similis ergo serpenti peccator est, aut potiùs similis paralytico nostro, impotenti ad motum, exspectanti qui moveant; jacenti in lecto velut ad quietem, sed morbi doloribus & ipsâ perpetuo jacendi molestiâ, inquieto. Ita peccator impotens est ad motum supernaturalem virtutis: *hominem* exspectat, qui solus sine peccato fuit, ut matrem sine peccato sibi destinaret, & alios à peccato liberaret; jacere & conquiescere videtur in cupiditatum infimarum satietate, velut grabato; sed revera vertitur sicut *piger in lectulo*, & *sicut ostium* frequentis domûs, licèt locum non mutet, *in cardine suo.* Jacet in lecto velut febricitans, aut quomodò Attilius Regulus in dolio clavis undique præfixo, ut quocumque incumbat pungatur. *Conversus sum*, inquit Propheta ps 31. *in ærumna mea, dum configitur spina.* in molli pulvino videbatur conquiescere, sed revera aculeatæ undique spinæ incumbebant.

Esto, Infideli cuipiam peccatori contingat aliqua in culpis quies, divina judicia non metuenti. Negârit tamen ulli contingere Seneca epist 97. Nocentem enim quemvis *pœnæ premunt, ac sequuntur: timere semper, & expavescere, ac securitati diffidere.* Certè Nabuchodonosori non contigit, ad summum licet Infidelitatis provecto. Jacebat inter custodes, in securitate ab hostibus, in opulentia, in abundantia ciborum, in summo sacrius palatii silentio: *Cogitationes* tamen inquit Dan. 4 *meæ in strato meo, & visiones capitis mei;* non metus hostium, paupertatis, morbi, sed visiones *conturbaverunt me.*

Demus nihilominus, Infideli peccatori evenire posse, ut in culpis quiescat: at cui istud Fideli, æterna & divina credenti eveniet? Stat in ora immanis voraginis momento præcipitandus, neque extimescat? Obvelatis oculis, nudato collo, flexis poplitibus, imminentem gladium Vindictæ divinæ exspectat, nec palpitet? Esto in ipsis jaceas, inter sepimenta custodiarum humanarum, *propter timores nocturnos:* invadent te tamen ubique timores, & nocturni, & diurni. Si quiescere vis, nec sede, nec jace, sed *Surge*, qui *dormis*, aut dormire videris, paralyticus tamen es, mortuo quàm vivo similior. Itaque *exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Ne cum languido tricennali dixeris, *Hominem non habeo:* habes hominem Deum. Non audis excitantem, non vides invitantem, non sentis opitulantem, sancto timore, suavi fiduciâ, jucundâ caritate? Aperi excitanti motum voluntatis tuæ, assentire invitanti, cooperare tantisper opitulanti; & mox audies *verba bona, verba consolatoria, Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Gratiæ Christo Salvatori, surrexisti: at nondum sat est. *Tolle lectum tuum*; experire, an non calor modò, sed vires nervis redierint. Impone sarcinam istam humeris, & onus libra. Quid metuis? Quid collum subducis? Sarcina ista non gravat, onus istud sublevat: *non est pondus onerantis*, loquitur ibi Aug serm. 24. de ver. Apost. *sed alæ volaturi.* Plumis pondus suum est, sed, sine pondere illo, graviores essent volucres, nec *frustra* jaceretur *rete ante oculos pennatorum.* Non audis Prophetas dicentes, *Beatus,*

Beatum, qui portaverit jugum Domini ab adolescentia sua. Hæc rogatus mea in sæculum? Non audis Prophetam magnum, hominem qui dicitur JESUS languidis, & paralyticis, & aridis inclamantem, *Venite, qui laboratis, & onerati estis: Jugum enim meum suave est?*

Paullinus epist. 12. ad Sev. gestationem lecti interpretatur mortificationem corporis: *Cùm carnem nostram, cui, ut lectulo dediti, jacemus, in vinculis vitiorum, & infirmitate virtutum, postea in verbo Dei per gratiam, id est ad bonam incorruptamq; mentem, renovato interiore, sano quasi grabatum illud tollimus, &c.*

Augustinus tract. 17 in Joan. nomine grabati intelligit proximum: *Cùm esses languidus, portabat te proximus tuus; sanus factus es, porta proximum tuum.*

Eusebius Gallicanus hom. 9 lectum interpretatur conscientiam, in qua animus jacet, aut quiescit. *Quotidie nobiscum rationem de quotidiana conversatione faciamus. Alloquatur se in secretis unaquæque anima, & dicat: Videamus, si hunc diem sine peccato, &c. Quis mihi reddet hunc diem, quem in fabulis vanis perdidi? At sic, fratres, de omnibus negligentiis nostris compungamur in cubilibus, id est in cordibus nostris.*

Nolite, tollere lectum suum; erit idem fermè quod Paullino, facere *fructum dignos pœnitentiæ.* De culpis surrexisti, porta pœnam culparum, nec desine portare donec sis in domo tua, id est in cælo, ubi amplius non peccabis. Gre[illegible]a cubicularia Augustæ scripserat Gregorio Magno, se illi importunam fore, donec rescriberet, revelatum sibi, ejus peccata esse remissa. Cui Gregorius respondit lib 6. epist. 22. *Rem & difficilem, & inutilem postulâsti: difficilem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat: inutilem, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cùm ea diem plangere non valebis.* Esto, condonata sint tibi peccata: at numquid omnis simul pœna remissa est? numquid sine novis quotidie peccatis saltem levibus vivis? Tolle ergo lectum, & onus pœnitentiæ bajula, etiam sabbatho: quamquam sabbathum hic non est, in cælo erit, ubi onus pœnitentiæ non erit.

Ergòne, inquis, ego jejunem aut alios austeros pœnitentiæ fructus faciam, ineptus per occupationes, vires, ætatem? Non audis Christum dicentem *Tolle lectum tuum:* noli tollere alienum, sed tuum, id est prout conditio tua corporis, ætatis, ordinis, suadet ex prudentiæ Christianæ, vel Christiani prudentis consilio. Non potes jejunare? *Peccata eleemosynis redime.* Non habes unde eleemosynas largiare? Fer æquanimiter adversa, & adversos: lucrare Indulgentias: [illegible].

Denique, ut optimè & largissimè pro peccatis satisfacias, *Vade in domum tuam*, fac opera vitæ: non bona tantùm opera tua, sed etiam indifferentia animentur cælesti boni finis spiritu, & ex Deo vivant, ac moveantur in Deum, ad domum æternitatis. Quanta varietas actionum, & mutationum, vitam nostram mortalem distinguit, & partitur; sive eam quæ vegetativa est, seu quæ sensitiva, seu quæ rationalis? *Homo natus de muliere ... numquam in eodem statu permanet*, adolescit, senescit; valet, ægrotat; amat, odit; lætatur, tristatur; discit, obliviscitur; docetur, docet; satagit, negligit; nunc sursum, nunc deorsum. Inter tantas vicissitudines an sicut sciurus in rotatili cavea incertus fereris? *Est aliquid, quò tendis, & in quod dirigis arcum?*

Demonstrat tibi Christus, quò tibi tendendum sit: *In domum tuam.* Non illam utique *domum*, quæ super arenam mortalitatis fundata est, fluminibus catarrhorum & febrium subruenda, sed illam in immortalitatis petra solidatam, *non manufactam, æternam in cælis.* Eò tendant omnes passus actionum & intentionum tuarum. Æternitati pinge, scribe, declama, canta, labora, quiesce: illuc specta, quò itura es, ubi mansurum te semper confidis; ubi, sicut ait Eusebius Gallic. homiliâ de variis vitiis, *Perfruemur hac primùm felicitate, nec velle ultra peccare, nec posse.*

Signa prædestinationis tria protulimus: duo affert Prosper epigr. 59 *Sicere volens, in qua rerum sis parte locandus; Discuto, quid timeas, quidve sis, id quod amas. Nam cunctis hoc gemino nascuntur semine motus, Respondentq; suæ germina principiis. Et quod quisque bonum sibi tempore duxit in isto, Hoc summi Regis judicio capiet.* Quid times? Super omnia peccatum. Quid amas? Super omnia Dei obsequium. Ergo certissimam huic vitæ habes immortalis ac beatæ vitæ arrham. Prædestinatum ad æterna bona illum fidenter pronuntio, qui ex his axiomatibus vivit: *Nihil contra Deum: Omnia pro Deo.* Qui declinat à malo, & facit bonum; ille inquirit, persequitur, & consequetur pacem.

THEMA alterum *Videns IESVS fidem illorum, dixit paralytico, Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Ib.

Miraculis ternis divinitatem suam hodie Christus demonstrat; remissione peccatorum, inspectione cogitationum, curatione paralytici subitâ.

Horum trium miraculorum maximum est, quod minùs incurrit in oculos, ac fecit, remissio peccatorum. Nam si mirum est, cogitationes occultas inspicere: majus longè, cogitationes occultas & voluntates malas mutare in bonas, sine ulla violentia libertatis. Si mirum est, paralyticum corpus restituere sanitati: quantò plus est paralyticam animam sanare? Etiam resuscitationi mortuorum antepónit Gregorius 3. Dial. cap. 17. *Majus est miraculum, verbo prædicationis peccatorem convertere, quàm carne mortuum suscitare. In isto enim resuscitatur caro iterum moritura: in illo verò anima in æternum victura.* Altiùs ascendit Augustinus tract. 72. in Joan. proponitque quæstionem, an sit majus Dei opus creatio Beatorum Angelorum, quam conversio peccatoris: *Non hic audeo præcipitare sententiam: intelligat, qui potest; judicet, qui potest, utrum majus sit justos creare, quàm impios justificare. Certè enim, si æqualis est utrumque potentiæ, hoc majoris est misericordiæ.* Nonne etiam majoris est potentiæ, gratiam infundere resistenti, quàm non resistenti? Sed cùm Augustinus non deciderit, neque nos decidamus: contenti simus quærere, primùm, quâ potestate Christus usus sit; deinde, quam dispositionem & meritum attulerit paralyticus. *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua:* en potestatem remittendi, quomodò si Princeps supremus dicat reo, Bono animo estu, criminis tibi sit gratia. *Videns IESVS fidem illorum:* en dispositionem ad veniam impetrandam.

Duæ sunt potestates remittendi peccata; principalis una, & suprema, alia secundaria, & delegata. Quomodò in humanis, creditor per se potest debitum dimittere, potest per procuratorem, v. c. Gen. 47. Pharao, & Joseph erga obæratam plebem Ægyptiam. In peccatorum remissione, agens principalis est Deus Is. 43 *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Ratio est primò: quia peccatum, quà Deum spectat, est injuria Deo facta propter detrectationem obsequii; atqui est offensi remittere offensam, ut Davidis probris à Semei appetiti. Deinde, quia pœna peccati mortalis, de quo agi solet cum absolutè ponuntur *peccata*, est damnatio æterna lata à Deo: pœnam autem, à supremo judice latam, solus iste judex potest tollere. ut 1 Reg. 11. Saul remisit Jonathæ gustationem mellis. Tertiò, ut peccator reconcilietur Deo, debet ejus amicus fieri, quod non fit nisi per gratiæ productionem, quæ Dei opus est: etsi enim Theologi disputent, alitérne potuerit fieri peccatorum remissio, v. c. per vocem divinitus in aere productam, qualis ista est Davidis 2 Reg. 14. *Placatum feci verbum tuum*; hoc tamen rerum ordine constat, aliter non fieri quàm per gratiam, quæ à creatura nulla principaliter produci potest. Vide Theologos.

Christus igitur, quà Verbum, principaliter peccata remisit, ut & aliæ duæ Personæ divinæ. Eadem trium personarum justitia exegit satisfactionem: eadem misericordia contenta fuit tantillâ satisfactione: eadem potentia mirandas mutationes operata est, ex reo in filium, ex hoste in amicum.

Invenio bis à Christo disertis verbis peccata dimissa: occultè & implicitè sæpius, ut cum languido dixit, *Vade, & jam amplius noli peccare*; adulteræ, *neque ego te condemnabo*; Samaritanæ, peccatoribus in domo Matthæi, Zacchæo, bono latroni non absimiliter dixit, aut fecit. Soli mulieri in civitate peccatrici dixit disertè, *Dimittuntur tibi peccata tua*, & hic, *Remitt.* &c. Illic, qui accumbebant, dixerunt intra se, *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Hic apertè & crassè dixerunt, *Blasphemat*, pessimi Logici; cùm deberent inferre, Deus est.

Itaque Christus, ut illos confundat, occasionem inde capit documenti ulterioris: quòd, non solùm quà Deus, peccatorum remittendorum potestate utatur, verùm etiam quà homo: *Vt sciatis, quia Filius hominis habet pot. &c.* Non dicit *Filius Dei*, sed hominis: quia, quà homo, erat delegatus Dei ratione unionis hypostaticæ, & plenipotentiarius ad remittendum.

At nonne sacerdotibus etiam ea potestas in Ecclesia competit? *Quorum remiseritis &c?* Omnino, sed longo intervallo. Primum, Christus suo merito eam potestatem obtinuit: sacerdos, merito Christi. Deinde, Christi potestas formulæ & sacramento non erat adstricta: quomodò sacerdotum potestas, qui ideirco à Dionysio cap. 5. Hier. appellantur illuminati, quia applicant Sacramentum illuminationis. Tertiò, poterat illâ sua auctoritate Christus instituere Sacramentum pœnitentiæ, ut revera fecit: quod non posset, sine expressa & singulari revelatione tota Ecclesia, nedum sacerdos: eamque ob caussam præcipuè

dicitur Christi potestas, *Excellentiæ*; Ecclesiæ, *Ministerialis*, *& instrumentalis*. Quartò, sacerdos non videt dispositionem interiorem pœnitentis, etsi motiva proposuerit, &c: Christus videt, non tantùm quà Deus, sed quà homo per scientiam &c. *Videns IESVS fidem illorum.*

Eorum utique qui portavêre paralyticum, &c. An ergo preces, & merita aliena possunt peccatori veniam obtinere? Si dubitas, vide Stephanum pro Paullo orantem; Monicam pro Augustino; Lambertum pro Taxandris, pro sicariis, pro Alpaide ipsa quam ferunt conversam. En etiam bajuli, non sancti utique, fide suâ impetrant à Christo, ut dicat paralytico, *Confide, fili*, &c.

An ergo sine actu proprio justificatus est paralyticus? Disceptant Theologi, possitne fieri de absoluta potentia. Certum, non fieri hoc rerum ordine. nec paralyticus sine actu suo veniam obtinuit. Nam non invitus delatus est, demissus, &c. Vidit, igitur Christus fidem bajulorum, & fidem bajulati, dispositionemque interiorem. Hic demiranda nobis est Dei bonitas in parcendo inimicis.

Contritionis perfectæ actus de se justificat, Lambertus noster, in celebri obedientiæ actu, nive coopertus, & *super nivem dealbatus*, fuit deprehensus in isto psal. 50. versiculo *Cor contritum* &c. Caritas Dei super omnia, etsi non sit enormiter formalis, idem potest. Ignis sursum elevat res crassissimas. Paralyticus hodiernus, non habet tales actus; alioqui cogitationum spectator vidisset illos, & laudasset, non *fidem* dumtaxat. Fides prima radix est justificationis, *accedentem ad Deum oportet credere.* Credit paralyticus offensum à se Deum. credit Christum posse condonare: sperat condonationem: demittitur corporaliter: ipse demittit se spiritualiter. O quàm potens est humiliatio apud Deum! Elias comminatur Achabo 3. Reg. 14. petri cordis: de silice illo ad percussionem Eliæ scintillula emicat, non amoris, sed timoris, & humiliationis, quæ etiam dubitatur an sincera fuerit: dicit tamen Deus, *Certè vidisti Achab humiliatum coram me.* Felicior paralyticus, verâ humiliatione & fiduciâ attritus, fit per Christum ex attrito contritus, & audit dulcem appellationem, *Fili.*

Insignis figura Sacramentorum Ecclesiæ, quò peccator accedens, fidemque, & spem, atque humiliationem cum bonâ voluntate ex illis motivis afferens, meretur Christi nomine & potestate delegatâ audire, *Confide fili, remittuntur* &c. Paralyticus eras, operari rectè non poteras; jam valebis: exauctoratus eras, & hostis; jam restitutus in gradum pristinæ nobilitatis, & filii.

O immensam Dei bonitatem! Si tam facilè à magnatibus venia offensarum obtineretur, quam prædicaretur eorum clementia? Id cogitabat August. hom. 50. quæ est de pœn. *Fac incertum esse, utrum ignoscat Deus. Quid perdit, qui supplicat Deo, qui salutem perdere non dubitavit, cùm offendit Deum? Quis enim certus est, quod iratus Imperator ignoscat? Et tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarum incerta subeuntur, & pavor mortis vitetur mors ipsa suscipitur. Supplicatur deinde per homines homini. Sine dubitatione fiunt ista, cùm sit dubium, quo fine proveniunt. Et tamen certiores sunt claves Ecclesiæ, quàm corda Regum... Et multò honestior est humilitas, quâ se quisque humiliat Ecclesiæ Dei: & labor minor impenditur: &, nullo temporalis mortis periculo, mors æterna vitatur.*

Christe, Deus-homo, qui summa potestate quà Deus, quà homo plenâ potentiâ delegatâ, paralyticum absolvisti: en coram te ægrum corde humiliato, exspectantem, ut gaudium des ejus auditui, & dicas, *Confide fili, remittuntur* &c.

THEMA tertium. *Remittuntur tibi peccata tua.* Ib.

Cur Christus peccata remittit, antè quàm corpus sanet, contra quàm aliàs fecit: præsertim, cùm id paralyticus apertè, & forsan primariò, non peteret?

Primum, ut, enatâ inde murmuratione Pharisæorum, haberet occasionem doctrinæ de peccatorum remissione: ita Chrysol. hom 30. Deinde priùs caussam morbi tollit, quàm morbum: sæpe peccata sunt caussæ morborum: dicebat Innoc. IV ægei, *Propter iniquitatem corripuisti hominem.* Tertiò, ad bonitatis, & caritatis demonstrationem, quod tam gratuitè, tam citò, tam profusè beneficia conferat. Quartò, ut doceat, quo nobis ordine curanda *mentis & corporis* sanitas: prioris longè illa est, & morbus periculosior. *O si velimus, fratres, è si velimus omnem mentis nostræ paralysin pervidere! Luceret nobis, quemadmodum Christus & nostrum quotidie respicit noxiam voluntatem, & ad salutaria remedia pertrahit, & perurget invitos.* Chrysol.

THEMA quartum. *Obtulerunt ei paralyticum, jacentem in lecto.* Ibid.

De luxuriâ, clinicâ, dissolvente vires animi & corporis, Excurs. 3. ad cap. 1. lib. 1 sect. 1.

THEMA quintum. *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Ibid.

De peccatis occultis, Exc. 3. ad cap. 4. lib. 1. sect. 5. à num. 9 ad finem.

DOMINICA XIX. POST PENT.

THEMA. *Pauci electi.* Matth 22.

De numero salvandorum, lib 2. cap. 6 vers. 57.

THEMA alterum *Nolebant venire* Ibid

In hac parabola exprimitur bona Dei voluntas, quærentis quibus non indiget; mala hominum voluntas, non quærentium à quo quæruntur, & quo unice indigent, imo ipsam salutem suam negligentium. De hac hominum seu malitia, seu fatuitate, dicemus; non jam paucos salvari, sed paucos velle salvari.

Quatuor sunt velut elementa efficientiæ in consiliis, sive executionis, ut benè advertit Hænerius noster. Debere, Posse, Scire, Velle. Si debeas, vel præcepto, vel decentia; si possis, vel tuis, vel alienis viribus; si scias id te debere, & posse; si velis, quod potes, proculdubio dabis effectum: at si unum istorum desit, manca erit executio. Exempla obvia sunt. Sic res habet in summo salutis nostræ negotio: quod si non succedat, unum ex illis quatuor capitibus deficiat necesse est. Atqui debere non deficit: cui enim post Deum magis debitores sumus, quam nobis ipsis, & animæ unicæ salvandæ ex ore leonis? Nec deest Scire, cùm id à Christo inculcatum sciamus *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Adest etiam Posse: alioqui, ut habet regula juris 185. *Impossibilium nulla est obligatio.* Reliquum est itaque, ut, quisquis non salvatur, soli voluntatis suæ defectui imputet. Idque adeò evidens est, ut ipsis Infidelium oculis pateat. *Non posse*, inquit Seneca epist. 5. *prætenditur, sed nolle in caussa est. Tolle excusationem: nemo peccat invitus.* Damnati ipsi, quamvis divinæ justitiæ infensi, id fatentur apud Sapientem cap 5. ubi postquam dixêre, *Virtutis nullum signum valuimus ostendere*, mox ne quis vitium impotentiæ tribuat, designant fontem malæ voluntatis: *In malignitate autem nostra consumpti sumus*

A parabola nostra, isti veritati demonstrandæ, discedendum non est. Nonne debebant invitati venire ex honesti officio? Non poterant, amotis calvis excusationibus? Non sciebant, post tot monitores? Cur ergo defuerunt officio? *Nolebant venire. Ad illam cœnam*, inquit Aug lib. 83 quæst quæstione 58 *qui noluerunt venire non debent alteri tribuere, sed tantùm sibi: quoniam ut venirent vocati, erat in libera voluntate.*

Et is, qui caruit veste nuptiali, ejectusque est in tenebras exteriores, nonne eam vestem habere debuit, non scivit, non potuit? Siquam istarum excusationum licuisset prætexere, non siluisset. Sed *obmutuit*, quia nulla erat ipsi caussatio, nisi ex voluntatis defectu. oblata vestis fuerat, induere noluerat, asfederat mutbanè, & impudenter, meritoque ejectus est de Regiorum convivarum consortio. Nec verò Rex justè & sapienter ejiciendum curâsset, nisi reum, & noxium. non autem noxium, nisi voluntatis defectu. Nam, ut regula juris 65. loquitur, *desinit debitor esse, qui nactus est exceptionem illam, nec ab æquitate naturali abhorrentem*. non posse.

Sunt autem tria genera hominum salvari nolentium, parabolæ hodiernæ invitatis adumbrata. Primum est, adversam omninò & oppositam habentium voluntatem, seu, ut loquimur, positivè nolentium: alterum, non volentium seriò & absolutè: tertium, volentium seriò, at non constanter.

Primum genus exhibent inhumani & ingratissimi subditi, qui Regios ministros *tenuerunt, & contumeliis affectos occiderunt.* Dubium non est, quin istis verbis Judaicam nationem describere Christus voluerit. de qua Protomartyr loquens Act 7. *Quem*, inquit, *Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri?* Et Christus ipse Mat 23. *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas*, &c. Amasias Rex 2. Par 25. dicit Prophetæ monenti de idololatria, *Num consiliarius Regis es? quiesce, alioqui interficiam te.* Joas occidit Zachariam, Manasses serrari jubet Isaiam, Sedecias Jeremiam in lacum mitti. Novissime Deus misit ad obduratam nationem filium ac heredem suum: et ipsi inclamant inter se, *Ecce hæres, venite, occidamus eum.* Justissimè itaque indignatus Deus exercituum, *missis exercitibus suis* Romanis, *perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit.*

De pessimo ergo isto genere fuerunt Judæi: sed nulline Christiani? Certè Christiani erant, quibus scribebat Paullus, Gal. 4.

Gal. 4. *Ergo factus sum vobis inimicus, verum prædicans.* Quia vos moneo, in externis cæremoniis, lotionibus, abstinentiâ, veram virtutem suam non esse, sed in caritate: quia vobis inculco, parum esse ad salutem si vocati estis, si in cœnaculum ingressi, nisi etiam habetis vestem nuptialem: idcone inimici instar à vobis accipior? Christiani erant, quos Augustinus alloquebatur in ps. 37. postquam dixit, per Judæos reddita Christo mala pro bonis: *Nec putet unusquisque vestrûm longè se exceptum. Corripiat te aliquis frater tuus, bonum tibi volens, oderis illum, & talis es.* Christiani erant, quos idem Doctor alloquebatur homiliâ 24. habitâ anniversario Ordinationis: *Vobis dico, sive præsentibus, sive absentibus, quibus inimicus efficior verum prædicans, quibus consulendo videor onerosus, quorum requirens utilitatem cogor offendere voluntatem: Nolite esse sicut equus, & mulus, non habentes intellectum. Nam & hæc jumenta eos maximè calce, morsuque, appetunt, à quibus curantur: ut curentur, eorum vulnera contrectamus. Non parco, non parco; adversaris, adversor; resistis, resisto. Lucta nos comparat, sed caussa separat. Tu inimicus medico, ego morbo; tu diligentia mea, ego pestilentia.*

Deo gratiæ, tam insani & bruti non sumus: non ita tenebris delectamur, ut lucem oderimus: non adeò vitium amamus & falsum, ut veritatis ac virtutis commendatione offendamur. Itaque ad genus istud pessimum non pertinemus.

At longène sumus ab altero nolentium venire, quia Dominico convivio præponunt *villam*, aut *negotiationem*? Voluissent isti obsequi Regiæ voluntati; sed maluerunt voluptati suæ, aut commodo. O quantus talium numerus, inquit Cyprianus epist. 2. *Paulisper te crede subduci in montis excelsi verticem celsiorem. Speculare inde rerum infra te jacentium facies... O si possis, in illa sublimi specula constitutus, oculos tuos inserere secretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conscientiam luminum penetralia occulta reserare!* Quod non possumus, hoc Deus facit: *Speculator adstat desuper: Deus de cælo prospexit.* Quid deprehendit? *Omnes declinaverunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Sed heus tu, videsis quâ sententia id dicas, ne unum quidem esse, qui faciat bonum. Nonne etiam hodie suos habet Franciscos Assisinates Italia, Borgias Hispania, Dionysios Gallia, Brunones Germania, Hieronymos Asia? Nonne *impleta sunt nuptiæ discumbentium*, & unus solummodò ejicitur? Vera hæc sunt; & illud, vix unum qui seriò faciat bonum & velit, præ aliorum multitudine. Quid ergo cæteri? *Ad villam, ad negotiationem.* Vellent saluti suæ instare, sed corporis *villa*, sed commodorum vitæ hujus negotiatio, vehementius trahunt. Cur autem? An quia animam non debent præponere villæ, & negotiationi? Audiatur Augustinus de verb. Dom. serm. 12. *Quid prodest plena bonis arca, & inanis conscientia? Bona vis habere, & bonus non vis esse. Non vides te erubescere debere de bonis tuis, si domus tua plena est bonis, & te habet malum? Quid enim est, quod velis habere malum? Dic mihi. Nihil omninò, non uxorem, non filium, non filiam, non servum, non ancillam, non villam, non tunicam, postremò non caligam: & tamen habere vis malam vitam? Rogo te, præpone vitam tuam caligæ tuæ.* An ergo sese villis & negotiis postponunt, quia aliter nesciunt, & non audierunt monitores centum clamantes, quod Angelus Lotho Gen. 19. *Salva animam tuam?* An quia non possunt, quasi Deus non sit *Salvator omnium, maximè Fidelium* 1. Tim. 4? Nihil itaque ipsis deest, nisi voluntas, *Nolebant venire, neglexerunt.*

Audio tamen omnes undique dicentes in agris, in plateis, in domibus, æquè ac templis & locis sacris: *Volo salvare animam meam.* Vis omnino, sed voluntate imperfectâ, dubiâ, plus de nolendo habente quàm de volendo. Vis, ut illi de infima omnium classe apud S. Ignatium in Exercitiis, qui sequi nolunt, quod vellent consequi. Vis, ut piger Prov. 13. *Desideria occidunt pigrum, noluerunt enim quidquam manus ejus operari: totâ die concupiscit, & desiderat. Vult, & non vult piger*, uti desidiosus in lecto versans se, sicut in ostiis cardo, & ad momenta singula volens surgere & nolens; volens inefficaciter, nolens efficaciter. *Delectant præmia cum promittuntur*, inquit Hieronymus, *deterrent certamina cùm jubentur: sic volunt, & nolunt; finem appetunt, non amplectuntur media.* Æger non vult necessaria ad sanitatem, vultne sanitatem? Non vult viator necessaria ad iter, vultne iter? Christianus non fugit occasiones peccandi, vult manere vindictâ satur, vult non reddere, &c. & vult salvari: quæ ista voluntas est?

Verùm, gratiæ Deo, etiam in isto genere non sumus. Didicimus cum Aug. l. 8. Conf. *Velle fortiter, & integrè, non semisauciam huc atque illuc versare voluntatem.* At volumúsne constanter? Hoc tertium genus est, in illo descriptum, qui intravit locum convivii, assedit, non perseveravit, non quia non potuit, sed quia noluit; ideoque Rex intrans eum curavit ejiciendum. Putas, Christus intrans in Ecclesiam non reperiet tales? Ubi est vestis nuptialis, quam in baptismo habuisti? Ubi, quam recuperâsti in pœnitentia? Unde tanta mutatio? An quia antè debebas, jam non debes, iisdem erga Deum obligationibus devinctus, & erga te? An quia non potes, & nunc abbreviata est manus Domini? An quia nescis; &, cùm sapientior es, scire desiisti? Obmutescis cum illo inermi, & culpam fateris voluntatis infirmæ: qualis fuit delicatuli illius in Vitis Patrum, qui cùm a matre facultatem abeundi ad remotioris vitæ otia impetrâsset, his verbis, *Volo salvare animam meam*: paullò post inertiâ languescens, vidit in somnis matrem exprobrantem verba ista, & identidem repetentem, quorum evasisset vibrans illa sententia, *Volo salvare animam meam.*

Dicamus nos idem, & ex animo, & seriò, & constanter. Obstent inimici, abstrahant amici, tempora inquietent, corpus obmurmuret: *Nihil tam facile bonæ voluntati, quàm ipsa sibi, & hoc sufficit Deo*, inquit Aug. serm. 9. de verb. Dom. Beatos pronuntiavit D. Joannes Apoc. cap. 19. *qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*: verè beati, qui vocati intraverunt, ingressi manserunt. *Deus Israel custodi hanc voluntatem.*

THEMA tertium. *Amice, quomodò huc intrâsti, non habens vestem nuptialem?* Ibid.

Constat hodie apud Catholicos veste ista nuptiali significari caritatem: neque olim Sancti Patres dubitavêre, si eorum sententiæ benè expendantur. Gregorius hom. 38. in Evang. *Quid debemus intelligere per vestem nuptialem, nisi caritatem? Quia in se hanc Dominus habuit, cùm ad sociandæ sibi Ecclesiæ nuptias veniret? Si vestem nuptialem baptisma vel fidem dicimus, quis sine baptismate & fide has nuptias intravit?* Quæ soli Magni Doctoris verba sufficiunt ad ruborem Luthero, ejusque discipulis Melanchthoni & Sarcerio incutiendum, cùm dicunt fidem veste istâ significari. Accedet illis confundendis Hieronymus, ad hunc locum: *Vestis nuptialis præcepta sunt Domini, & opera quæ complentur ex lege, cujus maximum & primum præceptum est caritas, & ex Evangelio, quod totum est amoris: per quæ novi homines efficimur, & vestimentum incipimus, quod qui in die judicii inventus fuerit sub nomine Christiano non habere, statim corripitur.* Neque absimiliter loquitur Ambr. lib. 5. in Lucam, ad illa Christi, cap. 5. *Nemo commissuram de vestimento novo immittit in vestimentum vetus. Absint decolora mentis velamina, quæ displicent sponso. Displicet enim ei, qui vestem non habuerit nuptialem. Sponso autem quid potest placere, nisi pax animi, puritas cordis, caritas mentis?* Clarissimè Aug. lib. cont. Donat. *Illi autem non habent vestem nuptialem, id est fidelissimam sponsi caritatem, sua quærunt, non quæ IESV Christi.* Et fragmento 7. *Si caritatem non habeam, nihil mihi prodest. Ecce vestis nuptialis. Induite vos, ô convivæ, ut securi discumbatis. Nolite dicere, ad istam vestem habendam pauperes sumus. Vestite, & vestimini. Hyems est. Vestite nudos, nudus est Christus. Et quisquis non habet vestem nuptialem, dabit illam: Ad ipsum currite, ipsum rogate.*

Materia ejus vestis præcipua sine dubio est ipsa divinitas: cujus quidquid credimus & scimus, objectum est amoris, quia perfectum & pulcrum. Sed quia materia ista nimis recondita, & remota erat à viribus nostris; idcircò Deus, aptans sese infirmitati nostræ, factus est homo: *ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.* Præcipua ergo infirmitati mortalium materia caritatis est Deus incarnatus; cognitioque, & meditatio attenta, vitæ & passionis Christi, in qua *exardescet ignis.* *Tanti*, inquit Bonav. de doctr. cor. cap. 37. *fecit Dominus hanc vestem, ut suis Fidelibus materiam, de qua fieret, præbere dignatus fuerit.* O eximiam materiam, & omnigenam! Vis lanâ vestiri? Christus agnus est: lana, sunt ejus facta, & verba. De his loquens Cypr. in præf. de Exhort. Mart. *De agno*, inquit, *per quem redempti sumus, lanam ipsam & purpuram misi: quam cùm acceperis, tunicam tibi pro voluntate conficies, & plus, ut in domestica tua & propria veste, lætaberis.* Vis lino indui? Christus *ascendit sicut virgultum, & sicut radix de terra sitienti*, lini instar: eradicatus est *de terra viventium*, cùm à matre avulsus: aquis maceratus, quandiu *de torrente in via bibit*: contusus alapis, & pugnis. Mavis sericeam? Dixit de se Christus per Prophetam, *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Eviscerayit se iste vermiculus, ut Ecclesiam suam amiciret *byssino splendenti, & candido*: quod

byssinum

byssinum sunt justificationes Sanctorum, sed ex justificationes, sine Christi veste nostri, nihil erant, bombycinæ certè non erant.

Ejusdem vestis qualitates sunt quatuor. Est incorrupta, non duratura tantum annos quadraginta, ut vestes Israelitarum, sed etiam totam æternitatem: quia *caritas numquam excidit*, nisi malâ voluntate. Est calida. Non vides Martyres 40. in stagno glaciato, Franciscum in nivibus, Ignatium in rivo gelido, Xaverium pedes nudum in hyeme Japonica, viros maximos inter frigora peccatorum? Est levis: sine ista veste anhelatur, statur, jacetur, cum illa curritur. Vates Regius sine illa *ut jumentum* erat apud Deum, frigosi equi instar aut asini: at cum illa dicit, *Viam mand. tuorum cucurri, cùm dilatâsti cor meum* ardore caritatis: *Perfecit pedes meos, tamquam cervorum*. Denique, *Operit*, optimè *multitudinem peccatorum*: suorum primò, ut *peccatrix quæ dilexit multùm*, Thaïs, Augustinus: deinde alienorum, quia pro alienis peccatis parata est Deo satisfacere, ut Paulus, Moses, D. Catharina Senensis.

Caussæ, cur habenda ea vestis, totidem sunt, quot cur corpora tegamus. Necessitas ob honestatem: commoditas, injuriis cæli arcendis: decorum, ex statu & conditione. Caritatem induamur ob necessitatem, ne nudi simus coram Deo, & *appareat confusio nuditatis* nostræ, Apoc 3. *Beatus, qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet*, Apoc 16. Alioqui projicietur in tenebras exteriores. Caritate induamur ob commoditatem: quia nec timoris, nec spei, vestes tam efficaces sunt arcendo æstui tentationum, & frigori vitiorum. Sumamus eamdem ob decorum: quia is Modus est vestium patriæ nostræ, & gradûs, id est cæli, & cælitum.

At quomodò habebimus? Aug suprà dixit: Exerce caritatem, ut habeas caritatem. Si dicas nec te exercere posse, adi artificem. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*. Ora illum, insta, clama cum Elisæo, cui pallium 4 Reg 2. Elias dimisit, *Fiat spiritus tuus in me duplex*. Duplicem pete spiritum caritatis, erga Deum, erga proximum. dabit ille, qui non solet negare *Spiritum bonum petentibus se*.

DOMINICA XX. POST PENT.

THEMA. *Domine, descende priusquam moriatur filius meus* Joan. 4.

Amor proprius ita nobis innatus est, ut, nisi compescatur, ad extremam perniciem nos deducturus sit. Itaque Christus serio monuit, ut nos ipsos oderimus, si discipuli ipsius esse volumus: quia, *qui amat animam suam, perdet eam*. Paulus, magistrum imitatus, inter novissimorum temporum vitiosissimos numerat homines, *cupidos, seipsos amantes*, 2 Tim. 3. Civitatem diaboli Babylonem, inquit Augustinus lib. 14 de Civ cap ult. molitus est *amor sui*, hominum mentibus insitus, & succrescens *usque ad contemptum Dei*: quemadmodum civitatem Dei Jerusalem ædificavit *amor Dei, usque ad contemptum sui*.

Adeóne igitur sese amant homines, ut etiam usque ad Dei contemptum prolabantur? Imò adeò se non amant, ut ad sui ipsorum contemptum perveniant, seque non modò præ Deo non diligant, sed nec præ vilissimo proximorum. Siracidæ monitum est Eccl 31. *Intellige, quæ sunt proximi tui, ex teipso*: hodie convertenda est sententia, *Intellige, quæ sunt tua ipsius, ex proximo tuo*. Præceptum caritatis est, *Dilige proximum tuum, sicut teipsum*: eodem modo diceremus, *Dilige teipsum, sicut proximum tuum*. Rarus enim est, qui se tantum amat, quantum alios quosvis.

Id quamvis sensui communi contrarium videatur; ipso tamen sensu percipiemus, postquam rectum ordinem amoris statuerimus. *Definitio brevis, & vera virtutis*, ut ait Aug lib 15. de Civ. cap 22 *est ordo amoris*. Inprimis Deus diligendus est: quia in illo quidquid amabile est reperitur. Post Deum, homo seipsum ante cætera debet diligere, quod ex ipso diligendi proximi præcepto solidè colligit D. Thomas 2 2. q 26. art 4. Proponitur enim nobis amandus proximus, sicut nos: *exemplar autem potius est, quàm exemplatum*. Præterea *sicut unitas potior est, quàm unio: ita, quòd homo ipse participet bonum divinum, est potior ratio diligendi, quàm quòd alius sibi associetur in illa participatione*.

Jam verò cùm in homine sint naturæ duæ; spiritualis una, altera corporalis; qui semetipsum ordine diligit, debet secundùm illam prius diligere. *In homine*, inquit D. Thomas, *duo sunt, scilicet natura spiritualis, & natura corporalis: per hoc autem dicitur homo diligere seipsum, quòd diligat secundùm naturam rationalem*. Et sic quidem secundùm animam diligat, ut non modò illi caritatem corporis sui non præponat, sed neque aliorum quantorumvis salutem. *Ego nullum ad salutem*, inquit Bern. serm. 18. in Cantica, *pertaxo gradum illi gradui antepono, nendum omissione, quem Sapiens posuit dicens, Miserere animæ tuæ placens Deo. Quòd si non habeo, nisi parumper olei, quo ungar, putas tibi debeo dare & remanere inanis? Servo illud mihi, & omnino nisi ad Prophetæ jussionem, non profero. Si institerint rogantes aliqui ex his, qui existimant de me supra id quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me, respondebitur eis: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis; ite potiùs ad vendentes, & emite vobis... Caritas servet suo quantum sufficiat, ut nulli deficiat. Alioquin si plena non est, perfecta non est.*

Post animæ propriæ caritatem, proximum locum obtinet aliorum hominum amor secundum naturam spiritualem: sic ut eos primùm diligamus, quos nobis maximè junxit naturæ lex, seu propinquitate sanguinis, seu vinculo gratiæ, seu beneficiorum obligatione. Deinde ab illis caritas nostra ad omne transeat humanum genus. Nam *si personas ratio socios facit, quantò magis ratio naturæ, non negotiandi, sed nascendi lege communis? Hinc & ille Comicus, cùm ab uno sene alteri sene dictum componeret: Tantùmne ab re tua tibi est otii, aliena ut cures, ea quæ nihil ad te attinent? Responsum ab altero reddidit: Homo sum, humani nihil à me alienum puto. Cui sententiæ ferunt etiam theatra tota, plena stultis indoctisque, applausisse. Ita quippe omnium affectum naturaliter attingit societas humanorum animorum; ut nullus ibi hominum, nisi cujusstibet hominis se proximum esse sentiret.* August. epist. 52 ad Maced.

Eadem regula caritatis, post nostram aliorumque salutem, jubet nos corpus nostrum diligere. D. Basilius lib. de vera virgin. postquam monuit, escis non onerandum corpus, ne libidine exspumet: monet etiam non omnino extenuandum, neque assumenda alimenta sanitati evidenter noxia. De nostro enim corpore etiam dicturum nobis Christum, *Nudus eram, & non operuistis me: Sitivi, & non dedistis mihi potum*. Curam corporis nostri sequetur cura alieni, pro gradûs proximitate; pro necessitatis sive extremæ, seu gravis, seu communis qualitate. Quibus de rebus multæ sunt, neque inutiles, in scholis quæstiones.

Hisce itaque positis, de recto caritatis ordine, quærimus, si quis salutem alienam impensiùs curaret, quàm suam, nonne proximum amaret plusquam seipsum? Vis alios castos esse, humiles, temperantes; serìò studes, ut virtutem omnem doceantur: tu quis es, & quis serio esse vis? Istud in parentibus rarum non est, quibus vitia filiorum displicent, placent sua. Invehebatur in tales Salvianus lib. 3. ad Eccl. *Oportet vos, mihi credite, etiam super filios vestros, salutis animarumque vestrarum non oblivisci. Propinqua enim pignera vestra esse vobis, & conjunctissima, satis certum est: sed, mihi credite, nemo vobis conjunctior, quàm vos ipsi. Amate itaque, non obsistimus, amate filios vestros, sed tamen secundo à vobis gradu: ita illos diligite, ne vos ipsos odisse videamini. Inconsultus namque & stultus est amor, & alterius memor, & sui immemor.*

Tum, si quis corporis sui bonum animo suo, & saluti propriæ anteponeret, illene sese ordine amare diceretur? Tamquam si quis, asino suo curato, sese ipse negligat: aut si, servato gurgustio, palatium perdat. Verius locis deplorat Augustinus eorum insaniam, qui *magis stomachantur, si villam malam habeant, quàm si malam vitam* lib. 3 de Civit. cap 1. *qui nolunt habere malam caligam, volunt malam vitam*.

Denique, si quis bonum corporale proximi, quod in amandorum ordine infimo est, magis curet & diligat, quam bonum animi sui: numquid ille semetipsum diligit, sicut proximum suum? Nonne tanto intervallo relinquit caritatem sui post caritatem proximi, quantum præstat propriæ animæ cura curæ corporis alieni? Quot autem ejusmodi homines sunt? Unum exhibet Evangelicus Regulus. Laborat animus ejus morbo infidelitatis, quem alias tangemus: tangit Christus, sed regulum non movet, magis de corpore filii, quàm de animi sui salute solicitum, *Domine descende* &c. Laborabat præterea tumore ambitionis, qui sese Christi præsentiâ honorari vellet; tantùm abest, ut cum Centurione diceret, *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum*: & hunc animi sui morbum oblitus, de filii solùm valetudine flagitat, *Domine descende*, &c. Laborabat denique, non defectu solum fidei, sed fiduciæ: medicus ad filium vocatis, de Christi auxilio solùm cogitat, quando *incipiebat mori*: immemor tamen istius etiam invaletudinis suæ, pro filio dumtaxat satagit, *Domine descende* &c.

Unus

Unus in Evangelio Regulus est salutis suæ immemor, memor faniatia alienæ. quot de genere eodem in Ecclesia sunt reguli, mercatores, artifices, de altissimo infimoque gradu! *O infidelitas! ô perversitas!* exclamat Salvianus lib 3. ad Eccl. *Etiam vulgò dictum est, Omnes sibi malunt velle, quàm alteri. Novum monstri genus, cuilibet quemquam velle consulere, tantum ne sibi. Ecce iturus es, infelicissime omnium, ad examen sacrum, ad tremendum illud intolerandumque judicium, ubi peregrinanti animæ atque anxiæ nullum potest omnino esse solatium, nisi sola tantummodò bona conscientia...* Subde verba ejusdem Patris à nobis adducta lib 1. cap. 2. vers. 49 tum Paullini, Bellarmini, Augustini. Petebat ab Augustino Cornelius quidam adulter consolatorias de morte uxoris. Respondet ille epist. 125. *Vis de bona uxoris morte per nos consolari: nos de hac tua vertere morte quis consolatur?* Cyprianus tract. de lapsis puellam idololatriâ maculatam alloquitur: *Si quem de tuis caris mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter, & fleres... Animam tuam, misera, perdidisti, spiritualiter mortua supervivere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti, & non acriter plangis?* &c.

Age modò & nos, consulamus mentem nostram, quomodo erga pauperes, captivos, ægros, solatio destitutos afficiatur: deinde eamdem inspiciamus, quomodo afficiatur, quando se virtutum egenam, ligatam non ferro sed ferreâ voluntate, febribus passionum afflictam deprehendit? *Quicumque malè vivis*, inquit August. serm. 30. *redi ad conscientiam tuam, ibi invenies mendicantem animam tuam, invenies egentem, invenies pauperem, invenies ærumnosam, invenies fortè nec egentem, sed egestate obmutescentem... Fac eleemosynam cum anima tua. Quis dignum*, ait idem lib. 21. de Civit cap. 27. *pro peccatis suis eleemosynam facit, priùs eam facere incipiat à seipsa. Indignum est enim, ut in se non faciat, qui facit in proximum, cùm audiat dicentem Dominum, Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Si nos ipsi sicut proximum diligamus, multùm in virtute profecerimus, vel teste apud Senecam ep 6. Hecatone: *Quæris, inquit quid profecerim? Amicus esse mihi cœpi. Multùm profecit, numquam erit solus. Qui sibi amicus est, scito hunc amicum omnibus esse.*

THEMA alterum *Non creditis.* Ib.

Infidelitatem nostram infidelitati Reguli comparabimus: aut potiùs fidem nostram fidei Reguli. Habuit enim utique aliquid fidei, qui ad Christum venit, filii sanitatem postulaturus. Habemus & nos, Deo gratiæ, aliquid fidei. quomodò enim sine illa simus Christiani? Sed ita debilis erat fides illius, ut meritò à Christo dicatur non credere. An non ita debilis etiam nostra, ut etiam meritò dici possimus non credere? Utrumque videamus.

Ante omnia Christus in Regulo reprehendit, quòd non credat, *nisi signa & prodigia* viderit: quâ in reprehensione difficultas aliqua est. An enim reprehensibilis Abraham, quòd Gen. cap 15. dixerit, *Unde scire possum?* An Moses, Exod 4. Gedeon, Jud 6 Ezechias, 4 Reg. 20. Virgo ipsa, quæ ab Angelo petiit, *Quomodò fiet istud?* Deinde, nonne Isaias pro veri Messiæ indicio miracula protulit: Christus, Joan. 10 & 15. miraculis suis credi voluit; & Marci ult. Evangelii sui promulgationem miraculis stabilivit? Ut quid ergo reprehenditur, qui non credit, nisi miracula videat? Jure omninò. Nam miracula catenus tantùm necessaria sunt, donec fides satis firmata sit: erat autem firmata, quo tempore Regulus ad Christum accessit. Messiam ipsum esse, testata fuerat Joannis prædicatio. Testata fuerat Christi ipsius prædicatio, efficaciâ verborum exteriùs operans, interiùs efficacitate gratiarum: unde de Judæis dicit Joan. 15. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Testata fuerant miracula, primùm in Cana Galilææ non longè à Capharnao, deinceps alia tum in Galilæa, tum in Judæa, quorum fama certissima latè sparsa erat. Itaque peccat, qui, abundè stabilitâ fide, miraculis adhuc eget ad credendum.

Accedit, quod Augustinus suspicatus tract. 16. in Joan. venisse *tentare sapientem, de sanitate filii, qualis esset Christus, quis esset, quantum posset.* Deinde, quod advertit Gregorius hom. 28 non credidisse, à Christo absente filium sanari posse, ideoque institisse *ut descenderet.* Præterea, quod notat Chrysostomus hom. 34. in Joan. non credidisse, mortuum filium a mortuis excitari posse per Christum, eamque ob rem postulàsse, ut descenderet, priusquam moreretur. Denique, quod advertit Toletus hoc loco, eum credidisse *sermoni* Christi affirmantis de valetudine filii, non autem credidisse ipsi Christo: id est credidisse, verum id esse, quod a Christo proferretur, etsi nondum crederet à Christo proficisci filii sanitatem. Tot fidei labes merebantur, ut Christus diceret *ad eum* nominatim, tamquam singulariter infidelem, generalia verba, *Non creditis.*

Erant tamen non pauca, quæ infidelitatem ipsius excusabiliorem facerent. Primùm, quòd Regulus esset, & nobilium adhuc nulli, aut paucissimi, Christum secuti essent. Deinde, quòd Regalis esset, *βασιλικός*, sive aulicus: non omnes aulæ sanctæ sunt, tunc erant minimè, sive aula Herodis tetrarchæ, sive aula Cæsaris & Pilati. Præterea, quòd esset Ethnicus, quemadmodùm Hieronymo videtur placuisse: imo Chrysostomus ait, a quibusdam putari eumdem ac Centurionem, sed parum probabiliter, cum Centurio pro servi sanitate non pro filii Christum interpellet, laudeturque ipsius fides à Christo. Denique, erat tunc alter annus prædicationis Christi: nondum illustrissima mortuorum suscitatorum miracula patrata erant: & hoc patrato, mox *Credidit ipse*, neque ipse duntaxat, sed *domus ejus tota.*

At nos, in Evangelii sinu geniti, & educati: *cives sanctorum, & domestici Dei*, non aulici Herodis, aut Cæsaris: *gens sancta, regale sacerdotium*, non reguli: incolæ Hierosolymorum, & Ecclesiæ, quam Christus fecit *civitatem suam*, non habitatores Capharnai, agri pœnitentiæ, urbis ad cælos exaltatæ deprimendæ ad inferos. Nos, quibus visendis de Judæa Christus venit in Galilæam, de cælo patriâ laudum in terras volubiles. quos sæpe moribundos, ut Reguli filium, sanitati reddidit, imò mortuos excitavit: quos *horâ septimâ*, quando pendens in cruce latroni paradisum pollicitus est, ad fidem fiduciamque beatæ æternitatis erexit: quos *signa in cælo sursum, & prodigia in terra deorsum*, & fidem docuerunt, & timore justitiæ divinæ erudierunt, & spe misericordiæ excitaverunt. Nos, post tot irrefragabilia veritatis Christianæ testimonia, ab Ecclesiæ exordio ad hunc usque diem continuata, nonne meritò vereamur, ne Christus nobis exprobret: *Etsi prodigia, & signa videritis, non creditis.*

Apud Lucam cap. 18. postquam Apostolos ad collocandam in Deo spem omnem, in fide firma radicatam, hortatus est, exclamat velut ex abrupto: *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Veniens ad judicandum, non solùm ex linguæ pronuntiatis, sed ex intimis animi sensis. *putas, inveniet fidem in terra*, corruptâ, & brevi arsurâ!

Veniat jam Christus ante extremum judicium, *putas, inveniet fidem in terra*, non jam Chananæa, non Galilæa, sed in Judææ ipsius visceribus, in ipsius civitatis sanctæ adytis? *Putas* illic *inveniet fidem in terra* aridâ, & inaquosâ, cordis istius avari, immitis, immisericordis? *Putas, inveniet in terra* cœnosâ, cordis istius luxuriosi prodigi? *Putas, inveniet in terra* piceâ, & sulphureâ, cordis istius, odio, rancore, vindictâ ardentis?

Putas, etiam in terra nostra, in corde nostro inveniet? Habemus, Deo gratiæ, habitum fidei: sed actûmne frequentamus? Atqui *fides inexercitata languescit*, &, quomodò Reguli filius, incipit mori. Habemus fidem generalem, & implicitam: sed an explicatam, & singularem? An nobis ipsi explicamus potentiam, & præsentiam Christi, omnes animi nostri morbos cernentis, & tangentis, quamvis absens videatur? Faciamus, nobis esse satis explicatam fidem: sed an credit domus nostra tota, & intellectui voluntas, famularisque sensuum turba, consentit? Si non vivis, ut credis, *Etsi fidem vocibus simules*, inquit Salv. lib 3. ad Eccl. *etsi sanctitatem habitu mentiaris, non credis omninò, non credis.*

THEMA idem.

De peccatis nobilium, ex lib 1. cap. 1. Excursu 2.

THEMA quartum. *Credidit ipse, & domus ejus tota.* Ibidem.

De fidei virtute licebit hoc loco dicere, & continuare Dominicis deinceps duabus. Exc. ad cap. 11. l. 1. sect 4.

DOMINICA XXI. POST PENT.

THEMA. *Sic & Pater vester cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Matth 18.

Si vivâ fide consideraremus parabolam hodiernam, ab ipso judice nostro dictatam, ea ejus clausula nos olim judicaturi, sola sufficeret ad omnem in nobis appetitum vindictæ prorsus extinguendum. Suffecit Theodosio Magno Imp. quando edixerat, ut Christiani quidam exustam ab ipsis synagogam Judæorum instaurarent: recitavit ipsi pro concione hanc parabolam D. Ambrosius, ut ipse met scribit epist 18. ad Marcellinam sororem; eodemque die, in fine concionis, impetravit mutationem rescripti.

Suffecit Henrico Germaniæ Regi postmodùm Imperatori;

§§§§ §§§§ &

& Sancho, ut libertas Marchioni Henrico, perduelli captivo, impetraretur, ut refert Baronius an. 1005. Godescalcus enim Frisingensis Episcopus, Pragæ coram ipso concionans, factâ misericordiæ mentione, hæc dixit: *Te obtestor, per nomen & amorem ejus, qui debitori suo decem millia talentorum, id est infinitam summam suorum transgressionem peccatorum indulsit, Henrico quondam Marchioni, nunc autem verè pœnitenti, miserearis, vincula solvas, & gratiam dones, ut eo liberiori animo hodie Dominum interpellet, Dimitte nobis debita nostra*, &c.

Sufficere debet Fidelibus omnibus. Nam *ad tam magnum tonitruum qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est*: ut ait August. Enchir. cap. 74. post ista Christi verba adducta, *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester cœlestis dimittet peccata vestra.*

Ut nobis etiam sufficiat, enucleemus omnes parabolæ partes, & in Regio debitore expendamus conditiones, & qualitates, ingeniorum ad vindictam ardentium. Inveniemus hominem simulatorem, pertinacem, insatiabilem, odiosum hominibus, detestandum Angelis, contumeliosum justitiæ divinæ, injurium misericordiæ, sibimet exitiosum.

Non cernis, non audis supplicem, vultu humili, voce submissâ, iterantem istud *Patientiam habe?* Mitissimum diceres: sed virus latet in pectore. Sic isti solent, docti, inquit Gregorius lib. 10. Mor. cap. 15. *quod explere per malitiam non valent, in pacifica bonitate simulare.* Talem Joabum exhibet lib. 2 Reg. cap. 15. historia sacra: talem profana Christi ævo Tiberium: talem avorum nostrorum memoriâ Ludovicum XI. Galliæ Regem, qui de Latina lingua aliud à filio sciri non cupiebat, quam, *Qui nescit dissimulare, nescit regnare.* Geniorum, prisci dicebant, alios esse igneos, alios aëreos, alios aqueos, alios terreos, quosdam subterraneos: sic sunt ingenia subterranea. Ignium etiam aliqui subterranei sunt, vel ab arte in cuniculis *suppositi cineri doloso*, fomitis latentis; vel à natura in montium cavernosis visceribus, sulphure fœtis, enutriti. Vestita videas suprà, & circùm, omnia vernis æstivisque opibus: at mox evomentur, & pluent, depastura regionem incendia.

Contumaces sunt istiusmodi ignes, ita & appetentia vindictæ. Debitor hodiernus, ante invadendum conservum, cogitâsse potuit, domino id ingratum fore si resciret: facilè autem rescituram, cùm oculi & aures Regum valdè pateant. Rationes prætereà multas ad ignoscendum mens ipsi sua suggerebat. Mansit tamen in immisericordi sententia obfirmatus. Vindictæ avidus homo audit naturæ præcepta, fidei monita, salutis oracula, perstat tamen, donec animo satisfecerit. Audi Salvianus nobilem obfirmatum, instat rationibus, nihil responsi afferre potest, quàm, *Juravi me esse facturum*: quâ, inquit ille lib. 4. de Prov. *auditâ religiosissimi sceleris ratione, discessi.* Mihi alicubi in Belgio accidit, ut ad ægrum de vita in nosocomio periclitantem evocarer. Inveni positum in felle amaritudinis; & vindictæ veneno magis, quàm febri, æstuantem. Conatus sum, quibus potui argumentis, curare animi ægritudinem; nihil evici. Ad omnia iterabat, se oriundum esse de patria, ubi inimicis non parcebatur. Belga tamen erat, atque adeò monnebatur, cum ea gens ad vindictam projecta non sit. Frustra oppului, patriam ipsi Ecclesiam esse, patriam cælum sperari. Obduratum pectus voces quaslibet respuebat.

Nec vindicta qualibet satiatum fuisset: sic enim est istiusmodi insatiabilis affectus. Apud Sapientem Prov. 30. *tria sunt insaturabilia, & quartum numquam dicit, sufficit*: igni nihil satis est, neque inveterato vindictæ studio. Sicut flammæ picem ad extremum usque depascuntur, & quernos fungos sale incoctos. *Erit*, inquit Isaias cap. 34. *terra eorum in picem ardentem*, nocte & die non extinguetur. Terra picei cordis, odio inflammati, cogitationes, verba, actiones consumit, & novissimè seipsam, inexpletâ cupiditate. Debitori Regio conservus offert tantumdem, quantum ipse Regi obtulerat: contentus Rex fuerat; contentus debitor non est, nisi novissimum quadrantem crudelissimè exegerit. Miseri Saprícii durities eamdem sese erga Nicephorum exhibuit.

Talia monstra odiosissima hominibus esse, mirum non est. Quid enim humanæ societati exitiosius est, quàm affectus bellum mansuescere nescii, postquam semel efferati sunt? Contristantur conservi, & fugiunt conversationem non humanam, sed ferinam. Simeon, & Levi, crudelem olim ultionem de Sichimitis expetierant; quâ *fœtere fecerant nomen* universæ paternæ familiæ apud indigenas: ut propterea Jacob mutare sedes debuerit. Itaque moribundus senex, ingenio mitis, ætate misericors, filiis tamen istis suis Gen. cap. 49. pro benedictione maledictionem imperiit: *Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.*

Furor momentaneus, & indignatio subita veniabilis est: at durities, & pertinacia ultionis, maledicta est hominibus, & Angelis. Crudelem exactorem conservi deferunt ad Dominum. Angeli conservi nostri, vel uno teste, qui Joanni dixit, *Conservus tuus sum*; contristati valdè appetitu vindictæ, quem caritatis & pacis administri maximè aversantur, de hominum patronis accusatores fiunt. Videor mihi audire, iterantes illud Evangelicum de extirpandis zizaniis, *Vis imus, & colligimus ea?* Aut illud Jeremiæ cap. 50. *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Superba fuerat Babylon, avara, luxuriosa: relicta tamen non est, nisi quando humanitatem sævitiâ exuit.

Destitutus patrocinio Angelorum incidit in divinæ Justitiæ manus, cujus officium ausus fuerat invadere. Evangelicus debitor conservum suum sistere Regi debuerat, & lege agere: ipse sibi legem facit, satelles ipse & judex est. Sic agunt ultionis appetentes. Clamat Deus, *Mihi vindictam, Mea est ultio*: ipsi contra, *Mihi, Mea est.* Augustinus serm. 111. de div. *Si damnatum*, inquit, *jam supplicio destinatum, percussor exceptor, nonne & damnatum occidit, & tamquam homicida damnatur? Certè, quem occidit, jam damnatus est, jam supplicio destinatus; sed inordinatè ferito homicidium est. Si homicidium est inordinate ferire: quid est, rogo vos, velle ferire mundatum, velle ferire non judicatum, velle ferire, nullâ acceptâ potestate, hominem malum?* Reum in carcere, in potestate judicis constitutum, percutis: in oculis, in manibus, in sinu Dei, qui judicium & ultionem sibi servavit: nonne ipsius justitiæ injuriam facis?

Nonne simul contumeliam ejus misericordiæ impingis? Remisit Rex servo debitum decem millium talentorum: ipse conservo non vult remittere centum denarios. *Serve nequam, nonne oportuit & te misereri?* Misericordiam in Deo amas, in se odisti. Male Deus miseretur? An tu male non misereris? Si benè miseretur Deus, si ejus bonitatem expertus & experiris, & in ipso experiendi articulo imitari recusas; ex facto tuo mereris judicari. *Ultio Domini est*, inquit Jeremias c. 50. *sicut fecit, facite ei.* Talionem sibi indicit, & legem ac pœnam sibi conscribit, quisquis immisericors est. Hanc dictavit Christus, *Sic & Pater vester cœlestis faciet vobis.* Istam pronuntiat Christianus, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Itaque, vindictæ avide Christiane, *Excusatio tibi nulla in die judicii superest, cùm secundùm sententiam tuam judicaris*: non tantùm secundum sententiam Dei.

Avaritiâ maculatus, luxuriâ tentatus, aliisve vitiis inquinatus, potest adhuc dicere, inquit Aug. serm. 9. de div. *Dimitte nobis debita nostra*, &c. At qui succumbit tentationi vindictæ, id non audet dicere, adeoque *perit. Vindicta cogitatio, horrenda tentatio.* Traditur tortoribus, donec reddat universum debitum.

THEMA idem.

Audio vindictam damnari, vindicativi ingenii qualitates horribiles, parcendum inimicis. Sed an ab illis me, & mea violari immotus patiar? Antequam huic quæstioni respondeam, videndum, quinam sint inimici, tum, quomodò Christiana caritas velit nos gerere erga ipsos.

Varia sunt inimicorum genera. Primùm, alii manifesti, alii occulti: illi non salutant, recusant officia communia &c: isti per cuniculos agunt, fraudolenta oscula libant, Pharisæis Dominicæ proximæ similes, laudanobus &c. Deinde, alii gratis oderunt nec provocati, alii non gratis & provocati licèt provocatione innoxia: illi similes Pharisæis, qui odio Christum *gratis* habuerunt Joan. 15. & hostibus Psalmistæ de iis conquerentis ps. 118. vide Ambr. serm. 21. in eum psalmum: isti similes aulicis qui oderunt non cedentem ut Aman Mardochæum, aut rectè monentem ut Amasias prophetam &c. Tertiò, alii cum utilitate oderunt, alii sine utilitate ulla: illi Joabo similes, Abnerem & Amasam odio habenti: isti rursus Pharisæis, non modò citra utilitatem odio habentibus Christum, etsi illam postmodum prætexuerint, sed etiam cum damno. Quartò, alii affectu solo, alii simul effectu: illi similes Sanaballatho hosti Judæorum, cui potentia defuit ad nocendum, etsi non abesset malitia robustæ voluntatis: isti Pharisæis iterum similes, quorum odia eruperunt ad contumelias, & cædes. Erga istos omnes inimicos sic se gerit Christiana caritas, ut vindictam noluit. S. Epiphanius Theodorico Regi apud Enn. *Exigua apud Deum nostrum misericordia, si illos tantùm læsa non sequatur, quæ reatu carent. Culpas dimittere, cœleste est vindicare, terrenum.* Paull. epist. 2. ad Sev. *Vicem injuriæ reddere, humana ultio est: at inimicum diligere, vindicta cœlestis est.*

Particulatim:

Particulariter: quid erga inimicos caritas Christiana prohibet, imperat, suadet? Prohibet, *ne malum malo* 1. Pet 3. *Non vos defendentes*, ἐκδικοῦντες, quâ voce Græca non prohibetur defensio inculpata, sed animus nocendi. *Si reddidi retribuentibus mihi mala* &c. loquitur Psalmista, quod & præstitit insigniter ante Christum. quid nos post Christum, *qui, cùm malediceretur, non maledicebat* &c?

Imperat Christiana caritas, *Orate, Benefacite, Diligite.* Caritas & justitia vetuerunt nocere inimico, ultra limites defensionis inculpatæ. Caritas ulteriùs procedit, & negativo præcepto non contenta, addit positivum benefaciendi. Agnoscunt omnes Catholici præceptum in istis Christi verbis Matth 5. Calvinus lib 2. Instit. cap. 8. sect 56 aliter ausus est sentire, reformatâ scilicet perfectione Christianâ. Nos asserimus, in extrema saltem aut gravi necessitate, teneri nos bonum cognitum, & bonum inceptum, præstare inimico. Præterea bonum istud, etiam extra necessitatem, nos debere, ut dimittamus roganti, & satisfactionem offerenti: sicut nobis à Deo dimitti petimus, ut optimè advertit Augustinus Ench cap 73.

Suadet Christiana caritas, ut etiam non roganti condones, & bene facias. sic sis *lilium inter spinas*, ut ait Bern. serm. 48. in Cant & vulpes, demolitrices vinearum, capias *beneficiis, atque obsequiis*, ut idem ait serm. 63. Quidam, ab inimico cæcatus, illi postmodum inservivit ægro Faventiæ vidit Petrus Damianus. Hoc non potes? Fac saltem, quod Augustinus scribit Bonifacio Com ep. 70. *Si bona in te collata sunt, noli reddere mala pro bonis: si autem mala tibi irrogata sunt, noli reddere mala pro malis.*

THEMA tertium. *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.* Ib

Disputant Theologi, sitne stricta Dei ad homines justitia, & hominum ad Deum: dicine queat Deus debitor hominis, homo debitor Deo. Inter patrem enim & filium, quamdiu hic emancipatus non est, justitiam non intercedere: uti neque inter dominum, & mancipium. Quidquid hominis est, Deo obligatum esse; neque inter hominem, & Deum, æqualitatis quidquam esse, quod justitiæ fundamentum est. Argumenta ista reperies apud D. Thomam 1. p q 21. art. 1 & 1. 2. q. 114. art. 1. & 2 2 q 57. art 4 ubique in corp

Hoc certum, Deum ex promisso teneri hominibus debitorem. Illâ sententiâ dixit Paulinus epist. 34. ad Alethium: *O abundantia bonitatis Dei!.. Cupit debitor fieri donorum suorum, ut cum multa tibi ratione tuam reddat usuram.* Eodem modo dixit Augustinus serm. 16. de ver. Apost. *Debitor nobis factus est Deus, non accipiendo, sed promittendo. Illo ergo modo, possumus exigere Dominum nostrum. Redde quod promisisti, quia fecimus, quod jussisti.* Et serm 217 de temp. *Securus Deo dices: da, quia dedi: dimitte, quia dimisi: fac, quia feci.* Secutus est Augustinum Bernardus lib. de gra & lib arb. *Promissum quidem ex misericordia, sed ex justitia persolvendum.* Prævit Paulus, dicens repositam sibi *coronam justitiæ* prævit Christus ipse in vinitorum parabola dicens, *Quod justum fuerit, dabo vobis.*

Certum item, hominem Deo debitorem esse totidem titulis, quot sunt partes justitiæ. Tenetur ex justitia Legali, quia Deus lex est æterna, & fons legum omnium. Tenetur ex Commutativa, quia Deus dedit, ut reciperet. Tenetur ex Distributiva, quia Deus obsequio dignissimus est. Tenetur ex Vindicativa, quia peccavit, peccata autem sunt debita. Idcirco dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*: & à Christo inducuntur *Duo debitores cuidam feneratori*; & offertur Regi unus, *qui debebat decem millia talenta*, interficaturque, *Redde, quod debes.*

Consideremus primò, miserum statum debitoris, sed sic ut non desperemus: deinde bonitatem creditoris, sic ut non præsumamus.

Cui miser ille servus debitor, & quanto, tenebatur? Cui debebat? *Homini* quidem, sed *Regi*. Si *homini* tantùm debuisset, spes fuisset aliqua evadendi: minari poterat, ut injusti aliqui debitores creditoribus faciunt: poterat uti fraude, quemadmodum *villicus iniquitatis*: poterat eludere, aut trahere volitigando: poterat convasare, & transmigrando evadere. Sed *Rege* quid agat, *longas manus* habenti? Unus fuit Persis Rex Longimanus Artaxerxes: sic sunt Reges omnes, simul sunt Longioculi & Longiaures. Contra Reges experiendo in jure, vix justum obtinetur, quomodò impetrabitur injustum? Itaque *oblatus est ei*, non venit ultrò, malè sibi conscius: tergiversari, eludere effugere non potuit.

Debebat decem millia talenta, id est, milliones 144, si Hebraica eaque aurea talenta sumas; sumi autem talia debent, cùm apud Judæos parabola pronuntiata sit. Poterat pro tali summa privatus homo satisfacere? Regiis, imperiisque, difficilis erit solutio. Audimus, quando classis aurifera milliones triginta devehit, quanta sit exspectatio. Ubi ergo servus unicus tot milliones inveniet? Si pecunia deest, inveniétne fidejussores, aut pignora? Mos olim fuit, vendendi debitores, eorumque uxores, ac liberos, ut creditoribus satisfieret: cujus rei exemplum est 4. Reg 4. Fiat hoc isti servo, quantillum pecuniæ conficietur ad tantam summam, quandoquidem caput hominis vix centum siclis aliquando æstimetur?

Non potest satisfacere, poteritne satispati? Mos fuit barbarus, apud Judæos & Romanos, capiendi, torquendi, cædendi, debitores: sublatus per Constantinum, quia intolerandus erat mansuetudini Christianæ. Vide de illo Baronium an 33 num 34 & Philo lib 2 de legibus sing. Ad eum morem Christus alludit in hodierna parabola. Sed torqueatur servus iste, imò occidatur & ipse, & sui: eorumne vita æquiparabitur summæ, sufficietne ad decem milliones hominum sustentandos? Si pro centum siclis carcer & tormenta irrogantur, quid pro tot millionibus? Si, qui talentum unicum non benè impendit, mittitur in tenebras exteriores, quid fiet illi qui decem millia malè expendit?

En miserum statum servi Evangelici. longè miserior est peccatoris conditio. Cui debet, & cui rationes reddet? Christo, non ut *homini* tantùm, sed ut *Regi*, & Deo. Potestne falli ejus scientia, eludi justitia, evadi potentia? Nonne ubique oculos, aures, manus habet? Itaque non in judicio solùm extremo, neque in particulari tantùm sistitur Deo peccator: sed singulis momentis ab ejus pendet judicio, & ipsi *oblatus est.*

Quantum autem debet? Non adduco gigantes diluvio mersos, Sodomitas igne absumptos, Pharaones tyrannos, Achabos homicidas idololatras. Davidem offero, Jonam, Martinianum, cogitationis unius letalis reum. Quid Deo talis debet? An *decem millia talenta*? An summam innumerabilem? Prorsus. Est enim *Offensa Dei usque ad amicitia dissolutionem*: offensa verò crescit pro portione personæ offensæ. Hoc posito, quod Exc. 3 ad lib 5. cap 4 sect. 3 num 3 4 5 ostendimus, intueamur, apertis fidei oculis, an possit talis per se Deo satisfacere jejunando &c: An per alios &c. seclusis Christi meritis? Certum, non posse.

Potestne saltem satispati? Plectatur David exilio, satis non est. Sedecias orbetur oculis, & liberis, familiæque universæ supplicium suum faciat: satis non est. Achan toti populo cladem accersat in sui criminis pœnam: neque hoc satis est. Creditores ultra vitam non habent, quod torqueant: habet Deus. Mittat debitorem suum in gehennam torquendum 144. millionibus annorum: satisne tum passus fuerit? Adde zero quinquagena &c. O miser Her, & Onam, miser Zambri & Chosbi, misera quæ dixit Confusio operuit faciem meam: ecquando satispassi fueritis? Doleo me nec satis sæpe, nec satis efficaciter, tanti momenti veritatem pro dignitate explicare posse. Doleo satis non capi à Christianis, quos tantâ licentiâ ad vindictas, furta, intemperantias prorumpere videmus. Insane, si, quoties peccas, syngrapham aut cautionem imperialium centum dare deberes, cautius credo & rarius peccares. Atqui nunc, quoties peccas, conscribitur tibi syngrapha, quâ ad summam immensam tenearis, & satisfaciendi atque satispatiendi impotens sis.

Ergóne debitori desperandum est? Absit. Habet enim magnum creditorem, sed maximè misericordem. Quid ait debitor Evangelicus? Allegátne sponsores, aut intercessores? Offertne pignora? Spémne obsequiorum, aut commodorum, domino facit? Adrianus Imperator, apud Baronium an. 120 in foro Romano exussit syngraphas, quibus populus Imperatori obligabatur ad viginti myriadas auri: Veneti similem in modum fecêre Henrico IV. Galliæ Regi: Erardus noster Marcanus Carolo V. Cæsari. Conciliare sibi isti volebant animos debitorum. Rex benevolentiâ servi non indiget: solis lacrymis ejus bonitas movetur ad indulgentiam tanti debiti.

Da mihi modò, non qui unum peccatum commisit, sed Augustinos, sed Thaides: da qui Christum crucifixerunt. Petrus Dei nomine hoc solum illis ad indulgentiam indicet, Act. 2. *Pœnitentiam agite.* Insigniter hoc ponderat August in ps 45. *Debitor fit confessus, & intuens angustias rei familiaris sua, cùm videt se non posse esse solvendo, propter immunitatem omni anno compulsores, tribulationes magnas se pati dicit, neque usquam respirat, nisi in spe indulgentiæ.* Deinde, postquam verba D. Petri ad Judæos Christi crucifixores retulit: *Quid*, inquit, *gravius potest æger facere, quàm si medicum suum occidat? Cùm hic dimittitur, quid non dimittitur?*

Confitetur Christianus peccata sua, ex instituto Christi, apud illorum unum, de quibus dictum est, *Quorum*

remiseritis peccata, &c. Audit ista verba, *Absolvo te*: tantumdem est, ac si diceret ipsi à Deo syngrapha accepti, aut chirographum peccati deleatur affixum cruci Christi.

Confitens non valens elicit actum contritionis, eâdem indulgentiæ certitudine, ex Dei promisso. Referuntur variæ in hanc rem historiæ, & nos quasdam lib 1 cap. 5. Exe. 1. sect 2. retulimus. Addo unam ex historia Anglicana Henrici Mori lib. 5. num 11. *Baro de Stearton (cujus viduam deinde duxit Arondelius) animo Catholicam, externa cultu deformatam religionem sectabatur, sacrorum cælestium usum fructum famulatum conservatione postponens. Ne verò illum mors hoc graviter neglectu imparatum abriperet, duos domi alebat sacerdotes; caveratque, ne uterque uno die, unâve nocte, unquam abesset. At ulterior, occulto Dei judicio, accidit, quando illum extrema oppressit ægritudo. Nam, utroque absente, nullâ etiam cujusquam diligentiâ sacerdos alter reperiri potuit. Vocatis itaque uxore, & œconomo, expositisque, multis cum lacrymis dolore, quo angebatur quòd cùm maximè vellet ritus Catholicos moriens usurpare, tam magno fraudaretur dono; agnitaque simulata religionis gravissimâ culpâ, & eorum præterea, quæ ubeuntem è vita gravabant, veniam à Deo humillimis votis precatus, moritur. Res defertur ad Cornelium. Rogatur non liceat, pro hoc mortuo orare: preries, inquit, & licet, & necesse est. Postero inde die sacris operans, & defunctos memoriâ repetens, sistit se ad latus Evangelii is, qui recenter obierat, conjunctâ vestium togâ: rogat Patrem, ut misereatur, uri enim se purgantibus flammis. aperta, veste, ostendit amentium latus: petiit etiam adstantibus commendari. Cornelius vultu in eam partem converso, tamdiu hæsit orans, ut à ministrante monitus, finem non faceret. Peractâ verò sacrificio, adstantes hortatur, uti pro anima Baronis de Stearton defuncti perseverarent orare: torreri enim Purgatorii ignibus, & vivorum suffragia flagitare. Quidam narrant, inter viventium commemorationem se stitisse primùm, alii etiam ministro visum esse. Ut verò hæc se habuerint, res communi sermone celebrata est, atque in hanc usque diem ab utriusque familiæ, & Steartoniorum, & Arondeliorum hæredibus, certissimè traditur.*

Cornelius ille sacerdos, seu Joannes Corneli, Martyr Londini mortuus est, maximâ apud hæreticos commendatione sanctitatis, admissus paullò antè in Societatem nostram. Historiam ipsis scriptoris verbis recitavi, ut eò certius & efficacius commendetur confitendi desiderium, & usus contritionis.

Quid ergo, inquis, tam horribile in peccatis, si tam facilè remittuntur? Verbum adde, ò homo, ne divitias bonitatis & longanimitatis Dei contemnas. Nullo negotio, inquis, debita Deo exsolvam, longè faciliùs quàm hominibus. At quomodò? Confitebor sacerdoti. Quid si non nancsicaris? Desiderabo, cor teres. At unde cautum tibi est de spatio? Unde constas, benè id te facturum? Ut benè facias, & culpam deleas, constâtne pœnam omnem deletum iri? Si pœnis mortalium aboleatur, nulla restabit venialium? Nonne D. Carolus Borromæus, & Ignatius, & Xaverius, & sanctissimi quique sacerdotes, ea animo sacrum Deo sæpissimè obtulere, *pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus, & negligentiis* suis? Dicamus ergo quotidie, dicamus instanter, dicamus advocato & judici nostro, præeunte ipsomet & dictante, *Dimitte nobis debita nostra* &c.

DOMINICA XXII. POST PENT.

THEMA. *Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo.* Matth. 22.

Vide Exe ad lib 2. cap. 5. sect 7.

THEMA alterum. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.*

Fœcundissima divinis documentis hæc Christi sententia, explicationes quatuor suggeret, quarum ultimæ immorabimur. Prima, Patrum omnium est: Principibus & magistratibus civilibus obtemperandum; sic tamen ut Cæsar Deo non præponatur, nec status politicus religioni. Quod enim Christus de Cæsare primùm, tum de Deo loquitur, perinde est, ac si diceret: Reddite omnino sua Cæsari; sed sic, ut Deo sua non tollatis. Imperet Cæsar contraria divinis imperiis; obediendum illi non erit, ne gementes olim clamemus quod Lucifer Calaritanus de adulatoribus Cæsaris scribebat, lib. de Regibus apostaticis, *Væ nobis, qui Constantium Imperatorem Deo proposuerimus.* Omnis potestas à Deo est, non contra Deum. Cæsar, inquit Tertull. in Apolog. *ideò magnus est, quia cælo minor est. Illius enim est ipse, cujus & cælum, & omnis creatura. Inde est Imperator, unde & homo, antequam Imperator: inde potestas illi, unde & spiritus.*

Altera explicatio Ambrosii est: Ecclesiasticam potestatem, & Civilem, distinguendas esse, neutramque alterius debere jus invadere. Urgebat Valentinianus junior, ut basilica quædam Arianis ab Ambrosio traderetur: hic, epist. 14. ad Marcellinam sororem, ait se respondisse; *Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus: scriptum est, quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari.* Miserandus Angliæ status, ubi confusa est utraque potestas. utinam æterna confusio non operiat faciem potestatis, sicut lepra vultum Oziæ Regis Juda. Miserandus itidem est status earum regionum; ubi Pontifices, & Episcopi, toti in civilia munia effusi, militaria etiam non detrectant: de quo militantium Episcoporum numero primos Salonium & Sagittarium ait fuisse Baronius, & monstra ordinis Ecclesiastici appellat. Sic tamen sint sejunctæ & dispertitæ potestates, sacra, & profana, ut inter se jungant, ad Dei obsequium. Carolus Magnus apud Baronium dicebat Pontifici in Concilio: Tu gladium Petri ac Pauli tenes, ego Constantini, jungamus dextras. Sic nuper fecit dignus Carolo successor Ferdinandus II. cui recuperata & subdita Boemia hac ipsâ Dominicâ. Tollebant hæretici Cæsari sua, Deo sua: utraque ipse asseruit, & firmavit.

Applicatio tertia Origenis est hom 21. in Matth. diabolo, rectori tenebrarum harum, reddenda, quæ diaboli sunt, id est peccata, tum sua Deo exhibenda. Ideo, inquit, priùs dicitur reddenda Cæsari sua, quia mens ante emundanda est, quam accedatur ad Deum: neque enim Altissimo iniquorum dona grata sunt. Quid autem Deo reddas? Docet Augustinus tract. 40. in Joan. *Moneta Dei sumus, nummus à thesauro aberravimus; errore detritum est, quod in nobis fuerat impressum: venit, qui reformet, quia ipse formaverat, quærit & ipse nummum suum, sicut Cæsar nummum suum.* Vide sententiam Hilarii in Off. hodierno. Similia dicunt, Paulinus ep 4. ad Sev. Tertullianus lib. de idol. Isidorus lib 3 sent. cap 36 sent. 5. Greg. lib 33 Mor cap 26 & alii.

Ab eodem Origene, eodem loco, quarta est & ingeniosissima accommodatio. Reddenda corpori, quæ corporis sunt, animæ item sua. Fuère olim hæretici Euchitæ, qui corpori nihil tribuendum existimabant. Borboritæ, contra, tribuebant omnia. Media inter errantes Catholica fides cuique parti sua assignat. Videamus quam aptè corpus vocetur Cæsar; tum quo pacto anima Deus dici possit, quidque illis reddendum.

Corpus Cæsar est, ratione dignitatis inter corpora cætera; quæ ad ipsum, velut immediatum finem, universa referuntur, ut patebit eunti per singula. Nec naturalia solùm, sed artefacta illuc spectant. Artium aliæ vestiendo, aliæ nutriendo, aliæ oblectando corpori serviunt. *Omnis labor hominis in ore ejus*, & corpore: utinam & animus ipse aliquando corpori non serviret, cum tamen contra omnino debeat, ut mox dicemus.

Cæsar præterea corpus est, quia Cæsaris instar jubet, & cogit. Sitit? bibendum est. Deficit? quiescendum est. Dormitat? dormiendum est. Esurit? manducandum est. Hanc miseram servitutem debemus imperatrici carni: cui anima quidem interdum imperat, quando orandum, studendum, ad supplicationes procedendum, ad conciones standum est: sed multò sæpiùs obtemperare debet, quamdiu à corruptione non est libera. *Planè obliviscetur*, inquit Tertull. lib. de res. carnis, *firmata leo, mansuetudinis conditione præventus, & cum toto suggestu jubarum delitium fiet Berenices alicujus reginæ, linguâ genas ejus emaculans: dicet bestiæ relinquet; scientia naturalium permanebit. Non obliviscetur etiam naturalium pabulorum, naturalium remediorum, naturalium terrorum. Etsi de piscibus, etsi de placentis regina et obtulerit, carnem desiderabit: etsi languente theriacam composuerit, simiam leo requiret: etsi aulus venabulum obfirmabit, gallum tamen formidabit. Perinde & homo ... memor semper manducandi in esuriis, & bibendi in sitis.* Corpus itaque meritò Cæsar appelletur: non immeritò itidem anima Deus. Primum, quia ut ait Philo lib. de opif. mundi, *In unoquoque enim effigiata est, quodammodo Deus ejus, quæ ipsam circumfert, ut statuam. Sicut enim se habet magnus ille Imperator ad universum mundum, ita se habet mens humana ad hominem.* Anima intelligit in cerebro, videt in oculis, tangit in manibus; quomodò Deus splendet in stellis, calefacit in Sole, fovet in aere.

Præterea, sicut hominis imaginem hominem dicimus, & Regem, qui Regis in scena personam exhibet, sic animam humanam Deum appellabimus, quia Dei imago & similitudo est, sive eam similitudinem in eo sitam cum Augustino dicamus, quòd anima tota quamlibet occupet corporis

corporis partem, spirituali natura & modo, aut, cum Damasceno, quod sit intelligens, aut, cum Basilio, quod ratione animalibus dominetur; aut, cum Ambrosio & Bernardo, quod capacissimam habeat voluntatem, usumque arbitrii liberum, aut, cum Gregorio Nysseno, quod libertate capax sit sanctitatis & beatitudinis; aut, iterum cum Damasceno, quod Trinitatem potentiis exhibeat, aut, cum Origene, quod sit immortalis. Quacumque demum Dei potissimum imaginem anima exhibeat, Deus tamen idcirco commodè appellabitur, etsi, ut Tertull. loquitur lib. de anima, *longè sit infra Deum . . . dilutioris, & exilioris felicitatis.* Tres itaque ob caussas Dei nomen animo humano tribuemus, ob similitudinem officii in regendo, ob similitudinem naturæ spiritualis, ob similitudinem qualitatum: quomodò corpori damus Cæsaris appellationem, ob similitudinem dignitatis, & imperii.

Quid huic Cæsari reddendum? Quod ipsius est, necessarium ad vitam, functiones, statum. Cave, parum reddas, aut nimia. Parum dedêre quidam imprudenti pietate; ut Bernardus, idcirco veniam moribundus petens à corpore; ut sacerdos è Societate nostra, qui Patri Rhem apparuit, diuque se idcirco in Purgatorio detineri: vide Dom. 20. them. 1 sententiam D. Basilii. Sæpiùs corpori debita non redduntur ex avaritia, tenuante ventrem, ne extenuetur crumena: vide depictum ab Ecclesiaste talem avarum cap. 5. vers. 16.

Sæpissimè nimium corpori redditur, & sic illi indulgetur, quasi nihil animo dandum foret. Pauci rectè sese amant secundum naturam spiritualem, quia sciunt sese secundum illam non norunt, tantum attendunt sensibilia: qua de re vide S. Thomam 2. 2. q. 25. art. 5. Paucorum vox est, quæ Senecæ fuit, *Ad majora natus sum, quàm ut mancipium corporis sim:* Christianorum tamen omnium esse deberet, quibus istud Pauli Rom. 8. frequenter auditum: *Debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus.* Quæ verba explicans August. serm. 13. de verb. Apost. compendio tradit normam, quâ corpori sua reddamus: *Caro debet secundum ipsam animam vivere, non ipsa secundum carnem. Ipsa caro vivat secundum ipsam, quia vivit de ipsa. Certè unaquæque secundum hoc vivat, de quo vivit. Unde vivit caro tua? de anima tua. Unde vivit anima tua? de Deo tuo. Unaquæque horum secundum vitam suam vivat. Caro enim sibi non est vita; sed anima carnis est vita. Anima sibi non est vita, sed Deus est animæ vita. Tunc rectè vivit caro secundum animam, si anima vivat secundum Deum.*

Cum corpori satisfacere oporteat in cibo, quiete, vestitu, recreatione, multò magis animæ, necessaria primùm sua danda, deinde jucunda. Habeat & illa cibos suos in Sacramentis, in verbo divino, quietem, in oratione extra curas temporalium; vestem, in caritate & bonis operibus, recreationem, in conscientiæ securitate, in cognitione cælestium. *Non oportet*, inquit Eucherius ep. ad Valerianum, *posteriore loco dominam ponere, & famulam iniquo jure præferre.* *Si tam prudenter*, inquit Bernardus serm. 7. in psal. Qui habitat, *seras palam tuas, etiam horreum servare memineris; imò verò ne exponas thesaurum tuum, qui sic incubem sterquilinio tuo.* Mulum phaleris ornas, equo avenas ingeris, equitem jejunum relinquis? Curas aviculam in cavea, abacum in penu, hortum negligis? Narrat Baronius ex Curopalate ad an. 860. Michaelem tertium Imperatorem currum agitando in circo intentum, Protonotario nuntianti adventum Saracenorum indignabundum dixisse: *Quomodò, scelestè, audes me ne talibus interpellare, tam seriò occupatum?* Sic aliquot, qui corporis necessitatibus & deliciis intenti, animam obliviscuntur: de quibus, istud Salviani ad Treverenses dici merito possit: *Putabam vos in excidiis rem tantùm, atque substantiam; nesciebam mentem, atque intelligentiam, perdidisse.*

Si autem, quod absit, animam perdideris, quid tibi superest? Chrysostomus oratione de anima: *Pecuniam si amiseris, si domum, si mancipia, recuperare alia poteris, & reddere: animam autem si amiseris, quam restitues aliam? . .* *Duos oculos, pedes, manus dedit nobis Deus, quorum uno amisso, superest quo jacturam solemur: amissâ unicâ animâ unde vivemus?* Eusebius Gall. hom. 10. explicat istud psalmistæ, *Eripe à framea, Deus, animam meam, & de manu canis unicam meam. Quare unicam dixit? Sive quia tamquam unica diligenda est: sive quia ipsa sola ante tribunal cælestis rationem, remotis omnibus solatiis, redditura est.* Amabat eam velut unicam Benedictus XII. Pontifex apud Spond. an. 1336. Philippo Regi Francorum, qui aliquid petitùm venerat, dixit, ante exponendum postulatum. *Ipsum sibi ita carum esse, ut, si duas animas haberet, earum unam illi lubenter daret: sed non habere nisi unam, quam unicè diligeret, cuperetque conservare. Quare sic Rex suas petitiones temperaret, ut nihil peteret, quo Deus & unicam offenderentur, aliòqui sese non acquieturum.*

Sic & nos animam nostram diligamus: detrimentum illius, nedum jacturam, non patiamur propter Cæsarem corpus: propter Cæsarem, dæmonem; propter Cæsarem, statum politicum: propter Cæsarem, Principem, magistratum, amicum quemvis. *Sic animæ, & Deo sua reddemus:* Eucherii verba sunt ad Valer. *Quisquis Deo satisfecerit, animæ necesse est jam consuluerit: & rursus, qui animæ consuluerit, necesse est Deo jam satisfecerit.*

THEMA tertium. *Cujus est hæc imago?* Ibid.

De animæ immortalitate ad cap. 8. lib. 2. Exc. 1. sect. 2.

DOMINICA XXIII. POST PENT.

THEMA. *Deridebant eum.* Matth. 9.

De humanorum judiciorum contemptu sect. 4. Exc. ad cap. 4. lib. 2.

THEMA alterum. *Filia mea modò defuncta est.* Ib.

Mortem terribilium omnium terribilissimum meritò prisci appellavêre, non Infideles modò, sed Fideles ad spem beatæ æternitatis erecti. *Diem mortis*, inquit Aug. ep. 120. Honorato, *amaes quidem affuturum scimus; & eum tamen omnes, aut penè omnes, differre conantur, etiam qui post mortem se beatius credunt esse victuros.* Primum enim, terret separatio à præsentibus, à societate rerum dilectarum, carorum hominum, corporis amati. Deinde, terret futurorum prævisio, & pendens ab unico momento æternitas: *Quando medici*, inquit Aug. serm. 21. de verb. Dom. *inspexerint valetudinem, & mortiferum esse cognoverint, hoc pronuntiant: Moritur, inde non evadet. Ex quo nascitur homo, dicendum est, Non evadet. Quando natus est, ægrotare capit. Quando mortuus fuerit, finit quidem ægritudinem, sed nescit utrum pergat in pejorem.* Denique terret momenti illius decretorii incertitudo, quo loco, quo modo, quâ ætate futurum sit. Quamquam, ut ait Aug. hom. 13. ea ipsa incertitudo *Misericordia Dei est, quia nescit homo, quando moriatur. Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies.* Et hom. 27. *Ne desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus rursus, ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus.*

Meritò itaque formidatur mors: sed à quibus maximè, & quâ ætate timeri debet? An ab iis, qui certi sunt se non diu victuros: an ab iis, qui certi non sunt se diu victuros? An ab iis, quibus mors est in januis, aut quos exspectat in insidiis? A senibus ne, an potius à juvenibus? Apud Vincentium, in Speculo morali, filius toparchæ de Mingorri patre invito Claravallem ingressus, & ipsum repetente, dixit: se omnino rediturum, si parens pessimam ditionis suæ consuetudinem aboleret, quòd illic juvenes æquè ac senes morerentur.

Quid si ego dixero, juvenibus mortem imminere frequentiùs, magisque metuendam? Paradoxum dicere videbor, dicam tamen ipsissimam, ni fallor veritatem, hoc argumento nixam: illis magis formidanda mors est, qui caussas illius magis in se collegêre: quod cùm juvenibus conveniat, formidanda ipsis igitur præcipuè mors est. At, inquis, quænam caussa mortis est, & quo illam pacto juventus magis, quàm senectus colligit? Quæstioni utrique facile satisfecero, & simul ratiocinationem nostram confecero.

Genera mortis duo vulgò statuuntur, Naturalis, & Accidentalis. Naturalem dicunt, quæ ex mero naturæ, id est caloris humorisve nativi defectu provenit: Accidentalem, quæ eventu aliquo acceleratur, ab aere, cibo, potu, incursu rerum, cujusmodi innumeræ contingunt *in hujus carunculæ folliculo constitutis*, ut eleganter dicebat Arnobius. Follem aciculâ pungas, protinus detumescit: corpus hominis febriculâ, catharro, aurâ pestilente perstringas, illicò concidit. Naturali morte paucissimi defunguntur: reliquos accidentia extinguunt, vel ad mortem urgent. Accidentibus autem quinam magis vel objiciuntur, vel ipsi sese objiciunt, juvenes, an senes? Quæ autem vitra crystallina citiùs franguntur, quæ in abaco exponuntur ad usum, an quæ in cistis reponuntur ad spectaculum? Notavêre Theologi quidam, in his Layman tract. 2. de Sacram bapt. c. 6. hominum, qui in hanc lucem eduntur, tertiam partem emori antequam septennium contingat. Si hoc verum est, duæ tertiæ ante tricesimum decesserint. De reliqua parte tertia, quota particula ad sexagesimum perveniet? De quingentis, puta, in hac urbe dimidio anno mortuis, quot sexagesimum annum vidêre? Vix duodecim numerabis. Longè

igitur plures juvenes moriuntur, atque adeo mors juvenibus formidabilior est.

Sed caussas mortis inquiramus, consulamusque rationem & fidem, non experientiam. Unde mors naturalis irrupit? Qua januâ? Non disputo, futurine fuissent immortales homines, si Adam non peccasset, uti censet Augustinus lib. 9 de Gen. ad lit. cap. 81. *Potest dici alium modum esse potuisse in corporibus immortalibus, ut solo piæ caritatis affectu, nullâ corruptionis concupiscentiâ filii nascerentur, nec morituris parentibus successuri, nec ipsi morituri: donec terra immortalibus hominibus impleretur: ac sic instituto justo & sancto populo, qualem post resurrectionem futurum credimus, nascendi etiam modus fieret.* Si opponas, corpora ante peccatum, habitura fuisse humoris & caloris compugnantiam, & corruptionis ac mortis semina: respondebitur, arboris vitæ id tuisse virium, ut defectus corporis omnes suppleret, atque adeo esset medicamentum vitæ & immortalitatis.

Sed, eâ omissâ quæstione, peto, quo aditu mors naturalis vel omnino, vel debito citius, irrupit? Designat Paullus Rom. 5. *Per unum hominem peccatum, & per peccatum mors*, &c. Denunciatum fuerat Adamo, si vetitum tangas, *morte morieris*: contigit, mortuus est. Secuta tota progenies, pertranseunte in omnes homines morte. Fuge quantum potes, abscondere, vita studiosissimè accidentia omnia, cave à noxiis, observa præcepta conservandæ sanitatis, medicamenta congere; finge tibi, de qua Cartesius sextiduo ante mortem disputasse fertur, immortalitatem corporis: morière tamen. Aug. serm. 21. de ver. Dom. *Conceptus est puer, fortè nascitur, fortè abortum facit: ita incertum est. Fortè crescit, fortè non crescit. Fortè dives erit, fortè pauper. Quidquid aliud nominaverit in bona: respice & ad mala. Fortè ægrotat, fortè non ægrotat... Numquid potes dicere, fortè moritur, fortè non moritur?* Mors, peccato januas patefaciente, ingressa est, & in omnes, sine ulla pœnalis legis gratia, pervagatur.

Mors autem accidentalis unde venit? Cur tot & tam varia eventa mortem, de se satis venturam, accelerant? A Paullo etiam discamus 1. Cor. 15. *Stimulus mortis peccatum.* Stimulo boves urgentur, ut festinent: stimulo mors incitatur ad properandum. Non audis Deum dicentem Gen. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, & erunt dies ejus centum viginti annorum?* Quæ verba etsi Patres alii aliter explicant: constat inter omnes tamen, ob peccata diluvium accidisse, & innumeras vitas amputatas, & deinceps vitæ humanæ spatium decurtatum. Quàm multis accelerata mors urbium sceleratarum incendiis? Cur Her, Judæ filius, patri præmortuus? Gen. 38. *Fuit nequam in conspectu Domini, & ab eo occisus est*, ita & Onam. Saul festinato letho occumbit, cum tota fermè familia, propter iniquitates suas, *ideo interfecit eum Dominus* 1. Paral. 10. Baronius an. 518. narrat, Anastasio Dicoro Imperatori paullò ante mortem visum spectrum manu librum præferens, & truci voce dicens, *Ecce, ob scelera tua, tibi annos vitæ quatuordecim deleo.* Paullò post inter fulgetra, se abscondens, mortuus est.

Singulos annumero: populi recensendi forent. Sic Regius vates generatim dicit psal. 54. *Viri sanguinum, & dolosi, non dimidiabunt dies suos.* Sic generatim Eliphaz Themanites Job 22. *Qui sublati sunt ante tempus suum*, &c. quod Gregor. ad rem nostram explicat lib. 16 Mor. Item generatim Ecclesiastes, cap. 7. *Ne impiè agas multùm, & noli stultus esse, ne moriaris in tempore non tuo.* Generatim etiam Sapiens cap. 1. *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum.*

Auctoritati accedit ratio. Peccatum est animi deordinatio, atque adeò perturbatio. Perturbationem animi, sequitur perturbatio corporis: hanc morbi, morbos mors. Unde tam multi in Monasteriis senes? Læta conscientia, pax animi, ordinata mens, conservavère sanitatem. Vice medicorum fuère, *Mens hilaris, requies, moderata diæta.* Interrogatus ab Ernesto Principe nostro senex sacerdos, post mortuus anno ætatis vicesimo quinto supra centesimum, quid egisset tam diu conservandæ valetudini? Respondit, quietâ à curis omnibus mente vixisse: sobrio, & casto corpore.

Posito itaque præcipuam & generalem caussam mortis, seu naturalis, sive accidentalis, esse peccatum: quænam, obsecro, ætas peccato magis obnoxia est, juvenilis an senilis? Experti respondeant. Hieronymus epist. 41. ad Ruffinum, agens de Bonosi sorore, & commendans ejus curam. *Huic, inquit, ego, ut ait gentilis Poeta, omnia etiam tuta timeo. Scitis ipsi lubricum adolescentiæ iter, in quo & ego lapsus sum... Hoc ipsa nunc ingrediens, omnium est fulcienda præceptis... crebris vestræ sanctitatis epistolis roboranda.* Augustinus serm. 43. de ver. Dom. *Nos, qui senuimus in ista militia, minores quidem hostes habemus, sed tamen habemus... Acrior pugna juvenum est, novimus eam, transivimus per eam.* Juventus tempestas est, passionibus innumeris concitata: quare Eliu amicus Jobi cap. 36 dicit, *Morientur in tempestate*; quod Hebraicè est, *cum fugitiu*; Sept. vertunt, *in adolescentia*: quia adolescentia tempestas est; &, quàm difficile est scire viam navis in medio maris, tam difficile est nosse viam viri in adolescentia.

Christi oraculum audiamus in parabola Prodigi. Quis patri extorquet legitimam? *Adolescentior.* Quis longè à patre peregrinatur? *Adolescentior.* Quis substantiam devorat cum meretricibus, &c? A parabola ad historias transeamus. Excitatur Lazarus juvenis: peccator fuit, figuram certè gessit peccatoris. Excitatur adolescens Naimita: in loco delitiarum educatus, *filius unicus matris suæ.* Excitatur duodecennis puellula: audio *tibicines, & turbam tumultuantem* in morte, nimiæ paternæ indulgentiæ ac licentiæ indicium. Juventuti, & adolescentiæ, satis de se ad peccata præcipiti, laxatur frænum: quid exspectabis, nisi mortem, cujus *stimulus peccatum est?* Jejunant Antonius, & Hilarion: & in jejuniis canescunt. Solitudinem colit Romualdus, & in illa centenarium excedit. Curat Ecclesias Martinus: obit octogenario major. Studet continenter Augustinus, & septuagesimum quintum ætatis numerat. Studiis addit austerum victum Hieronymus decrepitus. Nec chamæuniæ, nec jejunia, nec curæ, nec studia prudenter adhibita, mortem accelerant, sed peccata: *Corpus mortuum est propter peccatum*, inquit Paullus Rom. 8.

At, inquis, nonne etiam sanctissimis viris vita in juventute abrupta est? Josiam, Jonatham, Agnetem, Cæciliam, Catharinam, Aloysium, Franciscum Ass. Carolum Borromæum, quot annos vixisse reperies! Quid Joannem Baptistam? Quid Christum ipsum? Primùm respondeat de plerisque istorum Sapiens: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Non quia peccârat, mortuus est, sed ne peccaret: adeoque, vel sic, peccatum caussa mortis fuit. De Christo autem dixerim, suffecisse vel momentum vitæ ipsum redimendo Universo: annis triginta tribus sat nobis exemplorum ad veram virtutem dedisse: etiam pro peccato mortuum Agnum Dei, non suo, sed mundi peccato. Præterea, quòd Sanctorum vita interdum breviatur, id fit, ut intelligamus longævitatem non esse summæ fœlicitatis.

Sed rursum, nonne nequam homines interdum longævi sunt? Nonne fuère ævo Danielis, & nostro sunt, inveterati dierum malorum? Cainus Abelo diutiùs vixit. Jeroboamus superstes piis plurimis fuit. Diocletianus, Martyrum millibus multis interfectis, tranquillum senium exegit. Saturos vitæ persecutores Christianorum mors occupavit. Respondemus, tolerata ad messem zizania, ut possent fieri frumentum: virtutes quasdam morales donatas temporali mercede longævitatis: datam etiam improbis vitam diuturnam, ut nimis magni non fieret à bonis.

Quia tamen desideratur, & desiderabilis est longævitas, idcirco conclusiones duas ex toto discursu eliciamus. Prima, parentibus dabitur. Archisynagoge, filiam habes duodecennem. Vis eam vivere? Exclude tibicines, & turbam tumultuantem, ejice occasiones peccandi, inter quas nec vivet, nec reviviscet. *Ne jucunderis*, inquit Siracides cap. 16. *in filiis impiis, si multiplicentur: nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis. Non credas vitæ illorum.*

Altera conclusio sit pro omnibus. *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Et Jairus, & uxor, & filia, & tibicines, & tota turba tumultuans clamat, Ego volo vitam, ego diligo dies bonos. Audite ergo reliqua, & repetite Volo, Diligo. *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum, Declina à malo, & fac bonum*: hæc est via vitæ, & dierum bonorum. Una tactâ scientiæ boni & mali arbore Adam mortem accersivit: tu quot tangis vetitas arbores? Ambitionem, avaritiam, invidiam, detractionem, aliaque venenata arbusta, taxo magis lethifera, gustas; & non morieris.

Esto tamen, non moriare juvenis, moriare senex, moriare decrepitus, moriare capularis: si tamen peccas, & peccare perseveras, mors tibi maximè timenda est. Dicebat Jonathæ David 1 Reg. 20. *Vivit Dominus... quia uno tantùm, ut ita dicam, gradu, ego, morsque dividimur.* Inter te, & mortem, quid interest? Pellicula, acicula, guttula. Vive ergo in diem, in horam, in momentum. Time mortem, & magis time quæ sequuntur mortem. Imò, ut non timeas, fuge peccatum, quod fecit mortem,

mortem, & facit malam mortem. *Non potest malè mori, qui benè vixerit*, inquit August. lib. de doctr. Christiana sub finem. Potest gladio hostili perire, *non potest malè mori*: potest à bestiis devorari, *non potest malè mori*: potest in latrones incurrere, *non potest malè mori*: potest naufragio perire, *non potest malè mori*. Si tibi non persuasi peccatum esse caussam mortis: hoc saltem tibi ipse persuade, peccatum esse caussam malæ mortis primæ, & secundæ. *Deus avertat à nobis malam mortem.*

THEMA idem.

Vanitas rerum spectata in morte singulorum. Exc. ad cap. 10. lib. 1. sect. 1. usque ad num. 6.

DOMINICA XXIV. POST PENT.

THEMA. *Abominatio desolationis.* Matth 24.

Peccatum in anima Christiana, est *abominatio, & desolatio, in loco sancto.* Contumeliam facit gratiæ, doctrinæ, & honori Christi. Exc. 1. ad cap. 15. lib. 1.

THEMA alterum. *Cælum & terra transibunt.* Ib.

Rerum omnium vanitas spectatur in morte Universi. Hanc materiam commodè tractabis, quando Dominicâ superiore vanitatem rerum ostenderis in morte singulorum. Vide Exc. ad cap. 10. lib. 1. à num 13. usque ad finem. Poteris huc etiam referre mortes urbium, & per illarum comparationem exaggerare mortem Universi, ibid. à num. 6 ad 13.

THEMA tertium. *Væ prægnantibus, & nutrientibus, in illis diebus.* Ibid.

Id est, væ, pœnitentiam & bona opera differentibus ad extremum. *Erit enim tunc tribulatio, qualis non fuit*: turbante conscientiâ, vexante futurorum horrore. *Surgent Pseudochristi* diaboli, falsis ratiocinationibus conantes, *ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Sancti tentati in morte, quid impii? Tunc *Sol obscurabitur*, Christi misericordia: *Luna non dabit lumen suum*, Virgo desinet patrocinari pereunti: *stellæ cadent de cælo*, Angeli deserent Babylonem, quæ noluit curari: *parebit signum Filii hominis*, Christi sanguis damnabit illum, qui ad salutem uti noluit. De pœnitentia sera vide l. 2. c. 9 ver. 11. & 12. quæst. 2. & 3.

INDEX CONCIONATORIUS IN FESTA ANNI TOTIUS.

DIE S. ANDREÆ.

THEMA. *Venite post me.* Matth. 4.

Vide Ind. 1. Conc. ad Adv. lib. 1.

THEMA alterum. *Ambulans IESVS juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, mittentes rete in mare.* Ibid.

Indice 2 Adv. lib. 1.

THEMA tertium. *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Psal. 26.

Andreæ nomen à virili animi nobilitate deduci quidam existimavêre: in his Chrysostomus apud Salmeronem tom. 4. part. 2. tract. 13. Nec verò tunc novum fuit Judæis habere Græca nomina, ut patet ex historia Machabæorum, & ex Evangeliis; ubi Philippus Apostolus, & Nicodemus Christi auditor, appellationes habent Græcæ originis.

Nomen illud Apostolo valdè congruum est. Virile robur ostendit primùm in sequendo Joanne Baptista, austeritatis insignis magistro. Eadem virilitate opus fuit, quando à Christo vocatus, ut fieret piscator hominum, sine caussatione incapacitatis, secutus est vocantem. Crevit robur animi, quando *relictis retibus* affectus naturalis ad patriam, parentes, commoda, secutus est Spiritum sanctum, vocantem ad exteras nationes fidei luce illustrandas. Consummata fuit fortitudo in amanda, amplectenda, patienda cruce. Viriliter egit, quia confortatum est cor eius, exemplo Christi; quia sustinuit Dominum, & patientiæ materiam, non velut ab hominibus, sed velut à Domino oblatam, suscepit.

Et tu, Christiane, *viriliter age.* In hoc libro mulierem spectavimus cap. 7 quæ *fæminea cogitatione masculinum animum inseruit*: quanto viriliores esse oportet Christianas mentes, quamvis fæminarum & puellularum, in Ecclesia, quæ Apoc. cap. 12. in ipsa perfectionis instantia *peperit filium masculum!* Ad-hoc, *confortetur cor* tuum visu Christi, vocatione, exemplo: ut relinquas retia mollium consuetudinum. Et *sustine Dominum*, à Domino excipe, quidquid agendum & patiendum est; certus futurum, ut non tenteris supra id quod poteris. Juvabit ad excitandas animi vires memoria crucis D. Andreæ. Ejus imagine in cælo conspecta, Rex Pictorum insignem de hostibus victoriam obtinuit: inde Scotis sumpta est pro insigni, ut ait Gretserus lib. de Cruce.

DIE S. FRANCISCI XAV.

THEMA. *Vox clamantis in deserto.* Joan. 1.

Exc. ad cap. 5 lib 2. sect. 16.

THEMA alterum. *Servus IESV Christi, vocatus Apostolus.* Rom. 1.

Breve Herois encomium pluris est, quàm longi panegyrici. Philo quantumvis de Josepho facundè scripserit, laudem tamen istius tituli non æquavit, *Salvator Ægypti. Psontomphanech Revelator arcanorum.* Quod Ambrosius de Davide, Chrysostomus de Paulo dixêre, ad istos titulos non accedit: *Vir secundùm cor Dei, Vas electionis, Doctor gentium.* De Xaverio quidquid eloquamur, non attinget hujus encomii præstantiam. *Apostolus Indiarum, Vocatus Apostolus*, ad Apostolatum à Deo vocatus, & Apostoli nomine honoratus.

In Apostolis tria possunt considerari: primùm potestas jurisdictionis, quam cum Ordine Episcopali à Christo accepêre: deinde, gloriæ gradus in cælo: denique, virtutes & opera Apostolica. Quoad primum, cùm Apostolorum singulorum jurisdictio, Patriarchali amplior, orbem universum complexa sit, etsi dependentes à D. Petro, ut benè docet Valentia: constat Xaverium nostrum eâ parte Apostolum dici non posse, etsi Nuntius Apostolicus fuerit, sine Ordine Episcopali. Quoad alterum, D Thomas 1. 2 q. 106. art 4. in corpore existimat, cum Glossa cap 8. ad Rom. Sanctorum Christianorum neminem gloriâ parem Apostolis in cælo esse, quam opinionem forsan aliqui non sequuntur, sed de meritis Sanctorum Deus judex esto. Quoad tertium, res ex Xaverii gestis aperta est: atque adeo, licèt ante ipsum D. Thomas, aliique deinceps sancti & illustres viri, ad ætatem usque Xaverii, Indias Christianâ prædicatione illustrarint, obtinuit tamen ipse titulum Apostoli Indiarum, non apud vulgus solum, sed apud primores, ipsumque adeo Urbanum VIII. Pontificem in Brevi de ipsius canonizatione, quod Breve Gregorius XV. morte præventus non dederat. Martyrologium itidem Romanum Apostoli appellatione utitur: &

sanctus

sanctus ipse Xaverius Marcello Mastrillo ad an. 1634. concipiendi voti verba præiens, dixit, *Indiarum Apostolus Franciscus Xaverius.*

Meritò Apostolus, qui virtutes omnes Apostolicas, miris sanctisque operibus, post tot sæcula redivivas, velut renascente Ecclesiâ exhibuit. Miramur in Petro fidem, in Joanne castitatem, in Andrea amorem crucis, in Bartholomæo orationem, in Paullo zelum, in aliis alia. Non vides Xaverii fidem in miraculis innumeris: castitatem in corpore incorrupto: crucis amorem in perpetua corporis afflictatione: orationem, in somnis ipsis quamvis brevissimis, per pias ad JESUM adspirationes erumpentem? Sed zelus, qui propriè virtus Apostolorum est, inter virtutes cæteras eminuit, eumque *ἰσαπόστολον*, quemadmodum olim S. Abercius Hierapolitanus Præsul appellatus est, fecit. Diceres animam & vitam Xaverio aliam non esse, quàm zelum, cogitatus ipsius omnes ac motus vegetantem, puritate intentionis perfectâ, latitudine cordis immensâ, animi magnitudine invictâ.

Probationi sufficit unicum istud nomen, *Indiarum*. Ad Indias navigavere servi Salomonis, 3 Reg. 10. & 2. Par. 9. ut inde deferrent aurum, argentum, ligna thyina, ebur, simias, pavos. Hodie à negotiatoribus inde peregrinæ divitiæ revehuntur. Gamæ, Almeidæ, Albuquerei illic nominis claritatem, in expeditionum & victoriarum gloria, quæsiêre. Xaverius Christi negotiator, & miles, non alia ibi regna & opes quæsivit, quàm Christus ipse, qui *venit quærere & salvum facere quod perierat*. Vides Christum divites non aspernantem, cum pauperibus versantem: castos amantem, Samaritanas non dedignantem? Seposito externo omni apparatu, solum animarum pretium spectat: ideoque perinde ipsi est, quibus natalibus, quâ pompâ, quo neglectu, quâ obscuritate sint homines, quos ad se adducit. Vides Xaverium in navigiis, in nosocomiis, in templis, in agris, in solitudinibus, æquè ad herorum & mancipiorum, ad matronarum & prostibulorum auxilia sese impendentem? Quid in illis intuetur? Quod Christus, pretium animarum. *Vilis esse desiisti, postquam hoc sanguine redemptus es*, aiebat Paullinus. Viles nullæ erant animæ Xaverio, quia in illis sanguinem Christi intuebatur, & animitus isthæc inter orandum repetebat, *Ecce, in opprobrium nominis tui, in ipsis animabus infernus impletur.* At quibus animabus? Gregariorum, mendicabulorum, mancipiorum, toto orbe remotorum, ignotorum, ingratorum. Constantinos, Paullas, Marcellas, Eustochia, Paullinos, Therasias, Severos ad salutem & virtutem excolere, Silvestris, Hieronymis, Martinis honorificum est, suave est. At quis, in illa *Indiarum* colluvie, honor, quæ voluptas, nisi ex pura caritate? *Amplum*, inquit Bernardus serm. 27. in Cant. *gerit caritatis sinum, quæ complectitur universos, etiam quibus nullâ se novit carnis necessitudine innexam, nullâ spe percipiendi cujusquam incommodi illectam, nullâ prorsus redhibitione obnoxiam, nullo denique omnino adstrictam debito, nisi illo sanè de quo dicitur, Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.*

Pura caritas, eadem erit ad quosvis expansa, & dabit *latitudinem cordis sicut arenam, quæ est in littore maris.* Sic fuit zelus Xaverii, ad omnem nationem, conditionem omnem, omnem ætatem, locum, tempus, officium protensus. Percurramus tantum animo, quid *Indiarum* vastitas vastæ ipsius caritati faciendum obtulerit: quantum baptismorum, confessionum, catechismorum, concionum: quantas Infidelium turmas, quam Fidelium multitudinem Infidelibus non multò meliorum? Bozius lib. 11. de signis Ecclesiæ generatim pronuntiavit: *Nemo Christianorum tot tractus maris ac terra peragravit, pro Christi religione disseminanda, quot Xaverius:* Apostolicorum hominum nullo, imò nullo Apostolorum excepto. Sed comparatione istâ omissâ, in tantis itineribus, quanta occasionum ad animas juvandas Xaverio sese varietas ingessit, avidè illas non accipienti modò, sed quærenti? Chrysostomus lib. 2. de Comp. Paullum Apostolum comparat flammæ exiguæ de terra erumpenti, tantumque inter auras accipienti incrementum, ut repentino incendio Universum compleat ad cælos usque. Tale fuit incendium Xaverianæ caritatis, in Europa natum, novos orbes amplexum, Universoque suffecturum, si vita suffecisset.

Nihil enim, nisi mors, obsistere potuit ignibus ardentis ac generosi zeli: qui, in suavitatum gustu, dicebat, a *Satis est*, in asperorum incursibus clamabat, *Amplius, Domine, amplius.* Audis Paullum de se dicentem 2 Cor. 11. quæ de Xaverio prædixisse videri possit: *In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. In labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate.* Nihil non istorum Xaverius tulit, & superavit, *propter eum, qui dilexit nos*, & diligit animas. Vide illum ad Mauricos barbaros navigantem, specta abituriéntem ad Sinas, frustra dissuadentibus & occlamantibus amicis, nihilque aliud opponentem, quàm Paullinum istud Act. 21. *Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed & mori paratus sum, propter nomen Domini JESU.* Specta in deserta insula super vile stramen, sub tuguriolis tecto, in procinctu Sinensis itineris, immorientem conatui juvandarum animarum, & cælo renascentem, quomodo Christus animarum amator terris natus est.

O cor cælo sublimius, orbe latius, igne ferventius, adamante solidius! Sic de sancto Paullo suo exclamat Chrysostomus: sic nos Xaverium nostrum appellemus, addamusque cum Siracide Eccl. 48. post zelum Eliæ collaudatum. *Beati, qui te viderunt, & amicitiâ tuâ decorati sunt: nam nos vitâ vivimus tantum.* Laudamus Xaverium, quòd viveret vitâ zeli, id est vita Dei; quòd sine spe mercedis, quasvis aliorum animas per innumera pericula quæreret. Quid nos pro nostris ipsorum animabus agimus? An vita tantùm animali vivimus, ut papiliones? An vitam spiritualem ducimus? An ejusdem vitæ aliis quidpiam inspiramus?

THEMA tertium. *Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus.* Eccl. 44.

Quod olim à pictore factum, ut, vultum elegantem pingere cogitans, de vultibus quarumvis, aut quintis, quod eximium erat, in unum conferret: id hodie faciemus Francisco Xaverio. De Franciscis tribus, qui illum præcessêre, Assisinate, Senensi, Paullano lineamenta præcipua, ad illius virtutem effigiandam, transferemus: nonnulla etiam mutuabimur à virilis animi fœmina S. Francisca Romana.

Affirmant Græcorum Menæa, Constantinopoli aliquando ex piis, sed imprudentibus, erga Sanctos Doctores Joannem Chrysostomum, Basilium, Gregorium Nanz. affectibus, natas periculosas factiones Joannitarum, Basilianorum, Gregorianorum, aliam aliis præferentium. Sanctos Heroes, quibus nec dissensio, nec causa placebat, noctu sese videndos obtulisse Joanni Abbati Euchaitarum, Chrysostomum staturâ parvâ, mediocri Gregorium, Basilium proceriâ: simulque monuisse, ut verbis ipsorum populo Constantinopolitano ediceret, ab inanibus istis & Deo ingratis disceptationibus desisterent. Ex illo, trium istorum Sanctorum uno die festum Constantinopoli celebratum.

Nobis hodie non trium modò, sed quinque Sanctorum commemoratio fiet, citra omnem tamen æquiparationis aut prælationis invidiam: ne libellus familiaris nobis in aurem insusurret, *Multi quærunt, quis major sit in regno Dei, qui ignorant, an cum minimis erunt digni computari:* aut Siracides nobis post thematis nostri verba subjungat, *Sunt quorum non est memoria, perierunt quasi non fuerint, & nati sunt, quasi non nati.*

Tempore primum & ordine statuemus Franciscum Assisinatem, Seraphicum meritò dictum, meritò ab aliis Christi imaginem: nam *Christum totum in Francisco videres.* Quippe virtutes Christo carissimas, nativitatis ac mortis socias, paupertatem & humilitatem, ita coluit, ut proprias, *Franciscus pauper & humilis.* Nonne Christum itidem totum in Francisco Xaverio videres! Nonne pauper etiam ipse, & humilis, in nosocomiis, in sentinis, cum puerulis balbutiens, tunicâ lacerâ fermentus, nobilis ille excelsi animi, ille doctus & facundus vividi ingenii, ille Nuntius Apostolicus? Quid quòd oblitus virtutum suarum, sese sociorum infimis postponeret, orationes eorum ambiret, indignum se tam sancto consortio judicaret?

Francisci alterius, Servitarum fundatoris, virtutes præcipuæ fuêre amor in Virginem, & castitas illibata. Mater, ipso gravida, visa sibi fuit lilium parere, unde lilia alia nascerentur, è quibus Virgini corona texeretur. Corona Virgini Franciscus Xaverius fuit, Virgo corona Francisco, invocata in periculis, inter insultus dæmonum: Virgo amans virginis, cujus castitatem sanguis de naribus dormientis erumpens, odor è mortui incorrupto cadavere spirans, cruor profluens, testatus est.

Oleum virgineæ lampadis pietas est, Franciscæ Romanæ virtus singularis, cui perpetua conversatio cum Angelis, & in cælis. Francisci Xaverii orationes, sacra, exstases, suavissimas inter Mauricarum insularum horrorem Paradisi delitias, exhibet narratio vitæ, & ipsiusmet epistolæ.

Franciscus Paullanus, illustris thaumaturgus, eâ bonitate fuit, ut Bonorum hominum nomen ad posteros suos transmiserit in Galliis: caritatis, unde vera hominis bonitas est, cultor eximius. Caritas Xaverium, ex quo ab

Ignatio adscitus fuit, totum sibi vendicavit. Miracula ipsum thaumaturgi titulo præcipuo donaverant: sed miraculorum omnium maximum fuit indefessa laboribus, insuperabilis difficultatibus, malis invicta caritas. Apprimè ipsi congruit istud Gregorii 31. Mor cap 28. *Quàm forte huic viro inest infirmitas, quàm victrix pœna, quàm dominatrix patientia! Ad prædicandum plaga erigitur, ad propellendam laboris lassitudinem pœnâ refovetur. Quæ hunc adversitas frangat, quem pœna fovent?* Quæ nos adversitas frangat, qui labores terreant, si caritas animet?

DIE S. NICOLAI.

ABolitum est hoc festum ab Urbano VIII. in egenæ plebis gratiam, uti & festum Conceptæ Virginis: quia tamen iis diebus conciones passim haberi solent, nolui committere, quin argumenta propria suggererem.

THEMA. *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Matth. 25.

Indice 1 Conc in Adv lib. 1.

THEMA alterum *Homo quidam, peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua.* Ibid.

Indice 2. in Adv. lib. priore.

THEMA tertium. *Domine, duo talenta tradidisti mihi* Ibid.

Talentorum duorum nomine intellectum, & operationem, D. Gregorius intelligit: nos non incommodè in D. Nicolao intelligamus gratiam miraculorum, & gratiam sanctimoniæ. A Deo enim utraque est. Eadem duo talenta Xaverio dedit Deus. Uterque multiplicata Deo reddidit. Comparabimus illos inter se: honor erit utrique; vocum duarum instar edent gratam symphoniam; duorum instar speculorum sese mutuo accendent.

Dicimus hodie in Sacro semel, in Officio quater aut quinquies de S. Nicolao, *Non est inventus similis illi*, &c. Idem de singulis Confessoribus Pontificibus. Quo ergo pacto similis Nicolao Xaverius, si inventus nemo est illi similis? Quæstionem hanc solvet intelligentia loci, unde sententia desumitur Eccl. 44 de Abrahamo Siracides pronuntiat, *Non est inventus similis illi in gloria, qui conservavit legem Excelsi:* eadem formâ loquitur liber 4. Reg. cap. 18. de Ezechia, *Post eum non fuit ei similis, de cunctis Regibus Iuda, sed neque de iis, qui ante eum fuerunt.* Quid ais sacer scriptor! Non fuit similis Abrahamo Noe, Daniel, Job, Moyses, Elias: Ezechiæ David, Asa, Josias? Respondet: Abrahamum & Ezechiam præponi cæteris, non absolutè, sed in aliquo eminenti; illum in studio obediendi, hunc in cura superstitionum abolendarum. Deinde, nullum Sanctorum ita perfectè similem fuisse Abrahamo & Ezechiæ, ut non aliqua dissimilitudo appareret, sicut in vultibus humanis, etsi planè similes dicantur, sitque interdum *gratus parentibus error:* curiosè tamen adspicientibus lineamenta diversa apparent.

Sic de D Nicolao dicemus. Nemo illi perfectè similis est, ne Xaverius quidem, præteritis etiam infantiæ miraculis, & gradu dignitatis. Adeo tamen multa in lege Excelsi servanda, & virtutibus exercendis consimilia sunt, ut gemellos dixeris. Compara utriusque virginitatem, austeritatem, mansuetudinem, zelum animarum, fiduciam in Deum, laborum patientiam. Præcipua similitudo est in fide, & caritate: per fidem admiranda in utroque videbimus: per caritatem, imitanda.

Fides operatrix miraculorum in D. Nicolao adeò prodigiosa fuit, ut Ecclesia de illo pronuntiet, *innumeris decoratum miraculis*, omnium generum. Maximè celebria sunt, quæ in mari patravit. Hierosolymitanâ navigatione periclitantur nautæ: commendant se adhuc superstiti. Tres putantur fuisse, ideoque appingi in cuppa, velut in scapha. Quamquam alii putant exhiberi tres puellas naufragio castitatis ereptas, aut tribunos tres periculo mortis, vel tres cives Myrenses insontes damnatos. Sed verior est explicatio prima. Exodi 7 dicebat Mosi Deus, *Ecce constitui te Deum Pharaonis* Videatur Deus simili formulâ dixisse Nicolao, Ecce constitui te Deum, id est Dei vicarium, in mari.

Iisdem videatur dixisse Xaverio. Vide in vita ejus, quid in itinere Iaponico per tempestates acciderit, quid navi Pereiræ, quid navi alteri in portu, quid navi quæ corpus ejus revehebat. Iam passim in Oceano invocatur, velut alter Nicolaus.

Fidei jungenda est caritas, eleemosyna miraculis: aliqui nihil sunt. A Græcis dictus est Nicolaus ἐλεήμων: meritò, ob incensam in pauperes caritatem. Trium puellarum subsidium celebre est: celebre item, quod in fame publica fecit, quod alias. Gemina habes in Xaverio ἐλεημοσύνῃ. Quidam sacerdos tres habebat sorores nubiles: scribit Simoni Roderico in Lusitaniam, ut à Rege obtineat eum sacerdotem in numerum sacellanorum Regiorum adlegi, eo facto sororibus maritos non defore: factum. En ipse numerus. Miseræ prostitutæ à Petro Velho impetrat liberalem stipem. Goæ &c. stipem corradit pro egenis Catholicis, fame publicâ laborantibus post hostilem depredationem. Quid gemelli isti Nicolai & Xaverii caritate similius? *Isti sunt duo filii olei*, Zach 4. *Isti sunt viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt.* Eccl 44.

Talenta duo dicebamus data Nicolao & Francisco: & nobis duo in ipsis dantur: exemplum primò, tum subsidium. Exemplum misericordiæ ergà pauperes pro locupletibus. nam *si fidem habuero, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Vis motiva? Sume quod Nicolaus, Deum testem, & approbatorem, *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Sume, quod Xaverius Petro Velho proposuit, centuplum à Christo promissum, sibi factum reputante, quod egeno fit: *Terræ committis, & tanto amplius colligis: Christo committis, & perdis?* Inquit August conc. 3. in ps 36 Et conc. 1 in ps. 48. *Ponunt pueri in thesaurario, & securi sunt: ponis in manibus Christi, & times?*

Alterum talentum, quod etiam pauperibus conveniet, subsidii spes est, à potentium patronorum caritate. S Nicolaum jam olim in Liturgia sua Joannes Chrysostomus invocabat: *Ad honorem*, inquit, *B. Mariæ, S. Joannis Bapt. Sanctorum Apostolorum, & B. Nicolai, cujus memoriam celebramus* Ejusdem Sancti titulo Justinianus magnificentissimum templum extruxit. S Xaverium hodie non Asia modo universa invocat, sed Europa. Istos filios Dei, *qui assistunt Dominatori universæ terræ*, imploremus in tempestatibus publicis, & privatis; dicamusque quovis tempore, quod Nicolaus protulit, Xaverius cogitavit in morte, *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum*

DIE CONCEPTIONIS B. V.

THEMA. *Fundamenta ejus in montibus sanctis* Psal 86

Indice 1. ad Adv. lib. 1.

THEMA alterum. *Age conceptiones tuas.* Eccl. 32.

Lib 2 Exc. ad cap 7. sect. 4.

THEMA tertium. *Speculum sine macula.* Sap. 4.

Ambrosius lib. 2. de virg non ignarus ingenii mulieribus, specula libenter contuientis, offert virginibus, & ipsi sorori suæ Marcellinæ, vitam Virginis *velut in imagine descriptam*: quia in illa, *velut in speculo*, refulget non tantum *species castitatis*, sed *forma virtutis* omnigenæ. Omnibus ego Christianis, non vitam, sed vitæ Marianæ, initium, Conceptionem admirandam propono, ut eam intueantur, nec sint tamen illis similes, qui considerant *vultum nativitatis suæ in speculo*, & abeunt, & statim obliviscuntur quales fuerint.

Speculi partes ternæ sunt, crystallus, plumbum, incastratura elegans. Crystallus ex cineribus fit & igne, puritatemque significat. Corpus Virginis, ut cætera, ex pulvere: anima, ut reliquæ, ex nihilo, quod pulvere minus est. Ex eo pulvere, & nihilo, igitur amoris divini clarissimum intellectum, lucidissimam voluntatem fecit, primo ipso instanti ardentem & lucentem caritate. Quis inter hæc maculæ locus? Afflatu maculatur speculum: sed hoc flatus serpentis pertingere non potuit, prohibente accessum caritate.

Plumbum, à tergo objectum, opacat pellucidam crystallum, & repercutit imaginem, quæ alioqui evanesceret. Humilitas claritatem, & puritatem, Virginis opacavit: ne impressa ipsi per originalem gratiam imago divinitatis vanesceret, sicut in angelis malis. Quantum primo instanti Conceptionis Virgo amavit Deum, tantum sese infra Deum abjecit: istud exercens, quod postmodum erat lectura. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.*

Si gratia tam singularis Virginem non extulit, multò minus alia adjectitia ornamenta scientiarum naturalium infusarum, potentiarum perfectissimarum, corporis, jam tunc optimè dispositi, sensuum vivacissimorum: quomodo illam decebat, quæ pictura erat speciosam formâ præ filiis hominum. Sed istæ sunt incastraturæ speculi, quales etiam speculis non optimis contigere, ut Salomoni. Isthæc omnia nihili Virgo fecit, præ puritate ab omni maculâ. Imò ausim dicere, puritatem ab originali cariorem, & optabiliorem futuram illi fuisse, Maternitate Dei.

Speculum itaque solum intueamur, & in eo tres videamus imagines. Aiunt, specula quædam sic fieri, ut eamdem semper imaginem exhibeant. In speculo Virginis tres exhibentur: ipsius Virginis vultus: Christi vultus, cujus Virgo fuit imago: noster vultus, ut ad illorum conspectum & oppositum, emundetur, ac componatur.

DIE S. THOMÆ.

THEMA. *Thomas unus de duodecim, qui dicitur Didymus* Joan 20.

Indice 1. ad Adv. lib. 1.

THEMA alterum. *Dominus meus, & Deus meus.* Ib. Indice altero Concion. ad Adv lib 1.

THEMA tertium. *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Ib.

Proponit nobis Ecclesia D. Thomam pro fidei exemplari, cùm petit à Deo, ut *fidem ejus congruâ devotione sectemur.* Fidémne hominis de infidelitate damnati? Imò fidem Apostoli ab infidelitate liberati.

Cùm documenta fidei caperet visúq; manúq;
Rimans clavorum vestigia, vulnus & hasta,

ut ait Carm de Prov. Prosper Qui peste laboravêre, contra pestem securi putantur. Juncturæ ossium fractorum firmiores sunt, quàm ante fracturam fuerant Ex morbis multi surrexêre valentiores. Ita fides Thomæ ex infidelitate firmior evasit, & efficacior.

Eas fidei qualitates explicamus Excursu ad cap 11. lib 1. sect 4. Unde huc traducere licebit quædam generatim dicenda, ut ab illis ad firmitatem & efficaciam fidei D. Thomæ transeatur, in gestis ipsius facilè inveniendam. Congessit Stapletonus in libello de tribus Thomis, quidquid apud alios de ipso sparsum est.

Passus est D. Thomas Meliaporæ metropoli Narsingani regni *Calur mina*, id est petram super; cui petræ imago crucis, ex sanguine D. Thom, inhæsit. Circùm lapidem habetur hæc inscriptio charactere mystico Brachmanum, hoc sensu, explicato per Brachmanem, ut refert P. Lucena in Vita S Xaverii, apud Kirkerum Prodromi Coptici cap. 4. *Anno 30. die 21. Dec. post leges Christiana factam toto orbe promulgationem, S. Apostolus Thomas Meliapora mortuus est · unde venit cognitionem Dei, mutationem legis, & destructionem dæmonis. Natus est Deus ex Virgine MARIA, & sub ejus obedientia 30 annis morabatur, & erat Deus sine fine. Hic Deus suam legem duodecim Apostolos docebat, è quorum numero unus advenit Meliaporam: manu tenens normam fabri, & palum* (ingentem trabem, quam, pluribus elephantis immotam, dicitur D. Thomas cingulo traxisse) *Rex Meliapora, & Coromandelis, & Pandorum, & aliis diversarum nationum, & sectarum, promptá omnes voluntate sese legi D. Thomæ arctatam submittere constituerunt. Venit tempus, quo D. Thomas occumberet Brachmani cujusdam manu; & de proprio ejus sanguine hæc crux expressa fuit.* Effigiatus est super illam pavo, insigne Narsingani Regis, extremam illam rostro tangens.

Nierembergius lib 3. Hist. Natur. cap 2. narrat, psittacum liberum qui didicerat istas voces, *Sancte Thoma ora pro nobis*, ab accipitre captum, voces suas pronuntiâsse, accipitrem attonitum concidisse mortuum. Potuit hoc naturaliter fieri. Si accipiter aërearum Potestatum te invadat tentationibus fidei, invoca S. Thomam.

P Marcello Mastrillo 8. Decembris 1635 Goam ingresso, decimo post die marmor D. Thomæ Meliaporanum, sudoris sanguinei ab imo ad summum (quod semper faustissimi ominis fuit) tantam vim stillatim fudit per 24. horas, ut multa lintea respersa sint. Desierat id prodigium pluribus antè annis, ex quo Hollandi venerant in Indias, odio infidelitatis. Vide Alleg in Biblioth.

DIE NATALI CHRISTI.

Vide in ordine Dominicarum.

DIE S. STEPHANI.

THEMA. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

Indice primo Concion. in Adv. lib. 1.

THEMA alterum. *Elegerunt Stephanum, virum plenum fide.* Act 6.

Indice altero Conc. ad Adv. lib. 1.

THEMA tertium. *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei* Act 7

Magna Stephano laus est, à Patribus omnibus prædicatum fuisse, in his ab Augustino. Major, quòd ab Ecclesia sancti fiat, ut statim post Christi Natalem memoretur, velut de Sanctis maximis unus: & in Canone Missæ post consecrationem nominetur ante Matthiam & Barnabam Maximus, quòd à Spiritu sancto per S. Lucam nominetur primus Diaconorum, velut primus Ecclesiæ Archidiaconus: appelletur Græcè Protomartyr, ut videatur de fide ipsum esse Protomartyrem Ecclesiæ: quòd adeo particulatim describatur ejus omne martyrium &c. Hæreamus in visione

Christianæ religioni maximè affinis philosophus Plato aiebat, sub mortem clarius veritatem videri ab hominibus, quia mens tunc à materia sese incipit sejungere. Meliùs Gregorius lib. 4. dial. cap. 41. ait Sanctos sub mortem clarius videre cælestia, quia ad diem æternitatis accedunt, & sunt velut in crepusculo.

Stephanus sub mortem cernit visum mirabile: *Intendens in cælum vidit gloriam Dei:* an Trinitatem, an lumen gloriæ, an symbolum, an extaticam contemplationem, an claritatem corporalem? Alii aliter censent: nos ex ipsiusmet verbis conemur intelligere.

Ecce video Tria sunt visiones in Scripturis, per sensum, per imaginationem, per intellectum scientiâ infusâ. Aut meliùs, duo sunt genera visionum, naturalium, & supernaturalium: naturales sunt visio corporea, imaginativa, intellectualis per opinionem, per scientiam: supernaturales sunt miraculosa corporea, miraculosa imaginaria, intellectualis per fidem, lumen infusum, lumen gloriæ. Quod istorum genus hic?

Video, inquit, *cælos apertos;* quomodò apertos? *Filium hominis*, cur non appellat Filium Dei? *stantem*, cur non sedentem? Stabat ut sacerdos, ut advocatus, ut spectator, ut adjutor, ut agonotheta. Ambrosius ep. 25 ad Eccl. Vercell. *Stabat IESVS quasi advocatus: stabat quasi sollicitus, ut Stephanum athletam suum certantem juvaret: stabat quasi paratus, ut coronaret suum Martyrem Stet igitur & vobis, ut non timeatis sedentem: sedens enim judicat.* Abundè materiæ reperies, si usquam, apud Cornelium nostrum in Acta.

Retineamus nobis istæc verba, Christiani. *Ecce video*, quocumque loco sim, *cælos apertos.* Mater septem Martyrum 2 Mach 7 volebat adspicere cælum à filio: quantò meliùs à nobis, posquam à Christo apertum est? Video mercedem paratam, video Filium hominis stantem, spectantem, juvantem: qui heri jacebat in fæno, in cælis est à dextris Dei, & a dextris nostris ne commoveamur O lumen in tenebris ortum, ò Fili hominis & Dei, oculos meos eleva, mentem robora, coronam præpara.

Si de Evangelio dicere malueris, sume thema *Ecce ego mitto ad vos prophetas & sapientes*, Matth. 23.

Id Evangelium Stephano applicari arbitror · primùm, quia dicitur, *mitto sapientes*, Stephanus autem fuit *plenus sapientiâ:* deinde, quia dicitur, *lapidatis eos*, ut videatur Christus necem Stephani prædixisse, decem circiter mensibus ante ipsius mortem: denique, quia dicitur, *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, venit autem Christus ad Stephani auxilium, ut supra dictum est. Insignem de gallinæ, præ avibus cæteris, *erga pullos affectu sententiam, ut etiamsi filios non videas, matrem tamen intelligas*, vide apud Aug. tract. 15. in Joan.

DIE S. JOANNIS EVANG.

THEMA. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc 2.

Bona voluntas divina erga S. Joannem, D. Joannis erga Deum, proponitur lib 1. Indice 2. Conc. in Adv. *Specialis prærogativa castitatis* in Joanne benè expendenda est: quomodò omni custodiâ custodiverit cor suum, & oculos: mirabiliorem fuisse in D. Joanne abstinentiam à suo intuitu Virginis, quàm aliorum Sanctorum custodiam à curiosis aspectibus. Vide infrà quædam huc apta, die B Aloysii themate primo, ubi agimus de severâ ipsius custodiâ oculorum. Consule item Cornelium proœmio ad epistolas Joannis, suggerentem pro ejus laudibus materiæ affatim.

Adverte, istæc verba, *Iste est Ioannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit, cui Matrem virginem virgini commendavit;* non esse Augustini, sed alterius, qui affixit præfationem Tractatibus in Joannem.

Historiam adolescentis sicarii tum apud alios invenies, tum apud Baronium an. 98 num 18 & fusè apud Petrum Halloix nostrum, tomo 1. Vitarum Patrum Orientalium, in vita S. Polycarpi auctores sunt antiquissimi, Clemens Alexandrinus, Irenæus, Chrysostomus, &c.

O mulieres dilecte Deo, & Christo & verè digne dilectione, sic

sic te Dionysius dicitur epistolâ compellâsse; impetris cognomini tuo dilectionem sinceram Dei, efficacem proximi.

THEMA alterum. *Discipulus, quem diligebat IESVS.* Joan. 21

Indice altero Conc. in Adv. lib 1.

THEMA tertium. *Exiit sermo inter fratres, quia discipulus ille non moritur.* Ibidem.

Evangelio recitato, quære, cur festo ipsius id potissimùm legatur? Primùm, ob præclara documenta: deinde, ob laudes Joannis, *quem diligebat IESVS, qui recubuit in cœna super pectus ejus, scimus quia verum est testimonium ejus, exiit sermo quia non moritur.* Quartum hunc titulum, etsi ad laudem non videtur pertinere, laudis tamen plenum esse videbimus.

Duos homines reperio adeò caros subditis, ut de illis dictum sit, vel numquam nasci, vel numquam mori debuisse: Imperatorem unum, Pontificem alterum Innocentium IV. De aliis idem dici potuit; quia non soli isti proba fuerunt, & cari. Sed de nemine hominum invenio dictum, *Non moritur.* De Henocho dicitur, *Non apparuit.* De Elia 4 Reg. 2. *Ascendit per turbinem in cælum.* De neutro quisquam dixit, *Non moritur.* Solius Ioannis hæc est prærogativa: quam videbimus, an de morte corporali sit intelligenda, inde transituri ad mortem spiritualem.

Mira est sententiarum de corporali Ioannis morte varietas. Aiunt mortuum hi, illi negant. Aientium hi dicunt, statim suscitatum: isti, simpliciter mortuum sine dolore, suscitationis mentione nullâ: illi, à Judæis occisum. Negantium, quidam dicunt sopitum, sed ridiculum est: alii cum Enocho & Elia esse, usque ad alterum Domini adventum.

Probatur hæc sententia primùm, verbis hujus Evangelii benè perpensis: & Matth. 16 ubi dicit Christus, *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec* &c. & ex Apocal. cap. 10. *Oportet te iterum prophetare.* Deinde, auctoritate SS Prochori, Hippolyti, Nonni, Chrysostomi, Hilarii, Ambrosii, Gregorii Tur. Antonini. Doctorum Francisci Maironis, Catharini, Salmeronis to 11. tract. 32. Denique, congruentiis, quod alioqui non exiisset *sermo inter fratres*; quod de morte tam inconstantes sint opiniones: quòd deceat è tribus Legibus esse præcursores alterius Adventûs Christi: quòd, uti Joannes Baptista fuit præcursor prioris Adventûs, ita Evangelista secundi; ut duo Joannes, tot aliis rebus consimiles, sint etiam pares officio Præcursoris. Hæ tantum sunt congruentiæ: argumenta seria repetamus è Scriptura.

Contrà objicitur auctoritas Tertulliani, Origenis, Papiæ, ipsius Hippolyti &c. Illis opponuntur alii: &, quod longè majus est, opponitur Scriptura, cui soli debemus *ingenuam servitutem*, ut ait Aug. Deinde, inquiunt, ex Hebr. 9. *Statutum est hominibus semel mori.* Respondetur, mutationem corporis pro morte reputatum iri, in iis qui adhuc vivi rapientur obviàm Christo in aera: Hieronymus, epist. ad Minerium, multos recenset, qui aiunt non omnes morituros. Augustinus explicans istud symboli *vivos & mortuos* lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 31. idem censet, nec retractat, sed in dubio relinquit lib. 2. Retract. c. 33. etsi Cornelius & Tirinus dicant retractâsse. S. Thomas 1. 2. q. 81. art. 3. ad 1. solummodo dicit *probabilius, & convenientius, quòd omnes qui reperientur in adventu Domini, morientur*: si mistes, omnes morituros tunc, dicam & Joannem moriturum martyrio ut Enochum & Eliam, quia Christus non dixit absolutè, *Sic eum volo manere*, sed, *donec veniam.* Denique objiciunt, fieri de D. Joanne officium Ecclesiasticum. Respondetur, etiam de Elia fieri à Carmelitis: quia saltem est impeccabilis, & securus de beatitudine.

Eligite utram vultis partem: nam non decido; maloque istud affirmare, *Discipulus ille non moritur* morte spirituali. Fuit præfervidus petendo fulmina, aliquid ambitionis habuit, contendit de primatu, fugit in horto: errata ista sunt, at non peccata mortalia. Da mihi, si potes, illic materiam peccati mortalis. interim dum quæris, do tibi argumentum positivum, quo probem, Joannem Evangelistam numquam peccâsse mortaliter, servâsse semper gratiam in circumcisione acceptam, auctam in baptismo. Vocatur *discipulus ille*, per antonomasiam: quomodò excellenter discipulus Dei & Christi, si primam illam Fidelis lectionem, *Declina à malo*, non didicerat, neque observaverat? Discipuli est amare præceptorem, esse illi morigerum, esse attentum: quo pacto amavit, obedivit, attendit Deo, & Christo ejus, si peccavit graviter? Multis Sanctis, etiam inter aulicas delitias Elzeario & Ludovicis, datum est non peccare mortaliter, & hodie sunt qui non curvaverunt genua ante Baal: non datum sit Joanni?

Joanni Chrysostomo *Una inevitabilis necessitas est Deum non offendere*: fuit Joanni Evangelistæ: erit nobis magister divinæ Christe, qui in schola stabuli, de præsepis cathedra erudis nos ut *sobriè, justè, piè vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, & adventum.*

DIE SS. INNOCENTIUM.

THEMA. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc 2.

Indice 1. Conc. ad Adv. lib. 1.

THEMA alterum. *Vox in Rama audita est, ploratus, & ululatus.* Matth. 2.

Indice altero Conc. ad Adv. lib. 1.

THEMA tertium. *Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.* Psal. 83.

Obtinuit usus, ut apud Catholicos non hi solùm *flores Martyrum*, ut Prudentius appellat, & *gratiæ Martyres*, ut serm 152. vocat Chrysologus: sed etiam quilibet pueruli & infantes, in odium fidei occisi, *Innocentes* dicantur. Sancti Simeon, Henricus, Christophorus à Judæis interfecti, ille Tridenti, iste Monachii, hic propè Toletum: infantes Africani apud Victorem Uticensem lib. 2. Hunnerico persequente interempti, *quorum matres gaudebant se Martyres peperisse*: balbutientes duo fratres infantuli nobiles, Nicomediæ passi, quorum historiam pulcram & patheticam recitat Baronius anno 311. ex actis S. Lucinæ: isti, aliique plurimi pueruli Martyres, *feliciter nati*, ut ait Eucherius homil. 1. de Epiph. *quibus in ipso nascendi limine æterna vita obviàm venit*, eodem honore, ac nomine honorantur, quo Innocentes ab Herode occisi. Sed nonne altiori gradu gloriæ potiuntur, si antè martyrium baptizati fuêre? Omissâ hac quæstione, aliam utiliorem instituamus, ad Sanctorum omnium Innocentium gloriam & imitationem, Quid sit innocentia?

Quatuor, ex vulgari & vernacula istius nominis acceptione, genera illius sunt. Stulta est, in fatuis innoxiis: quibus proximi sunt ii, qui simplices vocantur, traducti ad vitium naturale virtutis eminentis appellatione; cùm simplicem in Scriptura dici, idem sit atque purissimæ sanctitatis. Eumdem in modum malè detorquetur paupertas spiritûs.

Altera vitiosa est, in ludis periculosis, temerarius, parùm pudicis, aliisque id genus, qui aliquando, sub innocentiæ nomine, in malum corporis animique evadunt. Corporibus noxiam narrat Spondanus anno 1393. ubi Carolus Galliæ Rex parum abfuit, quin ureretur. Animo exitiosam idem ad an 1352. recitat de Joanne Episcopo Nuembusgensi, qui, die S. Ioannis Evangelistæ, convocatis multis ad honorem sui nominis, chorizans, inter duas speciosas fœminas medius, repentè exspiravit.

Tertia est indifferens: qualis Socratis, qui *cum pueris ludere non erubescebat*, ut ait Seneca de Tranq. Idem de Catone seniore, cum nepotibus equitante in arundine longa, narratur. Non longè inde absunt recreationes quorumdam hodiernæ, si intra Christianæ modestiæ limites coerceantur, & nihil virtuti contrarium admittant.

Quarta, est virtutis Christianæ pars prima, *Declina à malo*: quam D. Ioannes Evangelista commendabat, *Filioli hæc scribo vobis, ut non peccetis.* Quamquam paullo generalius eam describit Prosper epigr. 8.

Perfectè bonus est, & verè dicitur insons,
Nec sibi, nec cuiquam, quod noceat faciens.

In sententiis his verbis explicat: *Innocentia vera est, quæ nec sibi, nec alteri nocet.* Hausit illam explicationem ex Augustino in psal. 83 de verbis nostri thematis.

Obiit istius innocentiæ vir ipso Innocentium die B. Franciscus Salesius an. 1622. Oremus Sanctos Innocentes, ut eam nobis impetrent. Puerulorum & infantium preces Deo pergratas esse, & efficaces, diximus lib. 1. Exc. 2. ad cap 3. sect. 6 num. 21 &c. ipsumque adeo Numen ab infantibus orari velle, *Congregate parvulos, & sugentes ubera.* Quantò efficaciores erunt preces Sanctorum Martyrum? Impetrent nobis, ut ambulemus in innocentia, nec privemur bonis.

DIE SANCTI SILVESTRI.

THEMA. *Beati servi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Luc. 12.

Indice 1. Conc. ad Adv. lib 1.

THEMA aliud. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Ibid.

Tertull. lib. 4. cont. Marc. *Sumus servi, Dominum enim habemus Deum. Succingere debemus lumbos, id est expeditos esse ab impedimentis laciniosæ vitæ, & implicitæ. Item*

lucernas habere, id est mentes fide accensas, & operibus virtutis relucentes; & ita exspectate Dominum, id est Christum

In ea Tertulliani sententia habes divisionem percommodam ad laudes S Silvestri, aut cujusvis alterius, de quo hoc Evangelium legatur, quomodò fit Confessoribus non Pontificibus.

Piscator egens, ignotus, indoctus, manibus lino occupatis, vesti- uvidâ, pedibus limo oblitus, totus è navi: sic Hilarius lib 2 de Trin. Ioannem Evangelistam describit. Is Evangelista relictis retibus, id est succinctus lumbos, secutus Dominum, id est ardentem lucernam præferens, Apoc. cap. ult. audit Christum dicentem, *Ecce venio velociter.*

DIE CIRCUMC. ET EPIPH.

Vide materias in ordine Dominicarum.

DIE CONVERS. S. PAULLI

THEMA. *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Psal 76.

Si festum istud incidat in Dominicam tertiam post Epiphaniam, percommodè sumes thema de leprosi curatione. Paullus enim fuit spiritualiter leprosus, & ferme momento sanatus.

In hoc loco mutationum, tria video genera mutationis naturalis posse homini accidere, accidentalem substantialem, moralem: ætas ex nigris albos facit: concoctio alimenti, manente materiâ, formam substantialem corporis nostri induerit: pauper de repente fit dives, ignobilis honoratus. Supernaturalis hominum peccatorum in justos mutatio, ad quam istarum specierum referri potest, an ad omnes? Moralem esse constat, & accidentalem: substantialem videtur agnoscere Hilarius Arel epist ad Euch. *Quod in Christi substantiam terrena substantia convertatur, teipsum interroga... in exteriori nihil additum, totum in interiori mutatum.* Ut ea mutatio substantialis non sit, substantiali tamen magis miranda est quia sine dispositione plerumque ullâ, imò cum dispositionibus contrariis accidit, citra ullam nihilominus violentiam libertatis. Miraculum istud in Paullo expendit Paullinus epist in. ad Severum: *Tanta est summi Patris pietas, ut etiam ira eius ex misericordia sit, & ideò castigat ut parcat. Denique beatus Apostolus ideò cæcatus est, ut illuminaretur, cecidit persecutor, ut Apostolus surgeret; in itinere iter reperit, & in impietatis via viam pacis agnovit.*

Particulatim istud expendamus. In mutatione omni tria consideranda sunt &c. Materia suggerunt hoc libro in Commentarius ad finem capitis 3. Quæ desunt, supplebis ex interpretibus Actorum Apostolicorum: quorum copiosissimum esse, in ea materia, existimo Cornelium nostrum.

Augustinus serm. 9. de verb Apost *Si Paullus sanatus est, ego quare desperem? Si à tanto medico tam desperatus æger sanatus est, ego cur meis vulneribus illas manus non optabo? Ut hoc dicerent homines, ideo Sanctus factus est ex persecutore Apostolus.*

Apud Bernardum serm. 1. de Conversione S Paulli: *Hæc est perfecta conversionis forma*, dicere, *Domine, quid me vis facere?* Non est exspectandum, ut Dominus dicat nobis, quod cæco, *Quid tibi vis faciam?*

Baronius, rejectâ eorum sententiâ, qui dicunt, Conversionem D Paulli accidisse anno septimo post Christi mortem; censet eam contigisse anno primo, diebus 35. post martyrium D. Stephani: alii consignant anno secundo post mortem Christi.

DIE PURIFICATIONIS D.V.

THEMA. *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace.* Lucæ 2.

Execusu ad cap 13 lib. 1 sect 7.

THEMA alterum. *Impleti sunt dies purgationis ejus.* Ibidem.

Puritas Virginis expeditur lib. 2 Exc ad cap. 7. sect. 8.

THEMA tertium *Tulerunt IESVM in Ierusalem, ut sisterent eum Domino.* Ibidem.

Altera pars festi hodierni est præsentatio Christi. In omni oblatione consideranda res, finis, modus. Quia offertur? Quo motivo offertur, *Domino?* quia *Ego Dominus*, inquit ipse in lege. Quo affectu à Virgine? Rachel cum parvulo venit ad Esau.

Parentes non offerant filios idolo Moloch. Nos ipsos reddamus Domino. *An qui fundum aufferet ejus, à quo emptus est, & tradit qui nihil habet in ea juris, injustus est: & qui seipsum aufferet dominanti Deo, à quo factus, & malignis servit spiritibus, bonus est?* Aug.

Hanc materiam tantùm perstringo; quia vulgaris, & facilis, perutilis tamen. Benè expendenda lex Num. 3. de oblatione masculorum Domino facienda, quia *Dominus* est. Hæc ratio omnes homines adstringit ad divina obsequia.

THEMA quartum. *Lumen ad revelationem Gentium.* Ibidem.

Tria festa sunt, quibus res precatione sacerdotali benedictas populus Christianus accipit de manu sacerdotis, & domum refert: Cinerum dies, Palmarum, & hodiernus. Ab hac pietate neminem dignitas sua excipit Solent, inquit Gusmanus in Vita Margaretæ Reginæ, hodie Reges Catholici cereum de manu benedicentis, in sacello Regio, flexis coram altari genibus accipere, post omnes in sacris Ordinibus constitutos, eumque in supplicatione manu propriâ præferre.

Originem ejus cæremoniæ constat esse antiquissimam; cùm ante Bernardum Alcuinus de ea tractet, aliique scriptores Officiorum divinorum Habet Eligius Noviomensis homiliam de cereis eo die habitam

Caussam ejus cæremoniæ duplicem esse existimo: primam, ut lumine & materiâ cerei significetur, qualis fuerit Christus hodie, quales item qui occurrerunt Christo: alteram, ut intelligamus, quales iidem nos esse deceat

Cera, nitidissimi animalculi opus est; cloacas, & tenebras, exosi; virgineo partu ex cera ipsa, aut ex bovino cadavere, formati; florum animam purissimam sugentis. Ea cera ad pluviam, & solem, albescit; & flammæ puræ alendæ, in cereos fingitur Puræ igitur, & ardentis pietatis, symbolum est. Non vides Christum *lumen ad revelationem Gentium*, ut purus est, ut ardet, ut accendit cor matris, Josephi, Simeonis, Annæ? O si in cordis illius foroscolam possimus ingredi, aut flammâ istius cerei accendi! Non vides Virginem, purificatione non egentem, accensam in oblatione filii: non Josephum liliis sua candidiorem, affectus suos matri jungentem? Non vides Simeonem, & Annam, innocentiâ quam senio candidiores, & Spiritu sancto flagrantes?

Eadem mihi columbis & turturibus videntur significata Amat domum suam columbula, turtur nidum, & comparem, maximè tunc gemebundos, cùm ficus protulit grossos, & vineæ florentes dederunt odorem suum Nitidæ sunt columbis, & turturibus plumæ oblatis in templo, ventriculus aperiebatur, projiciebantur intestina, corpusculum aquâ lotum offerebatur in holocaustum, aut hostiam pacificam. Non vides Christum, Virginem, Josephum amantes Templum, domum Patris: etsi ipsi templa sint Dei? Non cernis Simeonem venientem in spiritu in templum, & Annam non discedentem de templo &c?

Ad cereos & lumen redeamus. Præferimus illos, & vel sic profitemur puram & ardentem pietatem Purificationis & Præsentationis dies est: puritas illi festi parti convenit, huic ardor. August. in psal 49. *Immola Deo sacrificium laudis. Securi sumus, non imus in Arabiam thus quærere, nec sarcinas avari negotiatoris excutimus: sacrificium laudis quærit à nobis Deus. Habebat hoc Zachæus in patrimonio suo: habebat vidua in sacello suo: habebat nescio quis pauper hospes in dolio suo. Alius nec in patrimonio, nec in sacello, nec in dolio aliquid habebat: totum habebat in animo suo.*

DIE S. MATTHIÆ.

THEMA. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Matth. 11.

Matthias Mathathiæ figurâ præsignificatus 1 Mach. 2. vers. 1. Vide ibi materiæ partem, & in indice 1. Conc. in Quadragesimam.

THEMA alterum. *Tollite jugum meum super vos* Ib.

Suggeritur materia in altero indice Concionatorio Quadragesimali lib. 1. Argumenta sanctimoniæ D Matthiæ, quæ illic solummodò attingimus, fusiùs deducta reperies apud interpretes, nominatim apud Cornelium in Acta Apostolica

THEMA tertium. *Confiteor tibi, Pater* Ibidem.

Quod tibi laudis divinæ argumentum, Christe? Electio parvulorum, humilium, abjectorum Cur hæc lectio ab Ecclesia assignatur die S Matthiæ? Primum, quia S Matthias unus fuit de discipulis septuaginta duobus, ut constat ex D. Petri verbis ante faciend. in electionem: Christus autem illa verba dixit reversis à prædicando discipulis

illis;

istis; ut illos, post miracula patrata &c. in humilitate continetet. Deinde, quia jugum Christi portavit annos triginta, & mitis fuit & humilis corde. hinc etiam nomen Matthiæ quidam interpretantur, quasi Humilem significet, etsi non iam aptè. Denique, quia judicii divini consideratio, & laus, magna ac miranda offertur in Judæ reprobatione, substitutione Matthiæ: item in electione Matthiæ, præ Josepho justo. Humiliemur sub potenti manu Dei, neque altum sapiamus, sed timeamus.

DIE S. JOSEPHI.

THEMA. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* ad Colos. 3.

Vel sume thema ex Ind. 2. Conc. Quadr. lib. 2. Materia est Exc. ad cap. 4. lib. 2. sect. 3 usque ad num. 17.

THEMA alterum. *Ioseph in tempore angustiæ suæ custodivit mandatum, & factus est dominus Ægypti.* 1. Mach. 2.

Ind. 1 Conc. Quadr. lib. 1.

THEMA tertium. *Glorificate, & portate Deum.* 1. Cor. 6.

Symbolum hoc est Christiani, symbolum Josephi: Christiano datum à Paullo, Josepho datum à Deo. Pater Suarez de Angelis lib. 6. cap. 10 num. 46. dicit, Gabrielis Archangeli ministerium, quod habuit in Annuntiatione, fuisse multò minus, quam quod S. Josephus habuit in eodem mysterio: cùm Gabriel fuerit tantùm nuntius mysterii; Josephus autem fuerit custos matris, gerulus & nutritius filii, quæ officia longè officium nuntii antecellunt.

Deus est omnitenens, omnia portans: si destituat, relabuntur in nihilum. Filius Dei est figura Patris, imago substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ. Quomodò ab homine portabitur, qui omnia portat?

Triplex est modus portandi Dei. Primus corporalis, cùm Deus homo factus gestatur, ut à Simeone. Alter moralis, cum Christus nutritur in se, aut in suis: in se à Magdalena, in suis ab Oda, aliisque eleemosynariis. Tertius spiritualis, cùm Christus formatur in homine, ipsius sanctitas & voluntas portatur: quemadmodum Paullus in discipulis suis volebat formare Christum.

Tribus hisce modis perfectissimè Christum portavit D. Virgo: corporaliter, *Beatus venter, qui te portavit* &c: moraliter, quia Christum lactavit: spiritualiter, quia verbum Dei audivit, & custodivit.

Post Virginem nemo perfectiùs Christum portavit triplici illo modo, quàm Josephus. Corporaliter, *Accipe puerum, & matrem ejus. & fuge in Ægyptum; & vade in terram Israel:* geruli & gerulæ officio fungitur. Moraliter, quia filium, & matrem aluit: potuit dicere Christus, *In te projectus sum ex utero, de ventre matris meæ.* Spiritualiter, quia Christo simillimus, castitate, obedientiâ cæcâ, & perpetuâ &c. Materiam hanc indicâsse suffecerit, explicatu & dilatatu perfacilem.

THEMA quartum. *Quis, putas, est fidelis servus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam?* Matth. 24.

Quis, putas, est ille servus? Est Josephus. At nonne nutritius, & pater? Non tamen dedignabitur nomen servi, qui maritus est Virginis, gloriantis de titulo Ancillæ.

Quærebant olim, ubi sit verus amicus? Sed si talem inveneris, inquit Siracides, scito illi non esse comparationem, nec quantumvis pretium sufficere *contra bonitatem fidei illius.* Quæramus similiter, quis sit bonus servus? Talem quando repereris, inquit Siracides, *sit tibi quasi anima tua.*

At verò quænam sunt qualitates boni servi? Declarat Christus: *Quis putas* &c. Qualitas prima, fidelitas: ut res heriles administret tamquam sacras, stipendiis suis contentus nihil aliud attingat, ne si arcæ quidem paterent. Altera qualitas, est prudentia, in eo potissimum sita, ut ad herilis voluntatis nutum sese accommodet. Talem herus constituet super familiam suam.

En ipsissimam Josephi picturam, fidelis, prudentis, constituti super familiam Dei. Fidelitas ejus vel inde patet, quòd Deus illi pretiosissimum suum thesaurum crediderit. Quando Josephus virgunculam istam duxit uxorem, ecquis erat præcipuus totius mundi thesaurus! Ista sine dubio virguncula, non tantum *virginitatis thesaurus*, ut ait Damascenus orat. de Nat. Virg. sed caritatis, & virtutum omnium: cujus animæ pretium erat supra quidquid visibile, & invisibile creatum, tunc fuit in Universo: *Multæ filiæ*, mentes hominum, & intelligentiæ Angelorum, *congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Istam ergo animam, tam opulentam, in perfectissimo corpore clausam, quomodò adamantes rari in exquisitissimi operis pyxidibus reponi solent: eam animam, & corpus, Josepho Deus credidit.

Quo autem pacto depositum servavit Josephus, tantam pulcritudinem? Lilia spectate. Miraculorum istud Josephi maximum est: versatum esse cum tali, eam singulariter amâsse, vicissim dilectum fuisse, participem arcanorum, maritum, dominum. Aliquid simile postmodùm fecère Elzearius Comes, Henricus & Marcianus Cæsares. Sed quid Delfinæ, Cunegundis, Pulceriæ forma ad Virginis decus?

Jam, quando in isto virgineo thesauro alius pretiosior fuit reconditus? Ille, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, absconditi?* Eum Josepho etiam credidit Deus, *Accipe puerum, & matrem.* Eum Iosephus ita custodivit, ut quidquid habebat illi impenderit, patriam, domum, consanguineos, corpus, cogitationes, vitam.

Cernis, quomodò admonitus de eundo in Ægyptum, sine mora proficiscatur; etsi temporis, quo ibi manendum erit, incertus? Cernis, ut redeat? Verum isthæc ad prudentiam Iosephi pertinent, in obediendo sitam. Bonus enim Dei servus aliud non intuetur, quàm Dei voluntatem: lex Dei ejus in corde ipsius: in ore, & opere, habet hoc semper, *Nam & testimonia tua meditatio mea est.* Sic D. Iosephus dicitur solitus dicere ad eventa quælibet, *Quod Deo placuerit, fiat.*

Meritò itaque Deus tam prudentem, & fidelem, servum constituit *super familiam suam*. At quam? Familia divinior nulla fuit, quàm ubi erat Deus-homo, & ejus mater. Supra Deum-hominem constitutus est Iosephus, quando accepit munus illi nomen imponendi. *Vocabis nomen ejus IESVM:* sic Christus ostendit sese Dominum Simonis, quando Cephæ & Petri appellationem illi indidit; Deus dominationem suam in Abrahamum & Saram exercuit, quando literulam addidit ad illorum pristina nomina; Nabuchodonosor demonstrare voluit Danielis se & sociorum dominum esse, quando Hebræa illorum nomina mutavit Chaldaicis. Prætereà, Christus fuit *subditus* Iosepho: sub illo habitus *faber & fabri filius*. Fuit item Iosephus supra Virginem, quià *caput mulieris vir*: idque indicant Evangelistæ, cùm in Christi genealogia illum rectâ lineâ ponunt, non Virginem. agnovit Virgo, quando dixit Christo *Pater tuus & ego* &c; Iosephum sibi anteponens, non virtute utique, & dignitate, sed potestate, & curâ dandi *cibum in tempore*. Erat enim Iosephus non Christi solùm, sed Virginis nutritius, tutor, custos.

Talis familiæ præses annis triginta; postmodùm à Deo constitutus est *super familiam* Ecclesiæ, ut det *cibum in tempore*. Qualem? Corporalémne, ut Christo & Virgini? Constat, talem interdum ab illo famulis procuratum. Quare D. Teresia claves domuum suarum ad imaginem illius deponebat, consignabatque velut patri-familias. Narrat P. Julius Cæsar Recupitus; in Væsuviano incendio puerulum quinquennem circiter, cui Iosepho nomen, cum amita vel avia fugientem nec satis properantem, ab illa commendatum D. Iosepho: cessante post aliquot dies incendio, repertum incolumem sub fornice pontis, quem Sebethus amnis sublabitur: rogatus, quis eum illuc duxisset, virum descripsit prorsus consimilem imagini D. Josephi. Intellectum inde, a D. Josepho ductum, servatum, nutritum.

Longè pretiosior est cibus animarum, Eucharistia, quem dat nobis in tempore, quia in tempore nutrivit Christi corpus. Qualis item cibus mentium in exemplis virtutum? Habent Superiores quod imitentur in caritate, subditi in obtemperando: virgines in castitate, conjuges in pace: divites in alendo cum pauperibus Christo, pauperes in patientia: Christiani omnes in perpetua erga Deum fidelitate, in custodiendo thesauro animæ suæ, in vera prudentia & observantia mandatorum, donec in ea familia constituantur, ubi cibus æternus erit ipsa divinitas.

DIE ANNUNT. D. V.

THEMA. *Ecce ancilla Domini.* Luc. 1.

Exc. ad cap. 7. lib. 2. sect. 6. demptis num. 9. 10. 11.

THEMA alterum. *Invenisti gratiam apud Deum.* Ibidem.

Quam gratiam? An habitualem, de qua antè Angelus, *Ave gratiâ plena?* An reconciliationem mundi cum Deo, quam Virgo assiduis precibus postulabat. An gratiam maternitatis divinæ? De hac loqui videtur Angelus, cùm subdat, *Ecce concipies* &c.

Quo autem pacto istam gratiam invênit? Meterine

potuit de condigno? Neutiquam. De congruò, quomodò merita est? quid Eliezer in Rebecca vidit, maximè Abrahamo & Isaaco placiturum? quid Gabriel, adjutorium & fortitudo Dei, in Virgine gratissimum judicavit Deo Trinitati? Fidésne ipsius Filium Dei devocavit in terras, aut virginitas, oratio, obedientia, aut potiùs humilitas? Vide sect. eadem num. 9 to 11. Humillima Virgo, Deo humiliato plena, magis sese magisque humiliavit: quomodò spicæ, quo magis gravidæ sunt, eo proclivius pendent. Quantò major es, Christiane, tantò te humilia in omnibus.

THEMA tertium. *Ancilla Domini, Stabat juxta crucem.* Luc 1. Joan. 19

Aptè illa junges, quando Annuntiationis dies inciderit in tempus Passionis. Ante salutationem Angelicam commode quæres de die passi & incarnati Christi, Exc. ad cap 7 lib 2 sect. 3. num 7. Habes ib usque ad num. 11. de humilitate Virginis inter honores, constantiâ inter dolores.

Si de incarnato Verbo dicere collubuerit, vide Exc. ad cap. 5 lib. 2. sect. 1. & 2.

Annuntiationem factam fuisse festo Paschæ, adeoque mares nullos adultos per eos dies mansisse in Nazarethi vicinia, quia Hierosolymam omnes proficisci oportebat, censuit Vendelinus pereruditus chronologus.

In lapide ad radices montis Horeb, legitur sculpta inscriptio vetus Chaldaico antiquo, accedente ad Hebraicum hodiernum, permistis literis magnis palmo & medio. Eam inscriptionem, à P Thoma Obecino Novarino acceptam, P Kirkerus Romæ cum approbatione omnium Doctorum sic explicavit, *Deus virginem concipere faciet.* Quid si à Mose ea inscriptio sculpta fuit, quando vidit rubum ardentem incombustum? Vide Kirkerum Prodromi Copt. cap. 8.

DIE S. MARCI EVANG.

THEMA. *Designavit Dominus septuaginta duos, & misit illos binos* Lucæ 10.

De S. Marco tria ex Scripturis constant: de aliis tribus ex traditione Ecclesiastica non ambigitur: tria inter scriptores disceptantur. Constat de Marci nomine: de Evangelii scriptione: de agnomine filii S. Petri 1. 5. Quæ illius origo, istius tenes, hujus caussa, vide apud Cornelium, aliosque interpretes.

Ex historia Ecclesiastica constat, Alexandriam missum à D Petro: cœnobiticam vitam illic egisse, orationesque habuisse communes, unde fortan initæ Litaniæ majores: vitam ejus finitam martyrio, ante quod illi apparuerit Christus, & dixerit, *Pax tibi, marce, Evangelista meus.*

De tribus disceptatur: idemne sit ac Joannes Marcus: scripseritne Latinè Evangelium: fueritne de septuaginta duobus discipulis. Post eas quæstiones disceptatas, argumentis apud Evangeliorum interpretes repertu facilibus, transi ad demirandum consilium divinum, in eligendis Evangelistis tam impolitis, rudibus &c Quis dux tirunculos imperitos arduis facinoribus eligit? Quis navarchus nautas inscios, & infirmos, difficili navigationi assumit? Quis architectus operas ineptas, & vilem materiam, nobili fabricæ designat? Nempe, isto miraculo voluit Deus, ut creati mundi, ita & fundatæ Ecclesiæ opificem se ostendere. Præsignificârat hoc in altari holocaustorum de lapidibus rudibus, Exodi 20. Deut. 27. licet Tabernaculi, & Templi multa essent splendida. Vide 2. Cor. 1 & concionem nostram alteram de S. Andrea.

THEMA alterum. *In quamcumque domum intraveritis, dicite, Pax huic domui* Ibid.

Expendantur quina D Marci officia. Primum, quod de 72 discipulis fuisse plurimi opinentur quâ occasione poteris explicare præcepta illis à Christo data, & conciliare, quæ habentur Luc. 10. de virga non ferenda, apud Marcum de ferenda virga tantùm: vide Aug. lib. 2. de cons. Evang cap 30. Alterum Evangelii scriptio, quâ caussâ, quo modo, quæ ejus figura? August. tract. 36. in Joan tribuit Marco figuram hominis: l. 1. de cons. Evang. cap 38 ait, aquilam a quibusdam attributam. Tertium, quòd fuerit interpres, adjutor, & quasi filius Principis Apostolorum. Quartum, Ecclesiæ Alexandrinæ fundatio. Quintum, Ecclesiæ totius defensio In ipsius potissimùm diem Litaniæ majores decretæ, ut nos adjuvet sanctissimus Evangelista, & dicat, *Pax huic domui.* Quomodò tot jam annis fecit, nobilissimæ reipublicæ inter plurimas tempestates conservatione: quod significatum Deus voluit an. 1343 apud Spond Dæmonum turba, velut in cymba navigantium, Venetiis obruendis fluctus cierat D Marcus, cum SS. Nicolao & Georgio, apparuit sitis piscatori, & tempestatem sedavit.

THEMA tertium. *Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos* Ibid.

Marcus leo simul, & agnus, sicut Christus; plúsne præstitit leoninâ fortitudine, quàm agninâ mansuetudine? Qui, & quando, Christianis utrumque præstandum?

DIE SS. PHIL. ET JAC.

THEMA. *Non turbetur cor vestrum.* Joan. 14.
Excur 1. ad cap 4 lib. 1. sect. 1.

THEMA alterum. *Jacobus Dei, & Domini nostri IESV Christi, servus.* Jac. 1.

Ita ipse sese Jacobus appellat in epistola Canonica, divinis præceptis plena, quam ab ipso scriptam, non à Jacobo Zebedæi, Patrum antiquissimorum certa videtur opinio. Eximius planè est titulus ille servitutis divinæ, ut à nobis alibi dictum. Sed quia Paullo etiam, Petro, Judæ, in epistolis suis communis est: tantos alios titulos expendamus, Jacobo velut proprios. *Frater Domini* nominatur a Paullo ad Gal. 1 *Justus* ab Hieronymo in ep ad Gal ab Eusebio, Chrysost. &c. *Minor* à S. Marco, & passim.

Fratrem Domini quidam aiunt appellatum phrasi Hebræa, quia erat consanguineus. At nonne itidem Judas Thaddæus, qui se *fratrem Jacobi* appellat? Nonne Joseph justus, Matthiæ compositus? Nonne etiam Jacobus, & Joannes, filii Zebedæi? Cur ergo & isti non dicti fratres JESU?

Meliùs itaque opinemur sic appellatum, à vultûs gemellis lineamentis: ob quæ Ignatius, ep ad Ioannem, aiebat, sese Hierosolymam cogitare, ut Iacobi conspectu frueretur vivæ imaginis Christi. Quia tamen addubitant nonnulli, sitne ista germana Ignatii epistola: consule Origenem lib. 1. cont. Celsum, Epiphanium, Græcosque passim scriptores, a quibus ἀδελφόθεος appellatur ob hanc faciei similitudinem.

Magna inde consequitur Iacobi commendatio: modestissimi fuisse vultûs, venerabilissimi, amabilissimi, quandoquidem Christus esset *speciosus formâ præ filiis hominum, & specie sua ac pulcritudine* regnaret. eamdem item habuisse humorum contemperationem, id est optimam, cujus index est vultus: denique, quod temperiei connexum ferè est, sortitum fuisse animam bonam.

Magna isthæc equidem: sed longe majus, Christi fratrem & gemellum fuisse mente, moribus, operibus. Omitto, quam illi Epiphanius & Antoninus tribuunt, sanctificationem in utero, quomodò Ioanni Bapt. ut eâ sanctificatione propiùs ad immaculatum Christi conceptum accederet. Omitto, quòd matrem habuerit Mariam, Christi matri cognominem, sanctissimam, miraculis percelebrem, ut habet Martyrol. 25. Mai. Omitto, quod Epiphanius ait, à puero educatum cum Christo, ut conversatione eosdem mores indueret. Omitto, quod ait idem, virginem fuisse, & Nazaræum.

Solum Christi munus attendo, ejusque virtutes. Christus Salvator fuit & Doctor universi generis humani: singulariter tamen *minister circumcisionis*, Rom. 15. *missus ad oves, quæ perierant, domûs Israel.* Ita Iacobus saluti quidem gentium omnium studuit, ut constat ea ejus in primo Concilio sententia: peculiariter tamen datus Iudæis, creatusque Hierosolymorum Episcopus, ex Christi voluntate & designatione; postridie, ut existimatur, quàm martyrio affectus fuit D Stephanus, qui antè ipsi ut Diaconus sæpe ministrârat, D. Ignatio teste Eam Ecclesiam, ex veriore sententia, rexit annis 29 Quibus adde 34. vitæ cum Christo actæ, conficies sexaginta tres, non autem nonaginta sex, quomodò quidam, quorum opinio in Breviario Romano exscripta est, arbitrati sunt.

Cæterùm in tam diuturna Hierosolymitana habitatione, Calvariam, Olivetum, aliaque loca, Christi memoriam servantia, sæpissimè ipsi licuit invisere. ut vel idcirco valdè convenientes ab aliquibus pingatur, infutâ vesti ad pectus cruce sanguineâ.

Virtutes omnes Christus eminentissimo gradu habuit, habereque debuit. Ideò justus Isa cap. 53. Ἀνθρωπάρεσκος vocatus: in sententia sua *justificabit ipse justus servus meus multos. Justitia in se virtutes amplectitur omnes:* ideò Christus absolute justus appellatur, quia virtutum omnium verum, ac divinum, erat exemplar. Jacobus frater Domini ideò justus dicitus, quia virtutum omnium imaginem exhibebat, eaque, ob eam exustam, non Christianis modò, sed Judæis carissimus; proinde ut Hier Eus. Epiph affirment, ipsi concessum, quod lege vetitum erat præterquam Pontifici, in Sancta Sanctorum ingredi. De qua prærogativa vide Cornelium proœmio in epist. D Iacobi. Demus tamen id ipsi non licuisse: ingressus est tamen alia & augustiora longè Sancta Sanctorum, quotiescumque

quotiescumque sacrum fecit, maximâ pietate, ut Liturgia ab ipso, omnium inter Apostolos primo, composita testatur: de qua vide ib Corn. Sancta Sanctorum ingressus est, imò circumtulit, quotiescumque oravit, quod frequentissimè faciebat; indeque callum genua contraxerant, datumque illi nomen *Ophlias*, id est præsidium, seu turris.

Etsi Christus omnibus pariter virtutibus emineret; duas tamen in se præcipuè spectari & commendari voluit, Humilitatem, & Mansuetudinem: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*. Jacobus noster *Minor* vocatur: an quia ætate minor Jacobo Zebedæi? Ita quidam: sed unde constat? An quia vocatione posterior, ille a piscatione, hic ab agricultura evocatus? Ita nonnemo: sed neque hoc admodum probabile est, si hunc Jacobum, ex Epiphanii sententia, cum Christo educatum fuisse statuimus. An quia staturâ minor fuit? Ita Feuardentius: sed longè, ni fallor, à vero, cùm constet ex ante dictis Christo, procero utique, fuisse simillimum, & quasi geminum. Superest itaque, ut Minorem dicamus appellatum fuisse, ut D. Franciscum Assisinatem, qui se ex humilitate Minorem appellavit; ut D Franciscum de Paulla, qui se cum suis Minimum; ut D. Ignatium, qui Societatem suam Minimam. Humilitatem autem illam, non tam ex victu vili quo usus est, ex pedibus nudis, ex amictu lineo confecto; quam ex ultimo vitæ actu: quando vir tantus, tanti ab omnibus factus, de Templo quod toties honoârat datus in præceps, oravit ut frater suus Christus, ut Diaconus suus Stephanus, pro interfectoribus suis.

Humilis idem & mitis est. Superbiâ ferocius, impatientius, vindictæ avidius nihil. *Inter superbos semper jurgia sunt.* Humilitate nil patientius injuriarum, & mansuetius. Vis Christiane humilem te ostendere, vis justum, vis fratrem Domini? Esto mitis. Id Christi fratris nostri genuinum lineamentum est. Frustra cæteroqui de ista fraternitate gloriéris, de qua nos ad Dom 3. Adv.

THEMA tertium. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, ipse faciet & majora horum faciet.* Ioan. 14.

Hodie, quod jucundissimi mensis initium est, solatii plenum nobis Evangelium prælegitur. Primùm Christus ait, *Non turbetur cor vestrum*: deinde, *In me credite*: tum, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*: pòst, *Vado parare vobis locum*: præterea, *Ego sum via, veritas, & vita*: mox, *Qui videt me, videt & Patrem*: denique, *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, ipse faciet*, &c.

Postremam hanc sententiam expendemus, magnæ primâ ipsâ fronte difficultatis. Quid enim istud est, quod Christus tam affirmatè dicit, *Amen amen dico vobis*, simplici asseveratione non contentus; *qui credit in me*, non Apostoli solùm, sed fideles quilibet; *opera*, non unum opus duntaxat, *quæ ego facio*, non quæ feci tantum, cùm puer essem, sed quæ modò vir facio, consummando redemptionis opere, ipse faciet, imò *majora horum faciet*, ut sit discipulus supra magistrum. Hosce nodos facillimè solverimus, si intellexerimus, quid operum suorum nomine Christus hocce loco significatum velit. Quatuor explicationes à Patribus suggeruntur, omnes Divi Philippi laudibus accommodæ.

Prima est Augustini, quem Angelicus Doctor assectatur apud Salmeronem. Opus Christi, inquiunt, est *vocare peccatores*, justificare impios, quod majoris potentiæ est, quam adspectabile Universum creare, majoris misericordiæ, quàm Angelos in gratia producere. Atqui peccator ut justificetur, si quidem adultus est, debet cooperari Christo vocanti, & gratiam infundenti: facit ergo idem opus, quod Christus. Majus autem opus primâ illâ justificatione facit, quando continuatis actibus virtutum auget justitiam. Vide hoc in D. Philippo, quando à Christo vocatus est Joan 1. Clemens Alex. ait illum fuisse, cui Christus dixit Matth. 8. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Vocantem Christum Philippus sequitur, cooperatur gratiæ, facit in se opus Christi, & perficit perpetuâ cum Christo conversatione.

Altera explicatio, Origenis est, de ipsis virtutum actibus exterioribus, & interioribus. Quis autem, non dico majores, sed æquales Christo efficiat? Quæ patientia, humilitas, puritas, obedientia, caritas par esse possit? Non par solùm erit, sed major, comparatè ad patrantem. Nonne plus est à Pygmæo scire fenestellam, quàm à Samsone portas Gethæas? Ita mirabilior est in homine cupido & infirmo castitas, & fortitudo, quàm in Christo. Orat totam noctem Christus, orat Philippus: precatur pro inimicis Christus, precatur Philippus: patitur crucem Christus, patitur Philippus. Major longè in se, & absolutè est Christi virtus: sed comparatè ad humanam infirmitatem major est virtus Philippi. *Plus est quod Christus in nobis facit, quàm quod in seipso.*

Tertiam explicationem affert Origenes, de spiritalibus Apostolorum miraculis, ad illa compositis, quæ Christus corporaliter patravit. Surdos, cæcos, claudos sanavit, mortuos suscitavit Christus. Surdos, cæcos, mortuos, infideles, Apostoli sanavère. *Majus autem est miraculum prædicationis verbo peccatorem convertere, quàm carne mortuum suscitare*, inquit Greg. Nazi. Si dicas, etiam ejusmodi miracula spiritualia plurima per Christum patrata; respondebit Origenes, plura longè patrata per Apostolos. Unâ concione Petrus millia hominum quatuor convertit: quot, putas, Philippus in Scythia ad fidem adduxit? Nunquam tot à Christo conversos legimus. Si quæras ulteriùs, cur Christus plures à servis suis, quàm à se, converti voluit? Respondetur: quia volebat Ecclesiam sensim crescere, ut ipse creverat. Quia post mortem erat tempus magnificentiæ ostendendæ, *quia vado ad Patrem*; tempore autem vitæ mortalis voluit humilitatem exercere. Quia gloriosius erat Christo per infimos servos, quàm per seipsum, conversiones operari. Quia voluit docere majores, ut minorum gloriæ & officiis faveant, gaudeantque ab illis magna fieri.

Idem proportione de corporalibus miraculis dicendum, quæ quarta explicatio est. Sed an majora Apostoli, virive Apostolici fecère, quàm Christus? Ab hoc patrata in Evangeliis numerantur circiter septuaginta: sed *alia multa signa fecit IESVS*, quæ non sunt scripta, nec mundus capere posset libros scribendos. Quo ergo pacto majora isti fecerunt? Primùm, hoc statuo, miracula omnia esse respectu divinæ potentiæ æqualia: deinde, miraculum nullum verum esse, quod vim omnem naturæ non superet. Hoc posito, miracula discipulorum Christi dici possint majora, quam Christi ipsius: primùm numero, sic sancti quidam dicuntur mortuos supra viginti suscitâsse, cùm Christus solùm tres: sic de Philippo multa narrantur, quamquam de ipso, ut loquitur Baronius an. Christi 54. num 3. *præstat pauca dicere, quàm multa commentitia coagmentare.* Deinde, modus fuit mirabilior, cùm umbra Petri, semicinctia Pauli, invocatio Philippi sanaret ægros &c. Tertiò, latiùs patuère Philippi miracula, quam Christi: hæc in Judæa solùm evenère, illa in Phrygia & Scythia, decuplò Judæâ majoribus. Quartò, utilitas manavit ad plures: Christus quinque millia hominum pavit, Philippus sterilitate sanatâ regionem integram aluit. Denique, majora fuerunt judicio & æstimatione hominum Philippi miracula, quàm Christi: & plus illis admirationis apud Scythas Philippo conciliatum est, quàm Christo apud plerosque Judæorum.

Vidimus, quo pacto de Apostolis vera fuerit Christi sententia: at quo pacto vera fuit de Christiano quolibet? Primum, possimus dicere, propositionem esse accommodam, & sufficere ut de quibusdam Fidelium vera sit. Deinde, nos fidem firmam, de qua Christus loquebatur, non habere. Tertiò, miracula jam nobis non esse necessaria: sed posse nos cooperari gratiæ Christi, actus virtutum elicere; spiritualia in aliis, in nobis saltem, miracula patrare, quæ Gregorio teste hom. 29. in Evang. corporalibus majora sunt.

DIE INV. S. CRUCIS.

THEMA. *Oportet exaltari Filium hominis.* Joan. 3.

S. Paullinus epist. 11. ad Sev. ubi historia crucis inventæ recitatur, mittens illi sanctæ Crucis *segmentum atomum, tubello aureo* inclusum, ait se in illo mittere *munimentum præsentis, & pignus æternæ salutis*. Multò id justius dicere possimus de calamitate quavis, Christianè acceptâ, id est patienter, de manu Dei.

Est enim velut particula sacratæ Crucis Christi, & *Tau* signatum *supra frontes virorum gementium* Ezech. 9. Ubi Hieronymus: *Antiquis*, inquit, *Hebræorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Tau litera crucis habet similitudinem.* Tau, crux, gemitus, dolor, signa sunt electorum. Prosper opusc. de Prov. videtur putare, signo crucis notata in Ægypto limina Israëlitarum:

Norat
Angelus Ægypti vastator limina, signo
Scripta crucis, sacro removens à sanguine plagam.

Ludovicus Blosius Instit. spir. cap. 10. *Nullum est*, inquit, *ullum certius signum divinæ electionis, quàm si quis afflictionem submissè atque patienter sustineat.* Materia hæc æquè obvia, & utilis est: habes; Tractatu de bona voluntate, unde illam extendas, præsertim par 3. sect 3 de variis gradibus crucem invenientium.

THEMA idem. *Oportet* &c

De caussis, cur Christus supplicium crucis elegerit?

Quærebant id apud Lactantium Pagani lib. de vera sap. c. 26. *Cur, si Deus fuit, & mori voluit, non saltem aliqua honesto*

honesti mortis genere affectus est? Cur potissimum cruce? Cur infami genere supplicii, quod etiam homine libero, quamvis nocente, videatur indignum? Facillimè dicemus, cur Judæi petierint, cur Pilatus statuerit: ille ex odio, hic ex more Romano. At cur Christus elegit, *oblatus, quia ipse voluit?*

D Thomas p. 3. q. 46. art. 4. rationes affert, cur id supplicium fuerit conveniens: quibus rationibus expositis, hanc subde, Christum venisse in similitudinem carnis peccati; peccatori autem exprimendo crucis supplicium fuisse imaginem aptissimam, ut indicavimus Exc. ad c. 9. lib. 1 sect 3 num 15.

Sed responsionibus istis exhausta nondum est difficultas. Dicit enim Christus, non *Decet* duntaxat aut *Convenit*, sed *Oportet*. Unde necessitas? Non absoluta, sed moralis, ex præcepto Patris, & supposita mala Judæorum ac judicis voluntate. Acceperat enim Christus præceptum moriendi in cruce Phil. 2. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Manet adhuc quæstio: cur Pater Filio indicit mortem crucis; & Filius, quà Deus est, eam sibi quà homo est imponit? *Vt omnis*, inquit, *qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam*: ut Fideles habeant fidem caritate animatam, eaque evadant perditionem æternam, salutem comparent. Hoc ipsum est, quod alibi dixit: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, in vinculis caritatis. *Ponam vitam meam pro te, ut videas, quàm te diligam*: & sic ponam, ut nihil possit esse amantius, quia nihil poterit acerbius, & ignominiosius. Finge tibi supplicium ævi mei mortalis execrabilissimum; illo fungar, ut videas, quàm te amem: si atrocius fuisset aliud, ipsum elegissem.

O machina crucis, & amoris, trahe sursum cordis mei prægrave terrenum pondus; ne meritò mihi inclametur: Quis te fascinavit non obedire veritati, & caritati, ante cujus oculos præscriptus est Crucifixus?

In pugna, quâ Balduinus Imp. Constantinopolitanus à Bulgaris captus est, Hodinus de Bellovillari, & Baro de Sulliaco, cum tribus aliis, voto facto S. Cruci Aurebanensi, momento erepti de hostium manibus ad illam Ecclesiam translati sunt. Successores quotannis, in primis Vesperis inventionis S. Crucis, offeruot in rei memoriam subsidia ceræ librarum 213. & semis. Spond. an. 1205.

DIE S. JOANNIS ANTE PORTAM LAT.

THEMA. *Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis* Heb 1. ex Psal. 44

Etsi solenne festum non est, aliquid tamen de illo dicam in gratiam bibliopolarum, quibus celebratur. Istius autem consuetudinis caussam esse arbitror, non quia de porta Latina mentio est, & Latini fermè sunt libri, quos isti divendunt: hæc enim ratio nimis ludicra est. Sed quia S Joannes scriptorum omnium sapientissimus est: & quia scribendi de Christo latissimum nobis campum aperuit, cùm dixit, mundum capere non posse libros qui scribendi forent.

Augustinus in Enchiridio ad Laurentium Primicerium Romanum variis capitibus ostendit; in malis, malè agentibus, contra Dei voluntatem, mirabili modo fieri Dei voluntatem: *Quantum ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt: quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id facere valuerunt. Hoc quippe ipso, quòd contra Dei voluntatem fecerunt, de ipsis facta est voluntas ejus. Proptereà namque opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem: quia non fieret, si non sineret; nec utique nolens sinit, sed volens. Nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset benè.*

In Domitiano & S. Joanne Apostolo id spectemus. Calvus ille Nero damnatum ad mortem curavit ponendum in dolio, seu, ut Baronius doctè ait, in solio pleno ferventis olei. Quid caussæ habuerit Domitianus, in promptu est, ab ingenita sævitia. Cur Romæ Christus Apostolum pati voluerit, obvia etiam caussa; ut & hujus Apostoli dilecti martyrio sedes religionis Christianæ sanctificaretur. Quam rationem indicat Tertullianus lib. de præscr. *Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præstò est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt: ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur: ubi Paulus Joannis Baptistæ exitu coronatur: ubi Apostolus Joannes, postquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.*

At cur isti supplicio addici dilectum discipulum Christus voluit? Rationem reddit Hieronymus in cap. Mat. 20. *Missus in ferventis olei dolium, inde ad suscipiendam coronam Christi athleta processit, statimque relegatus in Pathmos insulam*, &c. Solebant autem athletæ oleo inungi.

Tres ego alias rationes D Joanni convenientissimas afferam. Oleo significatur in Scripturis suavitas, misericordia, mansuetudo: quia liquor ille suavis est, diffundit se, sese insinuat. Itaque Christi Samaritanus *infudit* in plagas semineci viatoris *vinum, & oleum*: & sponsi *nomen* est *oleum effusum*. Greg. lib. 4. cap 5. in 1 Reg c. 10. explicans lenticulam olei, quâ Saul à Samuele unctus est: *Oleum*, inquit, *liquoribus aliis supersertur, oleum ignem fovet, oleum vulnera curare consuevit: per illud misericordia bonum significat, quia scriptum est, Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Oleo mergitur Joannes, ut ipsâ supplicii novitate significetur, totum clementiâ, mansuetudine, caritate delibutum fuisse. Lege ipsius literas, nihil nisi caritatem spirantes. Vide, quos instruxit discipulos, Ignatium, Polycarpum &c. mansuetissimi ingenii. Considera, quid cum latrone egerit, mentem periculosiùs vulnerato, quàm corpus Jerichuntinus viator: quomodò ipsi *oleum* prius & copiosiùs infudit, quàm *vinum*?

Oleo prætereà adumbratur scientia: quia illo lampades accenduntur, idque addictum erat Tabernaculo & Templo Lev. 24. *Præcipe filiis Israel, ut afferant oleum de olivis purissimum, ac lucidum ad concinnandas lucernas.* Quanta Joannis scientia? Lege Evangelium doctissimum, scriptum confutandis hæresibus. Lege Apocalypsin, *infinita futurorum mysteria continentem; quot verba, tot oracula.* Audi agnomen ipsi datum Joannis Theologi.

Denique, oleo significantur gratiæ & favores cælestes, quia ungunt, deliniunt, roborant. Eamubrem Jesus filius Josedec, & Zorobabel, appellantur *filii olei*. Quis favores cælitus Joanni datos, ab infantia ad extremam senectutem, enumeret? *Divisiones gratiarum* esse ait Paullus. In Joanne non divisiones sunt, sed collectiones. In unum convenêre sermo sapientiæ, scientiæ, prophetia, interpretatio sermonum &c. &, quod caput est, virtus eximia, digna diligente & dilecto discipulo, qui propterea unctus sit oleo exultationis præ participibus suis.

Compuiescat jugum iniquitatum & imperfectionum nostrarum, ô Christe, à facie istius olei. Et tu Joannes, da nobis de oleo mansuetudinis & scientiæ tuæ, sed præsertim stillas impetra de oleo tuarum gratiarum.

THEMA alterum. *Calicem meum bibetis.* Mat. 20. Vide die S. Jacobi infrà.

DIE S. BARNABÆ.

THEMA. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Joan. 15.

Præceptum caritatis bis tantillo tempore inculcat suis Christus; & suum vocat, facitque, iterando atque imprimendo mentibus discipulorum.

Formam præcepti facit ipse sese, ut diligamus invicem, sicut ipse nos dilexit, motivo supernaturali, gratuitò, perseveranter, in finem supernaturalem.

Quo pacto D Barnabas id præceptum eâ formâ impleverit, Paulli comes, & à Paullo separatus, Evangelio ad pectus posito sepultus, ut judicaretur quàm amâsset Evangelica præcepta, hoc Christi præsertim. De illius gestis & encomiis vide Cornelium in Acta.

Legi epistolam illius nomine editam Parisiis an. 1645. Græcè & Latinè. Mutilus est passim textus Græcus, Latinus non æquè. Initium habet exordii instar, & conclusionem. Partitur epistolam in capita duo, doctrinæ primum, tum morum. In doctrina explicat figuras antiqui Testamenti, ciborum item vetitorum, & quando Lex desierit, &c. In moribus *vias duas* facit, *primam lucis, alteram tenebrarum*, μέλανος. In via lucis congerit documenta virtutum: in via nigri nomina vitiorum. Eam epistolam Clemens Alex. sæpe memorat: Hieronymus, Eusebius, &c. censent apocrypham, nec mihi visa est Apostolicarum literarum characterem referre.

THEMA alterum. *Posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Ibidem.

Posui vos: à vobis positi non estis, nec merito vestro, aut dignitate, sed electione mea. Itaque nemo glorietur de gradu suo, quem à se non accepit, neque à tribubus Antiochenis, &c.

Vt eatis, non sedeatis, stetis, otiemini, sitis contenti partis: sed laboretis, & progrediamini semper, donec eò veniatis, ubi non datur ultra.

Et fructum afferatis, non vobis colligatis, sed domino fructuum. Barnabas segregatus est cum Paullo *ad opus*, non ut sibi fructificaret, sed Domino.

Et

Et fructus vester maneat. Vos facietis fructum Domini, Dominus vestrum. O Barnaba, ô *fili consolationis*, quanto est solatio, fructum manere, & æternum! Quàm multi congregant non sibi, sed frugiperdis, &c? Hos fructus congregamus in vitam æternam, *ut & qui seminat simul gaudeat, & qui metit.*

DIE B. ALOYSII GONZ.

THEMA. *Vita vestra abscondita est.* Col. 3.
Exc. ad cap. 4. lib. 2. sect 3. numero 17.
THEMA alterum. *Benjamin adolescentulus in mentis excessu.* Psal. 67
Triplex Aloysii exstasis, ibid. num 18. &c.
THEMA tertium. *Qui spernit modica, paullatim decidet.* Eccl. 19.

Natura, inquit Plinius lib. 11. cap. 2. pari jure dixeris, ars, virtus, *nusquam magis, quàm in minimis tota est.* *Agilitatem musca volantis* magis miratur Aug. lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 14. *quàm magnitudinem jumenti gradientis, & opera formicarum, quàm onera camelorum.* Tertullianus lib. de ani. stupet tinearum *mandibulas, & gemmmos*: lib. 1. contr. Marc. *apis adificia, formica stabula, aranei retia, bombycis stamina.*

Celebrantur artis miracula, lineæ Apellis, & Praxitelis; opera Myrmecidæ, navis apiculæ alis contecta, quadrigæ quas musca complectebatur. Parentum nostrorum ævo aiunt, muscam appictam vultui D. Ursulæ per discipulum pictoris egregii, ipso inscio, palmam in certamine pictorum ejus confessione tulisse.

In virtutibus magna facinora stupet vulgus: oculati judices sæpe in parvis maximam sanctimoniam deprehendunt, & dicunt, *Digitus Dei hic est*

Quàm multa heroica tantillo tempore patravit Aloysius? Ut de illo aptè dici queat, quod Anthologia lib 1 de juvene cursore: *Aut in carceribus, aut in meta, visus semper est ipse juvenis, numquam medio in stadio.* Sic cursus Aloysii ad virtutes fuit, cæptus ferè simul, & consummatus. Nusquam tamen ejus virtus magis tota fuit, quàm in minimis.

Legitur passim, totâ ejus vitâ, studium perpetuum minimorum. Unum sume, alterumve, & exaggera: tamquam, quòd ephebus cum Imperatrice versatus, speciosissimâ fœminâ, vultum ejus numquam intuitus est, eo loco, eâ ætate &c. Philosophus olim sapientiæ studio se obcæcavit. hic oculatus simul, & cæcus est. D Joannes Bapt. solitudine oculos sepsit: hic facit solitudinem in palatio. Bellarminus de fenestra domûs suæ numquam subjectum Dominicanorum hortum visus despicere: Franc. Cajetanus è cubiculo numquam portum Messanæ: Abbatissa quædam pratum cellæ suæ adjacens itidem numquam intuita. Longè majus est non inspexisse vultum fœminæ principis, &c.

Dic Aloysio, nimiam illam esse curam, in eo honorarii pueri officio: respondebit, nihil sanctitati nimium esse statu quolibet. Dic, S. Abercium Hierapolitanum cum Romam isset, spectâsse, ut ipsemet narrat, Imperatricem in aurea stola; S Thomam Aquin. seu quem alium, defixis in Reginam oculis pransum: respondebit, illis caussam spectandi, sibi abstinendi fuisse. Dic, in tali adspectu aliquando ne veniabile quidem esse peccatum; respondebit, etiam in licitis restringendis virtutem versari. scobem auri, adamantis micas, particulam boni dici non prætereundam: decidi, spernendo minima.

Aiunt in Paraquaria gemmæ genus esse, cui nomen *sexaginta pulcritudines*, aut, gemma gemmarum omnium. Sic est inter virtutes cura minimorum. Sanctorum quamvis exigua facta, & dicta, magnifacimus: quidni, quando Deus magni facit? quidni, quando Principum omnia annotantur! Tale illud apud Spond an. 1273. Rudolfi, quando Imperator Aquisgrani electus est, eoque ab Electoribus evocatus, illico juramentorum fidelitatis ab eis exegit. Recusantibus, propter absentiam sceptri, signum crucis accepit, &, *Ecce*, inquit, *signum in quo totus mundus redemptus est: hoc utamur vice sceptri.* Cum dicto Crucem osculatus est: idem cæteri præstitêre & juravêre. Rudolfo Crux sceptrum fuit: & Aloysio. Illa actiones omnes moderatus, maxima egit, minima non sprevit; mentem ad cælos, & ad *rationes æternas* erexit, sensus à terrenis cohibuit. Imitemur.

DIE S. JOANNIS BAPT.

THEMA. *Magnus coram Domino.* Luc. 1.

Quis, quâ de re laudat! Attendi solet utrumque istud caput in laudibus hominum. Hic Angelus, Dei nomine, prælaudat Joannem à vera magnitudine: post menses novem laudandum à propheta parente; post annos triginta à Prophetarum Domino; post annos sexaginta à Secretariis Spiritus sancti, Evangelistis; deinceps ab Ecclesia usque ad consummationem sæculi. Hic est laudum S. Joannis apex, quod sint de fide. Solum istud encomium Angeli perpendamus.

Basilius hom. 6. in hexam. ad istud, *Fecit Deus duo luminaria magna* &c. dicit magnum aliquid dici absolutè, vel respectivè: absolutè magnum esse Dominum, domum Dei, luminaria magna: respectivè magnum esse granum tritici, comparatum cocco sinapeos. Quâ ratione hic prædicitur fore magnus Joannes? Absolutè. Neque enim dicitur fore *magnus* Doctor, Propheta, Anachoreta, Virgo, Martyr, &c. sed simpliciter.

At in quo fuit ista magnitudo? In animo utique, & in sanctitate: aliud enim nihil simpliciter & absolutè magnum est in homine; quid in Dei servo? *Cogita*, inquit Sen. ep. 8. *in te nihil præter animum esse mirabile; cui magno nihil magnum est*, nisi Deus, ad cujus similitudinem sese conatur effingere, ut idem ait ep. 31. Sanctimoniam autem Joannis, & veram magnitudinem licebit ex officii divinitus destinati magnitudine conjicere. Officium fuit, præcedere Christum *in spiritu & virtute Eliæ*: ut, quomodò explicant Aug. Greg &c. anteambularet primo Christi adventui, sicut Elias præcursurus est secundo: uterque ardenti zelo, *sicut ignis*, *lucerna ardens & lucens*: sed Joannes Elia in multis superior. Primùm, quia adventum misericordiæ præcucurrit, & dixit, *Ecce Agnus*, & de proximo dixit, atque adeo *Plusquam propheta*, &, *Quo non surrexit major*; & dixit de Christo adhuc obscuro, nullis miraculis patratis claro, jacente lapidis instar decisi de monte, ad quem proclive fuit impingere, nisi *lucerna ardens & lucens* demonstraret jacentem. At Elias igneus præcurret igneo Christi adventui, demonstrabit leonem, clarum jam orbe toto, montem implentem terras.

Ex hac Joannis de Christo testificatione licebit sanctimoniam æstimare. Ad testimonii enim fidem opus erat vel ratiocinatione, vel miraculis, vel auctoritate quam irreprehensa vitæ sanctitas conciliâsset. Ratione sola demonstrari Christus nequibat. Miraculis non demonstravit Joannes, quia *nullum signum fecit*, Joan. 10. Supererat itaque, ut spectata vitæ sanctitas fidem faceret de re tam difficili, tam necessaria &c. Ut testimonio præcurreret Christum, antecucurrit continuâ sanctitate. In Scripturis opera virtutum dicuntur *Via*, *semita*; ideoque parentes Joannis exhibentur *incedentes in omnibus mandatis* &c. Ambulantium in ea via sunt genera quatuor: qui citò ingrediuntur, tardè ambulare incipiunt, ut nos baptizati infantes, ambulamus dumtaxat cum usu rationis; atque utinam &c: qui citò initiant, ambulant cum lumine rationis, sed lentè procedunt, raris bonis operibus: qui tardè ingrediuntur, adeoque tardè ambulant, ut olim serò baptizati: qui cæptum iter sæpe interrumpunt peccatis, redeuntque per pœnitentiam. Joannes citissimè, *ex utero matris repletus Spiritu sancto*, viam ingressus est: simul citissimè ambulavit exultans in utero, ut gigas ad currendum: velocissimè cucurrit, austerâ pœnitentiâ: numquam exerravit peccato gravi, totumque iter triumphali martyrio clausit; Christo quàm simillimus, quoad initium, cursum, finem itineris, adeoque sanctissimus, & verè *magnus*.

Et in hoc Christo simillimus, quòd idem Angelus Virgini Christum prænuntiârit, & patri sterili Joannem: dixeritque de Christo, *Hic erit magnus*, sex mensibus postquam de Joanne dixerat, *Erit magnus coram Domino.* De Christo non dixit magnum fore *coram Domino*, quia ipsemet futurus erat Dominus, Rex, Judex, *Filius Altissimi.* De Joanne particulam illam adjecit; tum quia *coram Domino*, id est Christo erat ambulaturus, & præiturus ejus faciem: tum præsertim, quia *coram Domino*, id est revera futurus erat magnus; nihil enim Dei judicio magnum est, quod tale non sit.

Potest quis magnus dici tripliciter, coram se, coram aliis hominibus, coram Deo. Coram se magnus est, qui ambulat in magnis, & mirabilibus super se, sicut asinus gestans mysteria. Talem non fuisse Joannem, constat vel ex responsis ab ipso datis ad interrogationem Judæorum, *Tu quis es?* Ibi enim non tantùm non exaltavit se supra se, sed demisit sese longè infra se.

Coram hominibus magnus est, qui ab illis magni fit. Tanti autem factus est Joannes, ut Luc. 3. cogitarent omnes *in cordibus suis, ne fortè ipse esset Christus*: & Joannes Evang. ideoco disertè scripsit, *Non erat ille lux, sed* &c. Neque aliam ob caussam, Dei providentia noluit a Joanne miraculum fieri; quàm ne populus, auctâ inde suâ de illo opinione statueret esse Messiam, quem miracula

patratuum non ignorabat. Joan 10. *Multi crediderunt in eum*, Christum, *& dicebant, quia Joannes quidem signum fecit nullum.* Alioqui, si Joannes signa fecisset, à multis, quamvis invitus, & ab ipso forsan Herode, qui sciebat *virum justum & sanctum*, &c. pro Messia habitus fuisset.

Angelus tamen non prædicit, Joannem fore magnum *coram hominibus*: quia magnitudo ista digna non fuit Angelico sermone. Hominum enim judiciis sæpe magna censentur, quæ talia non sunt, sicut bracteolæ infanoum: aut, ut talia sint, non conveniunt tali: aut, ut conveniant tali, non eo modo competunt, quo judicant: denique hodie magnum homines quempiam judicant, quem cras pro minimo rejicient, ut perpsæpe. Eam ob rem, Angelus Joannem dixit magnum fore non coram hominibus, sed *coram Domino*, id est revera magnum, illius sententiâ qui scrutatur renes & corda. Utinam illo teste, & judice agamus, & vivamus. *Ambula coram me, & esto perfectus*: curre, Christiane, cum Joanne, vias & semitas justitiæ coram Deo, & Christo ejus.

THEMA alterum *Quis, putas, puer iste erit?* Ibid.

Constantinus Porphyrogenitus, visis benè magnis duabus æreis statuis, ex colossi Rhodii pollice pedis sinistri conflatis; collegisse dicitur, tantum in toto colosso æris fuisse, ut camelorum triginta millia illi ferendo opus essent. Rabbini ex lecto, novem cubitos longo, Og Regis Basan Deut 3. quem cunas fuisse interpretantur, colossæam illius proceritatem conjiciont.

Colossus est Joannes, mundi miraculum, imago Solis illius, de quo Zacharias hodie, *Illuminare his, qui in ten.* &c. Est gigas *magnus coram Domino*, qualem esse oportet armigerum & præcursorem illius, qui *exultavit ut gigas ad currendam viam.* Metiamur proceritatem gigantis illius, & colossi molem ex pollice pedis unius, ex cunis, ex nativitate: *Quis, putas, puer iste erit?* Neque omnia congeramus, quæ de eo feruntur: sed authenticas solùm & certissimas prærogativas in Scripturis annotatas; duas ante nativitatem, duas in nativitate, totidem post.

Prima prærogativa antecedens, est prædictio, eaque duplex: per Prophetam, & per Angelum. Per prophetam Malachiam, qui putatur Esdras, atque adeo Joannem præcessit quinque circiter sæculis. ut mirabilior nulla sit, post prophetias de Christo & Virgine, prophetia de ullo homine, si temporis rationem attendas. Longè mirabilior, si verba consideres, *Ecce mitto Angelum* &c. officio utique, quia præcurret: & moribus, quia Angelus puritate; quia Archangelus & princeps eorum, qui nominantur Angelici; quia Cherubinus, in tenebris maternæ alvi Deum videns; quia Seraphinus, jam tunc extensis alis evolare gestiens. Per Angelum Gabrielem altera prædictio facta est, fortitudinem Dei, quia *manus Domini* erat futura cum illo. Angeli nativitatem Isaaci, Samsonis, &c. prædixêre: sed nulla in Scriptura mirabilior nascituri hominis prædictio, quàm hæc, si circumstantiæ omnes attendantur: Gabriel prædicit, idem qui Christi annuntiator fuit; in Templo à dextris altaris, destinatum dexteræ divinæ instrumentum, horâ incensi, suavissimo virtutum odore fragraturum, obmutescente Zacharia, incredulos reviviturum; exspectante populo, conciones ad frequentiam habiturum.

Altera ante nativitatem prærogativa, fuêre parentes nobiles, sancti, steriles. Nobilitas spernenda non est, si sanctimoniæ juncta est: quare Paullinus D Melaniæ laudem ordiuur *à laudibus generis*. Lucas illam notat in Zacharia & Elizabeth: notat etiam sanctitatem, nec verbis aliis opus est: sterilitatem iisdem describit. Ex sterilibus orti Isaac, Joseph, Samson, Samuel, Nicolai Myrensis, & Tolentinas, S. Daniel Stylites, S. Albertus Carm. S. Franciscus Paullanus &c.

In Nativitate prærogativa prima fuit: quòd in gratia natus, repletus utique Spiritu sancto in utero. Eaque vera caussa est, cur ipsius nativitas celebretur, uti & Christi, ac Virginis: etsi Aug. serm. 20 de Sanctis aliam afferat, quòd quasi prima sit Ecclesiæ nativitas. Eumdem nativitatis impollutæ favorem quidam Jeremiæ, Josepho, Nicolao, Asellæ, Jacobo minori &c. tribuunt: sed soli Joanni in Scriptura tribuitur, habeturque privilegium ipsius repositum in archivis divinis. Addunt quidam, in his P. Lancicius noster, isti privilegio velut obsignando, impressum pectori Ioannis adhuc utero clausi nomen JESU. Sed nos statuimus nihil proferre, nisi authenticum ex Scriptura.

Altera prærogativa nativitatis est, à nomine Ioannes. Impositum id quidem octavo die, aut potius declaratum: sed antè datum, atque adeo infans secum illud attulit ad lucem. Nominis excellentiam faciunt, qui dant, ratio dandi, significatio, congruentia. Ioannis nomen isthæc omnia complectitur: eamque ob rem à tam multis, & tam magnis amatum est, ut Pontifices Maximi viginti duo, Sancti in Martyrologium relati triginta septem, ut alios Heroes prætercam, illud habuerint. Quis dedit nomen: an mater? Prophetis fuit. An pater? Et ipse propheta. An Gabriel? De astantibus ante Dominum. Deus ipse nomen imposuit, atque adeo dici fermè potest patrinus seu susceptor D. Ioannis. Quid si matrinam dicamus Virginem, cui tres filii fuêre; naturâ Christus, susceptione Baptista, adoptione Evangelista?

Caussas imponendorum nominum affert quaternas D. Thomas p 3. q. 37. art. 2. à tempore, cognatione, eventu. qualitate. Accedit sors interdum: pietas & fiducia erga sanctos: vanitas, quam notamus ad cap 2. lib. 1. vers. 16. & ad cap 6 libri ejusdem vers 5. Ratio dandi huic puero nominis, *Ioannes*, fuit officium, quia prænuntiare, & præcurrere debebat misericordiam & gratiam, *parare Domino plebem perfectam*: utrumque istud præconis & anteambulonis officium D Paullus, insignis præco & cursor Evangelicus, tribuit D. Ioanni Act. cap 13. vers. 24. & 25.

Ioannes quidam à *Chanan*, *misertus est*, deducunt: alii communius & verius ab *Hanan*, *gratia*. Quid gratiâ Dei magis necessarium, sine qua per noctem laboratur, & nihil capitur? Quid pretiosius, de qua S. Thomas 1 2. q 113. art. 9. *Bonum gratiæ unius majus est, quàm bonum naturæ totius Universi?* Nos quidem interdum valdè parvi facimus, præ hominum gratia: sed cùm ad lucem æternus vitæ propius accedemus, cavendum, ne cogamur ingemiscere; ut Cardinalis Volsæus, qui benevolentiam impuri Regis Henrici 8 præposuerat amicitiæ divinæ.

Accedere debet convenientia nominati cum nomine. Alioqui pulcerrimis interdum nominibus Nicolai, Gregorii, Catharinæ, Agnetis, vestiuntur iracundæ, obscœnæ, dormitantes, timidi: & hoc ipsum excellentissimum Ioannis nomen tulêre hæresiarchæ tres, Vicleffus, Hus, Calvinus. At puer hic *prius sensit istam gratiam, quàm naturam*, ut ait Prosper 2 de voc gent cap 11. in gratia adolevit, in gratia semper crevit: *nullam infantia sensit ætatem*, nullam juventutis mutationem, nisi in perfectius semper ac perfectius. Meritò itaque appellatur *Gratia Dei*, qui velut totus in illam transierat: quomodo ferrum ignitum vocamus ignem.

Prærogativa prima post nativitatem, est à gaudio, admiratione, timore, subsecutis. Gaudium prædixerat Gabriel: & ad hanc usque diem continuatur in Ecclesia Dei, immò & apud Mahumetanos ipsos, hac in re Christianis quibusdam incussuros ruborem. Admirationem adstantes expressêre his verbis, *Quis, putas*, &c. & præsignificavêre vitam Joannis fore admirabilem, & supra communis imitationis conatum. Timor admirationi conjunctus, ad novorum & insolitorum in ea nativitate signorum spectaculum, præsignificavit vocem clamantis in deserto, *Iam securis ad radices arborum posita est.*

Altera prærogativa post natum Joannem, fuit vox patri reddita, & mox in laudes divinas nobilissimo Cantico impensa. Organorum instar fuit Zacharias; aura divina perflavit, vox Joannes per tubulos transiit; *manus Domini* plectri vicem implevit: inde suavissimus cantus auditur. Lumen fuit Joannes, rivulus fuit: à lumine ad Solem, à rivulo ad fontem, ascendit Zacharias, & Deo gratias agit. Tantus fuit Joannes, quia *manus Domini* erat *cum illo.* Et nos ab illa manu exspectemus, ad illam referamus, quidquid accepimus bonorum, quidquid speramus.

THEMA tertium. *Posuit me quasi sagittam electam.* Isa. 49.

Vita S. Joannis sagitta est, quâ petuntur vitia nostra. Primùm, pœnitentiâ ejus, & austeritate, etsi numquam peccasset mortaliter, nec peccare posset, confirmatus utique in gratia: de levibus peccatis venialibus tantum exigit pœnas, quid nos? Deinde, humilitate ipsius: vitâ tricennio absconditâ, fugâ honoris indebiti delati, recusatione etiam honoris debiti: quid nos, retinentes nostrorum, alienorum appetentes? Denique castitate illius. Hieronymus ait, in desertis fuisse ab infima pueritia, ne castitatem vel levissimè contaminaret, conversatione cum ipsa matre sua, & ancillis domesticis. Tam purus esse debuit, qui ostensurus erat *Agnum Dei*. Quàm puri esse debent sacerdotes, qui ostendunt, & tenent *Agnum*: Christiani, qui comedunt?

De D. Ioannis laudibus vide quædam suprà in hoc Indice Dom. 2. Adv. themate quarto. Vide item non pauca Exc. 3. ad cap. 2. lib. 1. sect. 2.

DIE

DIE SS. PETRI ET PAULLI.

THEMA. *Qui diligunt te, sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilent.* Jud. 5.

Principes Apostolorum fuêre, eximiæ caritatis ardore & fulgore, velut Soles duo, aut potius parelia Solis nostri Christi. idcirco olim ad Christi latus utrimque pingebantur, sicut imagines suæ ad latera Solis. D. Thomas Aquinas ad hoc thema, *Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem*, Soli Petrum, Paullum Lunæ comparat: alii, eadem sententiâ, illum faciunt *luminare majus*, istum *luminare minus*. Chrysostomus hom. 32. in epist. ad Romanos, dicit, illorum gloriâ magis splendere Romam, quàm cælum Sole. Elpidia Boethii uxor, in veteri hymno, dies illos & Solaribus radiis conserebat. Ennodius, in dictione pro dedicanda ex idolorum templo basilicâ Principum Apostolorum: *Christus*, inquit, *ingressus est*... *Venerunt cum eo calorum radii, Apostolorum diademata, Petrus & Paullus.* Ab istis encomiis non longè abibimus, cum Parelia faciemus.

Id phænomeni genus adeo non infrequens est, ut Gassendus lib. 4. vitæ Peresquii affirmet an. 1629 visos Romæ Soles quinque, spurios scilicet quatuor: paullò post etiam septem. Spondanus perhibet an. 1514 visos tres Soles velut ensiferos. quos si Christo & Apostolis accommodare velimus, Christum dicemus venisse pacem mittere, non gladium; Petrum gladio armatum connivente Christo; Paulli insigne ensem esse, & gladium verbi divini.

Qui autem fiant illæ Solis imagines, apud philosophos disceptatur. Recentior quidam existimat, niveatam nubium superficiem Soli oppositam venti calidi afflatu liquefieri, & tum planam speculi instar: in eam superficiem incidentes radios, reliquo nubis opaco, Solarem imaginem efficere, adeò rotundam interdum & fulgidam, ut umbras mutet, & plus Sole exurat. Verâne ista sit hominis docti conjectura, non disputo: comparationi tamen nostræ utilis est.

Solem enim Christum esse nemo nescit, ex quo ab Isaia dictum, *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ*: & ex quo dies Solis in Domini diem transiit. Magnitudinem Solis illius adspectabilis audit ab astrologis vulgus attonitum, sexagies supra centies terræ globo ampliorem, aut, ut Cornelio à Lapide nostro præsente nuper Romæ insignis Mathematicus asserebat, octingenties. Nec velocitatis minor admiratio est: quando affirmatur horis singulis conficere centum quadraginta millia milliarium, supra milliarium solidum milliuorm: quando Bellarminus lib. de asc. mentis in Deum affirmat expertus, tam vastum corpus totum nobis occidere, dum psalmus non benè longus recitatur. Calor, & lux, rerum corporearum parens ille, ista ornamentum, maximè in sensus incurrunt, & à Psalmista atque Siracide psal. 18. & cap. 43. præcipuè celebrantur.

Quantò mirabilior est Solis illius intelligibilis ac divini magnitudo, velocitas, & lucidus calor? In cordis sui particula terram universam claudit: imò inferos ipsos, apostatam Petrum, persecutórem Paullum, cui cor fuisse cælis sublimius, terris latius aiebat Chrysostomus. *A summo cælo egressio ejus* momento ad terras; ut videatur novissimè abortivo Paullo; & Petro appareat Româ profugienti, & petenti, *Domine, quò vadis? Lux* ipsius *supra splendorem Solis* circumfudit Paullum, currentem ad tenebras; & respexit Petrum, in nocte defossum.

Sol igitur Christus est. Petrus & Paullus nubes; ille de mari Galilææ extractus, hic de Tharsis. Eas nubes nive concretas, peccatis conglaciatas, afflavit Auster, Spiritus Christi; percussit calor & lux gratiæ & caritatis divinæ: protinus fluxerunt aquæ, & gemina Christi imago, velut in speculis, resplenduit. *Sequere me*, inquit Petro Christus; muneris, vitæque, & mortis exemplo. *Imitatores mei estote*, inquit Paullus, *sicut & ego Christi.* Splenduêre ut Christus, arsêre ut Christus; & plus, ad sensum, quàm Christus, qui prædixerat fore, ut sui *majora* se facerent.

Qui scire ad perfectum cupit, quàm uterque Christo similes fuerint: conetur ad perfectum intelligere, quam Christum amârint. Nam, ut apud Ficinum in Conv. aiebant Platonici, *Qui amat, figuram & faciem ejus, quem amat, suo imprimit atque insculpit animo.* Amor, artis ac celeritatis mirandæ pictor ac sculptor est. Gloriosi Principes, qui in vita sua dilexerunt se, & in morte non sunt separati: quantum amavêre auctorem sui Principatûs? Quid dixêre, quid egêre? O ancœosas Petri voces Joan. 21. *Tu scis, quia amo te*, ter repetitas! O ardentia Paulli verba, sæpissimè iterata, *Vivo ego jam non ego*, &c. *Quis nos separabit*, &c. *Qui non amat D. IESVM* &c.

Fac, & patere amor, non loquere. opera, labores, motus pro amato, linguæ sua sunt. Specta concionabundum, & disceptabundum Petrum, ardore suo mentes torrentem, luce sua umbras mutantem. Vide adversùs vitia pugnantem; in Judæa adversùs Pharisæos, Ananiam & Sapphyram, Simonem magum: in Italia adversùs eumdem Simonem, cujus historiæ veritatem fusè probat Baronius an. 68. Arnobius lib. 2. cont. gent. post initium ait, Simonem, ex lapsu cruribus perfractis, *perlatum Brundam, cruciatibus & pudore defessum, ex altissimi mentis rursus se præcipitâsse fastigio.* Intuere denique Petrum, ad desideratæ crucis amplexus currentem, & in ea inversum; ut vel sic magicæ imaginis instar sit, quæ prototypo suo soles obvertit.

Petro comparationem nullam idoneam invenire possimus, nisi Paullum. *Vas admirabile, opus Excelsi, vas electionis*, portavit nomen Christi, vitia profligavit, tormenta pertulit. A conversione in Arabiam proficiscitur, Damascum, Hierosolymam, Cæsaream, Tharsum, Antiochiam, rursus Hierosolymam, Antiochiam, Seleuciam, in Cyprum, per Pamphyliam, Lydiam, Pisidiam, tertiò Hierosolymam ad Concilium, per Ciliciam, Phrygiam, Galatiam, Mysiam, Troadem, in Macedoniam, Græciam, Achaiam, Epirum, ubique *in virtute signorum* &c. *replevit regiones omnes usque ad Illyricum.* Inde quartò Hierosolymam venit: tum vinctus Romam perducitur: vinculis liber Hispaniam peragrat, & Galliam, Orientemque adit rursum, & cum Petro Romam revertitur. Rationem istam Paullinorum itinerum ex Massutio nostro hausi pag. 808. Quantas interim, & quàm multiplices pugnas adversùs vitia, & vitiosos, Judæos, Gentiles, magos, Christianos ipsos suscepit? Quot martyria pertulit, enumerata 2 Cor. 11? Donec postremum confecit Romæ, eodem die & anno quo Petrus, ut doctè probat Baronius an. 69. ex Caio Papa, Zephyrino, &c. contra Augustinum, Prudentium, Aratum, dicentem, eodem die passum anno sequenti.

Chrysost. hom. 8. de laudibus Paulli ait, quosdam adspectu Solis ita delectari, ut ad caliginem usque intueantur. Pareliorum nostrorum adspectu ita delector, ut inde vix possim oculos avertere: reflectendi tamen sunt ad nos tantisper.

Celeberrimum jam olim fuisse Romæ festum hoc, constat ex Prudentii versibus: in Africa item, constat ex Augustini concionibus eo die, sermone præsertim 41. de div. ubi dicit tristem se esse, quia non videt *tantum populum congregatum, quantus congregari debuit in natali passionis Apostolorum.* Græci schismatici, & Moscovitæ qui Græcos ritus sequuntur, hodieque jejunare dicuntur à festo Trinitatis, quo ipsi celebrant festum Sanctorum omnium, usque ad festum Sanctorum Petri & Paulli, in eorum honorem, vocantque jejunium ipsorum.

Nec passis Catholicis cedamus hujus festi celebratione, nec schismaticis hodiernis: &, quò melius celebremus, pro virili nostro Sanctos Apostolos imitemur. Solis parelia esse non possumus: at simus pareliorum imagines. Non habemus cor, ut Christum amemus, & dicatur de nobis, *Qui diligunt te, sicut Sol*, &c? Non habemus linguam, ad loquendos *sermones Dei*, ut monebat Petrus 1. 4. unde *sermo noster semper sit in gratia*, ut aiebat Paullus Col. 4? Non habemus manus, ut operemur aliquid pro Christo, cum Christo, ex ejus voluntate, secundum gradum nostrum?

Christus, apparens post resurrectionem Apostolis, *ostendit eis manus & latus*: illas primum, quasi vellet dicere, ex operibus discendum quale sit cor. O Christe, ostende mihi latus tuum; unde exivit sanguis & aqua, ad abluendum me; ubi fornax est amoris, quo ardere cupio. Ostende mihi manus tuas, unde mihi vires ad operandum ex amore. *Velata dum meridiem cernat fides, Et Solis instar sola regnet caritas.*

THEMA alterum. *Tu es Petrus.* Matth. 16.

D. Petro debetur encomium peculiare: quia de illo Evangelium festi legitur: quia, quisquis veram fidem amavit, Petri fuit amator, ut apud nos Divi Amandus, Hubertus, Vaso. quia hæretici hodierni singulariter oderunt D. Petrum, magis quàm D. Paullum; illius imaginem iconomachi deturbârunt, hujus non; hujus nomen præferunt non pauci, illius rarissimè. De eo nomine dicemus, tam proprio Principi Apostolorum, ut ante ipsum nemo illud gesserit: nisi forsan ex Eusebio reperiatur Cretensis quispiam agnominatus πέτρος, & quidam Rex Ægypti dictus πετροκλῆς; sed hæc cognomina fuere, non nomina.

In creatione Deus jubet animalibus imponi nomina per Adamum: ipse per se imponit nomina cœlo, terræ, mari. Cur hoc; quandoquidem, ex philosophorum sententia, animalia sint nobiliora quibusvis inanimis; &

minimum maximi sit majus maximo minimi? Rupertus lib. 1. in Gen. exp. 28 art. id factum, quia animalia non permanent; cæli, terra, maria perdurant. Addo ego, quia hæc sunt caussæ universales multarum rerum.

Christus, in spirituali creatione Ecclesiæ, Apostolis omnibus nomina sua relinquit ab hominibus indita: Boanerges enim, datum Jacobo & Joanni, non fuit nomen, sed agnomen. Soli Simoni Barjona, quia fundamentum durabile esse debebat, & velut caussa universalis in Ecclesia, nomen à Christo inditur Joan. 1. *Vocaberis Cephas.* Quæ appellatio, non à κεφαλή ortum, ut Anacletus & Optatus Milevit. indicavère; sed ex voce Syro-Hebraica petram significante. Allusisse quidam Christum putant ad rupem Hierosolymæ imminentem, cui nomen Kepha: vide Cornelium in 1. Petri cap. 1. Alii existimant allusum ad Josephum, qui Gen. 49. dicitur *Pastor lapis Israel*, & Eccles. 49 dicitur *Princeps fratrum, stabilimentum populi* &c. Dicendus potius Christus, voluisse vicario suo designato communicare appellationem suam: *Petra autem erat Christus*, inquit Paullus. *Lapidem; quem reprobav.* &c. inquit Christus.

Petrum sub ea petræ ac lapidis imagine contuebimur, primùm rudem, & impolitum, ante Christi resurrectionem: tum ita aptum ac pretiosum, ut sit *basis & columna Theologorum fortissima*, ut Dionysius loquitur cap 3 de div. nom.

Centuriatores Magdeburgenses apud Bell. lib. 1. de Pont. cap. 19. numerant *quindecim horrenda* D. Petri peccata: sed, exceptâ negatione, inquit Bell. *quod peccatum grave fuisse negari non potest, cætera quatuordecim non B. Petri sunt horrenda peccata, sed Magdeburgensium horrenda mendacia.* Horrendum dumtaxat unum peccatum admisit, sed multas habuit imperfectiones. Omitto naturales, à generis, artis, educationis obscuritate, quæ ipsum inter *infirma & contemptibilia mundi* reposuère. Morum imperfectiones, & vitia, dumtaxat expendo. Qualis in se fuit, erga proximum, erga Deum? In se, avidus quietis, aspera cavitus hinc, *nesciens quid diceret*, clamat in transfiguratione, *Bonum est nos hic esse*; & Matth. 16. post fidei confessionem, aversatur passionem Christi, *Absit à te* &c. Erga alios superbè se gerit, & contemptim: *Etsi omnes scandalizati fuerint* &c. *Facta est contentio* &c. *Inter superbos* scilicet *semper jurgia sunt.* Erga Deum, est *modicæ* fiduciæ in mari; *modicæ fidei*, & caritatis, in interrogationibus ancillularum. Horrendum verè hoc peccatum, & numquam satis exaggeratum.

Lapis iste reprobatus, fiet in caput anguli. *A Domino* fiet *istud*, & erit *mirabile in oculis nostris.* Pumex arida conversa Christo fluet aquis largissimis: cinereo marmore, scalpri impatiente, fiet elegantissima sanctimoniæ imago: levis glarea, flatu ancillulæ disjecta, fiet petræ immobilis instar, & *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*: proiectus silex pluris gemmis æstimabitur: vile rupis fragmen fornicem Ecclesiæ claudet, & fiet *caput anguli à Domino.*

Bellarminus 28. prærogativas D. Petri numerat: una sufficeret, quòd post Christum fuerit caput anguli, petra Ecclesiæ, Christianorum omnium pater. Nam si verum est, quod docet D. Thomas p. 3. q. 28 art. 4. & 5. in corp. Deum, muneri a se collato, adjicere gratias proportione: quantas contulit Patri Apostolorum omnium, Martyrum, Doctorum &c.? Et, si Angeli tantò excelsiores censentur, quantò major ipsis cura commissa est: quidni idem de Sanctis dicamus?

Sed lapidis nostri pretium æstimemus ex se, non ex comparatione: quod in adamante aiunt spectari, imum, latera, acumen intueamur; quis erga se, proximum, Deum Petrus fuerit? Erga se ipsus, continentiâ perpetuâ, & asperitate victus: prorsus ut Gregorius Nanz. dicat, pane & malvis solum victitâsse, olivas alii malvis substituunt. Erga alios, humilitatem adverte D. August. exp. epist. ad Gal. exp. 2. in tolerata objurgatione per Paullum, *adde posteriorem, adde coram omnibus*: adverte item humilitatem in ep. 2. titulo, ubi Princeps Apostolorum æquat sibi Christianorum infimos, *qui coæqualem nobiscum sortiti sunt gratiam*: eamdem humilitatem adverte in caritate quibusvis exhibitâ; pauperibus, quibus Dorcas vestes faciebat, idiotis ad quos concionatur; ægris, quos umbra sanabat; Judæis persecutoribus; alienigenis quibusvis, quos etiam in Africa, Hispania, Gallia ab eo conversos ait Innocentius I. Et nos fætus ipsius sumus, saltem per missos ab eo discipulos. Erga Deum quàm solida *fides Petri*, per antonomasiam sic dicta. quàm erecta spes, cùm nos hortatur, ut humiliemur *sub potenti manu Dei* &c: quàm ardens caritas, clamantibus centies quotidie vinculis, probris, laboribus, carceribus, morte, *Domine, tu scis, quia amo te?*

Etsi ad finem vitæ Petri venerimus, finis tamen laudum ipsius esse non debuerat in tam ampla materia: nisi Isaias silere me juberet, & vobiscum agere ipse verbulo vellet, cap. 51 *Attendite ad petram, unde excisi estis*: non tam Abrahamum Judæi, sed Petrum Christiani. Et ipse Abraham est pater multarum gentium. Quomodo petra illa ab opifice & architecto Christo polita, & aptata est? *Tunsionibus, pressuris.* Et tu, si vis superædificari, tundaris, & secteris necesse est. Aliter Paullo, quam Petro non contigit: nec tibi aliter fiet. In manu tua sum Christe. *ure, seca*, &c.

THEMA tertium. *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cælorum.* Matth. 18.

Petro, & cæteris Apostolis hoc dictum de puerulo: de Paullo aptissimè dicam Christianis omnibus. Prius *salutate MARIAM, quæ multum laboravit in vobis.*

Patres & Interpretes non conveniunt de tempore, quo nomen Paullo datum est. Saulum & Paullum simul in Circumcisione dictum ait Origenes & verò binomii frequenter fuère Hebræi, ut in Mathathiæ filiis videre est. Chrysostomus putat, à Christo mutatum ipsi nomen in conversione. Ambrosius ab Anania in baptismo: Augustinus serm 74. de temp. ab ipso sibi Paullum mutatum initio conversionis. Communis post Hieronymum, & Augustinum 8 Conf. sententia est, Paullum cœpisse vocari, Sergio Paullo converso Act. 13 sive ipse sibi, veluti trophæi vice, assumpserit; sive Sergius, gratitudinis ergò, concesserit, velut in familiam adoptato, ut Baronius putat.

De significatione nominis itidem variæ sunt sententiæ. Hieronymus videtur deducere ab Hebræo *Pele*, Admirabilis: alii à *Pahal*, operatus est: alii à Pe Hebræo. & αὐλός Græco, os tibiæ seu tubæ: alii à παύειν, quiescere ut Saulus à σάλο mare. Omnes istæ derivationes apprimè D. Paullo conveniunt, ut consideranti patebit. Vera tamen hæc mihi videbatur: Paulli nomen à parvitate, & pusillitate, deduci, origine Latina: sic dictam Romæ familiam Paullorum ab exiguitate staturæ. Sic censuit Aug. lib. de spir. & lit. cap 7. *Paullus... non ob aliud hoc nomen elegit, quantum mihi videtur, nisi ut se ostenderet parvum, tamquam minimum Apostolorum.* Et serm. 36. de div. *Paullus, quia modicus. Paullus humilitatis nomen est* &c. *Usum Latinæ locutionis advertite*, &c.

Illum ergo videamus, primò Paullum, quia minimum & ultimò genitum filiorum Christi deinde, quia, in tanta meritis & virtutis magnitudine, humillimum. Addiderint alii tertiò, quia staturâ pusillum, præsentiâ corporis infirmâ, tricubitalem ut ait Chrysostomus. Sed ista pusillitas, ad laudem, exilis & nulla est.

Primùm itaque, Paullus; quia postremò genitus Christi, etiam post Matthiam. Quare frequentissima est ipsius cum Benoni ac Benjamin comparatio, filio doloris matri, filio dexteræ patri. Filium dexteræ agnosco ex prærogativis à Christo collatis, quas senario complector. Prima fuit, vocationis modus, extra ordinem, miraculis duodecim ornatæ; quorum præcipuum fuit, tam subita & tanta mutatio. Altera: sapientiæ *abyssum & mare profundissimum*, ut vocat Chrys. hom 4. de ejus laudibus; & præf. in ep. ad Rom. omne hominum genus invitat ad ejus epistolas: & verò altissima ibi de fide, de Deo-homine, de Angelis *non ab homine hausta, sed per revelationem IESV Christi*: & tam alta, ut D. Petrus ipse, sapientiâ illius commendatâ, moneat, quædam esse *difficilia intellectu.* Tertia, sine qua sapientiæ thesaurus absconditur, *eloquentia Christiana flumen*, inquit Hieron. epist. 61 *rugitum leonis nostri*, ... *tonitruum*, quo audito tremefit Fælix Act. 14. & Pagani habent ipsum pro Mercurio Act. 14. Ecclesia *mundum universum Paulli prædicatione* edoctum ait: quod fusè exequitur Chrys. hom. 4. & ejus lectionem, ut & Augustinus, oratoribus Christianis maximè commendat.

Prærogativa quarta: miracula Act. 19 à semicinctiis, sudariis &c mortui suscitatione, dono linguarum, spiritu prophetico, visionibus. D. Petrus oculis vidit Angelum in carcere: imaginatione linteum cælitus demissum: intellectu divinitatem Christi, quam caro & sanguis non revelavit. D. Paullus videt Angelum in naufragio: imaginariè videt hominem Macedonem: intellectu rapitur in *tertium cælum*, estque ipsum cælum visio intellectualis.

Quinta: fama tanta, ut in oculis Christianorum ferretur vivus, & ubique expeteretur: gloriarentur sese esse Christianos Paulli: simul cum Petro, quasi unum cum illo conflaret, jungeretur. Id ipsum à morte ita servatum, ut quasi individui separarentur numquam prorsus ut inde arripuerint nonnulli occasionem dicendi, unum ex duobus Principibus Apostolorum caput conflatum; quæ tamen sententia damnata est, cùm unicum sit caput Petrus,

capitis

capitis adjutor Paullus. Sexta: virtutes solidum famæ fundamentum, de quibus facundissimè Chrysost. hom 8. de laud Pauli, illum Abelo, Abrahamo, Jacobo, Josepho, Mosi, Aaroni, Phinees, Davidi, Eliæ, Elisæo, Ezechiæ, Josiæ, Joanni, Petro, Gabrieli, Michaeli, singularibus factis comparans, cum hac clausula, *Etsi Angelorum, & hominum justorum, ordines omnes circumeam, non invenio comparationem, cui merita Pauli cumulatè non obruant.*

Inter hæc quanta Paulli humilitas? *Gratiâ Dei sum id, quod sum Sum minimus Apostolorum. Non sum dignus vocari Apostolus. Venit Christus peccatores salvos facere, quorum ego primus sum.* Expende hæc, præsertim illud postremum. Neque ista generatim dixisse contentus, particulatim dicit, *Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus.* Nec contentus publicatione præteritorum vitiorum, præsentes etiam imperfectiones suas manifestat: *Ne magnitudo revelationum &c. Datus est mihi stimulus carnis, angelus satana.*

Eadem humilitas ipsi judiciorum, & sermonum humanorum, metum omnem ademerat, aut proculcandum dabat. *An quæro hominibus placere? Loquimur, non quasi hominibus placentes. Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer. In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros … per infamiam, & bonam famam, ut seductores & veraces,* &c. In promiscuo ipsi est laus, & vituperium; honor, & dedecus: modò inde gloria Dei existat.

Tantæ humilitati pro merito ponderandæ, videndum quis sit Paullus, quam magnus in pusillo. Si quis superbiat, nihil eminentis habens; non magis mirer, quam si temperans sit, cui non est unde sit intemperans. Sed Paullum tam sapientem, ut coram Synedrio, Areopago, Romanorum doctissimis disputet; tam sanctum, ut virtutis omnis exemplar habeatur; tam magnanimum, ut Præsides, Proconsules, Reges terreat, ipse *occidi possit, superari non possit*, ut Gregorius de eo loquitur: talem Heroem adamantinum, aureum, cælestem, esse tamen humilem: id verò est omni sublimitate excelsius, & vera *virtus Christi.*

Apud Joannem Climachum, in gradu cui titulum fecit, *De victrice passionum omnium, altissima humilitate:* quidam dicit verum humilem, opera sua valdè parvi facere, & minimum se reputare: alter, in operibus suis Deo reste esse contentum: alius, ultro errata sua fateri, ubi divinus honor aut proximi bonum postularet. Istorum nihil fecerit justitia Scribarum, & Pharisæorum: fecit justitia Paulli. *Qui se humiliaverit, sicut parvulus iste, major erit regno cælorum:* at qui Pharisæos imitabitur, ne intrabit quidem in regnum cælorum.

DIE VISITATIONIS D. V.

THEMA. *Exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione* Luc. 1

Humanitas MARIÆ visitantis panegyricè prædicatur Exe. ad cap 7. lib hujus, sect. 7.

THEMA idem

Magis honorificam, magis suavem, magis plenam caritatis visitationem, quam hanc, nusquam in Scripturis invenias Inter se visitant Christus, Joannes; mater Domini ac nuntius, & parentes Joannis: honoratissimi omnes. Nihil sentitur nisi gaudium, & exultatio. Audiuntur gratulationes, & laudes: exercetur hospitalitas, rependuntur obsequia. Id me admonet, ut de honoratissimis, suavissimis, caritate differtis visitationibus Virginis erga suos, dicam.

Deus, qui semper nos videt, semper nobiscum est. dicitur tamen in Scripturis homines duobus modis visitare. Isidorus lib 3. sent. cap. 3. sent 3. *Visitatio Dei nec semper in bonum accipitur, nec semper in malum In bonum enim accipitur, sicut est illud. Visita nos in salutari tuo: in malum verò juxta illud, In tempore visitationis suæ peribunt.* Isaias cap. 10. petit à Judæis. *Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longè venientis*, ab Assyriis &c? Idem cap. 60. *Ponam visitationem tuam pacem.*

D. Virgo, misericordiæ mater, etsi etiam dici possit duplex habere visitationis genus, justitiæ unum contra inimicos, misericordiæ alterum pro amicis: quia tamen illæ raræ sunt, hanc tantùm tangemus, quâ implet domum Ecclesiæ gaudio, sicut domum Zachariæ. Itaque applaudimus Petro Damiano dicenti, *Per Mariam, quidquid Deus creaverat, recreavit:* Ildefonso præcinenti, *Ex B Virgine omnes beatificantur:* Andreæ Cretensi prædicanti, *Omnium miraculorum, quæ ubicumque & quomodocumque facta sunt, Dei matrem effectricem esse dicamus.* Quæ sic Christianos visitat, nonne à Christianis vicissim merebitur visitari? Planè: sed, ante id exequendum, videamus particulariùs quos visitet Virgo, quo fine, quâ ratione *Exsurgens* visitat amicos, qui & ipsi stant: *in montana*, fine excelso salutis: *cum festinatione*, in opportunitatibus, in tribulatione.

Sedentem à dextris Dei Christum, videt Stephanus stantem: cur? Variæ rationes à variis afferuntur. a nobis indicantur supra, themate tertio ejus festi Quid si dicamus, eâ staturâ Christum indicare voluisse, quo stato esset erecta Stephani mens, & intenta in cælum? Sic Virgo *exsurgens* visitat suos, quis de peccato exsurrexisse oportet, qui ab illa beneficium exspectant. Itane? Nonne est *refugium peccatorum?* Nonne multa ejus beneficia recitantur collata improbis? Nonne Antoninus tom. 4. l. 8. cap 32. narrat, de juvene Alpes transeunte, qui, fulguris cuminibus duobus, voce simul de cælo intonante & cæderi jubente; periculum evasit dictâ antiphonâ, *sub tuum præsidium* &c & Virgine exsurgente in ejus auxilium *in montana cum festinatione?* Facilè istud, & consimilia nonnulla crediderim: quia *caritas omnia credit* At quàm rara sunt præ iis, quæ probis contigêre, & historias implevêre?

Probos visitavit, ut magis ac magis probos efficeret, & *ad montana* duceret. Venit Christus *salvos facere*, ut *vitam habeant & abundantiùs habeant*: non alio fine sanavit corpora, quàm ut animas sanaret; imò ante animas non raro sanavit, quàm corpora, ut in paralytico demisso per tectum. Eumdem finem in beneficiis solis spectat Virgo, & Filius.

Iste *pertransiit*, & minoet *benefaciendo*, & illa Iste, in beneficentia sua, *similis est capreæ, hinnuloq;*: illa vocantem audit exemplo suo Filium, *Surge, propera* Properat omnis benignitas, Christi præsertim & Mariæ nota sunt utrique tempora, & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, apud quem non est impossibile omne verbum. Video, exspectatis experientiæ testimonium. Selige ternas, aut quaternas, beneficentiæ Marianæ in tempore opportuno historias erga amicos. Tum tecti generatim ad miracula patrata in sacellis vicinis, ejus nomini dedicatis; Furnisi, Aspricollensi, Hallensi, Tongrensi, Serviano, &c. de quibus sunt libri singulares.

Ergóne visitationem locorum Virgini dedicatorum suaserimus? Impugnavêre Vicleffus, Lutherus, &c. Argumenta hodie proferunt contra substantiam peregrinationum, & contra modum. Contra substantiam: quod Deus, potentia ejus, & bonitas sit ubique. Respondeo, Abelum idem scivisse, Abrahamum, Rebeccam, Macchabæum &c. Eos tamen certo loco orâsse Etiam, postquam Christus dixit adorandum in spiritu & veritate, Apostolos Joannem & Petrum ascendisse in templum; ad horam orationis nonam. Patribus laudatas fuisse peregrinationes ad certa loca, quò miracula invitarent, ut Aug. epist. 137. Vide scriptores Contr. forum peregrinor, quo invitant miracula, & pietas.

Quid autem de imprudentia, vanitate, curiositate, intemperantia, aliisque vitiis eorum, qui *multùm peregrinantur, & rarò sanctificantur?* Ista non rerum sunt vitia, sed hominum. Damnandus est, & proscribendus, iste nimis promiscuus, & tumultuosus, peregrinandi ac visitandi modus. Ut benè Virginem, templa, sacella visites, fac *Exsurgens* à peccato: quis Refugium peccatorum amicos Dei & suos, ex benè ordinatæ caritatis legibus, magis amat, quàm inimicos. Vade *in montana*, spirituali fine peregrinare; & ipsos temporales fines refer ad spiritualem. *Cum festinatione* vade, & redi; nec te detineant lenticera colloquiorum, & conversationum vel inutilium, vel damnosarum.

THEMA tertium. *Ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo* Ib.

Arcæ cum D. Virgine comparatio vulgaris est: quædam à Mendoza suggeruntur tomo 1 Ann. 11. sect 1. Arcæ in domum Obededom illatæ, manentisque mensibus tribus, benedictiones, cum Virgine Elisabetham visitante, & domum universam complente benedictionibus, comparatio indem vulgaris est, non ideo tamen spernenda.

Ternas Joanni benedictiones collatas invenio: primam, quòd originali mundatus sit: alteram, quòd Spiritu sancto & virtutibus repletus: tertiam, quòd gaudio. Id gaudium non supernaturale tantùm fuisse, sed etiam rationabile, seu ex rationis usu accelerato, non ambigimus. Calvinus dicit exultationem fuisse naturalem à gaudio matris: apud Tirinum Augustinus, Eucherius, Jans dicunt, supernaturalem quidem fuisse, sed animalem At revera Augustinus ep. 57. ad Dardanum, insinuat, quamvis dubitaret, *acceleratum usum rationis, & voluntatis: ut intra materna viscera jam posset agnoscere, credere, consentire, quod in aliis parvulis ætas exspectatur ut possint.*

Si tantas benedictiones attulit Joanni adventu suo Maria, inquit Orig. hom. 9. in cap. 9. Lucæ: quantum illarum incrementum dedit manendo mensibus tribus? Puritatem, Spiritûs sancti plenitudinem, gaudium Elisabethæ & Zachariæ, aucta per Virginis præsentiam, Christo gravidæ; verba illorum loquuntur. Quid nos à Virginis præsentia magis quærimus, in Sodalitiis, Congregationibus, Sacellorum visitationibus, Recitationibus precum: quàm puritatem primùm à peccatis; deinde virtutum quotidianum incrementum; denique, pacem animi, & gaudium spirituale, sine quo puritas & sanctimonia nimis arida, austera, & tetrica est?

DIE S. MARIÆ MAGD.

THEMA. *Dilexit multum.* Lucæ 7.

Etsi hoc festum, uti & præcedens, Urbani VIII. bullâ est abrogatum: quia tamen pietas plebis interdum de illis audire desiderat, argumenta illis suggerimus. Flet Christus super civitatem Hierosolymam, quia circumdabunt eam inimici, & ad terram prosternent. Nonne Magdalena civitatis instar est obsessæ, captæ, prostratæ? Flet, ut resurgat. Ad illam Christus ingreditur: hæc ad Christum ingreditur, &, caritate possessa, liberatur inimicorum obsidione.

Magdalenæ nomen ab Hebræo *Magdal* seu *Migdal* deducit Hieronymus: turrim significat, aptè ad id, quod jam de civitate dicebamus. Ad Principiam in explan. psal 44. *Magdalena verò turris candoris & Libani, quæ prospicit faciem Damasci, sanguinem videlicet Salvatoris, ad pœnitentiam provocantem.* Turris illa, & arx, in rupe obduratæ consuetudinis sita, à septem dæmoniis, velut Bethsura, vel arx Hierosolymitana Templo infesta, per Syromacedones, valido vitiorum præsidio tenebatur. Itaque vi capi ægrè poterat: nec vis decebat suaves Providentiæ Dei, & bonitatis Christi mores, humanæ libertati contemperatos. Fame cogi nequibat, quia per meatus subterraneos, ut Bethsuræ, subministrabantur alimenta obsessis: nobili, diviti, caræ puellæ, satietas gaudiorum temporalium non deerat. Supererat, ut igne, cuniculis vel portis subdito, aditus aperirentur: ignem divini amoris Christus cordi illi, ad affectus prono, subjicit, hostes ejicit, possessionem sibi asserit. Magdalena *dilexit multùm*, & multùm dilecta est.

At unde id scimus, quàm multùm dilexerit? Ab indiciis veræ ac perfectæ dilectionis. Inquiramus, quænam illa sint: tum, quomodo Magdalenæ congruant.

Amoris humani erga Deum germana signa meliùs à nemine docebimur, quàm à dilecto & diligente discipulo. *Timor non est in caritate*, inquit 1. 8. *sed perfecta caritas foras mittit timorem.* Ab eo magistro edoctum Augustinus cor flammeum ait lib. 83 quæst. q. 36. *Caritatis venenum est, spes retinendorum, aut adipiscendorum, temporalium. Nutrimentum ejus, est imminutio cupiditatis: perfectio, nulla cupiditas. Signum profectus ejus, imminutio timoris: signum perfectionis ejus, nullus timor.*

Audio, doctissimi magistri: sed, pace vestrâ, non intelligo. Qua enim pacto *nullus timor*, est perfectæ caritatis indicium: quando supereminens scientiæ caritas Christi, non impedivit, ne inciperet naturaliter *tædere & pavere*; neque effecit, ne supernaturaliter requiesceret super eum *Spiritus timoris Domini?*

Augustinus timores duos distinguit, Filialem, & Servilem: illum caritate non excludi, sed hunc; sicut *per setam introduci linum*, &c. *Timor medicamentum, caritas sanitas.* Vide Cornelium in epist. Joan. Si hæc Augustini responsio certa foret: Magdalena proculdubio perfectam caritatem hausisset, cùm de illa Christus absolutè dixerit, optimam partem elegisse; pars autem optima non est timor servilis, sed filialis. Verùm, bonâ veniâ S. Augustini, S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 6. nos docet, timorem servilem manere in amantibus Deum, licèt non sub ratione servilis, tamen secundùm substantiam, id est fugam mali pœnæ. Amavit certè Deum Jobus intimè; cùm tamen semper timuit, *quasi tumentes super se fluctus.*

Alii Joannis sententiam explicant, de timore perturbatarum conscientiarum, sive ex scrupulis de vita præterita, seu ex angoribus de futura: quem etiam Magdalena non habuit, cùm sese sciret amari à Deo, nec dubitaret, quin sibi remissa essent peccata, sententiâ absolutionis auditâ ex ore ipsius Judicis. Sed neque sic potest explicari D. Joannis oraculum: quandoquidem non rarò perfectos amatores Dei constet, scrupulis, & angoribus vexari, mirabili, sed in omnibus laudabili, divino judicio.

Tres igitur alios timores affero, quos *perfecta caritas foras mittit*: timorem nostri; timorem judiciorum humanorum; timorem malorum temporalium. Eos omnes proculcat caritas, ubi de obsequio divino agitur. Augustinum initio conversionis retinebat timor sui, ne fortè constare cœptis non posset: *Retinebant me*, inquit lib. 8. Conf. cap. 11. *nugæ nugarum*, &c. Specula fiunt, quæ si quis ense petat aut jaculo, videtur inde protendi imago jaculi adversùs petentem. Aristoteles ait, ævo suo fuisse, qui semper videbat imaginem suam in aere, quasi sibi adversam. Ita nos sumus: *nihil in nobis crudelius est nobis*, ut ait Salvianus. nullus nobis timore nostri timor formidabilior.

Accedit metus judiciorum: nam *calumnia conturbat sapientem*, & Psalmista postulat redimi à *calumniis, ut custodiat mandata.* Morte Christi demum Nicodemus protegere ausus est, quem noctu ad Christum eundo declinabat, *metum Judæorum.* Ingruunt deinde facto agmine timores omnigenorum malorum temporalium, dedecoris, damnorum, suppliciorum, mortis: quos ut foras mittat caritas, benè perfecta sit oportet.

Sic fuit amor Magdalenæ, timorem sui, hominum, malorum omnium proterruit, quia *dilexit multùm.* Occasionem, quâ conversa est, Card. nalis Berullus arbitratus fuisse expulsionem septem dæmoniorum. Aliis, quibus assentior, magis placet, cœpisse ab audiendis Christi concionibus. *Qui sitit, veniat ad me* &c. *Venite ad me omnes, qui laboratis* &c. Forsan etiam audivit parabolam de ove perdita, de Prodigo, &c. In se reversa dixit, Nonne ego ovis illa: illa pondere peccatorum oppressa: illa cerva matutina siti contabescens? Quid moror? At ecce occurrunt ejusdem divini concionatoris ardua præcepta: *Qui non odit patrem, insuper & animam*, &c. *Tollat crucem suam. Si oculus tuus scandalizat te* &c. Potero istbæc tenello corpusculo, delicatulâ mente? Quidni possim *quod illi, & illæ*: juvante isto, qui illos & illas juvit?

Post superatos istos timores nocturnos, objiciunt sese subsannationes æqualium, contemptus Pharisæorum, judicia inimicorum Christi. Quid si etiam ipsi dæmon objecit, suspiciones orituras, quales postmodum sacrilegis Albigensibus, qui idcirco Biterris, ipso D. Magdalenæ festo, ut refert Spondanus an. 1209. cæsi ad sexaginta vel septuaginta millia, deletâ urbe ad internecionem? Metus illos irruptione in domum Simonis leprosi superavit. Quid cogitabunt? Quid dicent? Nihil refert. Accurrite Angeli ad spectaculum, inauditum sæculis. Accurrite homines, & inspicite, quale describit Paullinus ep. 4. ad Sev. *Domum Pharisæi, non invitata, illò ut petulans penetravit, quâ capitur regnum cælorum... Christi pedes sibi sacrarium, ut ita dixerim, & altare constituit: in quibus libavit fletu, litavit unguento, sacrificavit affectu; sacrificium enim Domino spiritus contribulatus.*

Vade in pace Magdalena superato bello duplicis timoris: quid enim jam superest, quod terreat, vel abjiciat? An jacturæ, dedecora, dolores? Ascendamus Calvariam: quænam adstat cruci? Descendamus ad montis radices: quænam sepulcro inhæret? *Dilexit multùm*, quæ ad mortem usque, & post mortem, inter tot undique terrores, dilexit. *Fortis, ut mors dilectio* Magdalenæ, & *dura, ut infernus.* Quid jam narrem de subsecutis Christi mortem, exilio, navigatione, spelunca? Incertus visus est Spondano appulsus ejus Massiliam: ut fabellam sapere visa est, prodigiosa Caroli Andegavensis Siciliæ Regis liberatio de carcere per D. Magdalenam. Falsis & incertis opus non est; ubi tam certa, & illustria, caritatis indicia in Evangeliis habemus: ut dubitare non liceat, quin Magdalena perpetuo ad Christi gloriam patiendi affectu dixerit, quod S. Ignatius ep. ad Thars. *Paratus sum ad ignem, ad gladium, ad feras, ad crucem; tantummodò ut Salvatorem meum videam, & Deum, qui pro me mortuus est.*

O dignam Christianâ mente, dignam imitatione nostrâ magnanimitatem Magdalenæ. O dignam imitatione nostrâ fortitudinem & generositatem magni viri, de quo Drexelius in Tobia. Rogatus, ecquid timeret? Respondit, timere rem unicam. Ecquam? An paupertatem, orbitatem, calumnias &c? Ad singula reddidit, Non. Instanti, ut tandem aperiret, ecquidnam ergo vereretur? Respondit, nihil formidare, nisi peccatum. Vis ad illam securitatem venire Christiane? Dilige *multùm.* Vis diligere multùm? Audi conciones Christi, & verba vitæ æternæ. Accide ad pedes Christi in convivio Eucharistico. Adsta cruci. Inhære sepulcro. Cogita mortalem pro te Deum: cogita mortuum Deum-hominem. Audi præcepta illius: intuere exempla.

THEMA alterum. *Erat mulier in civitate peccatrix.* Ibidem.

Disputatio vetus est, an hæc mulier eadem sit, quæ soror Lazari. Posito fuisse unam; quæritur, qualis *peccatrix* fuerit?

fuerit? Maldonatus putat, publicam fuisse: sed mihi parùm credibile est, quia lege capitali vetitum erat, ne esset scortum de filiabus Israel. Deinde, Magdalenam sororem Lazari meretricie vixisse, non patitur gradus generis, fratris & sororis honor, dignitas comitatus Christi: neque enim Christus videtur familiaritate tantâ dignatus fuisse infamem, cujusmodi in domos pleraſque religioſas admittere fas non est.

Alii aiunt, prostibulum quidem non fuisse, peccâsse tamen graviter contra castitatem: seu vidua fuerit; seu puella tantùm, &, paullatim à serpente circumventa, gustârit pomum vetitum. Lubens ego tertiam opinionem addidero: graviter illam luxuriâ non peccâsse, nec violâsse pudicitiam: vanitate solum insigni fuisse spectabilem, unde ipsi peccatricis nomen. Vanitatem autem voco, inane studium captandæ gloriæ & amoris apud homines, ex rebus vanis, formâ, vestitu, locutione &c. quod sexui fragili frequens, & masculis effæminatis. At nonne nova hæc est de Magdalena opinio? Berulli Cardinalis est, quantum memini. Sed in Scriptura nonne vocatur *peccatrix?* Etiam publicani peccatores appellantur: nomen illud generale est. At nonne misericordiæ divinæ facis injuriam? Non desunt Thaides, Pelagiæ, &c.

Ne tamen cuipiam nimis in hac opinione obfirmati videamur disputationem relinquamus auditorum arbitrio, & hoc solum affirmemus, Vanitatem præcipuum fuisse Magdalenæ peccatum, vel peccatorum præcipuorum caussam. Atque adeo in ipsius exemplo intueamur caussas, effecta, remedia vanitatis.

Caussas in Magdalena alias opinor non fuisse, quàm hodie in adolescentibus. Quod factum est, ipsum quod futurum. Intrinsecus impulit temperies sanguinea, levitatis amica. Extrinsecus præcipitavit indulgens educatio. Imaginor mihi tertiam natu de nobilibus parentibus, formosulam, garrulam, idolum matris ac patris, cui liceant omnia, irasci, mordere, ridere. Vestitûs major cura, quàm mentis; sermo cultior, quàm precatio, conversatio frequentior, quam occupatio: videre & videri, amare & amari studium assiduum. Isthæc larvâ consuetâ tegebantur: sic vivendum, sic fieri modò: *nec corripuit eam pater suus aliquando.* Sola interdum colloqui cum adolescente permissa; quanto pudoris & animi periculo? Ignes duos conjungis, aut picem vel ceram flammæ committis, nec metuis calorem? O malè consulta mater, quæ istud hodie exemplum non times! Non audisti Bellarminum Transalpinas matronas non passum in conclavi suo: Augustinum sororis etiam contubernio cavisse: Apostolos miratos Christum, mendie in publico colloquentem cum muliere Samaritana? Tu filiam cum juvene fortèsan non pudico, forsan vinoso, vespertè solam relinquis? Quid suadebunt *nox, vinum, adolescentia?* Ut pudor honori consuluerit: at periculum tamen præsens fuit, maximè mortuis parentibus, sublato fræno, abrupto reverentiæ repagulo. Mortuos fuisse patrem & matrem Magdalenæ, antequam Christus Bethaniam frequentaret, inde constat, quod *castellum* dicatur fuisse *Marthæ & Mariæ.*

Lugebant nequidquam Lazarus, & Martha, jacturam animæ tam caræ. *Peccata multa* commisit, cui multa *remittuntur.* An ergo vanitas peccatum mortale, quandoquidem putemus Magdalenæ pudicitiam fuisse salvam? Thomas Morus mortalem affirmaret; qui fœminæ sese studiosè ornanti dixit, *Nisi Deus tibi pro tanto labore inferos donet, magnam tibi faciet injuriam.* Mortalis quidem de se vanitas non est: erit tamen per accidens, si curas necessarias omitti faciat; vel si præcipitet in proxima peccandi pericula; vel si scandalo est proximo; vel denique, si fabulam urbi præbeat, & occasionem det sinistrè suspicandi, & judicandi. Alter hic est vanitatis nimiæ effectus, jactura famæ: *Omnis enim*, inquit Tertull. *publicatio bonæ virginis, stupri passio est.* Inde audit, *mulier in civitate peccatrix.* Effectus tertius, fuit amissio sanitatis per possessionem dæmonum: quâ quis tætrior morbus, turbanda mente, convellendo corpore? Magdalena, *de qua ejecit septem dæmonia:* quod etsi quidam de septem capitalibus vitiis explicant, verba tamen sunt de possessione corporali. Nec verò insolita est hæc pœna vanitati. Apud Tert. lib. de spect. fœmina narratur à dæmone infessa, ob aditum semel theatrum. Apud Prosperum lib. de præd. & prom. Dei, in Dimidio temporis cap. 6 *Arabe juvencula, ancilla Dei habitum gestans*, quòd se in balneis comparâsset Veneri, cujus statuam intuebatur, à dæmonio obsessa est. Apud Chryſ. lib. de Prov Stagirius, ob dissolutiorem in habitu monachi vitam, fit energumenus.

Quamquam, hæc pœna vanitatis fuit simul Magdalenæ remedium vanitatis. A fratre Lazaro ducitur ad Christum sananda, audit loquentem, capitur, sequitur, irruit in convivium; rigat terra lacrymis cælum, rigatur terra gratiis à cælo. Vide Bern. serm. 3. in Cant. de osculo pedum, manuum, & oris Christi.

Vides hanc mulierem, Simon Christiane, qui obediens esse debueras: *Leproso* tamen murmurator, & peccator? In ipsius vanitate, habes morborum tuorum exemplar. Ut sanitatem non perdas, ut famam non prodigas; at de animæ jactura, quod caput est, agitur. In ipsius curatione, habes remediorum tuorum paradigma. Ad Christum accede, ad pedes ejus accurre humili pœnitentiâ, ad benignas manus assurge verâ gratitudine, ad divinum os aspira ardenti amore. B. Maria Veneta, cùm Venetus esset quod Solymis Magdalena, speculum vanitatis, auditâ unicâ de rerum contempto concione, mox, attonitâ matre & domesticis, in pœnitentem Magdalenam, & beatam, mutatur. Idem Treviris, ipso die S Magdalenæ, factum narrant ab ejusdem vanitatis puella, & occasione similis concionis.

THEMA tertium. *Remittuntur ei peccata multa.* Ib.

De caussâ, & effectu remissionis peccatorum aptè hic dicetur. Caussa fides, *Fides tua te salvam fecit:* sed juncta dilectioni, *Dilexit multùm.* Effectus, augmentum amoris divini, *Plus diligit, cui plus donavit.* Hæc tamen materia magis pertinet ad controversiam cum hæreticis.

DIE S. JACOBI.

THEMA. *Calicem meum bibetis.* Matth. 20.

Lactantius lib 1. Inst. narrat, sacra Herculis olim aliquando *execratione* celebrata. Nonne, bonâ illorum qui ritus Ecclesiasticos ordinavêre veniâ, aliquid simile videmur D Jacobo facere, cùm istud Evangelium legimus ipsius festo? Ambitio ejus notatur, in postulando primo loco: Puerilitas, quòd per matrem: Ignorantia, quòd nesciat, quale sit Christi regnum, neque in illo esse sinistram: Præsumptio, cùm dicit pariter ac Joannes ejus frater, *Possumus.* Nonne poterat legi aliud Evangelium ad ipsius honorem, v. c. de vocatione ejus &c?

Salmerno ait, illud potissimùm placuisse Ecclesiæ. ad Christi gloriam, qui de talibus fecerit tam humiles, viriles, sapientes, magnanimos: ad gloriam Sancti, ut virtutes vitii opposita magis emineant: ad utilitatem nostram, ut fidamus potentiæ & misericordiæ Christi, quemadmodum ex mulieris peccatricis conversione, ita ex Jacobi Apostoli sanctimonia. Addo ego rationem quartam: quòd in thematis verbis magna laus Jacobi continetur, generositas in bibendo calice Christi, familiaritas in eodem calice bibendo. Hoc ut meliùs intelligamus, videndum, quis sit calix Christi: an, quomodò, quando, illum Jacobus biberit: quomodò & nos bibere oporteat?

In Scripturis calix tria significat: Sacrificium, 1 Cor. 10. *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum:* erat ergo tunc calix Domini sacrificium, contra hæreticos nostros. Participationem bonorum Dei, *Calix meus inebrians* &c. *Bibam vobiscum novum in regno Dei.* Afflictiones, *Calicem, quem dedit mihi Pater* &c. *Transeat à me calix iste.* Hoc loco non intelligitur sacrificium, etsi biberint *de illo omnes* Apostoli: non beatitudo, etsi omnes, Juda solo excepto, beati sunt: sed afflictio, & dolores, quia Christus dixit, *Potestis bibere calicem* &c. *& baptismo quo ego baptizor baptizari?*

Cur autem afflictio dicitur calix? Rationes variæ afferri possint: quòd calix non soleat esse admodùm capax, & afflictiones sint breves, ac momentaneæ: quòd calix soleat esse pretiosus, & afflictiones operentur in nobis gloriæ pondus. Vera istius appellationis caussa est, quòd olim esset in conviviis modimperator, qui suum cuique potandi demensum dabat: ita Providentia divina suam cuique materiam, & portionem, patiendi assignat. Hinc Christus, accepto à Patre patiendi mandato, Passionem suam consueverat vocare calicem: eòque forsan respicit *Sitio*, & *Consummatum est*, pronuntiata in cruce.

Quia verò duo sunt afflictionum genera, sunt & calicia duo. Unum in vindictam, *Pars calicis eorum ignis*, *Calicem sororis tuæ bibes:* vide & Isa. 51. Jer. 25. &c. Alterum ad meritum, *Calicem salutaris accipiam*, *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis.* Ambrosius vocat calices Mortis & Vitæ: Hieronymus, Justitiæ & Misericordiæ. Calix Christo à Patre præbitus fuit meriti, vitæ, misericordiæ, amoris: *Calicem meum bibetis* Apostoli, non alienum: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos:* Sicut *dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Greg. homil. 26. in Evang. *Ecce vos caritate diligo, cùm inter scandala persecutorum mitto: quâ me Pater caritate diligit, quem venire ad tolerandam Passionem fecit.*

Calicem istum Christi à Jacobo bibitum constat, primùm,

ex

ex infallibili Christi prophetia: deinde, ex narratione Scripturæ Act. 12. Postquam dixeris, quis Herodes ipsum occiderit; quo anno Christi, quod controversum est, an in Hispanis fuerit Jacobus, quod Baronio placuit in notis ad Martyr. displicuit Ann. to. 9 an 816. & Spondano an 44. Postquam isthæc ex Cornelio in Acta, aliisque, obiter perstrinxeris: adverte, solius ex Apostolis Jacobi martyrium disertè in Scriptura narrari, aliorum prædicari tantùm: satis esse ad laudem illius, quòd inter Apostolos sit primus Martyr. Stephano titulum Protomartyris esse honorificentissimum. sic etiam Jacobo inter Apostolos esse debere: ideòque a quibusdam ipsi applicari illud Psalmistæ, *Primogenitum ponam illum*, Beniaminos Christi esse Virgines, secundogenitos Martyres, &c. Apostolos primogenitos, Jacobum primum primogenitorum. *nihil fine* primum decessisse, primum ex omnibus adiisse paternam hæreditatem.

Maneamus in similitudine calicis. In convivio Regio si cui Rex propinat præ aliis, magni fit: salutari à D Martino sacerdotem Treviris, priusquam Cæsarem, inter memoranda recolitur. Ecquinam inter Apostolos primò calicem suum Christus propinat? Passi alii sint diutiùs, & amplius: at ipse primus. Variæ ad D Jacobi laudem prærogativæ congeruntur: consanguineum Christi fuisse: initio vocatum relictis omnibus: Boanergem dictum à zeli ardore: socium Christi in Thabor & horto. carissimum Virgini, quam Cæsaraugustæ dicitur vidisse: virginitatis intactæ cultorem: peregrinationem ad corpus ipsius esse celeberrimam: illic esse, ut ait Spondanus an 816. *universo patens orbi miraculorum promptuarium*: Sodalitia ejus titulo erecta ubique, & Equitum ordinem an 1168. ab Alfonso: adfuisse in præliis, ut an 844 apud Baronium Ramiro nationis latè dominantis patronum esse, dicique de illo posse, *Dabo tibi gentes hæreditatem* &c. Ista perstringo tantùm; quia nobis ad ejus præconia sufficit, Protomartyrem in Apostolis fuisse, de calice Domini primum bibisse, præterquam quòd utilitati nostræ paucillulum temporis servandum est.

Cùm Jacobum, & Joannem, intueor sedilia in cælo petentes, imaginem nostrorum desideriorum intueor. Iteramus, *Adveniat regnum tuum*. Respondet Christus, *Potestis bibere calicem*, quem ego bibi? Eia, dicamus & nos. sed sine præsumptione, sed cum fiducia divini auxilii, *Possumus*: nec dicamus modò, sed faciamus. Origenes homil 35. super Matth tria dicit esse genera sumentium Christi calicem. qui capiunt, sed horrore occupati, ne gustant quidem. qui gustant, non exhauriunt: qui totum hauriunt.

Ut de isto genere simus, motiva terna propono ternis thematis vocibus *Calicem*: brevis, pretiosus, pulcer est calix: *momentaneum & leve tribulationis nostra* est; & tanti est quanti cælum, divinaque approbatio; & specioso forma præ filiis hominum similes nos facit *Meum*: prægustavit Christus, maximam partem bibit, bibendo affecit mel & lac sub lingua sua positum. *prior bibit medicus sanus, ut bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim est amarum in tali poculo, quod ille non biberit?* inquit August. serm. 18. de verb Dom *Bibere*, quod facilius est quam manducare; quod citiùs ad universi corporis alimentum, aut sanitatem, distribuitur. Ad sanitatem spiritualem, & vitam æternam, nihil promptius, & securius, calice patientiæ.

THEMA alterum. *Ideò vocatum est nomen ejus Jacob.* Gen 27.

Jacobi nomen, à supplantando ductum, in malam partem sumi potest pro fraudulento impostore; aut in bonam pro luctatore forti, & victore. Hoc modo de Apostolo sumamus, invocatè quæ supplantavit serpentem.

D Paullus 1. Cor 9. athletis nos esse similes cupit Et verò ungimur, ut athletæ, in baptismo, in confirmationis sacramento, &c. Vide Dionysiu, Basiliu, Augustinu, sententias apud hujus loci interpretes. Tertullianus lib. ad Martyras eidem comparationi insistens, *bonum*, inquit, *agonem subitura estis, in quo agonothetes Deus vivus est, xystarches Spiritus sanctus*, &c. Quod Martyres omnes, imò Christiani omnes esse debent, hoc fuère Apostoli, qui *bonum certamen* certavère. in his primus luctæ consummator Jacobus, à quo superatum est, quod fortissimum est in cælis, sub terra, in terris.

Quis similis tui in fortibus, Domine? Non est fortis, sicut Deus noster: Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis. Hunc fortem, Dominum sabaoth, cui millia millium assistunt, superavitne luctator Apostolus? Agimus hic de certamine caritatis: quale fuit Mosis cum Deo dicente, *Dimitte me, ut irascatur furor meus*: quale sponsæ cum sponso, *Vulnerâsti cor meum*. Vocet Christus Deus-homo Jacobum: paret, *relictis retibus & patre*. Tam promptâ obedientiâ vulneravit Jacobus cor Christi, adsciscitur inter amicos intimæ admissionis, Boanerges appellatur, primus bibit de calice Domini, innumera patrat miracula, velut addictam sibi & adstrictam habeat Omnipotentis fortitudinem

Luctatus est amore & obsequendi studio Jacobus cum Christo, Angelo magni consilii, usque manè, ad æternitatis usque crepusculum mortem: ut Iacob Gen. 32. *Non tantùm itaque Iacob vocabere, sed Israël Quia si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines*, & dæmones, *prævalebis?* Horrendum monstrum Leviathan & Behemoth, de abysso emersum, & draco magnus qui traxit tertiam partem stellarum, formidabiles dæmonis vires significant. Exerit illas, & exercet, vitiorum omnigenorum dominatu, idololatriâ præsertim, magiâ, & hæresi. Idololatriam appellat Tertull lib de Idol *principale crimen generis humani, summum sæculi reatum, totam caussam judicii*. Idem lib. de anima vocat Magiam, *multiformem luem mentis humanæ, totius erroris artificem, salutis pariter atque animæ vastatricem scientiam magiæ, secundo scilicet idololatria.* Libro item adversus Praxeam, Hæresin comparat idololatriæ, hæreticos idololatris, *quod sicut nationes manibus, ita & ipsi verbis idola fabricantur, id est alium Deum, & alium Christum.* An autem hæresis est idololatria pejor: an saltem magis timenda? Ita Salmeron censuit. D. Iacobus idololatriam per se, per suos saltem Gotho-Hispanos & Lusitanos domuit, hodieque edomat. Magiam per se fregit in Hermogene & Philetho. Hæresin Arianam fugavit per Reccaredum: quod Lutherana & Calviniana Belgii meliorem partem non infecerit, auspiciis D Iacobi, & religioni nationis ipsi addictæ, debetur.

Ideò igitur *vocatum est nomen ejus Iacob*: cùm toties supplantatorem humani generis supplantaverit; & simul contra homines, sub dæmonis signis militantes, prævaluerit. In Ramiri victoria anno 844. cæsa sexaginta Mahumetanorum millia, prævuore D. Iacobo in albo equo. Normanni, qui navibus centum Callæciam invaserant, iidem cæsi: vide Spondanum an. 968. Ejusdem ope Ferdinandus victor an 1037. &, voti reus, sæpius Compostellam profectus. Albuquercii victorias, implorata S. Iacobi ope, narrant Osorius, Maffæus, &c. Apud Osorium lib 4 Alfonsus Rex Congi victor ejusdem ope Pluris longè ista sunt, quàm victoria de morte, in homine insonte suspenso, & in cornis ave coctâ.

A certaminibus D Jacobi ad nostra reflectamur: *Non enim est nobis colluctatio adversùs carnem*, &c. Eph 6. Nobis-ne homulis luctandum adversùs supplantatores sapientissimorum, robustissimorum, exercitatissimorum virorum? Macti animis, inquit Aug. serm. 106 *Adjuvat certantes, qui certamen indixit. Non te sic spectat Deus, non in agone certantem, ut populus solet athletam. Clamore enim populus monet athletam, adjuvare non novit. Coronam parare potest, qui certamen indixit, vires autem suministrare non potest Deus autem quando spectat certantes suos, adjuvat eos certantes & invocantes. Nam vox athletæ ejus est: Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua, Domine, adjuvabat me.*

Prati spir. cap. 66. Theodosio de ineunda perfectiore vita cogitanti, per visum objectus formosissimus & lucidissimus juvenis, Angelus scilicet aut Christus, ipsum duxit in theatrum referturn multitudine hinc albatorum, inde atratorum spectatorum Gigas Æthiops, capite nubes tangente, ut proceritas vires ejus, quomodò in D Christophori imagine fecimus, signaret, prosilit in medium. In eum, inquit juvenis, tibi pugnandum est. Horrebat Theodosius, sed auxilii promisso fretus, ad luctam aggreditur: mox victor, profugientibus cum horrendo ululatu atratis, plaudentibus & coronam offerentibus albatis Ita sæpiùs narrabat Theodosius ille Abbas, referente auctore Prati in Niceno 2. Concilio laudati.

Theodosius es, Christiane: adversùs gigantem tibi colluctatio est: spectaculum factus es mundo, & Angelis, & hominibus, Deo & Christo ejus præsentium *Speculator adstat coelo*, &c. Huic tanto spectaculo, inquit auctor epist ad Demetr. *vide quem animum, quam debeas afferre virtutem. & certaminis magnitudinem de spectantium dignitate mensura.* Ardua periculosa, diuturna lucta est; sed spectator animat pugnantem, juvat laborantem, coronat perseverantem.

THEMA tertium. *Sedeant hi duo, unus ad dexteram, & unus ad sinistram.* Matth. 20

Aptè ad id dices de Sancto simul Jacobo, & Christophoro. De hoc consule Serarium, Litaneutici 2. quæst. 20.

DIE S. ANNÆ.

THEMA. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.* 1. Tim. 5.

O Timothee, Dei honorator, honora Annam verè viduam, non jam muneribus ad vitam mortalem sustentandam, sed officiis ad vitam spiritualem imitandam, supernaturalem comparandam. Viduam fuisse D. Annam mox breviter dicemus. Virtutes viduæ convenientes, & comparationem cum Area, vide Exc ad c. 14. lib 2. sect 3.

THEMA alterum. *Arbor bona bonos fructus facit.* Matth. 7.

Eâ similitudine arboris utitur D. Joannes Dam in encomio Joachimi & Annæ. Et nos aptè utemur, præsertim quando hoc festum proximum erit Dominicæ 7. post Pentecosten.

Nomen, *fructus*, aliquando in Scriptura sumitur pro sobole, *fructus ventris*: alias pro operibus bonis, quæ vocantur *fructus regni*, *fructus Spiritus*, *fructus honoris & honestatis*: nonnumquam pro utilitate existente ex operibus, quem *fructum habuistis*, *fructum sanctificationem*: denique pro beneficiis, favore, protectione, sic Ecclesia de Christo dixisse videtur, *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus*.

D Anna *arbor bona* quadruplices istos fructus fecit. Matrimonii fructus fuit D. Virgo, *fructus terræ sublimis*, de quo *confiteantur tibi populi, Deus*. Aliqui, in his Marianus & Gerson, dant D. Annæ fructus matrimoniorum, Mariam Salome, & Mariam Cleophæ, unde Joannes, Jacobi duo, Simon, Iudas, Ioseph orti, fratres Domini nuncupentur. Itaque recentior quispiam nepotes D. Annæ comparat septem donis Spiritûs S. Christum sapientiæ, incarnatum Verbum Ioannem intellectûs, Evangelii &c. scriptorem; Jacobum minorem consilio, sententiâ post Petrum prolatâ in concilio; Jacobum majorem fortitudini, protomartyrem inter Apostolos, Iudam scientiæ, ob doctam epistolam; Simonem zelotem pietati, Iosephum justum timori Domini. Refertur item visum sanctimoniali cuidam, Annam ob multiplices nuptias colere nolenti, objectum, hanc sese illi obtulisse, floribus tribus de pectore prodeuntibus, medio pulcerrimo, cui tamen bini alii gratiam adderent. Sed nec visum istud, nec paucorum opinio, nec ratiunculæ, facilè persuadebunt communi pietati, alteras ab Anna post Ioachimum nuptias expetitas. Provectâ ætate pepererat, mater erat: quid quæsîsset aliud? Pluris erat filia unica, sobole reliquâ generis humani, sicut fructus unus arboris vitæ pluris erat fructibus omnibus arboris scientiæ boni & mali. Itaque *arbor* bona D. Anna. *Fructus justi lignum vitæ.*

Matrem Virginis fuisse, parum faceret ad D. Annæ laudem, nisi fructus bonorum operum accederet. Eorum unicum fuerit pro omnibus: *qui enim proximum diligit, legem implevit*, plenitudo legis est dilectio. Itaque, cum Annæ & Ioachimo asseruerimus caritatem, tantumdem diximus ac de Zacharia & Elisabetha, *Erant incedentes in omnibus mandatis* &c. Neque in mandatis modò, sed in consiliis. Mandatum caritatis est, ut conjuges amore inter se supra paternum maternumque amorem: consilium est, ut in egenos à divitibus largâ manu spargantur eleemosynæ, neque exspectetur extrema necessitas. Id mandatum ita servavit Anna cum Ioachimo, ut à libri Regum initio non sit opus arcessere Annam & Helcanam, Samuelis parentes, ad exemplum viri & mulieris benè consentientium; quorum concordia apud Siracidem potissima est de tribus, *quæ probata sunt coram Deo & hominibus* Consilium eleemosynæ notum est ex Patribus quomodo servârint. Multas in mulierem fortem laudes Sapiens congessit, quòd operata sit consilio, quòd panem otiosa non comederit, quòd os suum aperuerit sapientiæ, & lex clementiæ fuerit in lingua ejus: sed illustrior laudum nulla est, quàm de beneficentia in miseros, *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.*

Cùm tales caritatis fructus D Anna, arbor bona, protulerit; consequens est, ut maximos habeat mercedis æternæ. Beatitudo enim pro portione caritati respondet: neque ille in cælo major est, qui magis continens, magis abstemius, magis austerus fuit, sed qui plus Deum & in Deo proximum amavit. Ad illam beatitudinis mensuram accedit Ecclesiæ sensus, quæ jam olim D Annæ, tamquam maximam apud Deum gloriam adeptæ, summos ubique honores detulit. Imperator Iustinianus apud Procopium lib. 1. de ædif. Iust. Deo, ad S. Annæ memoriam, magnificentissimum templum molitus est; ut in urbe, Orientis totius capite, pro imperii universi patrona coleretur: quod templum Basilius itidem Imperator instauravit. Emmanuel deinde, constitutione de festis, inter festa D. Annæ diem numeravit. In Occidente jam pridem tria illa nomina JESUS, MARIA, ANNA, tamquam omnium præcipua, jungi solebant: etsi modò aliqui Iosephum Annæ substituant, nullâ Sanctorum invidiâ. D Vincentii Ferrerii ævo D. Annæ nomen passim celebrabatur: nec magni illius concionatoris encomia deerant, ⁊ Ioannem Damascenum, Germanum Constantinopolitanum, Epiphanium quarti sæculi Patrem, eam magnopere laudantes, imitantis.

Regulam hanc teneo, proponi non posse ab Ecclesia colendum Sanctum, qui sanctus non sit: unde alteram conficio, proponi non posse ab Ecclesia pro præcipuo Sancto, qui de præcipuis non sit. Pertinet illud ad providentiæ divinæ curam, ut totius Ecclesiæ cœtum in sua de sanctis existimatione aberrare non sinat. Unde consequens erit, D Annam summâ in cælo gloriâ esse, & apud Deum auctoritate: atque ideo potentissimum ipsius patrocinium esse. Nam eo potentiores sunt apud Deum Sancti, quò ipsi gratiores: gratiores autem sunt, qui gloriæ gradu propiores. Probant præterea Divæ nostræ auctoritatem apud Deum miracula plurima, ad ejus invocationem patrata; non Marcoduri tantùm, ubi caput ejus asservatur; aut Duaci, ubi pes; aut Romæ, ubi aliæ reliquiæ; sed alibi passim. Duos tantùm eorum testes exceptione majores produco, Abbatem unum, alterum Episcopum. Abbas Trithemius plurima recenset. Episcopus Apamiensis Spondanus an 1625 perhibet, in Britannia minore veterem D Annæ imaginem, ex revelatione pio viro factâ effossam, tot clarüisse miraculis testatis, editisque auctoritate Episcopi Venetensis; ut paullò post eo loco celebre templum, D Annæ titulo, steterit.

Nec mirum tot miracula patrari ad illius invocationem, quæ potentissimæ Reginæ mater est, & omnipotentis avia. Nec mirum omne hominum genus, & conjuges, & viduas, & virgines, & pœnitentes ad ejus patrocinium confugere: ut sit velut arbor illa Babylonii Regis latè terram universam obumbrans: aut velut arbor civitatis cælestis, fructibus dives, & foliis vernans ad sanitatem gentium. Sed quodnam potissimùm hominum genus salubria ista folia, fructumque desideratæ protectionis gustabit Illi præcipuè gustabunt, qui dignos sese fecerint, imitatione virtutum, maximè caritatis. Talem refert Baronius an 763. Annam matronam Constantinopolitanam locupletem; quæ vidua in pauperes liberalis, paullò post religiosa, à Constantino Copronymo calumniis oppressa, de monasterio protracta, nudata, cæsa, illustrissimo certamine amorem in Deum testata est, quemadmodum antè beneficentiâ amorem in proximum O caritas, quàm sæpè memoratis, quàm parùm diligeris, quam multùm teligeris, quàm parum es in mente, linguâ manu Christianorum! *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in porta opera ejus.* Laudent caritatem fructus manuum, & opera

THEMA tertium. *Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata.* Eccl 26

De viduis multi scripsère. B Salesius Intr. p. 3. c. 40. optat violarum similes, odore grato, colore fusco, latis foliis florem inculta amantem inumbrantibus. Siracides duas illis præcipuè virtutes commendat, sanctimoniam, id est cultum pietatis, & pudorem. Ego in Annæ nomine reperio quidquid viduis, imò & virginibus, imò & homini cuilibet, maximè necessarium est, gratiam, utique apud Deum. *Anna enim, id est gratia, Mariam id est Dominam parit*, inquit Damasc.

Duo sunt gratiarum genera, variæ species Genus unum est, gratiarum naturalium, multiplices species, nobilitas, divitiæ, pulcritudo: quæ virtuti conjunctæ aliquid decoris addere videntur, ut sit quasi *gemmula carbunculi in ornamento auri*; sed revera, & in se, meritò dicuntur *Fallax gratia* Itaque etsi considerari in D. Anna poterant, eas tamen prætermittemus. Alterum genus est, gratiarum supernaturalium in tres species divisarum, gratis datas, actuales, habitualem. Minimæ istarum sunt gratis datæ, quandoquidem dicturus sit Christus prophetis aliquibus, & thaumaturgis, *Discedite à me operarii iniquitatis* Quare licèt in D Anna gratiam gratis datam sanatæ prodigio sterilitatis, & prolis orando impetratæ, commendare possemus: illam tamen etiam prætergrediemur. Solam, in sanctissimæ Mariæ sancta genitrice, gratiarum actualium, & gratiæ habitualis, mensuram expendemus; neque isti mensuræ vel ipsius opera conquiremus, vel exquisitas ad ejus encomium Patrum Doctorumve sententias recitabimus; sed id solum perpendemus, quid D. Virgini Anna fuerit. Ex unius lineæ ductu agnitus olim summus picturæ artifex: ex unica prolis linea agnoscemus, quanti meriti Anna censenda.

§§§§ §§§§ §§§ Quod

Quid ergo ipsa Virgini fuit? Mater, nutrix, immolatrix. Potuit genuisse, non nutrisse; potuit nutrisse, non immolasse: tria ista præstitit, & tribus istis immensum quantum gratiæ suæ plenitudinem auxit.

Sententia Theologiæ est, Deum quando alicui officio quempiam destinat, simul illi necessarias, & congruas, ad istud munus peragendum gratias destinare. Statuerat Deus ab æterno, Filium mittere in terras, matrem illi Mariam designarat: consequens fuit, in tanto muneri pares gratias Mariæ largiretur. Huic fundamento nixæ sunt, quæcumque prærogativas Virgini Christiana pietas tribuit. Cur peccato prorsus libera, cur gratiâ plena, &c? Quia talem decebat. Propositione, de D. Anna diximus: ideò à cæteris insigni virtute donatam, quia Christo avia, mater Virgini destinabatur.

Si autem tantæ sanctimoniæ eam esse decuit, quando solùm erat mater Mariæ designata: quantæ evasit, quando revera mater fuit, eamque utero gestavit, & produxit? Ante istius fælicitatis divinum munus terræ instar erat, fundatæ super bases virtutum, sed inanis & vacuæ. cæli instar astriferi, sed nondum creatâ luce: monilis & annuli instar, sed cui nondum inventa erat pretiosa margarita: instar agri bonis operibus frugiferi, sed ubi nondum erat thesaurus absconditus. Aurorâ prodeunte, astrorum lumen evanescit. At hic, aurorâ consurgente, Mariâ nascente, Annæ matris astrum lucidius apparuit. Non extincta fuerat in sterilitatis nocte lucerna ejus: in die fæcunditatis longè magis elucescit, superatque quidquid laudum Annæ Samuelis matri, Annæ Phanuelis viduæ, cæterisque veteribus matronis, datum est. Matres istæ Sanctorum fuerunt: illa parens Reginæ sanctorum omnium. Hic est *gratia super gratiam*, quam Ecclesia maximi facit: *Deus qui B. Annæ gratiam conferre dignatus es, ut genitricis Filii tui mater effici mereretur*, aliamque addidisti, ut ejusdem nutrix esset & gerula, cum lactaret, & educaret, donec in Templo præsentaretur. Lactabat virgunculam Anna: virguncula jam tunc compos rationis, reddebat tanto materni affectûs beneficio perpetuas pro matre orationes ad Deum. Fluebat alimentum matris in os filiolæ, filiolæ preces ferebantur in cælum, de cælo in os matris defluebat fons gratiarum. Ausim dicere totidem gratiæ effluxus Annæ communicatos, quot lactis guttas Anna Mariæ communicavit. Quid cùm illam gestabat ulnis, quid cùm sinu ferebat, quid cùm literas docebat? Quanta dulcedine virtutum, & odore sanctimoniæ perfusam fuisse dixerimus? Qui B. Aloysium nostrum, adhuc infantulum, gestavêre, testati sunt intimos sese tunc habuisse sensus pietatis. Angelicum isti gestabant, Anna Angelorum principem, primi & summi ordinis summam intelligentiam. Piè quærit D. Vincentius Ferrerius, ecquonam D. Annæ memoria longè celebrior sit, quàm D. Joachimi? Respondet, ideò factum, quia hic sanctus quidem fuit, at illa sanctior ex diuturniori conversatione cum D. Virgine. Qui rosam diutius tenet, ejus odore magis perfunditur: Mariam virgunculam fuisse rosam mysticam, quam D. Anna longè sæpiùs gestavit, quàm Joachim. *Virgulam fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii* jucundiùs & melius olfacit, qui propior est.

Ejus tamen voluptatis suavitate sese D. Anna privavit; quando carissimam filiam obtulit Templo. Quo in sacrificio, an Abrahamum, & Jephthe, filium ac filiam immolantes, imitata sit, an potius exæquârit, vel superârit, illorum esto judicium, qui satis comprehendere possunt, quantum mater filiam unicam, miraculo genitam, morum & sanctimoniæ miraculum, dilexerit. Talem ab Anna dimitti, parisne an majoris meriti fuit, quàm à Sara dimitti Isaacum? Dimittebatur quidem hic ad mortem eo loco oppetendam, ubi D. Virgo ad teneros vitæ annos obsequio Dei addicebatur, in monte Moria, in loco quem Dominus videt. At nonne multò pretiosior erat annus unus vitæ & conversationis D. Virginis, quam tota Isaaci vita? Anni istius pretio sese altero privat D. Anna, donec ipsam in solenni aliquo festo revisat, & vestes ipsi manu suâ confectas deferat: sic enim piè creditur fecisse, uti antè Anna Samuelis mater, & postmodum mater Cytherii, & mater S. Edmundi. Altero deinceps anno absentiam eamdem patitur, deinceps tertio, aliisque: donec visum Deo, Mariam Spiritûs sancti obumbratione fæcundare, & Josephi virginitati commendare.

Quantum interim crevit Annæ sanctimonia, repetitò toties materni affectûs immolatione, & continuatis filiæ pro dulcissima genitrice precibus! Debbora, Jud. cap. 4. dicitur *uxor Lapidoth*, quod ab aliis vertitur *mulier lychnaria*; cujus, inquiunt, studium erat lychnos tabernaculi lampadibus concinnare. Eam mulierem lychnariam Deus elegit debellando Sisaræ, & judicando populo Israëlitico in palmæ umbra. Concinnârat D. Anna lychnum purpureum pretiosissimum, & ad Templi adyta caritatis igne arsurum detulerat. O insignis lychnaria mulier, quæ manum misisti ad fortia, & cujus digiti apprehenderunt fusum, merita es illustrem de Sisara & de vitiis omnibus victoriam: judicandi potestas tua est, palma præcipuarum virtutum tua est.

Quantum verò aucta est virtus Annæ, conversatione cum Filio Dei; si quidem tunc, ut aliqui opinantur, adhuc superstes fuit? Quis purior rivus, quam qui fonti propinquior? Quæ cæli portio lucidior, quam quæ Soli vicinior? Quis magis incalescit, quam qui propius ad ignem accedit? *Gratia* qualis inde *super gratiam* Annæ? Mater Virginis est, nutrix Virginis, immolatrix Virginis, avia Filii Dei: ô quales thesauri gratiarum! Quid autem nos: an iis comparandæ & augendæ apud Deum gratiæ modis caremus? Dixit nobis Christus, quomodò possimus esse patres, & matres ipsius, *Qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est*: quomodò ipsius nutritii, *Esurivi & dedistis mihi manducare*: quomodo ipsius immolatores, *Hoc facite in meam commemorationem*. At quo pacto genitores erimus Deiparæ Virginis? Si ejus amorem in nobis formemus. Quo pacto educatores? Si ejus cultum promoveamus. Quo pacto immolatores? Si ejus actiones Deo cum nostris offeramus. O D. Anna, *Salve parens sanctissima, sacro beato conjuge, Sacratiore filia, Nepote sacratissime*: & singulis nostrûm impetra gratiam super gratiam, ut convenienter statui nostro, exemplo tuo, vivamus.

DIE S. IGNATII.

THEMA. *Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum.* Psal. 106.

Exc. ad cap. 5. lib. 2. sect. 15.

THEMA alterum *Glorificate, & portate Deum.* 1. Cor. 6.

In Martyrologio, & Menæis, quinos inveni Sanctos, Divo nostro cognomines & parte aliquâ vitæ consimiles. Primum nominemus S. Ignatium militem, de quo S. Cyprianus ep. 34. sic Cæsari fidelem, ut Deo fidelior fuerit Martyr: quemadmodum Ignatius noster Regi suo fidem miles servavit, Deo reddidit. Alter fuit Patriarcha Constantinopolitanus, defensâ contra Photium Romanæ sedis auctoritate celebratus: quomodò illi se suosque devovit Ignatius noster. Tertius prudenter & sanctè præfuit Monasterio inferioris Ryacis in Oriente: nostri prudentiam, & sanctimoniam, loquuntur Constitutiones. Quartus sacerdos Constantinopolitanus S. Athanasiam, aliosque rexit, sicut noster in publicis curis privatorum salutem non neglexit. Quintum nomino, qui tempore, dignitate, & rerum cum nostro similitudine, primus est, D. Ignatius cognomento Theophorus, Patriarcha Antiochenus, Apostolorum discipulus, Apostolicus vir, amator Virginis, nominis JESU cultor eximius. Quid nostro Ignatio, JESU & Virginis amatori, Apostolico, Patriarchæ, Theophoro similius? In hoc postremo titulo hæreo.

Mirum mihi aliquando visum est, dici, Deum ascendere super Cherubim, portari à Cherubim, non autem à Seraphinis. Nonne hi illis nobiliores sunt? Nonne voluntas intelligentiâ superior est? Portat certè scientia honorem Dei, quaquaversum: at longè magis caritas. Cherubinus fuit Ignatius jam inde à conversionis suæ initio, quando Exercitia scripsit, gloriæ divinæ amplificandæ utilissima. Sed multo magis ejus gloriam amplificavit, amore Seraphico erga Deum & Christum ejus, deincepsque erga proximum, ut sic dupliciter esset θεοφόρος.

A D. Antonino accepimus, in corde Ignatii Antiocheni demortui inventum JESU nomen, aureis literis exaratum. Inde forsan ipsi datum Theophori nomen. Constat certè JESUM habuisse in amoribus tenerrimis: ut vel ex istis ad Ephesios verbis colligere licet, *Absque Christo JESU ne respirare quidem velitis.*

Quid aliud sociis suis dixit Ignatius, cùm illos vocavit socios JESU? Obstabant multi, non ex inimicis solùm, sed ex amicis: perstitit tamen in ea appellatione, ut nos moneret non respirare absque JESU. Sic ipse fecerat, quando, ab extasi Manresana ad se reversus, exclamavit JESU, JESU: sic quando cælos adspiciens, JESUM sibi præsentem affectu sistebat: sic, quando sacrum faciens, ab illo avelli non poterat, & duas horas ponebat in recollectione: sic, quando, Constitutiones scribens, familiariter cum Christo adspectabili agebat. Neque aliò spectavêre meditationes de Christo Rege, & vexillis duobus; quàm ut amorem Dei hominis in se & in aliis efformaret. Neque aliud egit divinum illud

Exercitiorum

Exercitiorum initium, & initio respondens finis, quam ut *majorem Dei gloriam* sibi semper præ oculis fuisse, & omnibus esse debere, demonstraret.

D. Ambrosius orat. in obitu Theodosii ait, Angelos ejus animæ, de corpore exeunti, occurrentes petiisse, *Quid egisti in terris?* Animam respondisse, *Dilexi.* Ignati, quid egisti in terris, ex quo meliorem vitam orsus es? *Dilexi*, loquitur; nec steriliter, nec solus: quos potui, adduxi ad diligendum: quamquam plures etiam adducere, & longè plura operari, dilectio mea voluisset.

D. Thomas opusculo 61. *Amor*, inquit, *operatur magna, & reputat parva; operatur multa, & reputat pauca; operatur diu, & reputat breve.* Sic Ignatii amor se, exit: socios congregat; ordinem religiosum fundat; sinu suo seu domesticos, amicos, & inimicos, amat, nationes omnes, mundum totum complectitur. In tantâ fraternæ caritatis amplitudine, tantâ operum varietate, quid agamus? Quod pictor ille priscus, gigantem in ungue effingens, pygmæo appicto pollicem illius dimetiente; ut inde æstimaretur reliqui corporis magnitudo.

Pygmæum sese Avila nominabat præ Ignatio nostro: & nos, præ illo pygmæi, digitum unicum, actionem unicam admetiamur, ex vitæ melioris initiis. Narretur, quid pro restituenda parthenonis cujusdam disciplina egerit in Hispania, quid passus. Dicere tunc potuit, cum Ignatio Antiocheno, *Vincula*, vulnera, *circumfero, spirituales margaritas. Ignis, bestiæ, confractio membrorum, omnia tormenta diaboli in me veniant, tantummodò ut Christo fruar.*

Tyro virtutis, tantum præstitit: veteranus quid fecit? Tam multa per se, ac suos, ut Tarraconensis synodus, in suis ad Pontificem pro ejus canonizatione literis, non dubitarit ipsi applicare hæc Apoc 10. *Vidi alium Angelum, fortem, descendentem de cælo, amictum nube, et iris in capite ejus, & facies ejus erat ut Sol, & pedes ejus tamquam columnæ ignis: & habebat in manu sua libellum apertum, & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.*

Pedes Ignatii *tamquam columna ignis*, sunt caritas Dei & proximi. illos super mare & super terram protendit etiamnum, inclamatque omnibus istud Pauli & suum, *Glorificate, & portate Deum.* Portate glorificando illum, qui vos idcirco condidit, ut glorificetis: portate, qui vos idcirco redemit: portate, qui vobis idcirco exempla Sanctorum proponit: portate, ut signaculum super cor, constante Dei amore; ut signaculum super brachium, efficace proximi caritate.

THEMA tertium. *Ego feci, & ego feram: ego portabo, & salvabo.* Isa. 46.

Israelitis dictum, Ignatio aptum. Θεόφορος fuit, & θεοφόρος: Deum portavit, & a Deo portatus est. Aiunt Ignatium Antiochenum ideo Theophorum nominatum, quia Christus illum puerum inter brachia tenuerit. Ignatius noster Theophorus, quia a Christo inter brachia, in sinu, in corde, perpetuâ providentiâ gestatus.

Coram Dei de populo Israelitico pingit eleganti similitudine Moses Deut 32. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans: expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* Amantiorem etiam adhibuit comparationem Deut. 1. *In solitudine portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via per quam ambulasti.* Suavius, ac tenerius est, istud Isaiæ cap. 66. *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis: quomodò si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.*

Cui tanta fuit de Israelitica cura; quanta erit de Christianis, populo acquisitionis, pretio sanguinis? Si erga Christianos omnes providentiam impendit; quàm singularem theophoris suis, & glorificatoribus? *Ego*, inquit, *feci, & ego feram: ego portabo, & salvabo.* Promissor fidelis exsolvit sponsionem suam in Divo nostro Ignatio; quem quadrupliciter tulit & servavit, in periculis animæ, vitæ, honoris, Societatis suæ.

Qui non est tentatus, quid scit? Sanctos, juvandis animabus destinatos, Deus tentationum experimentis formare solet: ita formavit Ignatium. Vide Ribadineiram lib. 1. vitæ cap. 6. Danielem mihi vidêre videor in lacu leonum, aut tres juvenes Hebræos in fornace: quamquam isti nil sensêre. Jobum potius dicamus in fimeto, aut Tobiam lumine cæli orbum. quamquam morbi, & tenebræ mentis, graviores sunt corporeis, & longè periculosiores. Ex ista *fornace, & de manu tanta* erutus Ignatius, deinceps tentationes vix ullas expertus est, ne vanæ quidem gloriæ, quæ tamen sanctissimos quosvis titillare solita est.

At non corporis ægritudinibus caruit. Omitto vulnus, quo sanatus est ope Virginis, & D. Petri. Manresæ æger, curatur à magistratu: Venetiis monitu divino à Senatore excipitur: per plurima discrimina navigat Hierosolymam. In mari tam apertis miraculis servatus non est, atque Franciscus Paullanus, & Xaverius: talia tamen fuerunt, ut dici potuerit, *Dominus solus dux ejus fuit.*

Idem Dominus honorem ejus multimodis impetitum protexit. Compluti, & Salmanticæ, in carcerem compingitur: Parisiis, vir tanto natu, puerili castigationi tantùm non subjicitur: Romæ non semel accusatur. *Quales persecutiones sustinui, & de omnibus his liberavit me Dominus!*

In Societatis suæ periculis, ipse imprimis exagitatus: Romæ, cùm nondum nata esset: postmodum Parisiis decreto Sorbonæ: deinde Cæsaraugustæ. Prægustus tamen fuerunt persecutionum, post mortem ipsius secuturarum, tot & tantarum, ut fermè dici de nobis potuerit, quod de Ecclesia nascente. *Notum est de secta hac, quia ubique ei contradicitur*: sed notum etiam est, persecutionibus crevisse, quemadmodum Ecclesiam.

Ab hæreticis, à Catholicis, a Laicis, ab Ecclesiasticis; à plebe, a Principibus; à malis, a bonis, à Prælatis, à Pontifice ipso Maximo Sixto V. exagitata: tanto firmiores radices egit. *Nullus fuit umquam ordo*, inquit Spondanus an. 1565. num. 2. *inter cunctas Religiosorum sodalitates, qui plures passus sit per universum orbem controversias, & oppugnationes; nec qui gloriosius eas ubique superârit. A Domino procuidubio factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Verèque possumus, & confidenter, de eo dicere, Nullum esse in Ecclesia utiliorem; dum continentur privati joci, ut sapiant ad sobrietatem.*

Plurimùm ad hoc prodest persecutio: humiliat, continet intra limites modestiæ, vigilantiam indicit, ne hostibus detur occasio aliqua justa calumniæ. Præterquam quòd animet, spe protectionis singularis à Christo, cujus hæc nota fuit; *Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me.* Eamque ob rem, ni arbitror, quando Ignatio dixit, *Ego vobis Romæ propitius ero*, apparuit crucem bajulans: vel hoc ipso testatus, propitium sese esse singulariter iis, qui bajulant crucem, & generosè ferunt adversa.

Itaque non soli Societati id Christus dicit, sed Christianis omnibus, ad patiendum & agendum pro virtute auctoratis. *Vocati sumus*, inquit Tertullianus lib. ad Mart. *ad militiam Dei vivi, quando in Sacramenti verba respondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, neque de cubiculo ad aciem procedit; sed de papilionibus expeditis, & substrictis, ubi omnis duritia, & imbonitas, & insuavitas consistit.* Pugnandum, laborandum, plagæ excipiendæ, sanguis mittendus, dura omnia toleranda pro Christo: securis de mercede, & de auxilio, quia *Dominus custodit omnes diligentes se.*

THEMA quartum. *Sit Dominus tecum, & prospérare, & ædifica domum Domino.* 1 Par 22.

Hoc David Salomoni dixit: hoc Christus Ignatio. Duplicem domum ædificavit, in se, in Societate: in se virtutibus, in Societate constitutionibus & exemplis suis. Aiunt Ignatii nomen fuisse architecti Justinianæi templi, Sapientiæ seu S. Sophiæ dedicati. Dedicavit S. Ignatius noster Societatem totam suam Sapientiæ, ejusque operibus: atque adeo illam nonnulli Justinianæo templo comparavère. Malim Salomonico conferre, Sapientiæ itidem dedicato: vide lib. 3. cap. 6. vers. 39.

Sicubi per totam Octavam, conciones habendæ sint, quomodo nuper in Belgio factitatum, themata suggero. Primo die dices de primo themate; cujus materiâ perstringuntur res multæ, diebus aliis particulatim concludendæ. Altero die, Vinculorum S. Petri, age de vinculis Ignatii disruptis, ab Angelo Dei, seu nuntio; vulnere primùm, tum lectione sacrâ, & S. Petri apparitione: thema, *Dirupisti vincula mea*, Psal. 115. Tertio die thema erit ex Sap. 8. *Hanc amavi, & exquisivi à juventute mea*, D. Virginem, quæ S. Francisco Ass. & S. Ignatio procuravit indulgentiam, apparuit, &c. Quarto die, inventionis S. Stephani, commodè dicetur de mansuetudine S. Ignatii: ad thema ex Matt. 5. *Diligite inimicos vestros.* Quinto die, ad istud, *Ignem veni mittere in terram*, Luc. 12. comparato zelo D. Dominici cum zelo Ignatii: *Dux micantes uti ignis*, & *Visi igne suo dimicant*, anagrammata sunt nominum *Dominicus & Ignatius* pridem Duaci publicata. Sexto die, S. Mariæ ad nives, dicendum, quanto studio puritatem conscientiæ curârit Ignatius, publicè pro concione fassus furtum meloponum; culpâ alterius narratâ bono fine tristatus magnopere testem unum adhibuit plus quàm necesse esset; examina particularia, Confessiones, horarias recollectiones purgando animo solitus usurpare: thema sit Matth. 17. *Vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix.* Die septimo, *Resplenduit facies ejus sicut Sol*, Christi orantis, & Ignatii: vidêre hunc S. Philippus Nerius, &

Lud. Consalvius: qualesipsius fuerint orationes. Octavo die, thema Luc. 12. *Quâ horâ non putatis Filius hominis veniet*: die S. Donati donata est Deo anima Ignatii: solitarius obiit, non solus; adfuêre animæ, quas juverat; Angeli, quos expresserat, &c.

DIE S. LAURENTII.

THEMA. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Joan. 12.

Exodi 3. cernitur à Mose rubus ardens incombustus, figura Israelitici populi, ardentis afflictione, non consumpti: figura Martyrum, præsertim Laurentii. Rubus ardens incombustus, Virgo, ave,

Isaiæ cap 43. promittit Deus servo suo: *Noli timere, cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Stetit Deus promissis Dan 3. In historiis Ecclesiasticis idem narratur de SS. Prisca, Lucia, Cæcilia, Agnete, Agatha, Euphemia, Polycarpo, Clemente Ancyrano octies igne torto, Procopio, Erasmo, Nabore, Fœlice, Nereo, Achilleo. Plusquam 150. Martyres, & alii Sancti numerantur; quorum corpora, vel preces, ignis reveritus, vim suam amisit.

At quomodò promissis suis stetit Deus in S. Laurentio? Stetit, etsi arserit corpus; quia voluntas ipsius & mens nihil passa, imò lucidior exiit, *sicut aurum quod per ignem transit*. Mysticum, inquis, hoc est: at cur ad literam Deus in S. Laurentio promissum suum non servavit, uti in Sanctis tam multis. Petis rationes consilii divini: primùm, respondero istud Rom. 9. *Quid adhuc quæritur? Voluntati ejus quis resistit?* Deinde, dixero, id à Deo factum ad suam gloriam, ad D. Laurentii gloriam, ad nostrum exemplum Deo major gloria est, quòd Laurentio vires pro superando tali supplicio suggesserit, quam si inde eripuisset indemnem. Laurentio major honor est in Ecclesia à tali martyrio, quàm ab alio futurus fuisset: radiant ejus flammæ, ubicumque est Ecclesia: dicebat Augustinus serm. ult. de diversis, qui est de S. Laurentio, *Beati Laurentii illustre martyrium est, sed Romæ, non hic; tantam enim video vestram paucitatem. Quàm non potest abscondi Roma, tam non potest abscondi Laurentii corona: sed quare istam civitatem adhuc lateat, scire non possum. Ergo, pauca, audite pauca; quia & nos in hac lassitudine corporis, & æstibus, non possumus multa* Latuerit adhuc, Augustini ævo, D Laurentii fama urbes aliquas Christianas, jam nullas. Denique, exemplo nostro passus est Laurentius, ut generositate ipsius excitaremur ad patiendum. Confiderent Christiani sese nihil passuros, si Martyres & Sanctos omnes tormentis suis Deus liberâsset: liberari noluit, ut pati disceremus. *Quæ fortibus passiones infirmitatum*, inquit Paullinus epist. 18. ad Delphinum Episcopum, à quo baptizatus fuit, *infirmis instrumenta virtutum sunt. Infirmatur etenim validus, ut confortetur infirmus, & imitatione robusti discat imperare congressus.*

Durum tibi videbatur istud Domini tui, Christiane, *Qui odit animam suam* &c. Specta juvenis istius, in craticula, velut in theatro, positi certamen: vide, quid fecerit; audi, quid dixerit; considera, quid cogitaverit. Materia reliqua suggeritur in Commentariis ad cap. 7. lib. 2. sub finem.

THEMA alterum. *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi ut accendatur?* Lucæ 12.

Stephani & Laurentii gloria apud Patres, & in Ecclesia Dei, officiis Ecclesiasticis &c æqualis est. Ac nonne hujus majus martyrium? Satius est comparare martyrium Laurentii, & mundi.

Tres ignes ad Laurentii martyrium convenêre. Primùm, *armatur geminâ face*, passionum & cupiditatum tyrannus. Deinde, accenditur ignis, quo supplicio nihil dirius usquam crudelitas potest invenire. Ardet interim in corde Laurentii ignis caritatis, & foras per verba erumpit.

Ignes mundi tres: primus passionum, invidiæ, iræ, luxuriæ &c. *Ignis est ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Alter ignis calamitatum: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Tertius est ignis æternus: *Quis ex vobis habitabit cum igne devorante?*

Horum ignium remedium, ab ignibus S. Laurentii. *Sicut ille*, inquit S. Maximus hom. 3. de S Laur. *perfectæ devotionis ardore furentibus non cessit incendiis: ita nos diversarum tribulationum ignis, & malorum sæcularium flamma à Christi societate non moveat. Quis ad horam*, inquit Aug. serm. 30. de Sanctis, *nolit uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ non patiatur incendium?*

THEMA tertium. *Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Joan. 12.

Quotidianum est grani pullulascentis miraculum. Aug. in psal. 68. *Granum magna labore mittitur, portatur ad aream* &c. *Venit hyems, & , quod purgatum erat, profertur, & projicitur: imprudentia videtur; sed, ut non sit imprudentia, spes facit.*

Quomodò Christus sese expurgaverit affectibus omnibus extra Deum, quomodò mortuus, qualem fructum tulerit pro se, pro aliis. Quomodò purgatus & mortuus Laurentius fructificaverit. Quomodo nos. Gregorius 3 dial. cap 31. in fine applicat ista Evangelica verba S Hermenegildo: *Hoc fieri videmus in membris, quod factum scimus in capite*, &c.

DIE ASSUMPTIONIS D. V.

THEMA. *Fortis ut mors dilectio.* Cant. 8.

De morte Virg Exc. ad cap 7. sect. 9 numeris. 10.

THEMA alterum. *Dominus est assumptio nostra.* Psal. 88.

Ibid. à num. 11. usque ad 19 de Assumptione.

THEMA tertium. *In perpetuum coronata triumphat.* Sap 4.

De coronatione, ibid. à num. 19 ad finem.

THEMA quartum. *Unum est necessarium.* Luc. 10.

Evangelii dissimilitudinem cum festo, Magdalena peccatrix, & Martha turbata faciunt. Quid enim peccato, & turbis cum Virgine? Contrà, simile est castellum, ubi, quomodò in Virgine, Christus exceptus est: Marthæ officium, quod Virgo Christo exhibuit: perturbatio Marthæ, nam Virgo etiam ad Angeli affatum turbata: Magdalenæ officium audiendo verbo Dei, quomodo *Maria conservabat omnia verba*: Magdalenæ prudentia, quia *elegit optimam partem*, quomodo Virgo ad partem optimam electa est, ut eligeret, & quia erat electura: *Unum* illud *necessarium*, quod Magdalenæ placuit, Virgini unicè amatum.

Istius unici explicationes non unæ sunt. Ut omittam Lutherum, in Post. serm. de Assumpt. fingentem, æternæ vitæ *unam tantùm rem necessariam esse, verbum Dei, & fidem.* Eo omisso: Basilius q. 20. in reg fusiùs disp. explicat de sola in comedendo necessitate spectanda, paucis opus esse: sic etiam videtur intellexisse Hieronymus ep. ad Eust. Theophylactus, &c. putatque Toletus esse sensum literalem.

Euthymius ait, comparari cum alimentis corporis, quæ varia sunt, alimentum animæ, quod multò magis est necessarium. Cassianus Coll. 1. eò accedit: *ut divinis rebus, ut Deo, mens inhæreat*. Augustinus serm 26. de ver Dom. explicat de caritate fraterna, per quam credentium erat cor unum, & anima una: *Videte, si in ipsa multitudine delectat, nisi unum.* Eodem serm. explicat de unitate admirabili Trinitatis. Mox serm. 27. explicat de unitate divinitatis: *Multa sunt, quæ facta sunt; unus, qui fecit cælum & terram.* Sic etiam intellexêre Greg. Ambr Hier. &c.

Inde ego explicationes duas confecero, speculativam unam, alteram practicam: hanc ex illa pendentem, utramque in idem recidentem. Deus est perfectissimum *Unum*, & absolutissimum *Necessarium*. Dei obsequium, homini est *Unum*: summè *necessarium*.

Excellentissima perfectionum omnium in Deo est Unitas. Omnes perfectiones in se continet, & una est perfectio. Omnes actus habet, & ipse unus actus est. *Plurima* nos sumus, aliud corpore; aliud animâ; aliud intellectu, aliud intellectione, &c. At Deus intellectu, & intellectione, volitione, & voluntate, *unum* est in se. *Unum* etiam est quoad nos, qui non fide modò, sed ratione, novimus Deum esse infinitum, primum principium, primam caussam; quod ipsi agnovêre Pagani.

Et istud *Unum* agnovêre esse summè *necessarium* in se, de cujus essentiâ esset existentia: ut summa omnium impossibilitas sit, Deum non esse. Inde nomen illud Dei mirabile Exod. 3. *Ego sum, qui sum*: quâ definitione nihil absolutius inveniri potest, ut ait Hilarius lib. 1. de Trin. Est verè, non *in imagine*, ut pleraque nostra Est abyssus essentiæ, non nihili, ut nos, qui plus habemus de non esse, quàm de esse. Est immutabilis; non ut nos, qui desinimus esse quod fuimus, ut incipiamus esse quod non fuimus. Est independens *ἀνάγκης*; non ut nos perpetuâ à Deo dependentiâ, propter quam mihi videntur creaturæ omnes dici posse accidentia respectu Dei, quia possunt abesse & adesse sine subjecti corruptione.

Atque adeo nobis etiam *Necessarium* est Dei esse. Nam sine illo ne naturalem quidem vitam habemus: sicut rivus, & planta, sine radice & fonte pereunt, inquit Plotinus. Quanto autem magis vita nostra rationalis, & spiritualis,

à

à Deo pendet: cùm nihil sit, quàm conjunctio voluntatis cum fine suo, id est animæ cum Deo. Hinc sapientis vita Platoni est, *circulus divinæ lucis*: & Plotino est, *fuga unius ad unum*, animæ unitæ ad Deum unum.

Devenimus ad secundam explicationem. *Unum est necessarium* in se, Dei obsequium: *quia nemo potest duobus Dominis servire*: non possunt jungi Baal & Dominus; Deus Israel, & Dii gentium Cuthæarum. Est *unum* nobis, quia facit homines *unanimes*, quod Ambrosius epist. ad Eccl. Vercel suadebat, *Assuesce unus esse*. Numquam autem uniformes erimus, nisi cum *fluctuationes mentis* & desideria fixerimus in uno; quomodo suadebat Bernardus foron, & Thomas Campi olis omnibus

Illud *unum est necessarium* in se, quia est finis noster ultimus. Cur creata omnia, & homo peculiariter imago divinitatis? In secundo capite Geneseos Deus vocatur *Adonai* Dominus: ut ostendat hominem, de cujus creatione ibi agitur, peculiariter sibi esse mancipatum.

Est etiam *necessarium* nobis: quia perierint nobis omnia, si istud absit. Cætera enim transitoria sunt, hoc solum manet. *In omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor*. Ut non transeunt, quid illa sunt, si istud desit? Assumpta altissimè est D Virgo: an quia pulcerrimo corpore? Multæ pulcræ apud inferos. An quia nobilis, sapiens &c? Etiam talia apud inferos. Assumpta est, quia elegit optimam partem, *Ecce ancilla Domini*: ideirco jam *Unum* illud eius *necessarium* contemplatur, amat, &c.

Christiani, quid eligemus? *Optio vobis datur*, ut Josue cap. 24 dixit Israelitis Idem respondebimus, quod Israelitæ, *Absit à nobis, ut relinquamus Dominum*. Cui enim honorificentius serviamus, quam cujus cognitio, & cultus, radicavit *in populo honorificato*? Cui jucundius, quàm in quo morari licet, postquam *in omnibus requiem* frustra quæsierimus? Denique *unum* istud est *necessarium*: *quid turbaris erga plurima*? Refer ad Deum omnia tua, hæc sola est ad Assumptionem semita.

DIE S. BARTHOLOMÆI.

THEMA. *Exiit IESVS in montem orare*. Luc. 6.

Quod Christus fecit ad eligendos Apostolos, ut ab oratione inchoaret, & fundamenta Ecclesiæ subjiceret fundamentum Devotionis: de hoc dicamus ad laudem unius Apostoli, & ad exemplum nostrum.

D. Thomas 2. 2. q 82. quæ tota est de Devotione, quærit art. 1. *Utrum devotio sit specialis actus*? Respondet, esse *specialem actum voluntatis, promptè faciendi quæ pertinent ad Dei servitium, & famulatum, spectant* Devotos dici, qui se Deo devovent, & res suas, ut Ex 35. *mente promptissimâ, atque devotâ*.

Vera sunt isthæc, à Doctore Angelico devotionis dicta. Tamen, prout vulgò id nomen sumitur, idem est ac virtus religionis, & versatur circa Dei cultum: quâ de virtute sancti Patres cumulavêre encomia, nominantes nutricem caritatis, gaudii spiritualis fontem, unguentum Aaronicum, thymiama suavissimi odoris Domino, oleum lampadum virginearum quo carentes exclusæ sunt, &c. Polyanthæam expilare oporteret ad acervandas ejus laudes. Supra omnes eminent, quas Spiritus sanctus auctor devotionis dictavit, à quo illam petebat Psalmista. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea* &c. Job 28. *Timor Domini ipsa est sapientia*. Psal 110. *Initium sapientiæ timor Domini*. Prov. 14. *Timor Domini fons vitæ*. Isa. 11. ultimo, & quasi summo loco, ponitur super Christum requiescens *Spiritus timoris Domini*. Tot locis ad literam debere religionem, & devotionem, intelligi nomine timoris Domini, conficitur ex aliis Scripturæ locis. Deut. 6. *Deum tuum timebis*, quod Matth & Luc. 4. est *adorabis, & illi soli servies*: Eccl. 1. *Timor Domini*, de quo multa prædicavi, *est scientiæ religiositas*, &c.

Sed quia virtus hæc, ut cæteræ, adulterari potest: qualitates veræ Devotionis ternas attendamus, constantiam, simplicitatem, fœcunditatem, in Christi & D Bartholomæi exemplo. Legitur enim nobis Evangelium hodiernum de oratione Christi: non tantùm, quia nusquam, nisi in illo, & in eadem Evangelica historia apud Matthæum & Marcum, fit de D Bartholomæo expressa mentio sub illo nomine: sed quia fit mentio de oratione, & Bartholomæus orationi fuit addictissimus. Testes sunt: Victor auctor priscus, hâc ad illum prece, *Salve dux orationis, qua in intrinsecus fallaciam omnem evertisti*. Dionysius de Theologia mystica cap. 1. citans de illa hanc Bartholomæi sententiam, *Theologia mystica*, vera utique Devotio, *est magna & parva; Evangelium amplum & breve*. Abdias scribens, centies interdiu & noctu orare solitum. Accedit Bartholomæi nomen, quòd est, *filius aquas haurientis*: oratione autem, & devotione, haurimur aquas gratiarum Dei.

Prima ergo qualitas sit Constantia, ut non facilè consueta devotionis exercitia omittamus. Virtus omnis est habitus, ergo constans: sic Jurisconsulti definiunt *Justitiam, constantem voluntatem* &c. Nos itidem possumus definire *Devotionem, constantem voluntatem Deo cultum tribuendi, & orationes offerendi*, &c. Contra peccant, qui vel fastidio, vel levitate, vel intempestivâ satagendi & occupationum implicatione, illa negligunt, aut prorsus abjiciunt Chrysostomus lib. 2. de Compunct proponit exemplum constantis pietatis in Davide, Rege multis, &c occupatissimo. Habemus hodie in Christo, qui auditoribus, ægris, &c. intricatus, etsi semper libera mente oraret, exit de ipso comitatu discipulorum in montem solus orare: ut & aliàs fecit. In montem exit, non ut illic lapides cædat in fundamenta Ecclesiæ, quod quidam ingeniosè dixerunt: sed ut exemplo doceat secessionem à tumultu, elevationem mentis in Deum, quando oratur; & occupationes suas caussari neminem debere. Spectemus itidem Bartholomæum in Armenia, inter Apostolicas functiones: *in itineribus sæpe, periculis fluminum* &c 1. Cor 11. nam Paullus etiam Apostolorum aliorum labores in suis descripsit.

Qualitas altera sit, humilis simplicitas. Non excludo scientiam, & sapientiam: alioqui disputaret contra me Lactantius lib 3 & 4. de relig. ubi multis contendit, sapientiam & religionem connecti debere: & S Thomas 2 2. q 82 art. 3. ad 3 dicit, scientiâ Deo subditâ augeri devotionem. vide item Cornelium in cap. 1 Eccl. Simplicitatem sumo, prout vanitati, & curiositati, alta sapientibus opponitur: ne fiamus, sicut Legisperiti Evangelici petentes, *Quid faciendo* &c & illæ apud Paullum *semper discentes*, & hodierni quidam in novis nominibus, transcendentibus & exstaticis praxibus, devotionem collocantes. Non sic Christus, qui *pernoctans in oratione Dei*, proculdubio fecit sicut in horto *eumdem sermonem dicens*, simpliciter, sine affectatione. Non sic Bartholomæus, *Nathanael, cui tantum testimonium perhibuit Filius Dei*, inquit Aug. tract. 7. in Joan etsi non putet eumdem: sed, ut themate sequenti videbimus, eumdem probat Salmeron to. 4. par. 1. tract. 18. *Erat verè Israëlita, in quo dolus non est*. Sincerâ simplicitate cum hominibus agebat: ageretne cum Deo fucatè, affectatè, vanè, curiosè? *Cum simplicibus sermocinatio ejus* Prov 3. Sept legunt, Consilium impii non esse cum justis: justi, & simplices, iidem sunt.

Tertia qualitas accedat, fœcunditas in operibus virtutum. Devotio non consistit in libris, imaginibus, litaniis, communionibus. Si radix non pullulet, mortua est. Si devotio, quæ est *radix immortalitatis*, caritatem & ejus opera non progerminet, putrida est. Oravit Christus in monte: descendit, eligit Apostolos, & omnis turba quærit eum tangere, quia virtus de illo exibat &c. In fundamenta templorum jacitur aurea moneta: fundamento Ecclesiæ posito, electione Apostolorum, Christus superinjicit monetam auream operum misericordiæ spiritualium, & corporalium. Ita S. Bartholomæus centenarium orationum millenario operum caritatis quotidiano cumulat, concionando, convertendo, sanando, patiendo, moriendo, &c.

Christiane, fili haurientis aquas & præbentis Christi, vis scire quæ sit vera devotio? Audisti, præsertim in qualitate hac postrema. Si mavis ab Augustino discere; vide hom. 68. de diver. Si magistrum cupis collegam Bartholomæi; lege Jacobum cap. 1. *Religio munda, & immaculata, apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos*, &c. O Bartholomæe, fili Christi, qui jam in monte es orans cum illo perpetuò pro nobis, impetra nobis sinceram solidamque devotionem, præjudicium, & prægustum æternæ.

THEMA alterum. *Elegit duodecim, quos & Apostolos nominavit*. Ibid.

Honor omnis, quem alteri exhibemus, habere debet pro motivo excellentiam aliquam. Honoramus D Bartholomæum: Leodii ab anno 1015. excitatum ejus titulo templum: quæ in eo excellentia spectatur? Primùm, quod Sanctus, *Elegit* eum Christus: deinde, quòd Apostolus, *Apostolos nominavit*: denique, quòd Bartholomæus, *Elegit*... Simonem &c. Philippum, *Bartholomæum*.

Sanctos honorandos facilè persuadebimus adversariis, si ratione uti velint. Honoras excellentes nobilitate, dignitate &c. Quantò magis *honorati sunt amici tui, Deus*? Abdias aulicus Achabi abjicit se ad genua rusticani hominis, inculti, pelliti &c. Quid agis? Elias est. Sanctimonia

§§§§ §§§§ §§§ honoratur.

honoratus in vivis, non honorabitur in mortuis? Vide Exc. ad cap. ult. hujus lib.

Honorandus S. Bartholomæus, quia Sanctus, & magis quia Sanctus Apostolus: *Elegit duodecim ex ipsis.* Cur tam paucos? Quia paucorum est unitas: paucorum magnanimitas. ex paucis major Dei gloria, quàm ex multis. Cur duodecim? Ut sint velut menses duodecim, aut duodecim horæ diei ex Sole Christo: inquit Sedulius. Ut senarius perfectionis numerus, per duo testamenta ductus, seu duplicatus, significet summam Legis Evangelicæ perfectionem, inquit Gregorius ex Augustino, qui lib. 4 de Gen. ad lit. multis ostendit perfectionem numeri senarii, & duodenarium dicit esse plusquam perfectum. Ut implerentur figuræ: 12. Patriarchæ, & Principes filiorum Israel, Num. 1 Fontes Elim, Exod. 10. Lapides Rationalis, Exod. 28 Panes propositionis, Lev. 24 Exploratores. Num. 13. Lapides altaris. Exod. 24. Lapides de Jordane, Jos. 14. Boves maris ænei, 3. Reg. 17 Administri familiæ Salomonis, 3. Reg. 4. Leunculi ad thronum, 3. Reg. 10 Prophetæ in uno volumine, Eccl. 49. Cophini, Mat. 14 Stellæ, Apoc. 12. Portæ, & lapides, Apoc. 21. Earum figurarum potissima est, quæ prima. ut verus populus, ab Israele vero Christo fundatus, totidem Patriarchas haberet.

Prærogativam Apostolorum unam fuisse aiunt adversarii, auctoritatem exponendi Evangelii. Peterius noster, paullò liberalior, assignat illis duodenas: quas ordine meo proponam. 1. Familiaritas cum Christo, *Beati oculi, qui vident &c.* 2. Potestas prædicandi. hodiernâ in historiâ vide apud Marcum: posteà, *Docete omnes gentes*, sub summa tamen Petri potestate. 3. Singularis in dæmonia potestas. 4. Potestas clavium. 5. Potestas judiciaria peculiaris. 6. Affluentia Spiritûs sancti, per quem in gratia confirmati sunt. *Alium Paraclitum dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum.* 7. Donum linguarum. 8. Id etiam aliis conferunt impositione manuum. 9. Infallibilitas, in iis quæ de fide proponebant credenda, aut quoad mores: quæ infallibilitas modò est in solo Petri successore, ad quem facilis est recursus; tunc difficilis erat Apostolis recursus ad Petrum. 10. Potestas condendi symboli: quod Aug. hom. 42. ad Neophytos monet recitandum *quotidie, quando surgitis, quando vos collocatis ad somnum.* 11. Potestas explicandi, & condendi Scripturam Canonicam. Si reperirentur genuinæ literæ S. Bartholomæi, tam essent Scriptura, quàm literæ Petri, Pauli, &c. 12. Excellentia super omnes Sanctos veteris Testamenti, etiam *Noe, Daniel, & Iob*: & super omnes Novi. An etiam supra Joannem, & Josephum? Æstimari potest ex munere, an pluris sit præcursor & nuntius, quàm legatus? Disputat Suares.

Quid autem de S. Bartholomæo peculiare? Si verum est, eumdem esse Nathanaelem; quantum encomium de illo, à Christo Joan. 1. *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est!* Atqui Augustino, *summum virtus est neminem decipere, summum vitiorum quemlibet decipere.* Jeremias cap. 9 invehitur in deceptores: Christus vult suos esse simplices sicut columbas.

Sed an Bartholomæus fuit Nathanael? Baronius in Martyrologium, Augustino auctore, putat non fuisse. Sed Ruperti, Salmeronis &c. opinio contraria non mihi videtur malè fulta. Nathanael Joan. 1 vocatur cum Apostolis: alius non potest fuisse, quam Bartholomæus. Joannes nusquam meminit Bartholomæi: alii Evangelistæ nusquam meminère Nathanaelis: colligitur inde esse eumdem. Hodie Philippus & Bartholomæus junguntur: atqui Philippus adduxit Nathanaelem ad Christum. Joannis cap. 21 nominatur Nathanaël medius inter piscantes Apostolos: conficitur Apostolum fuisse, non alium quam Bartholomæum. Dixit Nathanaeli Christus Joan. 1 *Majora his videbis, Angelos asc. & desc.* &c. quod in Ascensione factum: cui interesse ad veritatem prophetiæ debuit Nathanael. Expediebat doctos aliquos fieri Apostolos: *non multos sapientes*, inquit Paulus, ergo aliquos, sicut & Paullum & Apollo. unde ruit argumentum Augustini dicentis, Nathanaelem Apostolum non fuisse, quia fuit doctus. Denique Eusebius, Dorotheus, &c. qui de discipulis Christi scripsère, nusquam memorant Nathanaëlem. etsi Petrus de Natalibus aliquid de eo referat, dicatque vocatum Ursinum.

Quid autem, inquis, ad duo illa nomina? Nonne & binomii fuère liberi Mathathiæ? Nonne alii quidem Apostoli? Nonne Simon Barjona? Bartholomæus eodem modo fuerit nomen a patre ductum, Nathanaël proprium. Igitur, si conjecturæ istæ sapienæ aliquid evincunt, maximum tenemus Bartholomæi encomium à Christo: itaut, inquit Origenes apud Salm. non ausim illi Petrum sanctimoniâ præponere.

Si conjecturas quis rejicit. non desunt tamen ad laudem alia: ex dono orationis & devotionis, de quo supra: & ex martyrio. Crucifixum fuisse dicit Hippolytus martyr apud Baron. in Martyr. Idem ait Josephus quidam apud Metaphrasten: idque factum inverso capite, clavis in manus &c. adactis. Quid ergo excoriatione faciemus, tam communiter & constanter tradita? Priùs excoriatum fuisse, ait Baronius. Cogitate dolorem Martyrum Machabæorum ex detracta capitis pelle. Apud Spond. an. 1571 Bragadenus, Famaugustæ pro Venetis Præfectus, deditâ urbe retentus contra fidem, & post illusiones plurimas vivus excoriatus ad umbilicum usque, spectante Mustafa. Quis dolor! Major Bartholomæi, excoriati corpus totum, tum confixi clavis, &c.

Oculum Spiridionis erutum osculatur Constantinus. Honoremus totum corpus S. Apostoli: honoremus animam generosi corporis dominam, triumphantem in cælis. Quomodò honorabimus? Imitatione. Simus Sancti, cum simus in communione Sanctorum. Simus Apostoli, cum singulis Christianis pro modulo suo dictum sit, *Ite & vos in vineam meam.* Simus Nathanaeles, id est Dona Dei: Reges dicunt se *Gratiâ Dei* esse: & nos simus, casti, temperantes &c. *gratiâ Dei.* Ad hoc simus Bartholomæi, filii aquas haurientis: de fontibus Salvatoris latices gratiarum accipiamus. Servi, quia nemo potest esse continens, justus, temperans, nisi Deus det, & Christus ejus, in quo sumus electi ante mundi constitutionem.

THEMA tertium. *Pellem pro pelle, & omnia, quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Job 2.

Pro vita temporali omnia seponimus; quid pro æterna? Primò, necesse est pellem exuere. decorticatur lignum elaborandum; ebur delicatur, ut niteat, excoriatur victima exuenda. Secundò, quomodo pelles exuerit Bartholomæus, separatione à parentibus, à commodis, ab homine, *Ibant Apostoli* &c. Denique, & nos exuamus pelles affectionum ad commoda, ad honores. cute magis hærentia. *Si potest Æthiops mutare pellem suam?* Simus sicut pelles ianthinæ, quibus tegebatur tabernaculum Mosaicum. Cæruleus est cæli color: *nostra conversatio in cælis.*

DIE NATIVITATIS D. V.

THEMA. *Liber generationis IESV Christi.* Mat. 1.
Liber electorum. Exc. ad cap. 7. lib. 2. sect. 5. à num. 13.

THEMA alterum. *Nativitas tua, Dei genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo.* Antiph. Eccl.

Festi excellentia. ab initio sect. ad num. 13.

THEMA tertium. *Fundatur, exultatione universæ terræ, mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni.* Psalm 47.

Duo amores sunt, fratres gemelli; amicitiæ, & concupiscentiæ: duæ itidem lætitiæ ex iis amoribus ortæ. Exultatio universæ terræ Christi, id est Ecclesiæ, de fundatione montis Sion, civitatis filii David, de nativitate Virginis, duplex est: amicitiæ ob gloriam Dei, & Virginis. concupiscentiæ ob bonum nostrum, & nostrorum. Materiam desumere poteris partim ex prioribus thematibus.

THEMA quartum. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens pulcra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Cant. 6.

Cur Ecclesia Virgini applicat verba Proverbiorum, Canticorum, Ecclesiastici, &c? Quia Patres id fecère jam olim. Cur autem id fecère? Quia Spiritu sanctò obumbratam, & superpletam, non alio sermone laudari aptius posse censuère, quam Spiritûs sancti.

Verba thematis nostri sæculis illustribus, in virtute crescentibus usque ad perfectam diem, & in Solem lucemque cum Hesthere ex fonte parvo conversis, conveniunt. Virgini non tantùm congruunt pro vitæ universæ decursu, sed etiam pro nativitate.

Progreditur quasi Aurora nascendo: quia Solem secuturum nuntiat; quia, ut Aurora recreat orbem, ita ipsius ortus Patrum manes in nocte limbi positos. Corpus ejus est pulcrum ut Luna, quæ defectus quidem patitur, à Sole tamen lumen totum accipit, & refert ad Solem. ita corpus Virginis mortale est quidem, perfectiones tamen omnes à Deo accipit, referendas ad Deum-hominem, cui manus istæ, pedes &c. servient. Anima est *electa ut Sol*, sine maculis peccati, cum luce fidei, sapientiæ, caritatis, virtutumque omnium: inde *terribilis, ut castrorum acies ordinata.* O! si nos sic esse conemur!

DIE EXALT. S. CRUCIS.

THEMA. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum* Joan 12.

Facile dixerimus, quando festum S. Crucis exaltari cœptum Leodii, à Notgero, Vazone, Stephano Papa. At in Ecclesia quando? Ad Heraclium Cæsarem quidam referunt. In vita Sancti Theodardi Leod. Præsulis fit mentio. Anterius Heraclio, apud Latinos Gregorius Magnus, apud Græcos Chrysostomo meminêre. Baronius an. 314. putat, à tempore Constantini cœptum id festum, ædificato templo in honorem S. Cruc.

Vera origo exaltationis S. Crucis est à Calvaria, ex tempore, quo Christus illam, sanguine suo [illegible] fecit redemptionis nostræ instrumentum, & machinam emovendis & trahendis cordibus quibusvis. Exinde crucis lignum, imago, signum in pretio

Aug. tract. 3 in Joan. *Signum ejus, Christi, est humilitas ejus. Per stellam enim Magi cognoverunt; & erat hoc signum, de Domino datum, cæleste, atque præclarum. Noluit stellam esse in fronte Fidelium signum suum, sed crucem suam: unde humiliatus, inde glorificatus est*

Idem tract. 53. *Dominus crucem suam, ubi enim dementia superba impietatis irrisit, in eorum, qui in illum crediderunt, frontibus fixit, ubi est quodammodo sedes verecundiæ: ut de nomine ejus fides non erubescat, & magis Dei gloriam, quàm hominum, diligat.*

THEMA idem.

Aptè dicetur de exaltanda in nobis cruce Christi, per patientiam in afflictionibus Quam faceremus *segmentum atomum* sanctæ Crucis, aut *benedictionem*, ut loquitur Paullinus! Afflictiones segmenta sunt crucis Christi.

DIE S. LAMBERTI.

THEMA. *Mitto vos sicut agnos.* Luc 10.

Sicut Ecclesia Tongrensis, seu Leodiensis, & *sancta Legia*, est eximiè *Romanæ Ecclesiæ filia* ita S. Lambertus noster est, *præcipuo quodam modo*, filius Christi. De Christo dicitur, *Ecce Agnus Dei*: de Lamberto dici potest, *Ecce agnus Christi*

Landebertum, vel Landbertum, quidam olim scripsêre, id est regionis seu patriæ indolem, & genium *Lambertus* verum ac genuinum nomen est, id est *agnina indoles*. Agninæ virtutes Christi fuere, obedientia, castitas, mansuetudo: eædem fuêre Lamberti, ut ex vitæ historiâ liquet. Eædem sint & nostræ: de nobis dici possit, *Ecce agnus Lamberti.*

Isthæc aliquando dixi de celeberrimo Præsule, Martyre, patrono nostro: quo mortuo agni instar, Christus leo factus est, vindicandæ illius neci. *Injuriam Confessoris sui non tulit impunitam*, inquit Paullinus ep. 28. ad Victricium in caussa non longè dispari, *qui suis crucifixoribus rogavit ignosci: contumeliam Martyris statim ultus est, qui passionem suam noluit vindicare.*

THEMA alterum. *Quis, putas, puer iste erit?* Luc. 1.

Prodigiosâ pueritiâ, officio Christi ostendendi apud Taxandros, vitæ austeritate, castitatis custodiâ, morte obitâ pro veritate & continentia conjugali, similis S. Joannis Baptistæ S. Lambertus. Joannes nominatus est, *victima castitatis*. Matthæus Apostolus, quem quidam Joanni utrique comparant, Evangelistæ quoad Apostoli & Evangelistæ officium, Baptistæ quoad vitæ austeritatem & caussam mortis, appellatur ab Hippolyto Martyre, apud Bar. in Martyr. *Victima virginitatis*. Agnum nostrum Lambertum nominemus aptissimè, *victimam veritatis, & castitatis.*

THEMA tertium *Corona aurea* &c.

Vide in Commun. Mart. de S. Thoma Cantuariensi: quod huic fuêre Henricus, & sicarii; idem Lamberto fuêre Pipinus, & Dodo.

Dominica 17. post Pent. incidente in Octavam S. Lamberti, dixi de caritatis fraternæ notis, ipsi applicatis. Dominicâ 18. intra octavam incurrente, ostendi Lamberto *civitatem suam* esse Leodium. Vide etiam Dom. 18. them. 2.

DIE S. MATTHÆI.

THEMA. *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* Matth. 9.

Christus medicus. Exc. ad cap. 5 lib. 2. sect. 8.

THEMA alterum. *Vidit Dominus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine.* Ibid.

Inter opera Dei, varietate innumerabilia, productione mirabilia, difficilius nullum est, atque adeo nec divinius, quàm justificatio peccatoris. In ordine naturæ, & operibus ad creationem partium illius, aut conservationem, pertinentibus, nihil ipsi adversatur, aut obsistit: *Vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt*; & vicissim, vocat quæ sunt, tamquam quæ non sunt. In ordine supranaturali, etsi aliquid sit supra ordinariam potentiam, nihil tamen obluctatur potentiæ obedientiali, per quam creatura creatori obsequitur illam altius gradu suo elevanti. At in justificatione peccatoris, malitia positivè resistit divinæ bonitati, cùm peccatum sit aversio à supremo bono: ignorantia repugnat sapientiæ divinæ, cum omnis peccans sit ignorans potestas arbitrii liberi obstat potentiæ divinæ, eligendo quod noluit Deus. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Job. 9. *Vos semper Spiritui sancto r[esistitis].* Act 7. Nihilominus Dei gratia [illegible], imò [illegible] nullâ, humanæ voluntati, libertatique, adhibitâ, hominem ad se revocat, de peccatore justum efficit, de publicano Evangelistam, de fœneratore Apostolum, de dierum malorum inveterato Levi Matthæum

Sacramentum Regis abscondere bonum est: opera autem Dei revelare honorificum Verè *opera*, non opus tantummodo in justificatione, de quâ tot passim motæ quæstiones. Eas clarè, ut spero, exponemus in conversione Matthæi inspecto, quid ex parte sua fecerit Christus, quid ex [parte sua] Matthæus.

[Primum], Deus habet voluntatem generalem benefaciendi hominibus omnibus, etiam malis: non qua mali sunt, sed quà sunt homines. Sap 11 *Nihil odisti eorum, quæ fecisti Nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* Amat peccatores, quos fecit: odit peccata, quæ non fecit. *Sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Apage itaque sententiam, quâ horripilatio statuitur capiti: positivè à quo reprobatos, selectos de massa ut perderentur &c. Sap. 1 *Deus mortem non fecit* &c. Sufficiunt [verba] Evangelii nostri, [profligandæ] isti sententiæ: *Non est opus [va]lentibus medicus, sed malè habentibus. Misericordiam volo, non sacrificium.* Quasi dicat: quomodò medici generatim erga ægros omnes propendet officio, & affectu ita ego &c Et qui ab hominibus exigo misericordiam, præ honore meo quantæ ipse ero misericordiæ?

Sed quia non sufficit sterilis voluntas generalis, & misericordia universalis, absque productione & effectu essetque magis velleitas, & desiderium abortivum, quàm seria voluntas: neque ea deceret summam bonitatem, operibus suis sese communicantem, & parcentem omnibus atque *amantem animas*, ut habetur Sap. 11 Ideirco Christus post isthæc generalia, subdit: *Non veni vocare justos, sed peccatores*: ab affectu transit ad effectum, *veni, vocavi.*

Non dixit dumtaxat, sed fecit. *Vidit hominem sed. in tel. Matthæum* Erat ne peccator Matthæus? Non exquiramus judicium Pharisæorum murmurantium Audiamus Ambrosium hom. Vigiliæ hujus. Chrysostomum hom 14. Chrysologum serm 28 29 30. *Sedebat, quia stare non poterat, pondere cupiditatis oppressus, & totus can[d]entis fraudis incurvus:* avarus in lucro, in desiderio insatiatus, in debitis inflexus, immisericors in exactionibus, injustus in rapinis. Non disputo, fuerit ne fœnerator: scio mensarios non continuò esse usurarios. audio Zacchæum dicentem, *Si quid aliquem defraudavi*, quasi non constet defraudasse. Tamen, considerato ingenio Judæorum, & Romani imperii motibus eo ævo, ubi non tectè per cambia ficta &c sed apertè exigebantur usuræ: non immeritò pronuntiabimus Matthæum usurarium.

Hunc ergo hominem Christus *vidit, & ait illi, Sequere me* Bonaventura Christum advertit tria fecisse pro Matthæo. *Exiit, vidit, vocavit: exiit, ut requirat: vidit, ut attrahat: vocavit, ut ad se convertat.* Accumula hic quidquid potes elogiorum de usura, aut saltem de avaritia, quam nos pinximus in Comm. ad calcem cap 4. libri hujus. Dic esse piceum ignem, omnia cinerantem: ventum horribilem, arboribus omnibus & domibus evertendis: mare cuncta absorbens, nihil revomens: sanguisugam insatiatam, donec crepet: draconem auro, quo non utitur, incubantem. Cùm similia multa congesseris, adde coronidem ex Eccl 10. *Avaro nihil est scelestius... Nihil est scelestius, quàm amare pecuniam.* aut ex Paullo Eph 5. *Avarus, quod est idolorum servitus.* Dubitâsti hactenus, an Christi affectum erga peccatores comitaretur effectus? Specta istum avarum. Neque unum specta, sed multos. *Levi convivium facit* in domo sua. Quis in capite? *Levi* forsan, jussu Christi, quia illius erat festum. Ad dexteram, & sinistram, qui? Publicani: & Apostoli, *Generatio incredula* &c.

Sed quare publicani ad Christum venêre? An non vocati?

vocati? Nonne præventi? Nonne à Patre cælesti tracti? *Trahe me, post te curremus in odorem.* Trahe Deus, dein curremus. Cadere de se potest homo, non resurgere. *Qui se occidit*, inquit Aug. Enchir. cap. 30. *utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit*: nec se ipse potest resuscitare.

Omnes ergo isti testes sunt affectûs divini, & gratiæ prævenientis. Sed omnésne prorsus peccatores vocat Deus? Responsum dabit unicuique Prosper lib de voc. Gent. 1. cap 21. tum lib. 2. cap 4 23 25. 31. hoc præsertim, ubi asserit, *non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro sæculis, gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse* &c, adductâ Paulli sententiâ 1. Tim. 4. *Salvator omnium* &c. ait, eâ sententiâ, *si tranquillè consideretur*, omnem controversiam dirimi.

At, inquies, est ista vocatio exterior, quæ sine interiore nihil facit. Quid aspectus Christi, & sermo, profuisset Matthæo, si lumen, & vox, mentem non tetigisset? Dubium non est, ex sententia Paulli, quin gratia interior adsit cuilibet, alioqui non esset gratia Salvatoris.

Sed à communi hominum consideratione reflectamur ad S. Matthæum, inspiciamusque, quid ex parte sua fecerit. *Vidit Christus sedentem: ipse surgens secutus est.* Non solum non resistit, sed aptat libertatem suam gratiæ. Potuit ne ergo resistere? Tam certo, quàm libertate usus est, quàm meritum habuit, quod sine libero arbitrio non est. Bern. serm. 81. in Cant. *Ubi non est libertas, nec meritum.* Si volvent, sicut vehiculum trulatile; aut traheris, sicut ovis; aut necessario amas, ut Beati: quid mereris? Sed ex eo meritum est, quia, cùm excitanti gratiæ possis dissentire, non dissentis tamen. Sufficere debebant Spiritûs S. oracula, Deut 30. *Considera, quòd proposuerim* &c. Et Apoc. cap 3. Angelo Laodiceæ. Sed voluit Deus novum oraculum fundere per Conc. Trid sess 6 cap 5 & can 4. & nuper per Pontifices, &c. Potuit igitur resistere Matthæus, & liberè vocantem secutus est: sicut liberè, per scalas demissas, emersit è puteo, qui corruerat apud Aug. epist. 29. Quid in nobis liberius, quam imperium voluntatis in externas potentias: stando, egrediendo, sequendo, cùm vigilamus? Istis actionibus expressus est in Apostolo usus libertatis.

Neque hoc fecit duntaxat, sed, *relictis omnibus, secutus est Dominum.* Existimat Basilius, rationes mensarias ab eo relictas imperfectas: sed ea solum reliquit, quæ mala erant, non quæ bona vel indifferentia. Pecuniam superfuisse, convivium parasse, non est malum: uti neque in Zacchæo. Malum est, avaritia: eam relinquit, & sollicitudines, vanitates, injustitias, superbiam, duritiam cordis, oblivionem bonorum cælestium. Non uno tantùm morbo, sed omnibus liberatur, ad perfectam sanitatem.

Sic secutus est Dominum; ut posteà nunquam desecuerit. Imo & alios adduxit ad sequendum, etiam post mortem suam Evangelio suo, omnium primo; cujus exemplar repertum ad pectus D. Barnabæ. Cætera de S. Matthæo vide apud Interpr. &c. & quædam themate 2. suprà in D. Lamberto.

Inferamus conclusiones duas. Primam, ad laudem bonitatis, & misericordiæ divinæ, quòd omnes à se aversos dignetur respicere, &c. Nos præsertim. Nonne sedebamus, jacebamus, &c? *Non fecit taliter omni nationi*, neque omni sæculo. Cur nobis potiùs id fecit, quàm aliis? Non inquiramus. *Quis verò exemptus squalentis carceris*, loquit Prof. Carm. de Ingr. disputet, cur alii etiam non sint exempti? Gratulare tu fœlicitati tuæ, gratias age gratiæ, &c.

Quæ altera conclusio est, eâ benè utere: *Tene, quod accepisti, ne alius accipiat coronam tuam*, Apoc. 3. Necessaria tibi, quamvis justificato, est gratia: Aug. de nat. & grat. cap. 26. *Sicut oculus corporis, etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic homo, etiam perfectissimè justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere.* Sed & necessaria est nostra cooperatio. Induat se Jacob ad benedictionem obtinendam Gen. 27. Tubæ clangant, & circumeatur Jericho, Jos. 6. Gladius Domini & Gedeonis pugnet Jud. 7. Vincantur hostes, *Domino cadente, & exercitu ejus præliante.*

Benedicta sit Dei misericordia, quæ fugientes insequitur, adspicit aversos, vocat surdos & nolentes audire. Excitet nos, juvet nos, comitetur nos; ut cooperemur citò, constanter, cumulatè. *Tua nos Domine gratia*, precibus Matthæi & Lamberti, *præveniat*, &c.

THEMA tertium *Quare cum publicanis, & peccatoribus, manducat magister vester?* Ibid.

Posuerunt hodie Pharisæi *os suum in cælum*, adversùs Christum; *& lingua eorum transivit in terra*, contra publicanos. *Arguitur Deus*, inquit Chrysol. serm. 30. *quare inclinat se homini, quare communicat peccatori, quare esurit pœnitentiam, quare sitit reditum peccatorum, quare accipiat misericordiæ fercula, quare sumit poculum pietatis.*

Christus respondeat, eâ in re se exercere obedientiam, quia ad hoc venit; patientiam; humilitatem; maximè misericordiam, quam solam in Evangelio commemorat. Chrysol. serm 29. *Oblatras, cur peccatorum venam bibat, qui peccatoribus sanguinem suum fudit? Et si vis nôsse amplius*, &c. Materia est facilis extendi.

DIE S. MICHAELIS.

THEMA. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Matth 18

Exc. 1. ad cap 8 hujus lib. sect. 3.

THEMA idem.

Angelorum encomium. Ib. sect. 4.

THEMA idem.

Probatur esse spiritus. Ibid. sect. 1.

THEMA quartum. *Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi?* Psalm. 34.

Tantum Angelorum nomina duntaxat in Scriptura reperimus, à Deo deducta, seu desinentia in Dei nomen *El*: ficta sunt alia quatuor, aut saltem apocrypha. Michaeli datum nomen aptissimum, a tessera sua & symbolo velut militari. Milites enim esse Angelos, vel ipse Christus satis innuit Matth. 26. *Duodecim legiones Angelorum.* Eorum archistrategus Michael, symbolo isto usus, primo suo prælio *contra ducem superbiæ*: eodem superavit diabolum, altercantem super Mosis corpore: eodem conficiet extremum Antichristianum prælium.

Istius Michaelis prælii descriptio: dic, & nos esse milites: tesserâ nullâ meliùs victores fore, quam, *Quis ut Deus*: eâ, post Michaelem, usos Angelos omnes, & Sanctos Heroes, in his Machabæum nostrum. Augustinus in psal 34 explicans verba thematis nostri: *Quis dignè*, inquit, *aliquid de his verbis dicat? Ego puto tantùm pronuntianda esse, non exponenda.*

DIE S. LUCÆ.

THEMA *Salutat vos Lucas medicus.* Col 4.

Cùm David familiam & aulam Salomonis instruxit 3 Reg 1. viros ipsi probatos & expertos dedit, Sadoc, Nathan, Banajam, Cerethi, Phelethi, &c. Nam, ad tanta negotia, capacitate jam paratâ opus est: eam non dant Reges. Aliter Christus familiâ suâ, & aulâ, fecit: munia simul, & capacitatem, largitus. Hinc conditionum, & qualitatum, tanta inter adlectos ab illo varietas. Sicut Deus à providentia sua nullam conditionem excludit: ita nullam Christus exclusit à sua familia. Ignobiles multi fuêre, nobiles aliqui, Jacobus, Judas, Simon, utique consanguinei Virginis. Indocti plerique: docti quidam, Nathanael, Philippus Nathanaelis amicus, pares enim cum paribus versantur. Artifices fuêre plures: mercatores nonnulli, ut Matthæus. Quâ conditione fuit D Lucas? Nobilis videtur fuisse: si verum est fuisse cognatum Paulli *Lucium* Rom. 16 ut arbitrantur quidam. Doctus fuit, unâ saltem ex tribus altioribus scientiis: Theologus, & Jurisperitus fuit Nathanael, ipse Medicus. Artifex etiam fuit, pictoria enim ars est liberalis, poesis muta. De sola medici qualitate modò dicemus. primùm, medicum corporalem fuisse; tum, spiritualem pro mentibus aliorum; denique, pro sua.

Medicum corporalem fuisse constat, ex Eusebio, Athanasio, Dorotheo, Oecum. Theophyl. Euth. Metaph. Hier. Paull. Chrys. Ambr. &c. v. Interpr. ad locum thematis. Cùm autem eo ævo tres medicinæ partes, Methodica, Chirurgica, & Pharmacia, essent junctæ: sæpè miratus sum, pro patrono illarum non adscitum. Sed an exercuit? Nec de hoc dubito. At nonne fuit sacerdos, & Episcopus, sicut Marcus? Fuerit: sed tunc non erant jura prohibentia sacerdotibus medicinam, saltem primariam: ut hodie apud Americanos licet sacerdotibus. Anno 1308. Petrus medicus expertissimus, factus est Archiepiscopus Moguntinus à Clemente V. quem sanârat, ad eum missus ab Henrico Luxemburgensi, ut fratri ejus Balduino impetraret istum Archiepiscopatum. Balduino dedit paulò pòst Clemens Treverensem; tunc Moguntinum Petro, dicens, *fore insignem medicum animarum, qui tam insignis esset corporum.* Ita Spond. Putas, iste Archiepiscopus nunquam ampliùs deinceps medicinæ scientia usus est? Multò magis Lucas.

Præcipua tamen ejus occupatio fuit à spirituali medicina.

Hieron.

Hieron. in epist. ad Philem. *Lucam medicum ... quomodò Apostoli de piscatoribus piscium piscatores hominum, ita de medico corporum in medicum versus est animarum.* Eam medicinam exercuit dupliciter, prædicatione, scriptione. Fuisse de 72. discipulis, aiunt multi: comes fuit Paulli, *adjutor, carissimus. Laus ejus fuit in Evangelio*, etiam prædicando. post mortem D. Paulli in Africam, & Orientem isse dicitur. Scriptio ipsius duplex est, Evangelium, Acta, *Luca digestum*, id est Evangelium, inquit Tert. lib. 4. cont. Marc. *Paulo adscribere solent.* Quam multa illic singularia de Annuntiatione, ortu Joannis, Nativitate, Samaritani parabolà, ovis errantis, Prodigi, &c.? Ut meritò Hieron. appellet *languentis animæ medicinam.* Vide etiam B. Laur. Just. serm. de S. Luca. Actorum historia Evangelio non absimilis.

Medicina parùm medico prodest, nisi curet seipsum. Curavit Lucas *jugi crucis mortificatione.* Unde illam didicimus? Ex figura bovis ipsi applicatà & ea nomine? Certiora ex historiis antiquis: ex vitæ longitudine: ex commutatu Paulli dicentis, *Lucas est mecum solus.* Inde ipsi prærogativæ multæ in hac vita. Servius noster, in quaternione Evangelistarum, adscribit ipsi privilegia quinque supra viginti. De miraculis ejus, morte, &c. vide Interpretes.

Christiane, medicus ipse tibi esto: medicina tua sit *mortificatio crucis pro honore nominis Christi.* Quocumque statu sis, noli multas arcessere mortificationes: accipe oblatas, occurrentes, ingruentes, sicut Christus crucem, sicut Lucas labores. Accipe non invitus, non pro commodo &c. sed *pro honore nominis Christi.*

THEMA alterum. *Et, qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt.* 2. Mach. 2.

Eodem ordine ostende pictorem fuisse Lucam, quo medicum. Pictor fuit, non Alexandri, ut Apelles, sed Christi & Virginis. In aliis pinxit virtutes prædicando, & scribendo Christum formavit in animis Fidelium: Chrys. in psal. 50 *Prophetæ sunt quidam veluti pictores virtutis.* In se pinxit Crucifixum jugi crucis mortificatione.

Picus Mirand. lib. de dig. hom. *Tui ipsius*, inquit, *arbitrarius, honorariusque plastes & fictor, quam malueris tibi formam effinge: poteris in inferiora, quæ sunt bruta, degenerare; poteris in superiora, quæ sunt divina, ex animi sententia regenerari.*

DIE SS. SIMONIS ET JUDÆ.

THEMA. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Joan. 15.

Percommodè thema istud Evangelicum prælegendum Ecclesia curat, festo Sanctorum Apostolorum; fratrum, laboribus conjunctorum; fraternè, quod non ordinum fratrum est, inter se amantium; caritatem, non exemplo solùm; sed verbis commendantium *Misericordia vobis, & pax, & caritas adimpleantur. Crescite in dilectione.*

Motiva ad caritatem terna, in themate nostro indicata, deprehendo verbis totidem. Primum, voce, *Hæc*, non Hoc: quia multiplex est præceptum, &, *qui diligit proximum, legem*, quoad affirmativa & negativa præcepta omnia proximum spectantia, *implevit.* Quia, etsi multiplex non esset, eminenter tamen in se continet perfectionem præceptorum omnium, & gratiarum, quæ sine illa nihil sunt: *His omnibus desit una caritas, illa numero plura sunt, hæc pondere major est*, inquit in psal. 54 Augustinus. Quia caritas est *vitta coccinea*, sponso, *vinculum perfectionis*, Paullo: ad colligandas & in uno fasce connectendas actiones omnes erga proximum, quò faciliùs ferantur. Simon, & Judas, tolerant difficillima portatu in Apostolici muneris exercitio, ingenia & mores exterorum, injurias inimicorum, querimonias amicorum &c. Constrinxerant isthæc omnia vinculo caritatis, & fasciculi instar, benè compositi, facilè gestabant; sicut Levitæ instrumenta Tabernaculi, quæ, si soluta essent, difficillimè ferrentur.

Deinde, voce, *Mando*, in qua nonnulli apud Salmeronem, quiddam distinctionis inveniunt à voce *Præcipio.* Sed vox ἐντολὴ Græca, utrique verbo respondens, distinctionem illam non patitur. Præcipit igitur caritatem: ecquisnam legislator, dominus, rex? An hominum aliquis, qui præcipiendo errare possit? An Pharisæorum unus, qui digito suo nec moveat onus, alienis humeris injectum? *Si mundus vos odit*, inquit, *scitote, quia me priorem vobis odio habuit*: odientem tamen illum, & odiosum mundum, sic dilexit Pater, ut filium suum unigenitum daret; sic Filius diligo, ut dilectam animam meam illi daturus sim, moriens non pro peccatis duntaxat vestris, sed & *pro totius mundi.* En quis dicat *mando*: tantus dominus, tam sapiens legislator, tam perfectum mandati sui adimplendi exemplar.

Denique, voce, *Vobis*, Apostolis utique meis, quorum munus erit in gubernando, quod sine caritate impleri non potest: in docendo omnes gentes, discurrendo, labores ferendo, &c. quod non præstabit nisi caritas: in ferendis injuriis, recipiendis malis pro bonorum mercede, quod sustinere non poterit nisi caritas. Præterea mundus vos odio habebit, neque enim servus est major domino suo: *si me persecuti sunt, & vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt.* Debetis itaque inter vos eò arctiori caritate conjungi, quò plura habetis inimicos: contrahite vos, & densate, in cuneum, impenetrabilem omnibus inferorum viribus, conjunctissimi amore, etsi locis disjunctissimi: imò in eodem loco eritis, quamdiu manebitis in dilectione. Christiani, Apostolorum discipuli, *Vobis* idem à Christo mandatur: & vos odio habet mundus, *mundi rectores tenebrarum harum*, inimici caritatis, satores dissensionum. Illos admisit Simon leprosus, invidià. Judas Iscariotes murmuratione, &c. Frustra sitis Simones, & Judæ. frustra sitis Chananæi zelotæ; Lebbæi, & Thaddæi, leonini & mammæi. si, verò inter vos caritate in cuneum coacti, dæmonem non excludatis.

THEMA alterum. *Simon vir consilii..; Judas fortis viribus.* 1. Mach. 2.

Materiam indicamus ad vers. 66 lib. 1. cap. 2. cui materiæ extendendæ, vide Interpretes in proœmiis ad epistolam Canonicam Judæ. Quod de Apostolis generatim dixit Fulgentius serm. 9 huic apprimè convenit: *Diversa nomina, & una captura.*

Ambrosiana in Nativ. Mart. Tauricorum: *Sancti Martyres nec sibi vixerunt, nec sibi sunt mortui: exemplum enim nobis reliquerunt, benè vivendi, conversationis; moriendi fortiter, passionis.*

Ecclesia, in oratione hodierna, dicit, nos venisse *ad agnitionem divini nominis* per istos Apostolos. An ergo prædicaverunt in Europa? Neutiquam: sed, ob conjunctionem Apostolorum inter se, quod illi fecerunt, istis tribuitur: ob unitatem Ecclesiæ, quod à Simone & Juda factum pedibus in Ægypto & Perside, id cætera membra sibi factum reputant: ad extremum, isti Apostoli nos ad agnitionem divini nominis deducunt exemplis suis; Judas etiam scriptis.

THEMA tertium. *Qui sunt hi, qui ut nubes volant, & sicut columbæ ad fenestras suas* Isa. 60.

Hanc sententiam Hieronymus explicat de Catholicis omnibus. Bzovius applicat iis, qui nuper fidem invexère, aut revexère in Indias. Quidam accommodant Lusitanis, aliisque terrarum novarum repertoribus. Gregorius hom. 18. in Ezech. Rupertus, &c. de Apostolis intelligunt, & viris Apostolicis. Bonaventura singulariter aptat Simoni & Judæ, & terna similitudinis capita profert: nos quaterna tangemus.

Nubes de aquis & terra elevantur: vocati hi duo Apostoli &c. Nubes terram fæcundant: Apostoli ista Thebaidem, & Persidem &c. Nubes interdum fulgura parturiunt: Simon zelotes, & Judas leoninus, vide hujus epistolam. Nubes dicuntur tabernaculum, vehiculum, habitatio Domini: in istis Apostolis Deus majestatem suam ostendit miris operibus, gloriâ &c. Columba significat Spiritum sanctum: hi, Spiritu sancto pleni, eò jubente regiones idololatriæ deditissimas sortiuntur. Columba fæcunda est: *innumeros filios IESV Christo pepererunt.* Columba mitis est: vox Judas fuit, uti & Simonis. *Misericordia vobis & pax &c.* Columbæ junctim volant: conjuncti hi fratres amore, prædicatione, morte, ut esset velut *par columbarum*, Deo oblatum ad holocaustum suavissimi odoris.

Non simus *nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur.* Non simus columbæ seductæ, quæ non habent cor: sed habitemus, cum Sanctis Apostolis, *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.*

DIE SANCTORUM OMNIUM.

THEMA. *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* Psal. 67.

Mirabilis olim fuit Deus in Sanctis, id est in Sanctuario; aut in Sanctis, id est in populo sanctificato Israelitarum. Sed quantò mirabilior est in Sanctuario cælorum, & in populo Beatorum? Consideremus statum summæ admirationis, & æternæ laudationis, materiam: quomodò agat Deus *illos beatificans, illos sanctificans*, ut inquit Bern. serm. 2. de Dedic.

Psaltes Regius, imò divinus, cujus hymnis orbis hodie

§§§§ §§§§ §§§§ universus

universus laudat Dominum, psalmis suis finem convenientiorem non invenit, quàm ut nos hortaretur ad laudandum Deum in Sanctis suis: *Laudate*, inquit, *Dominum in Sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus*: id est, quemadmodum explicat D. Augustinus, Deum in electis suis, quos velut firmamentum potentiæ suæ statuit, benedicite quantum potestis, *secundum multitudinem magnitudinis ejus*; & ad eam laudem vires omnes, & enim, cum universo musicæ apparatu, impendite: *omnis spiritus laudet Dominum*, id est, ut quidam explicant, omnis respiratio; aut, ut Augustinus, tota vis mentis & universus animi conatus *laudet Dominum*. Ista sunt suprema divini musici verba; iste ultimus lusciniæ cælestis cantus: ibi desinit laudem Dei in hac vita, ut laudet in altera.

Laudabilis quidem est, & *mirabilis Deus*, *in operibus suis* omnibus. Summi artificis manus apparet, in exiguo quamvis & vili muscæ, aut folliculi, corpusculo. Atque adeò idem Regius vates, antequam in penultimo psalmo, & expressius in ultimo, materiam laudandi Dei suggerit *in Sanctis ejus*: in antepenultimo hortatur nos, ad eum prædicandum, non ex contemplatione modò cælorum, Solis, Lunæ, stellarum; sed etiam ex conspectu bestiarum, volucrum, ignis, grandinis, &c. Nihil enim creatum usquam est, in quo non eluceat sapientia Dei in disponendis ejus partibus, potentia in producendo toto, bonitas in communicanda existentia.

At longè magis *Mirabilis Deus in Sanctis suis*, quos sapientissimè deducit per vias rectas, quamvis obliquæ videantur: quos potentissimè roboravit adversùs hostium incursum, quamvis infirmos: quos benignissimè remuneratur æternitate beatâ pro momento laboris, quamvis pro æternitate laboris sufficeret momentum beatitudinis. Itaque *Laudate Dominum in Sanctis ejus*. Laudate ipsius sapientiam, & potentiam in illis sanctificandis, bonitatem in beatificandis.

Supra omnem admirationem foret gubernator, qui eumdem portum ventis quibuslibet tenere posset; aut dux, qui quovis itinere eumdem terminum assequeretur; vel artifex, cui quodcumque instrumentum operis cujvis foret idoneum. Sed illa solius divinæ sapientiæ miracula sunt. Quam variæ statuum, & conditionum, inter homines viæ? Quàm diversi sexus, ætatis, propensionum naturalium venti, passionumque ac motuum impulsus? Quàm multiplicia ingeniorum, judiciorum, voluntatum, sensuum instrumenta? Sunt sæculares, & Ecclesiastici: sunt conjuges, & cælibes: sunt divites, & pauperes: sunt cholerici, & melancholici: sunt hebetes, & vividi: sunt magnanimi, & pusillanimes: sunt sani, & ægri: & in ea varietate rursum est infinita varietas. Ex his tamen omnibus generibus habet Deus electos suos. In ea turba magna, quam Joannes vidit, & *dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis*: quod vitæ & conditionis genus, quæ constitutionis naturalis ratio, quis ingenii gradus non reperitur?

Figuram varietatis istius quidam deprehendunt Apoc. cap. 1. Videt Joannes *similem filio hominis*, id est Christo, *vestitum podere* seu toga talari, *præcinctum ad mamillas zonâ aureâ*, capillis niveis, oculis flammeis, pedibus aurichalco ardenti similibus, voce instar aquarum multarum, dexterâ stellas septem præferente, ore gladium ancipitem producente, facie Solem meridianum exhibente. Sic se Christus Joanni semel videndum exhibuit, ut illi corpus suum mysticum, id est Ecclesiam, ex variis hominum generibus ac gradibus compositam, adumbraret. Pedibus æreis significantur pauperes terræ: zonâ, continentes: dexterâ, & stellis, Episcopi & pastores: voce, ac gladio, Doctores & concionatores: oculis, præsides ac magistratus: facie, Principes supremi ex utroque ordine: canitie, consiliarii. Omnes isti de corpore Christi sunt; &, si regi se sinant, ad summam virtutem, & ad gloriæ æternæ possessionem, à Christi sapientia deducuntur.

Expressiorem figuram invenio Apoc. cap. 7. in epistola festi hodierni, ubi de singulis tribubus Israel numerantur *duodecim millia signati*. Arbitratur Viegas isto numero significari, paucos salvatum iri ex Judæis, præ turba salvandorum ex Gentibus. Alii putant, definito numero innui indefinitam multitudinem prædestinatorum quorumvis: idcirco omitti tribum Dan, de qua orietur Antichristus, & comparatur colubro, estque idea reproborum. Ambrosius, Rupertus, &c. dicunt ittum ordinem virtutum paullatim ascendentium ad perfectum, & ad gloriam æternam: ideoque à Juda incipi, id est à Confessione, quæ est principium salutis, & in Benjamin desini, id est filio dexteræ, ad quam dexteram sunt Sancti in gloria, nam *longitudo dierum in dextera ejus*. Pace tantorum virorum, in istis Patriarcharum nominibus, & moribus, deprehendo varietatem Sanctorum, quos Deus signavit ad gloriam. *Judas*, id est Confessio Dei, significat Confessores: *Ruben*, filius visionis, Doctores: *Gad*, armatus, accinctus, Martyres: *Aser*, felix, divites; *Nephthali*, dilatatio mea, honoratos: *Manasses*, oblitus, pauperes & ingloriosos: *Simeon*, obedientia, religiosos: *Levi*, mutuatus, Ecclesiasticos: *Issachar*, merces, senes, de proximo exspectantes requiem: *Zabulon*, habitatio fortitudinis, viros annis & usu fortes: *Joseph*, accrescens, juvenes: *Benjamin*, filius dexteræ, infantes à sanctificatione ad beatitudinem translatos. Ex omnibus istis gradibus, conditionibus, ætatibus, electos suos habet Deus: ex omnibus etiam ingeniis & propensionibus naturalibus, cùm in illis magna fuerit inter filios Jacob varietas. Et, ne quis se prætermissum existimet, subdit Joannes, *Post hæc vidi turbam magnam*, &c.

D. Cyprianus dicebat suis: *Nemo putet difficilè Martyrem fieri, cùm videat Martyrum populum non posse numerari*. Dicamus nos, *Nemo putet difficile Sanctum fieri*, &c. *Sed infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quis me, tam fragilem & infirmum, roborabit? *Gratia Dei per IESVM Christum.* Cujus sapientia suos deducit per tam varias vias; ejusdem potentia eosdem in tam variis infirmitatibus roborabit. Ecquinam fuêre, qui in cælo sunt? *Infirmi homines*; non homines modò, sed infirmi, *lutea vasa portantes*. Tolle tunicas palmeas, & cilicia, & melotas; apparebunt Pauli, Antonii, Hilariones, *lutea vasa portantes*. Tolle loricas hamatas, & thoraces ferreos; apparebunt Gulielmi, & Dominici, *lutea vasa portantes*. Tolle cidares & togas Pontificias; tolle scapularia & semicinctia; apparebunt Benedicti, Francisci, Ignatii, Xaverii, *lutea vasa portantes*. Isti tamen, quidquid in mundo est amabile, spreverunt, quidquid est formidabile superaverunt; carnem domuerunt, inferos vicerunt. Quid autem istos loquor: Non videmus puellulas tredecennes carnifici collum offerentes? Non audimus septennes puerulos carbonibus ardentibus insistentes, quasi flores essent? *Quis loquetur potentias Domini?* Potentiæ divinæ miraculum sunt Angeli beati, qui rebellibus restitère incorporei incorporeis, intelligentissimi, firmissimæ voluntatis. At longè majus miraculum homines beati, qui corporei, obscuri intellectu, voluntate passionibus agitatâ, non momento uno restitère, sed annis plerique longis, & vitâ universâ. Murum lapideum, aut latericium, benè densum aliquot tormentorum ictibus non frangi nemo mirabitur: omnes obstupescent, si argillaceus paries innumeris ictibus non rumpatur. Sic fuêre Sancti, *lutea vasa portantes*.

Infirmus ergo dicat, cum Joele cap. 3. *quia fortis ego sum*. & spem suam erigat in illum, *qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt fortitudinem*. Isa. 40. Dicat cum Paullino ep. 2. ad Sev. *Habeo armamentarium Christi, de quo arma lucis usurpem, quibus principes tenebrarum expugnem.* Et, quo magis sese excitet, Dei bonitatem in remunerandis suorum obsequiis contempletur. Quanta Dei bonitas, in admittendis servulis suis ad familiarem sui & æternam visionem, ad caritatem atque amicitiam intimam, neque umquam desituram? Quanta summi Regis benignitas, in communicando gaudio ipso suo, ac penè essentia, vilibus ac luteis homuncionibus. Beatitudo enim Dei est, se videre & amare: beatitudo Sanctorum est, videre & amare Deum. Quanta liberalitatis profusio, in danda felicitate æterna immortali animo, & mortali corpori? Quid autem de beatitudine loquimur, quasi loqui possimus? *O anima mea*, inquit Bonaventura, *quid dicere valeo, cùm futurum gaudium aspicio: jam penè præ admiratione deficio; quia gaudium erit intus & extra, subtus & suprà, circùm & circà: gaudebis igitur de omnibus, gaudebis in omnibus.* Paullus, raptus licèt in cælos, assequi non potest, *quæ præparavit Deus diligentibus se*. Unigenitus ipse Dei filius vix de beatitudine quidquam, nisi per parabolas, eloquitur: nunc regnum est, nunc civitas, nunc domus mansionum multarum, nunc terra promissa, nunc cœna, nunc thesaurus, nunc merces.

Age ergo, Christiane, omisso sermone quem satis assequi non possumus; videamus potiùs, quomodò rem ipsam assequamur. Regnum est, vim patitur. civitas est, bellando capitur: domus est, per angustam portam intratur: terra promissa est, peregrinando possidetur: cœna est, sine toga nuptiali non assidetur: thesaurus est, venditis omnibus comparatur: merces est, laborando acquiritur. Mavis Sanctos ipsos audire? Ascende in montem cælorum, vide circumstantem agno turbam magnam, aspice conditionis tuæ ac professionis, amictos stolis albis, & palmas in manibus eorum. Interroga, quid sibi velint stolæ indices puritatis, & palmæ signa victoriæ? Interroga quid egerint, quid egisse velint, ut beati essent? Quid ii, quæso, responsuri videntur? Audi, Christiane,

non

non me, non Sanctos loquentes; sed Sanctum Sanctorum, sed Christum. Non jam in monte Thabor sedens, sed stans in montibus æternis, aperit os suum, & idem dicit, quod in monte Thabor. *Beati pauperes, mites, misericordes, pacifici, mundo corde.* O quàm diversa lectio ab illa, quæ ad pedem montis buccinatur, Beati divites, potentes, læti &c! Quid agamus! Scalas alias ad adscensum cælorum erigere non possumus, quàm quæ à Christo positæ sunt.

THEMA aliud. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Matth. 5.

Spes, & timor, rerumpublicarum custodes sunt, custodes etiam animorum. Timor æternæ pœnæ, & spes æternæ beatitudinis continent Christianos. Scio nonnullos caritate duci: sed non audistis quis, quibus, spem beatitudinis commendet, aperiens os suum divinum!

Super flumina Babylonis rogati Israelitæ, ut *hymnum* cantarent *de canticis Sion*, responderunt, *Quomodò cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Cantare tamen jubet nos Christus, super flumina hujus terræ, canticum cælestis Hierosolymæ, cùm jubet gaudere & exultare, &c. Obliviscamur ergo interim paullisper miseriarum nostrarum, & animo transeamus in cælos. Quomodo, inquit Chrys. lib. 1. de Comp. prætereunte triumpho Cæsareo, pauper de tugurio suo prospectans, immemor tantisper egestatis suæ. Ita tu, Christiane, ait Hieronymus Eustochio scribebat, *Egredere paullisper de carcere corporis, & præsentis laboris mercedem ante oculos depinge.* Et, quò melius pingas, conare, quod Ephesios cap. 3. monebat Paullus, *comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum.*

Altitudo beatitudinis cælestis, in tribus actibus consistit, visione Dei, amore, & gaudio inde existente: sive tres illi actus ad beatitudinis essentiam concurrant; seu sola visio sit essentialis, amor & gaudium sint complementa. Primus ergo actus est, videre Deum, *sicuti est, facie ad faciem*, clarè, distinctè, intuitivè, summam istam bonitatem, pulcritudinem, &c. Ex illa visione sequetur necessariò amor intensissimus, & numquam interruptus; quo voluntas nostra transformabitur tota in divinam, nihilque desiderabit, nisi quod Deus volet, cum summa tranquillitate. *Amor quietat in vultu Dei*, inquit Aug. in psal. 85. *quem modò desideramus, cui suspiramus, cùm ad eum venerimus quomodò nos accendet, in quem nondum visum sic suspiramus!* Visionem, & amorem, consequetur necessariò torrens voluptatis immensæ, intellectum simul inundans, & voluntatem. Nam si creata veritas, & caritas, sine gaudio cognosci, & diligi nequeunt: quantâ lætitiâ nos adimplebit Deus, cum vultu suo? Hic me verba deficiunt, dicoque cum Augustino tract. 34. in Joan. *Extendat anima cupiditatem suam, & sinus capaciore quærat comprehendere, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Desiderari potest, concupisci potest, suspirari potest, verbis explicari non potest.*

Faciliùs paullo explicabimus latitudinem beatitudinis accidentalis, potentias animæ, & corporis sensus, plenâ suavitate perfundentem. Intellectus, præter intuitum Dei, res supernaturales & naturales tum in Deo cognoscet, tum in seipsis, suumque illum sciendi appetitum omninò exsatiatum habebit. *Vident faciem tuam semper*, inquit Aug. lib. 13. Conf. *& ibi legunt, sine syllaba temporum; semper legunt, & numquam præterit quod legunt, non clauditur codex eorum, nec plicatur liber eorum: quia tu ipse hoc illis es, & es in æternum.* Voluntas, præter amorem Dei, habet suavissimum erga humanitatem Christi affectum, erga Virginem, Angelos, Sanctos. O dulcis, cordata, civilis, sincera societas. Memoriam pascet rerum omnium præteritarum recordatio, in providentiæ divinæ admirando ordine. Visus castissimâ luce, & formâ, recreabitur: auditum exhilarabit jucundissimum alleluia: Christi bonus odor, aura cælestis, temperies gratissima, cæteros sensus afficient. Denique, *qui hoc bono fruetur, quid illi erit? Et quid illi non erit?* Ut ait Anselmus Prosol. cap. 24. 25. *Quid enim amas, anima mea; quid desideras, anima mea? Ibi est.* Deinde, postquam bona omnia hominum desiderabilia percucurrit, subjicit: *Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, imò obrutum ærumnis, quantum gauderet, si his omnibus abundaret? Interroga intima tua, si capere possent gaudium de tanta beatitudine sua.*

Sed si neque explicandæ isti latitudini sufficit sermo, & intelligentia; quomodò sufficiet interminabili beatitudinis longitudini expendendæ! In voluptatibus hujus vitæ istud semper primo loco occurrit, *Hæc quamdiu?* Tamdiu, ut plurimùm, quamdiu vita prorogabitur. At in istis cælestibus bonis tamdiu erimus, quamdiu animarum vita durabit, id est quamdiu durabit æternitas. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* *Certi erunt*, ut loquitur ibidem Anselmus, *numquam istud bonum sibi defuturum: sicut certi erunt, se non sponte suâ illud amissuros, nec dilectorem suum Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum; nec aliquid Deo potentius invitos, Deum & illos, separaturum.* Et hic extendat anima humana quantum potest cogitationes suas, ut istud, *semper, numquam, æternum*, comprehendat. *Unius mora momenti*, inquit Boethius lib. 2. prof. 7. *si decem millibus conferatur annis, quoniam utrumque spatium definitum est, minimam licèt, habet tamen aliquam proportionem. At hic ipse numerus annorum, ejusque quantumlibet multiplex, ad interminabilem diuturnitatem ne comparari quidem potest. Etenim finitis ad se invicem fuerit quædam; infiniti verò atque finitis nulla umquam poterit esse collatio.* Protensis itaque, quantum vires ferent, ad æternitatem cogitationibus tuis, audi Augustinum lib. 3. de lib. arb. cap. 25. *Tanta est jucunditas lucis æternæ, ut etiamsi non liceret in ea manere, quàm unius diei morâ, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ, pleni deliciis, & circumfluentiâ temporalium bonorum, jure meritoque contemnerentur.*

Quid si mille annis omnis liceret dare sensibus, ut Salomon; quid si triginta millibus honores omnes obtinerentur: an ista præ unius lucis beatæ die contemnenda forent? Si propter diem unum spernenda forent, quid propter annum, quid propter æternitatem? Nonne omnia præ æternitate sunt paleæ, pulvisculi, umbræ, nihilum?

Venimus ad quartam beatitudinis mensuram, *profundum:* cui datur, quo labore comparatur? *Gaudete*, inquit Christus, *quia merces vestra copiosa est in cælis.* Vestra, atque hominum, vilium, peccatorum. At nonne etiam sine mercede oportebat laborare? Cur ergo non animæ tantum, sed corpori isti terreno, mercedem promittis: & quidem pro tantillo labore? Paucos annos vivimus, operamur, studemus, vigilamus, datur merces æterna. O divinæ bonitatis largitatem! *Quanto labore digna est requies, quæ non habet finem? Si verum vis pronuntiare, & verum judicare, æterna requies æterno labore rectè emitur*, inquit Aug. in psal. 93. Sed, si æternam laborem Deus exegisset, quandonam una æternitas transisset ad consequendam aliam? Potuerat saltem *decies centena millia* annorum exegisse, poterat saltem mille annos, poterat quingentos: sed vitæ tantùm spatium exigit. *Ecce, quantum pretium damus? Quodammodò unam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos: siliquam laboris damus, ad accipiendam requiem sempiternam.* Idem Doctor exemplum sibi, & nobis, militum proponit, con. 2. in psal. 36. diu patientium, ut paullisper quiescant: *Veterani milites non attendunt patienter hæc omnia, nisi paucos illos dies senectutis, ad quos utrum perveniant, nesciunt.* Nos cum Sanctis cogitemus diem æternitatis, quò scimus nos perventuros rectè vivendo.

THEMA tertium. *Audivi quasi vocem turbarum multarum in cælo, dicentium, Alleluia.* Apoc. 19.

Musica cælestis. Eac. ad cap. ult. lib. 2. sect. 3.

Sicubi per Octavam festi Sanctorum conciones habendæ fuerint, nec de Beatitudinibus octo, abundè per varios interpretes tractatis, dicere lubuerit: tibi offero, de variis partibus beatitudinis cælestis, materiæ compendium.

Primo die, THEMA. *Similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* 1. Joan. 3.

Videbimus. Videndi Dei, qui spiritus est, & corpore videri non potest, tres sunt rationes, scientiâ, fide, lumine gloriæ.

Eum sicuti est. Essentiam, attributa, caussam rerum, &c.

Similes ei erimus. Effectus visionis: transformabimur in illum amore, amor enim similes facit. Tanta pulcritudo adspici non potest, quin totam in se abripiat voluntatem. Infima pulcritudinum est corporea: quantos tamen motus facit in uxore Putipharis, senibus Susannæ, & aliis! Pulcritudo animæ vegetativæ longè corpoream superat: tum sensitivæ, dein rationalis, exinde Angelicæ naturæ. Supra istos pulcritudinum gradus adeo sextus eminet, animæ beatæ; ut Christus apud Ludovicum Blosium D. Birgittæ dixerit, futurum ut cor ejus amore vel gaudio rumperetur, si beatarum mentium formam posset intueri. Sanctæ item Mechtildi dicitur spectandam præbuisse pulcritudinem infimi Beatorum, eamque inenarrabili lætitiâ complevisse. Fuit autem anima latronis, qui, actâ per omne scelerum genus vitâ, magis educationis vitio, quàm indolis, actum Contritionis moriens produxerat. Jam quanta inter Beatos pulcritudo Virginis, quanta humanitatis Christi? Quanta verò divinitatis? Vide serm. 59. in Cant. Bernardum ad illud, *Vox turturis audita est in terra nostra.* De videndo Deo consule D. Thom. 1. p. q. 12. ar. 6.

Vide apud Cæsarium, quid dæmon, si corporeus foret, pro videndo Deo sese passurum dixerit.

Altero die, THEMA. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum.* 1. Cor 15.

Viæ ad beatitudinem variæ, ita in cælo varia beatitudo. Ita esse ostendamus; quomodò id fiat; quinam è Sanctis beatiores. Esse variam constat, ex argumentis, quæ nos in Controversiarum indice, Domin. Septuagesimæ, perstringimus. Qui id fit? Duplex beatitudo est, essentialis, & accidentalis: utriusque figuram habes in Berzellai Galaadite, & filiis, quibus fælicitas velut essentialis fuit, à Davide amari; accidentalis, invitari ad aulicas delitias. In utraque Beatis varietas. De accidentali, in aureolis, & in dotibus corporis, facile est intellectu: at non ita de essentiali. Quo enim pacto videtur Deus unus ab omnibus Sanctis, non tamen æqualiter? Eodem modo, quo tabella videtur una oculis corporeis; sed clarius atque perfectius, quò acies videntium clarior est atque perfectior. Ex perfectiori visione sequitur amor ardentior, & gaudium intensius.

Quantì faciendum lætitiæ beatæ augmentum? Quid agendum, ut augeatur? Ex stellæ plus lucent, quæ plus de Sole lucis accipiunt, & remittunt. Ii Beati plus amoris in cælo habent, qui meliùs hic gratiis Christi sunt usi, plus egêre, plus passi sunt pro Deo. *Semel locutus est Deus ... quia reddet unicuique juxta opera sua.*

Die tertio, THEMA. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Psal. 83.

In hujus vitæ voluptatibus majus fastidium nullum est, quàm à brevitate. Commivaris, conversans, honoraris. Quamdiu ista? Vanitas. At in voluptate beatitudinis cælestis æterna omnia.

Metiamur, si possumus, longitudinem æternitatis. primùm, sensibus, & figuris, annuli, serpentis inflexi & caudam admordentis, &c. Deinde, imaginatione spatii interminabilis, motûs perpetui &c. Denique, intellectu numerorum infinities multiplicatorum.

Postquam intellectu admensi fuerimus, voluntate metiamur. Contemnamus transeuntia. Desideremus æterna. Bernardus de anima cap 17. *Profectò ad cor suum redire, qui omnes cordis motus in æternitatis desiderio figit.* Vide eumdem ep. 288. ad Andream avunculum, & serm. 59. in Cant. Ad extremum, pro tanto bono consequendo strenuè laboremus. Quid agas, inquit Augustinus serm. 64. de verb. Dom. ad prorogandam vitam hanc sine morbis & doloribus? Ecce tibi hoc promittunt, & amplius, quod oculus non vidit, &c. Dicamus cum Ludovico Granatensi; *Bonum, quod exspecto, tam immensum est, ut omne supplicium, & tormentum, mihi sit oblectamentum.*

Die quarto, THEMA. *Posuit fines tuos pacem.* Ps. 147.

Cælum est visio pacis, quia est ibi gaudium plenum. Hic semper aliquid deest: si animâ gaudes, at non corpore, at non tuis. In cælo, gaudium de anima, & de corpore, & de aliis, erit plenum.

Curiositas sciendi vexat intellectum; tunc erit contenta: quid enim nesciunt, qui scientem omnia sciunt? Voluntas hic inquieta, extra centrum: ibi in centro. Memoriam hic malorum recordatio vexat: ibi etiam recreabit, consideratione Providentiæ divinæ. Hic imaginatio inconstans, volatica, passionum tumultibus stipata: ibi voluntati rectissimæ ad nutum obtemperans.

Hic non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur: ibi pulcritudo castissima corporum, lux calmum, colloquia Beatorum & cantus aures mulcebunt & oculos. Gustus cœna magna parata est: corporum beatorum odor sensum afficiet: tactui grata semper erit temperies. Gaudebunt itaque Sancti in omnibus. Gaudebunt etiam de omnibus, neque ulla parem inhabit inæqualis beatitudinis consideratio. Nam inde exulabunt passiones, & omnes invidiæ motus, qui hic turbant. Præterea, scient Beati plus sibi non deberi, quàm habebunt, nec volent plus habere debito. Denique habebunt perfectissimam caritatem, & non tantùm non dolebunt de majori bono aliorum, sed etiam gaudebunt. Verus itaque erit, ac perpetuus, in cælo sabbathismus; quem jam nunc incipiamus, acquiescendo voluntati divinæ in nobis, in omnibus.

Die quinto, THEMA. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Apoc. 21.

Quid est beatitudo? Præsentia omnis boni, absentia omnis mali: *absterget Deus omnem lacrymam.* Tristitia est de malo præsenti. Quod præcipuum malum? Nostrum primò nobis, tum alienum.

Hic Sanctos maximè torquet sua perpetua infirmitas, labendi saltem ad venialia. Vide flentem D. Dominicum, Agnetem Imperatricem &c. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi, Ubi est Deus tuus?* Jam imperfectiones ignatæ, quas Deus relinquit ad exercitationem, & humiliationem. Jam tentationes, ut Paullo: jam pericula peccandi. At in cælo nec peccatum erit, neque ejus periculum. Unde ibi impeccabilitas? Unde hîc peccabilitas? Ex defectu luminis in intellectu, quia peccans est ignorans: in cælo ignorantia nulla. Ex inconstantia liberi arbitrii, minus bonum præ majori eligentis: ibi voluntas semper in Deo fixa, amore continuo, cum quo non consistit ullum peccatum. Ex rebellione appetitûs, & seditionibus passionum: tunc planè obtemperabunt. Ex sensuum & imaginationis inobedientia; claudimus oculos, sed objecta rapiunt, imaginatio nobis pingit somnia vigilantium; tunc corpus, & corporea omnia subdita.

Sanctos aliena hic peccata cruciant. dolent florere malos; uelant super iniquos; opprobria exprobrantium Deo cadunt super illos, ut Bern. 2. de Consid. Ibi vident Dei justitiam; gaudent, quòd judicant de meretrice magna; manus lavant in sanguine peccatoris. Incipiamus jam nunc, quantum possumus, beatitudinem; & nos, & alios à peccatis abstinendo.

Die sexto, THEMA. *Sedenti super thronum, & Agno, benedictio.* Apoc. 5.

Duplex laus Dei, quia bonus in se, quia bonus nobis. Nobis autem bonus est, præsertim in auxiliis ad salutem, quæ nobis Verbi incarnati gratia obvenêre. Itaque divinitati primùm gratias agemus de illis, quia est pater luminum: deinde humanitati, alteri bonorum fonti; *sedenti super thronum, & Agno.*

Primùm, videbitur à Sanctis sacra Christi humanitas, quo splendore, quâ pulcritudine! In Transfiguratione exclamatur, *Bonum est nos hic esse.* Cùm pater esset Christus, desiderabatur ejus adspectus ad solatium mæstorum: quantæ ergo lætitiæ erit adspectus gloriosi!

Deinde, audietur à Sanctis Christus, licebit miscere colloquia familiaria singulis per annorum milliones: in quot enim partes dividi poterit immensa æternitas? Magdalenæ sedentis secus pedes Domini, & Apostolorum fælicitas, audientium verba vitæ æternæ, fermè nobis movet invidiam. Satiabimur tunc jucundissimo auditu.

Quid, quòd tangere, osculari plagas licebit, & exclamare cum Thoma, *Dominus meus, & Deus meus?* Osculari volebat pedes Christi resuscitati Magdalena: prohibita est, donec ascendisset ad Patrem. Jam ipsi licet, jam omnibus Sanctis licet. Quanto gaudio perfundens amatores S. Francisci, conspecta in ipsius corpore, olim glorioso, vulnera, &c!

Incipiamus jam nunc Agno gratias agere. Videt nos è cælo, etiam oculis corporis: est idem Agnus coram nobis in Ven. Sacramento.

Die septimo, THEMA. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Psal. 45.

Flumen est mortalitas sæculi, inquit Augustinus: ejus fluminis consideratio lætificat civitatem Dei, præbet Beatis magnam materiam gaudii, in decretorum divinorum, & potentiæ divinæ contemplatione. Ita explicat Bellarminus hunc versum.

Triplicis mundi cursus voluptati est, visibilis, politici, microcosmi. In mundo visibili, creatio, conservatio, dispositio partium cognita, mirè delectabit: veritatis unius naturalis cognitio quantopere animum afficiat, quotidie experimur.

In mundo politico, monarchiarum vicissitudo, belli & pacis tempora, fortunarum varietas, aliaque eventa publica, spectabuntur, eorumque omnium caussæ in scriptura Dei. Historias quàm avidè legimus: quàm cupidè legemus illum Providentiæ librum, in voluminibus temporum!

In microcosmo attendemus, cur hunc Deus reliquerit, illum assumpserit: cur illi bonam educationem, alteri malam dederit, ut sororibus duabus factum apud Dorotheum. Particularium delectabit recensere, quæ nos tangent: cur sic nati, educati, talis mentis & corporis temperie: cur talis nobis imperfectio relicta: cur ipsa peccata permissa? Bern. serm. 2. de Sanctis: *Nemo ex vobis parvam aliquam requiem, aut lætitiam suspicetur eorum, qui, ab omni penitùs molestiâ liberati, recogitant annos suos in dulcedine animæ suæ: lætantur pro diebus, quibus humiliati sunt, annis, quibus viderunt mala: cum jucunda admiratione, & mirâ jucunditate considerant pericula quæ evaserunt, labores quos pertulerunt, certamina quæ vicerunt.*

Die octavo, THEMA. *Me exspectant justi, donec retribuas mihi.* Psal. 141.

Etsi in cælo non esset beatitudo essentialis, abessent etiam accidentales pleræque: sola Sanctorum societas sufficeret,

sufficeret, ut, quidquid in hoc mundo voluptatis est, contemneremus. Quàm delectat societas nobilis, eloquens, suavis, sincera, sancta, amicorum? Talis illa est.

Ambiunt consortium nobilium ac divitum. Semel Regem alloqui magni fit. De conversatione familiari cum Regina, ac Rege, jactat se Aman. Quinam autem isti ad Sanctos, Reges sempiternos, quorum potestas maxima?

Eloquentes, & doctos, avidè audimus. Ad Platonem, & Salomonem, concurritur. *Comes facundus in via pro vehiculo est.* Ardet cor Emmauntinorum peregrinorum, Christo loquente in via. Quàm docti, & diserti Sancti?

Suavitas, & verbum dulce, multiplicat amicos: quæruntur, qui habent linguam eucharim, ut Bernardus. Quanta autem inter eos est suavitas, qui *unum volunt, unum nolunt?*

Si suavitati accedat sinceritas, ut os & cor consentiant, jucundissima est societas: ab arte omni, fuco, falsitate, tenebris, quales jam sæpe experimur, longissimè semota. Fenestratum habebunt pectus Sancti omnes.

Quàm jucundum fuit Mosi versari cum Angelo? Quanti emeremus, horam unam agere cùm uno ex Divis patronis nostris, & illi intima nostra omnia fidenter aperire? Denique, in cælo magnus nos carorum numerus exspectat: proavi, avi, parentes, sorores ad suos amplexus nos invitant: *me exspectant justi, donec retribuas mihi.* Cogitemus de illa societate, eam desideremus, pro illa laboremus: oblivioni detur dextera nostra, si ejus obliviscamur.

DIE COMM. DEFUNCT.

THEMA. *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* Psalm. 67. Sive ut alia versio habet, *Horribilis Deus in Sanctis suis.*

Exc. 2. ad cap 12 lib. 2. sect. 3.

THEMA alterum *Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis.*

Psalmista petebat pennas columbæ, ut volaret; non unam pennam, sed duas, spem ac timorem Spem concepimus ex beatitudinis consideratione, timorem haurimus ex contemplatione suppliciorum Purgatorii, & simul misericordiam erga animas

Antiquissima illa oratio Ecclesiæ nos admonet, quo bono careant animæ, quando jubet pro illis postulari requiem, & lucem. Carent requie, en pœnam sensûs: carent luce, en pœnam damni.

Gravitas pœnæ sensûs æstimari potest, ex verbis Ecclesiæ orantis, ut animæ defunctorum liberentur *de pœnis inferni, profundo lacu, obscuro, morte:* ex verbis Augustini in psal. 37 ubi ignem illum ait esse graviorem, *quàm quidquid homo potest pati in hac vita:* ex ratiocinatione, quod Deus in hac vita, quæ tempus est miserendi, tam graviter punierit ob levia peccata prophetam in Bethel, Ozam, Davidem.

Gravitas pœnæ damni itidem potest ex tribus æstimari: ex orationibus Ecclesiæ, ubi, tamquam res maximè desiderabilis, postulatur pro animabus sua, locus refrigerii lucis & pacis, regio pacis ac lucis: ex Augustino in psal. 127. ubi, posito Deum auditoribus suis omnem licentiam in hac vita concedere, hâc tantùm conditione, ut postmodum non videant faciem Dei, auditores omnes ingemuêre, tamquam ad maximum, ut verè est, malum: ex ratiocinatione, quod privatio boni tantò sit acerbior, quantò majus bonum est, perfectior ejus cognitio, affectus ardentior

Longitudo pœnarum item ex tribus æstimanda: ex usu Ecclesiæ, anniversaria, jam olim, etiam Tertulliani ævo, instituere solitæ: ex Augustino, Monicam matrem suam, tam sanctam, precibus lectorum suorum commendante, cùm Confessiones ipse suas scripsit diu post ejus mortem, atque adeo supponente posse adhuc esse in Purgatorio: ex justitia Dei, multis annis punientis incredulitatem levem à Mose admissam. In tantâ pœnarum acerbitate, quies in justissima Dei voluntate, lux spei à misericordi nostra voluntate, refrigerium dat animabus Ægrum, & cæcum, inhabilem ad se juvandum, si hodie invenias & solari possis, opinor solaberis, & juvabis: sic est anima in Purgatorio.

THEMA tertium. *Sancta, & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare.* 2. Mach 12.

Exc. eodem, sect. 6. Ad historias, quibus utilem probatur esse pro animabus orationem, adde, quod mihi cujusdam veridici asseveratione compertum est, res magni pretii deperditas, repertas post factum pro Defunctis curatum. Nec spernenda illa est historia, quam Barrius, aliique recitant, de quodam domum redeunte per tenebras: cui faces binæ repentè præiêre, totidem à tergo secutæ, eumque ad domûs suæ fores deduxêre, ubi hæc vox audita: Animæ defunctorum sumus, pro quibus diligenter Deum oras quotidie; si tibi non astitissemus, incidisses in hostium, qui te opperiebantur, insidias, & confossus fores.

THEMA quartum. *De profundis clamavi*, &c.

Ibid. sect. 7.

THEMA quintum. *Beati misericordes* Matth 5.

Ibid. sect. 4. & 5. potestque Octavæ toti sufficere, ut primùm miserias Purgatorii cum peccatis confertas, ostendatque misericordiâ esse digniores: tum ad alia misericordiæ spiritualis opera transeas: deinde, ad misericordiam corporalem. Alii, valdè utiliter, de variis juvandarum animarum modis egêre. Nonnullis placuit selectas aliquas historias vel apparitiones narrare, & in quæstiones incidere.

DIE S. MARTINI.

TAMETSI festum hoc ab Urbano VIII. abrogatum est, quia tamen celebre est D. Martini, uti & D. Catharinæ nomen, aliquid ad eorum laudem propono. Illius vitam viri quatuor sancti scripsêre, Severus Sulpitius; Paulinus quem Nolanum Baronius esse existimavit in notis ad Martyrologium, in Annalibus juniorem quempiam; Gregorius Turonensis; Odo Cluniacensis: ut hâc etiam parte Christo similis esset Martinus, qui tres mortuos suscitavit, quot Christus; à cujus morte numerati diu in Galliis anni; cujus honori quadragintadiale jejunium à multis olim institutum. Quatuor Evangelistas habet Christus quatuor scriptores habet Martinus Accenseri & alii possunt: Venantius Fortunatus in poematibus: Martinus Damiensis in versibus basilicæ S. Martini inscriptis, ubi eum facit totius ferme Septentrionis Apostolum, & sic epigraphen claudit. *Propriumque tenet te Gallia gaudens Pastorem: teneat Galicia tota patronum.*

THEMA *Lucerna corporis tui est oculus tuus* Luc. 11.

Post explicatum breviter Evangelium, & D. Martino applicatum, hæreatur in eleemosyna, unde ipsi sanctitatis eximiæ & honoris præcipui initium. Ejus eleemosynæ lucerna fuit oculus, id est intentio: claritatem tamen illi addunt cæteræ circumstantiæ.

Cum D Martinus post militiam fuerit religiosus, & Episcopus; mirum sane est, quod non habitu religiosi, & Episcopi, sed militis pingatur Etsi enim annos tres, quatuórve, miles fuerit, ut vulgò numerant: imò licèt quatuor supra viginti stipendia meruerit, ex Baronii opinione; qui censet anno ætatis decimo septimo cœpisse militiam, eamque demum anno quadragesimo reliquisse, quia *Ripenses, post viginti quatuor stipendia, honestam missionem accipere soliti erant*, ex lege 4. Cod. Theod. de Veteranis. Vide disputationem ejus contra Severum de militia & baptismo S. Martini, anno 351. sub medium. Etsi ergo tanto tempore militâsse faciamus: pluribus tamen annis fuit Episcopus, minimùm sex supra viginti, quot Baronius numerat Quid si jam Episcopalis dignitatis eminentiam, supra militare quodvis munus, exaggeremus; quando Martinus ipse sacerdotis gradum Cæsareæ majestati, in propinando, anteposuit?

Ut quid itaque Martinus miles pingitur? An fortè, ut intelligamus, in quavis conditione, Christianum non sanctum modò posse evadere, sed magnum sanctum: neque esse *qui se abscondat à calore* divini Solis? *Noli æstimare*, inquit Augustinus Bonifacio Comiti, *neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis ministrat.* Si id nondum te Martyrum millia docuêre: doceat celeberrimus Heros Martinus. An fortè majores nostri hâc picturâ exhibitam voluêre Martini spiritualem militiam: qui moribundus, missione jam fermè accepta, non recusavit laborem, & in medios belli æstus reverti paratus fuit, si populo Christi adhuc fuisset necessarius? Verba ejus sic explicat Severus ad Bassulam socrum: *Gravis quidem est, Domine, corporea pugna militiæ... Sed, si adhuc in eodem labore pro castris tuorum stare me præcipis, non recuso, nec fatiscentem causabor ætatem... Sub signis tuis, quoad jusseris, militabo*, &c.

Vera hujus picturæ ratio petenda est ab historia, quam exhibet, dimidiati à milite pallii ad pauperem contegendum. Quam siquidem tanti Christus fecit, ut de illa gloriari voluerit: &, quomodò Deus olim in Jobo trophæum patientiæ erexit, ita Christus in Martino monumentum statuerit fraternæ caritatis.

Sed cur, ô Christe, tanti hoc opus æstimas? Nonne consimilia fecêre plurimi? Nonne omnia pauperibus

dedêre Antonii, & Hilariones? Nonne subuculam sibi nuper detraxit Cardinalis Rupefucaldius, tapetia parietibus Bellarminus? Nonne ad annum 1597. civis Panormitanus vestes omnes, in his pallium aureorum ducentorum, in egenos distribuit! Quid Carolos Borromæos, Elisabethas Thuringias, Joannes Eleëmosynarios commemorem? Quid ad illos Martinus, pallium partitus?

Circumstantiæ opus illud augere in immensum. Primum, quia miles hoc fecit: cui hominum generi Joannes Baptist. id solum præscripsit, *Neminem concutiatis*. Reg. lib 3. cap. 7. corvus alit Eliam, eo majori prodigio, quòd rapax avis id fecerit, uti & postmodum Paullo Eremitæ. Abhinc annos aliquos scripsit in Belgium, vetus à puero Leodii amicus noster, P. Ægidius Fitgidimontius: Patri Ardennesio, itidem Leodiensi, in solitudinibus Paraquariensibus fame deficienti, ab aquila supervolante leporem bis ante pedes projectum: ita hunc sibi Patrem narrâsse. Patientius milites sese aquilis comparari: sed an corvis? Rapiendi sine dubio in eo statu major licentia est: adeoque major laus Martini, quòd non tantùm non rapuit, sed dedit.

Cui autem dedit? Externo, ignoto, antehac numquam viso, spe mercedis & gratitudinis nullâ. Quâ in re notandus, & corrigendus error vulgi, qui mendicum arbitratur fuisse diabolum. Memoratur diabolus S. Martini: non quia tunc mendicavit; sed quia postmodùm ipsi apparuit formâ humanâ, comminans semper se illi molestum fore; iterum Regis habitu; denique in morte: ut teri à diabolo tentaretur, qui ternos mortuos suscitarat.

Nec minùs expendenda circumstantia loci: quòd inter commilitones irrisuros, sub Juliano apostata, id fecerit; &, proculcato verborum ac judiciorum, quotidianorum virtutis tyrannorum, metu, in terra aliena cantaverit canticum Domini, & amoris.

Quartò, venit considerandum tempus: quo egebat Martinus, longè à domo paterna, inter maligna stipendia, hyeme, quando amictus magis erat necessarius. Laudanda meritò vidua 3 Reg. 17. quæ pauxillulum farinæ reliquum impendit Eliæ. Laudandus Deus-dedit apud Gregorium lib. 4. dial. Servulus, aliique pauperes, pauperibus sua elargiri soliti. Prædicatur à Christo vidua, quæ dedit *æra minuta duo*, seu *quadrantem*: quia cæteri dabant *ex abundanti*, hæc autem *ex eo quod deerat illi*: sic Martinus.

Ornatur prætereà eleëmosyna instrumento gladii. Ensem olim librabat cæca justitia: jam illo utitur oculata caritas. Isto mortium & facinorum instrumento Martinus utitur ad virtutem: nempe *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime*, de præcipuis imaginis fortium parasti Salomonis. Ad lecticam ejus adita proximus, quia *media caritate* constrata est.

Christus circumstantias duas nobis præcipuè ponderandas proponit, verbis istis. *Martinus, adhuc catechumenus, hâc me veste contexit*. Catechumenus, id est nondum baptizatus, in rudium adhuc discipulorum Evangelicæ caritatis gradu, tantum fecit, quantum cani disciplinæ Christianæ auditores, ac magistri, vix præstent. Sed si *catechumenus adhuc*, nec baptizatus: ergo originali adhuc culpâ obstrictus. Qui igitur pacto placuit Christo opus hominis ad gratiam divinam non admissi? Dico, Martinum actibus amoris divini gratiam promeritum fuisse ante baptismum: nec gratis dico, cùm vel solum ad Christianos generosum, invitis parentibus, transitum tenellâ ætate considero.

Respexit igitur Christus ad Martinum, & ad munera ejus: & maximè ad finem, quò ejus ferebatur intentio. *Hâc me*, inquit, *veste contexit*. Spectavit in paupere patrem pauperum: non oculis corporis, sed fidei. Altè in ipsius animum descenderant Christi verba, *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, à nobis explicata Indice Quadr. 2. & Exc. ad cap. 12. hujus libri sect. 5. istud audierat, *Nudus eram, & operuistis me*. In meditatione istius veritatis, exarsit ignis caritatis.

Argumentum, isto, ad eleëmosynam potentius nullum est. Divo Ivoni, qui sine paupere numquam cibum sumpserat, visus aliquando valde fœtidus mendicus, & ad mensam adhibitus, sumpto parcè cibo, mutato vultu, *Dominus tecum*, inquit, & evanuit. Narrat Alegambe, P. Petro Justinello, Dei-hominis amatori, nosocomiorum amanti, visum aliquando vultum ægri sensim mutari in speciem Christi. Liberalitatem S. Martini in Ecclesia catechumenatam compensat modò Christus in cælis, ibidem æternè satiatus omnium misericordium caritatem.

THEMA alterum. *Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit*. Luc. 11.

Lucerna Martinus in edito posita, splenduit virtutibus, fulsit miraculis; radiavit in vita, in morte maximè claruit: uti solent lampades, cùm propè est ut extinguantur, intermicare & vibrare vivaciorem flammam. Virgo, quæ morienti adfuit, aderit de morte ipsius dicenti nobis.

Puella nobilis quæsivit aliquando ex S. Thoma Aquinate, soror ex fratre, quid in hac vita maximè foret optabile? Hic, alia longè exspectanti, respondit, nihil bonâ morte esse desiderabilius. Si quis modò ex me sciscitetur, ecquid in hac rerum humanarum perturbatione, ac varietate, sit optabilius: idem fermè reddidero quod ille, optabilem ante omnia esse bonam mortem, qualem D. Martinus oppetiit.

Cur autem bona fuit D. Martini mors? An propterea quòd longum senium clausit? Sed multis juvenibus contigit benè mori. An quia in corona discipulorum obiit? Multi peregrè oppetierunt sanctè. An quia deflectus & desideratus excessit? Multorum Sanctorum illamentatus, & ignotus, fuit obitus. An quia ad exequias innumera turba, in his monachorum millia duo, confluxêre? Lazari corpus incomitatum fuit. An quia corpus post mortem splenduit? An quia Angelorum cantus in ejus morte à D. Severino Coloniæ auditi sunt? Addunt quidam & Mediolani à D. Ambrosio, sed Baronius Ambrosium biennio præmortuum existimat. An quia animæ, de corpore exeunti, obviàm Angeli processêre?

Magna isthæc quidem sunt: bonam tamen mortem non faciunt, sed bonæ mortis sunt vel indicia, vel effecta. Martini mortem optimam tria fecêre, caritas, pietas, puritas: obiit inter illius brachia, in istius sinu, in hujus thalamo. Ex ipsis Martini verbis hoc conficio: ipsissima enim verba relata à Sulpitio, qui morienti adfuit, non ambigo. *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua*: sic loquitur caritas. *Sinite me, ut suo itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur*: sic rogat pietas. *Quid hic adstas, cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies*: ita puritas secura est. Tres isti Angeli Lothum nostrum de incendio eduxêre: tres equi flamei Eliam novum in cælos evexêre: tres lucernæ Evangelicæ partes splenduêre, flama caritatis, oleum pietatis, crystallus puritatis.

Caritas Martino semper eximia fuit: numquam tamen spectabilior, quàm in hoc supremo actu. Cupiebat dissolvi, & esse cum Christo, multò magis melius. Patriam salutabat in limine. Portum tenebat in proximo. Per me, inquit, licet revolvar in fluctus, errem peregrè, absim adhuc à Christo. *Quis non peregrè constitutus properaret in patriam regredi? Quis non, ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter caros liceret amplecti?* Ita ratiocinatur Cyprianus lib. de mort. Properabat in patriam Martinus, optabat carorum conspectum: cursum tamen sistit in metis, desiderium frangit in procinctu fruendi. Dunstanum miramur, ab Angelo ad cælestia gaudia evocatum, inducias petiisse, donec concionem absolvisset: mirabilior Martinus, qui spatium differendæ beatitudinis non definit. Magna est Angelorum caritas, non dedignantium curas humani generis: sed illi, inquit Bernardus serm. de S. Martino, vident faciem Patris; Martinus à facie Patris abesse non recusat, ut in hominum salutem incumbat. Quid agis, Martine, pauperi olim dimidiatam chlamydem militarem dedisti: jam totam immortalitatis stolam fraternæ caritati vis impendere! *Domine*, inquit, *si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat voluntas tua*. Non recuso, quia populus Dei est: si voluntas Dei est. O, si istud intelligeremus, si saperemus, quid sit populus Dei, quid sit voluntas Dei!

Caritatis alimentum, ut lucernæ oleum, pietas Martino numquam defuit, in Deum ex quibuslibet rebus assurgere solito. Ovem detonsam in pascuis forte conspicatus protinus Evangelici consilii memor; en, inquit, Evangelicam bestiam, quæ alteri tunicam suam dedit. Mergum in palude conspicatus, animum ad dæmonum fraudes advertit, & comites de vigilantia commonefecit. Cælum lubentissimè & continenter fermè intuebatur, ut beatitudinis & æternæ caritatis sedem, *Oculis ac manibus in cælum semper intentus*: eamque ob caussam factum ipsi nomen, *Suspex cæli*. Ut mirum non sit, eodem situ, quo vixerat, mori voluisse. Jacebat in cinere, phœnicis instar brevi resurrecturus: cilicio sese operuerat, velut triumphali trabeâ quem virtutes, & prodigiosa miracula, Europæ universæ honorabilem fecerant, sese ipse velut honore omni indignum ad pulverem & saccum abjecerat, quod postmodùm Sancti Francisci & Caroli imitati. In eo lecto supinus, intentis ad cælum oculis, iter mox animæ suæ metiendum metiebatur. Obsecrant, urgent discipuli, ut faciliore saltem situ exhaustum corpusculum relevet; at ipse, *Sinite*, inquit &c. Ubi thesaurus, ibi cor:

ubi cor, ibi oculi. Thesaurus Martini erat in cælo: *Christum semper habebat in ore, pietatem in corde*, ut ait Severus. Cor ipsius, & oculi, sunt ubi thesaurus est. Numquid alibi noster thesaurus est? Numquid alibi cor nostrum debet esse? Numquid aliò intendi acies mentis & corporis, quàm quò Martinus spectavit? Nonne nostra omnium conversatio in cælis est: unde Salvatorem accepimus, & exspectamus?

Exspectamus merito, si puritatem animi cum pietate conjungimus; nam hæc, sine illa, instar olei est de lucerna effusi, quo lutum non flama fit. Vitam omnem bonam, ac lætam, facit conscientiæ puritas: *Gloria nostra hæc est*, inquit Paullus 2. Cor. 1. *testimonium conscientiæ nostræ.* Dormiet securus inter tempestates, quemadmodum Christus, qui cum Jobo cap. 27. dicere potuerit, *Neque enim reprehendit me cor meum, in omni vita mea.* Maximè in morte sentietur illa securitas; &, quod aiebat Hieronymus epist. 34. *Felix, quem suprema dies Salvatoris invenerit militantem, qui non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta.* Porta mors est: *πύλη τῆς ζωῆς*, veræ vitæ janua, ut ait Clemens Alexandrinus: porta qualem Tobias vidit cap. 13 smaragdina & saphyrina, spei ac lætitiæ symbolum. Ad eam portam, inquit in psal. 103 conc. 4. Augustinus, molossi instar, aut seri janitoris, dæmon positus est, ut intrantes & exeuntes terreat. Ad eam itaque æternitatis portam, cum isto inimico loquens non confundetur, quem cor suum non reprehendent.

Non vides dæmonem Martino apparentem; seu canis formâ, ut diceret cum Psalmista, *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam*: aut leonis effigie, ut diceret, *Salva me ex ore leonis*: aut figurâ draconis, qualem Apoc. 12. pingit Joannes. Sed qualicumque spectro videndum se præbuerit, non audis Martinum securè increpantem, *Quid hic adstas, cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies.* Nihilne catechumenus peccâsti, adolescens, miles? Baptismus ista delevit. Nihil monachus, Episcopus? Pœnitentia absolvit. Non meministi, Treviris cum Maximo te humani aliquid passum, & rariora exinde patrâsse miracula? Misericordis Domini clementiam obsecravi.

Nescio an hic magis demirer securitatem Martini, vel impudentiam dæmonis, vel Dei consilium. Martini securitatem, qui Christi exemplo dicat, *Venit princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.* Impudentiam dæmonis, qui virum talem aggredi, toties ab illo prostratus, audeat. Consilium Christi, qui initio vitæ melioris Martino apparuit, jam in exitu dæmonem apparere permittit. Nec Martino id soli factum, sed Huberto, sed plurimis Sanctorum. Ejus consilii divini caussam esse, ut horrore istius visi mentes Sanctorum expientur, Angelus D. Aicardo dixit: vide Surium 15. Septemb. Quis ergo nostrûm securitatem sibi in morte polliceatur; si talibus spectra sese objécere! Securus erit, qui sicut Martinus dicere poterit, *Nihil in me funeste reperies:* qui fecerit quod Fabiola apud Hieronymum epist. 30. *Dum semper paratur, mors eam invenire non potuit imparatam.* Talis non confundetur, cùm loquetur inimicis in porta.

DIE PRÆSENT. D. V.

THEMA. *In Templo ejus omnes dicent gloriam.* Ps. 28.

De Præsentatione Virginis est homilia Germani Constantinopolitani, qui vivebat sæculo Ecclesiæ octavo. Eamdem commemorat Gregorius Nyssenus, sæculo Ecclesiæ quarto. Adducitur & Evodii Apostolorum discipuli sententia. Constat certè, pervetustam esse illius mysterii in Ecclesia commemorationem: uti P. Franciscus Turrianus Pio V., illam de sacris officiis eradere volenti, multis testimoniis probavit; ob eam forsan caussam à D. Virgine, ipsa die Præsentationis, evocatus ad vitam meliorem.

De variis circumstantiis non adeò constat. Quidam aiunt, oblatam cùm esset annorum duorum, totidem mensium, & dierum tredecim: alii annis tribus addunt menses duos, & dies tredecim. Quidam septennem aiunt oblatam, in his Anselmus. Quinquennem etiam nonnulli dixêre. Communis sententia est apud Baronium, Apparatûs num. 46. trimulam fuisse. Sed externis illis circumstantiis omissis, penetremus interiora, & videamus, cur Deus, quam sibi matrem destinârat, Templo dedicari voluerit?

Cur id parentes fecerint, obvia ratio est: voto sese exsolverunt: *Vovete, & reddite.* Cur Virgo fecerit, caussa itidem in aperto est, obsequi parentibus voluit: Deum vocantem secuta est: ut puelluli solent, in expansa patris brachia involavit. Sed cur Deus & istud voluit obsequium Virginis, & istud parentum votum?

Quinque rationes invenio. Ad gloriam divinam Virgo, à primo momento vitæ in utero mancipata divinis obsequiis, æquè per internos actus glorificatura erat Deum, in profano loco atque in sacro. Exterior tamen illa oblatio puellulæ nobilis, additura erat aliquid ad gloriam Dei externam: multò certè plùs, quàm aurea scuta Salomonis, vitis aurea, pretiosaque alia donaria Regum. Nihil enim homine nobilius: nihil inter homines Virgine.

Ad bonum Virginis. Non quia in gratia non foret confirmata, ut egeret educatione, quomodo Samuel. Non quia, in ædibus paternis, non erat perpetuis incrementis auctura virtutes. Sed quia externi actus, ex Theologorum placitis, multum addunt ad meritum: plures autem erant futuri in Templo, quàm extra Templum, in officiis divinis, lectione, conversatione. Fit Virgo sicut arbor, transplantata in solum irriguum.

Ad bonum parentum. Quia generosa ista separatio, ab unica prole carissima, multum ipsis valebat ad meritum. Quia ipsis utile erat, filiam habere apud Deum assiduam pro dulcissimis parentibus intercessricem. Quia ipsis lætum erat, fructum suum Regi Domino præsentari. Gaudet hortulanus, si culturæ suæ fructus viro Principi offeratur, & placeat: gauderet arbor, si posset, fructum suum unicum, omnibus intactum, mensæ Regiæ inferri.

Ad bonum parthenonis Hierosolymitani. Ut exemplo prodesset: plus enim poterat spectata illius castitas, modestia, obedientia, suavitas, quàm lecta vel audita in gestis filiæ Jephthe, Estheris, Annæ: facula unica ardens sufficit millenis accendendis. Deinde, ut orando prodesset, & beneficia cælestia sociabus impetraret: solet enim Deus, vel unicæ animæ sibi gratæ intuitu, aliis conjunctis benefacere: idcirco Isaacum Geratenses apud se detinere voluerunt, quia Princeps Dei, vel quasi Angelus Dei erat apud illos. Omitto, quod quidam, in his Dionysius Carthusianus, aiunt, duodennem præfuisse regendis centum viginti virgunculis.

Ad bonum posteritatis. Ut Deo nos offerre, & Deum quærere, tam illustri exemplo doceamur: alibi nusquam inventuri quietem. Ignem vides? Ale cinnamomo trepidat tamen, ut evadat sursum. Acum horologii commove: non conquiescet, donec rectà feratur ad magnetem suum. Contigit nos Deus in creatione: ad illum respiciamus, oportet, in illum feramur, ab illo possideamur, illum possideamus, ut tranquilli simus. Augustinus in psal. 34. *Amat te Deus: ecce propositum tibi, pete quod vis. Si tibi Imperator diceret, Pete quod vis, quos tribunatus, comitatusve ructares? Quanta tibi proponeres, & accipienda, & aliis larginda? Deo tibi dicente, pete quod vis, quid postulaturus es? Extende mentem tuam, exere avaritiam tuam, protende quantum potes & dilata cupiditatem tuam: non quicumque, sed omnipotens Deus dixit, pete quod vis. Si possessionum es amator, desiderabis es totam terram; ut omnes, qui nascuntur, coloni tui aut servi tui fiant. Et quid cùm totam terram possederis? Mare petiturus es, in quo vivere tu non poteris. In hac avaritia te pisces superabunt. Sed fortè insulas possidebis. Transcende & hæc, pete & aërem, quamvis volare non possis: porrige cupiditatem tuam usque ad cælum, dic tuum esse Solem, Lunam, stellas, quia ille qui fecit omnia dixit, pete quod vis. Tamen nihil invenies carius, nihil invenies melius, quàm ipsum qui fecit omnia: ipsum pete, qui fecit, & in illo, & ab illo habebis omnia quæ fecit.*

THEMA aliud. *Deus docuisti me à juventute mea.* Psal 70.

Joachimus & Anna Virginem Deo sacravêre, idque fecêre, quod postmodum Paullus 1. Cor. 7. visus est parentibus Christianis suasisse: *Qui virginem suam tradit, bene facit: & qui non tradit, melius facit.* Fecêre, quod Asellæ parentes apud Hieronymum ep. ad Marcellam: quod Augustinus lib. de bono virginitatis laudavit in viduas: *Tantum meruisti, ut te exsistente viduâ Christi, filiam quoque videres virginem Christi. Dum enim tu eras, ut Anna; facta est illa, quod Maria.*

Parentum voluntati altro sese Virgo aptavit, ut Isaacus Abrahamo, Jephthe filia sua, multi postmodum in Evangelica lege à parentibus Deo dicati. Fecit autem magno affectu, citò, perseveranter: quæ tria nobis sunt expendenda ad exemplum.

Salianus an. 4041 mundi, ubi Præsentationem Virginis narrat, fatetur assequi sese non posse affectus Joachimi & Annæ Virginem offerentium, & Sacerdotis illam excipientis. Quo ergo pacto nos incensum Virginis, sese tradentis, amorem assequamur? In faciem Mosis intendere non poterant filii Israel, post colloquium cum Angelo: quo nos pacto intendamus in cor Virginis ardens,

&

& Deo plenum? *Holocausta medullata*, inquit Psalmista, *offeram tibi*. Medullatum fuit sacrificium Virginis: voluntas tota oblata simul cum corpore. Respexit primùm Deus ad Abelem, deinde ad munera ejus: quia cor suum, & voluntatem, antè Deo devoverat, quàm munera offerret. Respexit primùm Deus ad Virginem, deinde ad ipsius munus: affectumque magis pensavit, quàm censum. Nemo plus dat, quàm qui sibi nihil reservat. Nihil omnino sibi Virgo retinuit. Contra quàm plerique facimus, qui laudes Deo, eleemosynas, jejunia damus: sed nostram nobis servamus voluntatem. Dat nobis cantum philomela: si eam capere velimus, avolat. Damus Deo vocem, & actiones quasdam: sed nobis nosmetipsos servamus. *Quare jejunavimus, & non aspexisti: humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Quia *in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*. Partim tantummodò Deo vos dedistis. Deus partem non vult: qui totum fecit, totum repetit. Dic itaque ex animo cum Anselmo, Virginis insignis amatore, & imitatore: *Domine, do me tibi, & totum, & plusquam totum*. Imò dic cum Virgine ipsa: quas enim rationes sese summo affectu donandi habuit, easdem habes; seu Deum in se, seu Creatorem, seu Redemptorem, seu Remuneratorem adspicias.

Dedit Virgo sese valdè citò, tenerrimâ ætate, trimulam. Dederat se primo Conceptionis instanti: renovaverat donationem instanti Nativitatis. Sed eæ donationes internæ fuerant. Externam hodie facit, quamprimùm potest. *Aurora consurgens* horizontem universum inexplicabili celeritate, momento temporis, illustrat. *Luna sub pedibus* est Virginis, quia velocissimè explicat cursum suum. Sic faciat anima Christiana: sit *Aurora consurgens* primo rationis, & lucis, diluculo: *Luna sit sub pedibus* ejus, ut velocissimè perficiat curriculum voluntatis divinæ, & à teneris incipiat. Dicebat Christus, *Sinite parvulos venire ad me*, non tantùm quia innoxios, simplices, ambitionis expertes: sed quia primis annis capit inchoari obsequia sua. Thecuitis aiebat Davidi, nos dilabi morte sicut aquas super terram: dilabimur heu nimis sæpe etiam vitâ, & terimus in mentis & pulvere, lutumque facimus. Antequam diffundamur in mundum, & res caducas; rapit nos Christus claudi syphone bene ferruminato sitteciæ ad ipsius obsequia voluntatis, & in altum exsilire, nec relabi nisi in concham nostram, in idem semper propositum.

Luna sub pedibus Virginis fuit, quia inconstantiam proculcavit: quod semel voluit, semper voluit. *Electa* fuit, ut *Sol*, & crevit usque ad perfectam diem. De Sole dicit Psalmista, exultâsse gigantis instar ad currendam viam, per obstantia quælibet, sine metu, sine hæsitatione aut tergiversatione. Donatio nostri, Deo facta, etsi à pueris fiat, non debet esse puerilis, ut revocetur cùm lubuerit. Sit fixa & irrevocabilis, inter vivos, facta Regi cui omnia vivunt, & ad vitam æternam. Anna Samuelem Deo consecrans, *Ecce ego*, inquit, *accommodavi eum Domino, cunctis diebus, quibus fuerit accommodatus Domino*. Chaldæus habet: *Dum vixerit, ministrabit coram Domino*.

THEMA tertium. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem*. Cant. 2. Ex Hebræo verti potest, *Introduxit me in domum deliciarum, & vexillum ejus super me amor*.

Miramur meritò, tam pauca nobis ab Evangelistis de Christi pueritia, & adolescentia, describi. Quidquid ad annum usque tricesimum egit, verbis istis comprehenditur, *Et erat subditus illis: Crescebat ætate, sapientiâ, gratiâ*: si infantiæ mysteria, & duodecennis in Templo disputationem, exceperis. Hoccine solum de operibus tricennalibus Theandricis in hac vita disceremus, cognitione cæterorum luci æternitatis servatâ!

Mirandum itidem est, nobis de Virginis pueritia enucleatè nihil descriptum à sanctis ejus ævi viris: quod, ut Joachimum & Annam prætereamus, facillimè ejus affinis Zacharias sacerdos, & Simeon senex fecisse potuêre; nec puellulis dumtaxat, sed viris illustria sanctimoniæ exempla commendanda transmittere. Quid istud silentii est? Docerène nos Christus tum exemplo suo, tum materno, voluit: vitam nostram abscondendam esse cum Christo, & matre ejus, in Deo; huncque nobis unum agendi testem debere sufficere!

Non adeo tamen abscondita fuit pueritia Virginis, ut nesciamus introductam fuisse in cellam vinariam, id est *domum gymnasii & doctrinæ*, ut interpretatur Paraphrastes Chaldæus. Putavere nonnulli, in Sancto Sanctorum educatam, quæ in cælis etiam ipsis educari poterat. Sed traditione Ecclesiasticâ, historicaque narratione certum est, Templo oblatam, positamque inter illas viduas ac virgines, quæ olim excubabant in ostio Tabernaculi; tunc erant in exedris, & pastophoriis, Templi.

Quamdiu illic fuit, ô qualem vinariam cellam intravit, familiari cum Angelis conversatione, Agarem olim, Ægyptiam ancillam, non dedignatis! O quàm cælestem vini domum ingressa est, conversationem cum Deo, excellentissimum orationis gradum, opusculis manualibus, pro parthenonis illius more, interruptum exteriùs dumtaxat. at interiùs nec labore corporis, nec quiete, nec somno ipso umquam interpolatum! De Virginis oratione abertim multi disseruêre: assequi ego tam excelsum iter non possum, infirmis omnis intelligentiæ & voluntatis gressibus: mihi plus satis foret, vel unicam roris istius divini stillulam supremis labellis degustare, & cum Bernardo exclamare. *O dulce momentum!*

Malim tamen istud expertus, *Ordinavit in me caritatem, Vexillum ejus super me amor*. Dei in Virginem caritas omnigenis donis, ac gratiis, cor Virginis insederat; &, ordinatâ velut acie, atque in cuneos virtutum distributâ, mentem ejus muniebat. ut ipsa dicere posset, *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me* præservatam in Templo: *Dominus autem assumpsit*, & ordinatæ caritatis suæ custodiis *me* undique circumvallavit.

Captâ civitate, victor signum suum defigit loco spectabili: *Posuerunt signa sua super summum*. Deus, ut Virginem sibi mancipatam esse demonstret, vexillum amoris sui in illa extollit, conspicuo maximè Templi loco, in monte Moria, in sanctitatis domicilio.

Cohortibus singulis vexilla sua sunt: virtutibus item singulis hæ sunt notæ. Virtutibus omnibus Virginis vexillum aliud & nota non est, quàm amoris: quidquid meditatur, loquitur, agit, ex caritatis imperio proficiscitur. De accensa D. Virginis caritate, vide Bernardum serm. 20. in Cant.

Denique vexillum ejus super Virginem amor, quia caritatis vexillum extulit, velut Regium aut Cæsareum labarum, Christianis omnibus sequendum; indignis alioquin, quos pro suis Mater ac Filius agnoscant. Dicta est ab Ambrosio eleganter *Vexillifera virginitatis*: sed virginitas non omnium est. Caritas autem omnium est atque adeo Virginem aptissimè nominemus *Vexilliferam caritatis*. Christiane, quocumque gradu & ordine es, *Præceptum*, inquit Augustinus tract. 7. in Joan. *breve tibi præcipitur, dilige, & fac quod vis. Sive taceas, dilectione taceas: sive clames, dilectione clames: sive parcas, dilectione parcas*.

DIE S. CATHARINÆ.

THEMA. *Simile est regnum cælorum decem virginibus*. Matth. 25.

Exc. ad cap. 14. lib. 2. sect. 3.

THEMA alterum. *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. Exod. 25.

In eo monte Sinai, Christiane, exemplar tibi perfectissimæ virtutis, Catharina virgo & martyr, proponitur. Imaginem ipsius considerabimus.

Concilium Tridentinum, sess. 25. de imaginibus, affert illarum in templis collocandarum caussas, in his instructionem populi. Nec rudium modò, & plebeiorum instructio inde petitur; sed magnatum, & doctorum. Guilielmus Tyrius lib. 9. cap. 1. laudat Godefridum Bullonium, quòd absolutis officiis divinis, quibus diligentissimè intererat, imagines sacras accuratè circumspiceret, &, si quid in illis scitu dignum intueretur, soleret ex adstantium scientioribus quærere, cur sic pingerentur. Exempli caussâ, si D. Catharinæ, quæ Christianos plurimùm ea expeditione juvit, effigiem videbat; si D. Nicolai, pueris tribus appictis; si D. Joannis Chrysostomi, librum præferentis. Solius Godefridi pia ista curiositas non fuit: similia percunctati olim viri magni, hodieque percunctantur. Eamque ob rem, potissimùm, ab Urbano VIII. sancitum arbitror, ne imagines sacræ novâ & inusitatâ formâ per pictores, artis magis quàm pietatis commendandæ caussâ, fingerentur; quòd ex ea novitate perturbatio magis, quàm instructio populi, secutura esset.

Imaginum verò sacrarum historicæ aliæ sunt, aliæ symbolicæ, mistæ nonnullæ. Historicæ rem gestam mansuetè oculis exhibent; ut omnes fermè Apostolorum imagines, mortis suæ instrumenta præferentium. Symbolicæ rem figuris quibusdam indicant: quod in Divorum Christophori, Georgii, Margaretæ, aliorumque iconibus cernitur. Mistam existimo esse Divæ Cæciliæ imaginem; tum ut indicetur, musicam pro ævi more calluisse, tum præsertim, ut intelligatur, spiritualem musicam exercuisse. neque absimile quiddam habere videntur Divarum Barbaræ, Agnetis, Dorotheæ effigies.

De quo genere est imago D. Catharinæ? Historicam plebs putabit: Symbolicam aliqui plus justo arguti, *contra multos quum sapere, desipere est*: ego mistam esse non ambigo,

ambigo, idque in consticta ad pedes rota, gladio, corona aurea, ostendo.

Rota, supplicii Catharinæ parati instrumentum fuit consecrata est, quia *vox tonitrui* divini *in rota*, quemadmodum in curribus Pharaonis, insonuit. Rota symbolum est fortunæ volubilis. Boethius lib 2. prof. 1. *Hæc nostra vis est, hunc continuò ludum ludimus: rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Ascende, si placet; sed eâ lege, ne, cùm ludicri mei ratio poscet, descendere injuriam putes.* Soldanus, à Rege Franciæ captus, toto biennio non riserat: cùm plaustrum fortè trahi vidisset, effusè risit. rogatus caussam, dixit, abstinere se tunc a risu nequisse, recordatione vicissitudinis rerum humanarum. Ita narrat Paullus Diaconus: & consimile quidpiam Diodorus de Regum captivorum, qui Sesostris Ægypti thedam trahebant, una rotas volventes respiciente. Villigisus, ex fabri carpentarii filio Præsul Moguntinus, ad pristinæ fortunæ memoriam rotæ insigne sumpsit, quod hodieque servant successores, fortunæ etiam suæ instabilis symbolum. quo eidem fine, opinor, Marcianensis cœnobii stemma jam olim rota est; idemque Margeliæ Leodiensis familiæ, nuper in Canonico Lambertiano extinctæ, insigne. Hanc rotam ad pedes jacentem, & disruptam, habuit Catharina, rerum omnium caducarum contemptrix.

Vita humana vocatur à Jacobo Apostolo *rota nativitatis*, quia perpetuò volvitur; quia puncto terram tangit, & momento tempora; quia semper redit ad caput, &, *cùm consummaverit homo, tunc incipiet.* Præterea, æternitatem rota significat: &, poetis ipsis, rota Ixionis pœnas inferorum. Hanc æternitatis considerationem, & vitæ volubilis, ante pedes & oculos positam habuit D. Catharina: ut nihili faceret verba & minas persequentium impiorum, qui *in circuitu ambulant*, quorum *præcordia ut rota carri*, quos Deus ponit *ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti*, quorum *anima rotabitur, quasi in impetu, & circulo fundæ.*

Gladius exhibet instrumentum mortis, quam D. Catharina subiit. Aliis omnibus tormentis superstitem, hanc superesse Deus noluit: uti neque ullum, quem sciam, Martyrum. De muliere septies icta meminit Hieronymus: sed illa Martyr non fuit. Ecquid autem Deus ensi Martyres suos noluit resistere? An forsan, ne gloriam mortis pro se oppetitæ ipsis tolleret; quamvis martyrii honorem, superatis acerbioribus suppliciis, dedisset? An, ut indicaret, magnifaciendam, in impii licèt atque injusti magistratûs manu, potestatem, quia *sine caussa gladium non portat*.? Hæ mihi rationes istius divini consilii occurrebant. aliis forsan occurrent meliores.

Gladius, Apostolo, est *verbum Dei*: & *vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*. Cherubinus, Angelus intelligentiæ Gen 3. collocatus ad Paradisi portam, cum gladio flammeo atque versatili. Hoc intelligentiæ, & verbi divini, gladio præclarè usa est D. Catharina. Edixit quidem Paullus, *mulieres in Ecclesia taceant*; at non in tribunalibus, & disceptationibus. Multas constat virgines olim benè eruditas fuisse, Alexandriæ præsertim, ævo D. Catharinæ. post ejus etiam ævum, ætate Theodosii junioris, Baronius Hypatiam commemorat an. 307. ubi de D Catharina agit.

Corona aurea Regium sanctæ hujus virginis genus significat: quomodò pictores, eâdem caussâ, Divis Ludovico Franciæ, Ladislao, Venceslao, Stanislao Poloniæ & Bohemiæ Regibus, Elisabethæ & Joannæ Reginis, diademata aurea solent imponere.

In D. Catharina significat coronas tres aureas, rarissimâ prærogativâ puellulæ uni concessas: ut de illa dici possit istud Eccl. 45. *Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis*, virginitatis. *gloria honoris*, scientiæ erudientis ad justitiam multos. *& opus virtutis*, fortitudinis & martyrii.

Inspice, Christiane, *& fac*: inspexisse enim non sufficit. Exemplar Catharinæ animo tuo imprime. Coronam cupis, quam Paullus *justitiæ* appellat, quam Virgini nostræ justissimus remunerator æternam donavit? Dic cum Paullo & Catharina, *Bonum certamen certavi. Et hi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam.* Memento à Christo dictum, *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Sperne caduca: scias, ut Lucifer Calaritanus Constantio Augusto scribebat, atrocia quælibet, ac blanda, & præter Deum omnia, *jacere subter pedes Dei servorum*; quibus sola in pretio est rota æternitatis, & æternitas divinitatis.

THEMA tertium. *Funiculus triplex difficilè rumpitur.* Eccl. 4.

Castitas, sapientiæ & fortitudini conjuncta, funiculum ex hyacintho, byssoque retorta, & auro effecère in Catharina: qui arte ac vi nullâ rumpi potuit. Qui castitatem illibatam servare cupit, sapientiam habeat, ut blanda declinet; fortitudinem, ut aspera perrumpat. Amuletum castitatis, sapientiæ, & fortitudinis, virgini Catharinæ, Christus sponsus: Amuletum commodem Christiano cuivis, Christus in Eucharistia, sponsus animarum.

Si de D Catharina contra hæreticos aliquid dicere placuerit ad Thema *Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus* Matth 25. Vide quædam Exc. ad cap. ult. hujus libri sect. 2. num 8.

INDEX
CONCIONATORIUS
IN COMMUNIA
ANNI TOTIUS.

COMMUNE DE CHRISTO.

AFFATIM materiæ habes, Excursu ad cap. 5. lib. 2. Dominicis 4. Adv. Indicis 2. conc. lib. 1. Commentariis ad lib. 1. cap. 2. 3. 14. ubi Mathathias, Judas, Simon figuræ Christi considerantur: & lib. 2. cap. 3. ubi de Onia, & Angelo in Heliodorum adequitante agitur.

COMMUNE DE B. VIRG.

DE ejus doloribus, frequenti apud nos dicendi argumento, habes Exc. ad lib. 2 cap 7. sect. 1. 2 3. De protectione illius generatim, thema esse possit, *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronâsti nos*, Ps 5. Et istud ex Isa. 66. *Sugatis, & repleamini, ab ubere consolationis ejus.* Ad illud, ostendes, potentissimam & generosissimam esse protectionem Virginis: potentissimam, ob ejus preces ad Deum, lacrymas, lac, maternitatem, gratiam summam; generalissimam, quia gradus hominum omnes, classes, gentes, urbes complectitur; qui *coronat nos in misericordia & miserationibus*, coronet nos in Maria. Ad alterum thema dices, geminа esse Virginis ubera, pro miseriis spiritualibus & corporalibus, distenta *rore cæli & pinguedine terræ*, quæ *tacta alicujus miseria noxitiâ lac fundant misericordiæ.* Isis nutrix, cui à Gentilibus vota fiebant, ne annona exercitui deesset, pingebatur sedens, puerum nudum sinu gestans, capite spicam præferens aoe ad pedes, ut in nomismatibus Adriani & Juliani videre est: quas imagines, ut Baron. an 363 notat, quidam perperàm existimavère esse D. Virginis. Virgo non nutrix tantum est, sed mater nutrix, alit quos genuit, numquam ablactat.

De præconio & mancipatu Virginis convenientes thema est Luc. 11. *Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi, Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Ter laudata Virgo, ab Angelo, ab Elisabetha, ab hac muliere. Extulit vocem Angelus, ut eam laudaret: corporaliter enim locutus est, qui intellectualiter tantùm ex natura sua loquitur. Elisabetha *exclamavit voce magnâ* &c. Hæc mulier *extollens vocem* &c. Fidenter, & sonorè prædicanda Virgo: quia venter ejus portavit Christum, & nos; ubera Christum, & nos, lactavêre. Corolla precatoria, sexaginta tres salutationes Angelicas complexa, bis tricenis annos tricenos, quibus Christus sub Mariæ potestate fuit, significare mihi videtur; ternis autem annos ternos prædicationis Christi. Eâ corolla, aliisve pietatis officiis, alte, apertè, palam Virginem honoremus, & laudemus: quia mater Christi, quia nostra. Ad hoc nos obstringit gratitudo, invitat utilitas. Confitebitur Virgo, ut Filius, coram Angelis Dei, confitentes se coram hominibus. Apud Peruanos, fodinarum venæ fæcundiores appellantur *Bursa auri*. In Ecclesia universa *habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est, in quo conflatur*: sed hujus fodinæ fæcundissima pars est obsequium Virginis; ubi sunt Bursæ auri, caritatis, & argenti, puritatis.

Materiam ad Octavas de laudibus Virginis, quibusdam in locis haberi vario tempore solitas, suggeret explicatio Cantici Magnificat; virtutes seu rosæ virgineæ, tituli Litaniarum; figuræ rerum aut fœminarum illustrium; explicatio antiphonarum Ecclesiasticarum. Pluribus supersedeo: quid enim chartam onerem argumento à multis fusè tractato?

COMM. ANGEL. ET PATRIARCH.

DE Angelis habes Exc ad lib. 2 cap. 8 præsertim sect. 4. De Patriarchis, & Prophetis, transferre possis ex sect. 3. Exc ad cap 4 lib 2 & ex cap 3. & ult. hujus item libri, ubi de Onia & Jeremia agitur.

COMM. APOST. ET EVANG.

DE singulis dictum est in proprio. De duodenarii Apostolorum numeri mysteriis vide them. 2. de S. Bartholomæo: Salmeronem tomo 1. Proleg 20. & Regium lib 4 cap 8. Theoria 1 ex Pererio. De quaternario vide eosdem, & nos Exc. ad cap 2. lib. 2. sect 1. on. 5. Duodecim tribus sub quatuor vexillis ordinatas fuisse perhibent, colliguntque ex Num. cap. 2. Ea vexilla figuris Evangelistarum adjice.

COMMUNE MARTYRUM.

THEMA. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Psal. 115.

Materiam habes Exc. ad cap 6. lib. 2. sect. 1.

THEMA alterum. *Custodit Dominus omnia ossa eorum.* Psal 33.

Ibidem sect. 2.

THEMA tertium. *Ossa ejus visitata sunt, & post mortem prophetaverunt.* Eccl 49

Ibid. sect. 3 habes materiam multiplicem.

THEMA quartum. *Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.* Verba Ecclesiæ ex Eccl 45.

Apta sunt cuivis Martyri Pontifici, nominatim Thomæ Cantuariensi; ad cujus quotidianam invocationem illis usi *duo Alemanni Comites*, inter se dissidentes, non sine illustribus prodigiis sunt reconciliati.

Ex quo D. Paullus 1. Cor 9. hortatus est suos ad *coronam incorruptam*, frequentissimè eo coronæ nomine gloriam æternam appellamus, circuli instar fine carituram. Singulariter tamen intelligitur gloria martyrii: Apoc. c. 2. *Dabo tibi coronam vitæ*: cap 3. *Nemo accipiat coronam tuam*: cap 14. *similem Filio hominis, habentem in capite coronam auream.* Bonus Dominus eumdem suis, ac sibi, honorem tribuit. nam Apoc. 4. *in capitibus* seniorum sunt *coronæ aureæ*.

Meritò itaque super caput S. Thomæ ponitur *corona aurea*, notata signo sanctimoniæ eximiæ, Dei honore, & opere fortitudinis singularis. Frustra furiæ conjuratæ, schisma, & hæresis, eam ipsi tollere sunt conatæ, edicto Henrici an. 1538.

Mansit, manebitque *expressa signo* indubitatæ *sanctitatis*. Morale veræ virtutis indicium est, prosperis non extolli, adversis non dejici: S. Thomas fuit *in carne Angelus, timidus in prosperis, securissimus in adversis.* Vulgare indicium petitur à judiciis virorum magnorum: statim ab ejus morte, servos ipsius sese sunt professi Archiepiscopi 5. Episcopi 15. Reges & Principes 13. Signum divinum sunt miracula: Dononiartinus, septem supra sexaginta brevi tempore sunt patrata ad ejus sorberum & crisicium, in his aliquot mortui suscitati: Alexander III. eum anno 1173. non toto post mortem biennio canonizans, dicit *innumeris & magnis miraculis* claruisse: apud Baronium an. 1190. Blesensis dicit, S Thomam Apostolum ab eo miraculis superatum; Sarisberiensis, Sanctos omnes.

Deus glorificavit glorificantem se. In corona summi Pontificis olim scriptum erat Dei nomen. In corona S. Thomæ scripta est gloria honoris divini. Huc spectavit, quidquid egit, & quidquid passus est, ut defenderet *animam Ecclesiæ*, quomodo ipsemet scripsit, *quæ est libertas* Ipsius anima fuit *gloria honoris* Dei. Ad proposita à Rege capita, respondet se accepturum, *Salvo ordine suo, salvo honore Dei.* De iisdem scribit ad Episcopos Angliæ: *Ipse Rex debeat uti obsequio nostro, prout ei placuerit, salvo honore Dei, & Ecclesiæ Romanæ, & ordine nostro.* Fecit, quod Azarias Oziæ, Onias Menelao, Ambrosius Valentiniano, Chrysostomus Eudoxiæ, Anselmus Guilelmo, Edmundus Joanni filius Henrici filio, Hugo Ricardo, Theodardus noster raptoribus rerum Ecclesiasticarum, Federicus Simoniacis, Albertus intrusis, quod Christus ipse, qui *Ecclesiæ comparavit libertatem sanguine proprio.*

Hanc forsan ob caussam Christus eum fratrem vocavit, vide Comm ad cap 3. lib. 1. vers. 2. Vere frater, ut Jacobus frater Domini, similitudine morum & operum. Christus *opus consummavit* à Patre datum: Thomas consummavit *opus fortitudinis*, à Christo commendatum. Frustra fuêre minæ: *Proponitis*, inquit, *nobis pericula,* ... *periculum nostrum, & vestrorum, & non sit mentio de periculo animarum.* Narrentur mortis circumstantiæ post exilium: narratio claudatur verbis Blesensis, *Decessit pastor animarum nostrarum, cujus obitum flere decreveram: sed recessit, non decessit; abiit, non obiit.*

Vade anima sancta ad beatum fratris tui complexum: & ex illo beatitudinis loco respice patriam tuam, cui corpus tuum de feretro benedixit, respice hanc domum in qua vivunt cives tui, *benedicti Martyres designati.* Multum dixi, sed verum. Quid enim hic agitis in exilio voluntario, nisi, ut ad D Thomæ exemplum studeatis *signo* veræ *sanctitatis*, gloriâ *honoris* divinioribus actionibus præfixâ, colligendis viribus ad *opus fortitudinis*? Scitis, quod Blesensis Sarisberiensi exuli scribebat. *Donum Dei est, & donum optimum, pro Christo contumelias sustinere* Scitis quid Cellensis scribebat S Thomæ: *Candelabrum ductile de auro purissimo non fecit Beseleel in tabernaculo Domini, nisi productis laminis contritione limæ & mallei. Corona aurea* ignes, & ictus, pati debet, ut formetur. *Nemo coronabitur, nisi legitimè certaverit.*

THEMA quintum. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* Eccl 9.

D. Procopii, cujus manus in templo Collegii nostri Tornacensis asservatur, ad thema convenit. Digiti quinque istius manûs fuêre, fides, obedientia, constantia, fortitudo, caritas. *manus Domini fuit cum illo*, digitis totidem, bonitate, sapientiâ, potentia, justitiâ, liberalitate.

De aliis Martyribus apta themata suggerent circumstantiæ rerum aut nominis benè consideratæ. Exempli caussâ, de S. Angelo Carmelita, *Mitto Angelum meum*, Joannis Baptistæ similem, nativitate, pœnitentiâ, officio, encomiis, morte; quo viso dicamus istud Antonii, *Væ mihi, quia falsò monachi nomen gero; Vidi Paullum in paradiso, vidi Eliam, vidi Ioannem in deserto.* De tribus nostris Martyribus Japonensibus. *A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi*, Christi, & Xaverii, cui post Christum debetur *quidquid in hac sancta plebe*, martyrum Japonensium, *potest esse virtutis & gratiæ*: iisdem possis applicare, *Erunt novissimi primi*; aut, *Vidimus stellam ejus in Oriente* &c.

COMMUNE CONFESSORUM PONT.

VIDE priorem indicem Adv. tomo 1. die S. Nicolai: quod enim ibi de quinque talentis dicitur, Pontifici cuilibet convenit. Convenit item istud 1 Cor 4. *Si decem millia pædagogorum habeatis, sed non multos patres*: Borromæus, Thomas Villan. Franciscus Salesius, patres fuêre affectu, ope, erga pauperes, animas &c. Convenit etiam istud Jer. 16. *Mittam eis multos venatores*: D. Hubertus noster venator spiritualis retibus caritatis animas cepit, captus ipse à Deo & Christo ejus per Lambertum, Odam: venemur & nos Deum retibus potentiarum nostrarum, nec desinamos nisi eo possesso. De D. Norberto, pacifico, albæ columbæ Normicæ simili, ejusque candidis & tranquillis filiis, dictum à nobis, *Filii tui sicut novellæ olivarum*, psal. 127.

COMMUNE

COMMUNE DOCTORUM.

VIDE Comm. lib. 1 cap. 6 ad vers. 19. ubi tum generatim de Doctoribus proposita quædam, tum particulariter de D Thoma Aquin. Adde illis, comparationem cum solis natura, lucis qualitatibus, stellarum officio, ac sede.

Apta singulis Doctoribus themata suggerent eorum facta, scripta, nomina, imagines. D Augustino conveniet, *Anima mea in manibus meis semper*: cor igneum sagittatum præfert, teneræ pietatis, ardentis caritatis, acerrimus adversus hæreses fortitudinis Doctor illustrissimus. D. Hieronymo, *Leo fortissimus bestiarum*: insignem ejus laudem, uti & Augustini, habet Prosper carm. de Ingratis. D Ambrosio, *De forti dulcedo*: eximium illi encomium tribuit Augustinus lib 1. cont Julian D. Gregorio, *Vigilate*: pro aliis, & pro se vigilavit, neque exemplo solum, sed verbo vigilantiam docuit hom 13 in Evang D Joanni Chrys *Mala aurea in lectis argenteis verbum prolatum in tempore suo*: præconium Procli de ipso vide apud Baron. an 438 D. Bonaventuræ, *Seraphim stabant*.. *sex alæ uni, & sex alæ alteri* · sese ipse pinxit in libello de alis Seraphim. D. Thomæ Villan. Alberto magno &c. istud congruit, *Ego novissimus evigilavi, & sicut qui colligit acinos post vindemiatores*.

COMMUNE CONF. NON PONT.

MULTA traduci possunt ex dictis de Sanctis Josepho, Ignatio, Xaverio, Philippo Nerio, &c. Generatim etiam quibuslibet conveniet comparatio cum lucerna, quia *lucernæ ardentes in manibus eorum*. crystallus est conscientia, oleum pietas, fomes caritas fraterna, ignis amor divinus.

Particulatim de D Benedicto dicere possis, *Ingredere benedicte Domini*, in omni benedictione spirituali breve ejus & elegans encomium vide apud Greg. 2 dial. cap 8. Viros illustres ejus ordinis vide apud Spond. an. 1314. De D. Bernardo *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, ut serm 43. in Cant ipsemet declarat: ex passione Christi summa ipsi caritas, patientia &c *Mel & lac sub lingua ejus*. De D. Brunone, aquis contritionis, precatis, sapientiæ divinæ, desertum irrigante, *Scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine*. De D Dominico, *Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus*. fuit enim vere Domini possessio, vir Dominicus, in vitâ & in morte, eique potest applicari sententia Augustini de Christo homine dominico lib. 83. quæst. quæst. 36. item illa de puero dominico, quam retulimus lib. 1. Exc. 1. ad cap. 5. sect. 1. num. 8 De D. Francisco, cujus possessio Deus, qui *perfectus Christi servus nihil, præter Christum, habet*, ut ait ad Heliod Hieronymus · *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*, id est, Deus meus, & omnia. De D. Francisco Paullano, *Caritas*, 1. Cor. 13 & exinde notæ omnes divinæ caritatis à Paullo descriptæ, à Paullano exceptæ. De D Simone Stockio, *Obediens loquetur victoriam*, fuit, Marianæ benevolentiæ, cælestis beatitudinis. De Divis Henrico, Ludovico, Leopoldo, aliisque Principibus Christianis, *similis factus est leoni in operibus suis*, 1 Mach. 3. Aulas sanctas instituere: quantò ipsi sanctiores? *Si anima corpus movet, multo magis*, inquit Athan. lib 1 cont. Gen.

COMMUNE VIRGINUM.

DE virginitate, quod cuilibet fermè sanctæ virgini aptes, vide Exc ad cap 14 lib 2. sect 3. Consule etiam proprium de S Catharina. Generale thema cuivis esse poterit, *Prudentes virgines aptate vestras lampades, ecce sponsus venit*, ex Matth 25. Ornatu & ardore lampadum significatur pietas, & caritas: adventu sponsi, patientia & mors. Item Virginibus Martyribus congruet ex Sap 4. *O quàm pulcra est casta generatio cum claritate*, μετὰ ἀρετῆς, id est cum fortitudine · disceptarique poterit a materia, forma, judicio peritorum, an virginitas pluris sit martyrio.

D. Ursulæ & sociabus singulariter convenient isthæc: *Filiæ Regum in honore tuo, adstitit Regina*, duplici titulo reginas esse, virginitatis, & martyrii. *Utinam dirigantur viæ meæ*, peregrinationis Ursulanæ, non quam dicitur Romam instituisse ubi multa sunt fabulosa, sed quam ad cælos intendit, comites, duces, terminus: *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum. Lunam & stellas*, noctem sæculi illustrantes, patronas ingenium religiosarum erudientium ad justitiam multos, quæ propterea *lucebunt ut stellæ in perpetuas æternitates*.

D. Agneti congruit, *Sequuntur agnum*, agnus & ipsa castitate, innocentiâ &c de qua dicatur istud Senecæ lib. 1. Contro[illegible]. 2. *Miraculo esse in captiva libertate* [illegible], *in prostituta pudicitiam, in accusata innocentiam*. De eadem, *Confitebor tibi, Domine Rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum* · laus Dei, materia laudis, spes in Deum, caritas ex titulo Domini, Regis, Dei, Salvatoris. De D Teresia seu Theresia à θερίζειν, *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent*. item istud, *Deduxit illos in via mirabili*, ob difficultatem, suavitatem, altitudinem De D. Aldegonde, *Una est columba mea*, à columba Spiritûs sancti communicatur ipsi unitas intellectus, voluntatis, actionis: eidem accommodum est hoc, *Quàm pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis*. De D Margarita, *Simile est regnum cælorum homini, quærenti bonas margaritas*: dicitur, *bonas*, quia possunt adulterari, sic & virtus, margaritis similis origine, pretio, usu: *Cernis sacratas virgines*, inquit Prudentius, *Hoc est monile Ecclesiæ*.

COMMUNE VIDUARUM.

VIDE Exc. ad cap 14. lib 2. sect 3 Consule etiam festum S. Annæ. Thema commune omnibus est quod modò S. Margaritæ aptavimus. Item hoc, *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito*: viduitas abscondita thesaurus est virtutum, gratiarum, præmiorum. Etiam istud, *Mulierem fortem quis inveniet?* Fortitudinis partes sunt, magnificentia, magnanimitas, patientia, perseverantia: patientia tuetur in viduis *laboriosam castitatem*, inquit Cypri lib de pat *Blandas corporis leges non nosse, magis felicitatis est, notas jam vicisse, virtutis est*, inquit Cyprianus, seu Cornelius lib. de disc. & bono pudicitiæ.

IN DEDICATIONE TEMPLORUM.

THEMA. *Hodie in domo tua oportet me manere*. Luc. 19.

Christiana templa longè Hierosolymitano anteferenda. Exc. ad cap. 10. lib 2. sect. 3.

THEMA alterum. *Hodie salus domui huic facta est*. Ibidem.

Templa Christiana cælo Beatorum comparantur. Ibid. sect. 4 ab initio usque ad num 9.

THEMA tertium *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum*. Psal 83.

In templis intuenda Dei bonitas, dignitas hominum. Eâdem sect 4. à num. 9. ad finem

Ibidem num 1 & 2. suggeruntur comparationes templorum Christianorum cum Paradiso terrestri, Bethleemico stabulo. Calvaria, Dominico sepulcro, Olivetano monte. Consule item Excursum ad cap. 13. hujus libri, præsertim sect. 3.

PRO VESTIT. ET PROFESS. REL.

FREQUENS admodùm apud nos est illa dicendi materia, præsertim ad sanctimoniales. &, quia frequens, idcirco etiam difficilis. Neque enim idem semper de bono religiosi status, aut de Ordinis cujuspiam ac domûs laudibus disserere concionatores velint: ne sibi fastidium pariant, creent auditoribus nauseam. Itaque aliud atque aliud, ex re nata, inveniendum est, & vetus ferculum condimenti novi sapore commendandum Mihi non absonum visum est, ex Dominicæ aut festæ diei, in quam vestitio aut professio religiosa inciderit, comparatione argumentum ducere, aut ex nomine religionem induentis, profitentisve.

Exempli causâ: Dominica Sept. religionem vineæ licebit comparare, ex iis quæ Societati nostræ aptamus Exc. ad cap 5. lib 2. sect. 11. num 8. &c. Dominicâ 2. post Pascha, conferetur ovili, ex eodem Exc. sect. 10. num. 15. Dominicâ 19 post Pent. habes in Concionatorio ejus diei indice vestem nuptialem. Dominicâ 2 post Epiphaniam fiam nuptiæ cum Christo, adest Virgo, nec deest vinum spirituale vide Bern serm. 2 in istud Evang Dominicâ 6 post Epiph. sanctimonialis confertur mulieri, laboranti, in farina, ad panem supersubstantialem *satis tribus* & votis. Tempore Paschali accersatur similitudo ab Angelis sedentibus in veste alba, intra sepulcrum Dominicum, juvenili formâ. Festis Natalitiis, habes Bethleem domum panis, infantem JESUM obedientiæ religiosæ formam, Joannem dilectum discipulum, Innocentium ætatem innoxiam. Die Circumcisionis, habes Angelum magni consilii, sanguine & cultro signantem religiosæ mortificationis exempla. Die Epiphaniæ, Magorum qualitates, & munerum ternorum vota exprimentium, geminam materiam præbent. Purificatio Virginis, Inventio

Crucis, Visitatio Elisabethæ, Mariana optimæ partis electio, Angeli semper videntes faciem Patris, D. Petri vincula, D. Ignatii suspectus & suspiria in cælum, D. Dorotheæ flores, D. Catharinæ rota, D. Cæciliæ organa, Templorum dedicatio, Vulpium foveæ ac volucrum nidi quales Christus non habuit. Arcta in cælum via, Mariæ mors sororis Mosi, aliaque plurima, uberem ac variam comparationum segetem ingeniosis concionatoribus subministrabunt.

PRO PRECIBUS PUBLICIS.

ABUNDE materiæ offertur, de oratione dicturis, Excursibus ad capita tertia libri utriusque.

Si per mala publica belli, pestisve, aut eorum timores, de peccatis dicere libuerit, consule Excursus lib. 1. ad cap. 1. cap. 4. cap. 12. &c.

In Antifuneralibus licebit habere conciones ternas de peccato mortali Exc. 3. ad lib. 1. cap. 4. aut de inanitate bonorum caducorum Exc. ad cap. 10. ejusdem libri.

Sunt, quibus magis placuit bistoriam sacram desumere ex veteri Testamento, tamquam Amanum, Baltassarem, Nabuchodonosorem: aut insignem ex Evangelica doctrina parabolam, velut Epulonem, aut Prodigum. Jonam aliquando dedimus peccatoris figuram, primum, fugientis à facie divina ante peccandum, in peccando, post peccatum: deinde, descendentis in interiora & ad soporem, ibique obdormiscentis pravâ consuetudine, & lethargo: denique, nascentis super hedera aut cucurbita, de rebus nihili magnos cientis motus, & non attendentis umbras prætereuntes, rodentesque vermiculos.

PRO SODALITIIS, ET CONFRAT.

PLURIMIS apud nos titulis habentur: Misericordiæ, Caritatis, Defunctorum, Mortis, Nominis Jesu, Ven. Sacramenti, Trinitatis, Sanctorum, Sanctarumve: de quibus dicendi materiam suggerent tum Indices nostri concionatorii locis suis, tum Commentarii, & Excursus.

Frequentissimus titulus est à Diva Virgine, appellationibus variis à festo aliquo, loco, aut eventu insigni. Quem Virginis titulum existimo congregationibus placuisse, exemplo Apostolorum ac discipulorum Christi, qui erant *unanimiter perseverantes in oratione, cum Maria matre IESV*, Act. 1. Quo de themate dictionem habes, Exc. ad lib. 2. cap. 5. sect. 14. à num. 26. ad finem.

Materias alias suggessimus tum in Communi de Beata, tum in Propriis. De D. Virgine Victoriæ aliquando dixi hoc themate, *Tu confregisti capita draconis*, peccati, hæreseos, Mahumetis: & isto, *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulcra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*, Sulamitem pacificam esse simul Dominam exercituum, & *virtutes*, virtutum præsidio, Angelorum ipsi militantium obsequio, Congregationum benè ordinatarum sanctis operibus ac precibus assiduis.

Sodalitio Carmelitano, quod scapularis appellant, illud aptavi, *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron*: in officiis Christianæ pietatis terna videns consideranda, vetustatem Libano adumbratam, extensionem Carmelo significatam, utilitatem planitiei Saronis indicatam. *Saluberrima*, inquit Augustinus epist. 119. ad Janu. *regula retinenda est, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque institui videmus vel instituta cognoscimus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur.* Materiam, antiquitati, propagationi, fructibus istius Sodalitii exponendis, præbebit optimis P. Rainaudus noster peculiari tractatu.

Ad Sodalitia nostra utilissimum argumentum offeret oratio, quæ in eorum ingressu pronuntiatur: nominatim tituli dominæ, patronæ, advocatæ, dominam esse, quia est Sancta Maria, patronam, quia est mater Dei; advocatam, quia est virgo: dominari in nos, quia servi ejus esse volumus; patrocinari in actionibus omnibus nostris; advocatam agere præcipuum in hora mortis. Dicamus Christo verbis Ildefonsi, *Dominium Mariæ me teneat in sæculum, ut tu sis Deus meus in æternum.* Sodalitiis juvenum, & adolescentium ista conveniunt, *Qui manè vigilant ad me, invenient me: Si quis est parvulus, veniat ad me. Sapientia ædificavit sibi domum: Numquid ingressus es thesauros nivis*, quâ de nive nos aliquid annotamus lib. 1. cap. 13. ad vers. 22.

PRO FUNERIBUS.

MOS nuper fuit apud nos, de quibuslibet mortuis dicendi: qui modò sublatus, partim ob tædium auditorum, partim ob ludibrium. Vel enim funebres laudatores generatim tantùm de morte dicebant, eademque inculcabant ad fastidium: vel particulatim de virtutibus defuncti sermocinabantur, falsa interdum, aut exaggerata, ut risum pro plausu reportarent.

Restrictæ jam ferè sunt funebres laudationes ad viros fœminásve principes. de quibus si nihil commendabile proferas, vituperare voluisse videberis. si plus æquo dicas, ne verò, non oratorem sacrum, sed profanum adulatorem, egeris. Neque enim veri multi sunt, quibus illud Ennodii, de D. Epiphanio in ejus vita, possit aptari: *Nihil in laboribus ejus tam mediocre vel humile invenio, ut necessarius illud bullis, ut plerique solent, verborum sermonis amplificem. Testes enim colentium titubo negotiorum, & trophæa illius adhuc fumantia, & exornata de manubiis diabolicis nuditatem ostendam.* Nec fœminæ multæ sunt, de quibus dici queat, quod Alethio scripsit, de ejus uxore, Paullinus epist. 33. *Verè illa pretiosa Dei anima, quæ de tribus pretium margaritis accepit. Est enim conjux fidei, soror virginitatis, filia perfectionis: tua Paulla mater, soror Eustochium, tu maritus.*

Caveat igitur orator veritatis, ne quid pronuntiet a veritate alienum. deinde, studeat quædam afferre ad utilitatem auditorum factura, præsertim ad seriam mortis memoriam, quæ post exequias etiam hæreat. *Cùm efferuntur mortui*, inquit Augustinus serm. 120. de diversis, *cogitatur mors, & dicitur: Væ misera, talis fuit, heri ambulabat, aut ante septem dies vidi illum, illud atque illud mecum locutus est, nihil est homo. Murmurant ista. Sed fortè, cùm mortuus plangitur, cùm funus curratur, cùm exequiæ præparantur, cùm effertur, cùm itur, cùm sepelitur, viget iste sermo: sepulto autem mortuo, etiam talis cogitatio sepelitur.*

Themata pro dictionibus illis funebribus multa, & variis conditionibus apta, suggeret Sangeminianus: aliquid materiæ, pro conditione quavis, invenies apud Buzæum de statibus.

Pro adolescente, vel juvene, militiæ mortuo, retulimus lib. 1. cap. 9. in Commentario ad ver. 61. *Raptus est, ne malitia*, militia, *mutaret intellectum ejus*. Sap. 4. ubi latus apertus campus de militia dicendi. Istud, *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*, selegi pro virgine illustri, quæ mortem oppetierat ipso die nuptiis suis destinato, dicereque potuerat, *Et fax pro thalamo fax mihi mortis adest*, imò adest fax vitæ æternæ, fax convivii nuptialis in cælo. Pro illustrissimo viro istius virginis avo dixi, *Defunctus mortuus est in senectute bona.* De centum hominibus vix unus senectutem attingit: de mille vix unus bonam. Bona erit familiæ, si posteritatem relinquat: *Corona senum, filii filiorum.* Bona erit corpori, si ad extremum usque vegetum fuit, non, *senum morbus, viva mors, spirans cadaver*, quomodò senium describebat Secundus philosophus, aut quomodò Ecclesiastes cap. ult. Bona erit animæ immortali, si in virtutum actibus finiatur: *Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperitur.* Quibusvis congruet, *Ante obitum tuum operare justitiam. Per amorem Dei amor proximi gignitur*, inquit Gregorius lib. 4. Mor. cap. 10. *& per amorem proximi amor Dei nutritur*: ista est vera justitia.

Themata pro viris principibus, & militiæ ducibus, commodè desumes ex funere Mathathiæ, aut Judæ Machabæi lib. 1. cap. 2. & 9. Convenient immortuis certaminis isthæc Mathathiæ verba, *Melius est mori, quàm videre mala gentis nostræ, & Sanctorum*: & illa Judæ, *Moriamur in virtute.*

INDEX
CONCIONATORIUS
DE CONTROVERSIIS FIDEI.

CREDIDI, *propter quod locutus sum*, inquit Psalmista. *Et nos credimus, propter quod & loquimur*, inquit Paullus. Loquimur & nos cum Paullo & Psalmista, quia credimus, quia auditores credunt, quia fidei suæ fundamenta lubenter audiunt, quia fructuosè controversias excipiunt. Idem à te, Christiane concionator, aliquando forsan res tempusque postulabunt: eoque fine ordinem controversiarum in Dominicas digestarum tibi propono. Proposuêre ante me Stapletonus, Tannerus, aliique: non tamen actum ago, nec novi nihil in hocce Indiculo proferre me existimo, quemadmodum & in cæteris Indicibus, Commentariis, & Excursibus, plurima prorsus mea esse arbitror. Quotiescumque autem ex alienis profeci, auctores commemoravi non parcè; suasque nemini, quem sciam, laudes vel præterii, vel surripui: ne plagium, quod mihi valdè exosum est, admitterem, maleque tempori & tuo, & meo, consulerem. Sicubi tamen in easdem tractandi rationes, conceptusve incidi, quos apud alios auctores reperias: scito, ne auditos quidem illos à me esse, nedum visos, alioqui mentionem de ipsis non prætermissuro. Ista non de nihilo te moneri, benevole Lector, satis intelligis.

Et hoc te moneo: Controversias, quarum partem in Excursibus aut Commentariis diffusè tractamus, partem in indiculo attingimus tantum, non obiter tractandas, nec semel omnino explicandas: sed iterandas, inculcandasque, ad intelligentiam, ac memoriam, atque adeo ad usum popularem. Repetenda præsertim & imprimenda, quam de veræ Ecclesiæ notis dedimus Exc. 2. ad cap. 1. quamque posteriori huic ad Machabæos libro, velut anteambulonem præmiseramus manualis libelluli formâ, cum hac inscriptione: *Vera Ecclesia, omnium in fide errorum commune remedium.*

Inscribi eidem poterat, *Generale adversùs quamvis infidelitatem antidotum.* Quisquis enim hoc semel fixerit: *Religionem & cultum Dei verum non esse, nisi ubi vera Ecclesia est, veram Ecclesiam non esse, nisi quæ Una, Sancta, Catholica, Apostolica sit: ille eâdem operâ confecerit, religionem & cultum Dei verum nusquam esse, nisi in Ecclesia nostra, id est Catholica.*

Da Lutheranum, aut Calvinistam, qui symbolum Nicænum admittat; directò utrumque spectat dilemmatio: *Ecclesia vestra Una, Sancta, Catholica, Apostolica non est: non est ergo vera Ecclesia. Ergo in ea Ecclesia non estis, extra quam non est salus.*

Da Anabaptistam, Tremulum, Independentem, aut cujusvis alterius vocabuli sectarium, qui symbolo Nicæno renunciarit, Novum tamen Testamentum admittat, Christianus alioqui non futurus: eadem ille, quisquis est, Ecclesiæ notas cogetur admittere, quia in novo Testamento expressæ sunt. Legitur enim semper *Ecclesia Christi in singulari*, hoc est *Una*: *non habens maculam, aut rugam*, hoc est *Sancta*: *prædicata in universo mundo*, hoc est *Catholica*: *superædificata fundamento Apostolorum*, cui fundamento continuata ædificatio hærere debet, hoc est *Apostolica*. Itaque adversùs quemlibet sectarium idem, quod antè, argumentum revolvitur.

Da Paganum, aut Mahumetanum, eodem enim apud nos uterque fermè loco est, solâ ad illum utar secundâ nota. *Ea religio verissima, Deo hominum amatori gratissima, homini Dei debitori utilissima, quæ sanctissima. Sanctissima est religio Christiano-Catholica, præceptis moribus, moribus identidem per miracula approbatis. Est ergo verissima, gratissima, utilissima*: & vestra utique talis esse non potest.

Da Judæum, cujus à Christo religio abrogata est, eâdem in illum notâ secundâ disputabo: *Ea nunc religio vera est, quæ nunc sancta est. Talis nunc est religio nostra præceptis, consiliis, miraculis. Vera ergo est*: & vestra utique, quia talis post Christum esse desiit, vera esse desiit.

Da Christiano Catholicum nomine, at dubium, qui non rationem fidei, sed fidem rationi admetiatur, idque credat, quod intelligit; sic cum illo ratiocinabor: *Ratio postulat, ut eam religionem amplectar, quæ Deo sanctitatis auctori gratissima est: gratissima utique illa est, quæ sanctissima: sanctissima est, cujus præcepta, consilia, opera sunt sanctissima: talis est religio Ecclesiæ Christiano-Catholicæ. Ergo ratio postulat, ut illam religionem seriò sequar, illius præcepta complectar, illius auctoritati me submittam. Ratio vult, ut rationem fidei subjiciam, & captivem intellectum in ejus obsequium.*

In hunc modum infidelitati cuilibet panacæam illa de veræ Ecclesiæ notis Controversia faciet: quam mihi, quam tibi, quisquis nostra lectu audituve dignabere, dictavi primum seorsim atque edidi, tum ad cap. 1. hujus libri iterum reddidi, ne intercideret, & ut præ cæteris usui esse possit.

DOMINICA I. ADVENTUS.

THEMA. *Levate capita vestra* Luc. 21.
Levandáne semper Fidelibus capita, pellendusque omnis timor, tamquam de salute securis? Exc. ad cap. 11. lib 1. sect. 4. num. 1.

DOMINICA II. ADVENTUS.

THEMA. *Renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis.* Matth. 11
De miraculis, ex sect 4. Exc. 1. ad cap 1. lib 2. Controversiam de Messia vide lib. 1. Ind. 2. Conc. Adv.

DOMINICA III. ADVENTUS.

THEMA. *Tu quis es?* Joan. 1.
Missiones Evangelicæ, Excur. 1. ad cap. 1. lib. 2. sect. 9.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

THEMA. *Factum est verbum Domini super Ioannem.* Luc. 3.
Utiliter continuabitur argumentum de missione Evangelicorum ministrorum.
Materiam aliam adversùs Politicos, cur floreant mali, vide in morali ad hanc Dominicam Indice.

DOM. I. POST EPIPH.

THEMA. *Erat subditus illis.* Luc. 2.
Christus hodie sese humiliat in omnibus rebus, de quibus homines etiam sapientes gloriari solent, ingenio ac scientia, opibus, dignitate: interrogat ut discipulus, mendicat ut pauper, obedit ut subditus. Erubesce superbe civis. Erubesce Acatholice, qui anarchiam inducere voluisti: Exc. ad cap. 10. lib. 2 sect 1.
Poteris & pro D. Virgine dicere adversùs Acatholicos, ipsi affingentes imprudentiam, negligentiam, &c.

DOM. II. POST EPIPH.

THEMA. *Quid mihi, & tibi, mulier?* Joan. 2.
Boni hominis officium est in bonam partem sumere boni viri verba. Quomodò hæc Christi ad Virginem

verba sumpsêre Lutherus, Calvinus, &c? Passim tradunt interpretes, quos huc non transcribo.

Locus etiam est ad hoc Evangelium à mutatione aquæ in vinum transeundi ad Eucharisticam transsubstantiationem, qua de aliquid Exc. ad c. 2. hujus lib. sect. 1. & 2. &c.

DOM. III. POST EPIPH.

THEMA *Ostende te sacerdoti.* Matth. 8.

De Confessione auriculari. Vide Dom. 13. post Pent.

DOM. IV. POST EPIPH.

THEMA. *Motus magnus factus est* Matth 8.

De motibus Ecclesiæ quidpiam habetur conc. 2. morali. Cur Deus hæreses permittat, Proleg ad lib. 2. sect 2.

THEMA alterum. *Domine salva nos* Ibid.

Christum invocant Apostoli: a nobis ipsi etiam invocantur Apostoli: an rectè? Exc ad cap ult. lib. 2. parte sect. 1. & 2.

DOM. V. POST EPIPH.

THEMA. *Apparuerunt zizania* Matth. 13.

Cur Deus peccata permittit? Vide in morali Indice.

An vi coërcendi hæretici? Vide August. epist. 158. 159. 160. 127. homilia de ovibus &c.

DOM. VI. POST EPIPH.

THEMA. *Simile est regnum cælorum fermento.* Matth 13.

De traditionibus Exc. 1. ad cap. 1. lib. 2. sect. 8.

DOM. SEPTUAG.

THEMA. *Erunt novissimi primi, & primi novissimi.* Matth. 20.

Catholica veritas est, esse in cælo inæqualitatem præmiorum. Negavit Jovinianus, ab Hieronymo confutatus: Lutherani item, & Calvinistæ ut consequenter errent. Sed contra illos primum faciunt verba Christi Joan. 14. Parabola seminis fructificantis inæqualiter: Mnarum item parabola. Deinde Apostoli sententiæ 1 Cor 3. 1. Cor. 15. 2. Cor 9.

Præterea ratio, fidei innixa, ex inæqualitate meritorum id evincit; item ex inæqualitate caritatis: item ex pœnarum inæqualitate apud inferos, & ex Angelorum inter se differentia. Quæ adversarii objiciunt, vana sunt: ut ex 1. Joan 3. Deinde, quòd tota divinitas a Beatis singulis videatur at non totaliter, & proportione luminis videbitur clarius Deus, sicut pictura & liber pro portione oculorum, ut in themate diei secundæ pro Octava Sanctorum omnium indicamus. Addunt, periculum fore invidiæ, ut inter vinitores hodiernos. Sed ibi singuli sunt contenti adæquato suo, & vestium suarum modo pro staturæ convenientia. Denique, in parabola hodierna denarius idem videtur innuere meritorum inæqualitatem. Sed præcedentia indicant inæqualitatem beatitudinis, in æternitatis æqualitate. Augustinus serm 59. de verb. Dom *Alia modo ibi erit castitas conjugalis, alia integritas virginalis: alia fructus boni operis, alia corona passionis. Tamen, quantum pertinet ad vivere in æternum, nec iste plus vivit illo, nec ille plus isto. Pariter enim sine fine vivant, cum in suis quisque claritatibus vivat, & ille denarius vita æterna est.*

DOM. SEXAG.

THEMA. *Fructum afferunt.* Luc. 8.

Triplex fructuum genus Patres triplici continentiæ applicant. Ea itaque occasione commodè disputabitur de cælibatu tum Ecclesiastico, tum sæculari. Utrumque, sed illum maximè, impugnavêre hæretici.

Venia digni fuêre Pagani, Hermes, Plato, Augustus, si quando cælibatum leguntur damnâsse. Excusabiles item Hebræi, quòd magni illum non fecerint: etsi Melchisedech, Josue, Elias, Elisæus, Jeremias, apud Ignatium epist ad Philadelphienses, Essent, cælibes fuisse feruntur, ut & filia Jephte. At postquam Christus virgo de virgine nasci voluit, virginem præcursorem & nutritium habuit, sanctissimam Legem constituit: quis ferat oblatrantes cælibatui Gnosticos, Eunomium, Vigilantium, Jovinianum, Helvidium, Faustum? Quis patiatur Lutherum perpetuo inculcantem, *Crescite, & multiplicamini* & in nuptiis Carlostadii sui jubentem cani, *Non est bonum hominem esse solum* &c *Deus, qui B. Carlostadium* &c? Quis apud Calvinum, ex clerico uxoratum, apud Bezam versibus infamem, apud posteros illorum ex religiosis & sacerdotibus conjugatos, toleret ita proculcari usum Ecclesiæ, statuta Conciliorum, exempla Apostolorum, Christi consilia?

Eamus per sæcula singula, & castitatis odorem ex illis hauriamus, ad obliterandum cloacarum istarum fœtorem.

Præteritis sæculis mediis usque ad S Gregorium; etsi plena sunt testimoniis, & exemplis cælibatus Christiani: audiamus Gregorium lib 1 epist. 42. Petro Subdiacono mandantem, ut Sacerdotes & Levitas lapsos includat Monasterio nec deinceps admittat quemquam ad Subdiaconatum, nisi sanctitate promissâ. Audiamus Dominicum Præsulem nostrum, in Synodis Arvernensi & Aurelianensi; ubi statuitur, ne sacerdotibus fœminæ cohabitent, nisi tam proximæ sanguine, ut *nefas sit suspicari*. Audiri potest inter Patres Justinianus, qui ex consilio & consensu Episcoporum statuit, ut *loco moveantur* incontinentes Presbyteri &c Coll 1. Nov 6. Vide etiam Cod. De Episcopis, & Clericis, verba Concilii Nicæni.

Deinde, sursum sæcula remetiens, selectis Patrum sententiis, quas non adscribo, quia inventu faciles sunt apud scriptores controversiarum. Unam tantùm annoto ex Origene lib. 3. cont Celsum: *Apud Athenienses Eleusinos unicus Pontifex, ne ipse quidem satis sibi fidens, oblitus certum virilium, honeste dixerim cicuta armatur satis idoneus ad abundas castè ejus civitatis solennes cæremonias reputatur. At apud Christianos non desunt viri, quibus ad hoc cicutâ nihil opus est, ut Deo castè serviant: sed pro cicuta verbum Dei illis sufficit, ad expellendas animo cupiditates omnes* &c. *Virgines item non paucæ* &c. Didicerat a præceptore suo Clemente Alex. lib. 3. Strom. à Tert. Just &c.

Ex verbo Dei hauserat 1 Cor 7 Apoc. 14. Matth 19. ubi Christus Eunuchos voluntarios memorat, ab Isaia prænuntiatos cap 56. nomine meliori à filiis & filiabus.

Objectiones ipsorum sunt: prima ex 1. Cor. 9 ubi Paullus ait, se habere potestatem mulierem sororem circumducendi. Respondeat Aug lib. de opere monach c 4.

Altera objectio ex istis iisdem Paulli: *Diaconi unius uxoris viri: Episcopum unius uxoris virum.* Respondeat Ambrosius epist 25. ad Eccl Vercel. Inaniter hic Lutherus, & Beza, declamant contra irregularitatem bigamiæ. *Sit hoc quantumlibet vetustum*, inquit humilis & castus Beza lib de divortiis, *nihilominus iniquum est, nec in Ecclesia tolerabile affirmo.*

Tertia objectio plausibilior ex eodem Paullo est. *Melius est nubere, quàm uri.* Non nescimus, inquiunt, quid Prosper lib 3. de Vita contempl scribat de illis, quibus *concupiscentia per factu colloquia sordidum commoverit appetitum*. Legimus, quæ Bernardus serm. 65 in Cant. declamavit ad illud. *Capite nobis vulpes. Quotidie latus tuum ad latus juvencula est,* &c. Audimus interdum sacrilegia, adulteria &c. Quid inde infertis? Melius illis, & istæ connubium elegissent, quam cælibatum. Si aliud non diceretis, non essetis hæretici: diceretis, quod Paullus, *honorabile connubium*: diceretis, quod Ignatius epist. ad Philad. ubi post laudes cælibatus, locum sibi tamen optat in cælo cum Abrahamo. diceretis, quod nos omnes, & ratio, & fides. Vocatio naturalis, & communis, est ad matrimonium: supernaturalis & consilii, est ad cælibatum. Quisquis hunc amplectitur, secundùm consilium Christi, primò, reputet sumptus, si habeat ad perficiendum: deinde, occasiones peccandi vitet. Nam status sanctus non salvat, sed vita sancta ex statu.

THEMA alterum *Aliud cecidit secus viam* Ibid.

Qui fit, ut post fidei nostræ testimonia, tot olim manserint Pagani, tot hodie sint Mahumetani aliive Infideles, præter hæreticos? Satoris, & seminis vitium non fuit: libero peccârunt arbitrio: tenebræ lucem non admiserunt: via conculcata frumentum jactum non recepit.

Intellectûs objectum est veritas, voluntatis bonitas. Quid melius, & verius religione Christianâ? Cur ergo eam non intellexêre, neque intelligunt Pagani; nec voluêre, nec volunt? Quia intellectus eorum via est, voluntas itidem. Intellectum induravêre rationes naturales, voluntatem temporalia desideria: inde obstinatio in Infidelitate.

Quomodò oculus corporeus spiritualia non attingit, nec potest attingere, nisi forsan per obedientialem potentiam, ut innuit Aug. lib. 22 de Civ. cap. 29. Ita intellectus, citra lumen divinum, ad supernaturalia non assurgit.

Filium à patre distinctum naturâ semper vidimus: ergo sic est in divinis. A privatione non datur regressus ad habitum: ergo non fiet resurrectio. & *audiemus te de hoc iterum*, inquiunt Act. 17 Areopagitæ. Ex nihilo nihil fit: ergo Deus mundum, & animas, non fecit ex nihilo. Sic isti argumentabantur. Quomodò si quis diceret: Nunquam vidi trecentesimum fructum tritici; ergo falsum est, quod de Peruvia narrat Inca Garcilassus, patri suo trecentesimum illic fructum redditum & illatum in horrea, tantumdem periisse. Debuerant inanis philosophiæ sectatores consideraffe imbecillitatem ingenii sui: de qua nos quidpiam, huc transferendum, proleg. ad hunc lib. sect. 3. num. 16. & deinceps. Quam multa in speculativis erravêre summi quique philosophi? in practica præteream? *Quadam*, inquit Augustinus epist. 52. ad Maced. *acutissima, & excellentissima, ingenia tantò majores errores ierunt, quantò præfidentiùs tamquam suis viribus incurrerunt, nec suppliciter ac veraciter Deum, ut sibi viam ostenderet, petiverunt.*

Voluntas inescata gloriæ dulcedine, aut eloquentiæ ostentatione, aut voluptatum illecebris, noluit amplecti humilitatem Christianam, contempsit rudem sermonem Evangeliorum, noluit venire ad lucem; quia malis operibus renuntiare nolebat. *Quomodò vos potestis credere*, inquit Christus Joan. 5. *qui gloriam ab invicem accipitis*, &c? Apud Origenem lib. 1. cont. Celsum, dicebatur religio nostra vulgaris, rustica, & imperita: idem nobis objiciebat Julianus apostata, apud Gregorium Naz. Licentia fornicandi &c. impedivit, ne judicium & resurrectio crederentur, inquit Gregorius Nyss. orat. 3 de resurr.

Christiane, vis in fide perseverare? Cave, intellectum tuum facias viam mundi, nimis hæreas experientiæ, nimis rationi indulgeas. Cave, voluntatem desideriis mundanis indues. Ille nimis alta fastidiret; hæc omnis sancta metueret: quæ caussæ infidelitatem, eædem debilem fidem faciunt. Jacobus de Paradiso lib. de pec. mentalibus narrat, cuidam oranti apparuisse socium, recèns defunctum, & ter ingeminasse, *Nemo credit:* quærenti quæ, ecquidnam nemo crederet. *Nemo*, inquit, *credit, quàm exactè judicet Deus, quàm severè puniat.*

DOM. QUINQUAG.

THEMA. *Quid tibi vis faciam?* Luc 18.

De libero arbitrio. Etsi prisci hæretici, Manichæi præsertim, multa contra libertatem dixerint, nemo tamen enormius Luthero. Librum scripsit de servo arbitrio: ubi, sine gratia, hominibus dicit esse omnimodam necessitatem peccandi; cum gratia, esse similiter necessitatem faciendi boni. Articulo item 36. dicit, liberum arbitrium esse titulum sine re. Similia habet Calvinus lib. 2. cap. 5. § 8 ubi plus vult sapere Patribus omnibus, excepto forsan Augustino, cujus tamen etiam definitionem rejicit.

Contra istos pugnandum lumine fidei primum, tum rationis. Fides offert Gen. 1 in homine *imaginem Dei*, quoad substantiam, & qualitates: ergo & liberum arbitrium, quale in Deo, etsi imperfectius. Gen. 4. *Sub te erit appetitus, dominaberis*. Deut. 30. Moses dicit, *Proposui vobis* &c *Elige.* Josue 24 similiter, *Si malum vobis videtur*, &c. Isaiæ, *Si volueritis, bona terræ comedetis:* ergo poterant velle. Surdo & cæco nemo dicat, Si velis videre, & audire &c. Eccl. 15. *Si volueris mandata conservare* &c. Christus Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi.. Si vis perfectus esse.* Paullus 1. Cor. 7. *Potestatem habens suæ voluntatis.*

Quamvis lumen fidei deficeret, sufficiebat lux rationis. Ubi liberum non est benè, vel malè, agere, merces & præmium frustra proponitur. Vide respublicas quaslibet: nonne poli isti duo sunt bonæ gubernationis? *Alioquin*, inquit Hieron. cont. Jov. cap. 2. *ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est.* Omitto istius generis sententias, alibi faciles inventu.

An ergo gratia non est necessaria benè agendo? Imò: sed Deus, præbens gratiam, solicitat voluntatem: virgam Moses jaciat in terram: Sidonia mulier præbeat vasa: lapis à Lazari sepulcro amoveatur: impleantur hydriæ aquâ, ut fiat conversio in vinum: à sacerdotibus præparentur ligna, & cædantur victimæ in sacrificio Nehemiano 2. Mach. 1. Vide Comm. ad eum locum.

DOM. I. QUADR.

THEMA. *Scriptum est.* Matth 4.

De usu Scripturæ. Habes abundè Proleg. ad hunc librum sect. 1. à num. 12. ad finem. De eodem argumento, & de obscuritate Scripturæ, habes Proleg. ad librum priorem sect. 3. num. 12.

THEMA alterum. *Cùm jejunasset 40. diebus.* Ibid.

De jejunii Quadragesimalis obligatione, quam Calvinus 4 Inst. cap. 12 probrosè exagitat, dicendi locus est. Materia passim obvia.

DOM. II. QUADR.

THEMA. *Apparuerunt Moyses & Elias.* Matth. 17.

Non incommodè hic dicetur de usu, & cultu, sacrarum imaginum: quæ materia disceptatur Exc. ad cap. ult. libri hujus sectionis 1. & 2. parte 2.

DOM. III. QUADR.

THEMA. *Erat IESVS ejiciens dæmonium.* Luc. 11.

Contra Epicuræos disputatio de spiritibus. Excur. ad cap. 8. lib. hujus sect. 1.

DOM. IV. QUADR.

THEMA. *Accepit IESVS panes.* Joan. 6

Multiplicationem hanc panum figuram esse Eucharistiæ, dicimus in Indice Morali. Eâ occasione aptè ages de præsentiâ reali Christi in Ven. Sacramento: vide Exc. ad cap. 2. hujus lib. sect. 1.

THEMA alterum. *Impleverunt duodecim cophinos.* Ibidem.

Apostoli, sacerdotes creandi in ultima cœna, hic agunt officia ministrorum, & Diaconorum. Non incommodè hic ages de Ordinis Sacramento, de quo valdè inconstanter loquuntur hæretici.

DOM. V. QUADR.

THEMA. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joan. 8.

Arguunt hæretici Christum, cùm dicant desperasse, etsi aliquos dicti pudeat. Arguunt Deum, cùm dicunt auctorem peccati: etsi Calvinistæ negent eam esse sententiam suam, fateantur esse Calvini.

THEMA aliud. *Tulerunt lapides.* Ibid.

An à Deo caussa indurationis? Indicatur ea controversia in concione morali.

DOM. PALMARUM.

THEMA. *Solvite, & adducite.* Matth 21.

Percommodè ad Confessiones Paschales, agetur de potestate sacerdotali solvendi: & de distinctione mortalium & venialium culparum. De venialibus Exc. 3. Mor. ad cap. 5. lib. 1. sect. 1. num. 1. De mortali Exc. 3. ad cap. 4. lib. 1. sect. 1.

DIE PASCHÆ ET FERIIS.

THEMA *Surrexit Dominus verè* Luc. 24.

De exitu Christi è sepulcro clauso, disceptatio nobis est cum acatholicis: dicimus sufficienter lib. 1. Exc. ad cap. 13 sect. 1 num. 14 & 15

Disputatio item nobis est de descensu ad inferos, & de limbo. de quo quidpiam scripsimus ibid. num. 10. & 11. Aliquid etiam annotavimus hoc lib. in Comm. ad cap. ult. vers. 13 *Quis, nisi infidelium*, inquit Aug. epist. 99 illud Petri *solutis doloribus inferni*, explicans, *negaverit fuisse apud inferos Christum?*

THEMA alterum. *Apparuit Simoni.* Ibid.

Primæ inter mulieres, exceptâ Virgine, apparet Christus Magdalenæ pœnitenti: primo inter viros Petro pœnitenti. Magdalenæ non creditur, Petro creditur. Vel hinc Petrum, & Petri fidem, agnoscimus esse fidei fundamentum. De Ecclesiæ unitate in capitis unitate, habetur sectio 2. Exc. 1. ad cap. 2. hujus libri, à num. 8. ad finem.

DOMINICA QUASIMODO.

THEMA. *Noli esse incredulus.* Joan. 20.

Contra Epicuræos, de resurrectione. Excur. 1. ad cap. 12. lib. 2.

DOM. II. POST PASC.

THEMA *Unum ovile* Joan. 10.

Unitas Ecclesiæ. Exc. 1. ad cap. 1. lib. 2. sect. 1.

DOM. III. POST PASC.

THEMA. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Joan. 16.

Occasione istius gaudii, à Christo promissi, cujus extra Ecclesiam spes non est, quod ex vera sanctimonia oritur; age de altera Ecclesiæ nota, quod sit Sancta. Ibid. sect. 3.

DOM. IV. POST PASC.

THEMA. *Arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio.* Joan. 16.

Post explicationem literalem difficilis sententiæ, argue acatholicos *de peccato* infidelitatis, veram apud illos fidem non esse: & *de justitia*, quia consequenter non habent veram justitiam: & *de judicio*, quia cum principe mundi judicantur.

THEMA alterum vide themate Mor. 5.

DOM. V. POST PASC.

THEMA. *Petite, & accipietis.* Joan. 16.
Litaniarum usus. Exc. ad cap. 3. lib. 2. sect. 7.

DOM. INT. OCT. ASCENS.

THEMA. *Paraclitus testimonium perhibebit de me.* Joan. 15.

Spiritus caritatis, & veritatis, testatur veram Christi Ecclesiam esse Catholicam. Exc. 1. ad cap. 1. hujus libri sect. 5.

THEMA alterum. *Absque synagogis facient vos* Ibid.
De Conciliis universalibus non incommodè tractabitur occasione synagogarum. Erant enim synagogæ apud Judæos synodorum instar: & primaria synagoga Hierosolymitana velut Concilium œcumenicum, ut de illa Christus dixerit, *Super Cathedram Moysi sederunt* &c. Absque synagogis velint Ecclesiam facere hæretici, respuentes Concilia. Exc. eodem sect. 6.

Ad idem thema dicere poteris de Excommunicatione, & aliis censuris, earumque effectibus.

PENTECOSTE.

THEMA. *Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia* Joan. 14.

Utiliter & congruè dicetur de spiritu privato hæreticorum, spiritu vertiginis De illo dicimus Proleg. ad l. 1. sect. 3. num. 6. 7. & sect. 6. num. 1. Excursu 1. ad cap. 1. hujus lib. sect. 1. num 16. 17: & in Comm. ad cap. 12. vers. 26.

FERIA II. PENT.

THEMA. *Qui non credit, jam judicatus est.* Joan. 3.

Inexcusabilis est hæreticus, qui non credit, post tot veræ Ecclesiæ notas adductas. Earum ultima est titulus Apostolicæ: Exc 1. ad cap. 1 hujus lib sect. 7. Vides Concionibus quaternis, non longè inter se distantibus, propositas totidem veræ Ecclesiæ notas. Si cui, ut magis sentient, lubuerit tempore magis conjungere, occasionem ex Evangeliis facilè vel inveniet, vel faciet. Neque enim, ubi auditorum spectatur, & speratur utilitas, concionatori valdè laborandum, an Evangelium cum materia omnino hæreat, & an thema prorsus è re nata ducatur.

DOMINICA TRINITATIS.

THEMA *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Matth. 28.

Sunt hæretici Antitrinitarii, quibus fidem Trinitatis subruere studium est: vide themate 2. Mor. Est enim fides Trinitatis fundamentum Ecclesiæ, & religionis nostræ, in qua baptizati sumus. *Funiculus triplex*, ut ait Origenes hom. 9. in Exodum, *non rumpitur, qua est Trinitatis fides, à qua dependet, & qua sustinetur Ecclesia.*

Salus nostra fides Trinitatis. Augustinus in expositione inchoata epistolæ ad Rom dicit, linguâ Punica vocem *Salus* significare Latinum *Tria*; & contrà vocem *Tria* significare Punicè id, quod nos dicimus *Salus*. Hoc notatum à Valerio Episcopo in colloquio rusticanorum Linguam autem Punicam esse Chananæam: & rusticos Pœnos interrogatos, quinam sint, respondere, Chanani. Colligit Augustinus, vel istâ idiomatum consonantiâ indicari, nobis salutem esse à Trinitate, ejusque fide. Libro autem de fide & symb. cap. 9. postquam figuras Trinitatis posuit in tribus annulis ex eodem auro; & fonte, fluvio, potione, ex eadem aqua; & postquam de processione Spiritûs sancti egit. *Nec temerè*, inquit, *aliquid de invisibilibus affirmemus, tamquam scientes, sed tamquam credentes.*

Idem lib 1. de Trin. cap. 3 agens de quæstione Trinitatis. *Nec periculosiùs alibi erratur*, inquit, *nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid invenitur.* Et lib. 1 de doctr Christ postquam breviter exposuit cap. 5. quidquid de Trinitate credendum est, caput 6. sic incipit. *Diximusne aliquid, & sonuimus aliquid dignum Deo? Imò verò me nihil aliud, quàm dicere voluisse, sentio.*

Idem epist. 42. ad Madaurenses idololatras, postquam descripsit tres Trinitatis personas, quantum idololatræ capere possent, subdit: *Quis autem hoc totum, quod, non dicendo, dicere conatus sum, & dicendo non dicere, quis hoc possit serenissimâ & sincerissimâ mentis contueri... nisi, qui omnes superbia tortis inanes, peccata sua confitens, complanaverit, seq; substraverit mitem, atque humilem, ad accipiendum Deum doctorem?*

THEMA aliud *Docete omnes gentes.* Ibid.
An docendæ plebi liceat Dei imagines proponere, & imagines Trinitatis? Videatur Augustinus id damnare, lib. de fide & symb. ubi, postquam dixit sessionem Christi ad dexteram Patris non esse imaginandam corpoream, eum neque talis ejus imago sit toleranda. *Tale*, inquit, *simulacrum Dei, nefas est Christiano, in templo collocare: multò magis in corde nefarium est, ubi est verè templum Dei, si à terrena cupiditate atque errore mundetur*

Explicandus Augustinus de imagine, quæ Trinitatem sic exhiberet, quasi revera talis esset, daretque occasionem rudibus, fingendi sibi Deum corporeum. Non damnat ergo symbolicam imaginem, nec damnare potest; qualem Deus ipse in Scripturis expressit, pingens Patrem, sicut antiquum dierum, apud Danielem; secundam Personam similem Filio hominis; in Evangelio, Spiritum sicut columbam.

DOM. INT. OCT. VEN. SACR.

THEMA. *Homo quidam fecit cœnam magnam* Luc. 14.

De sacrificio Missæ, habes Excursu ad cap 12 l. 2. sect. 2. neque incommodè ostendes etiam esse propitiatorium pro defunctis, qui sicut pauperes, debiles, cæci, claudi, invitantur ad cœnam magnam sacrificio propitiatorio.

THEMA alterum. *Cæcos, & claudos introduc huc.* Ibidem

Cæca, simplex, & certa fides opus est, pro Ven. Sacramento. De illius fundamentis ex quatuor Evangelistis age hac Dominica: alia fundamenta ex Conciliis, & Doctoribus, reservabis Dominicæ sequenti. Vide Excursum ad cap. 2. hujus lib. sect. 1. cui, auctario loco, adjici possit, plum juxta & fælix anagramma, quod nuper, sine auctoris nomine, Leodii in foliculo prodiit. Verba sacra. *Hoc est enim corpus meum. Hic est enim calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei: qui pro vobis, & pro multis, effundetur in remissionem peccatorum* Anagramma. *Calvine, non est res figura. Luthere, non est panis. Est corpus Dei optimi maximi effusè mihi semetipsum communicantis in cibum. Nescis, quo vero, & mysterio, te reum redemit.* Digna mihi visa est ista laboriosi anagrammatis sanctitas, & veritas, quæ ab interitu foliculi immunente vindicaretur.

THEMA tertium *Vocavit multos.* Ibid.

De supplicationibus dicendi occasio est Ages primùm de illis generatim: particulari supplicationum Ven. Sacramenti tractatione rejectâ in Dominicam sequentem. Habes materiam Excursu ad cap. 3 hujus lib. sect. 5.

DOM. III. POST PENT.

THEMA. *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Luc 15.

Conciliis & Doctoribus Ecclesiæ, ex sect. 1. Exc. ad cap. 2. lib. hujus, stabiliatur fides realis præsentiæ Christi in Ven. Sacramento: contra Pharisæos novos, ab Ecclesia separatos, qui obmurmurant, quòd Christus non modò recipiat peccatores, sed ab illis recipiatur; nec modò manducet cum illis, sed ab illis manducetur.

THEMA alterum. *Vadit ad illam, quæ perierat.* Ib.
Christus, in vitæ suæ mortalis processionibus, quæsivit oves perditas: in Sacramentalis suæ præsentiæ processionibus, quærit oves perditas, & recuperatas congregat circum se: sicut pastor cùm fuerit in medio ovium suarum dissipatarum. Exc. ad cap. 3. lib. 2. sect. 6.

DOM.

DOM. IV. POST PENT.

THEMA *Duc in altum* Luc 5
Primatus D. Petri Exc. 1 ad cap 1 lib 1 sect 2. num 7. & in indice morali themate 3. Potes etiam dicere de Judice controversiarum Petri successore, cujus est ducere in altum disputationum.

DOM. V. POST PENT.

THEMA *Nisi abundaverit justitia vestra, plusquam Scribarum, & Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum.* Matth. 5.

Justitiam Acatholicorum esse Phari[illegible]am Hæc enim tota erat in exteriori: illa item est. Nam Acatholici habent tantùm justitiam imputativam ex fide in [illegible] hristum. quomodo si quis cœnum serico vestiret, aut leprosam purpura Regia amiciret, ideoque pulcrum & mundum diceret, quia tegitur fœditas & immunditie. Consule de hoc argumento scriptores controversiarum, & morales de eo themate concionem.

THEMA alterum. *Reconciliare fratri tuo.* Ibid.

Frater noster Christus est. Antequam ad ejus altare accedamus, antequam offeramus ipsum sibi munus nostrum, reconciliemur cum ipso: culpas expremus, ut, illis expiatis, pœnas debitas deleamus. Occasio hic erit de Indulgentiis agendi, gratissimo peccatoribus nomine, quod Isaias cap. 64. præfiguravit, Christus in synagoga prælegit Luc 4.

Postquam retuleris, quid Lutherus & Calvinus contra Indulgentias blaterarint: deduc essentiam illarum in remissione pœnæ; materiam in applicatione meritorum Christi; caussam, in auctoritate Pontificiâ ligandi atque solvendi, operaque idonea ad absolutionem injungendi.

Tum subde, inter opera requisita maximè necessariam puritatem animi: nec persuadere sibi Christianum debere, simul opera fecerit, Indulgentiam plenariam quæ ita est, ipsi applicari. Non sic sibi persuasit D Catharina Genuensis, cujus hæc sententia est tract de Purgatorio: *O miseri homines, qui nimium præfiditis de bonitate Dei. Ne confidatis, vos fallâ confessione plenarias Indulgentias lucraturos, atque ita cælum adepturos, [illegible] [illegible]. Attendite contritionem, & confessionem, necessaria ad eas Indulgentias, tam difficilia esse; ut, si hoc vobis perspectum esset, timeretis, & crederetis potius, vos non lucraturos.*

Numquam tamen opera perditur ab iis, qui seriò volunt eam consequi. Si plenariam omnino non adipiscuntur, ac partem saltem; eoque majorem, quo magis seriò prius reconciliati sunt cum fratre suo Christo: nam quò magis oderunt culpam, eo sunt meliùs dispositi ad abolendam pœnam.

Placet audire dispensatorem ipsum? Petierat Episcopus Lincolniensis à Gregorio VII peccatorum suorum absolutionem, id est Indulgentias. Respondit hic apud Baronium an. 1073. *Absolutionem postereà peccatorum tuorum, sicut rogâsti, auctoritate Principum Apostolorum Petri & Pauli fulti, quorum vice quamvis indigni fungimur, tibi mittere dignum duximus: si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.*

DOM. VI. POST PENT.

THEMA. *Quot panes habetis? Septem.* Marc. 8.
Duodecim cophinis, in altera multiplicatione panum, Apostolos duodecim significari eorumque munus, tota censuit antiquitas. Quid autem in hac significatione sportæ septem, nisi totidem Sacramenta novæ Legis?

Præfigurata fuere Lev. 4. vers 6. ubi in hostia pro peccato sacerdotis, & totius multitudinis, fit septies aspersio sanguinis. Sacramentis omnibus novæ Legis delentur noxæ, saltem leviores. Eodem spectant septem columnæ Prov. 9 totidem lampades candelabri Exod. 2 &c.

Cùm de Baptismo, Pœnitentia, Eucharistia, Ordine, Matrimonio, alibi dicatur. hic superest, ut explicetur plebi Confirmatio, & Extrema-unctio. Pro hac, notandus error vulgi, opinantis moriendum esse illi, qui accepit. Rupertus Rex Romanorum idem opinabatur: sed, de errore monitus, eam piè accepit, convaluit, superstes fuit ad multos annos: ita Spond. an. 1410. S. Philippus Nerius an. 48. ætatis & an. 72. convaluit post sacram illam unctionem.

Conclude, in effectu generali Sacramentorum novæ Legis, qui est incrementum gratiæ habitualis, & actualium, sicut septem panum effectus fuit saturatio.

THEMA alterum. *Pisciculos benedixit, & jussit apponi.* Ibid

De benedictione rerum quarumvis per sacerdotes novæ Legis, aptè hic dicetur, contra Acatholicorum ludibria. De panibus olim benedictis ab ipso Apostolico ævo, manifestum est. Vide Stapletonum in Prompt. Concionem inchoabis ab ipso nomine benedictionis, unde oriatur, quotuplicitér sumatur, cur ad hasce benedictiones translatum. Claudes adhortatione Catholicorum, ut nihil rejiciant, quod *sanctificatur per verbum Dei & orationem.*

De benedictione mensarum commodè hic populus moneatur: de qua quidpiam themate morali 2. Dom 2. post Epiph.

DOM. VII. POST PENT.

THEMA. *Attendite à falsis Prophetis.* Matth 7
Ut intelligamus, qui sint falsi Prophetæ, [illegible] quid sint Prophetæ. Ibi varias acceptiones istius nominis in Scriptura explicabis, & desines in significatione Doctorum Tum ostendes, novos istos Pseudo-Evangelicos Doctores esse falsos Prophetas. ipsisque convenire, quòd *veniunt*, non mittuntur *in vestimentis ovium*, Scripturam, & reformationem præferentes. *intrinsecus lupi rapaces*, schismatibus, & seditionibus; iisdem spinæ sunt, & tribuli

Attendite ab illis, non Prælati tantùm, sed singuli 1 Tim 6. 2. Pet 2. &c Cavendi seductores, plangendi seducti. *Attendite* etiam vobis Catholici, ne sub fide ovina lupinum cor habeatis, sine caritate; ne sitis tribuli pungentes, etsi præferatis uvas, & ficus.

THEMA alterum *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Ibid.

Ex tam divina sententia Manichæi collegerunt, esse unum principium malorum Donatistæ, malorum sacerdotum baptismum nil valere Lutherus, omnia Infidelium opera esse peccata Calvinus, quidquid ex concupiscentia oritur, esse peccatum, etiam motus involuntarios. Contra illum disputatio facilis, neque inutilis.

Arbor itaque mala, non est mala natura, sed mala voluntas. Aug. lib. 2. cont. Jul in fine: *Arbor mala, voluntas mala* Vide Ench. cap 1 eumdem: & lib 4 cont. Jul. cap 3. Corrige itaque voluntatem, Christiane, vide, ne quâ sit putris, alioqui putridi erunt fructus operum tuorum.

DOM. VIII. POST PENT.

THEMA *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Luc 16.
An opera bona sint meritoria vitæ æternæ, disputandum contra Acatholicos. Monendi etiam Catholici, non opera tantùm ex caritate facta esse meritoria, sed ex spe & inferioribus motivis.

De necessitate bonorum operum hic non agendum: servabitur in aliam Dominicam, & Dominicâ præcedenti quidpiam dictum esse potuit.

THEMA alterum. *Filii hujus sæculi* Ibid.

Aptè sic vocentur hæretici hodierni, vix unum sæculum ætatis numerantes. In Belgio certè cœpta hæresis publicè sese proferre abhinc sæculum. Quæ antiquitas? quæ Apostolica successio: quid tot sæculis factum? Referenda huc quædam ex sect 7. Exc ad cap 1 hujus libri. Hi tamen plerumque sunt *prudentiores filiis lucis, in generatione sua*, id est in stabilienda falsa sua doctrina, concionando, audiendo, &c.

THEMA tertium. *Facite vobis amicos . . . ut vos recipiant in æterna tabernacula.* Ibid.

Locus commodus, ut agatur de cultu Sanctorum. Exc. ad cap. 15. lib. 2. sect. 1 & 2.

DOM. IX. POST PENT.

THEMA. *Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Luc. 19.
Urbs perfecti decoris, vallis visionis, visio pacis, visitatur ab Oriente ex alto, & non videt pacem, quia videre non vult. In ejus miseræ urbis, & populi, exemplo discimus veritates Catholicas duas primo, Fidelem posse à fide excidere. deinde excidere, non defectu gratiæ, sed defectu cooperationis.

Non amitti fidem ait Calv. lib. 3. cap. 2 Contra est fides ipsa ex Scripturis, & experientia. Alterius capitis eædem sunt probationes.

Catholice, gratiam accipe, cùm pulsat, ne te prætereat, ut sponsus Cant 5. Exsurge cum Magdalena, statim ac *Dominum adest, & vocat te.*

THEMA alterum. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Ibid.

Templa Christiana non sunt tantùm domus prædicationis, ut apud hæreticos. De oratione in locis sacris, Exc. 2. ad cap 1 lib. 1. sect. ult & in Comm. vers. 45. De sacrificio Missæ, Dom. int. Oct. Ven. Sacram.

DOM. X. POST PENT.

THEMA. *Dixit IESVS ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, & aspernabantur cæteros, parabolam.* Luc. 18.

Postquam disputaveris, in quo fuerit peccatum Pharisæi, qua de re vide concionem Moralem, disputa, hæreticine, an Catholici, similes sint isti Pharisæo. Hæretici in se confidunt, fide ita se stare credunt, ut sint securi, quod Paullus non habuit: aspernantur Catholicos, & vocant dubitantios. Catholici ita confidunt in meritis, ut sciant esse à gratia Dei: nec quemquam aspernantur, quia potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ.

THEMA alterum. *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Ibid.

In Ecclesia Catholica duo sunt pœnitentiæ genera, Sacramentum, & Virtus. De illo aliàs. De hac jam, stabiliendis tribus Catholicis veritatibus pœnitentiam exteriorem esse laudabilem: in interiore reperiri dolorem de præteritis: sequi ex pœnitentia justificationem.

DOM. XI. POST PENT.

THEMA. *Adducunt ei surdum, & mutum.* Marc. 7.

Deus dæmoni permittit, ut in corpus hominum intret, quomodo in istius surdi & muti corpus, propter multos bonos fines. Hodie id permittit, ut Libertini confundantur, & hæretici. Libertini inde coguntur credere spiritus: Exc. 2 ad cap. 8 hujus lib. sect. 1 Hæretici coguntur fateri vim sacrorum Ecclesiæ exorcismorum, quæ cùm apud illos non sit, fuerit tamen semper in Ecclesia, consequens erit non esse apud illos veram Ecclesiam.

In vico Quercetо propè Insulas, proposite fuêre per sectarios dæmoniaci ficti sanandi a Ministro, Stephæ inscio: ne apud Papistas solos sanarentur, ut factum erat sequenter Insulis, & Rothoaci Sanavit Minister in speciem sed, fraude suorum detecta, Catholicus factus est. Spond. an. 1562. Edidit ille Minister librum de caussis conversionis suæ.

THEMA alterum. *Exspuens tetigit linguam ejus, &c.* Ibidem.

De erroribus Calvini circa baptismum, quem non putat necessarium, sicut olim Pelagiani, fraude diaboli volentis parvulos beatitudine privare. Tum de sarcasmis illius contra cæremonias baptismi.

Allocutio in fine ad Catholicos, ut niveum habitum servent, ardens cor, fidelitatem renuntiando diabolo &c.

THEMA tertium. *Benè omnia fecit.* Ibid

Christus cæremoniis adhibitis benè fecit. Ecclesia item benè facit iis utendo. Exc. 1. ad lib. 1. libri hujus sect. 3. num. 5.

DOM. XII. POST PENT.

THEMA *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Luc 10.

Opera bona non esse necessaria ad salutem, jam olim dixêre hæretici: Lutherus, & Calvinus eos secuti, apertis Scripturæ sententiis revincentur. Monendi etiam Catholici, ut legem considerent, conscientiam suam, & Evangelium, quid illos moneat faciendum Non qui plus scit, sed qui plus facit, major est in regno cælorum.

THEMA. *Quodcumque supererogaveris, reddam tibi.* Ibidem.

Esse quædam opera bona, quæ supererogationis dicuntur, & consilii, manifestum est ex Scripturis contra hæreticos. Monendi & hic Catholici, ut cum liberali Domino agant liberaliter. Quædam pro hac, & superiore concione vide in concionibus Moralibus.

Sub hoc tempus incidere solet festum Assumptionis. Dominicâ intra Octavam, poteris occasionem sumere agendi de Virginis cultu, & hyperdulia: ad quam nonnulla traducenda ex sect. 1 & 2. Excursûs ad cap 13. hujus libri, & ex fine sect. ultimæ Excursûs ad cap 7.

DOM. XIII. POST PENT.

THEMA. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Luc. 17.

Figura Sacramenti pœnitentiæ fuit ista olim ostensio leprosorum Quatuor sunt Confessionum genera: secreta, Deo soli: publica, sed generalis, ut in Missa: publica, particularium facta: secreta Deo. & homini facta auricularis. Hanc hæretici voluêre interdum, aliàs noluêre. Stabilienda, argumentis Catholicis primum, tum refutatis inanibus objectiunculis.

Argumenta Catholica subministrabit Christi institutio, & Ecclesiæ usus Patrum sententiis probatus. Objectiunculæ hæreticorum fere ad capita quaterna reducuntur: esse acceptionem personarum in dandis secretis pœnitentiis: pericula, de quibus Gregorii XV decretum agit, & antè Cælestini, apud Baronium an 56. Accedit onus majus, quam in antiqua lege, denique erubescentia. Respondetur, acceptione personarum, & periculis, rem de se bonam non vitiari. onus, & erubescentiam, compensari utilitatibus privatis, & publicis. Annuæ nostræ Hibernicæ an. 1650 narrant, falsos magistratus hæreticos, a sacerdotibus nostris duobus, per Confessiones, tuta longe magis effecta, quàm antè ab omnibus judicibus, per quæstiones. & supplicia.

Minister quidam Helvetus, laudato palàm Catholicorum instituto de Confessione Paschali, jussit suos iisdem confiteri & ovum unum afferre, ono quadraotem, ut Papistæ solerent. Cum audiendis confessionibus, & accipiendis ovis, solus non sufficeret: evocavit uxorem ut aures præberet, & manus. Neque hàc sufficiente, vocavit ancillam, Accidit, teste Becano, hujus sæculi an. 1613.

DOM. XIV. POST PENT.

THEMA. *Quærite primùm regnum Dei* Matth. 6.

Jubilæo promulgato per Alexandrum VII anno hujus sæculi quinquagesimo sexto ad jubilæum isthæc verba applicavi, disserui que, quid sit jubilæum esset istiusmodi, sive indulgentia plenaria; cur talis indulgentia vocaretur jubilæum, cur præ cæteris magni facienda Itaque ad eam consequendam nos monent caritate erga nos, caritate erga Ecclesiæ membra præcipua, caritate erga Ecclesiam universam.

DOM. XV. POST PENT.

THEMA. *Defunctus efferebatur.* Luc. 7

De Christianæ sepulturæ ritibus. Defunctis Christianis impenduntur officia pro anima primum, tùm pro córpore De illis aliàs. Hæc ad sex capita reduco, terram sanctam, orationes presbyterorum, cereos, thus, aquam benedictam, crucem. Quid istorum reprehendunt adversarii?

Monendi hic Catholici, primò, de cura sepulturæ laudabili: deinde, de cavendis superfluis ac nimiis sumptibus, qui, ut ait Aug l 1. de Civ. sunt *solatia vivorum, non subsidia mortuorum*: denique, de majori animæ cura. Vide lib. 1. c. 2. in Comm. ad vers ult.

DOM. XVI. POST PENT.

THEMA. *Si licet sabbato curare?* Luc. 14.

Locus dicendi de festis, eorum obligatione, potestate Ecclesiastica ad illa condenda. Exc. ad cap 10. lib, hujus sect. 2. & in Comm. ad vers. 8,

DOM. XVII. POST PENT.

THEMA *Diliges Dominum Deum tuum.* Mat. 22.

An possibilis sit lex præceptorum caritatis? Cur ab omnibus non servetur. Possibilem esse negant adversarii Calv. l. 2. Inst cap. 7. Nos a Deo possibilitatem dari affirmamus: neque enim Deus Pharisæus est, aut carnifex. Non omnes tamen servant, quia nolunt: neque enim gratia necessitat.

DOM. XVIII. POST. PENT.

THEMA. *Venit in civitatem suam.* Matth 9.

Civitas potest esse sua homini alicui, possessione, nativitate, educatione, conversatione, affectu erga illam, affectu illius erga ipsum. Quomodò Capharnaum fuit civitas Christi? Certè, non fuit possessione. Inde quæstio, utrum Ecclesiasticis liceat possidere prædia, & urbes; an deceat; an expediat?

Christo, & Apostolis, licuit possidere: noluerunt tamen, quia Ecclesiæ ortus non debuit tribui opibus, & potentiæ; & quia in eo exortu pauci erant Clerici, populus erga illos profusè largus. Sed crescente multitudine, & refrigescente caritate, non tantùm expedit, & decuit, sed oportuit Ecclesias dotari, ut olim Levitis factum. Vide Auth. de non alienandis, aut permutandis rebus Ecclesiasticis Prosperum lib. 2 de vit. contemplat. cap. 9. Vitam Augustini cap. 24. Cyprianum epist. 34. &c.

Leodium

Leodium civitas Christi est, possessione nativitate, quia Christus ibi formatur in multis: educatione, quia magna caritate illic aluntur pauperes: conversatione, quia in plurimis domibus habitat verus Emmanuel, & frequentissimis supplicationibus versatur in plateis: affectu ergo illam, tam sæpe defensam, ac mirabiliter protectam: affectu civium erga ipsum, constanti fide, ac fidelitate.

DOM. XIX. POST PENT.

THEMA. *Qui invitati fuerant, non fuerunt digni.* Matth. 22.

In duabus Evangelii partibus, primò docemur, non omnes ad fidem venire, qui vocantur: deinde, non omnes, qui ad fidem venerunt, salvari. Inde disceptandæ quæstiones: Qui fit, ut fide nostrâ adeo confirmatâ, tot adhuc sint Infideles? Qui fit, ut Fideles, in tot luminibus, & gratiis, non salventur? Proleg. ad hunc lib. sect. 3. tota, exceptis numeris 15. 16 17. 18. qui Dominicâ Sexagesimæ notantur.

Eædem caussæ Fideles corrumpunt, quæ faciunt aut detinent Infideles, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.

THEMA alterum. *Quomodò huc intrâsti, non habens vestem nuptialem?* Ibid.

Vide themate tertio Morali, quæ sit ista vestis: an fides sola, an caritas?

DOM. XX. POST PENT.

THEMA. *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.* Joan. 4.

De veris miraculis, Exc. 1. ad cap. 1. hujus libri sect. 4. Tantum adverte, falsa quædam miracula à num. 4 deinceps, omitti posse dicendo, in gratiam infirmiorum Auditorum: omitti non debuisse scribendo, in gratiam eruditiorum Lectorum.

THEMA alterum. *Credidit ipse, & domus ejus tota.* Ibidem.

Esse gradus in fide negat Calvinus, sive eam augeri posse lib. 3 Inst. cap. 2. Affirmat fides Catholica, & probat historia hodierna, accedentibus plurimis Scripturæ locis.

Quomodò augetur? Primò, ex parte objecti, si plura credat: deinde, ex parte intellectûs, habitu fidei crescente, simul cum gratia: denique, ex parte actus, si majori cum firmitate & adhæsione fiat.

DOM. XXI. POST PENT.

THEMA. *Tradidit eum tortoribus, donec redderet universum debitum.* Matth. 18.

Non redditur debitum apud inferos, manet semper solvendum. Innuitur ergo hic locus aliquis, ubi debitum omne possit exsolvi: iste est locus Purgatorius, Exc. 2. ad cap. 12. hujus lib. sect. 1 & 2.

DOM. XXII. POST PENT.

THEMA. *Cujus est hæc imago?* Matth. 22.

Immortalitas animæ contra Epicuræos stabilitur, Exc. 1. ad cap. 8. lib. 2. sect. 2.

DOM. XXIII. POST PENT.

THEMA. *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* Matth. 9.

De sacris reliquiis, Exc. ad cap. 6. lib. 2. sect. 3.

DOM. XXIV. POST PENT.

THEMA. *Surgent Pseudochristi.* Matth. 24.

Pontifex Romanus non est Antichristus. Exc. 1 ad cap. 1 lib. 2. sect. 2. numeris 3. 4. 5. Imo Acatholici fuêre Antichristi, vitâ per inobedientiam actâ, &c.

THEMA alterum. *Surgent Pseudoprophetæ.* Ibid.

Aiunt, in vico Trausmendorfio, prope Noribergam, visi & honorari imaginem D. Virginis, titulo Reginæ Angelorum: circum illam esse choros Angelorum novenos; sub pedibus, Pseudoprophetas tres, Mahumetem, Lutherum, Calvinum, valde apta conjunctione & comparatione. Non molestè ferant eorum discipuli, talem à nobis comparationem institui. discipulos enim non comparamus, sed magistros: nec facimus quidquam, quod ipsi ante non fecerint. Luthero certè carum fuisse Mahumetem, vel ex eo patet, quod contra Turcas arma sumi nollet: & quòd in epistola ad Lectorem, præmissâ opusculo Septemcastrensis de moribus Turcarum dicat, Turcas suis discipulis esse meliores, nihilque apud Christianos inveniri ordinatius superstitione Turcicâ. Calvini cum Mahumete affinitatem testatus est Adamus Neuserus, Minister Heidelbergensis apud Spond. an. 1574 ex Gerlachio Lutherano Ministro; qui scribit, sese Constantinopoli incidisse in illum, Mahumetanum factum, petiisseque, quomodo illuc devenisset: ipsum respondisse, id factum, quia fuisset Calvinista, inde enim Arianum evasisse, demum ex Ariano Mahumetanum.

Cum igitur confessionem ipsorum teneamus de affinitate cum Turcis, injuriam eâ comparatione non inferemus: præsertim cùm in doctrina, tum speculativa, tum practica, non conveniant modo Lutherus & Calvinus cum Mahumete, verùm erroribus illum superent.

In doctrinâ speculativa videndum, quid de Deo, Christo, D. Virgine sentiant. Scripsit Mahumetus Alcoranum, id est lectionem: ibi affirmat, Deum caussam omnis mali; pro peccatoribus non orandum. Lutherus, qui antè Luddet, id est nebulo, dicebatur, deinde nomen à puritate accepit; quem Prophetam Calvinus indigetat: is omnia fato fieri asseverat, & absolutâ necessitate qui semel peccârit, non posse non semper peccare; unde discipuli benè intulêre, non orandum pro peccatoribus. Calvinus, qui post laudes Lutheri, suas non omisit, scripsitque, se à Dei Spiritu missum: is in suis Institutionibus passim ait, Deum auctorem peccati &c. Ut etiam discipulos pudeat. Religionis malæ evidens signum, non benè sentire de Deo. *Sentite de illo in bonitate.*

Mahumetus Christum fatetur magnum Prophetam, prorsus sine peccato: Deum non vult agnoscere. Lutherus nomen *Consubstantialis* non recipit: Christum, ob susceptà peccata nostra, ait propriè dici posse furem, sicarium, &c. Calvinus Deum Patrem ait esse καθ' ἐξοχὴν Deum: displicuit illi illud Nicæni, *Deum de Deo*: audet Christum dicere maledicti reum, ignarum &c. ut de desperatione sileam.

Mahumetus Virginem ait hominibus omnibus puriorem. Lutherus serm. de Nativit. Virg. ait, nos æquè puros esse, ac Virginem. Calvinus, ex doctrina imputativæ justitiæ idem censet; præterquam quòd vitia ipsi tribuat, quæ Mahumetus ab illa prorsus removet.

In doctrina morali tria tantùm solummodò capita spectemus. Castitas ornamentum morum à Mahumete illaudata, polygamia permissa, promissus suillus paradisus; ait, qui sues hic non manducant, ibi transmigrent in sues. Lutherus, abrupto voto & ductâ Catharina de Bore, divortia stabilivit; *facto divortio, hominem* scripsit *non esse ad cœlibatum cogendum*: in propositionibus de bigamia Episcoporum manifestè polygamiam adstruxit. Calvinus vota solvit, divortia permisit: & ex ejus principiis Bernardinus Okinus statuit, licere polygamiam, libro de illa edito.

Quod ad jejunia, & abstinentiam spectat: Mahumetus constituit Quadragesimam septimanarum quinque. Turcæ ad noctem usque jejunant, *& stella auctoritatem demonstrante sufficiunt*, ut olim Arabes apud Tertull. Lutherus jejunium ait *nullius esse meriti*: ex quo cucullum exuit, non jejunavit, teste Melanchthone: abstinentiam à carnibus damnat: postquam strenuè bibisset vesperè, seu, ut solebat dicere, catechismo studuisset, manè inventus dicitur mortuus. Calvinus illo magis sobrius, & siccus, jejunia tamen suis nulla imperavit, carni indulgentior quam Mahumetani.

Mahumetus decalogum admittit, ubi furta prohibentur: rapinas tamen & deprædationes permittit. Lutheri Evangelium tuba fuit seditionum, rebellionum, cædium in Germania. Idem fecit Calvinus in Gallia, qui præterea usuram, larvatam specie monstrosæ caritatis injustitiam, Ministris etiam permisit: qui in virtute Ministri officio intolerandis numerat ludos, & tripudia; tolerabilia esse ait, novarum consuetudinum publicationem, & detractionem de proximo.

Hæc tantùm doctrinæ speculativæ & practicæ specimina, in tribus illis Pseudoprophetis, à Gualterio nostro fusiùs tradita, profecto: nam omnia quando denique protulissemus? Mahometis crassos errores numerant, qui eos diligenter annotavere, quadragenos & octonos; Lutherus habet 79 Calvinus centum. Tam verus Propheta Calvinus, & ex Domino à Beza nominatus; quàm verus fuit Lutherus, ab illo quidem aliquando laudatus, sæpiùs damnatus. Tam verus fuit propheta Lutherus, quàm Mahumetus; cui dormienti Alcoranum traditum somniant Turcæ; qui *signa & prodigia* alia non fecit, quàm ut in errorem inducerentur infani. Talia eidem fuere Lutheri, & Calvini prodigia: quorum illum morte subitâ occupatum diximus. hic, Bolseco narrante, inter duos dolores,

adjurationes

adjurationes & invocationes dæmonis, studiorum suorum detestationes, ad Mahumetis & Lutheri societatem transit.

Claudamus sermonem duplici ad Catholicos admonitione. Primùm, ut pro merito Catholicam religionem magni faciant, ubi tam sublimia de Deo, tam sancta de moribus docentur: quam ipsa falsitas, quamvis invita, laudare cogitur. Mahumetus postquam dixit, salutem sine veteri Testamento, Evangelio, & Alcorano, esse impossibilem: paullò pòst, immemor sui, dicit, Christianos ex Dei cultu posse salvari. Lutherus, postquam Papistas Turcis postposuit; libro con. Anabapt. ait multa bona, imò omnia bona esse apud Papistas, Scripturam veram, Sacramentum altaris, Claves. Calvinus lib. 4. Inst. c. 2. postquam posuit, nullos Christo magis esse adversos, quam Papam, & suos, neque apud illos esse Ecclesiam aut verbum Dei: denique agnoscit, quasdam esse Papistis Ecclesias; Ecclesias esse non desiisse, in quas Papa dominatur.

Altera admonitio sit, de odio inextincto adversùs hæreses: non dico adversùs hæreticos, quos isti Pseudoprophetæ in errorem induxerunt, miserandos & juvandos, non habendos odio. Sed cum hæresibus sint implacabiles inimicitiæ. Si ageretur de inducendo in hanc urbem Turcismo, & Lunis supra turres summas collocandis, deturbandisque crucibus: omnes, credo, potius moreremur ad infantes usque. Anno 1566 Comes Zrinius, Zigethi pro Imperatore præfectus, cum diutiùs sustinere Turcos non posset, indutus optimis vestibus, cum armillis aureis & clavibus arcis, hortatus reliquos suorum paullò plures trecentis, acclamato JESU nomine, prælato vexillo Cæsareo, irruit in confertissimos hostes, & stragi hostium incubans, occisus cum omnibus suis, exceptis quatuor. Ita Spondanus. Apud nos ne quatuor quidem, opinor, superstites esse vellent, si de Evangelio in Alcoranum mutando ageretur. Idem nobis sit adversùs Lutheranismum, & Calvinismum, animus: quando consimilia auctores docuère, imo pejus de Deo, Christo, Virgine sensère Calvinus, & Lutherus, quam Mahumetus. Execremus errores, misereamur errantium.

THEMA tertium. *Parebit signum Filii hominis* Ib.

Aptus locus dicendi de cultu crucis Christi, imaginis illius, & signi manu efformati. Ad quam rem nonnulla transferes ex lib. 1. cap. 9. Excursûs sect. 6. à num. 10 ad finem. Item de Excursu ad cap. ult. hujus libri sect. 1. num. ult.

Commodiùs tamen forsan videbitur, de isto argumento tractare die Crucis inventæ, aut exaltatæ. Argumenta nonnulla itidem alia festis quibusdam congruunt; eaque illuc facilè Lector transferet: nam nobis satis fore visum est, si Dominicarum, per quas Controversiæ apud nos magis tractari solent, Evangelius aptaremus.

INDEX
MATERIARVM
IN COMMENTARIIS
ET EXCURSIBUS
CONTENTARVM.

Litera p. *paginam*; c. *columnam significat: adscripta est syllaba* prol. *ubi aliquid ex prolegomenis indicatur.*

Affatim etiam materiæ continent Indices Concionatorii: quam Lector, in argumentis concionum versatus, facillimè sine indiciis, qualia tamen quædam hîc etiam damus, inveniet.

A

Nomina

Bona

Index materiarum.

Propitium

civia.

L.

§§§§ §§§§ §§§§ §§§ Lysias.

Pacem

Index materiarum.

O.

P.

PENTE-

Q.

R.

SOMNIUM.

Index materiarum.

VERITAS,

FINIS.